
NAZIONALE
8
48 G
8 M
ROMA
CENTRALE V. E. II


FARNESI ALFREDO

ANTI-IANSENIVS

HOC EST,

SELECTÆ DISPVTATIONES

DE HÆRESI PELAGIANA ET SEMIPELAGIANA: DEQVE VARIIS STATIBVS NATVRÆ HVMANÆ: & de Gratiâ Christi Saluatoris,

IN QVIBVS VERA DE ILLIS DOCTRINA proponitur, & Cornelij Iansenij Iprensis falsa Dogmata refutantur.

Selectore & Auctore ANTONINO MORAINES, Sacræ Theologiæ Professore;

Joannes Martinus



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographi, viâ Iacobæâ sub Ciconiis:
Et GABRIELIS CRAMOISY.

M. DC. LII.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.



LVDOVICO XIV.

REGI

CHRISTIANISSIMO.



VLTA *me non tantùm inuitant*, REX CHRISTIANISSIME, *ſed propè impellunt, vt cum infenſo regni tui, æquè ac religionis hoſte congreſſurus, tuis ſub auſpiciis dimicationem ineam: ſed præcipuè ſingularis illa benignitas, quæ licèt omnibus Gallorum Regibus ad aliarum gentium ſtuporem ſit communis; tibi tamen eſt adeo ſingularis, vt omnium tum ſubditorum, tum externorum tibi corda conciliet; mihi addit animos vt audeam ad tuam clientelam confugere. Cùm enim neminem dedigneris, & ad te confugientes non ſolùm à tuo conſpectu colloquióque non arceas; ſed quaſi Maieſtate ſepoſitâ, obuius illis, ſolâ clementiâ, & blandiſſimâ animorum conciliatrice benignitate comitatus, & vltrò auxilium oblaturus occurras; facerem iniuriam illi clementiæ tuæ, quæ mirabili oris ſermoníſque ſuauitate ſe prodit; ſi, ne ad illam in cauſa æquiſſima confugerem, eâ quâ ceteris Regibus antecellis Maieſtate deterrerer.*

Illa quoque peculiaris erga Sedem Apoſtolicam obſeruantia, & ſingularis beneficentia, Galliæ Regum propria, quam viginti tribus ſchiſmatibus extinctis, & ſummis Pontificibus quater-decies in ſuum patrimonium reſtitutis, aliiſ-

que multis ac luculentis officiis beneficiísque comprobarunt; quæque à tuis prædecessoribus iure velut hæreditario ad Tuam Maiestatem transmissa est, sperare me iubet non iniucundum tibi fore qualemcunque istum conatum & laborem meum, quo Sedis Apostolicæ dignitatem, Summorúmque Pontificum in decidendis fidei controuersiis auctoritatem, contra paucorum temeritatem defendo. Non enim priuatam causam ago, sed publicam, eámque sacram, & ipsius columnæ ac firmamenti veritatis Catholicæ, cùm Iansenium Iprensem impugno: illum scilicet auctorem libri pestilentissimi, quem Martem Gallicum inscripsit; quo Reges Christianissimos, vt omnium calamitatum, quibus Europa & Ecclesia vexatur, non modò fautores, sed incentores & architectos insectatur: & ex hoc audaci facinore factus in alia proiectior, ausus est Ecclesiæ, & auitæ religioni bellum indicere; sibíque polliceri se posse oraculum religionis euertere: contendendo doctrinam, quam Summi Pontifices damnarunt, quam Concilia legitima proscripserunt, quam Ecclesia Catholica vnanimi consensu per totum orbem, & verbo è sacris pulpitis, & scripto in libris, semper quidem, sed apertissimè à quingentis saltem annis vt erroneam & hæreticam insectata est, quámque Vvicleffus, Lutherus, & Caluinus ab inferis excitarunt, esse veram catholicámque doctrinam, ab antiqua Ecclesia approbatam, & aduersus Pelagianos ab Augustino propugnatam. Contrà verò, illam quæ à multis iam sæculis docetur in scholis, prædicatur in templis, conseruatur in libris; quæ inter fideles approbatur, inter Ethnicos propagatur, & aduersus hæreticos tantâ Catholicorum contentione propugnatur; pro qua huius æui Martyres quamplurimi sanguinem sub hæreticorum ferro profuderunt; quam denique omnes illi, qui postremis his sæculis in Sanctorum numerum relati sunt, non solùm verbo exemplóque docuerunt, sed etiam miraculis confirmarunt; esse tantùm venenatam, pestilentémque mephitim è fœtidis Pelagij lacunis erumpentem. Cúmque ego conatus illos audaces, horrendásque calumnias, ad singula capita respondendo (quod hactenus neminem præstitisse puto) eodem ferè ordine quo ab illo dispositæ sunt, refutare conten-

dam: non est priuata hæc causa, sed publica; nec vmbratilis solùm Theologorum inter se de ancipiti, & in vtramque partem probabili quæstione disputatio; sed grauissima de religione controuersia contra hominem, qui postquam sumpto MARTIS GALLICI *nomine firmissimum totius orbis regnum, & hactenus inconcussam Ecclesiæ columnam irrito nisu subruere conatus est; nunc ipsa Ecclesiæ, religionísque fundamenta, nimirum Conciliorum & Pontificum auctoritatem, necnon incorruptam Ecclesiæ in doctrina moribúsque sanctitatem, falsâ* AVGVSTINI *ostentatione euertere molitur. Facit ergo,* REX CHRISTIANISSIME, *æquitas causæ, quam hoc volumine defendendam suscipio, vt in spem maiorem tuæ protectionis erigar; cùm non tantùm liber iste meus, sed cum illo ipsa quoque Catholica religio ad tuam opem ab atrocißimo suo, tuíque nominis hoste lacessita confugiat: neque hanc qualemcunque lucubrationem ad sacros Tuæ Maiestatis pedes afferam patrocinium quæsiturus auctori tantùm, sed causæ, cuius protectionem tibi esse gratissimam omnibus exploratum est, euidentíque experimento compertum.*

Est etiam in ipso tuo nomine augusto quod mihi spem præsidij tui iniiciat, felicísque successus, contra communem regni tui & auitæ religionis hostem sub Maiestatis tuæ auspiciis pugnare aggredienti: cùm fatale semper fuerit hæreticis Galliæ simul fideíque oppugnatoribus Ludouicorum nomen & pietas. Clodouæus enim, quem Summi Pontifices Ludouicum appellant, Arianos fregit. Ludouicus alter, Ludouici Pij filius, Prædestinatianos repressit. Ludouicus octauus Albigenses attriuit. Eorundem efferentes sese reliquias Ludouicus nonus patre maior extinxit. Ludouicus decimus-tertius, pater tuus augustæ memoriæ, Caluinistas in ordinem redegit. Tu virtutis auitæ, nominísque successor, in supremam sectæ è Caluini cineribus renascentis perniciem, inter laureas adolescis: sacros illos Maiorum triumphos, quos inter hæreditarias opes numeras, ad posteros auctiores hâc nouâ similium palmarum accessione transmissurus, vt in casu simili Diuum Ludouicum in te reuixisse demonstres.

Neque verò iis Maioribus ortus es, quibus (vt Summi Pontifices eodem ore, quo sacra depromunt oracula, pro-

Gregor. IX. Innocent. III. Pius II.

nunciant) solenne fuit pro exaltatione fidei Dominica prælia dimicare; proprium, Romanam Ecclesiam honestare; hæreditarium, deuotionis constantiam, ac fidei puritatem à progenitoribus suis accepisse: *non Ecclesiæ votis, non matris Augustæ precibus, singulari beneficio à Deo datus es, vt prophanis solùm triumphis totam ætatem conteras: sed vt bella Domini præliando, tanquam verus Ecclesiæ filius primogenitus, defensórque præcipuus, opportunum præstes illi subsidium. Exercitus quidem tui Belgium latè, Germaniámque victoriis peragrauerant, cùm nondum cunis exisses: fuerúntque illæ infantiæ tuæ laudes, fuerunt laudum præludia, vt in hoc humanæ felicitatis fastigio, tuæ gloriæ fundamenta iacerentur. Sed hos magnorum Principum apices tibi Deus substernebat ingradum, vt te altiùs eueheret: dignúsque illi visus es qui his temporibus calamitosis Ecclesiæ laboranti succurreres: &, si Dei consilia scrutari Theologo licet, in hæc tempora ortum tuum consultò distulit, passus tecum Iansenianæ doctrinæ fruticem pestiferum enasci, Galliæque inseri, vt succrescentes has Caluini reliquias in ipsa radice succideres.*

Et certè expectationem de te conceptam minimè fefellisti, REX CHRISTIANISSIME: *sed quæ extinguendis erroribus breuissima via est, causam fidei ad supremum Ecclesiæ iudicem detulisti, solemnibus literis vnà cum vniuerso propè Galliæ clero precatus, vt damnatas toties propositiones nouâ & speciali censurâ proscribat: & si qui adhuc caligant ad solem; iis errantibus viam monstret fulminibus, quæ forsan & percussi venerentur. Nouerant illi sapientissimi Galliæ tuæ Præsules dictum esse à Synodo Nicæna, vt refert Julius I. epist. 2. & à Damaso, Innocentio I. Leone, Gelasio, Gregorio Magno, Innocentio III.* Maiores causas, & præsertim fidei, ad Petri sedem referendas esse: *&, vt ait Anselmus,* Ad nullum alium, quàm ad Romanum Pontificem, cui diuina prouidentia vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam commisit, rectiùs deferri, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur. *Sciebant Petrum Chrysologum*

Damas. ep. 3. ad Stephanum. Innoc. ep. ad Concil. Carthag. & Mileuitanum. Leo epist. 84. & 89. Gelas. epist. ad Episcopos Dardaniæ. Greg. lib. 4. epist. 52. Innocent. III. cap. *Maiores* de baptismo.

Rauennatem Episcopum, Eutychetem hortari, vt his quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis Episcopo scripta sunt, diligenter attendat: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede viuit ac residet, præstat quærentibus fidei veritatem. *Audierant ex Cyrillo*, ad omnes pertinere, quid credendum ac tenendum sit, à Romano Pontifice accipere. *Et ex Bernardo didicerant, ad eundem* referri oportere pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ac præsertim quæ de fide contingunt. Dignum quippe esse ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. *Apud Irenæum legerant* Ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necessarium esse omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt vndique fideles: *& apud Cyprianum, Non aliunde hæreses ortas, aut nata esse schismata, quàm ex eo, quòd vni Sacerdoti Dei, qui vice Christi tanquam iudex toti Ecclesiæ præsidet, non paretur. Quare exprimendam sibi esse duxerunt vsu doctrinam, imitatione exemplum tantorum Præsulum, quibus, si tulisset ætas, exemplo doctrináque suppares esse potuissent. Digni profectò, qui à te,* REX CHRISTIANISSIME, *atque ab ipso Innocentio X. referant eam laudem, quam Patres Concilij Mileuitani ab Innocentio I. meruerunt.* Diligenter, *inquit*, & congruè Apostolico consulitis honori: honori, *inquam*, illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecùs, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam. Quoties enim (*addit paulò pòst*) fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coëpiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.

Anselm. lib de Incarnat. Verbi c. 1. Chrysolog. in epist. ad Eutychetē, præfixa actis Græcolat. Concilij Chalcedon. Cyril. Alexandr. in Thesauro, apud D. Thomam in Opusc. de erroribus Græcorum. Bernard. epist. 190.

Irenæus lib. 3. contra hæreses c. 2.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.

Epist. 93. inter Augustinianas.

Tu verò, REX CHRISTIANISSIME, *qui patris gloriam in hac tenera ætate non mediocriter auxisti, & aliquando summos Principes ceteris virtutibus æquaturus es,*

iam illos pietate hac in parte vicisti. Constantinus quidem Magnus Donatistarum causam, ad se ab ipsis delatam, eiusdem iudicium importunè flagitantibus, ad Melchiadem Papam veluti proprium iudicem remisit. Tu ad Innocentium X. id est, ad idem supremum tribunal Ecclesiæ, Iansenistarum causam non defers solùm, verùm etiam illustris accusator accedis. Valentiniani Imperatoris laus fuit fidem à Maioribus traditam eatenus defendere, quatenus (*inquit ipse*) beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare. *Tu non tantùm das iudicio locum, sed & postulas, & vt sententiæ pareatur regiæ tuæ potestatis robur, si opus fuerit, adiuncturum te polliceris. Pacata Ecclesia Iustinianus (sic ipse profitetur) omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subiicere & vnire Sedi Apostolicæ properauit.* Reddentes, *inquit*, honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto, & fuit, & est) & vt decet patrem, honorantes vestram Beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire. *Tu parem exhibens honorem Sedi Apostolicæ, neque minùs sollicitè vnitati Ecclesiæ consulens, nouis Dogmatistis Ecclesiam turbantibus, ex sola Gallia tecum ducis supremo Ecclesiæ capiti & fide connexos & calculo, quatuor circiter & octoginta Episcopos, quorum in se suffragia error si numeret, obruatur: si ponderet, opprimatur. Dignus planè successor Caroli verè Magni; qui cùm aliarum virtutum, tum maximè singularis erga Sedem Apostolicam venerationis, ac religiosæ obseruantiæ merito fideique zelo, occidentalis imperij coronam primus assequutus est: & Summi Pontificis, Patrùmque Concilij Moguntini indicio illustres obtinuit titulos* Christianissimi, veræ religionis Rectoris, & sanctæ Dei Ecclesiæ Defensoris. *Eam verò insignem in Summum Pontificem, Romanámque Ecclesiam pietatem propagare, &*

August. ep. 162.

Epist. ad Theodosiũ Imperat. præfixã Actis Concilij Chalcedon.

Tit. 1. Codicis, legè 7. siue in Edicto de fide.

Dupleix tom. 1. in vita Caroli Magni, pag. 460.

ad filios transmittere cupiens, vt iura imperij, & amplissimæ dominationis suæ, hoc mandatum in testamento consignatum reliquit: In primis iubemus vt tres filij mei suscipiant vnà curam, & defensionem, siue patrocinium Ecclesiæ S. Petri, quod fecit Carolus auus, & Pipinus felicis memoriæ pater meus, quorum vestigiis institi: vt Deo auxiliante eam aduersus omnes eius hostes propugnare totis viribus contendant, ipsiúsque iura pro virili, & quoad licebit, tueri nitantur. Idem ibid. Pag. 436.

Venit in communionem laudis huiusce tuæ Augustissima parens tua, REX CHRISTIANISSIME, *quæ te eo pietatis ac religionis sensu imbuit, quo vel summis Imperatoribus æqualis, aut superior futurus esses. Ea tibi obtigit non sine Dei numine corporis mater, altríxque animi; quæ cùm à Nouatorum erroribus semper abhorruerit, neminémque eâ labe infectum, ne plebem inficeret, ad augustum Episcoporum ordinem promoueri sustinuerit; sacrum illud odium, ex singulari erga fidem amore profectum, in te transfudit. Intelligebat videlicet magnam Galliæ simul, & Ecclesiæ spem in te vno sibi creditam esse; séque vnam à Deo destinatam, quæ & Diui Ludouici nepotem, & Iusti filium, & Adeodatum quem pepererat, expoliret. Quare eximio illi operi, in quod Christianus orbis erectus ora conuerterat, impositura manum supremam, sibi non tam victorem Europæ, quàm fidei defensorem efformandum esse putauit. Quod an perfecerit, videri dubium non potest, cùm ex tua virtute iam constet. Quantum enim in te spei ponere Ecclesia iure possit, iam experta didicit: quídque in posterum laturus sis auxilij, ex lato iam contra nouum dogma subsidio dimetitur.*

Et hoc fortè præsagiebat Nouatorum Antesignanus: quando sparsis in Maiores tuos calumniis, velut telis, Ecclesiæ oppugnationi præludebat ratus se tantum de fidei præsidiis ablaturum, quantum de Regum nostrorum laudibus, atque auctoritate detraxisset. Præuidebat nimirum erroribus suis aduersaturos Galliæ Reges, quibus solenne est hæreticorum conatibus obsistere. Quare illos euersæ religionis, quam ipse meditabatur euertere, non dubitauit insimulare, suúmque illis crimen affingere: vt dubium esset, saltem incau-

tis, ipsíne potiùs religionem violarent. Maledicendi rudimenta posuit, iactis in primogenitum Ecclesiæ filium conuitiis, vt deinde artis impiæ specimen in matrem tutiùs exhiberet. Ac ne sepulcro veluti limite, calumniæ definirentur, gemino prouidit libro: quorum altero per primogenitum Ecclesiæ filium sic in matrem irruit, in altero per diuinum sponsi latus sic sponsam petit; vt alter alterius adumbratio, & Mars Gallicus Augustini de Deo Christóque detrahere discentis tyrocinium fuisse videatur. Ille Galliæ fœderum leges ita describit, vt religiosissimum Principem Patrem tuum, scelerum propè omnium per Germaniam annis superioribus admissorum auctorem esse contendat: iste Deum asserit antiqui fœderis legem ea mente tulisse, vt Iudæi peccata peccatis aggererent, salutísque aditu, ceu muro interposito, prohiberentur. Ille Patrem tuum, ceu Neronem exprimit, morte mulctaturum vel Episcopum eum, qui sibi religionem labefactanti repugnaret: iste Deum ceu tyrannum exhibet, homines, priusquam præsciat malè acturos, sponte suâ sempiternis ignibus addicentem: crimen anteuertente supplicio: perinde quasi non reorum pœnâ iudex, sed tortor hominum cruciatu gauderet. Ille quæ Maiores tui pro Summis Pontificibus, Ecclesiáque à Saracenorum, & aliorum tyrannorum seruitute liberanda præclarè gesserunt, ea dum eleuat, summam illorum gloriam obscurare conatur: iste dum carni Deum & cruci, vniuersos homines vt redimeret, adhæsisse negat, eripere nititur Deo constantem omnibus sæculis misericordiæ famam, Christo absolutam suis numeris victoriam, hominibus spem vitæ æternæ adipiscendæ, vitalémque gratiam. Si illum audimus, Summi Pontifices Regibus Galliæ vindicibus suis, parum: si isti credimus, maxima pars hominum Christo liberatori nihil debet; quippe quem asserat pro ea liberanda non venisse, & fidei lumine totâ vitâ carentibus (quorum ingens in toto orbe est, & fuit numerus) nullam gratiam promeruisse; neque magis pro salute reproborum sanguinem fudisse, vel orasse, quàm (vt ipse ait) pro salute ipsius diaboli.

[Mars Gallicus lib. 1. cap. 7. — Lib. 1. de Gratia Christi Saluat. cap. 8. & 11. — Mars Gall. lib. 1. c. 17. — Lib. 9. & 10. de Gratia Christi Saluat. — Mars Gall. lib. 1. c. 23. alibíque passim. — Lib. 1. de Gratia Christi cap. 21. — Ibid. cap. 10. & 11.]

Quare non miror illum Maioribus tuis Christianissimi nomen abrogare velle: cùm humano generi Christum conetur

[Lib. 3. de Statu nat. lapsæ cap. 2. & seqq.]

eripere. Non miror illum de Galliæ laudibus detrahere: cùm vniuerso generi humano laudum omnium fundamentum libertatem abiudicet, ceu nouus de schola tyrannus, qui scilicet homines liberos seruituti vinculísque addicat. Non miror illum de Galliæ Regibus tam malè sentire & scribere, vt vel ipsum Clodouæum Christianorum Regum nostrorum primogenitum, quem Scriptores antiqui religiosum, & Sanctum, & Dei amore plenum *appellarunt, Ottomannicum potiùs nominandum esse dicat: cùm Deum ipsum tyranno quouis crudelissimo crudeliorem exhibeat; qui det hominibus præcepta quæ exequi non possint, neque iuuet vt possint, & non exequentes æternis cruciatibus acerbissimis puniat, quia non faciunt quod facere nequeunt auxilio Dei necessario destituti.*

Aimonius, Gregor. Turonens. Fortunat. Fredegarius, Adreualdus, Calendarium S. Genouefæ.

Iansen. lib. 3. de Gratia Christi Saluator. cap. 13. & seqq.

Propter quæ, aliáque multa id genus perniciosa & nefaria dogmata, non immeritò Rex *Catholicus Gallici Martis auctorem, Hispaniæ gloriam à Galliæ iniuriis illustrantem, sacris infulis olim passus ornari, nuper Edicto cauit 21. Decembris anni 1647. ne quis fictitij Augustini discipulus pari honore, cui dedecori futurus esset, suo in regno decoraretur. Tu quoque,* REX CHRISTIANISSIME, *nepos imitatórque eorum Principum, quos Gregorius IX. & Innocentius III.* hæreticorum exterminatores, *& Catholicæ veritatis* columnam, scutum, & propugnaculum *nuncuparunt, nouorum huiuscemodi dogmatum sectatores & honoribus arces indignos, & dignos censurâ Pontificiâ per eam coërceri studiosè curasti. Martis Gallici calumniis, quibus Maiorum tuorum gloria superior est, contemptu refutatis, suppostitium Augustinum accusasti, ne fortè verus culpæ insimuletur, & in errores tam fædos, & absurdos, quos tribuit illi Iansenius, impegisse videatur. Egisti causam effusæ in omnes Dei beneficentiæ; cui ille vel ingenij sui, vel voluntatis limites angustos circumscribit: neque tam Galliæ tuæ, quàm humani generis vniuersi patrocinium suscepisti. Macte igitur virtute,* REX AVGVSTISSIME, ET RELIGIOSISSIME: *nec desine in tantum opus aliquam tuarum curarum partem impendere: cúmque iam clauum amplissimi regni teneas; fortiter occurre tempestatibus, quæ reli-*

gioni primùm, deinde regno periculum intentant. Sic enim implebis summam illam spem, quam de te omnes boni concipiunt: præstabis Ecclesiæ periclitanti præsidium, quod à Rege Christianissimo quasi præscriptionis iure postulat: Deo verò gratissimum impendes obsequium, qui tibi non tantùm nominis gloriam, diuturnámque regni maximi felicitatem, sed præmium immortale tam cumulatè rependet, vt expleat vota quæ pro Tuæ Maiestatis incolumitate, æternáque salute, maxima facit, qui tuo nomini has qualescunque lucubrationes consecrat,

TVÆ MAIESTATIS

Deuotissimus & fidelissimus subditus,
humillimúsque seruus
ANTONINVS MORAINES.

PRÆ-



PRÆFATIO TOTIVS OPERIS AD ORTHODOXOS.

RAVE quidem bellum hactenus Theologis aduersus hæreticos de Gratia & libero arbitrio gerendum incubuit, Lectores Orthodoxi: quod cùm penitus profligatum hoc tempore videretur; periculosiùs tamen, aut certè vehementiùs recrudescit, cùm nouâ quorundam accessione hostilis creuit exercitus. Nonnulli enim desertores ac transfugæ è nostris castris ad hostilia signa transuolarunt, & restaurato prælio non tantùm Theologis opportunitatem offerunt, sed illis ineuitabilem necessitatem imponunt acerrimè dimicandi. Cum Wicleffo nobis olim, aut Luthero, & Caluino tantùm dimicandum erat; aut certè cum Pelagio, Cælestio, Iuliano, aliísque perfidiosis hominibus, qui vel sponte elato signo ab acie Ecclesiastica discesserant, vel qui à nostro exercitu probrosè fuerant Apostolicis edictis exauctorati. Nunc autem, proh dolor! intus est hostis: & cùm hæresis iam profligata Ecclesiæ victrici iugulum dabat, & in controuersia libertatis & gratiæ penitus expugnata, herbam porrigens, mortem tolerabilem ab Ecclesia victrice precabatur: nouas illi suppetias noui homines, iíque non vulgaris eruditionis, nec mediocris dignitatis attulerunt. Cùm enim Ecclesia peteret iugulum hæreseos, & ferali voce iam audacter exclamaret, Recipe ferrum: ipsi inopinato interuentu, & elatâ minaciter manu, pugnam dirimere conantur: & quasi non tantùm spectatores essent, sed agonothetæ, pro imperio reclamant, Parce ferro. Imò etiam contendunt non esse causam pugnæ legitimam; aut certè si quis contentioni sit locus, se in eadem causa versari.

Tolerabilis tamen esset ipsorum defectio, neque esset admodum difficile vel eorum subsidio carere, vel eorum conatibus obsistere: diuturnior quidem esset pugna, non tamen propterea incerta victoria. Sed clamores illorum intempestiui, & falsi rumores passim per totam Ecclesiam sparsi, victoriæ nostræ moras iniiciunt omni opinione molestiores. Sicut enim qui propè iam expugnati sunt, vt suis addant animos, & hostibus terrorem incutiant, sumpto ex desperatione consilio, exclamare solent (fictè, an verè, perinde est) adesse copias auxiliares, & ducem aliquem magni nominis ad suas partes accessisse: ita Belgicum istud agmen Nouatoribus addit animos, dum inflatis tubis toto orbe passim non tantùm exclamat, sed intonat ad sua castra contra Theologos venisse suppetias ducem victoriis innumeris cumulatissimum, fortissimũ animo, robo-

re, famâ, felicitate incomparabilem : iam intelligitis ex tam augustis titulis Augustinum.

Augustinum, Deus immortalis! quis credat? Illum Theologiæ primipilum, Doctorum aquilam, malleum hæreticorum, fulmen sacræ concertationis, domitorem hæreseos, quem vt ducem sequuti sunt qui Theologiam viâ & methodo tradiderunt, quo hactenus vt clypeo & gladio vsi sunt Theologi, ab illis tam inopinatâ defectione desciuisse? Mihi credite, Lectores Catholici, falsus est rumor, temere sparsus ad causæ iam deploratæ qualecunque subsidium. Voluerunt inani terrore nobis metum incutere homines, qui suæ conscij debilitatis, & paucitatis, sperauerunt se posse quidquid sibi viribus & numero deerat, vnico tanti Doctoris nomine compensare. Et quidem, si facta esset ad illorum partes tanti Doctoris accessio; quantùm alios ad nos impugnandos animaret, tantùm nos à resistendo deterreret. Sed nimiùm nobis iniurius est, qui nos tam credulos suspicatur. Facilius est Augustinum nobis esse contrarium iactare, quàm persuadere. Vt autem vnô verbo totum mysterium aperiam : fefellit multos nomen ambiguum. Augustinus quidem vnus à nostris partibus recessit : sed non ille magnus Hipponensis, tot monstrorum domitor, tot hæresum expugnator, tot palmarum vetus nobilísque triumphator : sed alter Augustinus Iprensis, longo huic proximus interuallo. Vnus est Augustinus Iansenij : alter Patricij. Hic Tagastensis : ille Leerdamensis. Hic Afer : ille Batauus. Hic antiquus : ille neotericus. Hic Theologorum princeps : ille Theologiæ Scholasticæ ignarus, & hostis infensus. Et tantum abest vt sicut nomine, ita re doctrináque conueniant : quin etiam spondeo, & omni asseueratione promitto me effecturum, à nemine maiorem vllam iniuriam irrogatam vnquam esse magno illi Augustino, quàm ab isto recenti, qui magni huius nominis ostentatione abusus est, vt fulguritas à Sede Apostolica sententias, & adhuc recenti anathemate fumantes, tutò sub tanti Doctoris auspiciis ab inferis excitaret.

Certè, si futurum nobis esset cum Hipponensi Augustino certamen; receptui caneremus, nec auderemus nostro periculo quantum sit illius in disputatione robur experiri. Sed contentio nobis tantùm est cum ipsius larua, & inani simulacro, aut cum solo ipsius nomine ad vanum terrorem inutiliter ostentato. Et sicut olim insignis ille Thraso, vt sibi aditum ad Alexandrum aperiret, seminudus, leoninis exuuiis quasi per incuriam succinctus, armatus clauâ, audaci incessu, & corpore lacertoso, se Herculem simulabat, licèt longè animo & viribus inferior: ita ille, cum quo nobis est subeunda dimicatio, qui detractis Augustino quibusdam exuuiis, iisque temerè consarcinatis inuolutus, quasi in theatro triumphale sibi Augustini nomen imposuit, non est ille Hipponensis, omni exceptione superior, sed alter; qui præter titulos, & magni nominis vmbram, contra tot Theologorum agmina nihil habet magnopere formidandum. Illudit ille quidem nonnullorum oculis, centonibus quibusdam ex Augustini fragmentis ad arbitrium interpolatis; quibus volumen tam artificiosè compingit, vt præfixo Augustini nomine incautioribus persuadeat se quasi è machina ipsum Augustinum Hipponensem producere. Sed oculatiores sunt Theologi, quàm vt tam

Vitruuius in præfat. libri 2.

Augustinum Herculi comparat Iansenius lib. procem. c. 12. § *Quod ad secundum.*

crasso artificio possit illis imponi. Sciunt verum à fictitio, Africanum à Batauo Augustino discernere. Qui nobis in causa libertatis & gratiæ contrarius est, vmbra tantùm est Hipponensis, & quidem tam infeliciter expressa, vt non possit nisi incuriosac somnolentos, non autem vigiles & oculatos in errorem inducere.

Hipponensis enim Augustinus in disputando cum Catholicis est clemens ac benignus: abstinet à contumeliis: & in summo disputationis æstu laudibus etiam cumulat aduersarium. Ita dum subiracundè cum Hieronymo disputaret, pro contumeliis illum miris laudibus exornauit. *Tantæ*, inquit, *in litteris tuis, quæ in manus nostras venire potuerunt, apparent res; vt nihil studiorum meorum mallem, si possem, quàm inhærere lateri tuo. Quod quia non possum, aliquem nostrorum in Domino filiorum ad te mittere cogito, si etiam de hac re tua scripta meruero. Nam neque in me tantum scientiæ Scripturarum diuinarum est, aut esse iam poterit, quantum inesse tibi video.* Augustinus verò Batauus, cum quo nobis est necessariò ineunda dimicatio, non sedatè & tranquillè disputat: sed per summum contemptum calcat homines Catholicos de religione optimè meritos, qui à Summis Pontificibus & enixè diligi, & plurimùm laudari meruerunt; & à quibus ipse ne minimâ quidem fuit vnquam offensiunculâ lacessitus. Quid enim, quæso, tam malè de eo meritus est Bellarminus; cuius si dignitatem attendas, erat Cardinalis; si doctrinam, inter sui sæculi eruditissimos nobilem locum tenuit; si vitæ sanctimoniam, vniuerso Orbi fuit admirationi; si modestiam, nullus de seipso demissiùs, nec de aliis honorificentiùs loqui potest. Et tamen vir ille tantus non potuit quò minùs in maleuolos istius hominis sermones incurreret. Ab eo enim dicitur *enormiter aberrare, in mirabilium hallucinationum seriem vno errore ex alio consequente præcipitatus, totam Christianæ & medicinalis gratiæ faciem perturbare, errorem pro veritate, obiectionem pro responsione, Pelagianam solutionem pro Augustini doctrina identidem accepisse; capitaliter offendere, iugulum diuinæ gratiæ petere:* illi denique tribuit absurditatem, veritatis indagandæ tradendæque præiudicium, inscitiam, imprudentiam, & alia multa quæ ne quidem infensissimi hæretici contra illum ausi fuerant euomere. Ceteros quoque athletas & pugiles inuictissimos, qui aduersus hæreticos sunt cominus colluctati, & suis tum disputationibus, tum scriptis voluminibus de rebus quas recentes hæretici in controuersiam vocarunt, tam strenuè, tam gloriosè, vtilitérque operam in asserenda religione collocarunt, quàm contemptim, quàm etiam odiosè perstringit! dum asserit eos vanis disputationibus, non intellecto quæstionis statu, imò ignoratis etiam terminis, gemitum veris Catholicis, & risum hæreticis commouisse; illísque pleraque argumenta difficiliora contra fidem nostram, suâ curiositate in quærendo ac disputando, suppeditâsse.

Augustin. ep. 15. c. 2.

Iansen. lib. 2. de gratia Christi Saluat. c. 30. & alibi passim. Vide indices V. *Bellarminus.*

Iansen. lib. 8. de gratia Christi Saluat. cap. vltimo, in fine, & lib. procem. c. 9. § *Ex quo etiam.*

Scholasticos verò Theologos, Ecclesiastici exercitus robur, Christianæ militiæ florem atque delectum, qui non permixtim & perturbatè, sed distinctè & ordinatè res diuinas tractare solent; qui hæreticorum impetus non dolosâ tergiuersatione, non captiunculis intricatis, non inani verborum fuco, non ambiguitatibus insidiosis, non ludicris & cauillatoriis velitationibus, sed apertâ vi, & argumentorum ineuitabili pondere dissipant atque perrumpunt; qui Christiana dogmata contra vanam

philoſophiam validiſſimè roborarunt; qui docuerunt artem non iam confuſis ordinibus, ſed diſpoſitis ordinatim agminibus contra errorem dimicandi; qui doctrinæ Patrum robur, ac medullam ex innumeris voluminibus collectam, in certum finem ac ſcopum deſtinarunt; qui hactenus hæreticis terrori, Catholicis verò magnæ fuerunt admirationi, Deus immortalis, quàm vehementer inſectatur! Quod enim hactenus nemo, ipſe non ſolùm librum eo conſilio compoſuit, vt Theologiæ dignitatem deprimeret; ſed etiam eo non contentus, ad ſingulas ferè paginas ſcholaſticos Theologos nullo diſcrimine contumelioſè dilacerat, quaſi neglectis Scripturarum & traditionis oraculis, res diuinas philoſophicis coniecturis explicare conati, omnem verbi diuini ſinceritatem corruperint: quaſi dum magis facilitati, quàm veritati doctrinæ inuigilant, venenatâ mixturâ Pelagianam doctrinam pro Catholica à multis iam ſæculis populo propinarint. Et vt de multis paucos commemorem: quàm acriter Suarem, virum doctiſſimum & modeſtiſſimum exagitat, quem Summus Pontifex Paulus V. in Breui ad ipſum dato, *tantùm in Eccleſia eminere* affirmauit; & per Cardinalem Burgheſium literas honorificas ad eum deſtinauit, quibus & lucubrationes iam editas laudauit, & illi ad pergendum animos addidit. De quo tamen dicere non veretur Ianſenius, illum ex praua intelligentia Auguſtinianæ doctrinæ in tranſuerſum actum, Pelagij dictum nimis ſupinè Auguſtino affingere. Nec tantùm in rebus magni momenti illi *incuriam, ſomnolentiam, & hallucinationem* obiicit: ſed illum paſſim Pelagianum, Semipelagianum, Maſſilienſem appellat: addítque *illum tam enormiter, tam euidenter hallucinari; vt ſi de induſtria aberrare voluiſſet, non potuiſſet ſtudio deliberato grauiùs, & in ſcopulos perículoſiores impingere. Illum ſuis opinionibus præoccupatis mordicus adhærere, & Auguſtini ſenſa ſuis toto cælo differentibus aptare: ſententiam eius potiùs euertere, quàm explanare: tam enormiter de D. Auguſtini veluti triennalis tyronis doctrina ludere; vt longè ſatius eſſet ab ea diſcedere, quàm eam tot ludibriis adulteratam vindicare. Eum longè animoſiùs & periculoſiùs progreſſum eſſe, quàm Maſſilienſes: amplexum eſſe propoſitiones Maſſilienſium, & plerumque deterius aliquid eis addidiſſe.* Quod certè, ne quid grauius dicam, non eſt Auguſtinianæ lenitatis, cùm præſertim inter Catholicos diſputat. Vaſquem verò de Eccleſia bene meritum, & ſubtiliſſimum Theologum, quibus probris, quibus ſannis, quibus ſibilis non explodit? Dum interdum illum promiſcuè cum aliis Theologis vt Pelagianum, & Maſſilienſem proſcindit: interdum verò nominatim inſectatur, cùm ait *eius ſententiam in omnibus ſuis capitibus enormiter ab Auguſtini mente declinare: vt potiùs purum ſomnium auctoris, quàm Auguſtini ſententia videatur. Pelagium multò liberaliùs, quàm illum, gratiam diuinam apertè concedere. Pelagianas gratiæ confeſſiones incomparabiliter luculentiores eſſe, quàm quidquid recentior iſte ſcriptor excogitauit. Auguſtinum, & Concilia ſententiam illius, tanquam apertum Pelagianæ prauitatis errorem, ex profeſſo damnare.* Et multas ſimiles contumelias tam denſè in illum, & tam iracundè coniicit, vt Auguſtinianæ in diſputando modeſtiæ penitus immemor eſſe videatur. Sed quid ſingulos numerando recenſeam? Vix vllus è modernis in decumano illo Opere reperietur auctor citatus, qui maledicentiam illius vitare potuerit: neque enim tantùm ſingulos laceſſit, ſed vno verbo totas Doctorum fa-

Lib. proœm. cap. 8.

In Breui, & in piſtola ad eundem præfixis tomis Suaris de gratia.

Ianſen. lib. de gratia primi hom. c. 17. & in parallelo Nota 65. 69. alibique paſſim. & lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 1. Vide indices V. *Suares.*

Ianſen. lib. 1. de gratia Christi Saluat. cap. 17. & in Parall. alibique ſæpius. Vide indices V. *Vaſques.*

milias, omnes Academias, & omne genus Theologorum censoriâ virgâ proscribit.

Neque enim minùs superbè contemnit, acritérque inuehitur in Morales Theologos, qui quæstiones de moribus, ad regimen conscientiæ pertinentes certâ viâ & methodo explicandas susceperunt: hoc est, Adrianum, qui ex Doctore & Professore Louaniensi, primùm Cardinalis, tum Summus Pontifex huius nominis sextus creatus est, Cardinalem Caietanum, Cardinalem Toletum, Siluestrum Sacri Palatij Magistrum, Henriquem, Nauarrum, Lessium, Bonacinam, Reginaldum, Layman, Filiucium, & similes: quos ait *morales regulas agendorum simplices relinquendo, quas simplex & genuina ratio, & antiqui Patres præscripserunt, tam laxas effecisse conscientias, sub prætextu accommodandi sese infirmitatibus hominum; vt nihil opus sit, nisi sceleratiores fieri homines, vt noua aliqua, & licentiosa regula fabricetur. Et iam in tanta opinionum* inter ipsos *varietate, vix aliquid in moribus tam absurdum esse, nisi Decalogum apertè feriat, imò etsi feriat, quod non factum sit probabile. Vt reuera plerisque Christianis scientia recentioris Theologiæ ad nihil penè seruiat, nisi vt sensa diuersa diuersorum suis apta cupiditatibus noscendo, & sequendo, depositâ Christianâ simplicitate & probitate, versutiores & nequiores fiant.* Lib. procœmi cap. 8.

At neque etiam antiquis Patribus, magnis Ecclesiæ luminibus, religionis Christianæ columnis, eius censura, & maledicendi licentia pepercit: cùm ait *Scriptores inter Origenis, & Augustini ætatem interiectos, plerosque Semipelagianâ labe infectos fuisse, quam in Oriente ab ipso Origene (quem in Scripturarum explicatione sectabantur) traxerunt præcipuè Græci.* Et cùm tacitè sugillat Hilarium, Athanasium, alióſque fortissimos athletas, qui Arianismo fauces eliserunt, quòd vanos, & ludicros de Arianis triumphos egerint: vt pote qui præcipuum huius hæreseos nodum dissoluere non potuerint. Cúmque tanto contemptu de Græcis Patribus loquitur, vt dicat illos fere omnes in explicanda gratia infeliciter laborasse; & nihil in hac materia solidi, aut præclari, nisi perquàm exiguum prodidisse, ídque totum ex alienis fontibus deriuasse. Et alibi addit, nullos imperfectiùs de gratia loquutos esse, quàm Chrysostomum, alióſque Græcos. Quod certè intolerabile est in Ecclesia dici de præstantissimis illis luminibus, de quorum virtute, meritis & doctrina, nulla vnquam sæcula conticescent.

Tomo 1. lib. 7. c. 17.

Lib. procœm. cap. 21.

Lib. 3. de gratia Christi Saluat. c. 20.

Præterea, non tantùm in priuatos Doctores censoriam virgulam exerit; sed œcumenica ipsa Concilia audet pari temeritate perstringere. Quid enim iniuriosius dici potest aduersus sanctissimam Nicænam Synodum, quam instar Euangelij suscipiendam Gregorius ille magnus prædicat, & cui Spiritus sanctus præfuit ad Arianam hæresim funditus abolendam; quàm quod ille auctor obtrudit, *Augustinum esse qui primus Patrum diuinitatem filij Dei aduersus Arij machinas ita stabiliuit; vt primus mirabili quodam ratiocinationis acumine primarium subuerterit fundamentum, quo totus Arianismus natus creuerat adultúsque nitebatur. Quamuis enim Nicænæ Synodi auctoritate prostratus, multorúmque Patrum vulneribus confossus Augustini ætate semimortuus palpitaret: nemo tamen radicem erroris exciderat, nec sentinam illius exhauserat obiectionis, quæ totius istius hæreseos virus exhalabat.* Quasi Ecclesia post tot concertationes ad hanc hæresim confutandam Lib. procœm. cap. 12.

in Synodo generali congregata, non viderit primarium fundamentum erroris quem impugnabat: vel agnitum non potuerit euertere, nec radicem illius hæreſeos excidere; ſed ſentinam illam fœtidam adhuc & inexhauſtam reliquerit, quæ ſuum adhuc virus centum poſt annos exhalarit. Quid, quæſo, tam bene mereri de ipſo Ariani potuerunt, vt eorum patrocinium contra Synodum Oecumenicam ſuſceperit, & conatus ſit oſtendere. Arianos centum annis Eccleſiæ inſultare potuiſſe, & gloriari ſæculo integro illibatum eſſe ſuæ ſententiæ fundamentum, Eccleſiámque tanto tempore in minutis quibuſdam fibris euellendis occupatam, primariam controuerſiæ radicem integram reliquiſſe. Auguſtinus certè Hipponenſis honorificentiùs de ſacroſancta illa Synodo loquebatur.

De Summis quoque Pontificibus, ne quid grauius dicam, parum reuerenter loquitur. Cùm enim non poteſt ſuam interpretationem Auguſtini cum Bulla Pij V. & Gregorij XIII. conciliare; audet aſſerere eos, ne fortè pacem turbarent, contra veras, Catholicas, & probatiſſimas ab antiquis Pontificibus ſententias ſua fulmina intorſiſſe. Quinetiam non obſcurè eoſdem Pontifices inter ſe committit, & de recentium auctoritate iudicióque infallibili in controuerſiis fidei decidendis non benè ſentit, cùm ait, ita nobis ſartam tectámque tuendam eſſe recentiorum Præſulum Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, vt ne veterum ac plurium perniciosiùs lædamus, aliud ſcilicet definientium, quàm Pius & Gregorius contra Baium definiuerunt. Quaſi verò non ſit par illorum omnium & æqualis auctoritas in rebus fidei, Petro & ſucceſſoribus à Chriſto conceſſa Lucæ 22. ver. 32. & Ioan. 21. ver. 16. & ſeq. anteáque promiſſa Matth. 16. ver. 18. Aut non æquè periculoſum ſit adhærere erroribus contra rectam fidem, quos pauci vel plures, moderni vel antiqui, Pontifices Romani proſcripſerunt? Id autem de quo inibi loquitur Ianſenius, affirmat ipſe ad fidem pertinere, imò vnum eſſe de præcipuis & capitalibus fidei dogmatibus, quibus doctrina D. Auguſtini, ipſiúſque Eccleſiæ contra Pelagium innititur. Quare (eodem iudice) circa illud errare, eſt errare contra vnum de præcipuis fidei fundamentis: quod de Romanis Pontificibus, ſupremis & vniuerſalibus controuerſiarum iudicibus, & pro ſuprema auctoritate ſibi diuinitus conceſſâ definientibus, non dico aſſerere, ſed vel ſuſpicari iniquiſſimum eſt, & homine Catholico prorſus indignum.

Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ c. 27. & lib. 3. de ſtatu naturæ puræ cap. 22.

Veſtrum ergo iudicium, Lectores Catholici, veſtram fidem! Hiccine eſt character Hipponenſis Auguſtini, Scriptorum omnium modeſtiſſimi, qui tam honorificè de ſacris aliorum lucubrationibus loqui ſolet? Qui antiquos Patres Græcos, ac Latinos nominatim cum magna honoris præfatione commemorat, etiam in extremis fere laboribus, iam ætate prouectior, in libris contra Iulianum; eorúmque ſententiis ac veſtigiis ſe inhærere profitetur. Qui Summorum Pontificum, vt ſupremorum in cauſa fidei iudicum oracula tanti fecit, vt ab illis voluerit ſentiendi & loquendi ſuſpenſas habere rationes, & illis *ſua ſcripta, non diſcenda, ſed examinanda, & ſi quid fortè diſplicuiſſet, emendanda ſubmittere*: ab iiſdémque poſtulat *vt Conciliorum definitioni Apoſtolicam auctoritatem adhibeant pro tuenda ſalute multorum, & hæreticorum peruerſitate corrigenda.*

Lib. 1. ad Bonifac. c. 1. & epiſt. 90. 92. & 95.

Itaque nouus ille auctor tegat ſe quantùm libuerit à capite ad pedes exuuiis Auguſtino detractis : ipſi perſona detrahetur, & quis ſub aliena veſte lateat, per ſciſſuras veſtis pannoſæ videbitur. Tegat ſe Auguſtini Hipponenſis armis, & iis indutus, magnificè theatricum in morem incedat : per ipſius galeæ commiſſuras Ianſenius pro Auguſtino detegetur. Tantum enim abeſt ab Hipponenſi Auguſtino, vt ne quidem ſit tolerabilis illius imitator. Et certè non eſt cuiuſlibet magnorum virorum perſonam etiam in theatro ſuſtinere. Prauos magnorum virorum imitatores inducere, non eſt eos imitari, ſed traducere: non in admirationem producere, ſed ad ludibrium oſtentare. Neque etiam eſt auctoris cuiuſlibet Auguſtini nomen ſibi arrogare : cùm pauci ſint, qui poſſint tanti nominis dignitatem ſuſtinere. Ignauo militi ſibi de Alexandri nomine blandienti feſtiuè dictum eſt, Aut depone nomen, aut tanti ducis imitare virtutem. Vt enim filius degener illuſtre patris nomen maculat, & in primæui nominis auctorem dedecus quoddam ex ipſa nominis ſocietate redundat, niſi qui nominis eſt æmulus, etiam virtutem inſigniter æmuletur : ita affirmare non dubito nouum iſtum ſcriptorem, dum ſibi Auguſtini nomen auſus eſt arrogare, nec quicquam dignum tanto nomine præſtitit, non mediocrem ſibi, Auguſtino verò grauem labem intuliſſe.

Longè verò grauiorem illi inuidiam commouet, dum eius doctrinæ veram nobis ideam pollicetur, & illius loco fœdam aliam & monſtroſam exhibet. Videmus enim Auguſtini doctrinam, tam illuſtrem olim, tam ſpecioſam, tam venerabilem, nunc fruſtulatim conciſam, & monſtroſum in modum compactam, alienis ſedibus applicatam ab auctore, qui dum ſollicitiùs ſuis ſenſis indulget, quàm Auguſtini doctrinæ conſulat; alia occultat, alia ſupprimit, aut diſſimulat, pleraque ordine præpoſtero confundit, omnia propè in prauum & alienum ſenſum ita detorquet, vt non iam mirabilem illum Auguſtinum, ſed Caluinum ipſum, aut Lutherum pro Auguſtino videre videamur.

Et ne quid acerbiùs, quàm veriùs dixiſſe videar : Eſtne vllus mortalium qui legerit librum, quem vir eruditiſſimus Antonius Ricardus edidit de controuerſia, quæ eſt inter Theologos omnes & Ianſenium in cauſa libertatis, qui non apertè demonſtratum videat libro primo integro, nullam ferme rationem, nullum Auguſtini teſtimonium, nullam Scripturæ interpretationem; imò quod maius eſt, nullam fere deprauationem auctorum allatam fuiſſe hactenus à Caluino, & aliis recentioribus hæreticis liberum arbitrium impugnantibus, quæ non fuerint totidem penè verbis atque ſententiis ab illo auctore deſcripta, & imputata Auguſtino? Nec ad id probandum rationibus opus eſt, ſed oculis: id enim ſolo patet intuitu : cùm in eadem pagina legas illius auctoris verba, & confeſtim videas eadem aut ſimillima hæreticorum verba fideliſſimè tranſcripta. A ſeptem iam annis verſatur id in oculis vniuerſi Orbis: monentur, inſtigantur, ſtimulantur ij, qui eius doctrinæ ſe arctiſſimè inhærere profitentur; quíque, vt præcones conductitij, laudes eius ad nauſeam opportunè importunè declamitant : vt intermiſſo demonſtratiuo, & panegyrico genere dicendi, paululùm ad iudiciale deflectant ; & ſuum clientem, ſub accuſatione plagij & hæreſeos periclitantem, aliqua ſaltem defenſione tuean-

tur. Interea altum silentium, nulla responsio, mira taciturnitas, quæ in forensibus causis esset instar plenissimæ conuictionis: donec tandem post diuturnam flagitationem Vincentius quidam Lenis, ne omnino siluisse videretur, responsiunculam edidit tam frigidam, tam tenuem, tam fragilem, vt causæ susceptæ præuaricator, aut præ desperatione desertor, & in aliquibus impugnator esse videatur. Et hoc quid est aliud, quàm Augustinum Caluinianæ doctrinæ patrocinium suscipientem inducere? Quàm eum proponere vt tubam erroris & hæreseos, & Caluino iam seminudo, & propè spoliato, Augustini lacinias aliquas per fas & nefas adaptare; ita vt mutatis vestibus Caluinum pro Augustino, vel vicissim Augustinum pro Caluino possis accipere?

Et certè quantum sibi ex hoc libro subsidij accesserit, Caluinistæ dissimulare non possunt. Qui licèt sub initia suum gaudium, ne in vulgus emanaret, studiosè presserint: nunc tamen lætitiam, quâ iuueniliter exultant, libris editis vniuerso Orbi propalare non dubitant: Vidistis, opinor, librum Amiraldi, insignis illius Prædicantis qui errores suos Salmurij venditat, librum magno plausu à pusillo grege susceptum, de causis cur religio (vt mentiuntur) reformata odio haberi non debeat: inter quas illam vt indubitatam assumit: iam constare omnibus euidenter, etiam confessione Catholicorum, suam doctrinam esse sacram & inuiolabilem. Nam, inquit ille erroris præco, Iansenij doctrina est Augustini doctrina, vt demonstrat ipse Iansenius. Iansenij verò doctrina est doctrina Caluini, vt demonstrat Petauius: Ergo doctrina Caluini est Augustini doctrina; quæ cùm à duodecim sæculis in nullam hæreseos suspicionem adducta sit, sequitur (inquit) nostram doctrinam nulli odiosam esse debere, sed esse omnium amore & veneratione dignissimam.

Accedit Hollandos librum illum in suam linguam transtulisse, vt lectio illius posset ipsi vulgo esse familiaris, & vt nouis illis suppetiis posset pars ipsorum valde debilitata confirmari. Et certè non alio indicio manifestiùs demonstrari potest quantam cladem liber ille Catholicis intulerit, quàm quòd nunc, si cum hæreticis decertandum sit de impossibilitate mandatorum, de reprobatione positiua, de amisso libero arbitrio, & de aliis huiusmodi controuersiis; remittimur statim ad illum librum. Conuenite, inquiunt Ministelli, priùs cum Augustino, & cum vestris Doctoribus, ex quibus apparet nostram doctrinam esse indubitatam; & tum demum rationes vestras audiemus: sed donec id factum fuerit, non tanta vobis est contra nos, quàm contra vestros Doctores controuersia. Atque ita omnium bonorum luctu factum est, vt pro vera Augustini effigie imago Caluini nobis exhiberetur.

Ex quo sanè licèt quilibet intelligat quantum Caluino subsidij, quantum labis Catholicis partibus allatum sit: illud tamen magis ac magis in dies elucescit. Neque enim solùm gregatim, publicisque sermonibus Caluini sectatores talem ac tantam accessionem suis partibus factam esse sibi gratulantur: sed etiam Scriptores illorum editis voluminibus apertissimè produnt quantæ sibi vires à Iansenio eiusque sectatoribus obuenerint. Ne quid enim dicam de Abadio veritatis Catholicæ desertore, qui cùm priùs Iansenianæ doctrinæ fuisset acerrimus propugnator & præco, exutâ deinde laruâ se Caluinistam professus est; & editâ ad

ſuos collegas Ianſenianos epiſtolâ paræneticâ, illos adhortatus eſt, vt omni ſimulatione depoſitâ, quod ſentirent liberè profiterentur; nec vererentur apertè ſuo exemplo ſub egregio illo Auguſtini interprete Caluino, ſicut iam in materia de gratia, & libero arbitrio, ita etiam in aliis controuerſiis de religione militare. Quod luculentius huius rei teſtimonium exhiberi poſſet illo, quod recenti negotio edidit Samuel Des-mares, Caluiniſticæ Theologiæ in Academia Groningenſi Profeſſor, & magni inter ſuos nominis Miniſter: dum non tantùm Latinè reddidit, in gratiam ſuorum gregalium, Catechiſmum de Gratia, Ianſenianæ doctrinæ medullam, Gallicè priùs editum ſuppreſſo nomine auctoris apertiſſimi Ianſenianæ Theologiæ ſectatoris: ſed illum præterea librum ſuis declarationibus illuſtrauit, illíque editioni Groningenſi anni 1651. luculentam præfationem appoſuit, quâ & docet hanc eſſe meram ſectæ Caluiniſticæ de Gratia doctrinam, quam Synodus Dordrechtana contra Remonſtrantes ex Auguſtino demonſtrauit; & gratulatur Ianſeniſtis egregium facinus, quo Michaëlis Baij (qui non procul, inquit, aberat à regno Dei) ſententias à duobus Romanis Pontificibus damnatas renouare auſi ſint; & demonſtrare Sedem Apoſtolicam in fidei controuerſiis definiendis errori obnoxiam eſſe: vnde & primùm Sedis Apoſtolicæ, deinde verò totius Catholicæ religionis euerſionem auguratur: cùm ſperet fore vt ſi eadem methodo Auguſtinus examinetur in materia de Euchariſtia, & aliis religionis controuerſiis; æquè manifeſtè liqueat iniquè à Romano Pontifice, & à Concilio Tridentino antiquiſſimam Auguſtini & Eccleſiæ doctrinam eſſe proſcriptam.

Neque verò Auguſtinus iſte Batauus ignorauit ſummam eſſe concordiam inter ſuam & Caluini doctrinam, quam tamen Auguſtino non dubitauit adſcribere. Inhorrui certè, dum legi apud ipſum in præfatione libri ſexti de Gratia Chriſti Saluatoris (qui eſt de libero arbitrio:) *Faceſſat & iſta hinc inuidioſa querimonia, quòd Auguſtini ſententia Caluino aut Luthero fauere videatur. Si enim Auguſtini eſt, illorum error eſſe non poteſt. Sed quia non vſque adeò hæretici exorbitare ſolent, quin ſæpe in aliquibus articulis veritatem, in aliis nonnulla veritatis lineamenta retineant; ſi fortè hac in re cum Auguſtino ſenſerint, veritas amplectenda eſt.* Egregium verò Auguſtini patrocinium! Ne tibi ſim importunus, Corneli, minimum eſt quod ſcire laboro. De Caluino quid ſentis? Dubitáſne illum erráſſe in cauſa liberi arbitrij? Dubitáſne illum eſſe à Concilio Tridentino damnatum, poſtquam doctrinam illius vocauit erroneam, ſeſſione ſexta, capite primo? Si ita ſentis, quare non omnem hæreſeos ſuſpicionem ab Auguſtino amoliris? Quare modo loquendi conditionato relinquis in ſuſpenſo vtrum Caluinus cum Auguſtino conſentiat? Quare ſubindicas in hoc articulo Caluinum non tantùm veritatis lineamenta, ſed ipſam veritatem conſeruare? Quare non aſſeris Auguſtinum à Caluino in prauum ſenſum fuiſſe detortum? Si hoc non eſt, quæro quid ſit præuaricari, quid ſit Auguſtinum in erroris ſocietatem cum Caluino inducere? Numquid hoc eſt Auguſtinum polliceri, & Caluinum ſupponere? Numquid hoc eſt doctrinæ à Concilio fulguritæ Auguſtinum pro clypeo prætendere? Et dubitamus adhuc vtrum vlla grauior iniuria tanto viro potuerit infligi?

Sed vt illi expostulationi aliam primâ fronte minùs odiosam, non tamen multò leuiorem adiiciam: vt Heracleensium apum mel ipsum est venenatum: ita Augustino Hipponensi non tantùm illa conuitia detrahunt; sed, quod mirum est, ipsæ laudes, quas ille auctor immodicè & sine delectu in illum effundit, quasi quodam funesto veneno famam eius inficiunt. Nouum crimen, inquiet aliquis, & quod inuidiam redolet, vocare hominem in iudicium, quòd Augustinum nimis effusè laudauerit. Absoluetur reus vel ipso Augustino iudice: neque enim vlli veniam faciliùs impertimur, quàm illi, qui de nimiis erga nos laudibus accusatur. Nec facile est in laudibus Augustini modum excedere. Mihi tamen credite: Augustino iudice damnabitur, non tantùm quia nimiæ laudes vexant modestos, sed præsertim quia laus quæ in alterius ore tolerabilis videretur, iniuriosa est in ore hominis, qui suas omnes vires conatúsque contendit, vt ostendat Augustinum Caluino, & Luthero suffragari: qui illum extollit in altum, vt eum lapsu grauiori præcipitet: qui non gloriam Augustino, sed suo errori latibulum quærit: qui consultò eum supra omnes commendat, vt speciosiori prætextu à communi Ecclesiæ doctrinâ recedat. Non caret laus illa suspicione fraudis atque perfidiæ; & quæ in alio modesta videretur, in isto non tantùm vt adulatoria, sed vt maleuola & proditoria reprobatur. Præterea, laus omnis hyperbolica odium primò, deinde contemptum parit. Est enim in iure titulus *de pluris petitione*, vt qui plus postulat, minus accipiat: & nobis à natura comparatum est, vt cùm aliquis plus iusto extollitur, naturali quadam propensione conemur illum deprimere: & laudes vltro non roganti concedimus, vel obtrudimus recusanti, quas pro suo iure exigenti negaremus. Augustinum esse Doctorem maximum, aquilam ingeniorum, hæreticorum fulmen, Theologorum Magistrum, nullo hactenus refragante concessum est. Sed dum iste auctor indebitis eum laudibus ornare conatur, inuidiâ illum onerat, eíque auget æmulos, & minuit laudatores. Iam enim libris editis constat quantas turbas excitarit vna vocula, tanta adulatione iactata, *Reliquos Patres quidem vtiles, sed Augustinum vnicum esse necessarium, & ad omnes materias theologicas sufficere.* Quasi Ecclesia Dei ad tantam solitudinem redacta sit, vt non ex multorum Patrum consensu, sed ab vnius suffragio suarum decisionum robur mutuari cogatur. Quàm multi ferre non possunt istos homines ad nauseam vsque inculcare, Augustinum Patrem esse Patrum, Doctorem Doctorum, primum post Scriptores canonicos, ineffabilem, mirabilem & irrefragabilem, ita vt quidquid tanquam verum, siue hæreticos refellendo, siue Catholicos instruendo, incunctanter affirmat, de perspecta ei veritate, quamuis nobis fortè ignota, nec satis intellecta, securi esse debeamus, ita vt quidquid illi consonat, securissimè amplectendum sit; quidquid dissonat, respuendum. Illum esse cuius luce tanquam primi Angeli, omnes quodammodo Deus irradiando perfundat, qui quaqua ratione ad alios erudiendos destinati sunt. Parem esse Prophetis in mysteriorum reuelatione, æqualem Apostolis in prædicatione, & alia similia, quæ tam cumulatè congesta vix in hyperbolico panegyrico, nedum in libro theologico, in quo verba omnia ad trutinam reuocantur, tolerari possent. Certè enim qui sincerè iudicant,

Id de Iansenio refert Synopsis vitæ ipsius.

Vide lib. proœm. præcipuè c. 18. 24. & 28.

laudes illas insolitas, si non noceant, nunquam tamen existimant Augustino profuturas. Ecclesiæ interest sua omnia iura non vni committere. Periclitatur exercitus, cuius robur vnius hominis virtute nititur. Quid enim si hæretici suis argutiis possent euincere se non esse apertè ab Augustino damnatos, Ecclesiæ causa deserenda esset, & insufficiens foret omnium aliorum Patrum pro veritate consensus, quia Augustinus est necessarius? Iniqua certè esset Ecclesiæ conditio, cui Deus non vnicum Doctorem, sed *Doctores* promisit, *vt non circumferamur omni vento doctrinæ.* Ephes. 4. ver. 11. & 14.

Præterea, prout aliquis erit bene erga aliquem Patrem animatus, contra Augustinum de scriptorum auctoritate contendet. Opponet aliquis Summos Pontifices, qui licèt non sint Scriptores Canonici; quia tamen condendarum legum tum agendi, tum credendi, diuinitus potestatem acceperunt, eorum scripta saltem in sacris canonibus aut epistolis Pontificiis, maiorem sibi auctoritatem videntur meritò vendicare: & par est credere eos, à quorum suffragio auctoritatem mutuatur Augustinus, parem sibi saltem auctoritatem reseruasse. Ecquando, inquiet aliquis, dictum est ab œcumenico Concilio, quod in sexta Synodo de epistola Agathonis dictum est, illam esse talem, vt à D. Petro scripta videretur? Quando dictum est de scriptis Augustini ab aliquo Pontifice legem sanciente, quod dixit Gelasius de mirabili illa epistola Leonis Magni ad Flauianum: vt si quis illam non admitteret vsque ad vnum iota, anathema esset? Quis vnquam habuit Cyrilli Alexandrini auctoritatem in scribendo, non tantùm in Synodo prouinciali, aut nationali, sed in Concilio generali Ephesino, vt ipse per se scriberet anathematismos, contra quos sentire, ac scribere, idem propè censeretur, ac fidei refragari? Audire mihi videor alium qui dicat: Quid ergo? Athanasius etiam ille magnus, erítne vnus de numero filiorum, & discipulorum Augustini qui dicitur sine exceptione Pater Patrum, Doctor Doctorum, ceteros omnes instar primi Angeli suâ luce collustrans? Ille, inquam, Athanasius quem Deus Arianis veluti murum fortissimum opposuit, quémve vniuersa Ecclesia tanti fecit, vt in eius causâ totius fidei Catholicæ causa verti videretur. Suggeret alius, Quid de Hieronymo? Erítne etiam ille Augustini discipulus, vel de Angelis inferioribus? licèt illum Ecclesia in suis precibus vocet *in exponendis sacris Scripturis Doctorem maximum;* & licèt de illo dicat ipse Augustinus epist. 19. eum, non tantùm iuuante, sed dictante Deo, suas lucubrationes exarasse. Obiiciet alius, Quid Chrysostomus? cuius Commentarios in epistolas Pauli adeo commendat Ecclesia, vt asserat in ipso officio quod publicè in Ecclesia legitur, omnes admirari eius interpretandi rationem, & inhærentem sententiæ sacrorum librorum explanationem; dignúmque existimare, cui Paulus Apostolus, quem ille mirificè coluit, scribenti ac prædicanti multa dictasse videatur.

Quàm multi sine vllo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc auditâ limitatione, quam eius approbationi Cælestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant: Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus, quas Cælestinus non necesse iudicauit adstruere, quásque in ancipiti opinandi libertate reliquit?

Et sic qui priùs illum in omnibus deposcebant iudicem, nunc sibi liberum putant ne quidem arbitrum honorarium in aliis illum admittere. Hoc nocumentum attulit Augustino hyperbolica & insidiosa laudatio: quæ in alterius ore tolerabilis vtcunque videretur: sed in ore illius qui suos omnes neruos contendit vt ostendat Augustinum Caluino & Luthero suffragari, illæ laudes immodicæ latentis alicuius perfidiæ suspicionem iniiciunt. Et vt ille prudens Danaos timebat, & ideo maximè quia dona ferebant: ita & multi ab isto Augustino suppositirio sibi timent, & eo magis quo maiori exaggeratione illius auctoritatem extollit, cuius suffragio se inniti gloriatur. Quæ certè non eo consilio à me commemorantur, vt aliquid Augustini laudibus detractum velim: vtinam maior illis meâ operâ fieri posset accessio: sed tantùm vt manifestem quàm malè de vero Augustino meritus sit iste suppositirius, qui comparationibus odiosis, & laudibus hyperbolicè supra omnem adulationem exaggeratis, plus illi detraxit, quàm addiderit auctoritatis. Mihi quidem constitutum est quidquid in sequentibus disputationibus probandum suscepero, Augustini sententiis & auctoritate confirmare: non ita tamen vt eum ab aliorum Patrum societate seiungam. Pugnabit ille semper pro nobis, & quidem in primis ordinibus; sed non solus: neque enim veniam mererer ab ipso, si vt me bene affectum erga illum ostenderem, vellem illum ab aliorum consortio remouere, & ducem tam insignem contra suos commilitones armare. Absit à me tam funesta, & tam atrox amicitia: relinquam illam huic neoterico, qui dum simulat se amicitiam eius colere, omnia amicitiæ officia violauit.

Aliam quoque grauiorem, si fieri possit, Augustini nomini labem inussit. Scilicet exhibet nobis Augustinum instar alterius Ismaëlis, cuius manus contra omnes, & omnium manus contra ipsum: qui hinc Patribus Græcis, hinc Latinis; hinc Philosophis, hinc Theologis; hinc priuatis, hinc publicis Doctoribus; hinc Conciliis, hinc Pontificibus bellum indicat: & à cuius sententiis vicissim omnes antiqui, recentes, Græci, Latini, sacri, ac prophani dissideant: nullúmque auctorum in toto terrarum orbe, in tota sæculorum serie reperiri, cui non fingat Augustinum esse contrarium. Et tamen suam erga sanctum illum Doctorem amicitiam mirificè prædicat. O crudelem amicitiam! Auertat Deus à nobis tales amicos, qui specie beneuolentiæ in amici sui causa, quasi coniuratione factâ, fœdissimè præuaricantur. Cùm enim leges amicitiæ ferant vt concordia inter bonos omni studio foueatur; & si quid alteri duriusculum exciderit, quod amicitiam minuere posse videretur, amicorum interuentu, leni interpretatione molliatur: & vt verba, si quæ primâ fronte contraria videri possent, in sensum commodissimum leui declinatione traducantur, vt nulla inter eos, qui communi militiæ & necessitudinis vinculo coniuncti esse debent, appareat esse dissensio: auctor tamen ille, qui se tam propensâ voluntate erga D. Augustinum profitetur, qui se omnem propè ætatem in eius libris euoluendis contriuisse gloriatur, licèt sciat quàm arcta Doctorum inter se, & cum Ecclesia, eiúsque capite debeat esse connexio; totus tamen in eo ést, vt non tantùm inter Augustinum alióſque Doctores, sed etiam inter illum & Summos Pontifices discordiam serat, & ostendat illos in doctrina

sibi

ſibi eſſe inuicem oppoſitos. Quid enim aliud molitur, niſi vt reuocetur condemnatio Michaëlis Baij, à Pio V. lata, & à tribus deinde Pontificibus iiſdem verbis ſolemni ritu confirmata? Vel vt ſaltem appareat meram & genuinam eſſe doctrinam Auguſtini, illam quæ toties Romæ proſcripta eſt? Conatur ille totis viribus aut Baium fulminibus Apoſtolicis ſubducere, aut illis Auguſtinum obiicere: & vel Auguſtinum perdere, vel Baium vindicare. Negotium ad illas anguſtias redigere nititur, vt vel Auguſtinus, vel illi Pontifices damnentur erroris: atque ita vel vtraque, vel altera ſaltem illarum partium Catholicis pereat: quod eſt rem ad eam neceſſitatem adducere, vt vel neceſſe ſit dextrâ manu ſibi ſiniſtram, vel ſiniſtrâ ſibi dextram, vel (vt ſimilitudo ſit aptior) aut capitis iuſſu ſibi dextram, aut dextrâ ſibi caput amputare. Quod quàm nouum & inauditum ſit amicitiæ genus, quilibet æquus rerum æſtimator poteſt arbitrari. Neque enim tam tabidum Eccleſiæ corpus eſſe poteſt, vt ad horrendam illam lanienam veniendum ſit. Suam ſibi temeritatem imputet Baius. Suo periculo ſtet, aut cadat. Qui cùm, collecta quadam opinione virtutis & doctrinæ, ſe ſolum inueniſſe ſenſum Auguſtini iactaret, ſua ſomnia pro oraculis Auguſtini venditare voluit, ideóque ſeptuaginta quinque eius propoſitiones à Pio V. damnatæ fuerunt. Cúmque eius errorum rediuiua ſementis iterum in Belgio pullularet, à Gregorio XIII. fuit iterum Apoſtolico anathemate fulgurita. Et tamen poſt hæc non dubitauit nouus ille cenſor eandem crambem recoquere, & audacter eaſdem ſententias promulgare. Exciſa erat arbor, non euulſa: & incipiebat iterum longè latéque fruticari: donec Vrbanus VIII. agente inter alios Cardinale Pamphilio, qui nunc Innocentius X. totam Eccleſiam moderatur, eam decem ante annos apertiſſimis verbis ſolemni diplomate condemnauit. Et tamen nouitatis amatores obſtinatiſſima diſceptatione contendunt damnatas Baij ſententias non tantùm eſſe Auguſtini doctrinam, ſed etiam totius Auguſtinianæ doctrinæ firmamentum: nec quieſcere poſſunt donec à nobis extorqueant vel Auguſtinum eas aſſerendo, vel Pontifices eas condemnando erraſſe: quorum vtrumlibet eſſet Eccleſiæ funeſtiſſimum. Auguſtinum enim cum Baio erraſſe quis ſanus fateatur, cùm contrarias ſententias tantâ videat ſæculorum & Pontificum approbatione confirmatas? Pontifices verò, quos Deus dedit veritatis arbitros, doctrinæ cenſores, magiſtros orbis, & in materia fidei iudices, in publico diplomate toti orbi propoſito, poſt tot concertationes, auditis frequenter ſpatio octoginta annorum vtrinque rationibus, hallucinari potuiſſe, quis vnquam Catholicus fateatur? Et tamen illi pugnaciſſimè contendunt alterutrum illorum euitari non poſſe: Quaſi verò nouus iſte Auguſtinus, & Baius meliùs ſint Auguſtini ſenſum aſſequuti, quàm Pontifices; & meliùs doctrinæ traditionem agnouerint, quàm Eccleſia, cui depoſitum illud Deus cuſtodiendum commiſit. Sed ſuas omnes vires conatúſque contendunt, non euincent vnquam tam pernicioſam conſequentiam. Quamdiu erunt fulmina in Vaticano, peribunt quicunque hâc viâ Auguſtini vel Eccleſiæ auctoritatem labefactare conabuntur.

Quàm meliùs, quæſo, meriti ſunt de D. Auguſtino, & de Eccleſia ſapientiſſimi Doctores, qui à tot ſæculis res theologicas pertractarunt, & ſtylum ita temperarunt ſuum, vt concordiam omni conatu inter Au-

guſtinum & Pontifices conſeruarent: qui nunquam aſſeruerunt vel Auguſtinum decreta Pontificum anticipato iudicio condemnaſſe, vel Pontifices contra doctrinam Auguſtini ſua fulmina iaculatos: ſed contrà ſemper affirmarunt veritati veritatem non eſſe contrariam; & mirabili animorum ſententiarúmque conſenſu Pontifices & Auguſtinum in eundē ſcopum collimaſſe: & ſi verba interdum eſſe contraria videantur, (quod in ipſa Scriptura, & diuinis oraculis nonnunquam cernitur) mentes tamen eſſe concordes, vocum ambiguitatem iudiciorum conſenſui non eſſe contrariam, & Auguſtinum pretioſiſſimum Eccleſiæ membrum ſuo ſemper capiti arctiſſimè cohæſiſſe. Viueret vtinam Auguſtinus, vt ſententiam ſuam de his controuerſiis aperiret! Quantâ verborum aſperitate vir alioqui mitiſſimus nouos iſtos ſui ſtudioſos coërceret? qui per vim, & per multas ambages ſenſus eius detorquere conantur, vt cogant illum vel inuitum à Romanorum Pontificum definitione recedere; eo tantùm conſilio, vt ſectæ ſuæ illuſtre caput imponant. Illè certè, qui tantâ animi demiſſione Sedi Apoſtolicæ ſua ſenſa ſubiecit, qui tantâ veneratione Innocentium, Zozimum, Bonifacium, & Cæleſtinum coluit, qui contra ſchiſmaticos pondus ſucceſſionis in Apoſtolica Sede tam frequenter inculcauit, ſi nunc videret Pium V. Gregorium XIII. Vrbanum VIII. & Innocentium X. maximos ſanè Pontifices, Michaëlis Baij, & Ianſenij ſententias anathemate perculiſſe, perpetuum illis ſilentium indiceret, qui emortua ſemiuſtáque deliramenta ſuſcitare contendunt: &, ſicut olim ſcribens ad Generoſum, exertè pronunciaret: *Si tibi Angelus de cælo diceret, Dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partes Donati; anathema eſſe deberet, qui te à toto præcidere, & in partem contrudere quodammodo conaretur.* Et ſerm. 45. *Quid tibi fecit Eccleſia, vt eam velis quodammodo decollare.* Videtis ergo, Lectores Catholici, Auguſtinum illum, qui ſubſidiariam cohortem aduerſariis adduxit, non eſſe Auguſtinum Hipponenſem, ſed alium vero Auguſtino infeſtiſſimum: & ſicut imperium quod fundauit Auguſtus, peſſumdedit Auguſtulus: ita quod magnus Auguſtinus extruxit, ab iſto iuniore & diminuto Auguſtino labefactari.

Quid ergo, Lectores Catholici? Per iugulum Auguſtini petitur Eccleſia: Summus Pontifex fulmina contra ſuppoſititij illius Auguſtini errores intorquet: & quieſcemus? & errorum toties proſcriptorum reſtauratoribus applaudemus? Abſit à viris Theologis tam fœda deſertio. Pugnabimus quantum in nobis erit pro Auguſtino, vt illum à tot calumniis vindicemus. Vindicandus eſt ab iniuria fortiſſimus ille religionis aſſertor, qui à duodecim ſæculis tam illuſtrem de tot erroribus agit triumphum: & nunc per vim obtorto collo traducitur ad partes hoſtiles, & cogitur pro hæreticis contra Eccleſiam, quam toties propugnauit, dimicare. Veſtrum auxilium viri Theologi, veſtras curas obteſtor. Si quid vos veræ religionis amor, ſi Eccleſiæ tranquillitas, ſi tanti Doctoris veneratio vos ſollicitos habet: mecum in illam curam incumbite, vt à tanto Doctore tam horrendas calumnias totis viribus propulſemus, neque Eccleſiæ Dei tantum columen eripi patiamur. Scilicet depingent nobis impunè inſtar Lutheri, & Caluini, aut alterius cuiuſdam monſtri, virum tam amabilem, in quem natura & gratia videntur omnia ornamenta, quibus viri magni haberi ſolent, cumulatiſſimè contuliſſe: qui tam ſublime ingenium cum tanta animi demiſſione, tot ſcribendi docendíque

curas cum tanta contemplationis tranquillitate, tantam ſcientiarum humanarum varietatem cum tam ſtupendo rerum diuinarum ſenſu, tantum diſputandi aduerſus hæreticos ardorem cum tanta animi lenitate coniunxit; vt dubium poſteritati reliquerit, ſitne magis ipſius ſtupenda virtus, quàm ſuſpiciendum ingenium. Non patiemur, viri doctiſſimi: ſi quid nobis erit ingenij, ſi quid virium, non patiemur. Erit nobis ipſe ſubſidio, pro illo, cùm illo, & ſub illo pugnantibus: neque de victoria dubitandum eſt ſub duce victoriis aſſueto, cuius tot triumphos, quot certamina numeramus; contra eum, qui vel vltro, vel incautè gloriæ illius luculentas plagas inflixit: licèt tam glorioſi nominis vſurpatione ſingularem erga illum beneuolentiam ſimularit. Neque enim infauſtus certaminis poterit eſſe ſucceſſus, quod pro tanta cauſa, ſub tam felici, támque generoſo ductore ſuſcipietur.



SVMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliíſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra decem annos proximos, librum qui ſic inſcribitur:* Anti-Ianſenius. Hoc eſt, ſelectæ Diſputationes de hæreſi Pelagiana & Semipelagiana: déque variis ſtatibus naturæ humanæ: & de Gratiâ Chriſti Saluatoris, &c. Selectore & Auctore ANTONINO MORAINES, Sacræ Theologiæ Profeſſore: *abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi Regis & Reginæ regentis permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui ſecùs fecerit mulcta indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Pariſiis die* 28. *Auguſti* 1651. *Sic ſignatum, De mandato Regis,* CRAMOISY.

ADMONITIO AD LECTOREM, *& idea totius Operis.*



QVATVOR sunt, Lector beneuole, de quibus bona cum tua venia præmonere te velim, quæque à te legi vehementer desiderem, priusquam ad sequentium disputationum lectionem accedas. Primum est: propositum mihi fuisse breuem, & claram refutationem exhibere operosi illius voluminis, inscripti *Augustinus*, quo Iansenius Iprensis tantas in orbe Christiano, præcipuéque in Gallia, & in Belgio, excitauit animorum dissensiones & turbas; quóve Lutheri, & Caluini errores de Gratia, & libero arbitrio, aliisque multis, eximij illius Doctoris auctoritate stabilire molitus est: posthabitis Concilij Tridentini definitionibus contra eosdem errores, duplicique Sedis Apostolicæ censurâ contra Michaëlem Baium, cuius damnatas propositiones instaurat.

Hanc igitur refutationem iamdudum à multis expetitam, fretus Dei auxilio, & bonis piorum votis obsequendi desiderio, dare pro virili conatus sum in his selectis disputationibus, in quibus ex multis quasi velitationibus contra Iansenium editis, quibus hactenus aliqua pars eius doctrinæ à variis impugnata fuit, præcipua quæque selegi, addidíque plurima quæ ad plenam & integram Ianseniani Operis refutationem desiderabantur. Et quoniam ille volumen suum tres in tomos partitus est, quorum primus est de hæresi Pelagiana, & Semipelagiana; secundus de variis statibus naturæ humanæ, iuxta quos necessitas gratiæ ad bonum agendum, & ad malum vitandum considerari potest; tertius de Gratia Christi Saluatoris, ad medendum infirmitati naturæ lapsæ exhibitâ: Idcirco in totidem tractatus disputationes istas distribui, totámque illius doctrinam eodem ordine refutaui: in id præcipuè incumbens, vt ostendam quàm longè distet Augustinus ab erroribus, quos illi tribuit Iansenius: quámve ineptè ferè vbique in sensus Caluinisticos, & Lutheranos eum interpretetur. Auctores verò qui me in hoc agone antecesserunt, & ex quibus aliquid mutuatus sum, vt vndique collectis veluti copiis auxiliaribus, coniunctísque viribus, totâ acie contra Iansenium pugnarem, isti præcipuè sunt; illustriss. D. Isaacius Habertus Episcopus Vabrensis, in Defensione fidei Catholicæ; Petrus à S. Ioseph Fuliensis, in Defensione Augustini Hipponensis contra Augustinum Iprensem; Vincentius Seuerinus, de Ecclesia præsentis temporis; Iacobus Sirmondus, in Historia hæresis Prædestinatianæ; Dionysius Petauius, tomo 1. Dogmatum lib. 10. & tom. 3. tribus postremis libris de Opificio hominis, & libro de hæresi Pelagiana, & Semipelagiana; Antonius Ricardus, in Defensione Censuræ Sorbonicæ, seu disputatione de libero arbitrio; Ioannes Martinonus, in Disputationibus Theologicis, quas in quinque tomos distinxit; & Theses Collegij Louaniensis Societatis Iesu, de Gratia &c. anni 1641.

Secundum est de quo, Lector beneuole, te præmonitum velim: sæpius me coactum fuisse idem variis locis repetere; quia Iansenius, cuius vestigia persequor, eundem lapidem sæpius voluit, eadémque S. Augustini testimonia pluries vsurpat, siue ad eadem, siue ad diuersa dogmata confirmanda: Gratius autem tibi fore existimaui, si breuiter vbique responsionem subiicerem; quàm si te aliò semper remitterem, aut locum darem existimandi difficultatem insolutam relinqui. Ex tanta verò multitudine testimoniorum D. Augustini, quæ congerit vbique Iansenius, ea potissimum selegi, quę magis illi fauere videtur, & plus habere difficultatis. Tum quia ex illis facile est de aliis iudicare. Tum etiam quia si singula persequerer, eadem solutio sæpius fere vbique repetenda esset non sine magno legentium tædio.

Tertium est, notum quidem mihi esse grauiter prohiberi in Bulla Vrbani VIII. contra Iansenium, *ne in lucem edantur libri, tractatus, compositiones, ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi D. Thomam, seu in philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Ianseny, cuius titulus* Augustinus, *&c. aut alia quauis occasione, vel modo, de materia auxilio-*

rum diuinorum, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes. Verùm, vt multis quidem videtur, hæc prohibitio ad eos solùm pertinet, qui scriptis suis in lucem editis, Iansenianas & Baianas propositiones in eadem Bulla damnatas, diúque antea à Pio V. & Gregorio XIII. proscriptas, docere ac tueri non verentur. Idipsúmque non obscurè significauit Eminentissimus Cardinalis Grimaldus, eo ipso tempore, quo Bulla supradicta Parisiis promulgata, & Theologicæ facultati intimata fuit. Nam, vt refert testis oculatus, & omni maior exceptione, Reuerendissimus, & Illustrissimus Vabrensis Episcopus, Isaacius Habertus, in libro Defensionis fidei Ecclesiæ, veterísque doctrinæ Scholæ Sorbonicæ circa materiam de Gratia: Cùm allata fuisset Bulla supradicta Vrbani VIII. ad sacram Theologiæ facultatem ab Reuerendo Abbate Lutumerio, ex parte Eminentissimi Cardinalis Nuncij Apostolici Hieronymi Grimaldi, consensu etiam ac iussu Regis interueniente; eâ lectâ, & maturâ deliberatione habitâ, censuit facultas, quoad doctrinam, plenè recipiendam esse summa cum veneratione, & prohibendum esse omnibus ac singulis Doctoribus, ac Baccalaureis, ne vllam ex propositionibus in ea Bulla notatis ac prohibitis sustinere ac defendere audeant. Quoad alias verò difficultates Bullæ, procrastinandum esse, donec mens Summi Pontificis quoad prohibitionem Disputationum de Gratia, & quoad censuras pleniùs intelligatur. Adierunt itaque plurimi Doctores Eminentissimum Cardinalem Nuncium: eúmque de iis difficultatibus prohibitionum, ac censurarum consuluerunt. Qui respondit ipsis, eas intelligi quoad propositiones damnatas tantùm minimè docendas, ac sustinendas. Ita ab eo acceperunt D. Charton Pœnitentiarius Ecclesiæ Parisiensis, D. Hallierus Regius Professor Theologiæ, D. Habert Canonicus, ac Theologus Ecclesiæ Parisiensis (idem qui nunc est Episcopus Vabrensis) D. Du Val Regius Professor Theologiæ, & complures alij. Quod inculcare (inquit) voluimus, ne quid scrupuli veram ac salubrem dè Gratia Theologiæ antiquæ doctrinam profitentibus, ac docentibus, emergeret, aut hæreret. Hactenus ille, paulò ante finem libri suprà nominati, referens acta die 2. & 15. Ian. anni 1644.

Præterea verò considerandum est, quamuis intentio præfati Vrbani VIII. fuisset (vt eius verba magis præ se ferunt) generaliter prohibere ne quisquam de dogmatibus illis controuersis, siue pro tuendis Iansenij sententiis per Sedem Apostolicam proscriptis, siue pro iisdem impugnandis, asserendáque veritate, *libros, tractatus, compositiones, ex professo, vel incidenter de materia auxiliorum diuinorum, seu de Gratia, & libero arbitrio tractantes*, typis euulget: Cùm tamen hæc prohibitio, prout experientia quotidiana notissimum facit, non seruetur à Iansenij fautoribus, qui partim Bullam esse fictitiam, partim subreptitiam dicunt, & qualiscunque sit, prorsus nihili faciunt, eáque non obstante, libros vulgari (vt plurimum) idiomate scriptos frequentissimè typis mandari, totâque Galliâ, & Belgio, aliisque locis distrahi curant, vt quotquot possunt in suos errores inducant, quos incredibili ardore animi disseminare pergunt: non esset æquitati & rationi consentaneum veræ doctrinæ assertores, fideique Ecclesiæ defensores eâ prohibitione impediri, ne perniciosis eorum libellis, ac nefariis conatibus sese opponant, pluresque in dies, ac plures Catholicorum in fraudem, & errorem, sectámque ad hæresim manifestè vergentem induci patiantur, in maximam eorum perniciem, & manifestum Ecclesiæ detrimentum. Est enim celebre, atque indubitatum Theologorum, & Iurisconsultorum effatum: Quando lex aliqua, vel præceptum, aut prohibitio, generaliter lata, non seruatur à deteriori parte communitatis; & si ab altera seruaretur, id vergeret in magnum & euidens tum ipsius, tum etiam totius reipublicæ detrimentum: non tenetur pars sanior eam seruare. Neque intentio Principis fuit, aut esse potuit, vt seruet in casu proposito. Vt si v. g. ferretur lex Ecclesiastica vt beneficia speciali quopiam modo obtineantur: non tenerentur soli boni, & timorati (quorum minor est pars) eam seruare, aliis non seruantibus: quia inde sequeretur solos deteriores consequi beneficia Ecclesiastica, magno Ecclesiæ & fidelium damno. Vel si, orta graui, & publica dissensione inter incolas eiusdem ciuitatis aut prouinciæ, Rex procurandæ pacis causâ, vitandíque mali impendentis, iuberet statim arma deponi ab vtraque parte: non teneretur pars sanior ea deponere, deteriori non deponente, sed abutente alterius obedientiâ ad sæuiendum, & grassandum pro libito. Sic igitur, quamuis mens Vrbani fuisset, vt omnes penitus eiusmodi controuersiis euulgandis desisterent: quod ad dissidium ex-

tinguendum, pacémque reuocandam, & fouendam conducibile fuisset, si pars vtraque mandato (vt par erat) morem gessisset, & Iansenij Augustinus æterno silentio sepultus fuisset: cùm tamen (vt manifestum est) non seruetur hæc prohibitio à Iansenij Sectatoribus, qui eo non obstante nihil non faciunt, & hucusque fecerunt, vt tum libris editis, tum quibuscunque aliis possunt modis, sectam suam propagent in animarum perniciem, & graue damnum Ecclesiæ: non tenetur pars sanior Doctorum Orthodoxorum stare prohibitioni, quæ seruari nequit hoc tempore, sine graui animarum pernicie, & Ecclesiæ detrimento.

Quartum est: distantiam centum leucarum, quæ inter me & typographum intercessit toto editionis tempore, causam fuisse cur errata sanè multa in illam irrepserint. Quoniam verò multa ex illis eiusmodi sunt, vt sensum valde obscurum, vel diuersum, vel etiam planè contrarium reddant, nec nisi difficillimè possint legendo corrigi: volui tum de illis, tum etiam de aliis te, Lector optime, præmonere, enixéque rogare, vt priusquam vlteriùs progrediaris, ea vel emendes ipse, vel emendari cures. Eorum autem indicem dabit typographus in fine huius operis.

Denique, vt illius ideam breuiter tibi exhibeam, erudite Lector, tres in eo tractatus continentur, vt paulò antè monui: quorum primus, respondens tomo primo Iansenij, in disputationes vndecim distribuitur. Et in prima examinantur quæ de Iansenio scripserunt eius encomiastæ, & auctores Synopsis eius vitæ, volumini illius præfixæ: ostenditúrque non satis illa conuenire cum agendi & scribendi modo, qui apparet in toto eius opere; quíque magis Lutheri & Caluini, quàm Catholici Theologi stylum, & doctrinam sapit: longissiméque discrepat à D. Augustini moribus, & doctrina: cuius tamen se discipulum, & sectatorem addictissimum profitetur Iansenius, nihílque aliud, quàm eius sensa proferre, fideliterque ipsa penè verba referre videri vult. In secunda describitur ex probatissimis auctoribus quis fuerit ortus, progressus, & occasus hæresis Pelagianæ, & Semipelagianæ; & quinam fuerint vtriusque errores ab Ecclesia damnati. In tertia refellitur impostura Iansenij, recensentis primo loco inter errores Pelagianorum, quòd asseruerint inesse in hominibus in hoc statu naturæ lapsæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, neque fuisse per peccatum primi parentis amissam: & alia quædam eódem pertinentia. In quarta exponitur in quibus errauerint Pelagiani circa statum primorum hominum ante peccatum. In quinta quænam fuerint eorum dogmata ad statum naturæ lapsæ pertinentia circa peccatum originale, concupiscentiam, ignorantiam, & alias vitæ humanæ miserias, statúmque paruulorum sine baptismo decedentium. In sexta, quid senserint de naturæ viribus ad bene viuendum, rectè operando, peccatúmque vitando. In septima, quam gratiam, & qualem admiserit Pelagius: quídve intellexerit per gratiam legis & doctrinæ, pérque adiutorium possibilitatis, voluntatis, & actionis: quæ denique fuerit illius contentio cum Augustino de auxiliis gratiæ? In octaua, quid senserit de gratia interna, & motione voluntatis, déque electione ad gratiam, & de prædestinatione ad gloriam: & vtrum in Ecclesiam inuexerit statum naturæ puræ: qui denique fuerint præcursores Pelagianorum, eorúmque mores? In nona, & decima, quæ fuerit origo, & causa hæresis Semipelagianorum? Erraueríntne in reiiciendo proposito diuino circa salutem hominum, quale esse vult, & Augustino tribuit Iansenius: vel in affirmando duplex illud esse; vnum generale saluandi omnes, alterum speciale circa aliquos: & istud absolutum, illud conditionatum: vel in eo quòd statuerint beneficia generalia, & gratiam sufficientem omnibus communem vi illius propositi generalis saluandi omnes homines? Item quas gratias generales admiserint, & in quo circa illas errauerint: & vtrum ad ipsum initium salutis necessariam esse gratiam existimauerint; sed repudiabilem, id est, liberum vsum aut non vsum voluntati permittentem, propter quod neque Augustino, neque Ecclesiæ satisfecerint? Quibus denique & qualibus operibus tribuerint vim merendi gratiam: & quænam illi merito supposuerint: ídque an solùm de congruo, an potiùs de condigno? In vndecima & postrema, quinam fuerint aliorum errores circa gratiam; Adrumetinorum, Prædestinatianorum, Lutheri, Caluini, & Michaëlis Baij?

Tractatus secundus, respondens tomo secundo Iansenij, disputationes octo complectitur. In quarum prima de ratione & auctoritate in rebus Theologicis

diſſeritur; breuitérque refutantur quæ toto libro prooemiali ſcripſit Ianſenius ad Theologiam in contemptum adducendam, & auctoritatem D. Auguſtini ſupra modum exaggerandam. In ſecunda oſtenditur ſtatum naturæ puræ eſſe poſſibilem; & latè refutantur argumenta, quæ in contrarium propoſuit Ianſenius tribus libris, quos de ſtatu naturæ puræ inſcripſit. In tertia proponitur quid de ſtatu naturæ integræ & innocentis, ſeu de gratia primi hominis ſentiant Theologi: ſpeciatim autem, fuerintne auxilia gratiæ naturæ integræ & innocenti neceſſaria: quídve de eodem ſtatu ſentiant Ianſenius, aliíque noui Dogmatiſtæ? In quarta exponitur ſtatus naturæ lapſæ: & primò quod attinet ad peccatum originale, modúmque quo traducitur. Sitne ipſa concupiſcentia, vel per eam traducatur ex natura rei, vt vult Ianſenius: an potiùs ex conſtitutione diuina, ſuppoſito peccato primi hominis omnes moraliter repræſentantis, vt volunt Theologi? In quinta agitur de ignorantia per peccatum Adami inducta: & ſitne peccatum culpabile quidquid in hoc ſtatu naturæ lapſæ fit ex ignorantia inuincibili iuris naturalis? In ſexta diſſeritur de altero effectu peccati Adæ, qui eſt concupiſcentia: ſitne illa naturæ lapſæ propria, & generaliter mala? Sitne omnis amor rerum creatarum vitioſa concupiſcentia: ita vt non poſſit amor hærere in creatura ſine peccato? Sitne vitioſus amor etiam proximi, niſi ametur propter Deum? Et vtrum omne peccatum committatur in hoc ſtatu naturæ lapſæ conſentiendo concupiſcentiæ, & non aliter, vt affirmat Ianſenius? In ſeptima ſermo eſt de viribus liberi arbitrij poſt peccatum Adæ: Habeántne homines in ſtatu naturæ lapſæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, vt docet fides Catholica: an è contrario perierit libertas ad agendum bonum, & abſtinendum à peccato, ac loco libertatis inducta ſit peccandi neceſſitas, vt vult, & falsò tribuit Auguſtino Ianſenius? In octaua & vltima inquiritur quales ſint vires liberi arbitrij circa bonum agendum, & peccatum vitandum? Sitne gratia ad omne opus bonum neceſſaria? Sitne peccatum quidquid non fit ex fide, vel ex charitate? Quid valeant eædem vires circa Deum diligendum, vincendas tentationes, & ſeruanda præcepta?


Tractatus tertius, reſpondens tomo tertio Ianſenij, qui eſt de gratia Chriſti Saluatoris, continet vnam & viginti diſputationes. In quarum prima exponitur quid intelligant Sancti Patres nomine gratiæ: oſtenditúrque Ianſenium à vero eius conceptu aberrâſſe. Quæve ſit gratia Chriſti Saluatoris, & quàm multiplex? In ſecunda agitur de ſeruitute arbitrij, eiúſque liberatione per gratiam: de qua idem aſſerit Ianſenius, quod Caluinus. Proponitur vera ratio cur liberum arbitrium non poſſit ſeipſum liberare: & quo ſenſu, *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam?* Cur etiam ſola gratia legis & doctrinæ non ſufficiat ad liberationem arbitrij? Dederítne Deus legem veterem Iudæis vt eam ſeruarent, & gratiam quâ ſeruare poſſent: an è contrario vt peccata multiplicarent, & eorum multitudine frangeretur eorum ſuperbia: neque habuerint gratiam ſufficientem, ſed potiùs impedientem, vt perperam ait Ianſenius? In tertia diſſeritur de gratia efficaci, déque differentia inter gratiam ſanitatis, & gratiam medicinalem; quam in eo ſitam eſſe dicit Ianſenius, quòd illa permitteret vſum libertatis indifferentiæ; iſta neceſſitet voluntatem ad conſenſum. Probatur diſcrimen illud ſumptum eſſe ex Luthero & Caluino, eorúmque ſectariis; & repugnare Scripturæ, Conciliis, & Patribus, ſpeciatímque D. Auguſtino, cuius auctoritate abuſus eſt Ianſenius. In quarta, & tribus ſequentibus, diſputatur de gratia ſufficiente: oſtenditúrque primò, illam dari in hoc ſtatu naturæ lapſæ, & quod in contrarium docet Ianſenius, ſumptum eſſe ex Luthero, & Caluino, eorúmque diſcipulis: neque illi fauere teſtimonia quæ producit ex Auguſtino. Secundò, probatur illam etiam in lege Moſaïca fuiſſe exhibitam: contrà quàm velit Ianſenius poſt Lutherum, & Caluinum. Tertiò, illam quoque exhiberi peccatoribus, licèt obduratis, vt reſipiſcant: & infidelibus, vt conuertantur: & iuſtis, vt perſeuerent: & ad ſeruanda Dei mandata iis omnibus, qui tenentur ea ſeruare: & refelluntur quæ in contrarium fusè opponit Ianſenius, Lutherum & Caluinum ſequutus. Quartò, impugnatur præcipuum illius fundamentum contra gratiam ſufficientem: quòd ſcilicet Deus non velit omnes homines ſaluos fieri, neque pro omnibus mortuus ſit Chriſtus. In octaua inquiritur verum diſcrimen inter gratiam ſufficientem, & efficacem; reiecto Ianſeniano, & aliis malè excogitatis. In nona exponuntur eſſentia gratiæ, variæque illius diuiſiones. Demonſtratur Ianſenium malè illam reſtringere: & circa

iſtas imponere Theologis. In decima refutantur quæ de effectibus gratiæ medicinalis tradit Ianſenius, quos malè reſtringit ad charitatem: déque attritione concepta ex timore pœnarum, quam ille vitioſam eſſe contendit, poſt Lutherum à Concilio Tridentino damnatum. In vndecima & quinque ſequentibus impugnatur error capitalis Ianſenij de libero arbitrio, quod vult immune tantùm eſſe à coactione propriè dicta, non à neceſſitate: abutens ad id probandum teſtimoniis Auguſtini, aliorúmque Patrum; imò etiam veterum Theologorum: quos omnes longiſſimè ab eius errore abeſſe planum fit, illis etiam in locis quibus abutitur. Duæ ſequentes agunt de concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio, & de concurſu vtriuſque. Aliæ duæ proximè ſequentes verſantur in explicando myſterio prædeſtinationis, & reprobationis. Fuerintne ſcilicet prædeſtinati, aut reprobati homines ex antecedenti Dei voluntate, aliquos pro ſuo mero beneplacito ſecernentis ex maſſa damnationis, ſeu peccati originalis; & alios in illa relinquentis, & deſtituentis auxiliis neceſſariis ad ſalutem, propter peccatum originale, licèt pleriſque fuerit remiſſum per baptiſmum: quam doctrinam falsò tribuit Auguſtino Ianſenius. An potiùs Deus prædeſtinarit, id eſt, aliquos efficaciter ad ſalutem elegerit, & alios reprobauerit, conſequenti tantùm voluntate: præuiſo quòd illi vſuri eſſent mediis & auxiliis ſibi oblatis, & gratiæ cooperaturi, atque in bono ſtatu deceſſuri ex hac vita mortali: ſecus verò alij. Poſtrema tractat de ſtatu paruulorum morientium ſine baptiſmo: patiantúrne ſolam pœnam damni, id eſt, priuationem viſionis, & fruitionis Dei, propter peccatum originale? An verò etiam pœnam ſenſus, id eſt, cruciatum ignis æterni, vt vult Ianſenius, & fruſtra nititur probare Florentius Conrius à Ianſenio adoptatus?

Ac tandem ſtateræ doloſæ, in qua Ianſenius pleraſque ſententias Theologorum appendit cum dogmatibus Maſſilienſium verè aut falsò præſumptis, reponitur triplex antiſtatera: in quarum prima doctrina Ianſenij opponitur definitionibus Concilij Tridentini: in ſecunda componitur cum propoſitionibus Michaëlis Baij à Sede Apoſtolica damnatis: in tertia appenditur cum Lutheri, & Caluini, aliorúmque hæreticorum huius temporis dogmatibus. Faxit Deus optimus maximus vt hæc omnia ad ipſius gloriam, & legentium vtilitatem cedant. Eadem omnia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris meæ, & Sedis Apoſtolicæ iudicio, toto affectu ſubmitto.



TRA-



TRACTATVS PRIMVS.

DE HÆRESI PELAGIANA, ET SEMIPELAGIANA.

FVIT hoc fraudulentum Iansenij artificium, vt quicquid in Theologorum doctrina de gratia, liberóque arbitrio reprehendere statuisset, & impugnandum suscipere; illud omne ad dogmata Pelagiana, aut Semipelagiana pertinere niteretur simplicibus & minùs eruditis persuadere. Quam ob causam octo integros libros de hæresi Pelagiana, & Semipelagiana, magnâ arte, sed exiguâ fide concinnauit: in quibus plurima tum hæreticis illis, tum etiam Catholicis Theologis imposuit. Nos igitur hoc tractatu errores Pelagianorum ac Semipelagianorum sincerè proponere, & eius imposturas refutare aggrediemur: vbi priùs de ipso auctore, & de illius scribendi modo pauca dixerimus, quæ longioris præfationis vicem supplebunt. Sit igitur prima

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

De auctore operis inscripti Augustinus.

SECTIO I.

Examinantur quæ de illo dicuntur in synopsi eius vita.

1\. *Iansenij ortus, & educatio.*



AVCTOR operis, cuius examen, & refutationem, Deo duce, aggredimur, vt præsenti Ecclesiæ malo remedium pro virili afferre conemur, fuit Cornelius Iansenius; non ille Gandauensis Episcopus, eruditus & celebris Euangelicæ concordiæ Scriptor: sed alter Iprensis, Ecclesiasticæ discordiæ sator, & damnatarum Michaëlis Baij propositionum instaurator. Originem duxit ex Hollandia, Caluinianæ hæresis labe diu antè corruptâ: Leerdami natus, modcio Batauiæ oppidulo. Et suspicarer ex illa natalis soli contagione labem eandem traxisse, nisi auctores synopsis eius vitæ affirmarent, *parentes, & totam familiam circum, Catholicos inter feruentissimos, & auitæ fidei retinentissimos* extitisse. Quo maiori reprehensione dignus est, qui à talibus parentibus Catholicè, vt par est credere, educatus, ad hæreticorum errores sua sponte deflexit. Vltraiecti literis humanioribus, & philosophiâ Louanij eruditus, Theologiæ ibidem operam dedit, moderatore Iacobo Iansonio, qui propositiones Michaëlis Baij semel iterúmque à Pio V. & Gregorio XIII. damnatas, vt partim suspectas, partim erroneas, hæreticas, scandalosas, piarúmque aurium offensiuas, audaci pertinaciâ mordicus retinuit, obstinatéque tueri perrexit, non sine graui, & intolerabili Sedis Apostolicæ contemptu, omniúmque verè Catholicorum, & fidelium scandalo: peruicacior ipso Michaële Baio, qui, vt virum Catholicum decebat, suas illas propositiones retractauit, reueritus iudicium supremi tribunalis Ecclesiæ, & censuras, aliásque graues pœnas, in Bullis prædictorum Pontificum, contra pertinaces statutas, quæ certè non vitantur contumaciâ, & contemptu, sed magis incurruntur. *Inde mali labes.* Ab illo enim, tum eadem falsa dogmata accepit Iansenius: tum simul audaciam ea propugnandi & disseminandi, posthabitâ omni Sedis Apostolicæ reuerentiâ.

Studia literarum, & munia.

Post aliquot annorum studium, Lutetiam primùm, tum in Cantabriam migrans, Baionæ pedem fixit, & Collegij Primarium, seu moderatorem egit. Vbi Ioannis Vergerij, eiusdem vrbis tunc Canonici, posteáque Pictauensis, & tandem Abbatis Sancyrani consuetudine, & familiari studiorum communione vsus, cœpit cum illo, nouarum rerum æquè studioso, moliri opus, in quod deinceps totâ vitâ incubuit, & ante cuius editionem peste extinctus fuit, anno ætatis suæ 58. solus (quod notatu dignum est) in tota vrbe peste afflatus, solus eâdem sublatus: postquam aliquot ante annos Louanium reuersus è Cantabria, primùm noui Collegij sanctæ Pulcheriæ præfecturam 2. *Eiusdem progressus.*

gessisset; tum Lectoris regij sacræ Scripturæ munere functus ibidem esset: ac denique ex scholæ puluere ad Episcopatum Iprensem biennio ante mortem euectus fuisset, siue propriis meritis, veris, aut præsumptis: siue, vt nonnulli scripserunt (quibus tamen fidem habere nolim) aliquorum fauore, quem *Mars Gallicus*, id est, liber atrocibus in Galliam, eiúsque Reges Christianissimos calumniis refertus, ab ipso recens in lucem editus, ei conciliauerat. Placuit enim illi simul Regum Christianissimorum gloriæ, & veteri Ecclesiæ doctrinæ bellum indicere. Atque vt sapienter notauit, elegantérque scripsit Antonius Ricard. in epist. præfixa Disputationi de libero arbitrio, cùm non ignoraret Francorum Reges Catholicæ veritatis *propugnaculum*, *columnam*, & *scutum* esse, & à Romanis Pontificibus appellari: antequam Ecclesiæ doctrinam conuellere publicè & apertè moliretur, propugnaculum illud exscindere, columnam euertere, scutum perrumpere conatus est; experiri volens in Gallica maiestate, quid in Apostolicam posset: & Ecclesiæ oppugnationem, ex primogeniti filij eius iniuriis auspicari. Atque vt omnes intelligerent, quò suis in Francorum Reges calumniis spectaret; ea præcipuè illis ornamenta detrahere nisus est, quæ Romani Pontifices contulerunt: ratus se Apostolicæ Sedis in definiendis fidei controuersiis auctoritatem suspectam redditurum, si eius in ornandis commendandísque principibus, fidem accusaret.

3. *Qualis eius vita probitas?*

Atque hæc eius maledicendi licentia iure suspectum reddere potest, quicquid de Christiana eius modestia, vitáque piè semper & religiosè traducta, scribunt auctores synopsis eius vitæ. Præsertim cùm superbus ille scriptorum aliorum Catholicorum contemptus, in toto eius opere relucēs, & frequentissima conuitia in eos veluti Pelagianos, aut Semipelagianos, aut vtrisque peiores iactata; & capitale odium, quod aduersus Theologos Societatis Iesu vbique præ se fert; & audacia in damnandis Pelagianismi omnibus ferè Patribus, Augustino antiquioribus, aliísque Doctoribus Catholicis; & pertinacia in tuendis, instaurandísque Baij propositionibus, per Sedem Apostolicam in æternum proscriptis, longissimè absint ab humilitate & suî demissione, modestiâ, caritate, pietate, & obseruantia erga superiores, aliísque virtutibus, quæ Christianum hominem decent. Quamquam, si talis ille fuisset, qualem ipsi describunt, non propterea apparens vitæ probitas fidem eius erroribus conciliare deberet. Vt enim rectè ait Tertull. lib. de præscript. cap. 3. *Non iudicamus fidem ex personis, sed ex fide personas*: & nullus est in historiis Ecclesiasticis vel mediocriter versatus, qui nesciat plerosque alios errorum architectos hæresúmque satores, probitatem morum vel habuisse, vel potiùs eorum specie homines decepisse: vt de Dositheo, cuiusdam sectæ Samaritanorum auctore, déque Hierace, auctore Hieracitarum testatur Epiphanius hæresi 67. déque Audianis, & Anthropomorphitis, hæresi 70. De Massalianis siue Euchitis, & Enthusiastis Theodoretus lib. 4. hist. cap. 10. & Nicephorus lib. 11. cap. 14. De Eudoxio, & Acacio Sozom. lib. 4. cap. 27. De Vitali Apollinarista, & de Eunomio, idem lib. 5. cap. 26. & 25. De Pelagio August. lib. 2. Retract. cap. 33. & lib. 3. de peccator. meritis cap. 1. De presbyteris Massiliensibus Semipelagianis, Prosper in epist. ad Augustinum, præfixâ libro de prædest. Sanctorum. De Nestorio, & Eutychete, Cælestinus in epist. ad pseudo-Synodum Ephesinam. De Diodoro Tarsensi Basilius, Cyrillus, & Theodoretus apud Baronium, anno 428. & iampridem monuit Apostolus, *siue Angelus de cælo euangelizauerit vobis, &c.*

Plures Hæresiarchæ eam præ se tulerunt.

4. *Quale illius ingenium, iudicium, memoria?*

Ingenio illum fuisse acri, vt dicunt eius Encomiastæ, non diffiteor: idque satis ostendit stylus, & modus loquendi, quo tam acriter insectatur omnes cuiuscumque dignitatis & meriti, adeóque ipsos sanctos Patres, suis erroribus aduersantes. Sed, quod aiunt, iudicium eius grauissimum, & memoriam capacissimam fuisse, non facilè crediderim; cùm videam tam frequenter, modò affirmare idem, modò negare, parúmque suæ doctrinæ memorem, & minùs ad ea, quæ alibi scripsit, attendentem, destruere vno in loco, quæ adstruxit in alio: quin etiam in vno eodémque, pugnantia loqui, & in suæ sententiæ confirmationem testimonia vel argumenta planè contraria, si bene expendantur, proferre.

5. *Quantum in eo studium veritatis?*

Magnum etiam illud studium veritatis, quod in eo commendant eius vitæ scriptores, ita vt inter attributa diuina, maximè eam veneraretur & diligeret, sæpiúsque inter horti sui spatia, solitariásque meditationes, visus auditúsque sit, oculis in cælum sublatis, erumpere in hanc vocem, ô *Veritas!* Hoc, inquam, studium suspectum mihi reddunt frequentes eius dissimulationes, & fraudes, siue in erroribus Pelagij, & Semipelagianorum referendis; siue in scriptis Doctorum Catholicorum interpretandis, siue in eludendis sanctorum Patrum testimoniis, & summorum Pontificum, Conciliorúmque definitionibus. Verissimum enim est, quod de illo scripsit Petrus à S. Ioseph Fuliensis in *Defensione Augustini, ipso initio præfationis*: Auctor ille, inquit, acutus, & floridus est: adeóque multos argutiis suis, verborúmque lenocinio capit: non tamen solidè scribit. Tres tomos, contra commūnem sententiam de gratia & libertate, magnâ arte, sed exiguâ fide, concinnauit. Pelagianorum & Semipelagianorum errores quoad gratiam, de quibus latè in primo tomo disserit, ex proprio cerebro confingit. Vires naturæ integræ, in secundo tomo nimium exaggerat, & lapsæ ægritudines plus æquo deprimit. Pro gratia Christi medicinali venenum præsentissimum, ex quo certus imminet libertatis gratiæque sufficientis interitus, in tomo tertio protrudit. Vno verbo, loco veræ & antiquæ Theologiæ, nouam substituit, quæ hactenus in scholis Catholicorum fuit inaudita. Quicquid scribit, id quidem variis Augustini testimoniis fusè probat: sed quamuis affatim verba huius eximij Doctoris exscribat; eius certè mentem vix vnquam attingit. Vnde cùm ea omnia, quæ illius scopo fauere videntur, auidissimè arripiat, in omnem partem verset, & vsque ad nauseam repetat; quæ tamen ipsius instituto aduersantur, vel cautè prætermittit, vel miserè torquet, vel pueriliter eludit, ne eorum expostulatio-

Iudicium de illius scriptis.

nibus pateat. Propositiones quamplurimas ab Ecclesia proscriptas, ab inferis reuocat, eásque vt Catholicas acerrimè defendit, quòd sibi in Augustino perperam intellecto fundamentum habere videantur.

6. *Augustinum præcipuè coluit, sed malè intellexit.* Et hunc quidem sanctum Doctorem præcipuè coluisse dicitur; eiúsque scripta omnia decies & ampliùs; libros verò contra Pelagianos facilè trigesies à capite ad calcem, attentione acri, vt ipsius Encomiastæ affirmant, & adnotatione diligenti euoluisse. Adeò verò in illo vno acquieuisse, vt Patres cæteros vtiles esse, *sed Augustinum necessarium, imò vnum pro omni materia Theologica sufficere* diceret: quod quàm verè, aut consideratè effatus sit, videbimus paulò pòst. Interdum etiam dixisse fertur, *vitam sibi iucundissimam fore, si in insula aliqua, aut caute Oceani, extra omne humanum consortium, cum solo suo Augustino deponeretur. Breuiter, post Deum, & sacram scripturam, omnia ei erat Augustinus.* Sed quàm infeliciter vitam in illo legendo penè totam insumpserit, & quàm longè à verâ eius intelligentiâ aberrauerit, manifestum reddunt perpetuæ hallucinationes, quibus in sensum hæreticum ferè vbique eum interpretatur; & solida eius argumenta, grauésque ratiocinationes, vel in contrarium detorquet, vel ineptissimas & tanto Doctore indignissimas reddit, atque non rarò malè cohærentes, & inter se apertè contrarias. Vt non minùs verè, quàm lepidè scripserit auctor Dogmat. Theologic. Iansenium assidua lectione tot annorum, Augustini scripta, velut incudem, dies noctésque tundentem, nihil ex illo labore præter mentis attonitæ stuporem ac vertiginem, tum surditatem, imò etiam cæcitatem animi reportasse. Dúmque hunc profundissimum Doctorem, vt sæpius ipse nominat, & eius doctrinam profundissimam, ex fundo veritatis haustam assiduè scrutatur: idem ipsi vsuvenisse, quod iis accidit, qui altitudinis immensæ voraginem ex edito loco speculantur. Nam vt illis statim offusa vertigine caligant, atque hebetantur oculi, nihil vt certò ac liquidò discernant, sed pro aliis alia contueantur: sic profundissimæ doctrinæ scrutator ille, quam in eam contemplandam defixit mentis aciem, obscurauit, atque obtudit: vt quæ ibi nusquam erant, ea se vidisse putauerit.

Petau. tom. 1. lib. 10. c. 16. & 19.

7. *Eius intelligentiam pendere vult à Dogmate hæretico.* Quàm peruersè autem Augustinum intellexerit, vel ex hoc vno conici potest, quòd, vt aiunt scriptores synopsis eius vitæ, dicebat omnem eius intelligentiam *ab vno pendere principio, vnde tota eius doctrina de gratia deuincta esset: Et hinc factum, vt qui eo aberrant, extra viam & spem inueniendæ veritatis vagentur. Vnde subridebat potiùs, non mirabatur, quòd contrariarum, & diuersissimarum opinionum Scholastici, omnes tamen Augustinum ad se traherent: quia vnus hunc, alter istum annulum medium catenæ arriperent, nemo teneret primum illum & capitalem.* Quis autem primus ille sit & capitalis, ex quo omnia pendent, exponit ipsemet Iansenius lib. 3. de statu nat. lapsæ cap. 2. paulò post initium: vbi loquens de amissione libertatis indifferentiæ ad bonum & malum, propter peccatum originale, quam toto illo libro doceri ab Augustino persuadere conatur: dicit, *Illi statui libertatis arbitrij ad bonum & malum* (per peccatum originale destructi) *quem Augustinus tradidit, velut immobili basi, totam necessitatem, & naturam, & intelligentiam Christianæ gratiæ ita niti, vt eo labefactato, hanc funditus euerti necessarium sit. Rem illam quippe in indiuisibili sitam esse. vt si vel latum discedas vnguem à veritate, quam sanctus Doctor de liberi arbitrij statu tradidit; tota eius doctrina de gratiâ, modulo & statui libertatis attemperata, in fumos & chimeras humanæ cogitationis euanescat.* Et alibi sæpius affirmat discrimen inter auxilium *sine quo non*, & auxilium *quo*: siue inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem: quarum illa dabatur, inquit, in statu innocentiæ, hæc datur in statu naturæ lapsæ: illa voluntati liberum consensum permittebat, & potestatem ad oppositum: hæc necessitatem consentiendi inducit, voluntatémque ita sibi subiicit, vt resistere nequeat: hoc, inquam, discrimen dicit esse clauem intelligentiæ doctrinæ Diui Augustini circa naturam & œconomiam gratiæ, ac veluti filum, quo nisi quis regatur, tota eius doctrina merus labyrinthus est. Et lib. 9. de Gratia Christi Saluat. cap. 25. §. *Secundum istam*, dicit dogma de amissa libertate indifferentiæ, quæ fuit in Angelis, & in Adamo ante peccatum, esse fundamentum totius doctrinæ S. Augustini de diuina gratia & prædestinatione. Quare qui volet rectam & veram illius intelligentiam assequi, debet (si Iansenio credimus) illud imprimis cum Luthero & Caluino statuere, ac pro certo habere, tanquam primum principium ab Augustino traditum, & in eius doctrina fundamentale; periisse per peccatum Adami libertatem indifferentiæ, & eius loco necessitatem peccandi inductam esse, neque vllum opus bonum fieri posse, nisi ad illud volendum & agẽdum necessitemur adiutorio gratiæ. Quis autem credat verum Augustini sensum indagatum ab eo fuisse & inuentum, qui tam turpiter errat in ipso limine? Et quid claue tam distortâ aperiri potest, nisi inextricabilis errorum & hæresum labyrinthus? Quis denique miretur Augustinum in deprauatissimos sensus Lutheranorum & Caluinistarum ferè semper ab eo trahi, qui capitalem hæresis Caluini & Lutheri errorem affirmat esse clauem, & primum principium totius doctrinæ Augustini de gratia liberóque arbitrio? Quapropter iure optimo vnus inter præcipuos Galliæ Præsules, ætate, pietate, & doctrinâ in primis venerandus, atque in lectione Diui Augustini diligenter versatus eiúsque apprimè intelligens, lecto Iansenij libro, indignabundus ita pronunciauit: *Non est Augustinus, sed pestilentissimus Augustini corruptor*: vt refert testis oculatus, qui ex ipsiusmet ore se audiuisse testatur illustrissimus & eruditissimus Episcopus Vabrensis Isaacius Habertus, in Defensione fidei cap. 2. Neque minori iure de illo dixit Fuliensis, verbis suprà relatis, quamuis affatim verba huius eximij Doctoris exscribat, eius certè mentem vix vnquam attingere: quæque apud ipsum suis dogmatibus aduersantur, vel cautè prætermittere, vel miserè torquere, vel pueriliter eludere.

Quare frustra & inaniter gloriatur se nihil aliud, quàm doctrinam Augustini proferre; verúmque illius sensum, antea passim ignotum, & Scholasticorum incuriâ, vel peruersâ 8. *Qualis eius reuerentia erga Sedem Apostolicã.*

intelligentiâ obscuratum, exponere. Quod adeo persuasum habuit, vt in ipso mortis articulo, de editione huius operis vltimam suam voluntatem declarans, eámque Liberto Fromondo, & Henrico Caleno commendans, sentire se dixerit *aliquid in eo difficulter mutari posse.* Voluit tamen, & eodem testamento significauit se iudicio Sedis Romanæ illud submittere, cuius se filium obedientem esse professus est. Et credendum est hominem in extremo vitæ positum, sincerè, & ex animo hæc ferè vltima verba pronunciasse. Quàm exiguam tamen Sedis Apostolicæ reuerentiam viuens, & scribens præ se tulerit, testatur illud idem opus, quo nihil aliud molitus est, quàm propositiones Baij ab eâ damnatas reuocare, & velut Augustinianas, imò etiam velut Catholica dogmata in scholas, & Ecclesiam inuehere. Eò enim spectat totus illius labor & industria, vt persuadeat quidquid Augustinus scripsit in materia de gratia & libero arbitrio, esse doctrinam ipsius Ecclesiæ, à pluribus summis Pontificibus & Conciliis olim approbatam. Propositiones autem Michaëlis Baij de gratia & libero arbitrio, esse ipsammet Augustini doctrinam. Vnde consequens fit, propositiones Baij esse doctrinam Ecclesiæ à pluribus summis Pontificibus, & Conciliis olim approbatam, & recèns iniustè damnatam à Pio V. & Greg. XIII. veræ & antiquæ doctrinæ Ecclesiæ ignaris.

9. Quæ fuit causa cur recentissimè Vrbanus VIII. in Bulla contra ipsum edita, non longè à fine, sic pronunciauerit: *Cùm ex diligenti, & matura eiusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus à prædecessoribus nostris olim, vt præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi: Nos huic malo in scandalum totius reipub. Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutiones Gregorij, ac Pij prædecessorum nostrorum, necnon decretorum huiusmodi totos & integros tenores, præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valiturâ constitutione, eiusdem Pij & Gregorij prædecessorum nostrorum huiusmodi constitutiones prædictas, omniáque & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, librúmque prædictum, cuius titulus est, Augustinus, articulos, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt à nobis compertum est, continentem, & renouantem, aliáque omnia opera præsentibus nostris literis subinserta, &c. eadem auctoritate per præsentes omninò prohibemus, ac pro vetitis & prohibitis haberi volumus, & mandamus.* Huc vsque Pontifex.



SECTIO II.

Expenditur dictum illud Ianseny, Vnum Augustinum sufficere pro omni materia Theologica: *ostenditúrque quàm longè à doctrinâ illius ipse dissideat.*

VIDIMVS sect. præcedenti, scriptores synopsis eius vitæ hoc ipsius celebre dictum, veluti tanto viro dignum apophthegma referre, *Patres cæteros vtiles esse, sed Augustinum necessarium; imò vnum pro omni materia Theologica sufficere.* Quæ propositio non modò grauem exaggerationem, sed etiam perniciosum errorem continet, vt rectè ostendit illustrissimus Vabrensis Episcopus cap. 6. Defensionis fidei. Primò, quia si Augustinus non modò vtilis, vt alij Patres, sed etiam necessarius est: ergo Ecclesia caruit aliquo necessario, quandiu caruit Augustino. Quasi verò quatuor primis sæculis caruerit Ecclesia subsidio necessario ad decidendas controuersias grauissimas, difficillimásque de distinctione trium personarum, contra Sabellianos, de diuinitate filij, contra Arianos, de processione Spiritus sancti, contra Macedonianos, quibus nullæ vnquam grauiores & difficiliores de rebus Theologicis quæstiones occurrerunt. Secundò, si vnus Augustinus sufficit pro omni materia Theologica, ita scilicet, vt eius scriptis & doctrinâ definiri omnes possint, neque sit opus aliunde accersere veram illarum intelligentiam, sed illius iudicio stare oporteat: Ergo pro dubio & incerto habendum erit vtrum animæ nostræ creentur, vel potiùs ab Adamo propagentur ex traduce: quia id incertum reliquit Augustinus in libris de origine animæ, nec vsquam alibi certò definiuit. Et tamen est de fide non fieri ex traduce, sed creari: vt affirmat D. Th. 1. p. quæst. 118. a. 2. vbi contrarium dicit esse hæreticum. Item dicendum erit mundum non sex diebus, sed in instanti creatum fuisse: quia sic docuit Augustinus lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 21. & deinceps. Cuius tamen oppositum satis apertè docet scriptura Genes. 1. & tenent omnes alij Patres, omnésque ferè interpretes Geneseos, & Doctores Catholici. Item dicẽdum erit sanctos Angelos, & Dæmones esse corporeos, & habere corpora quædam subtiliora: quia sic docet Augustinus in Psal. 85. & 145. & epist. 115. aliísque locis, à Petauio relatis lib. 1. de Angel. c. 2. Quod tamen non conuenit cum definitione magni Concilij Lateranen. cap. *firmiter, de summa Trinitate.* Dubitandum etiam erit num Sol & Luna & alia sidera, quæ oculis cernimus, sint Angeli: & vtrum Baptismus datus sine intentione, sit inualidus: quia de primo dubitauit Augustinus in Enchirid. cap. 58. de secundo, in lib. 7. de Baptismo contra Donatist. cap. 53. Et tamen primum repugnat Lateranensi, cap. cit. Secundum certum est, & de fide, definitum à Florent. in decreto Eugenij §. *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur: videlicet rebus, tãquam materia, verbis, tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur sacramẽtum.* Et Trid.

10.

Primus error sequens ex illa assertione.

Alter error plures continens.

Præcipuè lib. 2. c. 6.

Seſſ. 7. can. 11. de Sacramentis in genere, *Si quis dixerit, inquit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Item dubitandum erit vtrum abortiui licèt animati ad reſurrectionem pertineant: quia hac de re dubitauit Auguſt. lib. 22. de ciuit. c. 13. *Abortiuos,* inquit, *fœtus, qui cùm iam vixiſſent in vtero, ibi ſunt mortui, reſurrecturos vt affirmare, ita negare non audeo.*

11. *Repugnat etiam iudicio, & praxi Eccleſiæ.* Tertiò, illa Ianſenij propoſitio repugnat iudicio & praxi Eccleſiæ, quæ non eſt contenta vnius ſolius Auguſtini, vel alterius Patris auctoritate, in indaganda traditione diuina, & definiendis fidei controuerſiis ſubinde exortis, decidendiſque veritatibus Catholicis: ſed communem ſanctorum Patrum ſenſum diligenter inquirit. vt videre eſt in illis etiam Conciliis œcumenicis, quæ poſt mortem Auguſtini, eiúſque ſcripta in lucem edita, fuerunt celebrata: vt in Concilio Epheſino contra Neſtorium: & in Chalcedonenſi contra Eutychianos: & in V. Synodo generali contra Petrum Anthimum, alióſque Patropaſſianos: & in VI. contra Monothelitas: & in VII. contra Iconoplaſtas: & in Concil. Florent. pro vnione Eccleſiæ Græcæ & Latinæ coacto: & nouiſſimè in Trident. contra Lutheranos & Caluiniſtas celebrato. In Viennenſi quoque generali ſub Clemente V. vt refertur cap. 1. de ſumma Trinitate, cùm orta eſſet quæſtio, & ad Concilium delata de vero ſenſu verſus 33. capitis 19. Ioannis; Pontifex ita pronunciauit: *Nos ad ſanctorum Patrum & Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis aciem conuertentes, ſacro approbante Concilio declaramus, &c.* Et Trident. Seſſ. 7. in proœmio ſic ait: *Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in eadem Apoſtolicæ Sedis legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa Sacramenta, hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à Patribus noſtris, hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de nouo adinuentæ ſunt; quæ Catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnopere officiunt: ſanctarum ſcripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum & Patrum conſenſui inhærendo, hos præſentes canones ſtatuendos & decernendos cenſuit.* Simili modo loquitur Florent. in literis vnionis, & in decreto Eugenij. Et in ipſa materia de gratia contra Pelagianos & Semipelagianos, in qua præcipuè volunt aduerſarij vnum Auguſtinum ſufficere, ſic aiunt Patres Arauſic. Concilij II. *Pauca Capitula ab Apoſtolica Sede nobis tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de ſanctarum ſcripturarum voluminibus, in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos, qui aliter quàm oportet ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre, iuſtum ac rationabile viſum eſt.*

12. *Et ipſiuſmet Auguſtini.* Quartò, eadem propoſitio Ianſenij repugnat iudicio & praxi ipſiuſmet Auguſtini, qui non ex vno ſolo, ſed ex communi Patrum ſenſu deducit & ſtabilit veritates Theologicas: vt videre eſt epiſt. cxi. aliiſque locis, & libro de Bono perſeuer. cap. 19. vbi ſuam doctrinam communibus eorum ſuffragiis confirmat: & toto lib. 1. & 2. contra Iulianum, vbi ad eius errores reuincendos, & fulciendam veritatem Catholicam, citat Irenæum, Cyprianum, Rhetitium, Olympium, Hilarium, Ambroſium, Innocentium, Gregorium, Baſilium, Hieronymum, Ioan. Chryſoſt. & alios: déque iſto ſpeciatim ſic ait lib. 1. cap. 6. *Ingredere ſancte Ioannes: Ingredere, & conſide cum fratribus tuis, à quibus nulla te ratio, nulla tentatio ſeparauit.* & cap. 7. *En adeſt memorabilis & venerabilis aſſertorum conſeſſus, atque conſenſus, &c.* Videri poteſt Melchior Canus lib. 7. de locis Theolog. cap. 3. concl. 5. & 6. vbi plura refert Auguſtini teſtimonia ad oſtendendum quanti faceret communem Patrum conſenſum: cùm tamen neque ſibi, neque vlli alteri ſigillatim ſumpto tantùm deferri vellet, vt pro irrefragabili haberetur quidquid diceret, neque liceret refutare, atque reſpuere, ſi fortè inueniretur aliter ſenſiſſe, quàm veritas habeat: quemadmodum ait epiſtola 111. & lib. 11. contra Fauſtum cap. 5.

Neque magni momenti ſunt quæ in contrarium opponunt Apologiſtæ Ianſenij. Tantùm enim proferunt encomia veterum, laudantium Auguſtinum, quem fatemur eſſe laude digniſſimum: ſed nullus eorum affirmat id quod probandum incumbit aduerſariis, *Vnum Auguſtinum ſufficere pro omni materia Theologica:* vt rectè oſtendit Habertus loco cit. & per ſe euidens erit inſpicienti loca ab illis producta ex Hieronymo Dialogo 3. contra Pelagianos, & in epiſt. ad Alipium, vbi laudat quidem Auguſtinum vt *conditorem antiquæ rurſum fidei, & præcipuum hæreſis Celeſtianæ debellatorem:* ſed non dicit ſolum eam debellaſſe, & antiquam fidem rurſum condidiſſe, illúmque vnum ſufficere pro omni materia Theologica. Vt neque Innocentius I. in epiſt. ad Patres Concilij Africani, quæ eſt 93. apud Auguſtinum. Neque Zozimus & Bonifacius ſummi Pontifices, vtentes eius opera ad refellendos, & damnandos errores Pelagij. Neque Cæleſtinus I. in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, eum laudans vt *Magiſtrum optimum,* ſed non vt neceſſarium, & vnicum, ſufficientem pro omni materia Theologica. Neque Concilium Sardicenſe commendans presbyteris, vt præ omnibus libros Auguſtini legendos ingerant. *Præ omnibus,* inquit, non *pro omnibus.* Neque Fulgentius, cùm ait Auguſtinum *plus quibuſdam aliis laboraſſe:* Non enim dicit ſolum laboraſſe, & illum vnicum ſufficere pro omni materia Theologica. Neque Felix IV. ſeu potiùs Leo I. mittens ad Arauſic. II. Capitula ex libris Auguſtini collecta. Nam vt paulò antea retulimus ex eius præfat. non ex ſolo Auguſtino collecta erant, ſed ex antiquis Patribus. Neque Ioannes II. ſcribens epiſt. 3. ad quoſdam Senatores, *Eccleſiam Romanam ſequi & approbare doctrinam ſancti Auguſtini, ſecundùm decretum prædeceſſorum ſuorum:* quod iuxta moderationem à Cæleſtino Papa expreſſam in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, intelligendum eſt. Et idem eſt de aliis antiquorum Patrum, aut Pontificum elogiis, quæ inutiliter adducuntur ab aduerſariis ad probandum quod intendunt. 13. *Nullus Patrum, aut Pontificum, ita de illo ſenſit.*

Porrò, ſi pro omni materia Theologica ſufficit vnus Auguſtinus, vt ait Ianſenius: ſique, vt addit in libro proœmiali cap. 23. Auguſtinus in ſe fixit limites veræ Theologiæ, quos qui prætergrediuntur, nimium felices habendi 14. *Ianſenius ſibi & Auguſtino contradicit.*

sunt, si non in humanarum opinionum labyrinthis, sine tali duce aberrantes, proprias imaginationes pro scientia ex fide deriuata mirentur: Quomodo ipse sibimetipsi contrarius limites illos prætergreditur, tam multa affirmans præter & contra doctrinam Augustini? vt quando dicit in libro de gratia primi hominis & Angelorum, cap.16. Merita & perseuerantiam sanctorum Angelorum non fuisse specialia Dei dona: cuius oppositum expresse docet Augustinus lib. 12. de ciuit. cap. 18. dicens eos *maiorem gratiam accepisse, vel amplius adiutos fuisse, vt ad beatitudinem peruenirent.* Et quando asserit lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 16. & pluribus sequentibus, peccatum originale propagari per libidinem, seu concupiscentiam parentum, ex sola rei natura, sine vllo pacto, aut constitutione diuina, Augustino prorsus incognita. Nam Augustinum aliter sensisse, & pactum diuinum agnouisse manifestè liquet ex eius libro 16. de ciuit. cap. 27. Vbi quod dicitur de masculo incircumciso, *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Genes. 17. v. 14. exponit de pacto inito cum Adamo pro ipso & posteris, *In quacunque die comederis ex hoc ligno, morte morieris.* Genes. 2. v. 17.

15. *Alia eius dogmata contraria Augustino.* Item, quando ait lib. 2. eiusdem tituli, cap. 2. & quinque sequent. ignorantiam circa ius naturale, quæ necessitatis est, non voluntatis, à peccato & culpa non excusare. Quod est manifestè contra doctrinam Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. & libro de Natura & gratia, contra Pelagianos cap. 67. *Non tibi deputatur ad culpam*, inquit, *quòd inuitus ignoras: sed quòd negligis quærere quod ignoras.* Item, quando affirmat cap. 14. & 24. eiusdem libri, Motus concupiscentiæ indeliberatos esse peccata, & prohiberi præcepto illo diuino, *Non concupisces.* Contrà quàm docet D. August. lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. *Motus qui naturâ, vel necessitate existit, nullo modo culpabilis esse potest.* Existit autem naturâ, vel necessitate, qui non existit ex deliberatione & arbitrio voluntatis. Item, quando affirmat lib. 3. eiusdem tituli, cap. 2. & seqq. libertatem indifferentiæ circa bonum & malum fuisse amissam per peccatum originale: & loco illius necessitatem peccandi successisse. Cuius oppositum docet August. lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 2. *Quis nostrùm dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium? &c.* Et lib. 2. de Nuptiis & Concupisc. cap. 3. vbi Iuliano sibi obiicienti quòd negaret liberum arbitrium, respondet in hæc verba, *Liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, vtrique dicimus. Non hinc estis Celestiani & Pelagiani.* Liberum autem intelligit propriè dictum à libertate indifferentiæ, quale admittebant Pelagiani, & secum illis admittere profitetur his verbis, *Liberum in hominibus esse arbitrium vtrique dicimus.*

16. Item, quando persuadere conatur toto libro 4. eiusdem tituli, quidquid non fit ex fide propriè dicta, esse peccatum: &, Nulla opera infidelium, aut solis naturæ viribus facta, esse bona, & sine peccato. Contra doctrinam eiusdem August. libro de spiritu & litera cap. 27. vbi de Gentilibus infidelibus sic ait: *Meritò dici potest etiam in ipsa impietate vita suæ, facere aliqua legis, vel sapere.* Et inferiùs cap. 28. de iisdem sic loquitur: *Impiorum quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundùm iustitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus: verùm etiam meritò, rectéque laudamus. Quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem, defensionémve mereantur.* Qua particula, *vix inueniuntur*, significat tantùm, rarò & difficulter inueniri, non autem nunquam penitus inueniri in infidelibus aliqua opera omnino laudabilia.

Nusquam etiam docuit August. quod probare contendit Iansenius in libris de statu naturæ puræ. Gratiam, & ius ad visionem ac fruitionem Dei, deberi humanæ naturæ ex principiis ipsius naturalibus: nec potuisse aliter à Deo creari. Qui error omnem hæresim Pelagianam transcendit, & contradicit manifestè Augustino, lib. 3. contra Maximinum cap. 15. vbi affirmat hominem ad similitudinem Dei formatum, ideo fieri gratiâ filium, quia non est naturâ. Si autem non est naturâ filius, sed gratiâ; non est talis ex principiis suis naturalibus: ac proinde non est hoc illi connaturaliter debitum vi creationis, sed gratuitò & supernaturali beneficio collatum. 17.

Nusquam etiam docuit August. quod affirmat Iansenius lib. 2. 6. & 8. de gratia Christi Saluat. Gratiam excitantem necessitare voluntatem ad consensum. Sed potiùs docet manifestè contrarium lib. de Spirit. & lit. cap. 34. *Misericordia Dei præuenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis est.* Et lib. 83. quæst. q. 68. *Ad illam cœnam*, inquit, *quam dicit Dominus in Euangelio preparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt: neque illi qui venerunt, venire potuerunt, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate.* 18.

Nusquam etiam docuit Augustinus quod affirmat Iansenius lib. 3. eiusdem tituli cap. 13. Præcepta quædam hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, & obduratis: sed fidelibus quoque, & iustis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia; deesséque illis gratiam, quâ possibilia fiant. Sed planè contrarium docet August. lib. de Peccatorum merit. & remiss. cap. 3. & 6. & lib. de Nat. & gratia c. 67. & 69. Cuius verba hæc sunt: *Firmissimè credimus Deum iustum & bonum, impossibilia non posse præcipere.* Eodem pertinet quod ait Iansenius lib. 4. de natura lapsa cap. 18. aliisque locis, Homines peccare culpabiliter, sine potentia ad oppositum. Quæ propositio velut inepta exploditur ab August. lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Quis peccat*, inquit, *in eo quod nullo modo caueri potest?* Et lib. de duab. animabus, cap. 11. id doctis & indoctis, totíque humano generi notum esse affirmat. 19.

Similiter nusquam docuit August. quod ait Iansenius tomo 3. lib. 3. 9. & 10. de gratia Christi Saluat. Deum non dare gratiam sufficientem omnibus adultis, vt saluari possint, sed tantùm electis: neque velle omnes homines saluos 20.

fieri, ne quidem voluntate beneplaciti; sed positiuè reprobasse, & antecedenti sua voluntate reiecisse eos omnes, qui reipsa damnantur: neque pro eorum salute Christum mortuum esse, aut orasse; non magis quàm pro salute diaboli, vt ait citato libro 3. cap. 21. atque ad hæresim Pelagianam pertinere contrarium. Quod tamen affirmant communiter sancti Patres, & Doctores Catholici, speciatímque D. Augustinus libro 83. quæst. q. 68. & libro de Genesi contra Manichæos cap. 3. & serm. 47. de Sanctis, & tract. 4. in Ioannem, & lib. 2. de Symbolo ad Catechum. cap. 8. & lib. 6. contra Iulian. cap. 4. & 9. aliisque locis, quæ alibi referemus, cùm hos errores ex professo refutabimus.

21. Nusquam præterea docuit Augustinus, quod affirmat Iansenius lib. 5. de hæresi Pelag. cap. 11. Pelagianas esse phrases, dicere gratiam prouocare, allicere, & cooperari voluntati. Sed è contrario ipsemet eo loquendi modo sæpius vsus est: vt Serm. 13. de verbis Apostoli: *Non adiutor est ille*, Deus scilicet, *si nihil agis: non cooperator est, si nihil operamini.* Et inferiùs: *si non esses operator, ille non esset cooperator.* Vellem etiam à Iansenij sectatoribus rescire quo loco dixerit Augustinus id quod ille affirmat lib. 3. de gratia Christi cap. 8. *Statum figuratiuum & propheticum veteris testamenti non attulisse Iudæis gratiam sufficientem ad salutem, sed potiùs impedientem.* Et, *Non adfuisse hominibus sub veteri lege viuentibus, auxilium sufficiens seruandi legem, vel vllum præceptum eius: sed potiùs impediens:* ac denique *Nihil aliud fuisse testamentum illud, nisi magnam quandam quasi comœdiam:* vt perspicuum esse certò affirmat eodem lib. 3. cap. 6. Quibus verbis nihil diuinæ gratiæ, & legi veteri, & Deo vtriusque auctori iniuriosius dici potest.

22. Longior essem, si vellem cætera persequi, in quibus doctrina Iansenij pugnat è diametro cum doctrina Augustini. Et hæc plusquam sufficiunt æquo lectori, vt videat quàm longè sit à veritate alienum quod aliqui eius sectatores scribere ausi sunt, *Non esse ouum similius ouo, quàm Augustinum Iprensem Hipponensi.* Adeo vel prauo affectu excæcati, vel in Augustini lectione parum versati sunt, qui & eruditi Theologi videri volunt: & veluti doctrinæ Augustinianæ intelligentissimi, cæteros tanquam eius ignaros despiciunt.

SECTIO III.

Demonstratur Iansenium in modo scribendi longè quoque ab Augustino discrepare.

23. *Quàm longè absit à modestia Augustini in scribendo.*

NEQVE verò minùs distat ab Augustino moribus, & modo scribendi, quàm doctrinâ Iansenius: vt rectè obseruauit illust. Episc. Vaurensis cap. suprà citato. Cùm enim S. ille Doctor moderatissimus sit in expendendis opinionibus à sua discrepantibus, atque in illis referendis fidelissimus, vt videre est toto ferè tomo 6. & 7. & lib. 12. Confess. cap. 31. & in Epistolis ad Hieronymum, super controuersiis inter illos exortis; & in libris de libero arbitrio, & de Ciuit. Dei, aliisque locis. E contrario Iansenius sententias suis aduersas de libero arbitrio, de naturæ lapsæ viribus, de efficacia gratiæ, & concursu voluntatis, déque aliis eiusmodi, quamuis à sanctis Patribus traditas, & à Doctoribus Catholicis totâ Ecclesiâ communiter receptas, acriter insectari solet, veluti de cœno Aristotelicæ Philosophiæ deriuatas, stultas, erroneas, Pelagianas, aut Semipelagianas. *Nugæ, delirium, insania, error, impietas contraria Christianorum sensui, scripturis, & fidei, quòd infidelium sit vlla vera virtus, vel opera sine peccato, iuxta August. & Arausic.* inquit in ipso tit. cap. 17. lib. 4. de statu nat. lapsæ.

Item, cùm Augustinus scriptores Catholicos sui temporis modestissimè tractet, & cum magna veneratione: illos etiam quos habet suæ doctrinæ aduersarios; vt videre est in libris de origine animæ, & in Epistolis ad Hieronym. aliisque locis: è contrario Iansenius asperrimè tractat, & cum magno contemptu, superbóque fastu, non singulos tantùm Doctores, licèt grauissimos, & celeberrimos in scholis, præcipuéque Suarem, Bellarminum, Vasquem, Lessium, Molinam, & alios Societatis Iesu Theologos: verùm etiam vniuersim omnes Christianas Academias, omnésque Doctores Scholasticos, tanquam veræ doctrinæ Augustini, & Ecclesiæ corruptores à quingentis circiter annis, ex quo florere cœperunt: vt videre est in eius libro proœmiali, qui est primus tomi 2. præcipuè cap. 30. ne ipso quidem D. Thomâ excepto, cuius plures quæstiones velut inutiles, & futiles, & otiosè excogitatas irridet cap. 6. eiusdem libri. Nam tametsi non eum nominat; quæstiones tamen, quas reprehendit vt ridiculas, & Philosopho-Scholasticas, fuisse ab illo agitatas norũt omnes, qui Summam eius Theologicam notam habent. Eorumdémque argumentationes vocat per contemptum, depuratas Aristotelicæ Metaphysicæ elíquationes, Philosophicas tricas, & ineptias è classibus Dialecticorum petitas, ibidem cap. 8. periculosas insuper, & nihil cum cognitione caritatis commune habentes, ibidem iuncto cap. 7. & cap. 28. dicit Recentem Theologiam ad humanæ rationis modum, & Philosophiæ Gentilis regulam concinnatam esse: tantóque interuallo ab Augustini Theologia discrepare, vt vel ipse Augustinus (quantum hallucinari in grauissimis rebus potest) hallucinatus sit: vel si Augustinus diuinarum rerum veritatem cùm de aliis multis, tum præcipuè de gratia & prædestinatione contra Pelagianos iuxta Catholicæ Ecclesiæ sensum docuit; Recentiores istos profectò tantùm ab ostio veræ Theologiæ, fide saluâ aberrauisse; vt neque fidem Christianam, (quam animo vt Catholici tenent) neque spem, neque cupiditatem, neque caritatem: neque naturam, neque gratiam: eámque, neque Angelorum, neque hominum; neque stantium, neque lapsorum; neque sufficientem, neque efficacem; neque operantem, neque cooperantem; neque præuenientem, neque subsequentem; neque excitantem, neque adiuuantem: neque virium, neque virtutem: neque opus bonum, neque peccatum: neque originale, neque actuale: neque meritum, neque mercedem eius: neque præmium, neque supplicium creaturæ rationalis: neque beatitudinem, neque

24. *Petulanter carpit Doctores Catholicos.*

miseriam eius: neque timorem, neque amorem Dei: neque iustitiam, neque misericordiam eius: neque denique vetus, neque nouum Testamentum intelligere videantur; sed Babylonicam quandam confusionem, Cimmeriásque quasi tenebras in Theologiæ moralis faciem nimiùm ratiocinationibus indulgendo intulisse. Hucvsque magnus ille Tiresias, solus ætate sua verus Theologus, solus inter Catholicos doctrinæ Augustinianæ intelligens, veræque Theologiæ ab Scholis & Academiis Christianorum toto orbe exulantis restitutor. Hic certè stylus tam arrogans, & superbus aliorum contemptus longissimè abest à moderatione & reuerentia D. Augustini erga alios Doctores Catholicos sui temporis: satísque ostendit quid de homine tam altè de seipso, támque abiectè de aliis sentiente iudicandum sit.

25. *Aliorum sententias mala fide interpretatur.* Præterea, cùm D. Augustinus opiniones Catholicorum, quæ vel tantillum accedunt ad illam, quam ipse veram esse putat, benignè soleat explicare, & inter se omnes conciliare studeat; nec contra vllam præiudicium, aut censuram suam adhibeat, dummodo fides Catholica salua consistat: Ex aduerso Iansenius Theologorum doctrinam à sua dissidentem, contra ipsorum mentem, ad Pelagianorum aut Semipelagianorum errores detorquet: & sententias, quas impugnat, vtrisque fingit esse communes, vt illudat simplicioribus & ignaris, atque in istis Theologis nihil aliud insectari & damnare videatur, nisi id quod in hæreticis illis prædamnauit Augustinus: ad quem etiam finem, Pelagianorum, & Semipelagianorum errores mala fide refert, non ex certis veterum testimoniis acceptos, sed ex suo cerebro recèns confictos. Et quamuis Sedes Apostolica suum adhuc iudicium suspensum teneat in controuersia de gratia, iam ab aliquo tempore inter Doctores Catholicos agitari cœpta, alióśque ab aliis censurâ notari prohibeat: ipse tamen plus audens, & plus sapiens, iudiciúmque supremi tribunalis præueniens, & prohibitionem contemnens, auctores, quorum sententiam improbat, Pelagianæ, aut Semipelagianæ hæresis damnat: siue, vt ipse loquitur, velint nolint cogit esse Pelagianos.

26. *Plurimos etiam SS. Patrum Semipelagianismi insimulat.* Ad hæc, cùm D. Augustin. magna cum honoris significatione referre soleat aliorum Patrum auctoritates: &, si aliquando ab illis dissentiat, cum singulari modestia se ab eorum sensu velut inuitum recedere significet: vt videre est partim lib. 1. & 2. contra Iulianum, & sex libris de Baptismo contra Donatistas: partim etiam in libris de Genesi ad lit. & in eius Epistolis ad Hieronymum: Iste è contrario, siue vt Augustinum supra omnes alios immodicè extollat; siue vt hac astutiâ contra illorum auctoritatem se præmuniat, quos sibi esse aduersarios dissimulare nequit: non solùm affirmat imprudenter & falsò Patres Augustino antiquiores nullum gratiæ vestigium in suis scriptis expressisse: nec vllos de gratia imperfectiùs loquutos esse, quàm Patres Græcos: verùm etiam, quod grauius est, plurimos eorum, ac ferè omnes inter Origenis & Augustini ætatem interiectos, hæresi Semipelagiana fuisse infectos, quam in Oriente ab ipso Origene, quem in scripturarum explicatione sectabantur, traxerunt, præcipuè Græci: vt affirmat tom. 1. l. 7. cap. 17. & persuadere conatur ibidem lib. 6. cap. 13. & sequentibus. Patres autem illi inter Origenem & Augustinum interiecti, fuerunt Cyprianus, Dionysius Alexandr. Zeno Veron. Arnobius, Athanasius, Methodius, Ephrem, Hilarius, Pacianus, Optat. Mileuit. Cyrill. Hierosol. Basilius, Gregorij Thaumaturgus, Nazianzenus & Nyssenus, Epiphanius, Ambrosius, Chrysostomus: quorum plerosque Semipelagianismi insimulat: imitatus Caluinum hac in parte, (vt in plurimis aliis) qui lib. 2. Institut. cap. 2. num. 4. Patrum auctoritatem simili de causa, sic eleuare conatus est: *Caluini exemplum secutus.* *Tametsi Græci, inquit, præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt: Veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic hac in re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat.*

Sic vterque Patres antiquos errori suo aduersos, vult reddere suspectos, & ab Augustino diuidere, quasi doctrina eius de gratia & libero arbitrio, singularis illius fuerit, & noua, aliorúmque anteriorum sensui contraria. 27. Cùm ex opposito D. Augustinus Pelagianam hæresim nouam fuisse affirmet: *Pelagiana Hæresis noua.* & Innocentium in ea damnanda, secutum esse sensum communem antiquorum Scriptorum Catholicorum, & veteris Ecclesiæ: atque ipsemet suam sententiam communi aliorum suffragio, & auctoritate, in materiis etiam cum Pelagio controuersis stabilire soleat: vt videre est præcipuè lib. 1. & 2. contra Iulian. & lib. de Natura & gratia cap. 61. & seqq. & lib. de Bono perseuer. cap. 19. Quàm verò puram eorum doctrinam, & ab omni labe hæreseos remotam esse censuerit, liquet ex eius verbis lib. 2. contra Iulian. cap. 10. vbi post adducta plurimorum sanctorum Patrum testimonia inter ipsum, & Origenem interiectorum, ita concludit aduersus eorum obtrectatorem Iulianum: *Aduersus hanc miserabilem, quam Deus auertat insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, vt fides quoque aduersus te defendatur istorum, sicut contra impios, & Christi professos inimicos etiam ipsum defenditur Euangelium.* Longè igitur ab Augustini iudicio recedit Iansenius, cùm plerosque illorum Patrum, & ferè omnes Augustino antiquiores in contemptum, & suspicionem hæresis Semipelagianæ adducere conatur, & vnius Augustini arbitrio, contra illorum communem consensum, stare se simulat: cui etiam in omnibus acquiescendum esse contendit, eò quòd ipse *vnus sufficiat pro omni materia Theologica.* Quantæ verò temeritatis fuerit Patres illos communiter Semipelagianismi insimulare, quos Ecclesia nunquam tales esse iudicauerit, ac ne quidem suspectos habuerit, æquo lectori arbitrandum relinquo.

SECTIO IV.

Probatur Iansenium iniuriosè tractasse, maláque fide exposuisse D. Augustinum.

NON poterat iniquiùs Augustinum tractare Iansenius, quàm Lutheri, & Caluini 28.

Errores Lutheri & Caluini tribuit Augustino. hæreses circa gratiam & liberum arbitrium illi adscribendo: neque peiori fide exponere, quàm in sensus peruersos ab hæreticis illis datos eum trahendo, reiectâ verâ expositione, ab ipsomet Augustino aliis locis traditâ, & à Doctoribus Catholicis communiter receptâ. Hoc autem fecisse Iansenium, & pro doctrina Augustiniana Lutheranos errores & Caluinianos obtrusisse, Sole clarius est, vt in sequentibus tractatibus fusiùs demonstrabimus, & nunc productis aliquot exemplis ostendemus.

29. *Vt errorem de amissa libertate indifferentia.* Primùm igitur, solemnis & capitalis hæresis est Lutheri, in libro de seruo arbit. & Caluini lib. 2. Institut. c. 2. & in libris contra Pithium, Homines per peccatum Adami spoliatos esse libertate arbitrij, circa bonum & malum: neque quicquam boni agere, nisi gratiæ necessitantis auxilio præueniantur: quotiescunque autem malè operantur & peccant, ad hoc necessitari pondere concupiscentiæ, seu naturæ corruptæ: ad quod probandum plurimis Augustini testimoniis abutuntur. Eundem errorem tribuit Augustino Iansenius, iisdémque testimoniis abutitur, vt persuadeat ipsum ita sensisse, certóque, & secundùm fidem Catholicam, ita tenendum esse; & contrarium ad errores Pelagij pertinere; imò totius hæresis Pelagianæ basim, & nidum, & fontem esse: vt videre est libro 3. de statu naturæ lapsæ cap. 2. & seqq. & lib. 4. cap. 18. & lib. 2. de gratia Christi Saluatoris c. 4. & 5. & toto ferè lib. 6. 7. & 8. eiusdem tituli. Damnatus autem fuerat hic error à Trident. Sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5. & in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium, proposit. 38. 62. & 63.

30. *Et omnia opera infidelium esse peccata.* Secundò, docent Lutherus in caput 4. Epist. ad Galat. & Caluinus lib. 3. Institut. cap. 14. num. 3. & in Antidoto Sess. 6. ad can. 7. Omnia opera infidelium esse peccata: & quæcunque sine fide diuina fiunt, esse mala, vitiosa, culpabilia, & maledicto obnoxia. Idem doceri ab Augustino contendit Iansenius toto lib. 4. de statu naturæ lapsæ, iisdémque testimoniis vtitur, quibus Lutherus & Caluinus. Speciatim verò cap. 27. eius auctoritate stabilire conatur hanc propositionem, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Quæ propositio iam antea damnata fuerat sub iisdem terminis à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra Baium.

31. *Et gratiam necessitare voluntatem.* Tertiò, sententia Lutheri est, lib. de seruo arbit. & in caput 2. Genes. & Caluini lib. 2. Institut. cap. 2. num. 10. & cap. 3. num. 10. & in Antidoto Sess. 6. sub initium, Gratiam ita mouere voluntatem, vt illi resisti non possit, sed voluntas necessariò motum illius sequatur. Qui error damnatur à Trid. Sess. 6. c. 5. & can. 4. & à Senonensi, in decreto fidei 15. illum tamen Augustino tribuit Iansenius, & pluribus eius testimoniis stabilire conatur lib. 2. de gratia Christi Saluat. cap. 4. & deinceps: iisdem scilicet quibus antea Lutherus, & Caluinus, eorúmque sectatores ad eundem errorem persuadendum vsi fuerant.

32. *Et non dari gratiam sufficientem.* Quartò, affirmat Caluinus lib. 2. Institut. cap. 2. num. 6. & cap. 3. num. 10. non dari omnibus gratiam saltem sufficientem: imò nullam esse purè sufficientem, sed omnem veram Christi gratiam semper ac necessariò effectum obtinere: vt addit in Antidot. Trident. ad Sess. 6. Eundem errorem scripturæ diuinæ manifestè contrarium tribuit Augustino Iansenius toto ferè lib. 3. de gratia Christi Saluat. vbi etiam c. 7. & 8. affirmat hominibus sub lege viuentibus non adfuisse gratiam sufficientem seruandi legem, aut vllum præceptum eius: & statum veteris Testamenti, figuratiuum, & propheticum, non attulisse Iudæis gratiam sufficientem, sed potiùs impedientem.

Quintò, pronunciant Lutherus in confutatione rationum Latom. & Caluinus lib. 2. Institut. cap. 7. Præcepta Dei esse impossibilia. Idem pronunciat, & Augustino tribuit Iansenius lib. 3. de gratia Christi cap. 13. & sequentibus. Quæ blasphemia damnatur à Trid. Sess. 6. cap. 11. & in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. proscribitur hæc eius propositio, *Diffinitiua hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.* 33. *Et præcepta Dei esse impossibilia.*

Sextò, docet Caluinus in Antidoto ad Sess. 6. can. 15. Dei iudicio nihil esse sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto eius amore manat: Vnde attritio ex metu gehennæ concepta, vitiosa est; vt ait Lutherus in assertione articulorum suorum contra Bullam Leonis X. assert. 6. Idémque dicendum de quocunque actu concepto ex alio motiuo, quàm ipsius caritatis erga Deum. Eundem errorem damnatum à Trident. Sess. 14. c. 4. & can. 5. & à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra Baium, tribuit Augustino, abutens eius testimoniis Iansenius, lib. 5. de gratia Christi Saluat. cap. 3. & plurimis sequentibus: affirmans virtutem, iuxta doctrinam Augustini, non esse aliud, nisi amorem Dei; & quidem amorem caritatis, quo amatur propter se: nam amorem concupiscentiæ erga Deum, quo amatur tanquam bonum nostrum, vitiosum esse dicit cap. 9. & 10. eiusdem libri. 34. *Et malum esse quicquid non fit ex caritate.*

Septimò, docent Lutherus in libro de seruo arbit. & Caluinus lib. 2. Institut. cap. 2. num. 7. & 8. & in Antidoto Trident. Sess. 6. can. 5. Libertatem arbitrij naturæ lapsæ, in eo solùm consistere, quòd voluntariè volumus, & non coactè, coactione propriè dicta, quæ in voluntatem cadere non potest; cùm sit euidenter impossibile, vt velit non volendo: ac proinde nos velle liberè, tametsi necessariò volumus: solámque violentiam repugnare libertati, qualis nunc est. Eundem errorem tribuit Augustino Iansenius toto lib. 6. de gratia Christi, iisdémque testimoniis confirmat, quæ Lutherus & Caluinus, aliíque sectarij in hunc sensum intellexerunt. Damnatur autem error iste à Trident. Sess. 6. cap. 4. & can. 5. & in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. quâ proscribuntur hæ propositiones, 38. *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit.* Et 62. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et 63. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* 35. *Et solam violentiam repugnare libertati.*

Octauò denique, vt alia præteream, docet Caluinus lib. 3. Institut. cap. 24. num. 16. & in 1. ad Timoth. cap. 2. circa illa verba: *Vult omnes homines saluos fieri, &c.* Deum non velle vt omnes saluentur: sed verò plurimis viam salutis præcludere, illis scilicet omnibus, qui reipsa damnantur: quos in massâ perditionis reliquit, 36. *Et Deum non velle omnes homines saluos fieri.*

& positiuè reprobauit pro mero suo arbitrio, vt addit Caluinus cap. 22. & 23. libri cit. Eundem errorem tribuit Augustino Iansenius lib. 3. de gratia Christi cap. 20. & 21. & lib. 9. & 10. passim: addens citato capite 21. velut doctrinam Augustini, *Christum non pro totius mundi redemptione crucifixum & mortuum esse; sed tantùm pro iis qui saluantur*. Et paulò pòst, *Christus*, inquit, *pro infidelium in infidelitate morientium, aut iustorum non perseuerantium salute, mortuus non est, nec sanguinem fudit, nec semetipsum redemptionem dedit, nec patrem orauit. Imò non magis pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli, deprecatus est.* Similia, sed minùs horribiliter, scripserat Caluinus in caput 17. Ioan. dicens Christum proprij gregis solummodo sollicitum, pro electis suis dumtaxat orasse.

37. *Augustinus bene sensit de libertate indifferentia.* Itáne verò, si quid alicubi duriùs vel obscuriùs scripsit Augustinus, quod prædictis erroribus fauere videatur, erat in sensus erroneos interpretandum, hæreticorum exemplo: ac non potiùs benignè accipiendum, exponendúmque in sensum à Doctoribus Catholicis communiter receptum, atque ab ipsomet Augustino traditum aliis locis, vbi clariùs mentem suam exprimit, communíque Theologorum & Ecclesiæ sensui consentit? Ex. gr. Docere quidem videtur cap. 30. Enchirid. Adamum peccando liberum arbitrium perdidisse: sed lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. apertè significat perdidisse non quoad substantiam, sed quoad statum accidentalem, secundùm quem expeditum erat ad omne opus bonum, per vires gratiæ quas habebat in statu innocentiæ, & beneficio integritatis naturæ immunis ab omni rebellione partis sensitiuæ, & motibus inordinatis concupiscentiæ. *Quis nostrûm dicat*, inquit, *quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium? Libertas quidē periit per peccatum: sed illa quæ in paradiso fuerat habendi plenam cum immortalitate iustitiam*, &c. Idque subindicauit Augustinus loco cit. Enchirid. cùm dixit: *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum.* Neque enim peccando seipsum perdidit quoad substantiam, sed quoad statum integritatis & innocentiæ. Et multis aliis locis perspicuè docet, libertatem indifferentiæ in nobis remanere, per eámque nos peccare culpabiliter, aut bene agere: gratiæque resistere, vel consentire: vt lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. & lib. de duabus animabus cap. 11. & lib. 83. quæst. q. 24. & lib. 12. de Ciuit. cap. 6. & lib. de Spiritu & lit. contra Pelagianos scripto, cap. 14. & lib. de Nuptiis & Concupisc. contra eosdem, cap. 3. quæ loca non debuerunt à Iansenio dissimulari, vel ineptè eludi.

38. *Quo sensu dicat omnia opera infidelium esse peccata.* Similiter, docere videtur Augustinus pluribus locis, nullum opus bonum fieri, nisi ex fide: ideóque omnia opera infidelium esse peccata, tract. 86. in Ioan. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 3. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & in Psalmum 31. vbi sic ait: *Nemo computet opera sua bona ante fidem. Vbi enim fides non erat, bonum opus non erat.* Sed alibi significat se loqui de operibus quæ fiunt ab infidelibus vt talibus, id est, infideli & *stulta, noxiáque voluntate*, vt ait lib. 4. contra Iulian. cap. 3. vel quòd rarò, & vix opus omni ex parte bonum exerceant: vt affirmat lib. de Spiritu & lit. cap. 27. & 28. vel quòd non sint bona eo genere bonitatis & perfectionis, vt valeant ad vitam æternam; quemadmodum exponit lib. 2. contra Iulian. cap. 3. *Scito nos illud tantùm dicere bonum hominis*, inquit, *illam bonam voluntatem, illud opus bonum, sine gratia Dei à nemine posse fieri, per quod solum potest homo ad æternum Dei donum regnúmque peruenire.*

Præterea, licèt interdum dicat Augustinus gratiam datam electis in regnum Dei, & perseuerantibus, mouere ad consensum infallibiliter, inuincibiliter, ineuitabiliter: vt lib. de Corrept. & grat. cap. 11. & 12. quem locum centies & ampliùs vrget Iansenius, ad probandum gratiam medicinalem, id est, quæ datur in hoc statu naturæ lapsæ, necessitare antecedenter & vi sua, voluntatem ad consensum: Idem tamen alibi significat id esse intelligendum de necessitate consequente tantùm, ex hypothesi euentus futuri, & à Deo præsciti: vt videre est libro de Prædest. Sanct. cap. 6. vbi quod alibi dixerat, donum perseuerantiæ esse tale, vt contumaciter amitti non possit; per illúdque fieri vt non modò perseuerare possint illi, quibus datur; verùm etiam vt non nisi perseuerantes sint: dicit esse intelligendum, non vt volebant qui mentem eius, æquè ac Iansenius, malè intellexerant, de virtute & efficacia illius doni antecedēter necessitante: sed tantùm de consequenti necessitate, ex suppositione actualis perseuerantiæ, cum quâ non potest coniungi non-perseuerantia: neque enim fieri potest vt quisquam simul perseueret, & non perseueret. 39. *Et gratiam operari infallibiliter.*

Eodem prorsus modo res se habet in cæteris capitibus suprà commemoratis, & Augustino malè intellecto, vel malâ fide explicato, adscriptis ab aduersario: vt ostendemus suis locis. Qui certè grauem infert iniuriam tam eximio Doctori, omnibúsque Catholicis, quando vel dissimulatis, vel fraudulenter elusis iis locis, in quibus seipsum clariùs exponit, & cum doctrina Catholica apprimè consentit: alia in speciem fauentia hæreticis, omnem in partem versat, & vsque ad nauseam inculcat, vt errores iampridem ab Ecclesia damnatos illi impingat: neque vllam distinctionem, modificationem, aut interpretationem, licèt ex verbis ipsis Augustini acceptam, & ab omnibus Catholicis receptam, vult admittere, sed ad omnia, suis anticipatis sententiis aduersa, penitùs obsurdescit. 40. *Iansenius Augustino iniuriosus, & fauorabilior Hæreticis.*

Simili planè artificio vtuntur Caluinus, & alij huius temporis hæretici, quando Augustinum suas in partes trahunt. Et verendum est ne si aduersarius de reali præsentia corporis Christi sub speciebus Eucharisticis disputasset, idem cum Caluino sensisset: cùm tam multa ab illo, aliísque Sacramentariis proferantur eius testimonia, primâ fronte aduersa veritati Catholicæ, hæresíque fauentia: longè verò pauciora sint, quibus eandem veritatem adstruxit, & priora loca in sensum Catholicum interpretari docuit. Verùm, sicut nemo verè Catholicus hoc Caluini artificio à recta fide de reali Christi præsentia in Eucharistia, dimoueri se patitur; ita neque par Iansenij fraus quemquam mouere debet, vt relictis veritatibus Theologicis, toto orbe Catholico antea receptis, & plerisque fide diuina certis, proscriptas Baij 41. *Caluinum imitatur in illo exponendo.*

sententias, & Caluini errores pro doctrina D. Augustini, ipsiúsque Ecclesiæ recipiat.

42. *Augustinum sibi ipsi contrarium facit.* Non leuem quoque iniuriam faciunt Augustino Iansenius & eius sectatores, cùm tam frequenter sanctum illum Doctorem sibimetipsi contrarium esse fingunt. Quotiescunque enim vrgentur euidentibus illius testimoniis, quæ nullo artificio obscurare, vel eludere possunt: respondent Augustinum ita quidem sensisse cùm aduersus Manichæos scriberet: sed postea doctiorem factum exorta hæresi Pelagianorum, sententiam mutasse, & in libris aduersus eos scriptis docuisse contrarium. Quasi verò credibile sit tantum Doctorem, tam frequenter malè sibi constare: & non potiùs conciliari debeant, trahíque in sensum meliorem, quoad fieri potest, si quæ specie tenus pugnantia scripsisse videtur. Id certè venerario illi debita postulat. Quare, vt rectè ait Fuliensis in præfatione Defens. August. sicut ea, quæ afferuntur pro indifferentia libertatis, ex libris quos Augustinus contra Manichæos edidit, ita intelligenda sunt, vt non officiant iis, quæ posteà pro gratia diuina, contra Pelagianos docuit: ita vice versa, quæ posteriùs scripsit de gratia, debent sic exponi, vt cum humana libertate cohæreant. Eò quòd non minùs ex fide certum est libertatem à gratia non destrui; quàm gratiam à libertate non excludi: alioqui enim Augustinus agens contra Pelagianos, nunquam retractat quod aliàs de indifferentia libertatis scripserat: imò non rarò eam cum gratia conciliat. Quò fit vt minimè audiendus sit Iprensis, cùm quicquid affertur ex Augustino pro libertate ad vtrumlibet, putat se eludere, ad posteriora illius scripta prouocãdo: quasi Augustinus gratiam non modò necessariam, sed etiam necessitantem contra Pelagianos asseruisset: quod sanè falsissimum est.

43. *Iansenij contradictio.* Estque hîc notanda obiter insignis contradictio Iansenij: qui modò affirmat in lib. procem. August. Doctorem esse irrefragabilem, cui altissima Theologia mox ab ipso baptismo cælitùs fuerit immissa: Alibi verò & frequenter asserit illum, quæ in prioribus libris, præsertim contra Manichæos scripserat, retractasse in posterioribus, contra Pelagianos. Sed non est infrequens huic auctori sibimetipsi contradicere, vt in sequentibus disputationibus sæpius ostendemus. Et tantùm abest vt Augustinus retractarit quæ pro libertate arbitrij scripserat contra Manichæos, vt potiùs eandem doctrinam postremis suis scriptis confirmauerit, & contra obiectiones Pelagianorum defenderit: vt videre est in libris contra Iulianum, & aliis locis alibi referendis.

SECTIO V.

Refutantur vulgaria quædam de Iansenio præiudicia.

44. QVATVOR sunt quæ doctrinæ Iansenij apud incautos, & minùs eruditos, auctoritatem conciliare solent. Probitas vitæ, dignitas Episcopalis, peritia scriptorum Diui Augustini, diuturnâ eius lectione comparata; quódque se nihil aliud facere profiteatur, nisi doctrinam Augustini referre, illiúsque sensum iisdem penè verbis exprimere: ita vt totum opus suum de gratia & libero arbitrio, ipsius testimoniis contexere videatur.

Sed de vitæ probitate, iam diximus sect. 1. complures Hæresiarchas & errorum satores eam vel habuisse, vel præ se tulisse, & eius specie homines decepisse: vt Dositheum, Hieroclem, Audeum, Massalianos, Eudoxum, Acatium, Vitalium, Eunomium, Pelagium, Massilienses Semipelagianos, præcipuè Cassianum, Eutychetem, Nestorium, & plerosque alios. Quòd si, iuxta Christi monitum, ex fructibus de arbore iudicium ferendum est; multóque notius nobis est quod ipsi experimur & vsurpamus oculis, quàm quod aliorum relatione audimus: probitatem illam morum tantam fuisse, quantam prædicant eius Encomiastæ, vix sibi persuadere poterit, qui oculos coniecerit in hoc idem illius opus, quod examinandum suscepimus. Vt enim diximus ibidem, & nunc breuiter repetere necessarium est, atroces illæ iniuriæ contra scriptores Catholicos sibi aduersantes, & frequentes imposturæ, ac dissimulationes veritatis, & superbus aliorum contemptus, ipsius etiam Sedis Apostolicæ, cuius censuras & iudicium eludit; & capitale odium aduersus Patres Societatis IESV, & audacia in damnandis Pelagianismi, non Theologis solùm vniuersis, sed ipsis etiam Patribus & scriptoribus Catholicis, qui inter Origenem & Augustinum interiecti fuerunt: hæc, inquam, & similia vitia, quæ in eius opere manifesta apparent & frequentia, sufficiens præbent fundamentum iudicandi, non adeò religiosum fuisse eius animum, atque ipsi nobis persuadere conantur. Certè, si verum est quod ipse affirmat lib. 5. de gratia Christi cap. 3. & seqq. virtutem nullam esse, nisi caritatem: neque vllum opus bonum esse, nisi fiat ex amore caritatis: ea, quæ nunc de illo commemorauimus, longè absunt à caritate, quæ vt ait Apostolus 1. Cor. 13. *patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Quid ergo de illius probitate, vel de ipso iudice sentiendum est? 45. *Primum præiudicium, probitas vitæ, meritò suspecta.*

Sed neque dignitas Episcopalis, quam biennio ante mortem adeptus est, debet eius erroribus auctoritatem addere: cùm ex historiis Ecclesiasticis, recentíque experientia notum sit, complures alios Episcopos vel hæresum & schismatum auctores extitisse, vel satores & fautores præcipuos. Nam Episcopus erat Nouatus auctor Nouatianorum: & Meletius, à quo Meletiani dicti sunt: & Macedonius, à quo Macedoniani: & Eusebius Cæsariensis, altérque eiusdem nominis Nicomediensis Episcopus, & Vrsacius, & Valens præcipui Arij sectatores & fautores: & Donatus pater Donatistarum: & Iulianus Pelagij defensor eximius: & Nestorius princeps Nestorianorum: & Ioannes Antiochenus, Pelagianorum, & Nestorianorum patronus: & Photius schismatis Ecclesiæ Orientalis auctor præcipuus. Plurimos etiam Episcopos à fide Catholicâ ad Nouatianos, Macedonianos, Arianos, Donatistas, Pelagianos, Nestorianos, Iconomachos, & alia- 46. *Secundum, dignitas Episcopalis non excusat illum ab errore.*

rum sectarum hæreticos olim defecisse; sæculóque præterito non paucos in Anglia, Scotia, Germania, Transyluania, Gallia, aliisque locis, Lutheri & Caluini partes sequutos esse, notissimum est. Et nunc etiam Angli, & Græci omnes Episcopi, hæretici & schismatici sunt. Recénsque est adhuc memoria Marci Antonij de Dominis, Archiepiscopi Spalatensis, cuius, in carcere propter hæresim Lutheranam, ad quam iterum deficere meditabatur, detenti, & mortui cadauer, cum impiis libris ab eo scriptis, Romæ in Campo Floræ, manu carnificis combustum fuit anno 1624. vt refert Henricus Spondanus Apamiensis Episcopus, ad eundem annum, tomo postremo continuationis annal. Eccles.

47. Lib. 7. de hæresi Pelagiana c. 17. Affirmat etiam, sed non verè, Iansenius, plerosque, & ferè omnes scriptores Ecclesiasticos inter Origenem & Augustinum, ac præcipuè Græcos, Semipelagiana hæresi fuisse infectos: quorum tamen plerique fuerunt Episcopi. Additque Theologos à multis iam sæculis in multos errores contra doctrinam Augustini, & Ecclesiæ lapsos esse: inter quos tamen non pauci fuerunt Episcopi, & Cardinales, quidam etiam Summi Pontifices, vt Innocentius V. & Adrianus VI. Speciatim verò Cardinalem Bellarminum non minùs eruditione, quàm dignitate eminentissimum, sæpius insectatur velut doctrinæ D. Augustini ignarum, & Pelagianorum obiectiones ab Augustino relatas, pro Augustini verbis arripientem, iisque sua dogmata falsa scilicet, & Pelagiana munire conantem: necnon errores Augustini pristinos, vt ipse loquitur, vel qui eius sensa refert in indice tomi 3. ab ipsomet Augustino emendato refutatos, pro genuina Augustini doctrina vsurpantem, vt hac ratione Augustinum in suas partes quouis modo attrahat. Hæc ille, & similia, quibus vix quicquam grauius scripserunt contra Bellarminum hæretici.

(Lib. proœmiali aliisque locis.)

48. *Tertium, assidua lectio scriptorum Augustini.* Sed neque etiam eius erroribus patrocinari debet quod sæpius ait se viginti & duobus annis in operibus Diui Augustini volutandis versatum esse, assiduáque lectione, & attentâ meditatione, veram eius intelligentiam conatum esse assequi. Nam id non minùs de seipso profitebatur Caluinus. *Vtinam,* inquit lib. 5. de libero arbitrio contra Pighium pag. 199. edit. 3. Geneuensis, *tanta & attentione & diligentia versatus in scripturis Pighius foret, támque familiariter notum haberet earum sensum: quàm & diligenter legisse me Augustinum, & familiariter cognitam habere eius mentem iactare mihi liceat.* Quæ Caluini iactantia causa fuit cur Franciscus Horant. lib. 1. cap. 32. Caluinum ita perstrinxerit: *Magnopere miror hominem, qui tot annos in vno perlustrando, penitùsque excutiendo Augustino ætatem, consumpserit, in ipsis argumentis operum Augustini recensendis tam inconsideratè lapsum esse.* Eandem laudem Luthero tribuit Philippus Melanchthon in Declamat. de S. August. vbi eum doctrinæ Augustinianæ peritissimum fuisse affirmat, & veram eius intelligentiam in Scholam Wittembergensem induxisse. Et in Apologia Lutheri aduersus Sorbonicos pag. 204. & 205. cum vehementer laudat, quòd doctrinam Augustini multis antè sæculis neglectam, ac velut obliuione sepultam, in lucem reuocauerit, suóque splendori restituerit. Et denique Westphalus non minùs ambitiosè idem sibi arrogabat, vt testatur Caluinus in vltima admonitione, quam ad illum scripsit, vbi de illo sic loquitur. *Certè imperiti, vel minùs cauti lectores putarent eum non modò memoriter tenere quidquid scripsit Augustinus; sed longo, & familiari vsu propemodum imbibisse eius mentem, omnésque reconditos sensus. Nam contemptim pronuntiat, plerosque nostrûm vel nunquam vidisse libros Augustini, vel leuiter tantùm, vel à longè, vt ipse dicit, inspexisse, &c. Quis indoctum putare ausit, cui tota Theologia Augustini non secus nota est, ac proprij vngues?* Sicut igitur hæreticis istis nihil prodest ad fidem suis hæresibus conciliandam, quòd notitiam veri sensus D. Augustini, attentâ & diuturnâ eius lectione assecutos se esse iactitent: sic neque Iansenio patrocinari debet similis iactantia, qui in sensus hæreticos, à Luthero, & Caluino, eorúmque sectariis mutuatos solet vbique verba Augustini detorquere.

(*De eâdem gloriantur Hæretici.*)

Neque magis prodesse illi debet quòd profiteatur se nihil aliud, quàm sententias Augustini exprimere, & ipsius ore loqui, nec nisi ex eius testimoniis opus suum contexere. Nam Caluinus idem de se profitebatur sæpius: Vt in libro de æterna Dei prædest. pag. 693. vbi sic habet: *Augustinus ipse adeò totus noster est; vt si mihi confessio scribenda sit, ex eius scriptis contextam proferre abundè mihi sufficiat.* Et lib. 2. Institut. cap. 3. num. 5. *Hinc agnoscant lectores,* inquit, *nihil me afferre, quàm quod olim ex piorum omnium consensu prodidit Augustinus.* Et lib. 3. de libero arbitrio contra Pighium pag. 170. *Nunc verò,* inquit, *hoc quoque à me quasi auctarium fortassis requirent aliqui, vt quod gloriatus sum de Augustino, illum prorsus nostrum esse, nunc pleniùs & pluribus testimoniis confirmem. Qua in re præstandâ, non tam difficultate, quàm prolixitate impedior. Nam si omnia colligere instituam, quæ factura sunt ad sententiæ nostræ confirmationem si adducerentur; longum ex iis volumen mihi texendum foret: & toti etiam ferè libri interdum inserendi.* 49. *Quartum, profitetur se Augustinum planè sequi. Id quoque profitentur Hæretici*

Simili modo Lutherus Augustinum totum suum esse iactat in libro de seruo arbit. vbi Erasmo exprobranti quòd Wicleffum, aut Laurentium Vallam suffragatores solùm haberet; sic respondet: *Augustinus, quem præteris, totus noster est.* Et Philippus Melanchthon in apologia suprà citata, *An non,* inquit, *Lutheri de libero arbitrio, & gratia (si rectè rem æstimes) sententia tota Augustini est? Hunc per omnia secutus est in commentario ad Galatas. Extant vtriusque commentarij, quos si conferas, videbis inter eos conuenire de rerum summa. Extant Augustini libri aduersus Pelagianos, quos ille iam natu grandior scripsit: eos si contuleris cum Lutheranis dogmatis, videbis de summa rei conuenire. Fortassis alter alicubi quiddam dixit argutius: sed multa Lutherus diligentiùs (rumpite vos interim Magistri nostri) quàm Augustinus. Ecce in primario loco, adeóque in eo, in quo potissimùm regnat Lutherus, habet ὁμόψηφον Augustinum, & patronum minimè vulgarem.* 50.

Concludo igitur popularia ista de Iansenio præiudicia nullius momenti esse debere apud eos, qui vel eius dogmata falsa impugnant, vel de 51.

de illis sincerè iudicant. Quod si vnum à lectore impetrauero, spero fore, Deo iuuante, vt ex sequentibus disputationibus intelligat quàm sit à veritate, communíque fidelium sensu, & rectâ fide aliena doctrina, quam pro Augustiniana & Catholica importunè obtrudit.

SECTIO VI.

Notantur aliqua de initiis & progressu factionis Iansenianæ.

52. *Ortus & progressus Iansenismi. Lutheran. similis.* PRIVS verò non erit abs re notare quibus initiis, quóve progressu Ianseniana factio in Ecclesiæ pacem, fideiq; concordiam grassata sit. Nam si præteritorum temporum memoriam repetamus, videbimus eam planè similibus initiis, & progressibus Ecclesiam turbare cœpisse, animósque Catholicorum in contrarias partes diuidere, quibus Lutherus, & Caluinus Christianam rempublicam labefactare aggressi sunt: vt proinde similes exitus ab ista noua secta iure timeri possint, nisi fortiter comprimatur, & in cunabulis penitus extinguatur.

53. *Vterque cœpit à contemptu Scholasticorum, & disputat de libero arbitrio, & de gratia.* Nam vt refert auctor grauis, & aduersariis minimè suspectus Henricus Spondanus Apamiarum Episcopus tomo 3. Continuationis Annalium Ecclesiast. ad annum Christi 1517. num. 3. Hæresis Lutheranæ initium hoc fuit. Cùm Lutherus à multo tempore fastidire cœpisset, atq; etiam palam traducere Doctores Scholasticæ Theologiæ, primùm quidem vt rudes & incultos; deinde vt Euangelij per Sophisticam Philosophiam corruptores: anno demum 1516. contra illos disputare cœpit de libero arbit. tum de gratia, & de bonis operibus. Iisdem planè initiis exorsus est Iansenius in eo libro, qui factioni nouorum Dogmatistarum principium dedit: in quo postquam de Hæresi Pelagiana & Semipelagiana disseruit; suam ipsius doctrinam orditur à contemptu, & conuitiis Doctorum Scholasticorum, quos æquè ac Lutherus, corrupisse affirmat doctrinam Euangelicam per Sophisticam Philosophiam, vt videre est in libro eius proœmiali c. 3. & pluribus sequentibus: deindéque de libero arbitrio, & de gratia disputare aggreditur, communémque doctrinam & orthodoxam Pelagianismi infamare.

54. *Vterque ficte se submittit iudicio Sedis Apostolicæ.* Secundò, addit Spondanus ad annum Christi 1518. num. 3. Lutherum scriptis Doctorum Catholicorum fortiter exagitatum, præcipuè verò Ioannis Eckij, & Siluestri Prieratis, thesium suarum, quæ refutandi materiam dederant, Resolutiones (vt vocauit) edidisse: in quarum præfatione ad Leonem Pontificem, tantam prætetulit animi demissionem, vt nihil ab eo, nisi summam obedientiam deinceps expectandam significaret: quippe theses non asserendi, sed tantùm disputandi animo in publicum emisisse: iámque earumdem declarationem, aduersariorum calumniis cōpulsum edere, offerréque sese pedibus eius. Viuificaret, occideret: vocaret, reuocaret: approbaret, reprobaret, vt ipsi videretur: vocem eius, vocem Christi in ipso præsidentis, & loquentis se agniturum: si mortem meruisset, mori non recusare. Hæc ipse: verùm, vt addit Spondanus, sic eo fine loquens, vt sibi gratiam apud omnes, odium verò aduersariis conflaret: atque etiam, sine dubio, vt simplices & incautos deciperet.

55. Simile quid præstitit, sed non cum tanta animi demissione verâ, vel fictâ, non Iansenius ipse, cui per mortem non licuit errorum suorum refutationes videre: sed nouus alius Dogmatistes, Iansenij sectator, & Encomiastes, quem nominare superfluum esset, cùm turbæ in Gallia per ipsum excitatæ circa frequentem communionem, sat vnicuique notum fecerint. Quid enim aliud est confessio fidei, & submissio scriptorum suorum iudicio Sedis Apostolicæ, atque Apologia eorumdem ab ipso paulò pòst edita, nisi mera errorum dissimulatio, & frigida subdoláque excusatio: vt iam à nōnullis sapienter animaduersum, & scripto proditum fuit, publicéque vulgatum?

56. *Vterque agit calumniis in sibi aduersantes.* Tertiò, mos (inquit Spondanus ad annum 1519. num. 7.) Luthero fuit, æquè ac aliis hæresiarchis, vt quos veritate non posset, eos conuitiis, scommatibus, ludibriis calumniis obrueret: illos præcipuè, qui pro veritate contra ipsum scriptis, aut concionibus pugnarent: ac ne ipsis quidem Vniuersitatibus celeberrimis pepercerit, ipsius errores damnantibus: vt Parisiensi, Coloniensi, & Louaniensi. Quarum prima cùm quatuor & centum propositiones Lutheri (inter quas pleræque sunt Iansenij, & aliorum nouorum Dogmatistarum) publico scripto condemnasset: in eam edito valde mordaci libello, adeò debacchatus est, vt viros eruditione & pietate conspicuos non aliter habuerit, ac si capita sine cerebro, adeóque truncis stupidiores essent.

57. Quid autem Iansenius, & alij noui Dogmatistæ, eorúmque fautores? Quæ non conuitia iactant? Quibus non calumniis Christiano pectore indignis obruere conantur errorum suorum aduersarios, & in primis Societatem Iesu, quam sibi forti & constanti animo obsistere experiuntur? Hinc illa plaustra conuitiorum, & calumniarum, quæ tum in toto Iansenij Opere, tum in *Veritatibus*, seu veriùs, mendaciis *Academicis*, & in Codice Aureliano, Moralíque Theologia, non Iesuitarum, sed Epicureorum, aut Atheorum contra illos inuexerunt. Sed eos satis súperque solatur illa Christi Ducis, & Saluatoris nostri sententia, *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et illis gloriosum est neminem Ecclesiæ, fideíque Catholicæ bellum indicere hoc tempore, qui non simul infensum ipsis & aduersarium se profiteatur. Scimus etiam non minùs verè quàm sapienter à Beato Cypriano scriptum fuisse epist. 52. ad Antonianum, *Hoc esse opus semper Diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet: vt qui conscientiæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.*

58. *Subterfugiunt iudicium Sedis Apostolicæ.* Quartò, Lutherus (inquit auctor suprà nominatus, ad annum Christi 1518. num. 4.) iudicium Sedis Apostolicæ subterfugit, quoad facere potuit. Et illud quidem noui Dogmatistæ nihilo minùs vitare conantur: neque magis effugient. Veritus autem Lutherus ne tandem ab illa damnaretur, prouocauit à Pontifice ad futurum Concilium, nihilo pluris illud facturus: & Magnatum, præcipuéque Friderici Saxoniæ Ducis auctoritate & potentiâ, se contra illum tueri

conatus est. Tandémque à Sede Apostolica damnatus vt hæreticus, atque proscriptus non ideò furere desiit.

59. Quid autem noui Dogmatistæ, & Iansenij sectatores? Nónne quacunque ratione potuerunt, supremæ Sedis iudicium de nouis suis dogmatibus declinare conati sunt, interposita Magnatum auctoritate? Nónne sentētiam contra Iansenium semel atque iterum latam partim eludere, partim etiam contemnere non verentur, & contra illam apertè loqui, non in priuatis modò colloquiis, sed etiam in concionibus, & scriptis libris? Atque illi quidem à Summo Pontifice ad Concilium non solùm prouocant, vt Lutherus, sed, quod peius est, ipsius Concilij Oecumenici, sacræ, inquam, Synodi Trident. (quam per contemptum intolerabilem *Concilium Scholasticorum* vocant) auctoritatem nihili faciunt, eò quòd suos errores ab illa manifestè prædamnatos esse vident: & adhuc simplicibus persuadere conantur, vel errasse Augustinū, qui de lib. arbitrio, & de gratia, déque plerisq; aliis, idē planè senserit cum Luthero & Caluino: vel potiùs errasse Ecclesiam, quæ in Conc. Trident. Lutherum & Caluinum cum Augustino sentiētes, anathemate perculerit. Quod vt hæreticis pergratum est; sic omnibus verè Catholicis intolerabile planè videtur. Neque desunt inter eos qui affirment non potuisse ab Vrbano VIII. neque posse ab vllo alio damnari doctrinam Iāsenij, cùm sit ipsamet doctrina S. Augustini, à multis Summis Pontificibus, & à Conciliis Carthagin. Mileuit. & Arausic. iam diu approbata, adeóque sit doctrina ipsius Ecclesiæ. Omitto etiam dicere quibus artibus impedire conati sint, ne publicaretur Breue Apostolicum S.D.N. Innocentij X. proscribens velut hæreticam illorum propositionem affirmantem, Petrum & Paulum fuisse duo suprema capita Ecclesiæ, vnum constituentia. Et audiui fuisse qui dicerent non pertinere ad Summum Pontificem, sed ad Concilium generale supradictam propositionem damnare. Quod nihil aliud est, quàm supremi iudicis, & Pastoris vniuersalis Ecclesiæ, iudicio & auctoritati se subtrahere, atque ab illo ad Concilium generale, exemplo Lutheri, prouocare.

60. *Eius auctoritatem impugnant, aut deprimunt.* Quintò, addit idem auctor ad annum 1520. n. 1. Lutherum iam audaciorem factum, & palam rem agere aggressum, cœpisse contra supremam Romani Pontificis auctoritatem, & Ecclesiæ œconomiam disputare, merámque anarchiam introducere. Et, vt paulò antè hit ad annum 1519. num. 5. cùm insolentior euasisset Maximiliani Imperatoris obitu (à cuius zelo erga fidem Catholicam sibi timebat) liberiùs in Sacerdotes & in ministros Pontificios inuectus est, vt contemptibiles populis redderet.

61. Idem planè videre est in nouis Dogmatistis, corúmque fautoribus, qui morte Ludouici XIII. Regis verè Christianissimi (à quo nonnulli eorum ad carcerem damnati fuerant) audaciores facti, auctoritatem Summi Pontificis non occultè impetere cœperunt: ac licèt nihil frequentiùs in ore habeant, quàm zelum tuendæ hierarchiæ Ecclesiasticæ, nihil minùs colunt in animo: sed contra illius caput & fundamentum, hoc est, contra supremum hierarcham Romanum Pontificem manifestè grassantur, supremámque illius potestatem deprimunt quoad possunt, vt illius iurisdictioni se subtrahant: eius primatum, & spiritalem in Ecclesia principatum Monarchicum vel negant, quando plura Ecclesiæ capita ex æquo statuunt (quam propositionem velut hæreticam proscripsit nuper Sedes Apostolica) vt paulò antè diximus: vel primum inter pares duntaxat esse volunt: aut eius primatum solo iure humano introductum dicere non verentur. Quam alteram hæresim per iudices seculares compesci fortiter, & seuerè puniri iubent leges huius regni, si iudices Ecclesiastici suo muneri desint hac in parte; vel, quod peius est, quódque Deus auertat, hæresi aut schismati fauerint: vt videre est apud Fontanon, tom. 4. Ordinat. regum Franciæ, tit. 4. Neque eos pudet toties crambem recoquere, hoc est, sæpius obiecta ab hæreticis contra primatum Summi Pōtificis, quæque ex Marco Antonio de Dominis infami transfuga, præcipuè transcribunt, argumenta obtrudere, quibus tam frequenter, támque abundè & accuratè à Doctoribus Catholicis iampridem satisfactum est, vt nemo nisi voluntariè cæcus vllam ab eis difficultatem pati possit: Assertores autem Pontificiæ dignitatis, non alios dicunt esse quàm Monachos, quos idcirco non solùm auersantur, verùm etiam grauibus insectantur calūniis, & contēptibiles, imò etiā execrabiles reddere conātur.

Sextò, Lutherus & Caluinus profitebantur se nihil aliud, quàm purū Dei verbum proponere, & veteris Ecclesiæ fidem restituere, cuius testem fidelissimum Augustinum esse dicebant: illúmque totum suū esse iactabant: ita vt totam fidei suæ confessionē possent, si vellent, ex verbis illius cōtexere. Atque vt à se amolirentur inuidiā nouæ suę doctrinę, & odium Catholicorū, quod incursuri erant, si doctrinā Ecclesiæ aperto marte impeterent, fingebant sibi cum Theologis solùm Scholasticis certamen esse, quorum malitiā, vel ignorantiā, vera & antiqua doctrina Ecclesiæ multis fœdis erroribus esset corrupta. 62. *Iactant se veterem Ecclesiæ doctrinam, & fidem restituere.*

Simili artificio Iansenius præ se fert hoc vnum à se susceptum esse negotium, vt doctrinam Augustini à pluribus Summis Pontificibus & Conciliis olim approbatam, adeóque fidem antiquæ Ecclesiæ, Scholasticorum Doctorum vitio obscuratam, ac velut in tenebris sepultam, & in multis corruptam erueret, & in lucem proferret defæcatam & puram; eámque verbis ipsis Augustini propositam, contra technas & corruptelas Scholasticorum tueretur. Ad illúmque vnum perpetuò appellat & prouocat, velùti fidei regulam, & in omnibus quæ absolutè affirmat, irrefragabilem, *Patrem Patrum, Doctorum Doctorem, primum post scriptores canonicos, inter omnes verè solidum, subtilem, irrefragabilem, Angelicum, Seraphicum, excellentissimum, & ineffabiliter mirabilem*, vt ait in tit. c. 24. lib. procem. 63.

Septimò, præcipua Lutheri & Caluini arma fuerunt imposturæ, quibus Catholicos, & Ecclesiæ doctrinam infamare studuerunt: & idololatriæ in colendis Sanctorum imaginibus; Manichæismi in prohibendis certis ciborū generibus, diebus abstinentiæ & ieiunij; aut in vetandis sacerdotum cōiugiis; Iudaïsmi in vsurpandis sacris cerimoniis, aliorúmque grauium criminum accusare: multa falsò & perperam circa illa omnia, velut ex eius doctrina referendo. 64. *Impingunt multa Catholicis, vt hæresis eos infament.*

65. Iisdem armis vtuntur Iansenius, eiúsque sectarores & fautores: vt quando, exempli gratia, Semipelagianismi accusant Doctores apprimè Catholicos, eò quòd affirment cum Scriptura, & Conciliis, Tridētino præcipuè, atque vnanimi Patrum consensu, voluntatem hominis à Deo excitatam concurrere liberè cum auxilio gratiæ, posséque illi resistere, & dissentire, si velit: cúmque nemo sit vel mediocriter versatus in historia Pelagianæ hæreseos, qui nesciat Pelagium docuisse, homines solis naturæ viribus credere, sperare, diligere, resistere tentationibus, & alia omnia præstare posse, quibus salutem æternam consequi valeant, neque ad hoc gratiam propriè dictam illis esse necessariam: Semipelagianos verò, ex parte cum illo consentientes, & ex parte dissentientes, affirmasse, posse quidem homines solis naturæ viribus, & sine auxilio gratiæ velle credere, atque etiam credere reipsa, & quærere, petere, & pulsare; quod initium salutis esse dicebant, & à bonis operibus distinguebant, factis deinceps iam concepta fide, ad quæ facienda gratiam Dei necessariam esse fatebantur. Quam illorum sententiam refert Prosper in epist. ad August. præfixâ lib. de prædest. Sanct. & quoad priorem partem, eam damnauit Arausican. II. can. 3. & quatuor sequentibus: sæpiúsque exagitauit Augustinus, eò quòd partem solis naturæ viribus, partem gratiæ Dei tribueret. Iansenius tamen lib. 8. de hæresi Pelag. c. 6. & pluribus sequentibus, & in Parallelis, nota 47. aliísque locis, vt Semipelagianismum imponat Theologis, fingit hanc illorum hæresim de initio salutis, solis naturæ viribus facto, eandem esse cum istorum sententia: quasi verò ipsi simili modo salutem hominis inter ipsius vires naturales, & auxilia gratiæ partiantur: cùm tamen disertè profiteantur, sempérque affirment, neque affectum credendi, neque fidem, neque desiderium opis diuinæ, nec quicquam aliud pertinens ad salutem vitæ æternæ, haberi posse sine auxilio gratiæ: virésque solas naturales ad nihil tale sufficere. Hoccine est Theologum & sincerum Doctorem agere: ac non potiùs impostorem, imitatorémque Caluini?

66. *Insignis fraus Iansenij.* Similiter lib. 3. de gratia Christi Saluat. c. 1. affert in suæ sententiæ confirmationē, obiicítque aduersariis censuram quandam Louan. Academiæ, & alteram Duacensis: dissimulans censuras illas fuisse à Sixto V. Pont. Maximo reprobatas, velut iniustas, & contra sanam doctrinam latas: prohibitúmq; sub pœna excōmunicationis, ne à quoquam deinceps censurâ notarentur propositiones in eis contentæ, iniustéque damnarę. Has nihilominus censuras, velut authenticas, dissimulatâ earum damnatione, tum Iansenius obiicit loco cit. vt illudat ignaris huius rei: tum eius sectatores typis edi curarūt non ita pridem Latino idiomate: atque vt mulierculis etiam innotescerent, vnus alius eiusdem sectæ, Ordinis religiosi desertor, nouorúmque dogmatū buccinator, ac tandem infamis ad hæreticos transfuga, Gallica lingua donatas, suísque notis illustratas cœperat Montalbani excudere, per typographum hæreticum: & perfecisset, nisi amplissimi Senatus Tolosani auctoritas interuenisset.

67. *Eiusdem impostura.* Simile est quod Iāsenius Suari, Lessio, Vasqui, Molinæ, & Bellarmino sæpius exprobrat, quòd Pelagianas obiectiones apud Augustinum pro ipsius doctrina acceperint: ad confirmāda scilicet sua dogmata Pelagianis conformia, atq; hoc tam frequenter inculcat, vt illi sæpius in hoc vitium incidisse videantur. Et tamen tria duntaxat in toto suo Opere profert huius rei exēpla: atque illa eiusmodi sunt, vt planè sit ad sensum & mentem Augustini iisdem locis quicquid auctores prædicti referunt, velut eius doctrinam: vt ostendemus disp. 22. sect. 16. aliísque locis, vbi de illis disputandi occurret occasio. Omitto recensere alias eius imposturas, æquè ac frequētes cōtradictiones, quas suis locis patefaciemus. *Vide etiam disp. 26. sect. 3. n. 16. & seqq.*

68. *Calumniantur Ecclesiam errasse.* Octauò, affirmabāt Lutherus & Caluinus, Ecclesiam errasse, séque diuinitùs fuisse suscitatos vt eam ab errore purgarent: & hoc veluti fundamentum prætensæ reformationis, suæque nouæ doctrinæ posuerunt. Ita quoque Iansenius cap. vltimo libri procemialis non dubitauit affirmare Ecclesiam magna ex parte, multis iam seculis errasse per ignorantiam, & falsam opinionem, in plerísque fidei Dogmatibus, quæ nimirū ipse verum Augustini sensum eruendo illustrauit. Similitérque vnus è præcipuis eius sectatoribus non obscurè asseruit Ecclesiam errasse in vna de præcipuis Christianæ religionis veritatibus (sic enim vocat necessitatem malè prætensam pœnitentiæ publicæ, ante communionem) Dcúmque suscitasse singulariter vnum aliquem hoc tempore à quo hæc veritas restitueretur. Et addit (quod sine horrore legi & audiri nequit) Deum, qui multis modis honorat suam vnitatem in Ecclesia, nunquam magis eam honorare, quàm cùm aliquod punctū doctrinæ Christianę religionis, vel partem aliquam disciplinæ Ecclesiasticę restituit per eruditionem & virtutem vnius solius; quem solet ita vnicum, & singularem facere in hoc speciali dono, quod ipsi communicat; atque ipsemet in sua essentia vnicus, & singularis est. Alter quoque præcipuus post Iansenium signifer nouæ sectæ, dicitur affirmasse Ecclesiam quæ nunc est, defecisse in multis à doctrina veteris Ecclesiæ: præsertim verò in Concilio Trident. multa perperam mutata fuisse: neque iam mereri nomen Ecclesiæ, nisi eo sensu, quo aqua turbida & corrupta, fluens eodem alueo, quo priùs aqua pura & limpida, eiusdem fluuij nomine appellari solet. Videat igitur & expendat eruditus lector, quàm bene sentiant isti noui Doctores de infallibilitate Ecclesiæ: & quàm bellè cum Luthero & Caluino, aliísque omnibus hæresiarchis hac in parte consentiant. Videat etiam, quàm apprimè conueniant cum suprà nominatis hæreticis in via, & methodo suam illam prætensam reformationem auspicandi, & promouendi. Nam, vt rectè obseruauit Vincentius Seuerinus cap. vltimo Catholicæ disceptationis de Ecclesia præsentis temporis, non est ouum ouo similius, quàm Lutheranismo & Caluinismo Iansenismus in fundamento, & modo proponendi & stabiliendi dogmata, quæ pro veris ac diuinis obtrudunt.

69. *Consonantia Caluinist. & Iansenistarum.* Primò enim (vt iam dicere cœpimus, & fusiùs ait auctor citatus) fundamentum Caluinismi fuit quòd interrupto, aut corrupto Ecclesiæ vetæ statu, necesse fuit sanctos quosdam viros à Deo excitari, vt eam restituerent. Fundamentum Iansenistarum est, doctrinam Ecclesiæ in multis fidei dogmatibus iam à quingentis annis per Doctores Scholasticos esse corruptam:

Deúmque suscitasse magnum illum Iprensem Episcopum, per quem sanam doctrinam restitueret, & Ecclesiam ab erroribus Pelagij, & Semipelagianorum, per Scholasticos inductis repurgaret. Secundò, Regula ad quam reformare debet Ecclesiam illi inter Caluinistas sancti, non alia est, quàm sacra Scriptura, quam ipsamet Ecclesia suppeditat. Regula ad quam restituenda est Ecclesia à magno illo Iansenistarum Episcopo, non est alia, quàm Augustinus ab ipsa Ecclesia & Romanis Pontificibus commendatus. Tertiò, per vnam illam regulam suam, Scripturam scilicet diuinam, examinari volunt Lutherani & Caluinistæ cetera omnia: ita vt neque antiquitatis, neque traditionis, neque Sanctorum Patrum, neque Conciliorum, neque aliorum quorumlibet habenda sit ratio, nisi quatenus Scripturę diuinæ conformia esse reperiuntur, vt aiunt Caluinistæ, artic. 5. suæ confessionis Gallicanæ. Simili modo Iansenistæ, quicquid illis obiicias, ad August. prouocant. Quid hoc, inquiunt, ad doctrinam Augustini clarissimam, constantissimámque? Scripturæ interpretationem in quæstionibus controuersis ab illo esse petendam, traditionem ex illo sumendam, ceteros Patres illi postponendos, summorum Pontificum definitiones recèns editas contra illorum errores, ipsúmque Concilium Oecumenicum Trident. per eundem August. explicari debere contendunt. Ita scilicet vt eorum quæ v. g. de libero arbitrio, de efficacia gratiæ compatiente liberum vsum vel non vsum voluntatis, de gratia sufficiente ad perseuerandum omnibus iustis parata, dè possibilitate seruandi mandata, & similibus definiuit contra Lutheranos & Caluinistas, Augustini testimoniis non minùs abutentes, non sit habenda ratio, nisi quatenus Concilij definitiones consonant Augustino, non iuxta sensum à Concilio datum, & declarationem Ecclesiæ intellecto, sed iuxta proprium ipsorummet iudicium. Perinde ac si Partes, de vero sensu legis inter se litigantes, dicerent verum illius sensum non ex sententia iudicis litem illam terminantis sumendum esse, sed eius sententiam per legem ipsam esse explicandam, nullámque illius habendam esse rationem, nisi quatenus cum vero sensu legis consentit. Quod nihil aliud est, quàm iudicum sententiam eludere, & lites interminabiles reddere. Quartò, obiicientibus Scripturæ obscuritatem Caluinistæ respondent, in iis omnibus quæ ad salutem spectant esse perspicuam: nec aliis opus esse adiumentis ad habendam germanam eius interpretationem. Similiter, obiicientibus esse dubium ac disputabile quid senserit August. in quæstionibus illis, quæ modò disceptantur: respondent Iansenistæ, constantissimam, certissimam, clarissimam esse illius doctrinam, & attentis tantùm oculis opus esse. Quintò, si dicamus Caluinistis, non videre nos lucem illam, quam dicunt Scripturarum: & rationem aliquam petamus, quâ ex multis interpretationibus, illa quæ vera est eligatur; Respondent, loca varia conferenda, alterum enim ab altero illustrari. Si dicamus Iansenistis, nobis quoque obscuram esse claritatem, quam dicunt Augustinianæ Theologiæ; studium longum præscribunt illuminandis oculis, & multiplicem illius lectionem, in qua magnus ille Episcopus duos supra viginti annos integros insumpserit, prima cum mediis, media cum extremis diligentissimè conferendo, dispersásque sententias, quas hîc illic in Scholasticorum scriptis legerat, corpori vnde auulsæ erant restituendo, & genuinam eius doctrinam radicitus intelligendo, medullitúsque imbibendo. Sextò, dicimus Caluinistis, post quotcunque inspectiones Scripturæ, & quascunque locorum collationes, nondum tamen videre nos quod illi vident. Illi respondent, id esse tribuendum excæcationi mentis, & arcano Dei iudicio, quo negatus est Spiritus, qui testimonium reddat spiritui nostro quòd ea sit veritas. Dicimus Iansenistis, post quantamcunque Augustini lectionem, & quantamcunque meditationem, non affulgere nobis illam quam dicunt claritatem: neque affulsisse prædecessoribus nostris post longissimam non duorum tantùm & viginti annorum, sed quinque seculorum, quandiu scilicet in errore versati sunt toto orbe Christiano Theologi Scholastici, vt volunt Iansenistæ. Qui si verè Catholici essent, & August. ipsum, aliósque Patres Africanos, & Prosperum in simili causa, ceterósque Patres & Doctores Catholicos in aliis fidei controuersiis imitarentur, nos remitterent ad Ecclesiam præsentis temporis, & viua sanctæ Sedis Apostolicæ oracula. Sed hoc minimè faciunt. Nam illius definitiones, atque ipsius etiam Concilij Trident. per August. explicari debere dicunt, & Sedis Apostolicæ sententiam, iam vicesies à quatuor Summis Pontificibus contra illorum errores latam, confirmatam, commendatam, inculcatam, & grauibus censuris munitam, non verentur adhuc subreptitiam dicere, quia illi parére detrectant. Ex quo facile est colligere quàm sincera sit eorum protestatio, *Ad extremum vsque spiritum Romanam Ecclesiam ducem sequendi, & Beatissimi Petri in Romana Ecclesia successorem: tenendi quidquid ab illo præscriptum fuerit, improbandi, damnandi, anathematizandi quod fuerit ab illo improbatum, damnatum, anathematizatum.* Nam si ex eo quod exterius prodit, iudicandum est de interna animi dispositione: quis non videat simulatoriam esse, & hypocriticam eiusmodi protestationem, certúmque illis esse non consentire definitioni Summi Pontificis, nisi definiat quod ipsis visum est? Et verò, cur ad illum nos mitterent, si Deus non per illum, sed per magnum Iprensem Episcopum errores istos abolere, & Ecclesiam pristino suo nitori restituere vult? per illum, inquam, magnum eximiúmque Doctorem, qui non minùs singulariter ad hoc munus destinatus est, quàm Deus ipse in sua essentia singularis & vnicus est, vt videtur istis reformatoribus. Præsertim verò cùm neque illum audire velint Summi Pontifices qui Ecclesiæ præfuerunt, ex quo tempore cœperunt eorum dogmata per Michaëlem Baium disseminari: neque à fidelibus audiri permittant, sed grauibus censuris in eos qui audiunt animaduertant. Quid igitur superest omnibus qui vocem illius magni Episcopi non intelligũt, & claritatem ab eo prætensam in doctrina Augustini perspicere nequeũt, nisi vt hęc censeatur esse desertio quædam Dei, & excæcatio? Quam illi, æquè ac Caluinistæ, tribuendam censent arcanis Dei iudiciis, & positiuæ reprobationi ex mero Dei beneplacito factæ, ex qua proueniat

Iansen lib. proœmiah cap. 10.

vt Deus illis spiritum intelligendi veritatem, & lucem sibi oblatam videndi minimè largiatur. Quod certè nihil aliud est, quàm eorundem hæreticorum more, fidei suæ analysim non ad infallibile iudicium Ecclesiæ, sed ad spiritum cuiusque priuatum & fallibilem reducere: ac pro fide diuina opinationes humanas substituere.

70. Hæc igitur cùm ita sint, prætexant quantum volent reformationem Ecclesiæ, exemplo aliorum Hæresiarcharum, speciatímque Lutheri & Caluini, qui nefariis suis conatibus restitutionem antiquæ fidei, & disciplinæ Ecclesiasticæ non minùs prætexebant, quasi non aliud satagerent, quàm ad primorum seculorum fidem & mores illam reducere: quod quàm feliciter præstiterint, testantur ingentes calamitates, quibus plerasque Europæ regiones, præcipuéque Galliam, Germaniam, & Angliam repleuerunt, ac penè oppresserunt. Quis non videat eos similibus artibus non veram fidem antiquæ Ecclesiæ, & sinceram Augustini doctrinam restituere, sed hæreticorum errores iampridem ab Ecclesia damnatos reuocare? Quis similes exitus à tam similibus initiis non timeat? Quis verè Catholicus illis, quacunque potest ratione, non obsistat? Quis non pro viribus opem Ecclesiæ laboranti afferre studeat? Quis non æqui bonique consulat Scriptores Catholicos datam occasionem contra eos disputandi libenter arripere? Ego quidem pro ingenij mei tenuitate iam id sæpius datâ occasione præstiti: & nunc plenam eorum refutationem ex professo aggredior. Quod lectori verè Catholico gratum fore non dubito: & aliis non inutile futurum spero, si eodem studio veritatis, quo hæc à me scribuntur, sincerè ab illis legantur, irâ procul & odio, & quouis alio affectu prauo, veritatis inimico.

71. *Liceátne alicubi sequi doctrinam Iansenij.* Inepti verò sunt, qui existimant liberum sibi esse sentire contra definitionem Summi Pontificis, iis in locis, vbi eius Bulla contra Iansenium nondum promulgata fuit, siue incuriâ Prælatorum, siue alia de causa. Quasi verò cùm Pontifex aliquam propositionem vt hæreticam, aut erroneam damnat, vel aliâ simili censurâ notat, liberum sit homini Catholico vocem Pastoris vniuersalis, & supremi iudicis Ecclesiæ contemnere, erroribúsque & peruersis dogmatibus ab eo damnatis adhærere? Aut per vlla priuilegia liberum cuiquam & licitum fieri possit, hæreticum esse; & Ecclesia vno in loco teneatur credere vt dogma fidei diuinæ, id quod in aliis liberum est repudiare, & tenere contrarium? Quis non videt quónam hæc licentia absurdissima & insolentissima euadat, & quot in partes Ecclesiam scissura sit?

An etiam excommunicentur qui eam sequuntur. Neque minùs inepti sunt, qui putant excommunicationes, & alias censuras contrarium sentientibus, rebellibúsque à Pontifice inflictas, contemptu vitari. Cùm potiùs eò magis incurrantur, quò contumacia maior est: & qui per annum in excommunicatione sordescunt, haberi debeant vt suspecti de hæresi: quemadmodum statuitur can. *Contingit. De dolo & contumacia*, iuncta glossa, & communi Doctorum explicatione. Eorum certè pertinacia, & audacia Catholicos vel patientissimos, mitissimósque iure mouere potest, vt exclament cum Apostolo, *Vtinam confundantur, qui nos perturbant*, & nouis istis, peruersisque Dogmatibus Christi Domini vestem Ecclesiam discindere conantur. Vtinam Sedes Apostolica suam in illos auctoritatem fortiter exercere pergat. Vtinam Prælati, vt veri, & fideles animarum pastores, in hos lupos ouina pelle tectos generosè insurgant. Vtinam Regia Maiestas & auctoritas eos pœnis meritis opportunè coërceat, si censuras Ecclesiasticas non satis verentur. Quanquam potiùs velim, totóque animo exoptem vt sponte resipiscant, & falli, aut fallere desinant, abiectisque erroribus, propositam veritatem libenter amplectantur.

SECTIO VII.

Iudicium almæ Vniuersitatis Duacensis de doctrina Iansenij.

DVM hæc scriberem, peropportunè venit in manus meas exemplar literarum celeberrimæ Vniuersitatis Duacensis ad Serenissimum Archiducem Leopoldum Belgij gubernatorem, quibus grauiter conqueritur de doctrina Iansenij sibi falsò & calumniosè imputatâ: suúmque de illa iudicium in hunc modum pronunciat: 72.

SERENISSIME PRINCEPS,

Infrà scripti S. Theologiæ Doctores, & Professores in alma Vniuersitate Duacena, certiores facti sumus à viro Religioso fide dignissimo, nos scriptis quorumdam ex Vniuersitate Louaniensi traductos, quasi doctrinæ quæ Iansenio ac Baio primùm tribuitur, non tantùm subscripserimus aliquando, sed etiam pertinaciter modò adhæreſcamus. Splendidius mendacium fingi nullum posse credimus, cùm constet nos primam Vrbani VIII. felicis memoriæ Bullam contra Iansenium amplexos, ipsámque in Scholis publicis solemni ritu promulgasse: inde Summum Pontificem Breui peculiari ac benedictione hanc Vniuersitatem cohonestasse, quia tam promptè Sedi Apostolicæ morem gessisset, (Breue id Pontificium nobis ad manum est) certissimúmque nos Diploma super hac re regium exosculatos, integram ipsam Bullam ad Scholas publicas affixisse, quam nullus hominum vel digito iniurioso attigit. Hîc protestati sumus, & protestamur iterum iterúmque, nos semper præstitisse obedientiam erga sanctam Sedem Petri, & Regem Catholicum: imò semper doctrinam illam Iansenij proscriptam voluisse, ita vt nullum vnquam ex nostra Facultate Duacenâ Theologum infecerit. Tantò acerbior est dolor noster, quantò atrocior iniuria nec ferenda, quâ nomen almæ huius Vniuersitatis traducitur apud Serenissimum Archiducem, quasi inobedientium Ecclesiæ Catholicæ filiorum. E contrario, censuimus cōmunibus suffragiis humillimè Celsitudinem suam rogandam, vt pergat doctrinam illam Iansenianam seriò extirpare, quâ nequaquam docetur B. Augustini mens. Et cùm hoc malum in peius ita serpat, vt saniori Belgicæ nostræ parti, &

Academiæ huic affrictum mentiantur illi: Verendum magis est, ne petulantia ingenia, siue in Academiis, siue in Monasteriis, & alibi, incautos, & minùs versatos in sancti Augustini voluminibus, hac perniciosâ doctrinâ imbuant, & ab eiusmodi scintillis magna excitentur incendia, nisi potestas Serenissimi illa ipsa in suis principiis extinguat. Ceterum profitemur & protestamur neque hîc, neque aliàs à Bullis ac Mandatis Pontificiis, Diplomatibúsque Regiis vel latum vnguem esse discessuros, sed semper fore morigeros, provt pleniùs ex relatione venerabilis Religiosi, de Facultate nostra bene meriti, Latoris præsentium sua Serenissima Celsitudo intelliget, cui eadem Facultas Theologica Duacena deuota ex animo omnem sospitatem ac felicitatem precatur.

GEORGIVS COLVENERIVS.
Duaci 27. FRANCISCVS SYLVIVS.
Iulij 1648. VALENTINVS RANDOVX.

73. His literis Serenissimus Archidux in hæc verba respondit, collaudans eorum obseruantiam erga Sedem Apostolicam, constantiámque in retinenda vera sanáque doctrina: simúlque exhortans vt sua studia, & operam conferant ad noua Dogmata quamprimùm fieri poterit, extirpanda.

LEOPOLDVS GVILLELMVS Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. locum tenens, Gubernator, & Capitaneus Belgij, Burgundiæ, &c.

Honorabiles, & sincerè nobis Dilecti. Intelleximus nostro singulari gaudio, ac voluptate, quanta fortitudine animi, quantóque honore nominis vestri, ac laude totius Duacenæ Vniuersitatis steteritis contra perniciosam doctrinam Iansenij, sub pallio, seu nomine Diui Augustini, veluti sub melle venenum, simplicioribus atque incautis propinatam. Fecistis hac in parte quod veros Romanæ Ecclesiæ Theologos, fideléśque Regis Catholici subditos magnopere decet; dum hac ratione tam pro obedientia sanctæ Sedi Apostolicæ debitâ, quàm pro auctoritate Regiæ maiestatis decertastis. Vnde non immeritò digni habiti fuistis, quorum sanam doctrinam, obseruantiámque erga sanctam Sedem Rom. Summus Christi Vicarius palam commendaret, vestrámque Facultatem per speciale Apostolicum Breue honoraret. Et quia satis præuidemus quantum ex peruerso Iansenij Dogmate malum Ecclesiæ, præsertim Belgicæ immineat, nisi quamprimum occurramus per opportuna remedia, maximè verò per doctos probatæque fidei viros, è quorum numero vos esse agnoscimus: inde est quòd ex desiderio, quo ferimur ad conseruandam vbique sinceram doctrinam, ac fidem Catholicam, vestram quoque operam requitamus, cupientes ex vobis intelligere quanam potissimùm ratione iudiceetis obuiandum esse præsenti malo, quod sensim ita serpit, vt iam non solùm Louaniensem Vniuersitatem, sed aliquos etiam primores Ecclesiæ, familiásque Religiosas, instar contagiosæ pestis corripuerit. In hoc porrò negotio, quantò promptiora, & meliora nobis consilia suggesseritis, tantò gratiora ea nobis erunt, quando præsertim ad satisfaciendum Sedi Apostolicæ, per publicationem, executionémque Bullæ Vrbani VIII. quæ contra præfatam Iansenij doctrinam emanauit, videmus nos iam iteratis à Rege literis vrgeri, ratióque officij nostri exigit, vt in re tanti momenti nullas omnino moras faciamus. His vos, honorabiles sincerè nobis dilecti, diuinæ protectioni commendamus, manemúsque vniuersæ vestræ Facultati nostra gratia & fauore optimè propensi.

Tornaci 3. Sept. 1648. LEOPOLDVS GVIL.

SECTIO VIII.

Iudicium Summorum Pontificum de doctrina Iansenij.

LVBET his addere iudicium Summorum Pontificum de doctrina Iansenij, quod 74. apud omnes verè Catholicos decretorium, & irrefragabile esse debet: & ad quod in controuersis de materia fidei quæstionibus, recurrere oportet eos omnes, qui saluti suæ consulere, & à periculo naufragij circa fidem tutos se præstare volunt: exemplo D. Hieronymi sic ad Damasum Papam scribentis, super controuersia de tribus hypostasibus suo tempore excitata: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio, &c. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Hieronym. epist. 57.

Primò igitur, doctrinam Iansenij prædamnauit Pius V. in Bulla contra Michaëlem Baium edita anno 1567. Calendis Octobris, quâ septuaginta quinque illius propositiones proscripsit velut *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectiuè.* Earum enim pleraśque Iansenius instaurare, & veluti doctrinam D. Augustini malè damnatam venditare conatus est. 75. *Damnata est à Pio V.*

Secundò, eandem prædamnauit Gregorius XIII. qui post Apologiam Baij, & alia in eius defensionem sibi proposita à nouæ illius doctrinæ fautoribus, rursus easdem propositiones damnauit, earúmque assertores grauibus pœnis addixit. *Et à Gregorio XIII.*

Tertiò, cùm Iansenius Iprensis, contemptâ Sedis Apostolicæ auctoritate, pleraśque earumdem propositionum instaurandas suscepisset in Opere, quod *Augustinum* inscripsit: eas rursus, & Iansenium earum assertorem damnauit Vrbanus VIII. in Bulla quæ incipit, *In eminenti Ecclesiæ militantis sede*; edita Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1641. pridie Nonas Martias. 76. *Et ab Vrbano VIII.*

Quartò denique, eandem doctrinam damnauit qui nunc Sedem Apostolicam tenet Innocentius X. qui & pluribus literis in forma Breuis, iussit Vrbani Constitutionem seruari, vt alibi videbimus: & cùm Henricus Calenus Archidiaconus Mechliniensis ad Episcopatum Ruremundensem nominatus fuisset à Rege Catholico, noluit eius nominationem admittere, nisi priùs doctrinam Iansenij, quam profitebatur, solemniter abiuraret. Cúmque iste in ser- 77. *Et ab Innocentio X.*

nando iuramento satis constans non fuisset: perstitit constantissimè Pontifex in Episcopatu negando. Quo non obscurè significauit indignos esse gradu & munere Episcopali quicunque propositionibus toties damnatis à Sede Apostolica, non verentur adhærere.

78. Eandémque ob causam Rex Catholicus superiore anno 1647. die 21. Decembris sanxit vt in regnis, & ditionibus suis, nullus de doctrina Ianseniana suspectus ad Episcopatum promoueretur, nisi priùs solemniter illam eiurasset inter manus Nuncij Apostolici. Eiúsque exemplum secutus, & mandatis obsecutus Serenissimus Princeps Leopoldus Archidux Austriæ, & Belgij gubernator, statuit vt nullus ad Episcopale munus, vel ad vllum aliud beneficium Ecclesiasticum admitteretur in Belgicis prouinciis sibi commissis, nisi præmissa Iansenismi abiuratione, coram Vicenuntio Apostolico. Eadem etiam de causa voluit Rex Christianissimus neminem in tota Gallia donari infulis Episcopalibus, qui Iansenio addictus sit, ac vel leui huius doctrinæ suspicione laboret.

79. *Et à Concilio Tridentino.* Addo denique Iansenij doctrinam fuisse iamdiu à Concilio Tridentino; & à tota Ecclesia Catholica prædamnatam in Luthero & Caluino, à quibus ille sua dogmata mutuatus est. Nam vt perspicuè ostendemus suis locis, Quæ docet de amissa libertate indifferentiæ per peccatum Adæ; Quòd iam sola libertas à coactione in hominibus supersit: Quòd Deus præcipiat impossibilia: Quòd gratia præueniens necessitet voluntatem ad bene operandum: & concupiscentia necessitet ad peccandum, quando abest gratia: & quotiescunque homo bene facit, necessariò id faciat, quia præuenitur à gratia, cui non potest resistere: quotiescunque autem malè facit, necessitetur ad peccandum, quia caret auxilio gratiæ, sine quo non potest resistere concupiscentiæ: Item quòd Deus antecedenti sua voluntate, & pro mero suo beneplacito, non ex præuisis operibus hominum, aliquos eorum ad vitam æternã prædestinauerit, quos per media necessitantia ad salutem perducat: ceteros omnes in massa damnationis reliquerit, & positiuè reprobauerit, quos idcirco destituat mediis & auxiliis sufficientibus ac necessariis, vt damnationem vitare possint: atque ita illi necessariò saluentur, isti necessariò damnationem incurrant, ex Dei præiudicio, & antecedenti ordinatione: Quòd non detur gratia sufficiens: Quódque homines in lege naturæ, & Moysi, destituti fuerint auxiliis gratiæ ad seruanda præcepta necessariis, quippe quæ capitaliter scopo legis illius repugnaret: Quòd Deus non velit omnes homines saluos fieri: neque Christus pro omnibus mortuus sit, neque pro omnibus orauerit, speciatimque pro salute reproborum non magis orauerit, quàm pro salute ipsius Diaboli: Quòd peccatum originale per ipsam concupiscentiam traducatur ex sola rei natura: Quódque ea quæ fiunt ex ignorantia inuincibili iuris naturalis, sint peccata, sicut & motus concupiscentiæ, quamuis inuoluntarij: Hæc, inquam, & similia sunt pura puta Lutheri & Caluini dogmata à Iansenio recocta, & pallio D. Augustini operta, vt ignaros, vel incautos faciliùs in fraudem induceret.

80. Videat ergo prudens lector quo loco sint habendi, & inter quos censendi quicunque doctrinæ à Luthero & Caluino acceptæ, totiésque à Sede Apostolica, & ab Ecclesia damnatæ, pertinaciter adhuc adhærere non verentur. Obtestor te lector, quisquis es illi addictus, per salutem animæ tuæ, & tremendum Christi tribunal, cui tandem sistendus es, & rationem fidei tuæ, factorúmque omnium redditurus, vt maturè perpendas, æquúmne sit & tutum, Iansenij fucos & artificia, Caluinianos & Lutheranos errores, pro doctrina Augustiniana & Catholica venditantis, viuis Ecclesiæ oraculis, id est supremorum & infallibilium de rebus fidei iudicum sententiis contra eum latis anteponere; ac non potiùs de Luthero, Caluino, & Iansenio dicere debeas, quod Hieronymus de Vitale, Meletio, & Paulino dicebat Damaso: Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, &c. Non noui Lutherum, Calui-nu[illegible] respuo, ignoro Iansenium. Quicunque tecum [illegible] colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Ant[illegible]isti est. Nimirum quia non potest esse in Eccle[illegible]hristi, qui non adhæret Romanæ Cathedræ Petri [illegible] ait Augustinus in psalmo Abecedario, contra [illegible]natistas. *Hieronym. epist. 57.*

81. Possent his addi multorum alio[illegible] iudicia de doctrina Iansenij velut damnata, & p[illegible]pta à Summis Pontificibus, Cardinalium, Arch[illegible]piscoporum, Episcoporum, Vniuersitatum, & Ordinum religiosorum in suis comitiis generalibus, aut prouincialibus. Sed hæc omnia iam collecta, fideliterque relata videri possunt in libro recèns edito Parisiis, cuius titulus est, *Triumphus Catholicæ veritatis aduersus Nouatores: siue, Iansenius damnatus à Conciliis, Pontificibus, Episcopis, Vniuersitatibus, Doctoribus, atque Ordinibus religiosis.* Speciatim autem Ordines illi religiosi, qui doctrinam Iansenij in suis comitiis seuerè prohibuerunt, & Censuram ab Vrbano contra illum editam sub grauibus pœnis à suis omnibus seruari præceperunt, isti sunt: Ordo RR. PP. Capucinorum in Capitulo generali, Romæ celebrato, die 25. Iunij anno 1650. Congregatio RR. PP. Fuliensium in Capitulo generali celebrato Parisiis in Monasterio S. Bernardi, anno 1646. & iterum in Capitulo generali, celebrato in Monasterio Cellensi, anno 1649. Ordo RR. PP. Benedictinorum Congregationis S. Mauri in Gallia, in comitiis suis generalibus.

82. Ordo RR. PP. Carmelitarum discalceatorum in Capitulo prouinciali celebrato die 24. Aprilis, anno 1645. in Conuentu S. Mariæ de Monte Carmelo, seu Carentonensi, & altero Capitulo prouinciali, ibidem celebrato, die 25. Aprilis anno 1649. Ordo RR. PP. Minimorum S. Frãcisci de Paula, in comitiis prouincialibus, habitis anno 1650. Posset insuper addi Decretum Eminentissimorum Cardinalium Congregationis sancti Officij, siue Romanæ & vniuersalis Inquisitionis contra hæreticam prauitatem, editum Romæ Calendis Martij, anno 1651. quo citatur Carolus Hersant Gallus, Presbyter secularis, sacræ Theologiæ Professor, vt infra terminum trium mensium debeat personaliter per seipsum, non autem per Procuratorem, aut excusatorem aliquem, comparere, *ad respondendum de Fide, & se expurgandum à crimini-*

bus sibi obiectis; quòd scilicet in graue Catholicorum scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ, ausus fuerit in concione per eum in festo S. Ludouici Regis Galliæ habitâ Romæ, in Ecclesia eiusdem Sancti, anno Iubilei 1650. & in lucem editâ vnà cum Epistola Dedicatoria eiusdem Concionis Sanctissimo D. N. Papæ Innocentio X. populo prædicare, ac proponere doctrinam à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. in eorum præcipuis constitutionibus contra Michaëlem Baium, & Cornelium Iansenium Episcopum Iprensem promulgatis damnatam: & in eadem epistola Dedicatoria temere petere à Sanctissimo D. N. defensionem doctrinæ à S. Sede Apostolicâ iam damnatæ, & propositæ in euidentem dictæ S. Sedis & S. D. N. iniuriam, animæque suæ præiudicium, iacturam, detrimentum, & perditionem. Adiunctâ insuper, nisi intra terminum præfixum comparuerit, pœnâ *excommunicationis latæ sententiæ, priuationis dignitatum & officiorum, graduum, honorum, beneficiorum, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi & inter-elan-di, &c.* Sed præstat hoc decretu- ad calcem huius voluminis reseruare, -integrum exhibebitur, cum sententia -tres menses ferenda: simúlque epist- Illustrissimorum & Reuerendissimo- Galliæ Antistitum ad S. D. N. Inno- -ium X. quâ postulant vt de capitalib- aliquot Iansenij propositionibus ferre iudicium, illásque censurâ speciali notare dignetur: addetúrque responsum eiusdem S. D. N. si interea, vt spero, emanauerit. Hæc igitur in præsenti sufficiant.



DISPVTATIO II.

De ortu, progressu, & occasu hæresis Pelagianæ, & Semipelagianæ.

SECTIO I.

Quis & qualis fuerit Pelagius; eiúsque hæreseos initia.

1. *Eius patria, & vita ratio.* ELAGIVS natione Britannus, siue Anglus, vt significat Prosper in Chronico, & in fine libri contra Collatorem, siue Scotus, aut Hibernus, vt alij malunt, professione Monachus fuit, vt constat inter omnes, & ex Actis Concilij Palæstini relatis à D. August. lib. de gestis Pelagij, certissimum est. Vtrum in Ægypto Monachatum professus sit, eiúsque Monasteria visitauerit, incertum est. Nam quod Iansenius, & quidam alij id colligunt ex Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 314. quâ Pelagium quendam Monachum grauiter reprehendit ex vno Monasterio ad aliud subinde migrantem, atque omnium mensas perscrutantem, carniúmque nidorem, atque obsoniorum condimenta sectantem, cùm iam senex esset, & canis aspersum caput haberet: vnde etiam colligunt Pelagium iam senem in hæresim fuisse abreptum, quam cùm iam animo parturiret, mores etiam religiosos abiecerit: Hoc, inquam, leuissima solius nominis coniectura nititur: quasi non plures eiusdem nominis, variis locis, & temporibus esse potuerint. Nam ex iis quæ mox dicemus, constat Pelagium hæresiarcham diu longè latéque peregrinatum esse, postquam hæreses suas disseminare cœpit, adeóque ante senectutem, priusquam canis aspersum caput haberet, in eas lapsum esse. Constat etiam ex D. August. lib. de gestis Pelagij cap. 22. & lib. 3. de peccatorum meritis cap. 2. Pelagium etiam tunc cùm in Occidente, ipsáque vrbe Roma errores suos scriptis libris, & epistolis spargeret, magna laude claruisse, sanctúmque, & non paruo prouectu Christianum audiuisse. Ipsum tamen, siue tunc, siue pòst, cutem suam paulò magis curasse, quàm Monachum deceret, affirmat Orosi- in Apologia: vbi etiam Monoculum -m vocat.

Ingenio acrem, & acutum fuisse, æquè ac Celestium, primarium eius discipulum, eloquióque facundum, & in concionibus ardentem, atque vehementem affirmat August. lib. de natura, & gratia cap. 6. & 35. & lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. & lib. de gestis Pelagij cap. 25. & epist. 143. ad Iulianam; idque satis testantur eius epistola ad Demetriadem virginem, quæ habetur inter supposititias D. Augustini tomo 2. & quædam scriptorum eius fragmenta, relata, & refutata ab eodem S. Doctore variis locis. Quare minùs assentior Hieronymo, qui in epist. ad Ctesiphontem, præfixâ tribus libris Dialogi, aduersus Pelagianos, & lib. 2. eiusdem Dialogi, & in Præfat. lib. 1. Commentar. in Ieremiam, eius & Celestij ingenium despicit, & tanquam loquendi imperitos deridet. 2. *Ingenium & eloquentia.*

Moribus saltem specie tenus adeò religiosus, probus, & laudabilis extitit, quandiu rectam fidem retinuit, aut errores suos vtcumque dissimulauit verborum & sententiarum ambagibus; vt pro sancto, & in virtutibus Christianis eximiè prouecto haberetur: vt testatur S. August. lib. 3. de peccat. merit. cap. 1. his verbis. *Post paucissimos dies legi Pelagij quædam scripta, viri, vt audio, sancti, & non paruo prouectu Christiani.* Idémque confirmat Iansen. post Baron. ex epist. 4. Chrysostomi ad Olympiad. vbi sic ait: *De Pelagio Monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot, quantísque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt: cùm viros tam piè, ac sanctè, tantâque tolerantiâ viuentes abripi, atque in fraudem impelli videamus.* Sed cùm hæc epistola Chrysostomi scripta sit anno Christi 401. quando in exilio versabatur: & Pelagius adhuc famâ sanctitatis floreret anno 413. quo anno libros de peccatorum meritis scripsit Augustinus, postquam anno superiore 412. Celestius apud Carthaginem in Episcopali iudicio excommunicationem meruisset, vt ipse ait lib. 2. Retract. cap. 33. non est credibile Pelagium illum, de quo loquitur Chrysostomus, fuisse hunc hæresiarcham: cuius errores tardiùs Græcis, & Orientali Ecclesiæ innotuerunt, cùm etiam postquam apertè detecti fuerunt in Occidente, pluribúsque synodalibus damnati iudiciis, plerísque Patrum Græcorum vix bene noti, & perspecti fuisse videantur. 3. *Probitas morum.*

Ruffinum habuisse magistrum, & hæresis suæ antesignanum testatur Hieronym. in præfat, 4.

Fuit Ruffini sectator. lib. 1. Commentariorum in Ieremiam, vbi Grunnium (quo nomine Ruffinum indigitare solet) præcursorem Pelagij nuncupat. Ab eodémque Ruffino se audiuisse non traduci peccatum originale affirmauit Celestius in iudicio Episcopali Carthaginensi, de quo dicemus inferiùs num. 6. Cœpit autem illam disseminare Pelagius circiter anno 405. scriptis aliquot epistolis, & opusculis fermento suo conspersis. Vtque latiùs, & faciliùs eam spargeret, Romæ diutissimè commoratus est, vt scribit August. epist. 95. ad Innocentium, & lib. de peccato *Cœpit hæresim occultè spargere.* origin. cap. 8. & 21. adeo tamen callidè, & tot tantísque verborum ambagibus, argutiísque; vt vel oculatissimos falleret: quemadmodum de seipso fatetur idem S. Doctor lib. de gratia Christi, cap. 37. verebatur enim apertè dicere publicè, quod secretò discipulis tradebat, vt ait Hieronym. in epist. ad Ctesiphontem: & peruersis instructus verborum argutiis, sub imagine fidei Catholicæ disputans, velut pestiferum exhalans virus, totam veri dogmatis quærebat euertere disciplinam, inquit August. lib. de nat. & grat. cap. 10.

5. *Eius peregrinationes in Africam, & in Palæstinam.* Dum hæc Romæ à Pelagio gererentur, contigit eam ab Alarico Gothorum rege capi, atque vastari anno circiter 410. Túncque diffugientibus huc & illuc plurimis eius incolis, Pelagius quoque cum Celestio fugit in Africam, & Hipponem appulit, absente Augustino, huius vrbis Episcopo: breuique inde Carthaginem se recepit: vbi semel iterúmque visus est obiter ab Augustino, curâ Collationis mox habendæ cum Donatistis tunc temporis occupatissimo: & non diu pòst in transmarina, nimirum in Palæstinam properauit. Testatur hæc omnia sanctus ille Doctor lib. de gestis Pelagij cap. 22. his verbis: *Vt de meipso potissimum dicam, priùs absentis, & Romæ constituti, Pelagij nomen cum magna eius laude cognoui. Postea cœpit ad nos fama perferre, quòd aduersus Dei gratiam disputaret; Quod licèt dolerem, & ab eis mihi diceretur, quibus crederem; ab ipso tamen tale aliquid, vel in eius aliquo libro, nosse cupiebam; vt si inciperem redarguere, negare non posset. Posteà verò quàm in Africam venit, me absente, nostro, id est, Hipponensi littore exceptus est: vbi omnino, sicut nostis, nihil ab illo huiusmodi auditum est; quia & citiùs, quàm putabatur, inde profectus est. Postmodum eius faciem Carthagine, quantum recolo, semel, vel iterum vidi, quando cura Collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui. Ille verò etiam ad transmarina properauit*; in Palæstinam videlicet, vbi diu vixit, antequam ab Episcopis Heroте, & Lazaro accusaretur hæresis apud Episcopos Palæstinæ, quorum Concilio se sistere compulsus fuit, vt dicemus paulò pòst. Habita verò fuit illa Collatio cum Donatistis anno 411. ab eóque tempore mansisse illum in Palæstina, indéque epistolas per orbem misisse significat Hieronymus in præfatione libri 3. Commentar. in Ieremiam, antequam eius causa velut hæretici ageretur in prædicta Synodo Palæstina, seu Diospolitana.

Celestius damnatur Carthagine. Cùm enim Celestius, princeps discipulorum eius, vir acerrimi ingenij, vt eum vocat August. lib. 2. ad Bonifacium, cap. 3. in Africa substitisset; ibíque, & præcipuè Carthagine, doceret apertiùs quæ Pelagius ambiguè, occultéque spargebat, & quoquouersum noua eius dogmata magno conatu, & acri contentione diffunderet; atque vt maiori auctoritate in ea propaganda incumberet, ad presbyterij gradum clandestinâ calliditate promoueri niteretur: prauis eius conatibus obsistentes Paulinus Diaconus Carthaginensis, & nonnulli alij viri Ecclesiastici, ad Episcopale iudicium eum Carthagine detulerunt; vbi accusatus, atque damnatus excommunicationis sententiâ, ab Ecclesia Carthaginensi expulsus est, reportans dignam sua peruersitate sententiam: vt ait August. lib. de gestis Pelagij cap. 22. quod contigit circa annum 412.

Quæ autem in iudicio illo Episcopali fuerint obiecta Celestio, & damnata, refert idem S. 6. *Errores eius damnati.* Doctor lib. de peccato orig. cap. 3. Nimirum quòd diceret peccatum Adæ, illi soli obfuisse, non generi humano. Quódque infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante transgressionem. Et quædam alia quæ postea quoque in Concilio Diospolitano, quatuor circiter post annis celebrato, fuerunt obiecta Pelagio, vt idem ait lib. de gestis Pelagij cap. 11. his verbis: *Hic leguntur* (nimirum in Actis Concilij Diospolitani) *quæ in doctrina Celestij discipuli eius referuntur inuenta. Adam mortalem factum, qui siue peccaret, siue non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quoniam lex sic mittit ad regnum* (vi sua scilicet, & gratiâ sibi propriâ) *quemadmodum Euangelium. Quoniam ante aduentum Christi fuerunt homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Quoniam neque per mortem, vel præuaricationem Adæ omne genus humanum moriatur: neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. Hæc ita obiecta sunt, vt etiam apud Carthaginem à Sanctitate tua, & ab aliis tecum Episcopis dicerentur audita, atque damnata, vbi quidem, vt recolis, ipse non fui, &c.* Hucusque Augustinus, qui sequenti anno 413. paulò pòst illam condemnationem Celestij, scripsit primum suum opus contra Pelagianos: tres libros scilicet de peccatorum meritis & remiss. ad Marcellinum, vt ipsemet affirmat lib. 2. Retract. cap. 33. subindéque alium ad eundem de Spiritu & litera, vt ait cap. 37. libri citati.

SECTIO II.

Hæresis Pelagij damnata primùm Carthagine, damnatur iterum Diospoli.

CELESTIVS verò Carthagine pulsus, & excommunicatione percussus, magis conuictus, quàm correctus abscessit: vt ait August. epist. 89. ad Hilarium: indéque in Siciliam migrauit: quam cœpit, vt Africam, suis erroribus inficere: vt colligitur ex epist. cit. & initio lib. de perfectione iustitiæ, nec non ex Hieronymo in præfatione libri 4. Commentar. in Ieremiam: vbi dicit hæresim illam iam antea iugulatam, Carthagine videlicet, cœpisse reuiuiscere; & in quibusdam insulis, præcipuè Siciliæ, 7. *Celestius & Pelagius errores suos latiùs spargunt.*



& Rhodi, maculare plerosque: neque solùm in Occidentis, sed & in Orientis partibus sibilare: in Palæstina scilicet; vbi per idem tempus cœpit manifestiùs eam vulgare Pelagius, præsertim in illa epistola, quam scripsit ad Demetriadem nobilissimam virginem, vt eam ad vitæ Christianæ perfectionem institueret, & aliâ ad viduam quandam, aliquótve aliis libris exhortatoriis, aut consolatoriis: vt significat Augustin. lib. de gestis Pelag. cap. 6. Quorum librorum vnus cùm Augustino traditus fuisset à Timasio, & Iacobo nobilibus adolescentibus, primùm à Pelagio corruptis, posteáque eiusdem S. Doctoris operâ ad rectam fidem reductis: in quo naturam contra Dei gratiam propriè dictam defendebat: oblatámque sibi ab ipsomet Augustino quæstionem non aliter soluebat, nisi dicendo gratiam Dei esse naturam ipsam cum libero arbitrio conditam, tenuiter, & subobscurè adiungens illi adiutorium legis, & remissionem peccatorum: aduersus hunc librum Pelagij, edidit alterum Augustinus de natura & gratia: in quo tamen à Pelagio nominando abstinuit, putans eum faciliùs sanctum iri, si nomini eius, & famæ parceret: quod tamen secùs accidit.

8. *Hieronymus contra illos scribit.* Eodem tempore quo Augustinus in Occidente contra Celestium & Pelagium hæc scribebat, stylum contra eosdem stringebat Hieronymus in Oriente, rogatu Ctesiphontis: ad quem longam scripsit epistolam, & tres libros dialogi aduersus Pelagianos, quos ante Synodum Diospolitanam scriptos fuisse colligunt aliqui, ex eo quòd nullam illius mentionem faciat: imò etiam nondum resciuisse videatur quænam doctrinæ Pelagianæ capita fuissent in Celestio damnata Carthagine: alioqui non adeo laborasset in exquirendis, & detegendis dogmatibus, de quibus Pelagius iam erat apertè damnatus: neque tanto præiudicio in illis refutandis vti prætermisisset. Alij tamen, vt Baron. ad annum 415. censent scriptos fuisse postquam Hieronymus vidit Pelagium malis artibus, fraudulentísque responsis, & abiurationibus Synodum illam decepisse. Tunc enim ad detegendas illius versutias, prudenter excogitauit Dialogum illum scribere: in quo Catholicus sub nomine Attici, cogeret acutis interrogationibus Critobulum, id est Pelagium, expromere quicquid occultasset, palámque facere qualis esset, qui simulatoriè suos errores damnans voluisset videri Catholicus: nulla prorsus facta mentione Synodi Diospolit. ne si ea quæ ab illa gesta fuerant approbasset, videretur pariter absolutionem Pelagij approbare: sin autem damnasset; ipse potiùs damnandus esse videretur, qui Synodum hæreses damnantem argueret: quam tamen alibi non dubitauit appellare *miserabilem Synodum*, epist. 79.

9. *Errores Pelagij damnati in Palæstina.* Porro sicut Celestius in Africa, postquam cœpit apertè suos errores spargere, ad Episcopale iudicium Carthagine delatus fuit: Ita Pelagius in Palæstina, accusantibus Herote Arelatensi, & Lazaro Aquensi Episcopis, hæresis postulatus est in Concilio Diospolitano, vbi, vt scribit S. August. lib. de gestis Pelag. hæc capita fuerunt illi obiecta. 1. Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit. 2. Omnes voluntate propriâ regi: tanquam si Deus neminem regat: & frustra scriptum sit, *Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ, & rege eos, & extolle illos vsque in seculum:* inquit August. cap. 3. libri citati. 3. In die iudicij impiis, & peccatoribus non esse parcendum; sed æternis eos ignibus exurendos. Quasi non essent excipiendi, qui fundamentum habent Christum, quamuis superædificent ligna, fænum, & stipulam: inquit August. cap. 3. eiusdem libri. 4. Malum nec in cogitationem iustorum venire. Quasi non veniat in cogitationem iustorum quod malum est, neque propterea desinant esse iusti, dummodo absit consensus, vt ait idem S. Doctor cap. 4. lib. citati. 5. Regnum cælorum etiam in veteri Testamento promissum fuisse: nimirum vt obtinendum vi solius legis veteris sine gratia, quæ ad nouum Testamentum pertinet, & intuitu Christi eius auctoris fuit antea communicata. 6. Posse hominem, si velit, esse sine peccato, omniáque Dei mandata custodire; & nimirum ad hoc non indigere gratiâ, sed vires naturales sufficere. 7. Adam mortalem factum, qui siue peccaret, siue non peccaret, mortuus esset. 8. Peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non genus humanum. 9. Legem sic mittere ad regnum, quemadmodum Euangelium. 10. Ante aduentum Christi non fuisse homines sine peccato. 11. Infantes recèns natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante præuaricationem. 12. Quòd per mortem, vel præuaricationem Adæ omne genus humanum non moriatur: neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. 13. Quòd infantes, etiamsi non baptizentur, habeant vitam æternam. 14. Quòd diuites baptizati, nisi omnibus abrenunciauerint, si quid boni visi fuerint facere, nec illis reputetur, neque regnum Dei possint habere. Quæ octo postrema dogmata dicit August. cap. 8. lib. cit. fuisse à Synodo damnata, & ab ipso Pelagio negata & anathematizata: cùm omnia præcedentia verbis ambiguis in sensum Catholicum interpretatus esset. 15. Ecclesiam hîc esse sine macula, & ruga. Quasi vellet cum Donatistis in solis bonis intelligi, quos nullum asserebat habere peccatum. 16. Plus facere nos, quàm in lege & in Euangelio iussum est; id est, vt exponit August. cap. 10. tantam nos habere per naturam liberi arbitrij, non peccandi possibilitatem, vt plus etiam quàm præceptum est, faciamus. 17. Gratiam Dei & adiutorium, non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina. 18. Dei gratiam secundùm merita nostra dari. Quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus: propteréaque ipsam gratiam in nostra voluntate positam esse: &, si per gratiam omnia facimus; quando vincimur à peccato, non nos vinci, sed Dei gratiam, quâ voluit nos adiuuare omnimodo, & non potuit: Et, si gratia Dei est, quando vincimus peccata; ergo ipse est in culpa, quando à peccato vincimur: quia omnino custodire nos aut non potuit, aut non voluit. Ad quæ respondit Pelagius negando hæc sua esse dogmata, & anathematizando, qui sic tenet. 19. Filios Dei non posse vocari, nisi omnimodo absque peccato fuerint effecti. 20. Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm

necessitatem. 21. Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in sua voluntate habet vnusquisque aut facere aliquid, aut non facere. 22. Victoriam nostram non ex Dei esse adiutorio, sed ex libero arbitrio. 23. Pœnitentibus veniam non dari secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. Quæ similiter Pelagius sua esse negauit, & secundùm iudicium sanctæ Ecclesiæ reprobare se dixit; addito anathemate in omnes contrauenientes, & contradicentes sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis.

10. *Synodum fallit ambiguis responsis.* Quibus omnibus auditis, Synodus eum absoluit, & Catholicæ communionis esse professa est, fauente Ioanne Hierosolymitano Episcopo; & aliis tredecim, qui cum illo conuenerant ad Synodum, attendentibus solùm ad id quod Pelagij verba sonabant, neque subtiliùs, & curiosiùs inquirentibus ab illo quid mali sensus occultaret, ambiguisque suis responsionibus inuolueret. Quod etiam minùs facere poterant, cùm essent Latini sermonis ignari, quo Pelagij dogmata exprimebantur: & abessent Heros & Lazarus Gallicani Episcopi, à quibus accusatus fuerat: cùm enim ambo viæ se dedissent, vt Synodo interessent, & coram contra Pelagium agerent, alter eorum graui morbo correptus, coëgit alterum simul in itinere subsistere.

11. *Gloriatur de sua absolutione, & furit in Catholicos.* Hoc Episcopali iudicio triumphans Pelagius literas gratulationis plenas ad amicos circumquaque misit. Cartulam quoque scripsit ad Augustinum Hippone commorantem, qua dicebat se obiectis Gallorum satisfecisse: & quatuor libros vulgauit de libero arbitrio inscriptos, in quibus de gestis Palæstinæ Synodi gloriabatur; simúlque dogmata (quæ in illa Synodo damnare visus erat, palam & apertè adstruebat: cùm tamen videri vellet rectè & Catholicè, de gratia sentire: vt testatur Augustinus lib. 2. de Peccat. orig. cap. 4. Neque his contentus, in duplex Monasterium Bethleemiticum, vnum virorum, alterum fœminarum, curæ D. Hieronymi commissarum, cui propter libros ab eo contra se scriptos infensus erat, crudeliter desæuiit: ita vt, quemadmodum scribit Augus. lib. de gestis Pelagij cap. vlt. Dei serui, & ancillæ ad curam sancti Hieronymi pertinentes, sceleratissimâ cæde afficerentur, Diaconus occideretur, ædificia Monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu, atque incursu impiorum, in Dei misericordia turris munitior tueretur. Qua de re cùm Hieronymus, sanctæque virgines Eustochium, & Paula iunior, neptis Paulæ senioris, matris Eustochij, conquestæ essent ad Innocentium Summum Pontificem, graues ille literas scripsit ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, quibus eius negligentiam in tanto malo non anteuertendo, aut permittendo & tolerando redarguit. Eidémque alteram epistolam scripsit Augustinus, monens ne ita se gereret, vt à Pelagio deceptus esse, eiúsque partibus fauere videretur: simúlque eum docens quàm malè Pelagius de gratia sentiret. Quod vt meliùs intelligeret, misit ei legendum librum Pelagij, & suum de Natura & gratia: vicissim petens vt de iis, quæ in Concilio Diospolitano gesta erant, certiorem se faceret, suóque & multorum aliorum Episcoporum desiderio satisfaceret, quos accepta de illis fama sollicitos tenebat. Actísque Concilij paulò pòst acceptis, siue Ioannis operâ, siue cuiuspiam alterius, librum illum edidit, quem de gestis Pelagij inscripsit, cuius totius breuem summam hîc dedimus.

SECTIO III.

Deteguntur fraudes Pelagij: damnatúrque iterum in Africa, & Roma.

PRIVSQVAM verò Acta Concilij Diospolitani perferrentur in Africam, cùm Episcopi Africani sexaginta septem, vel vt numerat Augustinus, addito Quoduultdeo, sexaginta octo conuenissent Carthagine, ibíque variis ex causis congregata Synodus haberetur: superuenit Orosius presbyter ex Palæstina, vnde ante Cōcilij Diospolitani celebrationem discesserat: tulitque literas Herotis & Lazari accusantes Pelagium & Celestium: quibus perlectis, recensitísque iis, quæ ante fermè quinquennium ibidem acta fuerant contra Celestium, scripserunt ad Innocentium Summum Pontificem, Synodalem epistolam, quâ postularunt vt damnaret generaliter eum omnem, qui dogmatizat & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & mandata Dei seruanda sufficere posse naturam; & quicunque negat paruulos per Baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam. 12. *Damnatur in Synodo Carthagin. & Mileuit.* Paulóque pòst Episcopi Numidiæ sexaginta & vnus Mileui conuenientes, de iisdem duobus capitibus Celestium & Pelagium damnandos esse censuerunt. Eáque de re Synodalem epistolam ad eundem Papam Innocentium scripserunt, ad imitationem Concilij Carthaginensis. Cui epistolæ adiecerunt quinque Antistites, Aurelius, Alipius, Augustinus, Euodius, & Possidius, priuatas literas, quibus accuratiùs & pleniùs causam illam tractabant, & errores Pelagij & Celestij ex scripturis reuincebant. Quibus acceptis Innocentius, & eorum studium in tuenda recta fide laudauit, & vtrumque errorem supradictum damnauit; Pelagiúmque, & Celestium Ecclesiæ communione priuauit: ita tamen vt si resipiscerent, vellet reconciliationem non eis negari. Contigit hoc anno 417.

13. *Scribit ad Innocentium.* Quod cùm audiuisset in Oriente Pelagius, conatus est iisdem versutiis, quibus Synodo Diospolitanæ præsens illuserat, Innocentio absens fucū facere, scriptis ad eum literis, & fidei suæ professione, quæ extat inter opera D. Hieronymi, sub titulo Explanationis Symboli ad Damasum: literæ verò illæ integræ non extant, sed earum fragmenta referuntur ab Augustino variis locis. Quæ priusquam Romam peruenirent, mortuus est Innocentius: ideóque Zozimo eius successori traditæ fuerunt, cum libello professionis fidei suprà memorato: quibus tanta calliditate, & artificio se tegebat, partim negando dogmata quæ illi imponebantur, partim ambiguè gratiam prædicando, & in fine libelli

omnia iudicio Summi Pontificis subiiciendo: vt iis lectis, magno cum omnium audientium gaudio, & in primis ipsius Zozimi, visus sit planè Catholicè sentire. Sed non diu pòst detectâ eius fraude, damnatus fuit ab eodem Pontifice, vnà cum Celestio, & damnatio vtriusque vbique promulgata: vt dicemus paulò inferiùs.

14. *Celestius absolui calide satagit.* Eodem tempore quo Pelagius hæc fraudulenter moliebatur, Celestius ex Africa in Asiam profectus, ibique presbyter ordinatus, quibuscunque poterat modis nitebatur obtinere rescissionem eorum omnium, quæ contra se Carthagine gesta fuerant. Eandémque ob causam Romam venit ad Sedem Apostolicam, ad quam etiam diu antea à primo iudicio Episcopali Carthaginensi appellauerat; déque illo, ac multò magis de postrema Synodo Carthaginensi apud Zozimum Papam conquestus est; déque Herote, & Lazaro, quorum literis se falsò accusatum esse dicebat, & inauditum præcipitanter à Synodo damnatum. Cúmque iudicium super ea re instaurari peteret, oblato libello, quo probandum suscipiebat falsa esse omnia, de quibus accusatus & damnatus fuerat: annuit Zozimus, illóque in iudicium admisso, libellum eius primò recitari iussit: tum præcepit vt damnaret quæ Paulinus Diaconus illi obiecerat anno 412. quæque Innocentius recèns damnauerat in epistola ad Episcopos Concilij Carthagin. scriptâ, vt paulò antè diximus. Ille autem, vt refert August. lib. de Peccato origin. cap. 7. noluit quidem Paulini Diaconi obiecta damnare, sed B. Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere: imò omnia quæ sedes illa damnaret, se damnaturum esse promisit. Cui promissioni, & verbo & libello simul oblato factæ, credens Zozimus, Catholicum libellum esse censuit: neque tamen à vinculo excommunicationis eum absoluit, sed duorum mensium spatium accepit vt in Africam scriberet: & interea literas dedit ad Episcopos Africanos, quibus de gestis cum Celestio certiores eos fecit, & simul grauiter reprehendit quòd Herotis, & Lazari literis credidissent; quos etiam, & Paulinum Diaconum Romam venire iussit intra alterum mensem, vt Celestium palam redarguerent.

15. *Et Zozimum fallit.* His literis non parum commoti Africani Episcopi, Concilio iterum habito ducentorum & septemdecim Carthagine conuenientium, Pontificem rogarunt vt causam tantisper suspenderet, donec pleniùs ipsi rescriberetur: & aliis literis per Marcellum Diaconum missis, conquesti sunt quòd Zozimus nimis facilè, & sine sufficienti discussione, fidem Celestij verbis habuisset. Quibus ille rescripsit, nihil se post priores literas eorum acceptas immutasse: sed omnia in eo statu reliquisse, in quo dudum antea fuerant; expectaréque ab illis pleniorem causæ Celestij informationem. Quâ Romam perlatâ, cùm, vt monebant Episcopi Africani, vellet Pontifex Pelagium & Celestium non generaliter solùm profiteri se consentire Innocentij Papæ literis, sed sigillatim & apertè anathematizare quæ in libello suo perperam scripserant; ipsiusque Celestij præsentia posceretur, vt certis, ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua remaneret: se subtraxit ipse, & negauit examini: eámque ob causam à Zozimo cum Pelagio damnatus fuit, tanquam vafer & versipellis hæreticus: vt testatur Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. Déque illorum damnatione rescriptum Zozimi ad vniuersos totius orbis Episcopos missum est, vt ab omnibus inter hæreticos haberetur: quod contigit anno 418. Illique edicto Pontificio suum addidit Imperator Honorius, sanciens hoc eodem anno, vt pulsis vrbe Roma hæreseos huius auctoribus Celestio & Pelagio, quicunque eorum sectatores deprehenderentur, à quocunque possent deferri, & accusari, & conuicti damnarentur exilio. Quod edictum pariter toto Romano imperio promulgari voluit. vnde contigit vt multis ex locis pellerentur, & ferè vbique tractarentur vt hæretici. *Detegitur eius fraus, & damnatur.*

16. *Pelagius conqueritur de damnatione: & ab Augustino impugnatur.* Neque propterea destitit errores suos dissimulare Pelagius, grauiter conquerens quòd iniustè Romæ damnatus esset absens, cùm præsens Diospoli in Concilio quatuordecim Episcoporum fuisset innocens declaratus, & pro Catholico habitus: & ore tenus, atque ambiguè necessitatem gratiæ prædicans, vt adhuc Catholicus esse videretur. Quam ob causam D. Augustinus duobus libris editis de Gratia & peccato origin. patefecit, & quàm iniusta esset eius querela, & quàm versutè tum in Concilio Diospolit. tum in suis libellis hæresim suam dissimulasset, & adhuc negaret reipsa, quod de necessitate gratiæ, specie tenus profiteri videbatur. Addiditque alium de Nuptiis, & concupisc. ad Valerium Comitem, apud quem traductus fuerat à Pelagianis, quasi damnaret nuptias, originale peccatum asserendo. Hunc autem librum, æquè ac duos præcedentes de Gratia Christi, & peccat. origin. eodem ipso anno damnationis Pelagij scriptum fuisse colligitur ex Aug. lib. 1. ad Bonifac. c. 5. vbi affirmat sequenti anno refutatum illum fuisse à Iuliano, cum quo deinceps pluribus annis fuit illi concertatio, scriptis vltrò citróque pluribus libris, viuo adhuc Pelagio, & in erroribus suis obstinato, vt patebit ex sequentibus.

17. *Iulianus Pelagij defensor: ab eodem refutatur.* Fuerat iste Iulianus primò quidem coniugatus: posteáque vxore defunctâ, vel relictâ, factus est Episcopus Capuanus, vt scribit Gennadius eius fermè contemporaneus: alij tamen Eclanensem in Campania, & alij Attelanensem Episcopum fuisse malunt. Scripsit autem imprimis quatuor libros contra librum Augustini de Nuptiis & concupisc. contumeliis in eundem, & arrogantia plenos: tum duas epistolas calumniis contra eundem, & contra Ecclesiam Catholicam refertas: quibus respondit Augustinus primò quidem quatuor libris, quos contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam inscripsit, Zozimi iam demortui successorem, cuius beneficio literas illas Iuliani acceperat: deindéque libris sex contra Iulianum inscriptis: aduersus quos, octo alios edidit Iulianus, seu potiùs contra librum 2. de Nuptiis & concupisc. quem relatis ipsismet Augustini verbis refellere conatus est: vt patet ex responsione eiusdem sancti Doctoris, quæ sub titulo Operis imperfecti contra Iulianum prodiit in lucem Parisiis anno 1616. postquam diu antè latuisset in tenebris

eius

eius Codex manuscriptus, duos tantùm primos libros Iuliani, cum eorum refutatione complectens. Testatur autem Prosper initio libri contra Collat. D. Augustinum hoc opus scripsisse postquam viginti annos contra Pelagianos dimicasset, nimirum sub finem eius vitæ, vt ipsemet indicat in epist. ad Quoduultdeum.

18. *Edictum Honorij & Theodosij contra Pelagianos.* Quia verò Pelagiani, licèt edicto Zozimi Papæ proscripti velut hæretici, & Imperatoris Honorij sententiâ damnati exilio, clanculum vel palam in Africa morabantur: idem Honorius, & Theodosius iteratâ constitutione sanxerunt, vt si quis eos in quacunque prouincia latitare sciens, non statim proderet, aut pelleret; statutæ pœnæ, velut criminis particeps, subiectus esset. Præcipuè verò, inquit Iansen. lib. 1. de hæres. Pelag. collimabant ad quorumdam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui prauas eorum disputationes tacito consensu assererent, vel publicâ oppugnatione non destruerent. Hinc per Aurelium Carthaginensem Episcopum eos moneri iussetunt, definitum, & statutum fuisse, vt quicunque damnationi suprà memoratorum (Celestij scilicet & Pelagij) subscribere impiâ obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, expulsique ciuitatibus, interdictâ in perpetuũ communione priuentur. Quam constitutionem rogatu Africanorum Antistitum Catholicorum à prædictis Imperatoribus editam fuisse, interuentu Alipij ad eos missi, credibile est. Accessit *Alterum edictum Constantij.* & aliud edictum Constantij Imperatoris, quo Celestius, qui Romam iterum se recipere ausus erat, excedere iussus, & compulsus fuit, anno circiter 420. Quónam autem Româ, & Italiâ pulsus se contulerit, incertum est. Affirmant aliqui Britanniam natale solum (erat enim Hibernus) cum Pelagio repetiisse; idque ex eo coniiciunt, quòd ex Prospero lib. contra Collator. & in Chronico, constat insulam illam circa ann. 429. à Pelagio & Celestio, corúmque *Pelluntur Roma, aliisque locis, & damnantur à Concilio Ephesino.* discipulis deprauatam fuisse. Iulianus verò Campaniâ pulsus, & Episcopatu priuatus Constantinopolim ad Nestorium se recepit cum Orontio, & Iulio, eâdem hæresi infectis. Qui & benignè eos excepit, & pro illis plures epistolas ad Cælestinum Papam scripsit. Quibus ille respondens grauiter reprehendit fauorem, & patrocinium, quod Pelagianis impertiebatur. Isti verò cum Nestorio fautore suo ad Concilium Ephesinum profecti, ibidem pariter cum illo damnati fuerunt, vt testatur epistola Synodalis ad Cælestinum, quæ habetur in actis Concilij Ephesini, éstque epistola 12. apud Cyrillum Alexandrinum. Atque ita hæresis Pelagiana, quæ priùs in Occidente detecta fuerat, & proscripta; in Oriente quoque à Concilio Oecumenico (quod Iulianus, aliique Pelagiani sæpius postulauerant) æque damnata fuit.

SECTIO IV.

Initia & progressus hæresis Semipelagianæ.

19. *Error Adrumetinorũ.* OCCASIONE scriptorum D. Augustini contra Pelagianos, orti sunt varij errores, ipso adhuc viuente. Vnus, eorum qui existimarunt eum tollere libertatem arbitrij, & vtilitatem correptionis, commendando nimis, aut extollendo necessitatem, & efficaciam gratiæ. In quo errore fuerunt Monachi Adrumetini: eiúsque occasione scripsit Augustinus librum de Gratia & libero arbitrio, anno circiter 426. & paulò pòst librum de Correptione & gratia, ad Valentinum Adrumetini Monasterij præfectum.

Alter error fuit Episcoporum quorumdam, 20. *Massiliensium querela, & placita.* & presbyterorum Galliæ, prouinciæ Lugdunensis, & Arelatensis, præcipuéque Massiliensis Ecclesiæ: qui, vt testantur Prosper, & Hilarius in suis epistolis ad Augustinum, præfixis libro de prædest. Sanct. existimarunt eum duriora quædam contra sensum communem antiquorum Patrum scripsisse, & odio hæresis Pelagianæ vltra modum prouectum esse: *Multi*, inquit Prosper, initio epist. cit. *seruorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundùm propositum disputasti.* Et paulò pòst, laudatâ eorum probitate vitæ, & commemorato periculo imminente ab eorum dissensione, quæ lecto libro Augustini de correptione, & gratia, non sopita, sed aucta fuerat: exponit sigillatim quænam esset illorum sententia, dicens hanc illorum definitionem ac professionem esse; omnem quidem hominem, Adamo peccante, peccasse; & neminem per opera sua (solis naturæ viribus facta) sed per Dei gratiam regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam: vt quicunque ad fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Et Deum præsciuisse quinam essent credituri, & in fide, iustitiáque mansuri, illósque in regnum suum prædestinasse: non autem ex puro beneplacito, eligendorum, & reiiciendorum discretionem fecisse: ex quo multa dicebant oriri absurda, & incommoda: Quidquid verò in contrarium afferret Augustinus ex epist. D. Pauli ad Roman. à nullo vnquam Ecclesiasticorum ita fuisse intellectũ. Addebant, inquit, eorum aliqui à Pelagianis semitis minùs declinantes, gratiam, quæ omnia præuenit merita humana, esse naturam ipsam, & libertatem arbitrij gratis à Deo creatam, vt per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, suam possit dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam propriè dictam, quâ in Christo renascimur, peruenire posse per naturalem facultatẽ, petendo, quærendo, pulsando: vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruit peruenire. 3. Propositũ vocantis gratiæ dicebant in eo consistere, quòd Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere: & ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter, siue per legem naturalem, siue per legem scriptam; siue per Euangelicam prædicationem vocari: vt & qui voluerint, fiant filij Dei: & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint. 4. Tantum habere vnumquemque facultatis ad bonum, quantum habet ad malum: paríque momento

animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appetentem gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta suscipiat. 5. Ex infantibus vsu rationis carentibus, boníque vel mali operis incapacibus, istos baptizari, & saluari: alios mori sine Baptismo, & damnari: quia Deus præsciuit quales futuri essent, si ad ætatem adultam peruenissent: essêntne scilicet credituri, & bene acturi, necne. 6. Similiter cur aliquas nationes infidelium Deus illustret luce, & prædicatione Euangelij, alias non, causam esse, quia præuidit illos esse credituros, non istos: nec vacillare illud quod Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quandoquidem inexcusabiles sunt, qui & ad vnius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali: & Euangelium ideo non audiuerint, quia nec fuerint recepturi. 7. Christum pro vniuerso humano genere mortuum esse, & neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum, sed ad omnes pertinere diuinæ misericordiæ Sacramentum, quo ideo multi non renouantur, quia quod nec renouari vtile (aliàs, *velle*) habeant, prænoscuntur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderunt, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperunt. Cúmque duo sint, quæ in adultis humanam operantur salutem: Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt esse obedientiam, quàm gratiam: vt initium salutis ex eo qui saluatur, non ex eo credendum sit stare qui saluat: & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.

21. *Eorum error.* Hæc de illis Prosper, addens prope finem epistolæ, in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibram nutriri, si principium salutis malè in homine collocatur: si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit; non ideo quia adiuuatur, velit: si originaliter malus receptionem boni, non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donauerit. Quibus verbis docet breuiter in quo errauerint: deindéque proponit Augustino quæ ab ipso circa huiusmodi difficultates motas à Massiliensibus, & Episcopis Galliæ, explicari desideret.

22. *Volebant initium salutis esse ex natura viribus.* His similia scripsit Hilarius ad eundem Augustinum, dicens putare illos, excludi omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur in homine remansisse dicatur: & omnes quidem in Adamo periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari, sed nihilominus remansisse in illis aliquid, quo velint credere, & sanari: & eo merito quo voluerint, & crediderint, ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Neque propterea ad vllum opus bonum vel inchoandum, vel perficiendum, quemquam sibi sufficere posse; quia non est censendum inter opera bona, & opera curationis, quòd ægrotus velit sanari. Quando enim dicitur, *Crede, & saluus eris:* vnum exigitur, & aliud offertur: vt propter id quod exigitur (propter fidem scilicet) si redditum fuerit; id quod offertur, deinceps tribuatur. Neque negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat; non autem quicquam ipsa iam valeat. Quódque dicitur Rom. 2. Deum vnicuique partiri mensuram fidei, sic intelligendum esse, vt adiuuetur qui cœperit velle: non vt etiam donetur vt velit. Et si dicatur talem in omnibus remansisse voluntatem, quâ vel contemnere quis valeat, vel obedire, de compendio reddi posse rationem electorum, vel reiectorum, in eo quod vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur. Quòd etiam vnis prædicetur Euangelium, aliis non, causam esse quòd Deus præsciret illos credituros, non istos: atque hoc ipsum docuisse Augustinum in quæst. contra Porphyrium, & in expositione epistolæ ad Romanos. Ceterùm præscientiam, & prædestinationem vel propositum Dei ad hoc valere, vt eos præsciuerit, vel prædestinauerit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri: nec de hac fide posse dici, *Quid habes, quod non accepisti?* cùm in eadem natura remanserit, licèt vitiata, quæ priùs sana, ac perfecta donata sit. Et perseuerantiam non esse talem prædicandam, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter non possit: cùm ad illam obtinendam, vel amittendam euidens sit qualecunque initium voluntatis. Præscientiam quoque sic accipiendam esse, vt propter fidem futuram intelligendi sint præsciti. Inutilémque fore exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare: si ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonstratæ mortis horretur. Nam si non potest timere quis vnde terretur, nisi ex voluntate quæ sumitur: non ex eo culpandus est quòd nunc non vult: sed in eo, & cum eo, qui sic aliquando noluit, vt eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, vt nunquam recta, semper autem praua vellet appetere. Si autem est qualiscunque dolor, qui ad exhortationem corripientis oriatur; hanc ipsam esse causam, propter quam vel reiiciatur alius, vel alius assumatur.

Molestè etiam ferebant, vt addit Hilarius, ita diuidi ab Augustino gratiam datam primo homini, ab ea quæ nunc datur: vt ille accepe-rit perseuerantiam, non quâ fieret vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseuerantiæ detur: sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm, vt sine isto perseuerantes esse non possint: verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Sed in hoc solo volebant à primo homine ceterorum hominum distare gratiam, quòd illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, sine qua perseuerare non poterat: hos autem perditis viribus credentes tantùm, non solùm erigat prostratos; verùm etiam suffulciat ambulantes. Denique nolebant recipere definitum esse numerum eligendorum, & reiiciendorum; ita vt Deus non velit omnes omnino saluos facere, si velint homines cooperari. 23. *Quid sentirent de gratia naturæ innocentis, & de gratia naturæ lapsæ.*

24. *Pugna inter illos, ac Augustinū & Prosperum.* His litteris permotus Augustinus scripsit librum de Prædestin. Sanctorum, & librum de Bono perseuerant. quibus partim ostendit non bene ab illis obiectoribus fuisse intellecta quæ scripserat: partim ea exponit & confirmat, quæ durè nimis, aut minùs verè dicta fuisse existimabant. Neque tamen propterea quieuit eorum contentio: sed mortuo Augustino, qui sub extremum vitæ prædictos libros elaborauit, cœperunt acriùs eius doctrinam voce, & scripto exagitare; Hilariúmque, & Prosperum fortiter resistentes impetere. Ac primò quidem Presbyteri Galli communi consilio quædam ediderunt capitula, quibus proponebant quicquid in doctrina S. Augustini odiosum, & execrabile se reperisse dicebant. Tum, quia Prosper conatus erat obiectiones eorum diluere, vnus ex illis, Vincentius nomine, sexdecim alias contra ipsum Prosperum edidit, quæ ipsum erroris vel blasphemiæ arguebant. Et his etiam respondit Prosper eo libro, qui inscribitur responsio ad Obiectiones Vincentianas. Scripsit præterea alium ad Excerpta Genuensium, id est, ad nonnulla doctrinæ sancti Augustini capita, quæ ipsi non contradicendi animo, sed discendi studio à Prospero explicari desiderauerant. Quos idcirco Prosper non vt calumniatores, sed vt fratres, & amicos benignè tractat. Præcipui autem inter Gallos Augustini reprehensores fuerunt Faustus postea Rhegiensis Episcopus, & Ioannes Cassianus Monachus, & Presbyter, qui peragratis ant● Monasteriis Ægypti, Massiliæ sedem fixerat, & virtutis doctrinæque laude florebat. Quorum & aliorum doctrinæ vel auctoritati cùm resistere non possent Hilarius & Prosper, recurrerunt ad Cælestinum Summum Pontificem, qui Bonifacio successerat. Ille autem, vt huiuscemodi turbas compesceret, scripsit epistolam ad Episcopos Galliæ, quæ habetur in fine tomi 7. operum Diui Augustini, & inter opera sancti Prosperi: grauiter eos reprehendens, quòd presbyteris Massiliensibus, & aliis permitterent supra ipsos Episcopos disputare; quódque tam negligenter se gerendo in hac causa, viderentur illis conniuere & patrocinari. *Timeo*, inquit, *ne conniuere sit, hoc tacere. Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas, si falsitas displiceret.* Tum laudato Augustino, tanquam sanctæ recordationis viro pro vita sua atque meritis in communione Ecclesiæ semper habito, nec vnquam sinistræ suspicionis rumore asperso, tantáque scientia prædito, vt inter magistros optimos semper à suis prædecessoribus haberetur, quíque vbicumque cunctis, & amori fuerit, & honori: addit cap. 3. epist. suprà cit. Quia nonnulli specie tenus Catholici, reuera tamen Pelagiana labe infecti, obloquebantur Augustino, & aliis Ecclesiæ defensoribus, velut vltra modum progressis in suis contra Pelagium disputationibus, profitebantúrque ea se tantummodo sequi, & probare, quæ Sedes Apostolica circa huiuscemodi controuersias statuisset; necessarium sibi fuisse ad has lites terminandas, & pacem Ecclesiæ procurandam, diligenter inquirere quid Romani Pontifices Innocentius, & alij sui prædecessores, quorum temporibus exorta fuerat, & propagata hæresis Pelagiana, de gratia tenendum esse censuerint. Posteáque subiungit capita illa, à Sede Apostolica approbata, & ab omnibus Catholicis tenenda. Quorum primum est, in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem (id est, expeditam facultatem bene agendi Adæ congenitam, vt alibi probabimus ex confessione ipsius Iansenij) & innocentiam perdidisse: neminémque de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum Dei gratia miserentis erexerit. 2. Neminem per semetipsum esse bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. 3. Neminem, etiam baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. 4. Quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio. 5. Quòd omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam, laudémque referenda sint: quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donauerit. 6. Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. 7. Anathemati subesse quisquis dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissa sunt; non etiam ad adiutorium vt non committantur. 8. Anathemati quoque subiici quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum, propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum; quia per ipsum nobis aperitur, & reuelatur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, vt quod eligendum cognouimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. 9. Anathema item illi qui dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam. Tanquam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata. 10. Iuxta has regulas Ecclesiasticas, & documenta ex diuina auctoritate desumpta, Deum esse auctorem omnium bonorum effectuum, atque operum, & ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri: cuius auxilio non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de improuidente fit prouidum. Post quæ concludit, profundiores alias quæstiones, quas Pelagij oppugnatores, (inter quos præcipuus fuit Augustinus) tractarunt, se neque contemnere, neque astruere: quia (inquit) ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil subtrahendum est, satis sufficere credimus quicquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: vt prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit

Cælestinus controuersiam decidit.

Propositiones ab illo definita.

præfixis sententiis esse contrarium.

25. *Notanda clausula epistolæ Cælestini.* Hæc igitur illa sunt quæ de doctrina sancti Augustini à Gallicanis Episcopis, & à presbyteris Massiliensibus impugnata approbauit Cælestinus, quorúmve oppositum erroneum esse declarauit: cetera verò quæ ille astruebat, libertati opinandi permisit, & recedendi ab Augustino, sine contemptu tamen, & saluâ in omnibus debitâ tanto Doctori reuerentiâ. Quæ clausula Pontificis diligenter notanda est: tum vt à propositionibus ab eo traditis, tanquam Ecclesiæ dogmatibus, & Sedis Apostolicæ definitionibus nullatenus recedatur: tum etiam vt in hac materia, neque facilè damnetur aliquid, quod istis dogmatibus non fuerit contrarium: neque de fide dicatur esse quod in illis non fuerit contentum, nisi postea inueniatur definitum: vt rectè ait Suares Proleg. 6. de Gratia, cap. secundo.

26. *Cassiani & Prosperi concertatio.* Neque propterea quieuit illorum contentio: sed præcipuus inter illos Ioannes Cassianus edens Collationes Patrum, in decima tertia Chæremonem Abbatem induxit sua, de gratia, falsa dogmata confirmantem. Aduersus quem Prosper alium edidit, quem contra Collatorem inscripsit. Vbi cap. 43. refert obtrectatores Diui Augustini illam eius laudationem in epistola Cælestini contentam pertinere voluisse ad priores eius libros contra Pelagianam hæresim scriptos, non ad posteriores de Correpț. & gratia, de Prædestinatione Sanctorum, & dono perseuerantiæ, quibus maximè offendebantur. Hos autem Prosper ibidem confutat, quoniam (inquit) *In omnibus operibus* (id est in anterioribus libris, quos enumerat) *idem doctrinæ spiritus, eadémque prædicationis forma præcessit, quæ in posterioribus magis magísque roboratur, & variis modis contra diuersas quotidie inuentas hæreticorum tergiuersationes explicata est. Ideo Apostolica Sedes quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat: & quod iudicio iungit, laude non diuidit.*

SECTIO V.

Hæresis Semipelagianæ damnatio, & occasus.

Sixtus restitit Pelagianis, & Semipelagianis. CVm autem hæc scriberet Prosper, mortuo Cælestino successerat Sixtus; de quo sic ait cap. 44. eiusdem libri: *Confidimus Dei protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, & Cælestino, operetur in Sixto: & in custodia dominici gregis, hæc sit pars gloriæ huic reseruata pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos*, Pelagianos scilicet; *ita hic depellat occultos*, nimirum Semipelagianos, eorum reliquias. Fuerat Sixtus antea presbyter Ecclesiæ Romanæ: déque illo, cùm primùm ferè Pelagiana hæresis publicè, & apertè caput extulit Romæ, sparsus fuerat rumor, quòd faueret Pelagio, eiúsque sectæ magnus patronus existeret. Sed quàm id falsum esset, patefecit scriptis contra eius hæresim libris illis, quorum meminit Diuus Augustinus in epistola 104. ad eundem Sixtum, & sequenti epist. 105. vbi refert ipsum primùm, è clero scilicet Romano, contra Pelagium anathema pronunciasse: postquam videlicet ab Innocentio damnatus fuisset: cuius condemnationis literas misit ad Africanos Episcopos, suas adiungens, indices vigoris, & odij, quo errores damnatos insectabatur. Eodémque vigore se illis opposuit factus iam Pontifex, & supremus pastor Ecclesiæ. Præcipuè verò restitit Iuliano Pelagianorum primario post Cælestium: cui, licèt spem correctionis præseferenti, & quibuscunque poterat artificiis, & conatibus reditum ad suam Ecclesiam, & ad Episcopatum, vnde pulsus fuerat, obtinere procuranti, constantissimè negauit.

Sicut autem Sixto II. Papæ ac Martyri falsò tributus fuit à Ruffino liber Sixti philosophi, multa Pelagianis consentanea, & affinia continens. Sed imposturam detexit Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem, quæ nondum innotuerat Augustino. quando in libro de Natura, & gratia cap. 64. philosophum citauit pro Pontifice. Postea verò hunc errorem aduertit, & correxit lib. 2. Retract. cap. 42. Sic isti Sixto III. Pontifici æquè falsò tribuuntur alia quædam opuscula Pelagianis erroribus infecta: De quibus vide Baronium in fine tomi 5. vbi rectè ostendit neque Gennadium, neque vllum alium ex antiquis, huiusmodi opuscula Sixto Pontifici adscripsisse. 27. *Sixtus II. & III. tributi falsò libri.*

Illo vitâ functo Sedem Apostolicam obtinuit Leo: cuius vigore, & diligentiâ contritam fuisse Pelagianam hæresim, & penè extinctam affirmat Prosper in Dimidio temp. cap. 6 cuius ille operâ præcipuè vsus est contra eosdem hæreticos, vt ait Photius in Bibliotheca: & inter alia statuit, vt habetur in eius epist 85 ad Metropolitanum Venetiæ, vt qui ab hæresi Pelagiana reuertebantur, non admitterentur ad communionem Ecclesiæ, nisi priùs damnarent apertis professionibus suis, erroris auctores, & quicquid in doctrina eorum, vniuersalis Ecclesia exhorruit, detestarentur, omniáque decreta Synodalia, quæ ad excisionem huius hæreseos Apostolicæ Sedis confirmauit auctoritas, amplecti se, apertis ac propria manu subscriptis protestationibus, eloquerentur. Quâ constitutione breuiter confirmauit suorum prædecessorum sententias contra Pelagium. Ab eodem missos fuisse canones ad Episcopos in Concilio Arausicano congregatos plerique hoc & superiore sæculo scriptores existimarũt, atque inter cæteros Franciscus Suares Prolegom. 6. de Gratia cap. 1. num. 17. & sequentibus: Baronius quoque ad ann. Christi 463. maluit Synodum illam non sub Leone Papa, sed sub Hilario eius successore fuisse celebratam. Verùm in Appendice ad Annales Ecclesiasticos, quæ habetur in fine Tomi 10. reiectâ primâ, atque aliàs communiori sententiâ, atque etiam secundâ ipsius propriâ, contendit esse celebratam sub Romano Pōtifice Felice IV. anno Christi 529. Decio V. C. Consule. Quam sententiam video ab eruditis recentioribus plurimùm probari. 28. *Leonis Papæ edictum contra illos.* *Canones Arausicanos ab eo missos quidam putarunt.*

Coacta fuit hæc Synodus occasione cuiusdam basilicæ in vrbe Arausicana dedicandæ, vt affirmant Patres in eius præfatione, his verbis: *Cùm ad dedicationem basilicæ, quam illustrissimus Præfectus & Patritius, filius noster Liberius in Arausicana ciuitate, fidelissimâ deuotione construxit, Deo propitiante, & ipso inuitante conuenisse-* 29. *Occasio. & causa huius Concilij celebrandi.*

mus: & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset oborta collatio, peruenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minùs cautè, & non secundùm fidei Catholicæ regulam sentire velint. Vnde & nobis secundùm auctoritatem, & admonitionem Sedis Apostolicæ, iustum & rationabile visum est, vt pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de cæteris scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter quàm oportet sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui huc vsque non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.

30. *Canones in eo stabiliti.* Sequuntur canones, quorum primo definitur, per offensam præuaricationis Adæ, totum hominem, id est, secundùm animam, & corpus, in deterius fuisse mutatum, læsámque ipsius libertatem. 2. Præuaricationem Adæ nocuisse etiam ipsius propagini: neque mortem corporis solùm, quæ pœna peccati est: sed & peccatum ipsum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum fuisse transfusum. 3. Contradicere scripturæ eum, qui dicit ad inuocationem humanam, gratiam Dei posse conferri: non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis. 4. Spiritui Sancto resistere, si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram (naturaliter scilicet operantem) à Deo expectari contendit: non autem vt purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nobis fieri. 5. Apostolicis dogmatibus aduersari, si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem Baptismatis peruenimus, naturaliter nobis inesse dicit: non autem per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem. 6. Resistere Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* &, *Gratia Dei sum id quod sum*, si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri: non autem diuinitùs vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Spiritus Sancti fieri confitetur: aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium. 7. Falli hæretico spiritu, si quis affirmat per naturæ vigorem, bonum aliquod ad salutem pertinens vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, euangelizanti prædicationi consentire nos posse absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati. 8. Non posse hominem per solum liberum arbitrium, sine Dei misericordia, peruenire ad gratiam Baptismi. 9. Diuini muneris esse cùm rectè cogitamus, & facimus; Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur. 10. Adiutorium Dei, etiam renatis & Sanctis, semper esse implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare. 11. Neminem quicquam rectè vouere Domino, nisi ab ipso acceperit. 12. Deum tales nos amare, quales futuri sumus ipsius dono: non quales sumus nostro merito. 13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non posse reparari; Quod amissum (id est, *infirmatum*, vt suprà dixit, vel, vt ait inferiùs can. 25. *inclinatum & attenuatum*, non autem penitus extinctum) nisi à quo potuit dari, non potest reddi, id est restaurari & sanari. 14. Nullum miserum de quantacunque miseriâ liberari, nisi qui Dei misericordiâ præuenitur. 15. Ab eo quod formauit Deus Adam fuisse mutatum, sed in peius per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas mutari fidelem, sed in melius per gratiam Dei. 16. Neminem ex eo quod videtur habere, gloriari posse tanquam non acceperit: aut ideo se putare accepisse, quia littera extrinsecùs, vel vt legitur, apparuit, vel vt audiretur, sonuit. Quasi videlicet sufficiat prædicatio, sine internâ gratiâ: Nam sicut Apostolus dicit, *Si per legem iustitia; ergo Christus gratis mortuus est.* 17. Fortitudinem Christianam fieri à caritate diffusâ per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus. 18. Deberi mercedem bonis operibus, si fiant: sed gratiam, quæ non debetur, præcedere vt fiant. Neminémque nisi Deo miserante saluari. 19. Naturam humanam, licèt in illa integritate, in qua est condita, permaneret; nullo modo seipsam Creatore suo non adiuuante seruaturam. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? 20. Nulla bona opera facere hominem sine Deo, præstante vt faciat. 21. Legem & naturam nō iustificasse: ideóque venisse Christum vt legem impleret, & vt natura perdita per illum repararetur. 22. Neminem habere de suo, nisi mendacium & peccatum: id est, nihil aliud habere merè de suo, sine aliquo Dei auxilio supernaturali, vel naturali, ad hoc per se dato. 23. Præparari à Deo voluntatem, quando homines voluntariè diuinæ seruiunt voluntati. 24. Manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodesse, & non Christo: sicut palmes in vite manens non illi confert vt viuat, sed ab illa accipit vnde viuat. 25. Prorsus donum Dei esse diligere Deum. Ac secundùm sanctarum scripturarum sententias, & antiquorum Patrum definitiones credendum esse, quòd per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit. Gratiæ quoque Dei esse quòd quis velit baptizari: & acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizatos (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent posse & debere, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Anathema verò esse, qui dixerit aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse: Et salubriter profitendum esse quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem suiipsius

inspirat: vt & Baptismi sacramenta fideliter requiramus: & post Baptismum (cum ipsius adiutorio) ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum. Huc vsque Concilium.

31. Existimarunt plerique hos canones fuisse ex libris Augustini passim decerptos, & conceptos à Prospero, cuius operâ Sixtus Papa contra Semipelagianos plurimùm vsus est in Gallia, Romæ, & Capuæ, atque in totâ Campaniâ, quò cum misit, vt prouinciam illam à Iuliano Capuano Episcopo infectam purgaret. Eodem verò tempore viuebat Faustus Monachus Lirinensis, alter eximius Semipelagianorum patronus, qui post Maximum, & vt vulgò plerique existimant, etiam Prosperum, factus est & ipse Regiensis Episcopus. Sixto autem in Romano Pontificatu successit Leo, Leoni Hilarius, Hilario Simplicius, Simplicio Felix III. qui vt aiunt, scripta Fausti de gratia reprobauit, viso libro Cæsarij Arelatensis, quem contra illum ediderat. Gelasius quoque, Felicis successor, Pelagium & reliquias eius iterum damnauit, verámque doctrinam de gratia confirmauit, reprobans libros Cassiani & Fausti, & commendans libros Augustini, Hieronymi, & Prosperi; vt habetur cap. *Sancta Romana*, in decreto de libris authenticis. Audiénsque Semipelagianos tum alibi occultè spargere sua dogmata: tum in Dalmatia & Piceno vigere Pelagianismum, eruditas scripsit epistolas ad hoc malum reprimendum, & extirpandum, quæ habentur tomo 1. Conciliorum. Eiusdem Fausti libros reprobauit Hormisda, qui post Anastasium II. & Symmachum successit Gelasio: vt videre est in eius epistola 70. ad Possessorem. Vbi etiam dicit: Quid de libero arbitrio, & gratia Dei sequatur Romana, id est, catholica Ecclesia, licèt in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum, possit cognosci: tamen in Scriniis Ecclesiasticis expressa capitula contineri, quæ id doceant. Hæc autem capitula existimo esse vel quæ tradidit Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, quæ retulimus suprà num. 24. vel quæ Romanus Pontifex seu S. Leo, seu vt alij, Felix IV. misit ad Synodum Arausicanam, vt paulò antè diximus. Et huc vsque videtur durasse pugna contra Semipelagianos. Nam ceteri Pontifices nihil aliud videntur specialiter contra ipsos decreuisse, aut moliti esse. Quod signum est sectam illam non diu pòst in vigore fuisse. Ex his autem omnibus videre est quanto studio Summi Pontifices, & Ecclesia tam Orientalis, quàm Occidentalis, per suos Antistites, multásque Synodos Pelagianis, & Semipelagianis erroribus sese opposuerint, verámque, & Catholicam de gratia, liberóque arbitrio doctrinam conseruauerint.

Libri Fausti damnantur à multis Pötificibus.

Epist. 5. & 7.

Occasus hæresis Pelagianæ.

SECTIO VI.

Vnde petenda sit vera, & certa cognitio hæresis Pelagianæ, & Semipelagianæ.

EX dictis etiam constat vnde petenda sit vera, & certa cognitio errorum Pelagij, & Semipelagianorum. Nimirum ex definitionibus Summorum Pontificum suprà nominatorum, & Conciliorum, quorum mentionem fecimus, quorúmve acta breuiter retulimus. Non enim erroneum, aut hæreticum iudicandum est quicquid dixerunt Pelagiani, aut Semipelagiani: cùm, vt ait ipsemet aduersarius lib. 8. de gratia Christi cap. 21. non omnia quæ hæretici docent, sint hæretica. Mos enim solemnis omnium hæreticorum est, vt falsis vera misceant, miscendóque perturbent omnia, quo venenum, quasi melle circumlitum, ab incautis cum securitate hauriatur. Vnde August. lib. 2. quæst. Euangel. q. 40. *Nulla*, inquit, *falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Et, eodem auctore, hæresis veluti lepra est, quæ sicut veris falsisque colorum fucis corpora humana variando maculat; ita hæresis vera falsis inordinatè permiscendo, totum doctrinæ vel sermonis corpus inficit: vt multâ circumspectione opus sit, quâ mundum ab immundo, verum à falso separetur. Hæc Iansenius: qui tamen frequentissimè in eo peccat, referens ad errores Pelagianorum aut Semipelagianorum, quæ illi dixerunt de libertate indifferentiæ, & aliis certis apud omnes verè Catholicos fidei dogmatibus: quæque ex eorum scriptis aut fragmentis, velut ab illis asserta transcribuntur. Quasi hoc solum sufficiat, vt censeantur hæretica: licèt neque à Sede Apostolica, neque ab vllo Concilio fuerint damnata. 32.

Petenda est ex definitionibus Pontificum, & Cöciliorum.

Non est erroneũ quicquid dicunt hæretici.

Sed neque etiam existimandum est quicquid Hieronym. Augustin. Prosper, aliíque Patres contra illos scribentes dixerunt, esse fide diuina certum, aut doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, ita vt oppositum censendum sit erroneum, & Pelagianum. Quasi verò Patres non etiam priuatis suis opinionibus, & argumentis probabilibus, atque humanis interdum rationibus vtantur, & quibuscumque modis, quæ ad impugnandum errorem conducere posse arbitrantur: atque etiam interdum adhibeant argumenta, vt vocantur, *ad hominem*. quæ licèt falsa, supponuntur tamen, & conceduntur ab aduersariis tanquam vera. Interdum etiam nonnihil declinant ad alterum extremum, errori quem impugnant oppositum: vt de illis generaliter affirmauit Tarasius in II. Synodo Nicæna act. 6. & de August. speciatim plurimi notarunt, quorum testimonia referemus inferiùs disp. 12. sect. 5. Certè quidem Cælestinus Pontifex pauca de doctrina illius ab Episcopis Gallicanis reprehensa approbauit tanquam certa, & ab omnibus Catholicis tenenda; cetera libertati opinandi permisit, vt vidimus num. 24.

Neque est de fide quicquid à Patribus contra illos dicitur.


33. Multò minùs existimandum est, errorem esse Pelagianum, aut Semipelagianum, quicquid Iansenius tale esse comminiscitur. Quippe qui illud omne, quod in doctrina Theo-

Non est Pelagianum quicquid tale dicit esse Iansenius.

logorum ipsi displicet, licèt in omnibus Academiis Catholicis, totáque Ecclesia, à quadringentis, & ampliùs annis communiter receptum, atque à sanctis Patribus communi consensu assertum circa gratiam & liberum arbitrium, peccatum originale, vel actuale, ignorantiam, & concupiscentiam, prædestinationem aut reprobationem, aliáque id genus, non veretur hæresis Pelagianæ censurâ notare: aut falsis, & damnatis Semipelagianorum dogmatibus accensere: vt videre est lib. 2. & seqq. quos de hæresi Pelagiana, & Semipelagiana conscripsit, & reliquis deinceps operis sui partibus.

34. *Multa dogmata Catholica insimulat hæresis Pelagianæ.* Huiusmodi sunt. 1. Quòd per peccatum Adæ non perierit libertas indifferentiæ circa bonum & malum. 2. Quòd nemo peccet culpabiliter sine huius libertatis vsu. 3. Quòd ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti excuset à peccato. 4. Quòd Deus non præcipiat impossibilia. 5. Quòd dentur aliqui actus naturales moraliter boni. 6. Quòd detur gratia sufficiens in hoc statu naturæ lapsæ, illáque omnibus adultis, & ratione vtentibus offeratur. 7. Quòd auxilium gratiæ datum in hoc eodem statu, non necessitet voluntatem, sed illi resisti possit. 8. Quòd nos gratiæ cooperemur, & ex bono opere aliquid laudis, & meriti in operantem redundet. 9. Quòd Deus velit generaliter omnes homines saluos fieri. 10. Quòd Christus etiam pro omnibus mortuus sit. 11. Quòd Deus neminem positiuè reprobauerit propter solum peccatum originale, licèt in Baptismo remissum: neque sic aliquos pro suo mero beneplacito elegerit, aliósve reiecerit, vt illi saluentur per media necessitantia; isti damnentur necessariò, propter defectum mediorum sufficientium. Quasi verò hæc, aliáque similia dogmata iam à primis Ecclesiæ temporibus receptissima, vt perspicuè ostendunt Theologi, & nos inferiùs suis locis patefaciemus, sint numeranda inter errores Pelagij, cuius hæresim fuisse nouam restatur Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ: *Desinat*, inquit, *incessere nouitas vetustatem.* Et Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum, capite octauo: *Sciant*, inquit, *à nobis rectam, & antiquitus fundatam Catholicam fidem, aduersus recentem Pelagianorum hæreticam præsumptionem, perniciémque defendi.* Et Vincentius Lirinensis in libro aduersus profanas hæresum nouitates, vbi affirmat neminem ante Pelagium ita sensisse de gratia. Et denique Innocentius I. rescribens Episcopis Concilij Africani contra Pelagianos celebrati, illúdque confirmans, nihil aliud docuit, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perseueranter Ecclesia, vt dicit Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 4. Dogmata verò supradicta, fuisse iamdiu ante Pelagium communiter recepta inter Catholicos, & à sanctis Patribus tradita, imò etiam pleraque in sacris literis satis euidenter expressa, certo certius est, vt ostendemus tota 2. & 3. parte huius Operis, vbi priùs cetera, quæ de hæresi Pelagiana prosequitur Iansenius, examinauerimus.

35. Concludo itaque inter errores, & hæreses Pelagianorum, aut Semipelagianorum, ea solùm numeranda esse, quæ primùm damnauit iudicium Episcopale Carthagine habitum contra Celestium, anno 412. tum deinde Concilium Diospolitanum; & Africanæ seu Carthaginenses, ac Mileuitana Synodi: Summique Pontifices Innocentius, Zozimus, & Cælestinus, in epistolis suprà citatis: ac denique Synodus Arausicana secunda. Quæ cuiusmodi sint, breuiter hac totâ disputatione retulimus, & in sequentibus fusiùs declarabimus. Nihil enim aliud præter illa definitum reperitur: neque tale quicquam esse sine certis argumentis, expressísque definitionibus, credendum est: quicquid dicant aduersarij, qui ex suo cerebro Pelagiana dogmata confingunt.



DISPVTATIO III.

An, & quomodo errauerint Pelagiani circa liberum arbitrium?

SECTIO I.

Synopsis doctrinæ Iansenij hac de re.



INTER Pelagiana dogmata, quæ singillatim exponere aggreditur Iansenius tomo 1. lib. 2. cap. 1. & sequentibus, primum istud recenset: Quòd in libertatis explicanda ratione, proprietatibus, potestate, in multos errores præcipitati sint. Nam, inquit, liberi arbitrij essentialem definitionem tradebant per potestatem indifferentiæ ad bonum & malum: vt liquet ex istis Iuliani verbis apud August. lib. 1. Operis imperfecti fol. 118. *Sicut suprà de iustitia, & peccati definitione disseruimus; nunc quoque videamus quæ libertati abitrij definitio competat: vt planum sit quis nostrûm consentiat, quis repugnet. Libertas arbitrij, quâ à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistit.* Et inferiùs: *Libertas igitur arbitrij possibilitas est* (id est facultas) *vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, quæ in suopte iure habet vtram suggerentia partem sequatur, id est, vel ardua asperáque virtutum, vel demersa, & palustria vitiorum.* Et post multa, fol. 150. Augustino sic exprobrat: *Non minori planè stultitiæ professione, quàm profanitate, liberum vocas, quod dicis nisi vnum velle non posse.* 1. *Definitio libertatis tradita à Pelagianis.*

Deinde, licèt in actionibus indifferentibus, quales sunt, loqui, videre, ingredi, & similibus, indifferentiam contradictionis ad agendum & non agendum putarent sufficere rationi libertatis: tamen quoad virtutem, & vitium prorsus necessariam statuebant indifferentiam contrarietatis, siue quæ est ad agendum bonum & malum: vt liquet tum ex verbis Iuliani modò relatis, tum ex istis Pelagij, in epistola ad Demetriadem: *Volens Deus rationabilem creaturam voluntarij boni munere, & liberi arbitrij potestate donare, vtriusque partis possibilitatem* (id est potentiam, seu facultatem) *ho-* 2. *Volebant esse indifferentem ad bonum, & malum.*

mini inserendo, proprium eius fecit esse quod velit, vt boni, & mali capax naturaliter, vtrumque posset, & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum, nisi æquè etiam malum habere potuisset.

3. *Nec quemquam sine illa, bene vel malè operari moraliter.* Hanc porro indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum tam essentialem esse libertati credebant, vt sine illa neque bonum, neque malum in moribus vel actibus intelligi posset: vt affirmat Pelagius epist. cit. sic dicens: *Nec esset omnino virtus vlla in bono perseuerantis, si is ad malum transire non potuisset.* Et Iulianus apud Augustinum lib. 1. Operis imperfecti, fol. 122. *Si ergo est*, inquit, *vt ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum, vt nemo sit vel bonus, vel malus, cui non sit liberum esse contrarium, &c.* Et inferiùs fol. 146. *Catholici, id est, nos dicimus*, inquit, *quòd ab initio vsque ad finem, sine aliquo naturalium coactu voluntas, & ante Baptismum, & post, in vnoquoque delinquit: quæ illo ipso tempore, quo peccat, potestatem habet recedere à malo, & facere bonum, vt constet ratio libertatis.*

4. *Possibilitatem ad malum bonam, & vtilem esse dicebãt.* Atque istam indifferentiam contrarietatis ita prædicabant, vt etiam ipsam mali perpetrandi potestatem vtilem atque bonam esse constituerent. *Hoc quoque ipsum* (inquit Pelagius epist. cit. ad Demetriadem) *quòd etiam mala facere possumus, bonum est. Bonum, inquam, quia boni partem meliorem facit. Facit enim ipsam voluntariam, sui iuris, non necessitate deuinctam, sed iudicio liberam.* Eidémque libertati ad bonum & malum nihil æquè repugnare statuebant, ac necessitatem. *Et necessitatem capitaliter repugnare libertati.* Ideóque eius essentiam Iulianus in possibilitate vtriusque partis (id est, in potestate ad vtrumlibet) collocabát, & expertem necessitatis, ac propulsatricem necessitatum appellabat: exprobrans Augustino liberum ab eo arbitrium, antè boni, postea mali necessitate subuerti.

5. *Imaginem Dei in illa constituebant.* Secundò, in eadem quoque indifferentia ad eligendum bonum, aut malum, consistere putabant rationem imaginis illius, ad quam homo conditus est; & humanæ conditionis decus supra cetera animalia: vt non obscurè docet Pelagius epist. ad Demetr. his verbis: Iansen. c. 2. *In hoc gemini itineris* (ad bonum & malum) *discrimine, in hac vtriusque libertate rationalis animæ decus positum est. Hinc, inquam, totus naturæ honor consistit, hinc dignitas, hinc denique optimi quique laudem merentur, hinc præmium.* *Et affirmabant esse indelebilem.* Et quia Dei conditoris imago naturalis nullo conatu siue hominis, siue dæmonis, deleri ex homine potest, idcirco istam libertatem, seu naturalem possibilitatem boni, quam in creatione acceperat, nullo modo amitti posse contendebant. *Nos dicimus* (inquit Iulianus) *liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, neque Adæ peccato perire potuisse. Quod Scripturarum omnium auctoritate firmatur.* Et Augustinum, aliósque Catholicos Manichæismi accusabant, quòd liberum arbitrium primi hominis peccato periisse affirmarent; vt videre est lib. 1. Operis imperfecti, contra Iulian. fol. 164. Addebántque inutiles iam fore exhortationes Scripturæ ad bene operandum, consiliáque, & præcepta diuina, & humana, si periit naturalis illa possibilitas flectendi se in vtramque par- (Lib. 1. ad Bonif. cap. 15.)

tem: nulla etiam fore bona, vel mala merita, neque iustitiæ diuinæ æquitatem defendi posse. *Tota enim diuini plenitudo iudicij tam iunctum habet negotium cum hac libertate hominum, vt harum qui vnam agnouerit, ambas nouerit. Sic igitur, & libertas humani custodiatur arbitrij, quemadmodum diuina æquitas custoditur. Vnde fit vt harum vnam qui violauerit, ambas violet:* inquit Iulianus apud August. libro cit. fol. 120.

Tertiò, tantas esse vires in hac naturali libertate, bonique ac mali possibilitate existimabant, vt quæcunque siue interiùs, siue exteriùs, ad bene vel malè operandum incitarent, quæcumque obiecta, vel cogitationes, aut passiones, animique desideria, & motus allicerent, quicquid tandem siue Angeli, siue homines, adeóque Spiritus ipse Sanctus suaderet atque suggereret; nihil de suo imperij principatu domina illa libertas amitteret, sed plenissima discernendi potestate penes vim rationis ac voluntatis permanente, sola fieret ad malum bonúmque suasio ac prouocatio: nutus verò probandi vel improbandi, vtendi, & repellendi, in illa naturalis indifferentiæ libertate, ac naturali possibilitate consisteret *Tantùm dicunt valentem* (humanam naturam) *vt suis viribus in origine suæ creationis acceptis possit per liberum arbitrium, nihil vlteriùs adiuuante illius gratia qui creauit, domare & extinguere omnes cupiditates, tentationésque superare*; inquit de Pelagianis Augustinus initio epist. 95. profitentúrque ipsi se ita sentire, quando sic loquuntur apud eundem Augustinum lib. 1. ad Bonifac. cap. 18. *Hominem opus Dei defendimus, nec ex vllius potentia vel in malum, vel in bonum, inuitum aliquem cogi*; id est, necessitari: nam frequenter coactionis nomine intelligebant Pelagiani necessitatem, vt agnoscit ipse Iansenius, & multis eorum testimoniis confirmat tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. vltimo. 6. *Quantas vires illi tribuerint* Iansen. c. 3.

Quartò, consequenter docebant motus indeliberatos animi, siue bonos, siue malos, & quicquid ante liberum voluntatis nutum in animum incideret, nonnisi prouocationem quandam, vel adiutorium, vel occasionem datam ad bonum, aut malum, minimè autem necessitatem alterius partis impositam esse censebant. Sic enim Iulianus apud Augustinum lib. 1. Operis imperfecti, fol. 38. *Motus animi*, (liber scilicet) *eius iam est, qui per ætatem iudicio rationis vti potest. Cui cùm pœna monstratur & gloria, aut contrà, commodum, vel voluptas, adiutorium & velut occasio offertur, non necessitas imponitur partis alterius.* Quam doctrinam (inquit Iansenius) hauserant ab Origene Pelagiani: quippe qui lib. 1. Periarch. cap. 2. ita scripserat: *Nihil aliud putandum est accedere nobis ex ipsis, quæ cordi nostro suggeruntur, bonis, vel malis, nisi commotionem solam, & incitamentum, prouocans nos ad bona vel mala. Possibile autem nobis est cùm in aliquo virtus* (mala) *nos cœperit ad malum incitare, abiicere à nobis prauas suggestiones, & resistere suasionibus, & nihil prorsus culpabiliter gerere. Similiterque possibile est, vt cùm nos diuina virtus ad meliora prouocauerit, non sequamur; liberi arbitrij potestate in vtroque nobis seruatâ.* 7. *Dicebant eam prouocari, sed non necessitari, ad bene vel malè agendum.* Iansen. c. 4.

Quintò, virtutum omnium semina natura- 8.

Et semina virtutum naturaliter inesse. liter animo nostro insita esse volebant, quæ vocatione aliqua externa, vel interna suscitarétur, & prouocarétur, vt ex naturali illa possibilitate sequeretur opus bonum. Ita vt vocatio quidem & prouocatio esset gratuita: Sed ipsas boni cupiditates ac desideria, ex bono naturæ fundo prosilientia, sicut & ipsum voluntatis nutum, quo probaret ea vel improbaret, naturæ ipsius esse dicebant, & naturalis arbitrij fœtum. Neque rationi consentaneum esse, existimare sensitiuum quidem appetitum, solo aspectu, visibilibus prouocatum illecebris, in congenitos sibi impetus ex rerum cognatarum titillatione emicare: & illam nobiliorem animæ partem, naturalis institutionis beneficio, vt aiebant, propensam ad omnem æquitatem atque iustitiam, adeo sterilem esse, siue maledictam; vt lege culta, & minis, promissis, exhortationibus, aliisque modis agitata, non vicissim possit per illa naturalia virtutum semina, in aliquod exilo germen naturalis sanctitatis erumpere: Sic tamen vt naturalis possibilitas boni & mali, siue ingenitæ libertatis potestas, vtrosque motus, bonos æquè ac malos frænet: & nutu suo, velut domina, neutris seruiendo, se quocunque velit inflectat. (Iansen. c. 5.)

9\. *Et natura viribus esse quòd bene aut malè viuamus.* Sextò denique, cohærenter ad hæc statuebat Pelagius, vtrumque homini per primam naturæ integritatem collatum esse, vt scilicet à voluntatis eius nutu bene vel malè viuere, seu peccare vel non peccare penderet: támque firmam naturam hominis à Deo conditam fuisse, vt omnia eius mandata, quibus vel facere iubetur bonum, vel à malo declinare, volendo duntaxat, implere posset: atque istas bonam, seu bene viuendi voluntatem, perinde ac malam, in hominis arbitrio nutúq; positam esse. *Deus enim tam bonus, quàm iustus, talem hominem fecit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset*, inquit Pelagius apud Aug. lib. de Natura & Gratia, c. 43. Et similiter quoad bonum, *haberet posse per naturale subsidium: haberet velle per liberum arbitrium:* vt ex eius sententia dicit ibidem Augustinus cap. 55. Hæc summatim Iansenius: quæ omnia sintne inter errores Pelagij computanda, sequentibus sectionibus examinandum est. (Iansen. c. 6.)

SECTIO II.

Errauerintne Pelagiani in admittenda libertate indifferentiæ circa bonum & malum?

10\. *Affirmat Iansenius.* ID quidem subdolè persuadere conatur Iansenius lib. 2. de hæresi Pelagiana, cap. 1. cùm, postquam dixit Pelagianos in explicanda ratione, proprietatibus, & potestate libertatis, in multos errores præcipitatos fuisse, ita subiungit: *Quod vt dilucide percipiatur, tota liberi arbitrij essentialis definitio & vberior explicatio ipsorum Pelagianorum verbis, maximéque Iuliani, qui eam ex professo tradidit, atque acerrimè contra Augustinum propugnauit, in medium proferenda est.* Túmque verba Iuliani refert ex lib. 1. Operis imperfecti fol. 118. quibus definit libertatem arbitrij in admittendi peccati, vel abstinendi à peccato possibilitate consistere: aliáque multa ex eodem Iuliano & aliis Pelagianis recitat in eandem sententiam: vt quod illi dixerunt de libertate indifferentiæ ad bene vel malè agendum, inter eorum dogmata ab Ecclesia damnata censendum esse persuadeat simplicibus & incautis lectoribus.

11\. *Ineptitudo illud probat.* Sed nimis hebes & obtusum est istud fallendi artificium. Quis enim nesciat non omnia quæ dicuntur ab hæreticis, esse hæretica: vt iam alibi monuimus: sed ea solùm, quæ in illis, vt talia, damnauit Ecclesia? Neque hoc Iansenium latuit, qui semel atque iterum eâdem exceptione, quam nunc callidè dissimulat, alibi vsus est contra opponentes, dogmata sua cum Lutheranis & Caluinianis consentire. *Non vsque adeo* (inquit in fine præfationis libri 6. de Gratia Christi Saluatoris) *hæretici exorbitare solent, quin sæpe in aliquibus articulis veritatem, in aliis nonnulla veritatis lineamenta retineant:* Et lib. 8. cap. 21. postquam dixit obiici posse suam de concordia gratiæ, liberique arbitrij doctrinam à Caluini sententia non differre: *Respondetur*, inquit, *non omnia quæ hæretici docent, esse hæretica. Mos enim solemnis omnium hæreticorum est, vt falsis vera misceant, &c.* Ad quod confirmandum adducit testimonium Augustini, libr. 2. quæst. Euangel. q. 40.

12\. Cùm igitur, vel ipsius aduersarij confessione, non omnia quæ affirmant Pelagiani, sint inter eorum hæreses numeranda; sed ea solùm quæ Ecclesia damnauit, vt rectæ fidei contraria: absurdissimum est inter falsa eorum dogmata primo loco recensere assertionem libertatis indifferentiæ, quam Ecclesia numquam proscripsit: Sed è contrario Simonianos, Priscillianistas, Manichæos, Planetarios, Wicleffistas, Lutheranos, Caluinistas, & quotquot alij eam negarunt, velut hæreticos & libertatis euersores reiecit: vt ostendemus disp. 30.

13\. *Libertas indifferentiæ est dogma fidei, non error Pelagij.* Et verò, cùm Scripturæ diuinæ vtriusque Testamenti, libertatem indifferentiæ, etiam in statu naturæ lapsæ, apertissimè prædicent plurimis locis: cúmque sancti Patres, siue Pelagio anteriores, siue coætanei, aut posteriores, atque ipsimet eius hæresis impugnatores præcipui & euersores, in hanc veritatem vnanimiter consentiant, in eandémque, veluti notam ipso lumine naturali, omnes homines siue Gentiles, siue Christianos conspirare affirment: non potuit Iansenius nisi absurdissimè eam inter hæreses à Pelagio excogitatas primo loco ponere. Et plusquam stupidos esse oportet, qui sibi persuaserint (quicquid dicat Iansenius) fœtum esse Pelagij, & dogma ab ipso inuentum, importunéque obtrusum, id quod Ecclesiam semper professam esse constat, quódque in sacris literis, & constanti traditione Patrum expressè contineri euidentissimum est.

14\. *Probatur Scripturâ.* Primò enim, quòd Scriptura pluribus locis euidenter commendet libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, etiam in hoc statu naturæ lapsæ, perspicuum fit ex locis sequentibus. Genes. 4. v. 7. Deus Caïnum à fratricidio mente concepto reuocare volens, eum sic alloquitur: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nónne si bene egeris, recipies?* Mercedem scilicet boni operis. *Sin autem malè: statim in foribus peccatum tuum aderit. Sed sub te erit appetitus eius*, peccati videlicet: *& tu dominaberis illius*, nempe appetitus ad peccatum allicientis. Vbi nota primò, sermonem esse de homine post lapsum Adami, nempe de Caïno, déque

operibus bonis aut malis moraliter: *Nónne si bene egeris, &c.* Nota secundò hanc interrogationem: *Quare iratus es?* quæ ostendit Caïnum potuisse, si voluisset, non irasci. Neque enim dicimus leoni, cur rugis? aut cani, quare latras? quos scimus non posse pro arbitrio non rugire, aut non latrare. Nota tertiò, verba illa, *Si bene egeris, recipies: Sin autem malè, &c.* quæ pariter indicant vsum libertatis indifferentiæ. Neque enim dicimus, si volaueris, si solem stare feceris, recipies, &c. quia scimus hæc non subesse hominum libertati, seu potestati ad vtrumlibet. Quartò denique & præcipuè notanda sunt verba illa, *Sub te erit appetitus eius*, peccati scilicet, *& tu dominaberis illius:* quæ manifestè sonant libertatem indifferentiæ, & dominium circa peccatum, peccandique appetitum atque illecebras: vt ibidem agnoscunt sancti Patres, Ambrosius lib. 2. de Abel & Caïn cap. 7. Hieronymus in quæst. Hebraïcis, Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 7. Gregorius lib. 4. Moralium, cap. 17. aliàs 21. aliique plures, de quibus vide Bellarminum lib. 5. de Gratia & libero arbitrio, cap. 22. & Petauium tom. 3. dogmat. theolog. lib. 3. de opificio sex dierum, cap. 2. num. 4. & 5. vbi etiam affirmat hunc locum Genesis à Thargum Hierosol. ita reddi, *Veruntamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ malæ: & tu dominare ei siue ad bonum, siue ad malum.* Hieronymum verò linguæ Hebrææ peritissimum, ita eundem vertere: *Tu dominaberis illius, nempe peccati. Non te inuitum subiicere poterit illius cupiditas. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* id est, appetitus peccati tibi erit subiectus; & tu potestatem illum coërcendi, moderandíque dominium habebis; ita vt, licèt ad peccandum te alliciat, possis tamen eum continere, & resistere si volueris. Quod manifestè significat Caïnum peccasse cum libertate indifferentiæ, seu potestate non peccandi. Nam alioqui subiectus illi non fuisset appetitus peccati; sed ipse potiùs subiacuisset appetitui, si fuisset ab illo necessitatus ad peccandum. Neque habuisset dominium in appetitum peccati, si habuisset antecedentem necessitatem peccandi, & obsequendi appetitui.

15. Idem de aliis generaliùs affirmatur Deuter. 30. vers. 19. vbi Moyses proponens populo Israël Dei mandata, promissionésque factas obseruantibus, & minas intentatas inobedientibus, atque ad illa obseruanda exhortans, ita loquitur: *Testes inuoco cælum & terram, quòd proposuerim vobis hodie vitam & mortem: benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhereas.* Ex quibus verbis sic argumentor: Qui caret libertate indifferentiæ, éstque ad vnum determinatus & necessitatus, non eligit, sed necessariò facit illud vnum, ad quod determinatus est. At is qui Dei mandata seruat, eligit ea seruare. Ergo non est determinatus & necessitatus ad vnum, nempe ad seruandum, vel ad non seruandum; sed habet libertatem indifferentiæ ad vtrumlibet, ac proinde ad bonum & malum. Eodem pertinet illud Iosue, cap. vltimo, v. 15. *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet:* vel seruire Deo scilicet, vel idolis.

Eadem quoque libertas indifferentiæ circa Dei mandata seruanda, vel non seruanda, traditur Ecclesiastici 15. vers. 14. & sequentibus; vbi sic habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, seruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquã & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Vbi non solùm de primo homine, vt vult Caluinus, sed etiam de posteris, déque nobis ipsis in statu naturæ lapsæ existentibus sermonem esse manifestum faciunt verba illa; *Si volueris mandata seruare, &c.* Et, *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, &c.* Eadémque cum præcedentibus tam perspicuè significant libertatem expertem antecedentis necessitatis circa bonum & malum, vt nihil clarius desiderari possit. Nam qui subest antecedenti necessitati, & determinationi ad vnum, ita vt non possit aliud, non est relictus in manu consilij sui, sed in manu necessitatis. *Nemo enim de his rebus consultat, quæ aliter se habere non possunt:* vt rectè dicit Aristot. 6. Ethic. cap. 2. Et, *Consilium homini esset frustrà, si homo necessariò ageret quæ agit*, inquit Euseb. lib. 6. de præparat. Euangel. cap. 7. *Nisi enim ambo possemus, tam istud scilicet, quàm eius contrarium, neutiquam consultaremus*, inquit Nemesius Gregorij Nysseni contemporaneus, & post illum Damascenus l. 2. de fide c. 26. nempe quia consilium est inquisitio viam habẽs ad opposita, virtute cuius voluntas seipsam mouet, non ex necessitate, sed cum potestate eligendi, aut non eligendi hoc vel illud; vt docet S. Thomas quæst. 6. de malo. Ideóque consilium non est circa res quæ necessariò fiunt, sed tantummodo circa res contingentes: vt idem addit 1. 2. quæst. 14. art. 3. Item frustrà essent mandata, & præcepta diuina, si carerent homines libertate indifferentiæ ad ea seruanda: neque verè & propriè dicerentur ea seruare si volunt, nisi seruarent liberè, & sine antecedenti necessitate. Nam qui seruat ex necessitate, non verè ac propriè dicitur seruare si vult, aut quia vult: sed quia non potest non seruare. Neque solet assignari volitio pro causa eius, quod aliunde habet internam, aut externam necessitatem vt fiat. Atque ita Pater æternus, verbi gratia, nunquam dicitur genuisse Filium, vel producere cum illo Spiritum sanctum, si voluit, aut quia voluit. Nimirum quia modus iste loquendi iuxta sensum vsitatum significat pendere à voluntate, & eius arbitrio vt res fit, vel non fit. At non ita pendet à voluntate id quod fit ex antecedenti necessitate. Item, qui ex antecedenti necessitate est determinatus ad vnum è duobus, non verè & propriè dicitur porrigere manum ad quod voluerit, & quod ei placuerit. Hoc enim significat porrigere ex electione: ille autem qui est antecedenter necessitatus & determinatus ad vnum, non eligit: & qui agit ex antecedenti necessitate & determinatione, non agit ex electione: neque ideo agit, quia eligit agere: sed quia non potest non agere. Vt enim rectè affirmat S. Thom. 1. 2. q. 13. art. 2. *Cum electio sit præacceptio vnius respectu alterius: necesse est quòd electio sit respectu plurium quæ eligi*

16.

possunt. Et ideo in his quæ sunt penitus determinata ad vnum, electio locum non habet.

17. Eodem libro Ecclesiastici cap. 31. vers. 10. laudatur iustus, *qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideóque stabilita sunt bona illius in Domino.* Itaque specialis laudabilitas, & ratio meriti non transgredientis Dei mandata, abstinentísque à malis operibus, in eo consistit, quòd non transgrediens potuerit transgredi: & abstinens à malo, potuerit non abstinere: adeóque habuerit libertatem indifferentiæ ad bene vel malè operandum.

18. Eandem indifferentiam commendat, & necessitatem antecedentem excludit Apostolus 1. Corinth. 7. vers. 37. cùm sic ait: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit.* & 2. Corinth. 9. vers. 7. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ad Philemon. vers. 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere; vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Quibus verbis Apostolus non solùm excludit ab huiusmodi bonis operibus physicam necessitatem antecedentem, siue impotentiam physicam ad oppositum; sed etiam moralem necessitatem iuris 1. Corinth. 7. significans virginitatem, & abstinentiam à coniugio in nostra esse potestate, non tantùm physicâ, sed etiam morali iuris, quatenus non est in præcepto. In aliis verò duobus locis excludit etiam necessitatem secundùm quid, quæ oriri poterat ex reuerentia erga B. Paulum, corrogantem eleemosynas illas, de quibus sermo est 2. Corinth. 9. & volentem retinere Onesimum, Philemonis vers. 14.

19. *Probatur ex Patribus Græcis.* Secundò, quòd etiam sancti Patres, siue Pelagio anteriores, siue coætanei, aut posteriores, atque ipsimet eius hæreseos impugnatores, eandem veritatem constanter vnanimitérque docuerint, liquet ex plurimis eorũ testimoniis, quæ accuratè collegerunt Didacus Ruis disp. 42. & 43. de Scientia Dei, Bellarmin. lib. 3. de lib. arbit. cap. 5. Gauter. in tabulis chron. Verit. 4. Thes. Louan. art. 11. & plures alij. Nobis sufficiet pauca & illustriora producere.

Ex Patribus Græcis Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 71. sic habet in ipso titulo capitis: *Ostensio quod homo liber sit, & suæ potestatis, ad hoc vt ab se eligere possit meliora, & contraria:* posteáque in fine capitis sic ait: *Qui operantur illud,* (bonum scilicet) *gloriam & honorem percipient; quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei; quoniam non operati sunt bonum, cùm possent operari illud.* Athanasius orat. contra Idola, *Anima libera est*, inquit, *& sui arbitrij. Potest enim vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Clemens Alexan. lib. 2. Strom. *Liberâ*, inquit, *& absolutâ potestate eligere & vitare* (bona & mala) *à Domino datum esse hominibus, ex Scripturis accepimus.* Origenes Homil. 20. in Num. *Sui arbitrij est anima, & in quam voluerit partem, ei est liberum declinare.* Et hom. 4. in Cantic. *Per arbitrij libertatem possibile est vnumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei, si melius ipso iuuante elegerit: vel, si nequius, ad dæmonum portionem.* Ephrem Serm. de vita religiosa, *Voluntas, cùm libera sit, ac sui iuris, tanquam agricola quidam est, naturæ nostræ consuetudines prauas inserens, & bonas, sicut ipsa voluerit.* Basil. homil. 9. Quòd Deus non sit auctor malorum. *Soluta* (anima rationalis) *omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens, potestatem habet in boni contemplatione, & spiritualium fruitione manendi, &c. Habet autem à bono deflectendi facultatem.* Gregorius Nyssenus, vel potiùs Nemesius eius contemporaneus, lib. 7. de Philosophia cap. 2. *Concupiscere & non concupiscere, mentiri & non mentiri, & quæcunque talia in quibus consistunt virtutis & vitij opera, hæc sunt in nostro libero arbitrio.* Chrysost. homil. 22. in caput 5. Genes. *Manifestum est sua quemlibet voluntate vel virtutem, vel malitiam eligere.* Idem, & iisdem ferè verbis Theophilus Alexand. orat. 3. Paschali. *Neque ambigitur*, inquit, *quin in vtramque partem, vel faciendi, vel non faciendi bona, habeamus liberam voluntatem.* Cyrill. Alexan. lib. 2. in Ioan. cap. 54. *Liberum hominis arbitrium ad alterutrum secundùm animi sui iudicium potest proficisci.* Et lib. 9. cap. 10. *Rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est, & suæ voluntatis habenas vnicuique commisit, vt in eo sit quidquid probauerit eligere.* Damasc. lib. 2. de fide, cap. 30. *In nobis est immanere virtuti, & sequi Deum nos ad illam vocantem: aut deserere virtutem, quod est in malum prolabi, & sequi diabolum ad illud, vim non inferendo, vocantem.*

Neque minùs perspicuè id affirmant Patres 20. Ecclesiæ Latinæ: vt Tertullianus lib. 2. contra *Et ex Patribus Latinis.* Marcionem cap. 6. vbi sic habet: *Adscripta est homini quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrij, &c. Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem concessa est illi, vt sui dominus constanter occurreret & bono sponte seruando, & malo sponte vitando:* id est, non necessariò, sed liberè, vt exponit paulò pòst, addens: *Ceterum nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* Cyprianus quoque lib. 3. ad Quirinum cap. 1. num. 52. credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio nostro positam esse probat ex his Deuteronomij verbis, *Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elige vitam tibi, vt viuas.* Et Hilarius in Psal. 2. circa illa verba, *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, affirmat Deum *vnicuique nostrûm libertatem vitæ sensúsque permisisse, non necessitate in alterutrum affixisse.* Et in Psal. 118. littera T sic habet. *Vnicuique ad id quod volet, via est proposita viuendi, & appetendi atque agendi permissa libertas: & ob id vniuscuiusque, aut pœna aut præmiis afficietur electio.* Ambros. lib. 1. de Iacobo, & vita beata cap. 1. *Non seruili*, inquit, *ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra; siue ad virtutem propendemus, siue ad culpam inclinamur.* Et in Psal. 40. Deum ita loquentem inducit: *Homini dedi eligendi arbitrium, quod sequatur. Posui, inquit, ante te bonum & malum. Si malum elegeris, non natura delinquit, sed eligentis affectus.* Hieronymus qui primus contra hæresim Pelagianam scripsit, lib. 3. Dialogi contra Pelag. *In nostra positum est potestate*, inquit, *vel peccare, vel non peccare: & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur*

arbitrium. Et lib. 2. contra Iouin. *Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.* Similia tradit epist. 146. & in cap. 55. Isaiæ, aliísque locis.

21. *Speciatimque ex Augustino.* Augustinus verò, alter eiusdem hæresis impugnator acerrimus, lib. 50. homil. hom. 16. *In tuo*, inquit, *arbitrio posuit Deus cui pares locum; Deo, an Diabolo.* Et lib. 2. de Actis cum Felice Manich. cap. 4. *Habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Et lib. 2. contra Faustum cap. 5. *Et nos quidem*, inquit, *sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Et lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. *Nulla culpa*, inquit, *deprehendi potest, vbi natura, necessitásque dominatur.* Et cap. 18. *Hoc breuissimum tene: Quæcunque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest; non ei cedatur, & non peccabitur.* Et libro de vera Religione, cap. 14 *Si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.*

22. Neque hanc sententiam retractauit in libris contra Pelagianos scriptis; sed confirmauit potiùs, & constanter ad mortem vsque retinuit. Vt libro de Gratia & libero arbitrio, cap. 2. vbi relatis his Scripturæ verbis, *Si volueris conseruare mandata, & fidem bonam placiti: Apponet tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam, &c.* ex illis infert hominem sibi, non Deo imputare debere, si peccat. Et libro de Natura & gratia, cap. 65. approbat dictum illud Hieronymi paulò antè relatum: *Liberi arbitrij nos condidit Deus: nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Quibus relatis, subiungit August. tanquã de re notissima. *Quis non agnoscat? Quis nõ toto corde suscipiat?* Et lib. de Sp. & lit. c. 33. *Liberum*, inquit, *arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali: illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Et cap. 34. eiusdem libri dicit, *misericordiam Dei in omnibus præuenire nos: sed consentire Dei vocationi, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis esse:* id est, in nostra situm esse voluntate consensum ei dare, vel negare: adeóque liberè alterutrum facere. Et lib. 2. de Nuptiis & concupiscentia cap. 3. obiicientibus sibi Pelagianis quòd gratiam commendando, liberum negaret arbitrium, ita respondet: *Liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, vtrique dicimus. Non hinc estis Celestiani, & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei, & non erui paruulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, vt operias proprium crimen, vnde vobis inditum est nomen?* Loquebantur autem sine dubio Pelagiani de libero à necessitate, siue de libertate indifferentiæ, quam falsò affirmabant negari ab Augustino, quámve Augustinus se cum illis asserere profitetur. Eodémque sensu ait lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. *Quis nostrûm dicit, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et epist. 47. ad Valentinum, quam ad illum misit cum libro de gratia, & libero arbitrio: *Fides Catholica* (inquit) *neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam siue in bonam: neque tantum ei tribuit, vt sine gratia valeat aliquid.* Vbi pariter sermo est de libero à necessitate, contra errorem Adrumetinorum, cuius occasione epistolam & librum citatum conscripsit. Plura eiusdem S. Doctoris testimonia videri possunt apud Bellarminum lib. 5. de Gratia & libero arbit. cap. 27. & 28.

Idem denique ceteri Patres & Doctores Catholici, quos omnes ab ipsis Ecclesiæ primordiis ita sensisse, fatentur ipsi Nouatores: vt Matthias Illyricus centuria 2. cap. 4. col. 59. vbi postquam Iustini, Irenæi, & aliquot aliorum Patrum antiquissimorum sententias de libero arbitrio retulit: *Eodem*, inquit, *modò Clemens Alexand. liberum arbitrium vbique asserit. Vt appareat in huiusmodi tenebris* (sic liberi arbitrij confessionem vocat) *non tantùm fuisse omnes eius seculi Doctores: verùm etiam in posterioribus eas subinde creuisse.* Hæc ille. Notandum autem eos, de quibus loquitur, vel Apostolos ipsos loquentes audiuisse, vel Apostolis proximè successisse. Et Caluinus lib 2. Instit. cap. 2. num. 4. Patres Latinos carpit, quòd semper apud ipsos liberi arbitrij nomen extiterit: Græcos verò, quòd eos non puduerit, inquit, multò arrogantius vsurpare vocabulum: Siquidem αὐτεξούσιον dixerunt: ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset. Et ne de nomine solùm contendere videatur, addit cap. 3. num. 10. *Voluntatem Deus mouet, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, vt nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: Quem trahit, volentem trahit.* 23. *Fatentur Heretici, Patres ita sensisse.*

Ex his satis perspicuè liquet absurdissimum esse doctrinam de libertate indifferentiæ circa bonum & malum, tam euidenter in sacris literis expressam, támque constanter, & vnanimiter à sanctis Patribus assertam inter Pelagiana dogmata numerare, & per contemptum (vt sæpe facit Iansenius) philosophicam, & Aristoteleam appellare: ac veluti Pelagianam, longéque à Christiana & Augustiniana libertate discrepantem traducere: quippe quæ vt ipse vult, non in potestate indifferentiæ ad vtrumlibet posita sit; sed in eo quòd velimus sine coactione, quantumuis ex necessitate, & antecedenti determinatione ad vnum. Quem errorem à Luthero & Caluino desumptum alibi refellemus, vbi de illo ex professo tractandi occasionem dabit. 24. *Vide infrà disp. 30. & seq.*

SECTIO III.

Errauerintne Pelagiani definiendo libertatem per facultatem indifferentiæ circa bonum & malum?

HOc etiam confusè & generaliter affirmat Iansenius cap. 1. libri 2. de hæresi Pelagiana, vbi postquam dixit errasse Pelagianos in explicanda ratione libertatis, hanc illorum definitionem ex verbis Iuliani refert: *Libertas arbitrij* 25. *Affirmat Iansenius.*

bitrij in admittendi peccati, vel abstinendi à peccato possibilitate (id est facultate) *consistit.* Et paulò pòst: *Libertas igitur arbitrij possibilitas est*, (seu potentia & facultas) *vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis: quæ in suapte iure habet vtram suggerentiæ partem sequatur: id est, vel aspera arduáque virtutum, vel demersa, & palustria vitiorum.* Sed vt ne more hæreticorum vera cum falsis confundamus, & damnemus generaliter doctrinam magna ex parte Catholicam, præmittenda est distinctio, quam vel ignorauit, vel potiùs malâ fide prætermisit Iansenius.

26. *Libertas dupliciter spectari potest: generice, & specifice.* Supponendum igitur, libertatem posse dupliciter considerari, & definiri. Nimirum vel secundùm conceptum generalissimum, communem Deo & creaturis, beatis & puris viatoribus. Vel secundùm conceptum specificum, & propriam rationem, quâ conuenit creaturis intellectualibus in statu viæ existentibus. Si priori modo sumatur libertas, non est de conceptu illius, & ratione essentiali potestas peccandi: alioquin cuicunq; conueniret conceptus ille genericus, conueniret etiam potestas peccandi. Quod est falsum: nam Deus liber est, & tamen peccare non potest. Beati quoque liberi sunt, licèt peccare nequeant. At inde non sequitur quòd peccandi potestas non sit de conceptu specifico libertatis Angelorum, & hominum viatorum: siue quòd indifferentia, quam habent in statu viæ ad bene vel malè agendum, non pertineat ad rationem, & conceptum specificum libertatis ipsorum propriæ. Quemadmodum licèt de conceptu vitæ abstractissimè sumptæ, prout à Deo, & ab Angelis aliísque omnibus viuentibus præscindit, non sit virtus vegetandi, & sentiendi: nam Deus, & Angeli viuunt, qui tamen neque vegetant, neque sentiunt: non inde sequitur eam non esse de ratione vitæ propriæ specialiter hominum, & aliorum animalium, aut plantarum. Quis enim neget eorum vitam in facultate sentiendi, & vegetandi consistere, per eámque rectè definiri posse? Quemadmodum etiam licèt facultas ratiocinandi non sit de conceptu animalis abstractè, & genericè sumpti; est tamen de conceptu specifico hominis, ponitúrque in eius definitione ab omnibus recepta.

27. *Indifferentia ad malum non est de ratione libertatis genericè sumpta.* Hoc supposito, Dico primò, errasse Pelagianos in definienda libertate arbitrij per potestatem admittendi peccatum, vel abstinendi à peccato, id est, bene vel malè agendi; si hanc definitionem libertatis generalissimè, & abstractissimè sumptæ esse voluerunt. Quippe de cuius ratione non est potestas malè agendi, sed tantùm potestas exercitij, seu contradictionis ad agendum, vel non agendum: aut etiam specificationis, circa diuersa: abstrahendo ab eo quòd talis potestas indecenter versari possit circa bonum & malum: id est, non velle id, quod morali necessitate volendum est: aut velle & facere aliquid, quod sine morali turpitudine appeti, & fieri nequit. Qua ratione Deus liber fuit in creando mundum, quia sine indecentia potuit ab eius creatione abstinere: & in his creaturis producendis potiùs, quàm aliis, quas sine indecentia poterat æquè producere, & istas in suo nihilo relinquere, si voluisset. Quam ob causam D. August. libro primo Operis imperfecti pag. 150. meritò reprehendit Iulianum, aliósque Pelagianos, quòd libertatem generaliter sumptam explicarent per potestatem indifferentiæ circa bonum, & malum, seu quæ possit bene, & malè velle: & ex hoc falso eorum principio, contra Iulianum sic argumentatur: *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum. Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle: de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?*

Dico secundò, non errasse Pelagianos definiendo libertatem secundo modo sumptam, id est, viatorum propriam, & qualem habemus in statu vitæ præsentis, per potestatem indifferentiæ circa bonum & malum. Probatur primò ex ipsomet Augustino libro primo Operis imperfecti pag. 121. vbi relatâ definitione Iuliani aientis *libertatem arbitrij esse possibilitatem vel admittendi, vel vitandi peccati, expertem cogentis necessitatis, quæ in suapte iure habet vtram suggerentiæ partem sequatur:* quibus postremis verbis manifestè designat libertatem indifferentiæ circa bonum & malum: & nomine cogentis necessitatis non aliud intelligit, quàm simplicem necessitatem, seu determinationem ad vnum: non autem coactionem propriè dictam seu violentiam, vt fatetur ipse Iansenius cap. suprà cit. Nihil contra illam definitionem opponit Augustinus, sed tantùm dicit non posse hominem seruum esse iustitiæ, & liberum à dominante peccato, nisi eum filius liberauerit: id est, non posse sine auxilio gratiæ Christi laudabiliter exercere potestatem illam indifferentiæ seruando iustitiam, & abstinendo à peccato. 28. *Secus autē specificè, vt est propria viatorum.* *Cap. 1. lib. 4.*

Probatur secundò, quia idem Sanctus Doctor, aliíque Patres iisdem verbis, aut æquiualentibus libertatem huius vitæ definiunt. Quis autem credat Pelagianam, & hæreticam esse illam definitionem libertatis, quam Augustinus, & Hieronymus Pelagij impugnatores, aliíque Patres communiter amplexi sunt, in illis etiam libris quos contra eam scripserunt? Augustinus igitur libro de Gratia, & libero arbitrio contra Pelagianos scripto, cap. secundo relatis his Scripturæ verbis, *Si volueris, conseruabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit dabitur ei:* subiungit: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium*, quippe quod scilicet in huiusmodi potestate ad vtrumlibet, bonum aut malum, vitam, aut mortem eligendam consistit. Et paulò pòst, referens illud 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, &c.* sic ait: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli illud: & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis mandatis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Nimirum quia situm est in eiusmodi facultate faciendi, vel non faciendi opus diuinis præceptis iniunctum. Et in fine capitis tertij recitatis his Apostoli verbis Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum:* subiicit: *Vtique cui dicitur, noli vinci:* 29. *Probatur ex Patribus.*

arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur. Velle enim, & nolle propria voluntatis est.

30. Eandem definitionem approbat Hieronymus dialog. 3. contra Pelagianos, vbi Atticum, id est, Catholicum, cuius ipse personam sustinet contra Critobulum, id est, Pelagianum, ita loquentem inducit: *Hoc est quod tibi in principio dixeram, in nostra esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium:* quippe consistens in eiusmodi potestate, pro statu huius vitæ. Et Clemens Romanus, epistola tertia. *Quia liberum est animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit, eligere viam* (bonam aut malam) *constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.* Non constaret autem, nisi humani libertas arbitrij in eo consisteret. Et Irenæus libro quarto aduersus hæreses, capite nono. *Homo rationabilis*, inquit, *& secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Et capiti 91. eiusdem libri hunc titulum præfigit: *Ostensio quòd homo liber sit, & suæ potestatis ad hoc vt ab se eligere possit meliora & contraria.* Eódem pertinet quòd Tertullianus libro secundo contra Marcionem capite sexto, liberum arbitrium describit per libripendem emancipati à Deo boni libertatem, & potestatem in vtramque partem, vt vidimus sect. præcedenti. Quódque ait Athanasius libro contra idola, animam liberam esse, & sui arbitrij; quia potest vt ad bona se inclinare, ita & auersari: & quod ait Cyrillus Alexandr. libro secundo in Ioan. capite 54. Liberum hominis arbitrium ad alterutrum, secundùm animi sui iudicium posse proficisci. Et libro quarto capite 30. *Liberum homo animal est*, inquit, *& potest siue dextrum, siue sinistrum velit iter eligere:* virtutem scilicet, aut vitium. Quibus verbis exprimit hominem esse liberum per potestatem eligendi bonum, vel malum. Idémque facit Ephrem Syrus in Sermone de vita religiosa, dicens voluntatem, cùm libera sit ac sui iuris, posse bonas, aut prauas consuetudines inserere, sicut ipsa voluerit.

31. *Confirmatur ex Scriptura, & Conciliis.* Sed quod amplius est, Scriptura diuina, & Concilia libertatem humanam per eiusmodi potestatem describunt, aut exponunt. Vt de Scriptura liquet ex testimoniis relatis, sect. præcedenti, num. 14. 15. & 16. De Conciliis verò patet ex Tridentino, sess. sexta, capite quinto, & can. 4. vbi damnat Lutherum & Caluinum, eorúmque sectarios, negantes arbitrij libertatem, affirmantésque amissam fuisse per peccatum Adami: & exponens in quo consistat libertas humani arbitrij, etiam in operibus gratiæ, de quibus maximè controuersia erat, dicit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum gratia præueniente, non omnino nihil agere; sed hominem liberè assentire, & cooperari eidem gratiæ: quippe qui illam, & abiicere potest, & dissentire si velit: *Ita vt*, inquit capite 5. *tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abiicere potest, &c.* Quibus particulis, *ita vt, & quippe qui*, perspicuè significat libertatem arbitrij, & modum quo liberè cooperatur homo, in eo consistere, quòd potest abiicere inspirationem, quam recipit: id est, potest recipere aut respuere, vti, vel non vti, consentire aut dissentire, & vel bene, vel malè agere. Pater insuper ex Concilio Senonensi, celebrato Parisiis, contra Lutherum, paulò ante Tridentinum, anno 1528. vbi postquam in præfatione dixit, Lutherum, dum vitare conatur Pelagianismum, prætextu diuinæ gratiæ commendandæ, factum esse Manichæum, negando liberum arbitrium: postea in decreto fidei 15. sic pronunciat. *Cùm reliquerit Deus hominem in manu consilij sui, apposueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, vt ad quodcunque voluerit porrigat manum suam: nec abs re beatus ille iudicetur, qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: quòd sub eo sit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti Scripturas sacras passim obuium sit, quod liberum vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret: satis esse visum est Sacro prouinciali Concilio, libertatis eiusmodi vires, & metas exponere.* Vbi manifestum est, Concilium explicare liberum arbitrium humanæ voluntatis, per facultatem indifferentem ad bonum vel malum, eámque probare iisdem Scripturæ testimoniis, quibus sect. præcedenti vsi sumus. Additque postea gratiam non præiudicare huic arbitrij libertati, quia non trahit necessariò ad consensum: neque tale est huiuscemodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.

Concludo itaque vel illam definitionem humanæ libertatis non esse Pelagianam, vt perperam vult persuadere Iansenius: vel Augustinum ipsum, & Hieronymum, præcipuos impugnatores Pelagij, aliósque Patres Latinos, & Græcos, & Scripturam ipsam, Conciliáque, & Ecclesiam vniuersam in Tridentino Oecumenico repræsentatam, in errore Pelagiano fuisse. 32.

SECTIO IV.

Errauerintne Pelagiani affirmantes, nec bonum nec malum in merito, & actibus humanis intelligi posse sine libertate indifferentiæ?

ISTVD quoque inter errores Pelagianorum numerauit Iansenius, vt vidimus numero tertio, quòd dixerint neque bonum, neque malum, morale scilicet, & imputabile, intelligi posse in actibus humanis, sine libertate indifferentiæ. Loquebantur autem de libertate humana, qualis est hac in vita, déque actibus hominum purè viatorum, quales nos sumus: vt patet ex eorum verbis à Iansenio relatis: rantúmque volebant nos neque bene agere laudabiliter, neque malè culpabiliter, sine libertate indifferentiæ, quâ sic bonum agimus, vt malum eligere possimus: & è contrario, cùm malè agimus, possumus facere oppositum, vel saltem abstinere ab eo quod agimus. 33. *Affirmat Iansenius.*

34. *Contrarium probatur ex Augustino.* Sed vel non errarunt Pelagiani hac in parte, vel errarunt pariter Augustinus & Hieronymus, aliique Patres communiter idem affirmantes; quod de illis sentire absurdissimum est. De Augustino id apertè constat ex libro 83. quæst. q. 24. *Nec peccatum*, inquit, *nec rectè factum imputari cuiquam iustè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur & peccatum, & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* Et libro tertio de libero arbitrio, capite 18. *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Et paulò pòst, *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri potest? peccatur autem. Caueri igitur potest.* Et capite primo eiusdem libri. *Motus quo huc, aut illuc voluntas conuertitur*, inquit, *nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate; neque laudandus, cùm ad superiora; neque culpandus homo esset cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, vt istis neglectis æterna vellet adipisci, atque vt malè nollet viuere, vellet autem benè.* Et lib. de Vera relig. c. 14. *Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium*: quippe sine quo peccare nequeunt. Loquitúrque sine dubio de libertate indifferentiæ, oppositâ necessitati: Nam, vt ibidem ait, *Si necessitate id fecissent, nullo peccati crimine tenerentur.* Et hoc tam perspicuum esse affirmat, *vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Similia dicit in lib. contra Fortunatum, disputat. 2.

35. Neque solùm in libris contra Manichæos, vel aliis ante exortum hæresis Pelagianæ scriptis ita sensit Augustinus: sed & in illis quos contra Pelagium edidit: vt videre est libro de Natura, & Gratia, c. 67. vbi refert, & approbat hanc suam propositionem libri tertij de libero arbitrio, paulò antè à nobis relatam, *Quæcunque sit causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Et epist. 46. ad Valentinum, quam cum libro de Gratia, & libero arbitrio ad eum misit, initio sic ait: *Si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?* Nimirum vt vnicuique reddat Deus secundùm opera eius, vt ait immediatè antea, apertè significans non fore locum iusto præmio, vel supplicio, bonorum vel malorum operum: si in bene vel malè operando non haberent homines vsum liberi arbitrij. Per liberum autem intelligit indifferens ad bonum, quod laudabiliter fit, vel ad malum, quod culpabiliter admittitur; ita scilicet vt possit caueri si volumus, iuxta id quod paulò antè retulimus ex cap. 67. libri de Natura & Gratia.

36. *Et ex Hieronymo, aliisque Patribus.* De Hieronymo quoque hîc non minùs constat ex eius epist. 146. ad Damasum de filio prodigo, vbi sic ait: *Dedit eis liberum arbitrium: dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo: id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum.* Eòdem pertinet quod suprà retulimus ex eius libro secundo contra Iouinian. cap. 2. vbi affirmat Deum liberi arbitrij nos condidisse, ita vt nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahamur. *Alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.* De Prospero etiam præcipuo inter discipulos Augustini, & Pelagianorum hoste perpetuo, idem liquet ex lib. 2. de vocat. Gent. capite duodecimo, vbi de hominibus adultis, & rationis vsum habentibus, dicit, *Ideo liberum illis esse discedere à Deo, vt non discessisse sit præmium: & vt quod non potest, nisi cooperante Spiritu Dei fieri (bonum scilicet, & adhæsio cum Deo) eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.*

Simili modo loquuntur alij Patres, siue anteriores, aut contemporanei, siue posteriores Pelagio. Vt Iustinus Martyr in Apologia ad Antonin. Imperat. *Nisi libero*, inquit, *arbitrio genus humanum, & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi: extra causam culpámque est eorum, quæ quoquomodo aguntur. Sed ipsum libero arbitrio liberáque voluntate, & rectè facere, & peccare docemus, &c. Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset, si per seipsum bonum non eligeret.* Et in Apologia ad Senatum: *Neque quidquam horum laude dignum esset,* (inquit de bonis operibus hominum) *nisi illi vtramque in partem conuertere, & quasi flectere se possint.* Quibus verbis nihil clarius dici potest ad exprimendam libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum. Eòdem spectant quæ suprà retulimus ex Irenæo, libro quarto, capite 71. *Qui operantur bonum, &c.* & ex Tertulliano libro secundo contra Marcion. capite quinto. *Ceterùm nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui bonus, aut malus necessitate inuentus fuisset, non voluntate.* Et ex Hilario in Psal. 118. *Vnicuique ad id quod volet via est proposita viuendi, & appetendi, atque agendi permissa libertas: & ob id vniuscuiusque aut pœnâ, aut præmiis afficietur electio.* Et quod ait Lactan. libro quarto Institut. capite 24. *Qui dat præcepta viuendi, amputare debet omnium excusationum vias, vt imponat hominibus parendi necessitatem non aliqua vi, sed pudore: & tamen libertatem relinquat, vt & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parêre si vellent: & non parentibus pœna, quia poterant parêre si vellent.* Et Epiphanius, hæresi 16. *Propterea quod possit (homo) peccare, & non peccare, ab alio peccatorum supplicia sumuntur, alius verò laudem fert rectè factorum.* Et hæresi 64. *Spontaneam ad vtraque voluntatem ipsis (angelis) velut etiam hominibus constituit: vt aut obedientes verbo, essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, eáque fruerentur: aut non obedientes, iudicarentur.* Et Chrysostomus sermone in illud Isaiæ, *Si volueritis, & audieritis me, &c. Si velle aut nolle nostrum non esset: hoc est, si viuendi rectè, an secus, libertas adempta nobis fuisset: nec bonus vnquam cæleste munus dignè perciperet: nec malus supplicium competens inueniret.* Et homil. 22. in Genesim, *Nónne manifestum est suâ quemque voluntate vel virtutem, vel malitiam eligere? Nec nisi ita esset, & (nisi) natura nostra potestas (sic eligendi) insita esset: neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum, post gratiam Dei relictum est: ideo peccantibus supplicia proposita sunt: & bene operantibus retributiones.* Huc vsque Patres anteriores, aut contemporanei Pelagio. 37.

Ex posterioribus sufficiet tres aut quatuor proferre. Idem ergo docet Gregorius Magnus 38.

libro 13. Moral. capite sexto, vbi exponens quod ait Iob capite 16. versu 14. *Conuulnerauit lumbos meos*, dicit idcircò Iob vsum esse verbo *conuulnerauit*, quia *antiquus hostis nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit*: id est, non peccamus sine vsu liberi arbitrij. *Et ideo*, inquit paulò pòst, *conuulnerare dicitur, quia hoc quod nobis ille malè suggerit, nos sequentes, ex voluntate propriâ implemus: & quasi cum ipso nos pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur.* Eodem sensu Diuus Anselmus in Dialog. de libero arbitrio capite quinto dicit, *Neminem deserere rectitudinem nisi volendo.* Intelligit enim volendo liberè, cum potentia ad oppositum: vt patet ex eo quod paulò pòst subiicit: *Quis ergo potest voluntatem dicere non esse liberam ad seruandam rectitudinem? &c.* Et Isidorus libro secundo de summo bono, capite secundo: *Sicut libero arbitrio conditus suâ sponte diuertit à Deo: ita ex propria mentis conuersione credendo recurrit ad Deum: vt & libertas cognoscatur arbitrij per propriam voluntatem, & beneficium gratiæ per acceptam fidei firmitatem.*

39. Ex his satis supérque probatum manet iniustam esse Iansenij censuram, damnantis vt Pelagianam propositionem iisdem terminis, aut æquiualentibus tam constanter, & communiter à Sanctis Patribus traditam: quæque nunquam ab Ecclesia, siue in Pelagianis, siue in aliis proscripta fuit: nullam enim illius proscriptionem aduersarij proferunt, neque proferre possunt: sed è contrario fuit hæc ipsiusmet Ecclesiæ doctrina, quippe quæ non est alia quàm communis doctrina Sanctorum Patrum omnium sæculorum.

40. Concludo itaque non errasse Pelagianos affirmando homines neque bene, neque malè agere imputabiliter sine libertate indifferentiæ ipsorum propriâ, in vtramque partem, bonam, aut malam flexibili: qualis est libertas humana hac in vita. Quamuis loquendo generaliùs de libertate, qualis est in Deo, & in Beatis, qui ad malum flecti nequeunt, sufficiat libertas indifferentiæ, exercitij, seu contradictionis, ad agendum vel non agendum hoc aut illud bonum, quod potest sine indecentia prætermitti: vel libertas specificationis ad hoc bonum eligendum præ alio, quod sine indecentia posset non eligi. Notandum enim duplicem libertatem indifferentiæ distingui à Theologis, & Philosophis. Vnam exercitij seu contradictionis, ad agendum vel non agendum, siue vtrumque licitè fiat, siue non. Alteram specificationis, ad eligendum vnum de pluribus, siue contrariis, siue tantùm diuersis; & siue bonis duntaxat, vt ad eligendum hoc medium præ illo æquè bono, & vtili ad honestum finem consequendum, ad creandam hanc animam rationalem præ alia æquè possibili, & conducibili ad Dei gloriam: siue partim bonis & malis, vt ad eligendam virtutem, aut vitium: siue denique ad hoc malum præ alio committendum; vt ad furandum potiùs, quàm fornicandum. Deus, & Beati vtramque libertatem indifferentiæ, tam exercitij, quàm specificationis habent, & exercent circa bonum tantùm, id est, circa bonas operationes duntaxat, quia non possunt malè operari: Homines verò in statu viæ, circa bonum & malum;

Libertas duplex, exercitij, & specificationis.

per illámque vel bene agunt laudabiliter, vel malè culpabiliter.

SECTIO V.

Errauerintne Pelagiani dicendo, libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum esse bonam: illíque nihil magis repugnare, quàm necessitatem: & in illa consistere imaginem Dei?

HÆc tria quoque inter errores Pelagij recensuit Iansenius, verbis suprà relatis numeris quarto & quinto. Sed quod ad primum attinet: dubitari iure nequit, libertatem indifferentiæ, quatenus valet ad bonum prosequendum, bonam esse, & eximiam perfectionem hominis, participationémque diuinæ libertatis. Quatenus autem potest in malum deflectere, non est perfectio, sed defectus perfectionis, & dissimilitudo cum Deo. Cuius oppositum si dixerùnt Pelagiani, in eo sunt decepti. Sicut enim perfectio est ita viuere, vt mori non possis, & ita intelligere vt errare nequeas: & è contrario imperfectionis est posse mori & errare: ita quòd bonum sic prosequi valeas, vt ad malum deflectere possis, imperfectionis est. Et sicut perfectio vitæ & intelligentiæ, quæ in Deo purissima est, non est pura in creaturis naturaliter spectatis, sed admixta imperfectioni, & possibilitati deficiendi per mortem, & errorem; quam imperfectionem trahunt ex sua origine, id est, ex suo nihilo, vt aiunt Sancti Patres mox citandi: Ita libertas creaturarum non est pura perfectio, sed admixta illi imperfectioni, quòd etiam circa ea, quæ morali necessitate, seu debito amplectenda sunt, aut sunt fugienda, possint deficere ab honestate, & à debito morali: istámque imperfectionem trahunt ex suo nihilo. *Solus enim Deus est, in quem peccatum non cadit. Cetera, cùm sint liberi arbitrij* (creati, & idcirco defectibilis) *in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem*, inquit Hieronymus epistola 146. circa finem. Et Augustinus libro de Vera religione capite decimo nono. *Bonum quod vitiari non potest, Deus est. Cetera autem omnia bona ex ipso sunt, quæ per seipsa possunt vitiari, quia per seipsa nihil sunt.* Et Fulgent. libro de fide ad Petrum, capite tertio. *Deus, quia summè bonus est, dedit omnibus naturis quas fecit, vt bona sint: non tamen tantùm bona, quantùm creator omnium bonorum: qui non solùm summè bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est; nullum habens defectum, quia non est ex nihilo factum; nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideò quippe naturæ à Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis: ad profectum verò prouehit operatio Creatoris.* Et Gregorius libro quinto Moral. capite vicesimo quinto: *Omnis creatura, quia ex nihilo facta est, & per semetipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere.* 41.

Libertas illa est perfectio mixta imperfectionis.

Quod ad 2. attinet: adeo perspicuum est nihil 42.

Necessitas repugnat libertati indifferentiæ. æquè repugnare libertati indifferentiæ circa bonum & malum, ac necessitatem, seu determinationem antecedentem ad alterutrum: vt planè cæcum esse oporteat, qui hoc non videt. Quare dicere hac in parte errasse Pelagianos, quia id affirmarunt, absurdissimum est. Quid enim magis repugnat indifferentiæ, & potestati ad vtrumlibet, quàm necessitas, & determinatio antecedens ad vnum, impotentiáque ad alterum?

43. Imago Dei in illâ consistit. Quoad tertium: si errarunt Pelagiani, affirmando rationem imaginis cum Deo, ad quam homo conditus fuit, consistere in libertate indifferentiæ: & humanæ conditionis decus supra cetera animantia, positum esse in eadem libertate: errauerunt pariter multi ex sanctis Patribus, qui in eadem imaginem illam, & similitudinem cum Deo, sitam esse docuerunt: quos tamen neque Ecclesia, neque vllus Doctorum Catholicorum erroris adhuc redarguerat, neque sine temeritate quisquam damnare potest. Tametsi enim plerique in alio quopiam rationem illius imaginis constituerunt: nimirum vel in similitudine cum Christo, vt Tertullianus lib. de resurrectione carnis, cap. 6. Prudent. in Apotheosi, & Theodoretus quæst. 19. in Genesim. Vel in similitudine mentis cum Deo, vt Clemens Alexand. lib. 2. Stromatum, Greg. Nyss. lib. de opif. hom. cap. 5. Augustinus in Psal. 54. & tract. 3. in Ioan. & Diadochus cap. 77. de perfect. spirit. Vel in sanctitate & virtute, vt Origenes lib. 6. contra Celsum, Nyssenus cap. citato, Ambrosius lib. de bono mortis, cap. 5. Chrysostomus hom. *De eo quòd imaginem, quæ est ad similitudinem Dei, homo per peccatum abiecit.* Gelas. in Actis Nicænæ Synodi, parte 2. cap. 16. Petrus Chrysologus serm. 120. Vel in immortalitate, vt Maximus Martyr Centuria 3. de caritate, cap. 25. & Faustus Rhegiensis lib. 1. de libero arbitrio, cap. 1. Vel in imperio dominatúque supra res alias corporales, vt Chrysostomus hom. 10. in Genesim, Gregorius Nyssenus lib. de hominis opificio, cap. 4. Clemens Romanus apud Damascenum in Eclogis cap. 1. Gelasius Cyzicenus in parte 2. Actorum Nicæn. capite decimo-quarto, & Isidorus Pelusiota libro 3. epist. 95. Attamen quòd etiam in libertate indifferentiæ consistere possit, affirmant Irenæus lib. 4. aduersus hæreses, capite 9. cùm sic ait: *Homo rationabilis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est vt aliquando quidem frumentum,* Probatur ex Patribus.

44. *aliquando autem palea fiat.* Et Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Liberum,* inquit, *& sui arbitrij, & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano ad vniformem Deum expressus est: sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est, animæ, ad formam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate, & potestate signatus est.* Et cap. sequenti, *Oportebat igitur imaginem, & similitudinem Dei, liberi arbitrij, & suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum imago, & similitudo Dei deputaretur, arbitrij scilicet libertas & potestas.* Et Basilius in homil. *Quòd Deus non sit auctor malorum,* dicit, animam libero factam esse arbitrio: quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat. *Soluta enim hac omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens, propterea quod ad imaginem eius creata est.* Et Ambrosius lib. 6. hexaëm. cap. 8. *Non ergo caro,* inquit, *potest esse ad imaginem Dei: sed anima nostra, quæ libera est, & diffusis cogitationibus atque consiliis, huc illùcque vagatur.* Et Hieronymus epist. 146. post illa verba superiùs relata, *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit,* idem expressè affirmat subiungens, *Cetera enim cùm sint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Et Macarius homil. 15. *Tu verò,* (inquit hominem alloquens) *propterea es ad imaginem, & similitudinem Dei, quoniam vti Deus sui iuris, & potestatis est, & quod vult facit, &c. ita etiam tu potestatis es tuæ, &c.* Et Marius Victor lib. 1. Deum ita loquentem inducit Genesis 1.

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et sit imago Dei. Similem decet esse creanti,
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.

Et Damascenus lib. 2. de fide, cap. 12. *His* (inquit) *verbis,* ad imaginem, *vis intelligendi, arbitriique libertas significatur.* Et Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio, dicit animam fuisse conditam in libertate arbitrij, ad imaginem ipsius qui creauit. Idem denique affirmant Gregorius Nyssen. lib. de hominis Opificio, cap. 4. Cyrillus Alex. lib. 9. in Ioan. cap. 47. Titus Bostrensis lib. 2. contra Manichæos, Philo Carpathius in Cantica, circa illa verba, *Terribilis vt castrorum acies ordinata:* Zacharias Mitylenæus lib. de Opificio, Ricardus Victorinus in lib. De interiori homine, parte 1. tract. 1. cap. 3 & plures alij. Quod cùm ita sit, non potest sine temeritate, vel ignorantia damnari Pelagianismi huiusmodi expositio, quæ tot Patribus, & Doctoribus Catholicis placuit: præsertim cùm Ecclesia nunquam in Pelagianis, aut aliis illam reprehenderit; nullámque partem definierit, in qua istiusmodi ratio imaginis collocanda sit, vt rectè dicit Epiphanius, hæresi 70. num. 3. & in Ancorat. num. 55. 45.

SECTIO VI.

Erraverintne Pelagiani in affirmando libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, non fuisse amissam per peccatum Adæ: & alioqui frustra esse exhortationes, præcepta, iudicia, & pœnas, vel præmia?

HOc etiam inter errores Pelagij numerauit Iansenius, vt diximus sect. 1. num. 3. sed falsò, & iniustè. Nam in eo non errasse Pelagianos, sed consentaneè Scripturis sacris, traditioni Patrum, & definitioni Conciliorum locutos esse manifestum est. 46.

Et primò quidem quòd Scriptura perspicuè doceat libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, non fuisse amissam per peccatum Adæ, adhúcque in hominibus remanere, patet ex Genesis 4. vers. 6. & sequentibus. Deuteron. 30. vers. 19. Ecclesiastici 15. vers. 14. & c. 31. vers. 10. Non esse amissam probatur ex Scriptura.

& 1. Cor. 7. vers. 37. & 2. Cor. 9. vers. 7. & ad Philem. vers. 14. Quæ omnia Scripturæ loca retulimus, & expendimus sect. 2. euidentérque demonstrauimus sermonem esse in illis de libertate indifferentiæ circa bonum & malum, déque hominibus in hoc statu naturæ lapsæ per peccatum Adami existentibus.

47. Et ex Patribus. Secundò, eandem esse vnanimem sententiam, & traditionem Sanctorum Patrum à primis vsque seculis Ecclesiæ ostendimus ibidem, adductis plurimis eorum testimoniis, quæ hîc repetere superuacaneum esset. Idque adeo manifestum est, vt vel ipsi Lutherani & Caluinistæ, qui tamen cum Iansenio in neganda libertate consentiunt, non potuerint inficiari, Patres antiquos ab ipso initio Ecclesiæ, & deinceps, vnanimiter ita docuisse: vt videre est apud Centuriatores, Centuria 2. cap. 4. & Caluinum lib. 2. Institut. cap. 2. num. 4.

48. Et ex Conciliis. Quod verò attinet ad Concilia, idem expressè docent, & definiunt Concilium Lateranense sub Leone X. & Tridentinum, sess. 6. cap. 1. & can. 5. vbi damnantur Lutherus, & Caluinus, aliíque sectarij huius temporis, aientes libertatem arbitrij extinctam fuisse per peccatum Adami: quod intelligunt de libertate indifferentiæ, vt perspicuum est ex ipsorum verbis, Lutheri in libro de seruo arbitrio, Caluini in Antidoto ad locum Tridentini citatum, & in libris contra Pighium, aliísque locis. Idem quoque perspicuè tradit Concilium Senonense, in præfatione, & decreto fidei 15. Concilium Coloniense, celebratum contra Lutherum anno 1536. in Enchiridio doctrinæ Christianæ, iussu ipsius edito, in capite de Sacramento Pœnitentiæ. Quare dicere libertatem indifferentiæ non fuisse amissam per peccatum Adæ, sed in hominibus post eius lapsum remanere, non est error Pelagij, sed veritas Catholica, in Scripturis & Patribus, & Conciliorum definitionibus expressa. Contrarium verò assertum à Iansenio pertinet ad hæresim Lutheri & Caluini, éstque illius basis præcipua, vt affirmat Lutherus lib. suprà citato.

49. Sine illa frustra essent exhortationes, præcepta, iudicia, &c. Similiter, quòd longè absit ab errore Pelagij dicere, frustra esse exhortationes, præcepta, iudicia, & pœnas vel præmia, si non est in hominibus libertas indifferentiæ, probatur quia hæc etiam est communis doctrina Sanctorum Patrum, siue ante, siue post Pelagium, atque illorum etiam, qui fortiùs ipsi se opposuerunt. Nam vt ab antiquioribus incipiam, ita docent expressè Clemens Rom. libro tertio Probatur ex Patribus. Recog. cuius verba sunt: *Dic quomodo Deus iudicat secundùm veritatem vnumquemque, pro actibus suis, si aliquid agere in potestate non habuit? &c. Iudices seculi frustra legibus præsunt, & puniunt eos qui malè agunt: non enim in potestate sua habuerunt vt non peccarent:* id est, frustra iudicantur, & iniquè puniuntur, si ita peccarunt, vt non potuerint à peccato abstinere. Non possunt autem abstinere, si peccant ex necessitate, id est, sine libertate indifferentiæ, seu potentia ad oppositum. Et Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 6. vbi affirmat libertatem arbitrij concessam esse homini, *Sine qua nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate:* id est, libera electione opposita necessitati: & cap. 5. ait legem diuinam confirmare hanc veritatem. *Non enim*, inquit, *poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate. Nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur.*

Et Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. paulò ante medium, *Sed nec laudes*, inquit, *nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta sunt, si anima non habeat liberam potestatem & appetendi, & aggrediendi.* Et Origen. l. 3. Periar. initio, vbi dicit, credulitatem, seu fidem iudicij futuri, certum indicium esse, *quòd in nostra sint potestate, quæ & laude, & vituperio digna sunt.* Nimirum quoniam alioqui frustra foret iudicium de operibus hominum bonis aut malis, si ex necessitate fierent: quippe quæ neque præmio, neque pœnâ digna essent. Idem dicit Methodius in sermone de Resurrect. affirmans iudicium futurum, in quo vnicuique Deus iuxta opera, & secundùm studium retribuet, expectari non posse, si non est liberum arbitrium, neque in nobis situm est rectè facere, aut peccare. Et Lactant. lib. 4. Institut. c. 24. dicens eum, qui præcepta imponit, debere parendi libertatem relinquere ad amputandas omnium excusationum vias: vt & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parére si vellent: & non parentibus pœna, quia potuerunt parére si vellent. Simili modo loquuntur Irenæus lib. 4. aduersus hæreses, cap. 71. & 72. Hilarius in Psalm. 118. litera T. Epiphanius hæresi 161. Gregorius Nyssenus, seu potiùs Nemesius lib. 7. de philosophia, cap. 3. & Chrysostomus hom. 22. in Genesim, vbi dicit manifestum esse suâ quemque voluntate vel virtutem, vel malitiam eligere. Nam nisi ita esset, *neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat.* 50.

51. Specialimque ex Hieronymo, & Augustino. Idem quoque senserunt, & expressè docuerunt præcipui impugnatores Pelagij, Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. affirmans libero nos pollere arbitrio, & neque ad virtutes, neque ad vitia necessitate trahi. *Alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.* Quam sententiam refert Augustinus, & approbat vt verissimam, certissimam, atque notissimam, libro de Natura & Gratia, contra Pelag. capite 65. & libro tertio de libero arbitrio, capite primo dicit, Nisi motus animi, quo ad bonum vel ad malum flectimur, in nostra esset positus potestate: nec laudandum fore hominem, neque culpandum, quando bene, aut malè agit: *Neque omnino monendus esset, vt istis neglectis vellet æterna adipisci: neque vt malè nollet viuere, vellet autem bene.* Nimirum quia frustra huiusmodi admonitio fieret, si non esset voluntas ad vtrumque indifferens. Idémque affirmat de præceptis, capite secundo libri de Gratia, & libero arbitrio, vbi sic ait: *Diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium:* quo vtique possit ea seruare, tametsi aliquando non seruat, adeóque habet potestatem seruandi & non seruandi. Et libro de fide, contra Manichæos, cap. 10. *Quis enim non clamet*, inquit, *stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere? Et iniquum esse damnare eum, cui non fuit potestas iussa complere?* Et lib. secundo contra Faustum, cap. 5. *Et nos*, inquit, *sub fato stellarum, nullius*

hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni vinculo necessitatis vindicemus.

52. *Confirmatur ratione.* Omitto ceteros posteriores: & addo iniquam illam Iansenij censuram non solùm constanti Sanctorum Patrum doctrinæ, sed etiam manifestæ rationi, luminique naturali repugnare. Nam si per peccatum Adæ amissa est libertas indifferentiæ, quid est opus, aut quid prodest hortari homines vt agant id, à quo agendo non possunt abstinere: vel abstineant ab eo, quod non possunt omittere? Quid prodesse possunt exhortationes ab bene operandum homini necessitato ad malum, & impotenti ad oppositum, deficiente aliquo necessario vt bene operetur: cuiusmodi sunt omnes qui peccant, quotiescunque peccant, in doctrina Iansenij? Sanè quisquis sapienter hortatur quempiam vt aliquid agat, supponit illum id posse, nouitque se alioqui verba & operam perdere. Nemo etiam vel mediocriter sensatus præcipit alicui, nisi supponens eum posse obedire, facereque id quod iniungitur: præsertim verò additâ graui pœnâ, quæ non potest nisi crudeliter infligi non facienti quod facere non potest.

53. Item, præcipere est obligare voluntatem inferioris ad aliquid, quod ab illo Superior pro iure suo exigit. Atqui euidens est neminem habere ius ad impossibile, neque posse quéquam ad illud obligari: adeóque nec ad faciendum quod facere non potest, nec ad omittendum id, à quo non potest abstinere. Frustra ergo præcipitur, aut prohibetur, non habenti potestatem faciendi id quod præcipitur, vel abstinendi ab eo quod prohibetur. Neque peccant homines non faciendo, aut non omittendo si ex necessitate ita se gerunt, & sine potentia ad oppositum; quia non agunt contra moralem obligationem aliter faciendi: quippe quæ non potest esse circa impossibile. Et consequenter frustra instituer etur iudicium de talibus actionibus, aut omissionibus, aliisque operibus hominum pariter necessariis, vt puniantur, si mala sunt; aut præmio donentur, si sunt bona: cùm naturali lumine notum sit omnibus, non esse laude & præmio, vel vituperatione & supplicio dignum, qui operatur ex necessitate, ita vt aliter facere nequeat: vel omittit aliquid, quia id exequi non potest. *Nec hi libri obscuri scrutandi mihi erant, vt dicerem neminem vituperatione suppliciòve dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest: Nónne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poëtæ & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* inquit Augustinus libro de duabus animabus, cap. 11. & lib. de vera religione cap. 14. dicit, hoc adeo manifestum esse, *vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.*

SECTIO VII.

Errauerintne Pelagiani in eo quòd senserint voluntatem, quandiu manet libera, & quando liberè consentit, non pati necessitatem ab externis obiectis, vel internis suggestionibus: esséque in nobis semina quædam innata virtutum?

54. *Respondetur negatiuè.* Neque in eo errasse Pelagium, vt perperam affirmat Iansenius: sed conformiter doctrinæ Sanctorum Patrum, speciatimque Diui Augustini, locutum esse perspicuum est. Primò enim, quòd voluntas non patiatur ab vllo necessitatem antecedentem quotiescunque liberè agit, & quandiu libera manet, euincunt testimonia Patrum, præcipuéque D. Augustini, quibus probauimus sect. 4. libertatem arbitrij, iuxta illorum doctrinam, consistere in potestate indifferentiæ, experte necessitatis & antecedentis determinationis ad vnum. *Probatur quoad primam partem.* Nam inde manifestè consequens est voluntatem nostram, quandiu manet libera, & quandocunque liberè agit, nullam pati siue ab extrinseco, siue ab intrinseco necessitatem antecedentem, quâ vni parti contradictionis sic affigatur, vt non possit oppositum.

55. *Gratia non necessitat voluntatem.* Speciatim verò quòd motio diuinæ gratiæ non illam necessitet ad consensum, vt præcipuè contendit Iansenius, perspicuè docent Sancti Patres, Clemens Rom. epist. 3. de officio Sacerdot. & Cleric. col. 4. vbi sic ait: *Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere, aut nolit, & amplecti onus eius, id est, mandata vitæ, habet in sua potestate. Liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset vt videntes ea, iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierunt: vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam.* Et Chrysostomus homil. 81. in cap. 26. Matthæi. *Dei vocatio,* inquit, *nullum cogit, nec mentem eorum, qui virtutem volunt contemnere, vllo modo violentat: sed hortatur quidem ac consulit, & omnibus modis bonos esse persuadet: Si verò aliqui reluctētur, nullo modo cogit.* Et Damascenus lib. 2. de fide, cap. vlt. *In nobis est,* inquit, *virtuti immanere, & sequi Deum nos ad illam vocantem, aut deserere virtutem:* id est, liberum nobis est sequi ductum gratiæ ad rectè viuendum excitantis, vel illi consensum negare. Et Hilarius in Psal. 2. *Vnicuique nostrûm libertatem vitæ sensûmque permisit* Deus, *non necessitatem in alterutrum affigens.* Eòdem pertinet quod suprà retulimus ex Hieronymo lib. 2. contra Iouin. & Augustino lib. de Nat. & grat. cap. 65. affirmantibus nos esse liberi arbitrij, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahi. Et ex lib. de Spirit. & litera quem scripsit Augustinus contra Pelagianos cap. 34. *Misericordiam Dei preuenire nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis esse.* Et quod ait l. 83. qu. q. 68. non omnes à Deo vocatos voluisse ad cœnam Euãgelicam venire: sed id tantùm sibi ipsis debere tribuere quòd non venerint: quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Et lib. 2. contra literas Petiliani, dicit Patrem sic homines ad Filiũ

trahere, vt tamen vnumquemque libero suo dimittat arbitrio. Et Prosper insignis Augustini discipulus libro 2. de vocat. gent. can. 26. *Quòd à multis*, inquit, *refutatur* (gratia) *ipsorum est nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Et Anselmus in cap. 6. Matthæi, exponens illa verba, *fiat voluntas tua*, dicit, aliquando contingere vt Deus per misericordiam velit de aliquo prauo quòd sit iustus, & conferat illi gratiam suam; *& tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei consentiat.*

56. Idem quoque satis perspicuè docet Trident. Sess. 6. cap. 4. & can. 5. affirmans liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum præueniente gratia, & vocatione diuina, sic illi consentire, vt possit resistere, & *dissentire si velit:* Concil. Senonense decreto fidei 15. pronunciat: *non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Scriptura quoque pluribus locis asserit homines reipsa illi resistere libera sua voluntate. Prouerb. 24. *Vocaui & renuistis &c.* Isaiæ 5. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci? Expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas.* Matthæi 23. *Ierusalem quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti!* Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* 2. Cor. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Estque notandum scripturam locis allegatis non loqui solùm de externa vocatione: sed etiam de gratia interna necessaria & sufficiente ad bene operandum; ita vt per solam voluntatem steterit quòd non bene operata sit. Nam alioqui frustra, & insipienter expectaretur à vinea vt ferret vuas, non adhibitâ culturâ necessariâ vt ferat. Et vana esset admiratio, atque iniusta exprobratio, quòd Ierusalem, vel alij vocati non consenserint cum ea sola vocatione, cum qua erat impossibile consentire.

57. *Neque suggestio Diaboli &c. quoties voluntas liberè consentit.* Similiter, quòd neque dæmonum suggestiones, vel concupiscentia, vel quid aliud necessitatem inferat voluntati quando liberè malè agit, & peccat culpabiliter, docent Origenes in proœmio libri 1. Periarch. *Si nostri arbitrij sumus*, inquit, *instigare fortasse possunt aliquæ virtutes diabolicæ ad peccandum; & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel malè.* Et Basilius homil. 9. *Quòd Deus non sit auctor malorum*, dicit animam nostram mali capacem esse, *quoniam liberi facta est arbitrij, soluta omni necessitate.* Idémque dicit Hieronymus lib. 1. Dialogi contra Pelagian. & Augustinus lib. 2. contra Faustum, cap. 5. & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. affirmat nullam culpam deprehendi posse *vbi natura necessitásque dominatur.* & cap. 18. eiusdem libri, *Hoc breuissimum tene*, inquit: *Quæcunque causa est voluntatis*, id est, volitionis; *Si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur.* Et lib. de vera relig. c. 14. *Si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.* Et lib. de Natura & gratia contra Pelagianos cap. 65 dicit liberè nos ad vitia ferri, non autem necessitate trahi.

58. Idem etiam docet Scriptura, Genesis 4. vbi Deus reprehendens Cainum meditatem fratricidium, dicit appetitum peccati sub ipsius dominio esse, ita vt possit cohibere si velit. Et Deuteron. 30. ver. 19. Ecclesiastic. 15. ver. 14. & cap. 31. ver. 10. aliisque locis, quibus docet bonum & malum, vitam & mortem esse in libera potestate hominum, ita vt possint alterutrum eligere. Ex quibus omnibus perspicuè liquet non potuisse nisi absurdissimè damnari erroris Pelagiani veritatem, quæ tam apertè continetur in sacris literis, & Conciliis, & traditione Sanctorum Patrum.

Quòd verò etiam semina quædam virtutum naturaliter insint hominibus, id est, propensio quædam partis superioris & rationalis, ad bonum honestum, quod est proprium ipsius bonum; quamuis sine auxilio gratiæ non possit illud prosequi sicut oportet, contrariæque inclinationi partis inferioris & sensitiuæ resistere: docet Apostolus Rom. 7. ver. 22. & sequentibus, cùm sic ait: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* Nam per legem illam mentis, & per interiorem hominem, secundùm quem legi Dei condelectari se dicit, intelligit partem hominis rationalem, secundùm quam homo, si ductum rationis sequitur, honestate, & lege Dei, id quod est honestum ostendente ac præcipiente delectatur: vt exponunt Photius, Iustinianus, Toletus, & alij meliores interpretes in eundem locum, fauente Augustino lib. de Spiritu & litera contra Pelagianos scripto, cap. 27. aliisque Patribus. Vnde etiam naturaliter oritur synteresis, & stimulus conscientiæ, quotiescunque turpe præferimus honesto. Hinc est etiam quòd naturaliter virtutem vel in ipsis inimicis amamus. Et vt ait Chrysost. hom. *Quòd regulares fœminæ viris non cohabitent: Hoc diuinæ prouidentiæ opus est quòd tantam nobis virtutis familiaritatem & cognationem, & tantam vitiorum dissimilitudinem indidit. Ita illa quidem (de virtute loquor) omnium calculis probatur, etiam absentium. Hæc verò condemnantur etiam ab his, qui virtutem non curant, & auersantur, & persequuntur.* Et homil 2. in epist. ad Ephes. *Vides* inquit, *quòd ad virtutem semina habeamus à natura: vitium autem est præter naturam.* Et Basilius homil. 9. in Hexaëm. paulò ante medium, *Sunt apud nos ipsa virtutes secundùm naturam, ad quas habendas affinitas animæ, non ex humana doctrina, sed ex ipsa natura nobis inesse videtur.* Et Origenes lib. 3. in cap. 3. epist. ad Roman. *Inuenitur quidem Deus*, inquit, *dedisse homini omnes affectus, omnésque motus, quibus ad virtutem niti possit, & progredi: insuper etiam vim rationis inseruisse, qua agnosceret quid deberet agere, quid cauere.* Et Damascenus lib. 3. de fide cap. 14. in fine, *Naturales virtutes sunt*, inquit, *ac naturaliter & æquè omnibus insunt: etsi non omnes æquè ea, quæ naturæ consentanea sunt, operemur.* Et Hierony. in cap. 1. epist. ad Galat. dicit peccantes ideo magis Dei iudicio fieri obnoxios, quòd habentes in se naturaliter sapientiæ & iustitiæ semina, & principia virtutum, vitiis potiùs & peccatis se dedunt. Similia dicunt alij Patres Latini &

59. *Semina virtutum naturalia.*

Græci, speciatímque D. August. locis suprà citatis. Quare si nihil aliud voluerunt Pelagiani, quando dixerunt esse in nobis semina quædam innata virtutum, non sunt erroris propter hoc reprehendendi: neque id in illis damnauit vnquam Ecclesia, siue in Concilio Palæstin. siue in Carthag. Mileuit. Arausic. & si quæ alia fuerunt contra Pelagianos aut Semipelagianos celebrata. Non est autem erroneum quidquid illi dixerunt, sed quod tale esse iudicauit Ecclesia, vt sæpius contra importunitatem Aduersariorum monere cogimur.

SECTIO VIII.

In quo igitur errarunt Pelagiani circa liberum arbitrium?

60. *Primus error: liberum arbitrium non egere gratiâ.* His ergo figmentis, & imposturis Iansenij reiectis, videndum superest quinam verè fuerint errores Pelagianorum circa libertatem arbitrij. Quatuor autem illos fuisse dico. Primus, quòd existimarent tantas esse vires naturales liberi arbitrij, vt sine auxilio gratiæ sufficeret ad implendam legem, faciendo bonum, & declinando à malo. Sic enim Patres Concilij Carthag. & Mileuit. de illis scribunt ad Innocentium Papam, epist. 90. & 92. inter Augustinianas: *Isti dicunt posse hominem in hac vita præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt ei non sit iam necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra.* Quem illorum errorem damnauit Innocentius epist. 91. & 93. ad eos rescriptis. Et Patres Concilij Carthag. epist. 90. apud eundem Augustinum sic de illo pronunciarunt: *Quicunque dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda sufficere posse naturam, anathema sit.* Eundem errorem in illis notauit Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem, & lib. 1. dialogi contra Pelagianos: Et Diuus Augustinus epist. 89. *Illud*, inquit, *quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ & Spiritus sancti dono ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum.* Et epist. 94. sic habet: *Noua quædam hæresis inimica gratiæ Christi, contra Ecclesiam Christi conatur exurgere, sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est: hominum scilicet qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, vt hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quòd cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus; & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Ceterùm ad eadem mandata seruanda & implenda, nullo diuino adiutorio nos egere.* Eundem errorem damnauit Concilium Mileuit. can. 7. & 8. & Arausic. can. 6. 7. 9. 20. & 22.

61. *Secundus: indigentiam gratiæ repugnare libertati.* Secundus est, quòd existimarent libertatem arbitrij stare non posse cum necessitate auxiliorum gratiæ Dei. Hoc enim docuisse Pelagium & Celestium patet ex Concilio Diospolit. in quo damnatur hæc illorum propositio, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere:* vt testatur Diuus Augustinus lib. de gestis Pelagij cap. 13. qui eundem Pelagij errorem alibi sæpius notat; vt speciatim epist. 106. ad Paulinum.

62. *Tertius: liberum arbitrium non fuisse læsum.* Tertius est, quòd existimarent liberum hominis arbitrium non fuisse læsum & debilitatum per peccatum Adami: sed in eo esse statu, quo erat ante præuaricationem, iisdémque viribus pollere circa bonum & malum. Hoc enim ferebant octauus, & vndecimus eius articuli damnati à Concilio Palæstino, prout refert Augustinus cap. suprà citato libri de gestis Pelagij, quibus hæreticus ille asserebat, *Peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non genus humanum: & infantes recèns natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante præuaricationem.* Damnatus etiam fuit hic error ab Arausicana Synodo secunda, can. 1. his verbis: *Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, id est, secundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium; Pelagij errore deceptus aduersatur Scripturæ dicenti:* Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, &c. Et canone 13. ita pronunciat: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari.* Et canone 25. *Hoc Deo propitiante*, inquit, *& prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum fuerit, & attenuatum liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit.* Nimirum quia cùm sufficerent Adamo gratia habitualis, & virtutes supernaturales illi infusæ in ipsa eius creatione, quæque similiter posteris infusæ fuissent: nunc post eius lapsum, & amissionem status innocentiæ, naturæque integritatis, non sufficiunt: sed opus est gratia actuali præueniente & adiuuante, etiam ex parte voluntatis, qua inclinetur & corroboretur vt velit credere & operari bonum sicut oportet.

63. *Quartus: æqualiter posse bonum & malum.* Quartus est, quòd affirmarent nos per liberum arbitrium æquè potentes esse ad bonum & ad malum: quódque libertatem arbitrij generaliter definirent per indifferentiam ad bonum & ad malum: ita vt neminem liberum esse dicerent, nisi qui posset indifferenter bene aut malè operari. Primum patet ex epist. Prosperi ad Augustinum, præfixa libro de præd. Sanct. vbi eos dicit affirmare, *Quantum quisque ad malum, tantùdem habere facultatis ad bonum; pariq; momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere.* Eundem errorē sæpius refutat Augustinus docens liberum arbitrium de se quidem ad peccandum valere: ad bene autem operandum egere Dei gratia. Et Concilium Arausic. contra eundem sic pronunciat can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem, atque iustitiam: ab illo fonte est, quem debemus sitire &c.* Quia nimirum, vt paulò antè dixerat can. 7. & 9. non possumus sine auxilio gratiæ operari bonum sicut oportet: & *Diuini muneris est, quod rectè cogitamus & facimus. Quotiescunque enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.*

64. Secundum liquet ex August. lib. 1. Operis imperfecti contra Iulian. pag. 150. vbi eum re-

Et non esse liberum nisi vtrumque possit. prehendit, aliósque Pelagianos, quòd libertatem generaliter sumptam restringerent ad potestatem indifferentem circa bonum & malum, seu, quæ possit bene & malè velle. Quasi verò Deus liber non sit, quamuis malè velle & facere nequeat:& angeli hominésque beati, qui similiter non possunt malè appetere. *Si liberum non est*, inquit, *nisi quod duo potest velle*, id est bonum & malum, *liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle, de quo ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* Vnde meritò sic concludit Anselmus in dialogo de libero arbit. cap. 1. *Quoniam liberum arbitrium diuinum & bonorum angelorum peccare non potest: non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij* (generalissimè sumpti) *posse peccare.* Nimirum sicut non potest sine errore dici, quòd de ratione vitæ generaliter sumptæ sit, posse mori; vel de ratione intelligentis, posse errare, alioqui Deus nec viueret, nec intelligeret: sic &c.



DISPVTATIO IV.

In quo errauerint Pelagiani circa statum primi hominis ante peccatum.

SECTIO I.

Errores circa ea, quæ pertinebant ad animam.

1\. *Primus error, Adam non fuisse creatum in gratia.* VATVOR sunt, in quibus errauerunt Pelagiani circa statum naturæ innocentis, quoad ea quæ pertinent ad animam. Primum, quòd existimauerint Adamum in eo statu caruisse gratia habituali sanctificante. Vt patet ex art. x 1. damnato in Concilio Palæst. quo Pelagius asserebat, *Infantes recèns natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante præuaricationem.* Certum est autem infantes recèns natos, & nondum beneficio baptismi regeneratos, destitutos esse gratia sanctificante: vt ipsimet Pelagiani fatebantur: eósque idcircò à regno cœlorum excludebant, quòd non essent sanctificati & adoptati; in quocunque demum sanctificationem constituerent, de quo dicemus alibi. Perstititque Pelagius in illo errore post Concilium Palæst. in quo fraudulenter & specie tenus eum retractauerat, subintelligens (vt postea disertè significauit) differentiam, quam inter paruulos recens natos, & Adamum ponebat, in eo solùm consistere, quòd *paruuli præceptum capere nondum possunt: ille autem potuit: nondùmque vtuntur rationalis voluntatis arbitrio, quo ille nisi vteretur, non ei præceptum daretur:* vt refert Augustinus lib. de peccat. Orig. cap. 15. Cui differentiæ addebat aliam, vt refert idem sanctus Doctor, sequenti cap. 16. Quòd infantes non essent in ea corporis & animi firmitate, in qua fuit creatus Adam.

2\. Eundem errorem clariùs exprimit ex suo & aliorum Pelagianorum sensu Auctor quæstionum veteris Testam. 1. p. q. 123. verbis relatis à Iansenio lib. 2. de hæresi Pelagiana, c. 7. Vbi tamen perperam reprehendit quòd hæc verba Genes. 2. ver. 7. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, interpretatus sit de infusione animæ rationalis in corpus Adæ. Hæc enim interpretatio erronea & Pelagiana esse non potest, cùm sit communis Sanctorum Patrum, speciatímque D. August. lib. 13. de ciuit. cap. 24. qui per spiraculum vitæ animam intelligunt, vt videre est apud Caiet. Cornelium à lapide, Marianam, aliósque accuratiores interpretes. Inter quos postremò nominatus meritò carpit Philastrium, volentem his verbis intelligi Spiritum sanctum à nobis peccato expulsum, & à Christo restitutum: aliorúmque Patrum expositiones reprobantem, quasi hæreticas, qui per spiraculum animam intelligunt. Illum etiam tacito nomine reprehendit S. Aug. cap. cit. sic dicens: *Vnde & illud parum considératè quibusdam visum est, in eo quod legitur, Inspirauit Deus in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem; non tunc animam primo homini datam: sed eam, quæ iam inerat, Spiritu sancto viuificatam esse.* *Spiraculum vitæ Adamo infusum quid sit*

3\. Porro Adamum, siue præcisè in ipso instanti creationis, siue pòst antequam peccaret, sanctificatum fuisse, non obscurè significat Scriptura Ecclesiast. 7. ver. 30. dicens Deum fecisse hominem rectum: rectitudo enim hominis in virtute & sanctitate consistit. Et Ephesior. 4. ver. 24. vbi Paulus sic loquitur: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*, id est, *veræ*, iuxta phrasim Hebraïcam. Quibus verbis secundùm communem expositionem Sanctorum Patrum, & interpretum Catholicorum, docet Apostolus nos renouari per Christi merita ad iustitiam illam & sanctitatem supernaturalem, in qua initio fuimus in Adamo. Tridentinum quoque sess. 5. in decreto de peccato orig. can. 1. id manifestè supponit, cùm sic loquitur: *Si quis non confitetur primum hominem, cùm mandatum Domini in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse &c. anathema sit.* Idem etiam docent communiter sancti Patres: vt videre est apud Pererium lib. 5. in Genesim, in disput. de secunda excellentia status innocentiæ, quæst. 1. Qui etiam dicunt Adamum in ipsa sua creatione sanctificatum fuisse: sicut Deus creauit angelos, simul in eis condens naturam & largiens gratiam, vt loquitur Augustinus, lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 9. *Probatur fuisse creatum cum gratia.*

4\. Secundus error Pelagij circa statum innocentiæ fuit, quòd assereret nullam quoque scientiam fuisse Adamo infusam; sed tantùm capacitatem discendi, & discernendi bonum à malo. Qui error æquè ac præcedens virtualiter continetur in hac assertione, damnata à Concilio Palæst. *Infantes recèns natos in illo statu esse, in quo fuit Adam ante præuaricationem.* Excepto scilicèt quòd infantes, propter ætatis teneritudinem, non habent eam corporis animíque firmitatem, quâ habuit Adamus in sua creatione; quódque nondum sunt præcepti capaces, nec adhuc vtuntur rationalis voluntatis arbitrio: vt paulò antè retulimus ex Augustino, as- *Secundus: scientiam non fuisse Adamo infusam.*

firmante Pelagium subdolè in hunc sensum exposuisse retractationem erroris sui, à Concilio Palæstino damnati. Cùm igitur sit euidens, infantes recèns natos omni scientia destitutos esse, consequens est, iuxta doctrinam Pelagij, Adamum illis similem in omnibus, saluis illis duabus exceptionibus, omni quoque scientia infusa caruisse. Cuius tamen oppositum docet Scriptura, Ecclesiast. 13. ver. 5. & 6. vbi de primis parentibus sic loquitur: *Disciplinâ intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam Spiritus, sensu impleuit cor illorum.*

5. *Tertius: non eguisse gratia ad perseuerandum.*

Tertius error fuit, quòd existimauerit primos parentes in statu innocentiæ non indiguisse auxilio gratiæ propriè dictæ, siue ad bene operandum, siue ad resistendum tentationibus, & perseuerandum in illo statu, abstinendo à peccato. Tametsi enim hanc quæstionem specialiter vix vnquam attigit, sine dubio tamen pares censuit fuisse vires illius status, iis quibus nunc homines præditos esse credidit. Atqui præcipua illius hæresis in eo versabatur, quòd tantas esse vires arbitrij nostri diceret, vt nullo gratiæ adiutorio indigeret ad effectus prædictos, vt patet ex 18. 21. & 22. eius articulis in Concilio Palæst. damnatis, quibus asserebat *Gratiam Dei atque adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* Et, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Et denique, *Victoriam nostram* (quando resistimus tentationibus) *non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio.* Eandémque ob causam Pelagius in epist. ad Demetriadem dicebat, ideo primis hominibus per tot secula legem non fuisse datam, quia Deus sciebat se talem hominum fecisse naturam, vt eis pro lege ad exercendam iustitiam sufficeret. Refert etiam & damnat eumdem errorem Innocentius in epistolis ad Concil. Carthag. & Mileuit. quæ sunt inter Augustinianas 91. & 93. Et Concilium Arausic. can. 19. cuius verba hæc sunt: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore non adiuuante, seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?*

6. *Quartus: nō caruisse concupiscentiâ.*

Quartò, errarunt Pelagiani existimantes animam primorum parentum ante peccatum, secundùm partem inferiorem fuisse obnoxiam motibus iisdem concupiscentię, spiritui rebellibus, quibus post peccatum cum sua posteritate subiacuit. Hoc enim sequitur ex xI. eiusdem articulo, damnato in Synodo Palæstina, quo dicebat Adamum ante præuaricationem in eo statu fuisse, in quo nunc sunt infantes recèns nati: qui certè carent dono integritatis naturæ, quo pars inferior animæ perfectè subdebatur superiori, neque gignebat motus rebelles contra illam luctantes. Id etiam expressè docet Iulianus apud August. lib. 1. Operis imperfecti, fol. 100. vbi sic ait: *Hanc autem voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse res illa declarat, quæ ad delictum via per concupiscentiam fuit: quæ cùm pomi decore oculos incitasset, spem etiam iucundi irritauit saporis.*

7. Consequentérque dicebant Pelagiani, creatum fuisse hominem cum illa membrorum libidine, & carnis rebellione, quam nunc experimur, & propter quam erubescimus. Vt testatur D. August. lib. 4. contra Iulian. cap. 10. vbi eum sic alloquitur: *Et non erubescis istum morbum, vel quod tu quamuis pudibundus fateris, istam libidinem introducere in paradisum, & tribuere, coniugibus ante peccatum.* Et lib. 5. cap. 7. *Naturalem* (inquit Augustinus) *esse libidinem & ego dico, quia cum illa nascitur omnis homo: & tu multò amplius, qui dicis quòd cum illa sit conditus primus homo.* *Nec carnis rebellione.*

8. *Ostenditur hunc errorem repugnare Scripturæ.*

Meritò autem hanc doctrinam velut erroneam exagitauit Sanctus ille Doctor locis citatis & lib. 1. de Nupt. & concupisc. & l. 1. contra duas epist. Pelag. aliisque libris contra eos scriptis: quia repugnat Scripturæ, Gen. 3. affirmanti primos parentes non erubuisse quòd nudi essent, (propter motus scilicet concupiscentiæ turpes & pudendos) nisi post peccatum. Tunc enim aperti sunt oculi amborum: cúmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, vt dicitur ver. 7. Et paulò pòst ver. 11. *Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* inquit Deus Adamo, timorem & erubescentiam suam excusanti: perspicuè significans causam illius erubescentiæ fuisse peccatum. Id etiam Paulus indicat Rom. 7. vers. 23. quando fomitem concupiscentiæ vocat peccatum, sic dicens: *Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, illud facio. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* id est, fomes peccati, seu concupiscentia, & rebellio appetitus sensitiui contra rationalem: quam peccatum vocat, non quòd propriè peccatum sit, si ei non consentiatur, strenuéque & constanter resistatur: sed quia ex peccato Adami orta est: atque etiam quia ad peccatum inclinat, vt exponit Trident. loco mox citando. Eandémque ob causam idem Apostolus, eodem cap. ver. 25. concupiscentiam vocat *legem peccati*, cùm sic ait: *Mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati:* & corpus illi obnoxium vocat *corpus mortis: Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* ibidem ver. 24. significans non fuisse in corpore mortis non obnoxio, quale erat ante peccatum: & vim illam partis inferioris rebellem superiori, quæ ad peccandum, legis instar obligat quodammodo, id est impellit, importunéque sollicitat, esse fœtum peccati primi parentis.

9. *Repugnat etiam Tridentino & Augustino.*

Quæ omnia luculenter confirmat Trident. sess. 5. in decreto de peccato orig. can. 5. his verbis: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Et D. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 19. vbi affirmat partes illas corporis, in quibus præcipuè viget concupiscentia carnalis, *in paradiso ante peccatum vitiosas non fuisse. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur, vnde necesse esset eas ratione, tanquam frenis regentibus abstinere. Nam quod nunc ita mouentur, & ab eis qui temperanter & iustè & piè viuunt, aliàs faciliùs, aliàs difficiliùs, tamen cohibendo & refrenando modificantur: non*

est vtique sanitas ex natura, sed languor ex culpa. Et lib. 13. cap. 13. *Postea quam*, inquit, *præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt, &c. Senserunt* enim *nouum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Iam quippe anima libertate propria in peruersum delectata, & Deo dedignata seruire, pristino corporis seruitio destituebatur. Et quia superiorem dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat: nec omni modo habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subdita ipsa mansisset.* Et iterum libro 14. cap. 17. exponens verba Geneseos suprà relata, *Aperti sunt oculi eorum, cùmque cognouissent se esse nudos &c.* sic ait: *Patebant oculi eorum: sed adhuc non erant aperti, hoc est non attenti vt cognoscerent quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Quâ gratiâ remotâ, vt pœnâ reciprocâ inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confusos.* Huc vsque D. Aug.

SECTIO II.

Errores Pelagij, circa corpus primorum parentum, ante peccatum.

10. *Dicebant Adamum mortalem creatum esse.* PRIMVS, & solemnis eius error circa corpus primorum parentum ante peccatum fuit, quòd illud morti obnoxium & moriturum fuisse diceret, tametsi Adam non peccasset: vt patet ex septimo eius articulo relato & damnato à Concilio Palæstino, quo dicebat, *Adam mortalem creatum esse: adeo vt siue peccasset, siue non, mortuus esset.* Et consequenter posteros eius morituros quoque fuisse, tametsi Dei mandatum ipse transgressus non esset: iuxta id quod asserebat articulo 12. *per Adæ præuaricationem omne genus humanum non mori.* Neque ex illa necessitatem moriendi in posteris ortam esse: quia *peccatum Adæ ipsum solum læsit, & non genus humanum*, vt dicebat art. 8.

11. *Scriptura docet cõtrarium.* Qui error manifestè repugnat Scripturæ, Sapient. 1. *Deus mortem non fecit*, antecedenti scilicet voluntate, sed tantùm consequente in pœnam peccati. *Vnde constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, quâ nullam mortem homini Deus fecit: sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus. Terra es & in terram ibis*, inquit Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 15. Idem clariùs exprimit Sapiens cap. 2. ver. 23. sic dicens: *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Et Apostolus ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Et cap. 8. eiusdem epist. *Corpus quidem mortuum est, propter peccatum: spiritus verò viuit, propter iustificationem.* Et 1. Cor. 15. *Per hominem mors; & per hominem resurrectio. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Quibus omnibus Scripturæ locis alluditur ad caput Genes. 2. vbi Deus primo homini præcipiens vt à fructu arboris scientiæ boni & mali abstineret, mortem illi comminatur, sic dicens ver. 17. *In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris:* Posteàque denuncians pœnas & miserias, quas peccãdo incurrerat; sic eundem alloquitur cap. 3. ver. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et inferiùs ver. 22. pœnam exequi incipiens, déque paradiso terrestri Adamum eiiciens; *Nunc ergo*, inquit, *ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum:* vt alioqui fecisset, si non peccasset; *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso, &c.* 12.

Eundem errorem damnauit in Pelagio Concilium Mileuit. can. 1. cuius verba sunt, *Quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Et Arausicanum II. can. 2. similiter anathematizat eum qui dixerit Adam peccando sibi & posteris non nocuisse, vel mortem solùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, in eos transfudisse. Quem canonem iisdem penè verbis renouauit & confirmauit Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali can. 1. & 2. 13. *Et plura Concilia.*

Alter Pelagianorũ error fuit, corpus primorum parentum ante peccatum fuisse obnoxium doloribus & morbis, aliisque incommodis, quibus nunc vexamur: iisdémque posteros eius futuros fuisse obnoxios, quamuis Adam non peccasset. Qui error tametsi non adeò expresse traditus fuit à Pelagianis: consequens tamen erat ex præcedenti. Nam cùm dolores, morbi, & similia incommoda, sint appendices mortis & corruptionis, ad illámque disponant: non existimabant esse ab illis exemptos lege communi, & sine speciali priuilegio, quos ipsi morti & corruptioni subiectos esse credebant ex necessitate suæ conditionis. Eóque pertinebant 8. & 11. errores Pelagij ex damnatis à Concilio Palæst. quibus affirmabat peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non genus humanum: infantésque recèns natos, in illo statu esse, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Infantes autem sunt obnoxij morbis & doloribus, aliisque incommodis corporis, æquè ac ipsi morti. Quare Adam quoque illis erat obnoxius ante præuaricationem: si quidem ante illam erat in illo statu, in quo nunc sunt infantes recèns nati. 14. *Volebant Adamum fuisse obnoxium miseriis corporis ante peccatum.*

Repugnat autem hic error verbis Scripturæ, Genes. 3. vbi Deus sic Adamum alloquitur: *Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Mulieri quoque hanc pœnam denunciauit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries &c.* Quare meritò hunc errorem damnauit Synodus Arausicana secunda, can. 1. definiens sub anathemate, Per offensam 15. *Contrariũ probatur ex Scriptura & Conciliis.*

præuaricationis Adæ, ipsum totum hominem, id est, secundùm corpus & animam, in deterius fuisse mutatum. Idémque affirmat Trident. sess. 5. in decreto de peccato origin. canone 1. verbis eius extremis. Eundem errorem eleganter exagitat S. Aug. l. 1. Operis imperfecti, contra Iulian. fol. 82. vbi postquam dixit, ex eorum sententia mortem fuisse naturaliter venturam homini etiam si non peccasset: ex eo infert dicendum iis consequenter esse non solùm illam inferiorem libidinem, qua nimiùm delectamur, verùm etiam molestissimam febrim, ceteró sque innumerabiles morbos, quibus videmus afflictos paruulos mori, in paradiso futuros fuisse. Et paulò pòst fol. 87. *Cogeris implere paradisum* (inquit Iuliano) *etiamsi nemo peccasset, dolore parturientium, labore nascentium, gemitibus languentium, funeribus morientium, mœrore lugentium &c. Paradisum illum talem fecistis, qualem non dico Christianorum nullus, sed nec hominum quisquam suspicari auderet, si non sit insanus.*

16. *Et ex sanctis Patribus.* Vtrumque errorem prædamnauerant Sancti Patres: Vt Basilius in regulis fusiùs disput. interrogat. 55. vbi sic habet, *Quemadmodum si essemus in paradiso deliciarum, nihil opus haberemus solertia & labore agriculturæ: ita si in statu vitæ ab omni perpessione vacuo, degeremus, cuiusmodi gratia erat illa, quam à primo conditu accepimus ante peccatum, nullo medicinæ remedio ad sanationem indigeremus:* quia scilicet tunc non essent ægritudines. Addítque, eadem lege damnatos fuisse homines ad mortē & malas affectiones corporis, quā ad victum cum sudore & solicitudine sibi parandum. Et Chrys. homil. 17. in Genes. aliquantò ante finem, circa illa verba, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo: Animaduerte*, inquit, *quo pacto post peccatum & inobedientiam, omnia contigerint contraria priori vitæ conditioni. Quasi diceret: Ego quidem, cùm in hunc mundum te prodire feci, volebam te degere absque doloribus, laboribus, sudoribus, & ærumnis, & omni felicitate frui, neque corporalibus necessitatibus obnoxium esse, sed ab illis omnibus liberum. Quia verò non profuit tibi tanta securitas, eapropter & terram maledicam &c. & cum multo labore, molestiis, & ærumnis afficiam te tristitiis, & continuis fatigationibus &c. Hæc sustinebis vsque ad finem vitæ tuæ, & donec in illam resoluaris, ex qua formatus es.*

SECTIO III.

Errauerintne Pelagiani in eo quòd senserint concupiscentiam, & necessitatem moriendi esse homini naturalem?

17. *Sententia Iansenij affirmantis.* AFFIRMAT obiter Iansenius lib. 2. de hæresi Pelag. cap. 11. & 13. vbi refert inter illorum errores, quòd vellent concupiscentiam esse affectionem naturalem, quódque mortem corporis *communem & naturalem* appellarent. fusissimè verò & clarissimè id docet libro 2. de statu naturæ puræ, cap. 11. & reliquis sequentibus: vbi probare contendit Iulianum, alió sque Pelagianos errasse in eo, quod dicerēt concupiscentiam esse naturaliter bonam, si intra limites suos contineatur, esséque homini connaturalem. Addítque non minùs erroneum esse, quòd dicunt Scholastici, illam fore in statu naturæ puræ, id est, in casu quo crearetur homo in puris naturalibus, sine ordine ad gratiam & finem supernaturalem. Et toto lib. 3. persuadere conatur ad sententiam Pelagianorum & Manichæorum deflectere eos, qui dicunt mortem & miserias corporis fore in statu naturæ puræ. Neque potuisse absque iniustitia hominem illis obnoxium fieri, nisi in pœnam peccati: adeóque non posse absque iniustitia tribui Deo miserias naturæ innocentis.

Sed si Pelagianum est dicere concupiscentiam, & mortem & miserias corporis esse homini naturales, id est, hominem ex natura sua esse illis obnoxium, neque ab illis eximi, nisi per gratiæ beneficium: Pelagianus ergo fuit D. Augustinus, qui lib. 4. contra Iulian. cap. 16. sic loquitur: *Gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Et lib. 6. de Genesi ad lit. cap. 25. *Posse non mori præstabatur ei* (Adamo) *de ligno vitæ, non de constitutione naturæ &c. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis: immortalis beneficio conditoris.* 18. *Contraria probatur ex Patribus.*

Pelagianus quoque erit Chrysost. qui homil. 19. ad populum Antiochen. prope finem sic ait: *Concupiscentia radix habet à natura principium. Concupiscere enim naturale; malè verò concupiscere iam est voluntatis.* Et Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 15. affirmans primum hominem immortalitatis bonum supra naturam suam consecutum esse. *Rationale animal*, inquit, *homo à Deo productus, quia natura sua incorruptibilis atque perpetuus esse non poterat, spiritu vitæ signatus immortalitatis bonum supra naturam suam consecutus est.* Et Athanasius relatus à Damasceno in Eclogis, parte 1. titul. 3. cuius hæc verba sunt: *Est natura suâ mortalis homo, vtpote ex non extantibus factus, verùm propter similitudinem quam habet eius qui est, quam si seruasset obediendo Deo, naturalem corruptionem hebetasset, & mansisset incorruptus.* 19.

Pelagianus etiam fuerit Diuus Thomas 1. p. quæst. 95. articulo 1. c. vbi gratiæ diuinæ tribuit quòd ante peccatum inordinatis motibus concupiscentiæ homo caruerit, alioquin ex naturali eius conditione secuturis. Nam exponens illud Ecclesiastis septimi: *Deus fecit hominem rectum:* dicit, Rectitudinem primi hominis in eo positam fuisse, vt ratio eius Deo esset subiecta: rationi autem inseruirent inferiores animæ vires; & animæ etiam corpus. Huius autem triplicis rectitudinis, inquit, prima erat causa secundæ, & tertiæ. Secunda verò rectitudo, per quam inferiores animæ vires subditæ atque obedientes erant rationi; tertia item rectitudo, qua corpus erat subditum animæ, non erant naturales; alioqui mansissent in homine post peccatum: quę enim naturalia sunt homini, ea per peccatum non fuère homini ablata; sed erant gratuitò concessæ homini per Dei gratiam. Prima igitur illa rectitudo, qua mens omnino subiecta erat Deo, ex qua scilicet aliæ duæ pendebant, non erat naturalis, sed supernaturale donum gratiæ Dei. Hinc concluditur, si primus homo creatus est in illa rectitudine, eum cum Dei gratia creatum esse. Illud autem quo inferiores vires continebantur in 20. *Et ex D. Thoma.*

officio, & in obedientia rationis fuisse supernaturale donum gratiæ, non obscurè indicauit Paulus ad Rom. 7. Cùm enim dixisset, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati:* cúmque miserrimum suum statum quasi deplorans exclamasset. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* subiunxit, *Gratia Dei per Iesum Christum.* Sola igitur Dei gratia, carnem spiritu coërcere, & mentis imperio subiugare potest. Ergo cùm in Adamo ante peccatum caro rationi minimè rebellis fuerit, id profectò non aliter, quàm per gratiam Dei factum esse existimari debet. Similia tradit idem S. Doctor, q. 4. de malo art. 1. vbi sic loquitur: *Est autem considerandum quòd primo homini in sua institutione datum fuerat diuinitùs quoddam supernaturale donum, scilicet originalis iustitia, per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ, &c.*

21. Quòd verò etiam necessitas moriendi sit homini naturalis, immortalitas verò non nisi gratiæ beneficio esset Adamo concessa, eiúsque posteris, si ille non peccasset, non minùs clarè affirmat idem S. Doctor 1. p. q. 97. art. 1. c. vbi dicit, Corpus Adami non fuisse immortale *per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem: Sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter diuinitùs data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset.* Non potuit clariùs affirmare sanctus ille Doctor exemptionem à concupiscentia, seu rebellione carnis, & à morte, fuisse beneficium gratiæ, & donum supernaturale, sine quo primus homo cum sua posteritate fuisset vtrique naturaliter obnoxius. Quare si hoc asserere Pelagianus error est, vt vult Iansenius, in errore illo fuerunt D. Tho. & D. Aug. aliíque Patres suprà citati: quos omnes Pelagianismi damnare absurdissimum est.

22. *Et ex bullis Pontificum.* Quin etiam Pelagianis annumerādi erunt Summi Pont. Pius V. & Greg. XIII. qui has Baij propositiones damnarunt: ***Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis eius conditio. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Deus non potuisset ab initio talem hominem cōdere, qualis nunc nascitur,*** id est, obnoxium concupiscentiæ, & morti, aliísque miseriis, quibus nunc subiecti nascimur. Pelagianis quoque accensendus erit Vrb. VIII. qui bullam Pij V. nouâ bullâ confirmauit omni ex parte, & nouis pœnis additis contra refragantes communiuit. Nec non qui nunc sedem Apostolicam tenet Innocent. X. qui bullas eiusmodi prędecessorum suorum seruari iubet & curat: vt iam pluribus Diplomatibus significauit, quorū exemplar alibi dabimus. Quis non miretur reperiri inter Catholicos, qui Iansenio credant, affirmanti Pelagianum errorem esse doctrinam ab ipsomet August. aliísque Patribus tam perspicuè traditam, & à quatuor Summis Pontificibus authenticè confirmatam?

23. *Confirmatur ratione.* Huic auctoritati irrefragabili, accedit etiam ratio ex naturali hominis constitutione petita; Nam cùm homo naturaliter constet corpore & spiritu: eiúsque anima simul sit sensitiua, & rationalis: ac proinde duplex habeat genus cognitionis, videlicet per sensus, & per intellectum; duplicem quoque appetitum, nēpe sensitiuum, & rationalem: cúmq; omnis illius cognitio naturaliter incipiat à sensibus, qui mouent appetitum sensitiuum, priusquam ratio seu cognitio intellectualis, & voluntas perfectè deliberare possit: sequitur naturaliter ex hoc genere compositionis, & modi cognoscendi, pugna inter appetitum, & voluntatem: cùm ille præuenit, & suo impetu naturali, ac necessario fertur sæpissimè vehementer in obiecta delectabilia, vel commoda, per sensus sibi proposita, & rectæ rationi siue honesto repugnantia: iuxta illud Apostoli Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ &c.*

Confirmatur: quia si concupiscentia non oritur ex natura ipsius hominis, semota gratia seu dono supernaturali eam impediente, Deus fuisset illius causa specialis, & specialiter illam procurasset in Adamo, & in eius posteris, propter ipsius peccatum. At hoc non bene cōuenit cum his Iacobi verbis c. 1. suæ Catholicæ, *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Quę oppositio non esset bona, si concupiscentia esset specialiter à Deo procurata. Nam Deus ipse verè tentaret per concupiscentiam, essétque verè causa tentationis, quam ab illa patimur, si esset causa specialis rebellionis & affectuū inordinatorum partis sensitiuæ, quibus ad peccandum importunè vehementérque sollicitamur: qui etiam non possunt sine indecentia tribui Deo, vt causæ speciali. 24. *Concupiscentia non est à Deo.*

Item cùm homo secundùm corpus sit compositus ex elementis & qualitatibus inter se pugnantibus, séque inuicem destruentibus: eiúsque materia sit capax aliarum formarum, & dispositiones quibus anima illi aptatur, eiúsque vnio cum corpore conseruatur, sint corruptibiles naturaliter: sequitur illum esse ab intrinseco & ex natura sua corruptibilem & mortalem, ipsáque defecturum & interiturum, nisi causa potentior ab interitu vendicet. Sed neque vlla causa naturalis est, quæ illum in perpetuum à corruptione immunem præstare possit. Síque arbor ligni vitæ hominem morti eripuisset, vt videtur significari Gen. 3. cùm de Adamo dicitur *Ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum:* non fuit illa virtus connaturalis arbori, sed diuinitus indita; opúsque erat præterea speciali prouidentia & protectione Dei præseruantis ab incommodis & periculis, quæ mortem illi afferre potuissent igne, ferro, submersione, casu ex alto, & similibus. 25. *Homo natura sua est mortalis.*

Ad hæc causam corruptionis & mortis videtur Deus respexisse, dicens Gen. 3. ver. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es & in puluerem reuerteris:* quasi diceret: formatus es ex massa corruptibili, & in illam resoluêris. Eandémque ob causam D. August. lib. 6. de Genesi ad lit. c. 25. & lib. 13. de Ciuit. c. 23. & lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 3. dicit Adamum creatum fuisse mortalem simul & immortalem. Mortalem, quia quantum est de se, vt animal poterat mori. Immortalem, quia poterat non mori beneficio gratiæ diuinæ, si non peccasset. Verba illius primo loco citato hæc sunt: *Illud* (corpus Adæ scilicet) *ante peccatum & mortale secundùm aliam; & im-* 26.

mortale secundùm aliam causam dici poterat: id est, mortale, quia poterat mori: immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus: aliud est autem posse non mori, secundùm quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ &c. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, vtique mortale, quia & mori poterat: quamuis & immortale, ideo quia & non mori poterat.

27. *Licèt anima sit immortalis.* Nec obest quòd anima hominis cùm sit immortalis videtur ex natura sua exigere corpus immortale: ne alioqui per æternitatem futura sit in statu violento separationis. Si autem anima naturaliter id exigit: ergo immortalitas corporis est connaturalis homini, quippe quæ naturaliter illi debetur.

Huic enim obiectioni iam pridem satisfecit D. Thomas 1. p. q. 76. art. 5. vbi proposito sibi huiusmodi argumento. Materia debet esse proportionata formę. Sed anima intellectiua est forma incorruptibilis. Ergo non conuenienter vnitur corpori corruptibili. Respondet ipse in hæc verba: Quidam forte volens euadere hanc obiectionem, diceret corpus hominis ante peccatum fuisse incorruptibile. Sed responsio non videtur sufficiens. Corpus enim hominis ante peccatum non fuit incorruptibile per naturā; alioquin ea immortalitas mansisset etiam post peccatum, sicut mansit immortalitas dæmonum; sed fuit immortale per gratiæ diuinæ donum. Quare meliùs respondetur, in materia, quæ alicuius formæ causâ eligitur, duplicem inueniri conditionem. Alteram, quæ per se eligitur, vt per quam materia fit conueniēs ad recipiendam formā, & idonea vt forma proprias actiones obire queat. Alteram verò, quæ per se non eligitur, sed quòd ea priorem cōditionem ex necessitate materiæ naturaliter consequitur, non potest abiici & remoueri à materia. Ex. c. artifex ad fabricandam serram eligit ferrum, quasi idoneam ad id materiā, quæ scilicet duritiâ suâ apta est ad secandum. Quòd autē dentes serræ ferreæ possint hebetari, & rubigine affici, id sequitur ex necessitate materiæ. Sic animæ intellectiuæ per se debetur corpus æqualis cōmplexionis, & animæ vegetatiuæ ac sensitiuæ capax: tale autem corpus ex necessitate materiæ cōsequitur corruptibilitas. Huc vsque D. Thom. Sicut autem imperfectio naturalis est corporis, quòd sit defectibile: ita & animæ, quòd tale corpus exigat naturaliter, neque perpetuò sibi coniunctum retinere valeat.

28. *Naturalis Beatitudo qualis sit.* Non obest etiam quòd inde sequi videtur nullam esse posse naturalem beatitudinē hominis: quod est absurdum. Respondeo enim id non sequi. Sed homini sufficere si sit beatus vt homo: quemadmodum ait Philos. 10. Ethic. id est obtineat illā cognitionem rerum, præcipuè Dei, & statum virtutis, aliáq; bona animi & corporis, atque etiam externa, quorum est capax naturaliter, & quibus iure debeat esse contentus naturaliter spectatus. Quamuis perpetuitas, & alia multa desint, quę ad perfectam & omni ex parte absolutam felicitatem, qualis est Dei & Sanctorum Angelorum & hominum, necessaria forent. Alia quæ opponit Iansenius, præsertim ex Augustino, diluentur inferiùs disputat. 13. vbi de possibilitate status naturæ puræ disputabitur.



DISPVTATIO V.

De dogmatibus Pelagianorum ad statum naturæ lapsæ pertinentibus.

SECTIO I.

Errores illorum circa peccatum Originale.



PRIMVS & præcipuus fuit, quòd dicerent non dari peccatum originale, id est, peccatum Adæ non transfundi ad posteros. Nam inter articulos Pelagij, damnatos à Concilio Palæst. octauus erat, *Peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non genus humanum.* Et vndecimus: *Infantes recèns natos in illo statu esse, in quo fuit Adam ante præuaricationem*: vt refert Augustinus lib. de gestis Pelagij cap. 8. In quo errore constanter perstitit vsque ad mortem, licèt in Concilio supradicto eum retractasse visus esset. Nam vt ipse postea discipulis suis exposuit: quando abiurauit hanc propositionem, *Peccatum Adæ ipsum solum læsisse & non genus humanum*: intellexit fraudulenter, & contra mentem Synodi, læsisse per imitationem, non per propagationem. 1. *Negabant peccatum originale.*

Eundem errorem damnauit Synodus Mileuit. can. 2. anathematizans eum, qui dixerit paruulos recèns natos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: & Arausicana II. can. item 2. affirmans eum qui dixerit soli Adæ præuaricationem suam, non & eius propagini nocuisse: aut certè mortem corporis tantùm, quæ pœna peccati est; non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominē in totum genus humanum transisse, contradicere Apostolo dicenti Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Idémque affirmant Concil. Eliber. canone. 45. Carthaginense V. can. 6. & Trident. in decreto de peccato orig. can. 2. 2. *Damnatur hic error à Conciliis.*

Nec immeritò dānatus fuit hic error sempérque reiectus ab Ecclesia: quia repugnat perspicuis Scripturæ testimoniis, quæ non nisi ineptè & violenter in alium sensum detorquebantur à Pelagianis. Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nónne tu qui solus es?* Vel vt habet versio LXX. *Nemo mundus à sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram.* Vbi non est sermo de immunditia corporali, siue de sordibus paruulorum in infantia, vt ineptè volebant Pelagiani. Quasi verò huiusmodi sordes corporeæ reddant paruulos coram Deo maculatos, eiúsque, ira vel auersione dignos, sintque propter illas in diuinum iudicium adducendi, iuxta id quod imme- 3. *Et repugnat Scripturæ.*

diatè præcedit, *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* Quasi verò etiam Deus solus ab huiusmodi sordibus corporeis mundare possit infantes, & non etiam ipsi homines? Cùm igitur affirmet Scriptura infantes etiam vnius diei esse immundos, & eâ immunditiâ, quæ non nisi à Deo tolli potest: sequitur eos à parentibus contraxisse immũditiam illam, quæ est verè peccatum, quæque idcirco à Deo solo tolli potest.

4. Eòdem pertinet illud Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vbi Dauid non loquitur de peccatis, quę parentes eius in ipso generando commiserint: Nam cùm ex legitimo coniugio natus esset, & vsu eius licito, non erat quòd suspicaretur, multóque minùs quòd absolutè affirmaret parentes peccasse, & excessisse modum, permissum in vsu matrimonij legitimi. Cúmque totus ille psalmus eò tendat, vt Dauid misericordiam & commiserationem diuinam erga se moueat, non erat quòd Deo peccata suorum parentum repręsentaret; sed suam ipsius miseriam, peccatũ scilicet, quo ab ipso cõceptu fuerat inquinatus. Nec obest quòd dicit, *in iniquitatibus*, & *in peccatis*. Nam, vt rectè exponit Aug. in Enchir. c. 44. & 45. vel hoc ait more vulgari, quo numerus pluralis vsurpatur pro singulari, & vice versa. Vel 2. quia peccatum originale est multa virtualiter, quatenus est origo ceterorũ. Vel 3. quia peccatũ Adæ, quod per originem participamus, æquiualenter multiplex erat, inobedientiæ; ingratitudinis; superbię, siue appetitus nimiæ excellentiæ; inimicitiæ erga seipsum, quem tot incõmodis & grauibus damnis subiecit, tótq; bonis spoliauit; impietatis erga prolem, id est, erga totum genus humanum, quod pessumdedit, & tot ac tantis miseriis obnoxium fecit. Adde quòd in textu Hebræo habetur in singulari *peccato* & *iniquitate*; sicut etiam Hieronymus, Athanasius, & alij veteres ferè omnes legerunt. Et denique, cùm nomen peccati & iniquitatis sæpius repetatur in toto illo psalmo, propriéque sumatur, ineptè existimaretur impropriè sumi in hoc solo versiculo.

5. Sed, vt cetera prætercam, quæ de Scripturis aduersus Pelagianos referri possunt: efficacissimus est locus Apostoli Rom. 5. ver. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerũt.* In quibus verbis nota primò, Apostolũ distinguere peccatum à pœna, cuiusmodi est mors: assereréque vtrumq; per vnũ hominem, Adamum scilicet, in hunc mundum intrasse. Secundò, peccatum hîc propriè sumi, non metaphoricè, vt aliquando sumitur pro causa & pro pœna peccati: alioquin oppositio & distinctio Pauli non esset bona. Adde quòd nusquam alibi Scriptura affirmat peccare quempiam, aut peccatorem esse propter solam causam vel pœnam peccati: hîc verò disertè pronunciat Apostolus, *In quo omnes peccauerunt:* & paulò pòst ver. 19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituẽtur multi:* propriè scilicet peccatores, sicut propriè iusti. *Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam, in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum:* ibidem ver. 21.

Ineptè verò respondebant Pelagiani apud Aug. lib. 1. de peccat. meritis & remiss. c. 9. Peccatum intrasse in mundum, non propagatione, quasi reipsa trãsfunderetur generatione ad posteros: sed imitatione, quatenus nimirum posteri Adæ parentem suum imitantur, quando peccant. Nam contrà, Paulus ipse testatur nos esse vel fuisse naturâ, id est, naturali origine & propagatione, non imitatione tantùm, filios iræ, Eph. 2. ver. 3. *Eramus*, inquit, *naturâ filij iræ, sicut & ceteri.* Vbi quod ait *naturâ*, Græcè φύσει, idẽ est ac naturaliter, siue originaliter: vt rectè obseruat S. Aug. l. 1. de pec. merit. & remiss. c. 27. Erátque mera corruptela, quòd Pelagiani pro *naturâ*, substituerent *prorsus*. Deinde, vt rectè argumentatur idem S. Doctor, eodem lib. c. 9. Si peccatum trãsisset in mũdum imitatione tantùm, non debuit Apostolus dicere illud per hominem intrasse, sed potiùs per diabolum, qui peccat ab initio, vt dicitur 1. Ioan. 3. ver. 8. cuiusve inuidiâ mors intrauit in orbem terrarum, & eum imitantur qui sunt ex parte illius, vt ait Sapiens c. 2. v. 25. Adde quòd Eua priùs peccauit, quàm Adam: eámque non minùs imitantur qui peccãt, quàm Adamum. Ergo potiùs dicendum erat per Euam peccatum intrasse. Tertiò, infantes nondum vsum rationis habẽtes non imitantur Adamũ peccatis proprijs; & tamen rei sunt peccati & mortis: cùm Paulus vniuersim affirmet, *Et ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt.* Et ver. 15. immediatè pòst, præfert efficaciam redemptionis Christi, efficacię pręuaricationis Adæ, in eo quòd ista nos vno tantùm delicto infecit: Christi autem redemptio à multis nos eximit: id est, non tantùm ab illo originali peccato, verùm etiam ab omnibus actualibus. *Sed non sicut delictum*, inquit, *ita & donum. Si enim vnius delicto, multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratiâ vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit.* Græcè πολλούς, id est, *multos*: vel etiam *plures* comparatiuè, propter Angelos, quibus & Euæ, & B. Virgini Adamus peccatum originale non communicauit, & tamen Christus eis profuit. *Et non sicut per vnũ peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autẽ ex multis delictis in iustificationem.* Hucusque Paulus. Atqui si verum esset quod aiebant Pelagiani, posteros Adæ non aliter ipsius peccato inquinari, quàm per imitationem, quòd nimirum peccãdo imitentur Adamum; omnia ipsorum peccata essent originalia: Et ita Christus non pluribus nos peccatis liberaret, quàm Adamus inficeret. Quare euasio illa Pelagianorum vana est, & intentioni Pauli contraria. 6. *Inepta elusio Pelagianorum.*

Quæ autem in contrarium obiiciebant illi ex Irenæo, Cypriano, Rhetitio, Olympio, Hilario, Amb. Nazianz. Basil. Chrys. aliisq; Patrib. videri possunt apud Aug. l. 1. contra Iulian. vbi illa omnia luculenter in sensum Catholicum exponit. Præterea verò obiiciebant primò & præcipuè illud Ezech. 18. v. 20. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatẽ filij.* Ergo posteri Adæ non portant neq; contrahunt iniquitatem Adæ. Respõd. Ezech. loqui non de patre cõmuni totius generis humani, cuius bonum vel malum meritum ad omnes posteros pertinebat moraliter, ex constitutione diuina: sed de priuatis cu- 7. *Respõdetur eorum obiectionibus.*

iusq; patētibus. Neque etiam loqui de peccato originali, sed de personalibus, pro quibus quisq; suis punietur morte ęterna, de qua ibi sermo est. Pœnæ verò temporales redundant interdum ex peccatis singulorum parentum in filios, & filiorum in parētes. Vnde illa Apostolorum interrogatio Ioan. 9. *Rabbi, quis peccauit? hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Et Exod. 30. ac Num. 14. dicitur Deus visitare peccata patrum in filios, vsque ad tertiam & quartam generationem.

8. Opponebant 2. *Vbi non est lex, neque præuaricatio.* Rom. 4. At infantes nullius legis sunt capaces: ergo neque præuaricationis, seu peccati. Confirmatur, quia omne peccatum est voluntarium, & liberum. At infantes non sunt capaces vsus libertatis. Ergo non sunt etiam capaces peccati. Respondeo, vbi non est lex & vsus libertatis, non esse peccatum actu proprio commissum: posse tamen esse peccatum originale, non propria, sed aliena, id est, communi capitis humani generis voluntate, contra legem præuaricante contractum, indéque ad posteros, veluti membra transfusum. Quamquam sicut omnes dicuntur in ipso peccasse Rom. 5. ver. 12. ita dici possunt in ipso esse præuaricati, & legem transgressi: quatenus Adæ, personam omnium gerentis præuaricatio, & transgressio libera, communis omnium fuit.

9. Opponebant 3. Cùm iuxta Scripturam Sap. 10. ver. 2. Adam credatur ex delicto suo fuisse eductus, antequam filios generaret, quomodo potuerit transfundere in posteros peccatum, quo ipse carebat? Idémque dic de iustis filios procreantibus. Nam per rerum naturam fieri nequit, vt illud tradiderint parentes, quo caruisse creduntur. Si autem nec parēti, post conuersionem obsunt peccata propria: quantò magis filiis eius obesse nō possunt? Nulla enim ratione conceditur, vt Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena. Respondeo peccatum Adæ fuisse remissum, vt erat priuatæ personæ, siue prout ad ipsum priuatim pertinebat: at non prout ad posteros, siue prout erat publicum & commune totius naturæ, atq; omnium posterorum ab ipso per viam naturalis generationis descendentium. Quare sicut sanctitas Adami, vel parentum non impedit, quin filij naturali via procreati, sint membra illius totius specifici, cuius Adam fuit caput, atque adeo in illo præuaricati sint legem: sic non impedit quò minùs inficiantur peccato, quod in illo moraliter cōmiserunt. Si quis v. g. nomine totius Reipubl. debitum in perpetuum cōtraheret de certa pecuniæ summa viritim Regi in tributum soluenda: licèt postea debitum, prout singulariter ad ipsum pertinet, ei remitteretur, vel ab eo persolueretur: non propterea desinerent alij, & quotquot ex illa communitate nascerentur, subire debitum communi eius voluntate contractum, & ad ipsos naturali origine propagatum. Sic ergo Adamo & posteris contingit.

10. Opponebant 4. Peccatum residere, vel solum, vel præcipuè in anima. Sed anima non trahitur ab Adamo; quippe quæ non fit ex traduce. Ergo sicut per generationem non attingitur; ita nec inquinatur. Adde quòd, si generatio esset causa contractionis peccati originalis, sequeretur vsum matrimonij fore illicitum: quippe qui esset causa peccati. Hoc autem falsum est, & ad hæresim Manichæorum pertinet.

Respondeo, animam attingi per generationem, non quidem ita vt fiat vi illius: sed ita vt corpori vniatur: quæ vnio est terminus formalis generationis, totalis autem est homo ipse, constans corpore & anima. Vsus verò coniugij non est causa peccati originalis: & in statu innocentiæ fuisset, in quo nulla fieret originalis peccati transfusio: sed tantum facit, vt qui generantur, descendant via naturali ab Adamo. Causa verò cur cōtrahant peccatum originale, est voluntas Adæ præuaricans, qua voluntate, velut communi omnibus ab ipso via naturali descendentibus, omnes in ipso præuaricati sunt. Vt enim rectè dicit Aug. l. 2. de Nupt. & concupisc. c. 26. *Non sunt nuptiæ causa peccati, quod trahitur à nascente, & expiatur in renascente: sed voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.* Nimirum sicut eo ipso quòd Adam peccauit, remansit in illo peccatum habituale, à quo denominatus est peccator, donec remitteretur. Ita etiam, quia nos in ipso peccauimus, eo ipso quòd ex illo nascimur, contrahimus ex illius actu malo, physicè præterito, peccatum originale, quod est peccatum quoddam habituale, id est, actus malus primi parentis moraliter & habitualiter communicatus, & transfusus ad posteros: ac per transfusionem & communicationem moralem factus cuiusque proprius.

Opponebant 5. Redemptionem Christi non prodesse adultis, sine consensu ipsorum actuali. Ergo præuaricatio Adæ, cùm non sit efficacior, non nocet illis qui non consentiūt. Infantes autem, qui carent vsu rationis, carent illo actuali consensu: ergo &c. Respondeo, Christi redemptionem prodesse paruulis, sine ipsorum cōsensu: & quidem multò efficaciùs quàm nocuit peccatum Adami. Iustificatio enim quæ fit vi illius per sacramentum applicatæ, maior & difficilior est; ac proinde opus habet maiori virtute & efficaciâ. Adultis verò prodest etiam multipliciter, ante omnē consensum: nam licèt adulti non iustificentur meritis Christi sine consensu proprio; vocantur tamen, & disponuntur vt consentiant: sicut ait Apostolus ad Ephes. 1. & Trid. sess. 6. c. 5. Causa verò cur non iustificentur sine consensu proprio, est quia Deus conueniēter & suauiter cum illis, vt adultis & liberis agit. Ac licèt Christi meritū non sit vnica & totalis causa iustificationis adultorū, sicut meritum malum Adami est causa totalis contaminationis & reprobationis paruulorum, vel adultorum, etiam in originali solo morientium, (si aliqui adulti in eo solo moriuntur) non tamen idcirco minùs efficax est: Sed hoc ideo fit, quia multò plus requiritur, & maioris est operæ iustificatio supernaturalis, quàm contaminatio: & glorificatio, quàm reprobatio; ad quam tamen sufficeret Christi meritū solum, nisi suauis Dei prouidentia conuenienter aliquid ampliùs requisiuisset. 11.

Opponebant 6. æquitati Dei repugnare, vt propter vnius culpam totū genus humanum inficiatur peccato, & constituatur Deo odibile, mortéque æternâ puniatur, nisi accedat illius remissio. Sed potiùs eam formā iudicij etiā in homine malo obseruari debuisse, quæ seruata fuit in diabolo. Diabolus autē non dānatur nisi ex vitio propriæ voluntatis. Ergo nec homines dānari debent, nisi propter peccatum propriâ volun- 12.

tate commissum. Ad priorem partem obiectionis respondeo, cum Diuo Augustino, lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & Bernardo, Sermone primo de Dominica 1. post octauam Epiphaniæ, istud Dei iudicium iustum esse, quia Adami culpa nostra erat, & nos moraliter in illo peccauimus: quódque ipse faciebat, velut omnium caput morale, imputabatur nobis, veluti eius membris, iuxta Dei constitutione moraliter ei subiectis. Neque absurdum, vel iniquum est vt culpa vnius communicetur aliis moraliter, non solùm ad carendum bonis aliàs indebitis, quæ fuerant eis constituta & donata in alio, cum conditione vt ille alius non peccaret: cuiusmodi erant bona supernaturalia Adamo donata, & ad posteros transfundenda, si non peccasset: sed etiam ad alios effectus morales. Nam etiam inter homines ipsos naturale est, vt iuxta communem sensum, & æstimationem, bonum aut malum vnius, & virtus aut culpa, ad alios, quibus coniunctus est, quodammodo pertineat ad honorem, fauores, & priuilegia: vel ad infamiam, priuationem bonorum, exilium, & alios effectus morales & pœnales.

13. Ad illud verò quod postremo loco dicitur de dæmonibus. Respondeo disparem esse illorum, & hominum rationem. Nam Angeli, siue boni, siue mali, non procreantur alij ab aliis, neque vllus eorum constitutus à Deo fuit caput ceterorum, cuius bonum aut malum meritum ad omnes pertineret: vt in hominibus factum est, qui præterea non habent vsum rationis, vt Angeli, ab ipso instanti creationis. At sicut paruuli iustificantur sine vllo actu propriæ voluntatis, propter merita Christi, sibi per baptismum, vel aliud medium applicata: ita possunt rei & peccatores constitui sine actu proprio, per peccatum, seu malum meritum Adami, sibi moraliter communicatum propter naturalem ab ipso propagationem, id est, quia via communi & naturali generationis ab illo descendunt. Quæ verò sit illorum pœna, si moriantur in statu peccati originalis, dicemus in 3. tract. disp. vlt.

Alia multa obiiciebant Pelagiani, quæ refert Iansenius lib. 3. de hæresi Pelag. cap. 2. & 3. Sed ea vel minoris sunt momenti, vel in argumentis iam refutatis virtualiter comprehenduntur, & ex dictis facilè solui possunt.

SECTIO II.

In quo errarunt Pelagiani circa concupiscentiam, libidinem, & alias cupiditates, ortas ex peccato originali?

14. *Pelagiani præcones concupiscentiæ.* HAc de re Iansenius citato lib. 3. cap. 4. & sequentibus, vsque ad 12. vbi docet 1. Pelagianos ita laudasse libidinem & concupiscentiam, vt eius præconium & patrocinium suscepisse viderentur. 2. Manichæismi accusasse illos qui malam illam esse dicerent: quippe quæ cùm *Contendebant non esse malam.* sit naturalis, sequeretur Deum malam aliquam naturam fecisse, siue alicuius rei malæ auctorem extitisse. Cúmque Deus singulari beneficio illam excitarit in Abrahamo & Sara, ad gignendum Isaac: quomodo potest ad opus diaboli pertinere, quod Deus videtur conferre pro munere? Item, cùm Deus illam, in pœnam subtraxerit Regi Abimelech, placatúsque rediderit, quomodo verum malum dici potest, quod interdum aufert exasperatus Deus, redditque placatus? Adde quòd, si mala esset concupiscentia, deberet penitùs extirpari, non componi, id est refrenari. Item, deberet penitùs tolli per baptismum. Nam alioqui non planè innouaret hominem, neque daret omnium indulgentiam peccatorum, nec auferret crimina, sed raderet, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorũ, vnde crescant iterum resecanda peccata. Sequeretur etiam id, vnde homines mouentur ad gignendam prolem, & ipsum vsum coniugij ex diabolo esse: ipsásque nuptias esse damnandas: quia si non sunt nuptiæ sine libidine, & generaliter omnis libido damnatur veluti mala: damnantur pariter nuptiæ.

3. Difficultatem bene operandi, & abstinendi à malo, luctámque illam inter carnem & spiritum, quam describit Apostolus Rom. 7. dicebant oriri non à concupiscentia, sed à mala consuetudine, quâ naturæ lumen obruitur: eandémque à Paulo intelligi per legem carnis, legem membrorum, & corpus peccati; propter inclinationem, quam affert ad peccandum, & propter collectionem vitiorum longa & assidua peccandi consuetudine contractam: non autem malum aliquod, aut morbum nobis innatum, & ex peccato primi parentis deriuatum. Atque hanc etiam consuetudinem, dicebant tolli per baptismum. Propterea quod affirmat Apostolus eos, qui baptisantur, non esse ampliùs in carne. Illámque Apostoli querimoniam de lucta carnis, & legis membrorum contra legem mentis, non esse ipsius Apostoli in propria persona: sed in persona Iudæi, vel alterius nondum baptisati, & postulantis ab ea liberari per baptismum, his verbis: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* 15. *Et difficultatem bene operandi nō esse ab illâ, sed à mala consuetudine.*

4. Concupiscentiam non modò omnis expertem malitiæ, sed & bonam esse probabant, quia habitualiter sumpta nihil est aliud, quàm sensus ipse, siue appetitus sensitiuus à Deo nobis insitus: actualiter verò concupiscere, viuentis, sentientísque naturæ est: nec quidquam in eo, nisi excessus, culpari iure potest. Nam vt aiebāt apud August. lib. 4. contra Iulian. cap. 2. huius appetitus neque in genere suo (id est, origine) neque in specie, neq; in modo culpa est, sed in excessu: quia genus eius & species ad cōditoris operam pertinent, qui concupiscentiam ceteris quoque aliis animalibus inseruit, & hominem ex duplici bonorum genere cōflauit, naturæ videlicet animalis, & intellectualis: illiq; subiectio, isti imperium sic incumbit, vt blanditiis inferioris illius boni non debeat ratio subiugari, sed imperium suum in eo moderando exercere. Sicut ergo panis, & vinum, aliáq; id genus à Deo cōdita, non ideo mala censenda sunt, quia malum vsum per excessum habere possunt: ita nec concupiscētia, siue appetitus sensitiuus malus esse censendus est, licèt in concupiscendo interdum contingat excessus. Atq; idcirco nec ab Adamo ante peccatum, nec à Christo concupiscentiam, de se bonam, remouendam esse dicebant: & vt testatur D. Aug. l. 4. contra Iulian. c. 9. sic eam amabant, vt quomodo illam primis parentibus ante peccatum in paradiso positis, ita etiam resuscitatis corporibus ingerere velle viderentur. 16. *E contrario, bonam esse volebant.*

17. *Curnam tantopere laudarent.* 5. Causam cur adeo concupiscentiam laudarent, fuisse dicit Iansenius, vt peccati originalis traductionem à parente in prolem funditus tollerent, ipsam traductionis rescindendo radicem. Videbant enim, inquit, fieri non posse, vt tantum malum generatione traiiceretur in prolem, nisi aliquid in causa generationis superesset mali. Putabant etiam se hac ratione ab Apostolis, aliisque sanctis viris propulsare iniuriam, quâ dicerentur semper concupiscentiâ fuisse polluti: vt fingebant ipsi affirmari à Catholicis: quasi perinde esset concupiscentiæ motuum radicem habere, aut motus ipsos sentire; & ipsis consentire, atque pollui. Addebant contrariam sententiam iniicere hominibus desperationem bene viuendi. Si enim lex peccati in membris est inserta naturaliter, & nunquam recedit, sed vrget semper, & vehementer impellit, cogitque ad peccandum: superari vtique à virtute non potest. Ex opposito, sententiam suam ad bene viuendum accendere, virtutémque nobis facilem esse ostendere. *Eo proposito, non esse in natura malum defendimus*, (inquit Iulian. apud Augustinum) *vt ad virtutum studia homines incitemus, &c. Atque ob hoc dicimus non esse in carne mali necessitatem, vt erubescat vnusquisque laudabiliter conditus, deformiter viuere: ac sic pudor turpi occurrat ignauiæ, de commendatione nobilitatis ingenitæ.* Eò denique tendebant, vt statuerent omnibus bonæ concupiscentiæ motibus obsequendum esse. *Cùm enim bonam concupiscentiam esse dicebant, astutè illi semper consentiendum esse docebant, ne renisu improbo repugnaretur naturali bono*, vt ait Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 7.

18. Excessum tamen in vsu concupiscentiæ malum, & reprehensibilem esse non diffitebantur. *Meritò namque* (aiebat Iulianus apud August. lib. 2. de Nuptiis, cap. 19.) *& in bene vtentibus genus concupiscentiæ, modúsque laudatur: & in turpibus excessus eius punitur.* Nimirum quia, vt ait ibidem, *Concupiscentia naturalis, qui modum tenet, bono bene vtitur: qui modum non tenet, bono malè vtitur.* Modum verò illum, seu limites in vsu concupiscentiæ carnis definiebant intra terminos matrimonij legitimi: ita vt excessum illius in sola fornicatione, & adulterio constituere viderentur. Similitérque vsum aliarum concupiscentiarum permittere videbantur, dúmodo nemini afferrent iniuriam, aut detrimentum. Hæc Iansenius breuiter à nobis collecta: fusissimè verò ab ipso, capitibus suprà citatis exposita, multísque Augustini testimoniis confirmata.

SECTIO III.

Examinatur doctrina proposita.

19. *Dupliciter sumitur concupiscentia.* VERVM, vt intelligatur in quo vel errauerint Pelagiani, vel Iansenius ipse in illis reprehendendis modū excesserit: Considerandum est 1. Concupiscentiam dupliciter sumi. Nimirum vel pro potentia concupiscendi: vel pro eius actu. Nam quòd pro ipsa potentia sumatur, docet Augustinus lib. 4. in Iulian. cap. 14. & lib. sexto, capite septimo. Quòd verò etiam sumatur pro ipso actu, seu desiderio, & motu concupiscendi, docet eodem libro sexto, capite octauo.

20. *Sumpta pro potentia, nō est mala.* Et potentia quidem non est mala, sed bona, vel indifferens ad bonum, vel ad malum vsum, cuius vtriusque naturaliter capax est: possumus enim per eandem facultatem appetitiuam benè, & malè concupiscere. *Neque etiā generaliter, sumpta pro actu.* Actus quoque non est malus vniuersaliter: sed quandoque bonus, seu rationi rectæ consentaneus: quandoque malus, & dissentaneus. Neque enim omnis concupiscentia mala est, sed, vt ait August. Concione 8. in Psalmum 118. bona erat concupiscentia, qua dicebat Dauid, *Concupiui desiderare iustificationes tuas in omni tempore:* & illa quâ spiritus aduersus carnem concupiscit, vt ait Apostolus ad Galatas 5. & illa quæ dicitur sapientiam concupiscere, & perducere ad regnum, Sapientiæ 6. Et denique de moribus concupiscentiæ, seu desideriis appetitus & voluntatis nostræ generaliter sic pronunciat idem S. Doctor lib. 14. de Ciuit. cap. 7. *Mala sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus.* Quod ibidem confirmat iisdem Scripturæ locis, quæ modò retulimus. Et Gregorius Nyssenus disp. *de resurrectione, & anima cum sorore Macrina*, dicit affectus seu passiones animi, certo quodam vsu voluntatis & arbitrij, vel virtutis, vel vitij instrumenta esse. *Pathi*, id est, *affectus & motus animi, non mali alicuius causâ, hominis naturæ tributi sunt: Nam alioqui Creatori causa malorum assignari posset: sed certo vsu voluntatis & arbitrij, vel virtutis, vel vitij instrumenta tales animi motus existunt.*

21. *Alia duplex acceptio concupiscentiæ.* Obseruandum 2. Concupiscentiam, siue pro ipsa potentia, siue pro actu sumptam, rursus dupliciter accipi. Nimirum vel generaliter, pro potentia vel actu appetendi quodcunque bonum, sensibile, aut insensibile, iucundum, vtile, aut honestum: vel strictiùs pro potentia, vel actu appetendi bona sensibilia, & commoda, vel delectabilia sensui, præcipuè tactui, & gustui. Quo etiam modo sumpta cōcupiscentia, non est mala generaliter; sed indifferens ad bonum & malum. Possumus enim per eandem potentiam appetitiuam, nobis insitam naturaliter, bona quædam sensibilia bene & laudabiliter appetere; quædam malè. Fuitque in Christo, & in Adamo ante peccatum potentia appetendi bona huiusmodi, atque illorum quorumdam appetitus rectæ rationi conueniens. Erit etiam in corporibus Beatorum eadem potentia naturalis, eiúsque vsus, & exercitium circa bona sensibilia, ad beatitudinem corporis pertinentia.

22. *Tertia, & strictior acceptio.* Obseruandum est 3. strictiùs adhuc solere accipi concupiscentiam, in malam partem, pro vitiosa inclinatione appetendi bona commoda, vel delectabilia contra ordinem rectæ rationis: quod vitium ex Adami peccato secutum est, amissa integritate naturæ innocentis: atque etiam pro ipsa actuali eorum appetitione inordinata, & repugnante rectæ rationi. Duplex enim est huiusmodi concupiscentia: vna habitualis, siue in actu primo, quæ est ipsa potentia appetitiua, de se prona ad huiusmodi appetitiones vitiosas, ob naturæ corruptionem, ex peccato Adæ secutam: aut etiam pronior facta per habitus vitiosos, consuetudine malè agendi partos. Altera actualis, siue in actu secundo; quæ est ipsa appetitio mala, seu motus inordinatus circa bona sensibilia.

23. *Concupiscentia vitiosa non est solùm in parte sensitiua.* Hoc autem vitium licèt in carne præcipuè resideat, hoc est, in parte inferiore hominis, quæ sensualitas appellatur, & fertur impotenter ad bona sensibilia, & delectabilia gustui præsertim & tactui: propter quod Apostolus Rom. 7. vocat legem membrorum, & legem peccati, quæ est in membris, & habitans in carne peccatum: tamen etiam in voluntate ipsa, & in parte superiore hominis simile vitium reperitur, quod pariter nomine concupiscentiæ appellatur. Nam voluntas quoque, siue pars hominis superior & spiritalis, vitiosè prona est ad concupiscendos honores, diuitias, & alia bona vtilia & delectabilia, honesto repugnantia: idque non sine vehementia, resistente dictamini rationis, & sæpissimè vel eam præueniente, vel quod peius est, superante. Quapropter Apostolus ad Galat. 5. posteaquam dixit carnem concupiscere aduersus spiritum; inter opera concupiscentiæ carnis, recenset non solùm ea quæ ad sensualitatem pertinent, vt fornicationem, immundiciam, impudicitiam, luxuriam, ebrietates, comessationes: verùm etiam alia quæ ad partem superiorem, vel ad vtramque spectant, idolorum seruitutem, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, inuidias. Quæ omnia vocat *opera carnis*: intelligens per *carnem*, totum hominem, prout carnaliter viuit, secundùm seipsum, & non secundùm Deum, vt notat Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 2. 3. & 4. Eadémque amplitudine videtur accipi nomen concupiscentiæ 1. Ioan. 2. vers. 10. cùm dicitur, *Quidquid est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Videtur enim Apostolus his verbis designare tria capita generalia, ad quæ omnes malæ concupiscentiæ reuocari possunt. Nimirùm libidinem circa voluptates carnis, quæ per sensus percipiuntur, præcipuè per gustum & tactum: libidinem sciendi, seu curiositatem, quam per concupiscentiam oculorum designat: & libidinem excellendi, quam vocat superbiam vitæ: vt notauit Augustinus in explanat. Psal. 8. vbi sic ait: *Hæc tria genera vitiorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, omnia peccata concludunt: quæ mihi videntur à Ioanne Apostolo enumerata, cùm dicit: nolite diligere mundum; quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi.*

24. *Non omnis appetitio sensibilium, mala est.* Porro non omnis inclinatio habitualis ad bona etiam sensibilia vitiosa est: neque omnis actualis eorum appetitio: sed illa duntaxat quæ rationis limites prætergreditur, modúmque debitum excedit: vt de ipsa carnali concupiscentia docet Chrysostomus in epist. ad Rom. cuius verba referemus paulò pòst: & August. lib. de bono coniug. cap. 11. vbi sic ait: *Opus nuptiarum ab omni crimine defendit Apostolus dicendo; & si acceperis vxorem, non peccasti.* & in Psal. 50. loquens de vsu coniugij, *Opus hoc castum in coniuge*, inquit, *non habet culpam*, sed neque vlla *Nec culpabilis sine consensu voluntatis.* concupiscentia actualis immoderata culpabilis est, propriéque peccatum, nisi accedente voluntatis consensu, aut permissu libero: id est, nisi voluntas, cui commissum est regimen huiusmodi motuum, vel non eos impediat, & compescat, quando potest; vel, quod peius est, eos excitet, aut positiuè illis consentiat: vt docet Augustinus pluribus locis. Nam lib. 9. de Ciuit. cap. 5. *Scriptura diuina*, inquit, *Deo mentem subiicit regendam & adiuuandam: mentíque passiones ita moderandas atque frenandas, vt in vsu iustitiæ conuertantur.* Et lib. 2. de Genesi, contra Manich. c. 14. *Aliquando ratio viriliter, etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.* Et epist. 200. ad Asellicum, *Quamuis insint, dum sumus in corpore mortis huius, desideria peccati: si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset vnde diceremus patri nostro, qui est in cælis, Dimitte nobis debita nostra.* Et lib. 1. de Ciuit. cap. 25. *Illa concupiscentialis inobedientia*, inquit, *quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Et lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10. *Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Iesu. Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum.* *Probatur ex Augustino.*

Idémque docent alij Patres: vt Basilius in Constitut. Monast. cap. 2. & 3. vbi dicit omnes carnis affectus esse naturales; & si aliquando in illis peccatur, totum id esse ex negligentia animæ præsidentis. Et Chrysost. hom. 19. ad populum Antiochen. *Nisi consuetudinem vincamus*, inquit, *quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à natura principium? Concupiscere enim, naturale est: at malè concupiscere, iam est voluntatis.* Et hom. 13. in epist. ad Rom. *Ipsæ passiones in se peccatum non sunt: effrenata vero ipsarum immoderantia, peccatum operata est. Et vt exempli gratia, vnam illarum tractem: concupiscentia quidem peccatum non est: quando egressa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit, non à concupiscentia, sed à nimio & illicito illius luxu.* Eandem non esse peccatum, sed viam ad peccatum, si voluntariè eam sequamur, affirmat Hilarius in Psal. 118. circa illa verba, *Viam iniquitatis amoue à me*, quæ in hunc modum exponit; *Promptum fuerat dicere, Iniquitatem amoue à me: sed licèt infirmitatis suæ conscius, meminerit in corpore suo viam inesse peccandi,* (concupiscentiam scilicet) *tamen per timorem Dei, à peractione omnis peccati alienus est. Viam igitur peccati, qua ad peccatum pergere promptum est, amoueri à se deprecatur, id est, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ, aut ignorantiæ, quâ tanquam per viam ad peccatum itur, ingruere.* 25. *Confirmatur ex aliis Patribus.*

Ex his collige 1. Malè quidem Pelagianos in eiusmodi passionum, seu motuum concupiscentiæ, speciatímque carnalis, laudes effusos fuisse: quam ob causam meritò reprehenduntur à D. August. lib. 2. contra Iulian. cap. 3. & 6. & lib. 4. c. 2. 11. 12. 14. & 15. & lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 9. & 11. & lib. 2. de Nupt. & concupisc. c. vlt. alibíque sæpiùs; vbi eos vocat patronos, defensores, præcones, fautores, & impudentissimos laudatores libidinis. Sed malè quoque Iansenium eos erroris arguere, quòd dixerint appetitum concupiscendi naturalem esse: eiúsque motus non esse malos, nisi quando modum rectæ rationis excedunt. Vtrumque enim disertè affirmant Sancti Patres; vt patet ex verbis suprà relatis Augustini, Basilij, Chrysostomi, & Hilarij. 26. *Error Pelagij.* *Et impostura Iansenij.*

Collige 2. malè quoque reprehendi à Iansenio 27.

Altera impostura. velut erroneum, quòd dixerint Pelagiani, malam non esse concupiscentiam circa vsum moderatum legitimi matrimonij, & procreationem prolis. Nam ipse potiùs errat, si contrarium asserit: & accedit ad hæresim Manichæorum, & Encratitarum, aliorúmque veterum hæreticorum, qui nuptias legitimas, earúmque vsum generaliter vt malum, & illicitum damnauerunt. Cuius etiam contrarium disertè affirmauit S. August. verbis suprà relatis ex lib. de bono coniugali, cap. 11. & Concione in Psal. 50.

28. *Secundus error Pelagij.* Collige 3. errasse quoque Pelagianos in eo quòd difficultatem bene operãdi, & à malo abstinendi, luctámque inter carnem, & spiritum, ex malâ tantùm consuetudine oriri existimarent: nihílque eiusmodi ortum esse ex peccato primi parentis, per quod amissâ naturæ integritate, Adam cum sua posteritate secundùm corpus, & animam in deterius mutatus est, vt ait Tridentinum sess. 5. can. 1. post Arausic. can. 2. & in pœnam suæ inobedientiæ, rebellionem carnis passus est, subtracto gratiæ dono, quo rationi perfectè subiiciebatur, quamdiu ipsa ratio mansit Deo subiecta: vt ait August. lib. 14. de Ciuit. cap. 17. alibíque sæpiùs. Qui etiam tom. 4. lib. de Continentia, cap. 7. difficultatem illam bene agendi, malique vitandi ex peccato Adæ secutam, vocat languorem, & infirmitatem naturæ, quæ non sanatur per baptismum, licèt peccati originalis culpa, & reatus tollatur. *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit,* (qualis scilicet à Deo condita fuit sana & integra) *quam sanè culpam per lauacrum regenerationis, Dei gratia, fidelibus iam remisit; sed sub eiusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Et inferiùs, explicans illud Psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas:* sic ait: *Propitius fit* (Deus) *iniquitatibus, cùm peccata dimittit: sanat languores, cùm desideria praua compescit. Propitius fit iniquitatibus, dando indulgentiam: sanat languores, dando continentiam. Illud factum est in baptismate confitentibus: hoc fit in agone certantibus.* Et tom. 3. lib. 14. de Trinit. cap. 17. hâc perappositâ similitudine id exponit: *Quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere. Itémque aliud est infixum telum de corpore demere: aliud vulnus, quod eo factum est, secunda curatione sanare. Ita prima curatio est, causam remouere languoris: quod per omnium fit indulgentiam peccatorum. Secunda, ipsum sanare languorem: quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Quæ duo demonstrantur in psalmo vbi legitur, Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, quod fit in baptismo: deinde sequitur, Qui sanat omnes languores tuos; quod fit quotidianis accessibus, cùm hæc imago renouatur.*

29. *Tertius error.* Vnde 4. sequitur, errasse quoque Pelagianos in eo, quòd affirmarent difficultatem illam tolli per baptismum: & nisi fomes concupiscentiæ per illum extingueretur, fore, vt non tollerentur peccata, sed raderentur subinde renascitura capillorum instar, & incrementum acceptura. Quem errorem, quoad priorem eius partem, satis refellit ipsa experientia: & vtramque damnauit Tridentinum, sess. 5. can. 5. sæpiúsque refutauit August. vt lib. 1. contra duas epist. Pelag. capite 13. cuius verba hæc sunt: *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere. nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterum resecanda peccata, &c. Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo vel fallere, cum qua necesse est vt baptizatus, etiamsi diligentissimè proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc, etiamsi vocatur peccatum* (ab Apostolo Rom. 7.) *non vtique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quòd manus eam fecerit.*

Collige 5. nimis confusè, & indistinctè affirmasse Pelagianos, concupiscentiam sumptam pro potentia appetendi, bonam esse. Nam si loquebantur de potentia illa latè sumptâ, prout ad bene & ad malè concupiscendum valet: est quidem bona, & naturalis quædam perfectio, quatenus valet ad bene concupiscendum: sed quatenus potest etiam malè concupiscere, atque ad hoc vehementer inclinat, est imperfectio quædam naturæ. Sicut, quòd intellectus possit verum attingere, perfectio naturalis est: quòd autem falli possit, & errare, imperfectionis est. Sumpta verò strictiùs concupiscentia in malam partem, vt sumi solet à D. August. disputante contra Pelagianos, pro inclinatione huiuscemodi ad bona delectabilia, vel vtilia, repugnante rectæ rationi, vehementérque ad peccandum impellente: vt sic, perperam commendabatur à Pelagianis tanquam bona, & laude digna: cùm sit potiùs imperfectio, & infirmitas ex peccato secuta, vt paulò antè diximus. 30. *Potentia concupiscendi an, & quatenus bona?*

Quod denique addebant, concupiscentiam sumptam pro actu secundo, non esse malam & vitiosam, nisi quando prætergreditur limites rectæ rationis, cuius imperio regi debet; malè recensetur à Iansenio inter illorum errores: cùm sit ipsamet doctrina S. Augustini, aliorúmque Patrum locis suprà relatis num. 24. & 25. Errabant tamen si, vt ait postremo loco Iansenius, & probare conatur ex Aug. lib. contra Iulianum, c. 2. aliísque locis, excessum concupiscentiæ restringebant ad fornicationem, & adulterium, & si quæ alia sunt eius peccata contra iustitiam. Nam præter hæc, multos alios excessus concupiscentiæ numerat Apostolus ad Galat. 5. vers. 19. & sequentibus, æmulationes, comessationes, ebrietates, &c. 31. *Alia impostura Iansenij.* *Error Pelagianorum circa excessum concupiscentiæ.*

SECTIO IV.

Quid senserint de ignorantia & de morte, ceterisque humanæ vitæ miseriis?

HAc de re Iansenius lib. 3. de hæresi Pelagiana cap. 12. & quatuor seqq. vbi docet primò, commune Pelagianorum dogma fuisse ignorantiam paruulorum, cum qua omnes nascimur, æquè ac concupiscentiam difficultatémque bene operandi, & à malo abstinendi, quam omnes experimur, non ad miseriam iustæ damnationis, sed ad naturæ institutionem pertinere: esséque primordia ipsius naturæ, non peccati primi parentis supplicia: vt ait Augustinus, hunc illorum errorem referens lib. de Bono perseuer. cap. 11. & lib. 1. Retract. cap. 9. Ex quo inferebant, hanc ignorantiam paruulorum non esse 32. *Dicebant ignorantiam esse ex natura.*

culpabilem neque malam: sed esse infantilem quandam simplicitatem naturæ, sic à Deo institutæ, eo quòd natura sit hominis sic incipere.

Et excusare à peccato, si est inuincibilis. Secundò, aliud quoque eorum dogma fuisse, ignorantiam adultorum inuincibilem non subiacere peccato; eo quòd sit ex necessitate, non ex voluntate: vt refert Augustinus lib. de gestis Pelagij, cap. 18. & 35. & Hieronymus lib. 1. dialogi contra Pelagianos, versus finem.

33. *Mortē quoque à natura esse, non pœnam peccati.* Tertiò, negasse quoque mortem corporalem, pœnam esse peccati, sed ex naturali necessitate euenire; moriturúmque fuisse Adamum, siue peccaret, siue non: vt refert August. lib. de gestis Pelagij, cap. 11. Quódque dicit Apostolus, per peccatum Adæ, mortem intrasse in mundum, intellexisse de morte animæ, quæ est pœna cuiuscunque peccati lethalis: illud verò 1. Corinth. 15. vers. 21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*, in hunc sensum exposuisse, non quòd Adam peccati sui merito mortem inuexerit; sed quia primus ipse mortuus est: sicut per hominem Christum resurrectio mortuorum, quia primus resurrexit: vt ait Pelagius in Commentario capitis, & versus citati. Similiter illud eiusdem Apostoli, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*, dicebant eodem sensu intelligendum esse, quo cùm dicit, *Mortificate membra vestra super terram, propter peccatum*, id est, vt ne fiat peccatum.

34. *Idem dixerunt de aliis miseriis.* Quartò, de ceteris humanæ vitæ ærumnis idem prorsus quod de morte sensisse: videlicet non esse pœnam vllius peccati: vt refert August. lib. 1. Operis imperfecti, contra Iulian. fol. 109. & lib. 2. in fine: & illas æquè ac mortem non esse verè mala, sed adiaphora, seu media inter bonum & malum, & indifferentia. Præcipuam verò rationem cur hæc omnia ex peccato Adæ secuta esse negarent, fuisse, tum ne peccatum quoque simul ad posteros pertinere, & transmitti faterentur: tum etiam, quia vt ait Pelagius apud August. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 30. & 33. si primi hominis peccato factum est vt moreremur, Christi aduentu fieret vt credentes in eum non morerentur. Neque enim præuaricatoris transgressio plus nobis nocuit, quàm incarnatio, vel redemptio profuit Saluatoris. Quod idem disertiùs affirmat Iulianus apud eundem August. lib. 2. Operis imperfecti, fol. 292. & seqq.

35. *Quid sentiendum de ignorantia paruulorū.* Sed quod attinet ad ignorantiam paruulorum; fallitur ipsemet Iansenius, si putat infantes, Adamo non peccante, instructos scientiâ, nascituros fuisse, & erroneum esse dicere cōtrarium. Nam vt rectè affirmat S. Thom. 1. p. q. 101. art. 1. De his quæ supra naturam sunt, soli auctoritati creditur: id est, nihil supernaturale debet credi, sine auctoritatis diuinæ testimonio, eiúsque indicio sufficienti: quo prudenter, & sine temeritate moueamur ad asserendum id quod naturæ ordinem, & rationem naturalem excedit. Vnde vbi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem. Est autem naturale homini, vt scientiam per sensus acquirat. Ideóque anima vnitur corpori sensibus externis, & internis instructo, quia eo indiget ad suam propriam operationem. Quod non esset, si statim à principio scientiam haberet, non acquisitam per sensitiuas facultates. Et ideo, inquit, dicendum est, quòd pueri in statu innocentiæ non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in progressu temporis acquisiuissent, inueniendo, vel addiscendo. Ad quod eos iuuissent optima corporis dispositio, & organorum intellectui seruientium compositio, vita longissima, perpetua bona valetudo, & vires firmissimæ, docilitásque, & habilitas ad quidlibet discendum, præstantia omnium sensuum internorum, & externorum, quorum ope notitiam rerum haurimus, facilitas experiendi virtutes, & proprietates rerum naturalium, obuiis earum obiectis magna copia in paradiso terrestri, sciendi desiderium & voluptas, exemptio curarum circa victum, & vestitum, vacuitas passionum, & tranquillitas animi, instructio parentum, qui, & præcipuè Adamus omnibus scientiis naturalibus à Deo instructus, filios sibi similes, reddere satagerent, optiméque in scientia, & virtute promouerent; specialisque Dei prouidentia eos iuuantis ad verum assequendum, & ab errore præseruantis, iudicando de vnoquoque secundùm euidentiam, vel certitudinem, & probabilitatem: neque plus affirmando, aut negando, quàm postulat meritum, & propositio obiecti.

In contrarium verò, neque certa profertur auctoritas diuinæ reuelationis, neque vlla ratio magni momenti. Nam quòd Eccles. 17. vers. 5. & 6. dicitur de primis parentibus, *Disciplinâ intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum*: non est ad paruulos extendendum, sed speciale fuit illud beneficium Adamo, & Euæ concessum, propterea quòd essent parentes, & rectores atque magistri totius generis humani, & in ætate adulta creati, cui talis scientia conueniebat, erátque necessaria ad officium illis impositum. Quæ responsio est eiusdem Diui Thom. art. cit. ad 1. 36. *Soluuntur argumenta contraria.*

Quod verò præterea obiicitur ex August. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 36. Ex peccato Adæ prouenire ignorantiam paruulorum, *qua nesciunt vbi sint, quid sint, à quo creati, à quibus geniti, iam rei delicti, necdum capaces præcepti, tam profundâ ignorantiæ caligine inuoluti & pressi, vt neque tanquam de somno excitari possint, &c.* Non debet intelligi de carentia scientiarum naturalium, quæ tali ætati non debentur, neque conueniunt: sed de miseria illa, quâ vel brutis animantibus sunt infeliciores. Cùm enim pulli ceterorum animalium, etiam minutissimi, & currant, & matres agnoscant, nec sugendis vberibus cura, & ope admoueantur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita, mirabili facilitate nouerint. Contrà, homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi operâ nutrientis admotis labiis papillæ vberis ingerantur, nec vbi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quàm sugere; vt ait idem S. Doctor sequenti cap. 38. 37. *Exponitur locus Augustini.*

Quod vt meliùs intelligatur, notandum est ignorantiam dupliciter sumi. Primò, pro simplici negatione cognitionis earum rerum, quas neque scit, neque tenetur scire quispiam: & hæc magis propriè vocatur nescientia: éstque non modò in hominibus, sed & in Angelis etiam sanctis & beatis, respectu plurimarum rerum: 38. *Ignorantia priuatiua non esset in statu innocentiæ.*

erátque in Adamo, & Eua ante peccatum. Altera, quæ magis propriè ignorantia dicitur, est priuatio cognitionis, quam quis potest & tenetur habere, secundùm conditionem suæ naturæ, vel status & officij, & pro hoc aut illo tempore. Hæc autem non fuisset in statu innocentiæ, ne in paruulis quidem: quia infantes habuissent notitiam eorum, quæ tali ætati conueniebant: cuiusmodi est nosse parentes, ad vbera recurrere, &c. De defectu igitur istius notitiæ benignè intelligendus est Augustinus, loco suprà relato, vt ipsum benignè interpretatur D. Thom. 1. p. q. 99. art. 1. ad 1. obiecto sibi eodem testimonio circa paruulorum imbecillitatem. Ac si plus voluit Augustinus, vt eius verba præ se ferunt; non est erroneum quidquid ipse in Pelagianis reprehendit: sed quod tale iudicatum fuit, & damnatum ab Ecclesia.

39. *In quo errauerint Pelagiani circa mortem, & alias miserias.* Iam quod attinet ad mortem, & alias miserias corporis, toti humano generi communes, errabant quidem Pelagiani affirmantes, ex sola naturali hominis conditione, non ex peccato Adæ ortas esse: ipsúmque Adamum, & ceteros homines perinde morituros, quamuis ille non peccasset. Cuius oppositum definiuit Mileuitana Synodus can. 1. sic pronuncians: *Placuit vt quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Idémque definiuit Arausicanum, can. 2. & Tridentinum, sess. 5. can. 1. & 2. vbi asseritur Adam per peccatum fuisse mutatum in deterius secundùm corpus & animam; mortémque, & alias pœnas in totum genus humanum transfudisse.

40. *Probatur, mortem ortam esse ex peccato.* Repugnat etiam error ille Scripturæ, Genes. 2. *in quacunque die comederis, morte morieris.* Ad quid enim illa comminatio si Adam aliunde naturali necessitate moriturus erat, siue de cibo prohibito ederet, siue non? ineptè verò respondebant Pelagiani, verba illa non de morte corporis, sed animæ solius intelligi debere: sicut, & istud Matth. 8. *Sine mortuos sepelire mortuos suos;* & 1. Timoth. 5. *Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est:* & Iacob. 1. *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Nam, vt rectè illis opponit Augustinus lib. 1. de peccatorum merit. & remiss. cap. 2. Deus post Adæ præuaricationem sententiam in illum pronuncians, & pœnam mortis, quam intermìnatus erat, denuncians, ad illámque absolutè condemnans, sic ait Genes. 3 *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, &c. in sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quæ verba manifestè intelligenda sunt de morte corporis, resoluendi in puluerem; sicut ex puluere formatum est: non autem de morte ipsius animæ, quæ non de puluere formata est, sed à Deo inspirata: neque in puluerem est resoluenda propter peccatum, cùm sit immortalis, & in æternum mansura. Adde illud Sapient. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidiâ autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Et Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt:* quo testimonio ad idem confirmandum vtuntur Concilia Mileuit. Arausic. & Trident. locis suprà citatis: esséque ibi sermonem de morte corporis patet tum ex ipsis verbis propriè, vt debent, acceptis, & ad cap. 3. Geneseos relatis, ad quæ alludit Apostolus; tum ex iis quæ addit cap. 8. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus verò viuit propter iustificationem.* Et 1. Corinth. 15. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Frustra quoque opponebant Pelagiani, potentius fuisse peccatum Adæ, Christi redemptione, si per illud mors corporis fuit inducta, & per Christum non fuit sublata. Nam vt ait D. August. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 30. & seqq. huic obiectioni respondens: Quomodo plus nobis nocuit ille peccando, quàm iste profuit redimendo: cùm per illius peccatum temporaliter moriamur, per istius autem redemptionem, non ad temporalem vitam, sed ad perpetuam resurgamus? Adde Christum morte sua plus nobis gratiæ, & gloriæ meruisse, quàm per Adæ peccatum perdidimus: iuxta illud Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Poterat etiam nos à morte temporali liberare meritis suis, si voluisset. Cur autem noluerit, atque in hoc etiam plus nobis profuerit, docet August. loco suprà citato. Eodémque argumento probassent Pelagiani debuisse Christi redemptionem liberare homines à laboribus, & ærumnis huius vitæ, quæ manifestè sunt pœna peccati, *In sudore vultus tui vesceris pane, &c. In dolore paries, &c.* ne alioqui plus nocuerit Adam, quàm redemptio Christi profuit. 41. *Soluitur obiectio Pelagianorum.*

SECTIO V.

In quo errauerint Pelagiani circa statum paruulorum, & adultorum, sine baptismo decedentium?

RESPONDEO errasse 1. in eo quòd asserent paruulos nasci innocentes, id est, sine infectione peccati originalis: vt patet ex Concilio Palæstino, vbi damnantur hæ propositiones Pelagij, *Peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non genus humanum. Infantésque recèns natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante præuaricationem:* &, *Per Adæ præuaricationem non omne genus humanum mori, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgere:* à morte scilicet animæ, de qua loquebatur Pelagius, quámve, iuxta illius doctrinam plerique nunquam incurrunt, neque peccato proprio, neque alieno: vt paruuli morientes ante vsum rationis sufficientem ad peccandum lethaliter: ac neque etiam à morte corporis, quam non per Christi gratiam, sed per propria merita solis naturæ viribus facta, plerosque assequi existimabant Pelagiani. 42. *Volebat infantes nasci sine peccato.*

Atque hanc paruulorum innocentiam naturalem adeò extollebant, vt eam Christi ipsius innocentiæ æquiparare viderentur: quemadmodum de Pelagio nominatim affirmat Augustin. serm. 31. de verbis Apost. cap. 8. *Iste Pelagius,* inquit, *carnem omnis infantis, carni Christi conæ-* 43. *Innocentiâ paruulorum Christo æquabant.*

turæquare. Et cap. 2. de eodem, eiúsq; sectatoribus ait, molitos esse coæquare animæ Christi omnes animas paruulorum, in puritate scilicet à peccato originali. Quia vt addit lib. 4. ad Bonifac. cap. 2. & 4. *Eius carnem* (simúlque animam) *ab omni peccati contagione purissimam non excellentiâ propriâ, & gratiâ singulari, sed communione naturæ, quæ omnibus inest infantibus, asseuerant.* Eandémque ob causam sæpius illis exprobrat Augustinus, paruulos, iuxta eorum sententiam, non eguisse Christo, neque ipsum venisse vt eos saluos faceret à peccatis eorum: ac proinde non esse Iesum, id est, saluatorem respectu illorum: vt lib. de Natur. & Grat. c. 20. & lib. 1. contra Iulian. cap. 4. in fine. & lib. 1. Operis imperfecti, fol. 27. & lib. 2. de Nuptiis, cap. 3.

44. *Et nihil eos habere dicebant, nisi quod Deus fecit.* Errarunt 2. quòd dicerent consequenter, in paruulis nascentibus nihil esse, nisi quod Deus condidit: boníque & mali moralis expertes esse, donec adolescant, & pro sui libertate arbitrij ad vtrumuis propendeant. *Omne bonum ac malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles sumus,* (inquit Pelagius apud August. lib. de peccato originali, cap. 13.) *non nobiscum oritur; sed agitur à nobis. Capaces enim vtriusque rei, non pleni nascimur: & vt sine virtute, ita & sine vitio procreamur. Atque ante actionem propriæ voluntatis, id solum est in homine, quod Deus condidit.* Et quia Deus nihil condidit nisi bonum naturaliter, secundùm id quod habet à Deo: addebat Pelagius apud eundem August. lib. 2. de Nupt. c. 19. *Filios ex coniugio susceptos esse naturaliter bonos:* bono scilicet, *inuiolata inculpataque natura,* vt ait Iulianus apud August. lib. 6. contra eundem, c. 1. Neque aliam ob causam indigere baptismo, nisi *vt bono infantium naturali, bonum sanctificationis accederet,* vt addit ibid. c. 19. statúsque filiorum, & adoptionis ad regnum cœlorum: *vt quos fecit condendo bonos, faciat innouando, adoptandoque meliores,* inquit ibidem l. 3. c. 3.

45. *Et sine baptismo habere vitam æternam:* Errarunt præterea, quòd eiusmodi paruulis sine baptismo decedentibus tribuerent vitam æternam; Nam inter errores Pelagij à Concilio Palæstino damnatos, vnus erat, *Infantes, tametsi non baptizatos, vitam æternam habere.* Quia scilicet, cùm neque peccatum originale ab Adamo traherent, vt ipsi existimabant, neque vllo alio peccati vinculo tenerentur: non erat cur æterna morte damnarentur: vt eos affirmasse refert August. lib. de peccato orig. c. 21. & lib. de hæresib. hæresi 88. & lib. de gestis Pelagij c. 8. aliísque locis. *Sed non regnum cœlorum.* Fatebantur tamen illos in regnum cœlorum non ingredi: quia scriptum est Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde vitam æternam, quam huiusmodi paruulis sine baptismo decedentibus tribuebant, volebant esse distinctam à regno cœlorum. *Promittunt eis,* inquit Augustinus hæresi cit. *extra regnum quidem Dei, sed tamē æternam, & beatam quandam vitam suam.* Et lib. de prædest. Sanct. c. 13. dicit eos laborasse, vt quærerent paruulis extra regnum Dei nescio cuius suæ felicitatis locum. Et lib. 2. Operis imperfecti contra Iulian. fol. 319. ait, eos facere duas felicitates: vnam quæ sit in regno Dei: alteram quæ sit extra regnum Dei.

46. *Idem censebant de infidelibus bene viuentibus.* Idémque eos sensisse de adultis infidelibus, & sine baptismo moraliter bene viuentibus, colligitur ex Aug. lib. de Natur. & Grat. cap. 7. vbi de libro quodam Pelagij, per Timasium, & Iacobum nobiles adolescentes ad se misso, sic ait: *Euacuatur autem crux Christi, si aliquo modo, præter illius sacramentum, ad iustitiam vitámque æternam perueniri posse dicatur: quod in libro isto agitur.* Et lib. 4. contra Iulian. c. 3. quærit ab illo, num ipse aliíque Pelagiani Fabriciis, & Regulis, & Scipionibus, & Camillis, ceterísque talibus, qui licèt infideles, moraliter bene vixerunt, promittant, sicut infantibus, qui sine baptismate moriuntur, aliquem locum inter damnationem, regnúmque cœlorum, vbi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna? Respondétque Iulianus affirmando, & interrogando vicissim: *Erunt ergo in damnatione sempiterna, in quibus erat vera iustitia?*

47. *Quid intelligerent per vitam æternam?* Quid autem intelligerent per vitam illam æternam, quam adultis istis, paruulísque sine baptismo defunctis tribuebant, distinctámque esse volebant à regno cœlorum, controuersum est inter Theologos. Nonnulli enim, quos sequitur Iansenius, lib. 3. de hæresi Pelag. c. 19. censent non aliud intellexisse, nisi naturalem quandam felicitatem, seu statum expertem doloris, affluentémque bonis naturalibus, ac præcipuè consistentem in contemplatione, & amore Dei, qualem naturaliter vel habere possumus, vel haberi posse credebant Pelagiani. Sed alij meliùs affirmant, per vitam æternam eos intellexisse qualem Scriptura nobis proponit, & qualem fideles, & Ecclesia eo nomine intelligere consueuerunt, consistentem in clara Dei visione, & amore, eiúsque fruitione beatifica.

48. *Probatur intellexisse eos veram, & supernat.* Probatur, quia nisi ita esset, vana forent præcipua argumenta, quibus sancti Patres, præsertim Innocentius I. & Augustinus eos impugnarunt. Ex. gr. vanum foret, quod ait Innocentius in epist. ad Concilium Mileuit. quæ est 93. apud August. *Perfatuum esse quod prædicabant Pelagiani, paruulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari. Nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci, fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse.* Vbi nota 1. Innocentium hæc dicere respondendo Patribus Concilij Mileuitani, qui eum de hoc errore Pelagiano admonuerant, ipsiúsque condemnationem postulauerant, ac sine dubio verum illius sensum, Pelagij fraudibus, quibus Concilio Palæstino illuserat, iam detectis, intellexerant. 2. Manifestè ipsum, æquè ac Patres Concilij Mileuit. intellexisse per vitam æternam, eam, quæ in clara, & supernaturali Dei visione consistit: quippe de qua sermo est in verbis ab Innocentio relatis ex Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & paulò pòst, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* 3. Impertinens fore hoc testimonium, si loquebantur Pelagiani de naturali tantùm beatitudine; euidentérque falsum esse cassum reddi ab illis baptismum, id est, necessitatem eius ad salutem consequendam negari:

gari: si tantùm affirmabant paruulos sine illo habere posse naturalem quandam felicitatem; at non supernaturalem illam, quam prædicat Scriptura, consistentem in visione, & fruitione Dei. Magnam enim fatentur esse baptismi vtilitatem & necessitatem, quicunq; dicunt statum illũ felicissimum sine baptismo nõ posse obtineri.

49. *Instantia repellitur.* Neque dicas hoc argumentum posse in nos retorqueri: quia dicimus Pelagianos sensisse paruulos non admitti in regnum cœlorum, sine baptismo: quare iuxta illos magna erat adhuc vtilitas baptismi, quamuis sine illo admitterentur ad vitam æternam, extra regnum cœlorum. Respondeo enim, Innocentium supponere id quod verissimum est, regnum cœlorum non esse aliud, quàm vitam æternam: quo vtroque nomine vocatur in Scriptura: vt Matthæi 25. vbi post illa verba, *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, &c. Ite maledicti in ignem æternum*, &c. & additur paulò pòst, *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*: esséque illius regni participes, quicunque sunt Dei visione, & possessione felices: neque excludi à consortio Christi & Sanctorum, quicunque per visionem, & fruitionem Dei, fiunt ipsius consortes. Quare si verum esset paruulos habere vitam æternam sine baptismo: verum pariter esset intrare sine illo in regnum cœlorum.

50. *Confirmatur ex Augustino.* Similiter vanum esset quod Augustinus opponit Pelagianis lib. 1. de peccat. merit. cap. 23. *Nemo præter regnum Dei salutem ac vitam possidebit æternam: quoniam qui non manducauerit carnem eius, & qui incredulus fuerit filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Et sequenti cap. 24. *Si ergo*, inquit, *vt tot, & tanta diuina testimonia concinunt, nec salus, nec vita æterna sine baptismo, & corpore & sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur paruulis.* Et cap. 27. *Qui de ouibus meis sunt, vocem meam audiunt; & ego noui illas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum. Quoniam ergo de ouibus eius esse non incipiunt paruuli, nisi per baptismum, profectò si hoc non accipiunt, peribunt. Vitam enim æternam, quam suis dabit ouibus, non habebunt.* Et paulò pòst relatis istis Ioannis Apost. verbis epist. 1. cap. 5. *Et hoc est testimonium quia vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium, non habet vitam:* subiungit Augustinus: *Non solum igitur regnum cælorum, sed nec vitam paruuli habebunt, si filium non habebunt, quem nisi per baptismum eius habere non possunt.* In quibus omnibus Scripturæ testimoniis ab Augustino productis, manifestè sermo est de vita supernaturali, & æterna Dei fruitione: de qua si non loquebantur Pelagiani, sed de naturali tantùm beatitudine, euidenter vana, & extra rem sunt argumenta ex illis petita, & ab Augustino in Pelagianos intorta: quod de tanto Doctore cogitare absurdissimum est.

51. *Refellitur euasio.* Neque satisfacit quod respondet Iansenius libro tertio de hæresi Pelagian. capite 23. Naturalem illam beatitudinem, quam siue in præsenti, siue post hanc vitam, in quadam vitæ æternæ felicitate, paruulis non baptizatis tribuebant Pelagiani, tametsi iuxta ipsorum sententiam esset puri putique ordinis naturalis, ad quem natura humana solis suis viribus assurgere possit: aliquas tamen complecti prærogatiuas tam singulares, vt ab homine obtineri nullo modo queant, nisi eas Deus gratuita sua, & supernaturali gratia largiatur. Nimirum esse innocentem ac sine peccato, non esse mortuum animo, esse liberum & sanum, ac sine vlla peccati ægritudine, denique naturaliter siue in præsenti, siue in æterna vita, sine animæ damnatione, & perditione esse felicem. Quæ quia non possunt cuiquam sine diuina gratia, & consequenter sine fide Christi, sine baptismo, sine manducatione corporis, & sanguinis Domini, hoc est, sine incorporatione in Christi corpus obtingere: hinc est quòd Augustinus illis vtitur argumentis, quæ supernaturalem statum atque beatitudinem paruulis à Pelagianis tribui, supponere ac persuadere videantur: cùm ipsi nihil tale senserint, sed tantùm illud ex eorum opinione præter ipsorum intentionem consequatur.

Hoc, inquam, non satisfacit; quia primò, 52. falsum est Pelagianos vitam illam beatam tribuisse paruulis hac in vita: tantùm enim volebant obtineri post decessum sine baptismo. Neque adeò stupidi erant, vt statum infantium hac in vita mortali, qualem esse experimur, tot miseriis, infirmitatibus, doloribus, & morti obnoxium, vitam beatam & æternam esse dicerent. Secundò, dicere statum illorum post hanc vitam, qualem ipsi ponebant, longissimè diuersum à supernaturali Dei visione & fruitione, talem esse nihilominus, vt naturæ innocenti, qualem in infantibus esse credebant, tribui non possit sine fide Christi, sine baptismo, &c. est manifestè petere principium, supponeréque illud ipsum, quod contra Pelagianos probandum incumbebat Augustino. Neque id cohæret cum doctrina Iansenij, tradita velut ex mente D. Augustini, in libris de statu naturæ puræ, vbi affirmat naturæ humanæ innocenti, qualis fuit in Adamo ante peccatum, debitam fuisse naturalem illam felicitatem, in qua conditus erat; id est, bonorum omnium naturalium abundantiam, carentiam malorum, & miseriarum corporis & animæ, ipsámque immortalitatem: imò etiam fidem, spem & caritatem, perfectámque possessionem Dei, per claram eius visionem: nec potuisse aliter hominem condi à Deo. Quæ doctrina Iansenij, priùs tradita fuerat à Michaële Baib, & damnata à Pio V. & Gregor. XIII. proscribentibus has illius propositiones, 21. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt fide, spe, & caritate Deum supernaturaliter coleret.* 24. *A vanis, & otiosis hominibus, secundùm insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismũ reiicienda est. Hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in filium Dei adoptatus.* 26. *Integritas humanæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.* 52. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* 74. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* 75. *Fatua est Doctorum sententia,*

primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitia originali; id est, sine integritate, & statu illo felici, in quo reipsa conditus fuit, de quo per peccatum lapsus est.

53. Tertiò denique non satisfacit hæc euasio Iansenij argumento suprà facto, num. 48. Inutiliter scilicet, & ineptè Innocentium Pelagianis obiicere, baptismum reddi ab illis cassum, eò quòd velint infantes, innocentes (vt supponunt) & peccati originalis expertes, si moriantur sine baptismo, habere nihilominus vitam æternam: nisi intellexerit Innocentius Pelagianos loqui de vita supernaturali claræ visionis Dei: cùm alioqui manifestum sit non cassum reddi baptismum, nec inutilem, si conferat paruulis vitam quandam æternam, & naturalem beatitudinem, quam aliter obtinere nequeant: quamuis sine illo, supernaturali beatitudine, & regno cœlorum non sint fruituri. Manet igitur sufficienter probatum quod intendimus, Pelagianos de supernaturali felicitate loquutos esse: Quod ipsum agnoscit, & fusiùs probat Florentius Conrius in tractatu de statu paruulorum, sine baptismo decedentium, licèt alioqui eiusdem in aliis sententiæ cum Iansenio; ab illóque adoptatus, quippe cuius librum ad sui calcem operis edi voluit. Sed vt clariùs id liqueat, argumentis Iansenij pro contraria opinione satisfaciendum est.

SECTIO VI.

Diluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

54. *Ians. tom. 1. lib. 3. cap. 19.* OPPONIT 1. Pelagianos constanter docuisse, idcirco paruulos baptizari, vt adoptentur in filios Dei. *Regenerationis lauacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis, imò etiam prædicatis:* inquit ad illos Augustinus libro secundo ad Bonifac. capite sexto. Nimirum *vt baptizati, ipsius regni cœlorum participes fiant eo modo filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi:* vt addit lib. 1. de peccat. merit. cap. 18. Si ergo sine baptismo non erant filij Dei, & hæredes, iuxta doctrinam Pelagianorum, non fruebantur visione beatifica, quæ statum perfectæ adoptionis inuoluit, aut supponit. Quid enim est aliud esse hæredem Dei, quàm beatifica illa visione Deum ipsum, totámque hæreditatem eius fruendo possidere?

55. *Soluitur primum argumentum contrarium.* Respondeo Pelagianos solita sua calliditate subobscurè, & ambiguè loqui; duplicémque verbis relatis innuere adoptionem. Vnam ad vitam æternam, quam sine baptismo haberi volebant: alteram, & baptismi propriam ad regnum cœlorum. Vnde non dicūt verbis relatis ex Aug. l. 1. de peccat. merit. paruulos baptizari, vt fiant simpliciter filij Dei: sed vt fiant participes regni cœlorum, *& eo modo filij & hæredes, cohæredes autem Christi:* hæredes scilicet non vitæ solùm æternæ, sed ipsius etiam regni cœlorum, & consortij *Quid intelligerent per regnum cœlorum.* Christi. Tametsi autem non satis explicauerint Pelagiani quid intelligerent per regnum cœlorum, quidve illud adderet supra vitam æternam: credibile tamen est, quantum ex ipsorum verbis colligi potest, relatis à D. Aug. lib. 2. Operis imperfecti contra Iulian. fol. 325. & 381. aliísque locis, intellexisse eo nomine differentiam quandam à simplici vita beata, tum in situ loci, quia in cœlo empyreo est: tum etiam in consortio Christi, & cohabitatione cum illo, aliísque Sanctis, qui per fidem aut baptismum, illi velut capiti fuerunt hac in vita inserti, & in æternum cum illo regnant in cœlo. Propter quam differentiam, vitam illam beatam suam appellabant *secundam felicitatem*, vt refert Aug. lib. 1. Operis imperfecti, contra Iulian. Secundam videlicet dignitate, & inferiorem altera, propter *municipatum cœlestis Ierusalem, & possessionē regni Dei.*

Opponit 2. Pelagianos existimasse suam illam vitam beatam neque gloriam, neque quidquam supernaturale habere. 56. *Iansen. ibidem.* Quod euidenter falsum esset, si loquerentur de visione beatifica. Antecedens probat quoad priorem partem ex D. August. libro iam cit. fol. 196. & 209. vbi affirmat Pelagianos dixisse paruulos sine baptismo decedentes non esse vasa in honorem, neque in contumeliam, sed medium inter ea locum tenere. Posteriorem verò partem liquere dicit ex his Celestij verbis apud Aug. lib. de peccat. orig. cap. 5. *Dominus statuit regnum cœlorum non nisi baptisatis posse conferri: quod quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ largitatem.*

Ad primam partem respondeo, Pelagianos ita locutos esse, vt solita verborum ambiguitate, 57. *Diluitur secundum.* atque versutia, contra Catholicorum impugnationem, se quoquo modo tuerentur: & per *vasa in honorem* intellexisse eos, qui in domo Dei, & in templo gloriæ eius, hoc est in regno cœlorum, honorificè collocantur. Cuiusmodi non sunt paruuli sine baptismo vita functi: quos etiam quia neque iræ Dei propter peccatum originale, nec pœnæ damni, æternæque ignominiæ propter illud subiectos esse credebant: idcirco medios esse dicebant inter vasa honoris, & vasa contumeliæ. Posterioris verò loci sensus est: cùm regnum cœlorum vires naturæ superet, ideóque conferri nequeat nisi per diuinæ gratiæ liberalitatem: & Dominus statuerit illud nisi baptizatis non dare: idcirco paruuli sine baptismo decedentes non possunt illud obtinere: licèt vitam æternam sine illo obtinere valeant, æquè pendentem à diuinæ gratiæ largitate: quia Dominus eam non astrinxit baptismo, veluti conditioni, & medio necessario. Porro quantâ versutiâ, & ambiguitate Celestius ita locutus sit, docet Augustinus eodem cap. 5. ita vt etiam peccatum orig. velle admittere videretur, dicens verbis immediatè præcedentibus, *Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam vniuersalis Ecclesiæ, & secundum Euangelij sententiam confitemur: quia Dominus statuit regnum cœlorum nonnisi baptizatis posse conferri.* Sed, vt mox addit Augustinus, fraudem illius detegens, vult id debere fieri; non quia peccato infecti sunt, sed vt baptizentur more aliorum, iisdémque verbis, quibus illi, qui in ætate adulta, & postquam actu peccauerunt, ad baptismum accedunt.

Opponit 3. Regnum cœlorum, seu regnum 58. *Iansen. eodem lib. 3. cap. 19.* Dei (vt illud Christus Ioan. 3. de baptismo loquens nominauit) non esse aliud, quàm vbi in hominibus regnat Deus; vt clarè probat Augustinus lib. 2. Operis imperf. contra Iulian. fol. 319. & lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 2. aliísque locis. Regnat autem Deus in Sanctis, & Beatis per claram sui visionem, & adhæsionem perfectam, vt idem affirmat libro 83. quæst. q. 69. *Regnum tradet Patri*, inquit, *cum per id regnabit in contemplantibus veritatem*,

quo æqualis est Patri; & per se vnigenitum perspeciem faciet videri Patrem. Et mox: *per speciem quâ æqualis est Patri, cum Patre regnat in contemplantibus veritatem.* Ergo Pelagiani constanter negantes paruulos morientes sine baptismo intrare in regnum cœlorum, non poterant illis concedere vitam æternam supernaturalem, quæ reipsa est idem cum regno cœlorum. Et certè magnifica elogia, quibus baptismum ornare nitebantur tanquam viam ad regnum cœlorum, non externum locum, sanctorúmque consortium, sed vitam ipsam supernaturalem designabant. Neque adeò absurdè ratiocinabantur, vt cùm paruulis illis concederent id, quod in beatitudine supernaturali præcipuum est, nempe Dei visionem, & fruitionem perfectam; negarent tamen id, quod accessorium & longè minus est, ipsique statui essentiali beatitudinis congruenter debitum, simul videlicet cum Christo, & Sanctis habitare in cælo.

59. *Tertium refutatur.* Respondeo liquere ex August. sæpiùs id exprobrante, ac manifestè conuincente, Pelagianos, quamuis ingeniosos, in multa nihilominus absurda labi coactos fuisse, vt falsa sua dogmata tuerentur: quod omnibus aliis hæreticis solemne est. Ad istam verò inutilem, & absurdam distinctionem vitæ æternæ supernaturalis, & regni cœlorum recurrere coacti sunt; vt effugerent vim argumenti, desumpti ex Christi verbis, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Non aduertentes in aliis Scripturæ locis vitam æternam, & regnum cœlorum pro eodem accipi: vt Matth. 25. eamdémque Scripturam affirmare nec ipsam vitam æternam haberi posse sine vnione cum Christo, quæ per fidem, aut per baptismum fit, 1. Ioan. 5. versu duodecimo, & decimo tertio. Sed nec ipsimet Pelagiani ad has angustias redacti, & interrogati quonam in loco beatos istos infantes constituerent, habebant quid responderent, suámque hæsitationem, & ignorantiam profiteri cogebantur: vt Pelagius apud August. lib. de peccato origin. capite 21. sic loquens: *Sine baptismo paruulos morientes, quò non eant scio; quò eant nescio:* id est, scio non ire in regnum cœlorum: *quò verò eant se nescire dicebat, quia dicere nolebat in mortem illos ire perpetuam, quos & nihil mali commisisse sentiebat, & originale traxisse peccatum non consentiebat:* inquit ibidem Augustinus. Ac neque vllam rationem reddere illi poterant, cur paruulos magis excluderent à regno cœlorum, quàm à vita æterna, vt illis exprobrat idem S. Doctor, serm. 14. de verbis Apost. capite quinto. *Quoniam vos*, inquit, *aliquando contra euidentissimam auctoritatem ratiocinatio humana delectat, proferte ipsam regulam rationis vestræ, & asserite quantis viribus valueritis, vnde deuineatur iste, qui paruulis propter merita innocentiæ, propter nullam, sicut dicitis, culpam, hoc est, originale peccatum, dare voluerit, etiam non baptizatis, non solùm vitam æternam, verùm etiam regnum cœlorum, &c.*

60. *Iansen. ib. cap. 22.* Opponit 4. Certum esse Pelagianos existimasse paruulos nasci in quodam puro putóque naturali statu, & integritate, sine omni vitio, omníque supernaturali gratia. Et tamen si nostra ratiocinatio valeret, quâ ex argumentis Augustini deduci probauimus Pelagianos assignasse paruulis morientibus sine baptismo vitam æternam supernaturalem: non minùs probaret eosdem sensisse quòd nascantur cum supernaturali iustitia, & non solùm cum naturali innocentia, id est, sine peccato, & cum solis naturæ bonis. Nam D. Augustinus ex hoc solo quòd paruuli nascantur cum ista innocentia naturali, hoc est, cum immunitate ab omni delicto tam proprio, quàm originali, concludit prorsus iniustum esse non tantùm, vt paruulus vita æterna priuetur, sed etiam vt ei regnum cœlorum auferatur: eò quòd illud naturali huiusmodi innocentiæ paruulorum, per iustitiam Dei omnino debeatur. Per istud autem regnum cœlorum, seu regnum Dei, supernaturalem Christianorum beatitudinem in Scripturis intelligi, nullus ne Pelagianorum quidem, nedum Catholicorum negat. *Nunquid dicturus es,* (inquit lib. 2. Operis imperf. contra Iulian fol. 325.) *vnde sit iustum vt paruuli nullâ suâ, nullâ etiam plerumque parentum suorum culpâ, sine baptismate mortui, à parentibus, & propinquis fidelibus separentur, & ad Dei regnum non admittantur?* Similíque interrogatione vtitur serm. 14. de verbis Apost. cap. 7. & lib. 5. contra Iulian. c. 1. significans illi responderi non posse. Quæ tamen friuola prorsus, & inepta esset, si Pelagiani illam à peccatis immunitatem non per gratiam, verámque iustitiam, sed per solam naturalem innocentiam afferri putassent. Nam facilè respondissent, quod ait ipsemet Augustinus, idem istud de paruulis argumentum versando: non posse de paruulis, nisi iusti fuerint, dici: *Talium est enim regnum cœlorum, cùm esse non possit nisi iustorum.*

Respondeo, hanc Diui Augustini interrogationem, & argumentandi rationem supponere veritatem fidei, ab eodem probatam alibi: neminem scilicet excludi à regno cœlorum, ad quod Deus antecedenti voluntate Adamum, & eius posteros destinauerat, nisi propter peccatum. Quo supposito, rectè infert Augustinus, non posse rectè negari paruulis regnum cœlorum, & infligi hanc pœnam damni, si sunt immunes ab omni peccato tam originali, quàm proprio: quia deberet illis regnum cœlorum, & æterna beatitudo, vi illius decreti diuini; licèt non debeatur vi solius naturalis innocentiæ, quæ esset tantùm remotio impedimenti, vel conditio sine qua non. Ex quo etiam colligit Augustinus libro tertio de peccator. merit. capite 13. frustra à Pelagianis requiri baptismum, vt à paruulis remoueatur impedimentum ingressus regni cœlorum, quod non habent. *Id enim agit illa disputatio*, inquit, *contra cuius nouitatem antiqua veritate nitendum est, vt infantes omnino superfluè baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit.* 61. *Quartum dissoluitur.*

Opponit 5. Si ex eo quòd Innocentius, & Augustinus inferunt baptismum non fore necessarium paruulis ad salutem, posito quòd sine illo habeant vitam æternam, rectè colligimus Pelagianos esse locutos de vita æterna supernaturali: ne alioqui vana sit Innocentij, & Augustini contra illos argumentatio: pari iure colligi potest Pelagianos sensisse infantes nasci cum iustitia supernaturali. Nam etiam vitam 62.

illam supernaturalem, animíque sanitatem, quę baptismo confertur paruulis, frustra eis impertiri dicunt, si paruuli iuxta Pelagium, per illam suam innocentiam viui, & sani sunt, id est, sine morte & ægritudine peccati. Hoc enim non sequitur ex eorum doctrina, si non nisi vitam sanitatémque naturalem intelligunt, cùm per baptismum vita gratiæ, & sanitas spiritus afferatur. Quæ perperam illis obiiceret August. lib. 2. Operis imperf. contra Iulian. fol. 386. *Vt quid cum eis ad baptismum Viuificatoris, & Saluatoris simulatione damnabili curritis, quos viuos sanósque laudando, viuificari, saluarique non vultis?* Et serm. 10. de verbis Apost. cap. 2. *Auferte hinc innocentes istos; non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non venit Christus vocare iustos, sed peccatores.*

63. *Satisfit quinto argumento.* Respondeo, D. Augustinum locis citatis, & aliis similibus, contendere contra Pelagianos, & euincere, non indigere paruulos baptismo, vt mundentur à peccato, sanentúrque ab illa ægritudine, & viuificentur à morte peccati: suppositâ illorum doctrinâ, quòd nullo peccato neque personali, neque originali infecti sint. Ac neque etiam vt iustitiam supernaturalem huius vitæ obtineant: quia si verum est quod aiebant Pelagiani, paruulos sine baptismo habere posse vitam æternam supernaturalem, atque illam reipsa obtinere, si moriantur in eo statu, sequitur à fortiori habere posse sine baptismo iustitiam supernaturalem huius vitæ, quæ est aliquid longè minus in eodem ordine, & ad illam disponit. Absurdéque, & inconsequenter ratiocinabantur Pelagiani, si baptismum volebant necessarium esse paruulis ad habendam iustitiam supernaturalem huius vitæ: & simul affirmabant non esse necessarium ad supernaturalem beatitudinem vitæ futuræ.



DISPVTATIO VI.

De dogmatibus Pelagianorum ad vires naturales bene viuendi spectantibus.

SECTIO I.

In quo errauerint Pelagiani circa definitionem peccati, & vires ad peccandum necessarias.

1. *Triplex impostura Ianseny.*



HAc de re Iansenius lib. 4. de hæresi Pelag. c. 1. vbi inter dogmata Pelagianorum recenset 1. quòd peccatum definiuerint esse motũ animi ita ad malum declinantis, vt potuerit oppositum, id est, esse actum malum à quo voluntas potuit abstinere, adeóque liberè illum exercet: *Peccatum* (inquit Iulianus apud August. lib. 1. Operis imperf. fol. 36.) *nihil est aliud præter voluntatem excedentem ab eo calle, cui debet insistere, & vnde liberum est non deflectere.* Ideóque volebant libertatem indifferentiæ necessariam esse ad peccatum: & quidem ita, vt voluntas possit eodem momento, quo peccat, abstinere à peccato, si velit. Et hoc dogma Philosophicum de libertate indifferentiæ, totius hæresis Pelagianæ basim esse dicit Iansenius.

2. Dicit eos errasse in eo quòd consequenter ad hanc doctrinam, & definitionem peccati, dicerent nullam prorsus esse, vel esse posse necessitatem peccandi, seu captiuitatem arbitrij ad vnam partem. *Cum enim* (inquit Iulian. libro cit. fol. 158.) *apud iustitiam causa agitur voluntatis, non pronunciatur rea, quæ aliud velle non potuit.* Nimirum quia, vt consequenter dicebant, non potest iustè imputari homini peccatum, nisi modo antè dicto sit liberum. 2.

3. Ad eorumdem falsa dogmata refert, quòd similiter vellent ad bonam voluntatem, & opus bonum indifferentiam illam esse necessariam: & arbitrium liberum tam boni, quàm mali necessitate subuerti. Quam ob causam, inquit, tantoperè auersabantur necessitatem gratiæ ad volendum atque operandum bonum. Quia cùm illa gratia Dei à liberrima donantis voluntate pendére diceretur (ab Augustino scilicet) paucísque concedi; atque ita tamen esse necessaria, vt sine illa nihil penitus appeti vel agi possit boni, necessariò consequi videretur, alterâ illius bicornis indifferentiæ parte sublatâ, solam superesse in homine, qui caret gratia, necessitatem mali. Et quia gratiâ præsente, non potest nisi bene operari, illúdque facere, ad quod inuincibiliter ipsa mouet, & impellit: videbatur similiter per eam tolli indifferentia ad malum, vel ad non agendum bonum, quod agitur: quia voluntas ponitur per gratiam determinata ad bonum. Hæc Iansenius: qui non aliter probat hæc tria dogmata esse falsa, erronea, & Pelagiana; nisi referendo testimonia quibus Iulianus apud Augustinum in libris Operis imperf. sic docet. Quasi verò quicquid docuerunt Pelagiani erroneum sit: sufficiátque ad probandum aliquid esse hæreticum, ostendere eos ita sensisse. Nimis sanè ineptum est, & obtusum istud fallendi artificium, vt alibi simili de causa cum monuimus; potéstque in ipsum retorqueri: qui sibi obiiciens doctrinam suam de efficaciâ gratiæ, & concordia cum libero arbitrio, esse eandem vel similem doctrinæ Caluini, responder, non omnia quæ dicuntur ab hæreticis, esse hæretica: sed eos sæpè vera falsis intermiscere. 3.

Et verò, si Pelagianus error est dicere non esse peccatum nisi id, à quo liberum est abstinere; esséque ad illud necessariam libertatem indifferentiæ, Pelagianus fuerit Diuus Augustinus, peccatum sic definiens lib. de duab. animab. cap. 11. *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Quam definitionem nunquam retractauit, vt ostendemus in tractatu sequenti, vbi hac de re fusiùs disputabitur. Ibidémque addit, vel ipso lumine naturali notum esse omnibus, necessariam esse ad peccandum libertatem indifferentiæ. *Nec hi libri obscuri scrutandi mihi erant*, inquit, *vnde discerem neminem vituperatione suppliciove dignum esse, qui aut id velit quod iustitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant, &* 4. *Non est peccatum, nisi sit liberum.* *Probatur ex Augustino.*

in montibus pastores. &c. & in orbe terrarum genus humanum? Additque c. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ. Quamobrem illæ animæ* (bona scilicet, & mala vnicuique hominum à Manichæis attributæ) *quicquid faciunt, si naturâ non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo nulla potestas conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Et lib. 3. de libero arbitrio, cap. 19. in fine sic pronunciat: *Illud propriè vocatur peccatum quod libera voluntate, & à sciente committitur.*

5. *Idem docet contra Pelagianos.* Neque dicat Iansenius ita quidem sensisse D. Augustinum ante exortum Pelagianæ hæresis, sed postea mutasse sententiam. Nam quòd idem quoque docuerit in libris contra Pelagium scriptis, patet ex lib. de Natur. & Grat. cap. 67. vbi refert, & approbat id quod alibi dixerat, *Quæcunque sit causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur:* additque immediatè pòst: *agnosco, verba mea sunt, &c. Potest ergo ei causa quæcunque illa est resisti? potest planè, nam in hoc adiutorium postulamus à Deo.* Et epist. 46. ad Valentin. quam ad eum misit vnà cum lib. de grat. & lib. arbitr. sic ait: *Si non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum?* Vt scilicet reddat vnicuique secundùm opera eius. Nimirum quia non esset locus iusto præmio, vel supplicio bonorum, vel malorum operum, si homines bene vel malè operando, non haberent vsum liberi arbitrij. Per liberum autem intelligit potestatem indifferentiæ ad bonum, quod laudabiliter, & ad malum, quod culpabiliter fit, ita vt possit non fieri: iuxta id quod suprà dixit, peccatum posse caueri, &c. Et libro de gratia Christi, cap. 31. referens verba Pelagij, quibus profitebatur se credere quòd homines habeant liberum arbitrium ad peccandum & non peccandum, libertate scilicet indifferentiæ, de qua ipse loquebatur, vt fatentur omnes, sæpissiméque affirmat aduersarius: non id improbat Augustinus, sed tantùm quærit ab illo vt explicet quodnam sit auxilium gratiæ, quo egemus ad non peccandum, & ad bene agendum? tantúmne consistat in lege & doctrina?

Loquitúrque de libertate indifferentia.

6. *Libro de duab. animab. c. 11. & lib. de vera relig. c. 14.* Perstitit igitur Augustinus constanter in illa sententia, neque propter Pelagianos negauit id, quod antea dixerat adeo notum esse lumine naturali, vt totum genus humanum id prædicet, nullàque doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Et verò hæc mutatio, & inconstantia doctrinæ in re tam manifesta, non potest nisi absurdissimè tàto Doctori tribui. Quare non est Pelagianorum dogma, sed Augustinianum & Catholicum, dicere peccatum non committi, sine potestate indifferentiæ ad oppositum, ita vt quando fit, vitari possit & caueri, neque aliter possit esse culpabile. Euidentérque falsum est hanc libertatem indifferentiæ constanter assertam à D. Augustino, ab aliísque Patribus vnanimiter traditam, atque in sacris literis sæpiùs expressam, fuisse basim totius hæresis Pelagianæ. Sicut è contrario verissimum est, dogma de amissa huiusmodi libertate per peccatum originale, esse basim totius hæresis Lutheranæ, vt affirmat ipsemet Lutherus in lib. de seruo arbitrio, contra Erasmum. Neque minùs est basis errorum Iansenij, qui ferè omnes huic perniciosissimo dogmati innituntur, vt partim constat ex præcedentibus, partim ex seqq. disp. amplius apparebit.

Similiter, si Pelagianus error est dicere, nullam prorsus esse, aut esse posse antecedentem necessitatem peccandi, oppositam libertati indifferentiæ: & non posse iustè imputari, nisi quod liberè fit, ita vt potuerit non fieri: Pelagianus erit D. Augustinus, qui lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. disertè affirmat, nullam culpam deprehendi posse, vbi natura necessitásque dominatur. Et cap. 18. *Si laboriosum est,* inquit, *omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene: Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest: non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri non possit? si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: ergo caueri potest.* Quibus verbis perspicuè significat nullum committi, aut posse committi peccatum, sine potestate non peccandi, adeóque sine libertate indifferentiæ ad oppositum. Idémque confirmat lib. de vera relig. cap. 14. vbi postquam dixit peccatum adeo voluntarium esse, id est, liberum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: idque omnibus doctis, & indoctis manifestum esse concludit: *Quoniam peccari dubium non est; nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum arbitrium voluntatis.* Eódem pertinent quæ paulò antea retulimus ex eius libris contra Pelag. ex quibus etiam constat eum semper in eadem sententia perstitisse. 7. *Numquam peccatur ex necessitate.*

Tertiò denique si erroneum, & Pelagianum est dicere, ad opera moraliter, & imputabiliter bona requiri libertatem indifferentiæ: & arbitrium liberum tam boni, quàm mali necessitate subuerti: inter Pelagianos censendi erunt Hieronymus, & Augustinus, primi & præcipui eorum impugnatores. Quorum ille sic affirmat, libro 3. dial. contra Pelagianos in fine: *Hoc est quod tibi in principio dixeram: in nostra positum esse potestate vel peccare, vel non peccare: vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium.* Et lib. 2. contra Iouinian. cap. secundo: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.* Augustinus verò libro 83. quæst. q. 24. *Nec peccatum,* inquit, *nec rectè factum imputari cuiquam iustè potest, qui nihil fecerit propria voluntate,* libera scilicet: solet enim nomine voluntatis intelligere libertatem, vt fatetur Iansenius libro sexto de gratia Christi, capite septimo: Et libro tertio de libero arbitrio, capite primo. *Motus quo huc aut illuc voluntas conuertitur,* inquit, *si non esset voluntarius atque in nostra positus potestate; neque laudandus, cùm ad superiora; neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, vt illis neglectis, æterna vellet adipisci, neque vt malè nollet viuere, vellet autem bene.* Huc etiam spectat quod suprà retulimus ex libro de gratia, & libero arbitrio, contra Pelag. *Si non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum, &c.* 8. *Neque bonum, neque malum est imputabile nisi liberè fiat.*

9. Errauerunt autem Pelagiani, æquè acIanse-

Gratia non necessitat volũtatem.

nius, si existimarunt Augustinum docere, gratiam ad bene agendum necessariam, & ad non peccandum, vincendásque malas concupiscentias, talem esse, vt voluntatem necessitet ad consensum. Nam Sanctus ille Doctor, æquè ac alij Patres, manifestè docet oppositum pluribus locis, in libris etiam scriptis contra Pelagium: vt lib. de Natur. & Grat. cap. 67. vbi conquerentibus de difficultate abstinendi à peccato, propter ignorantiam, & concupiscentiam, peccato Adæ inductam, suadet *vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò vbique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domino seruientem, auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata mẽbra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Quibus verbis refutat duos errores falsò à Iansenio, æquè ac à Pelagianis imputatos Diuo Augustino, suprà num. 3. videlicet homines peccare culpabiliter ex necessitate, & sine potentia ad oppositum: nec omnibus dari, sed paucis gratiam, quâ resistere valeant. Nam perspicuè disertéque affirmat non imputari ad culpam id, cuius oppositum non possumus: & nulli peccanti deesse gratiam sufficientem ad resistendum concupiscentiæ, sed illam vbique adesse: siquidem friuolam esse dicit excusationem eorum, qui aiunt se præcepta iustitiæ implere non posse, licèt id velint, *renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate,* vt ait verbis immediatè præcedentibus, libro tertio de libero arbitrio, cap. 19. vbi hæc eadem scribit, neminémque peccare in eo, quod inuitus ignorat, aut facit vel omittit ex necessitate, cum impotentia ad oppositum: sed quia negligit inquirere quod scire tenetur; vel contemnit Deum sanare volentem, & mederi vulneribus concupiscentiæ, id est, iuuare ad resistendum eius illecebris, motibúsque inordinatis ad peccandum impellentibus.

Probatur Augustinum ita sensisse.

10. Et lib. 2. de pecc. merit. quem scripsit etiam contra Pelagianos, cap. 17. sic habet: *Cùm voluntate humana, gratiâ adiuuante diuinâ, sine peccato in hac vita possit homo esse: cur non sit, possem facillimè, ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* Itaque peccant non ex defectu gratiæ, quæ non suppeditetur ad peccatum vitandum: sed quia nolunt gratiæ cooperari: neque ab illa necessitantur ad consentiendum; quandoquidem possunt illi dissentire, reipsáque dissentiunt. Et libro primo quæst. ad Simplic. quæst. 2. dicit Esaü factum esse reprobum, quia contempsit vocationem Dei, quâ poterat currere si voluisset, adeóque internam etiam vocationem, seu gratiam sufficientem vt curreret si vellet, & ad metam salutis perueniret. Et lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 84. dicit, esse difficile intelligere quomodo Deus pater homines trahat ad filium, quos in libero dimisit arbitrio. *Quomodo enim attrahit, si dimittit vt quidquid voluerit eligat. Et tamen vtrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Quare ex manifesta, & constanti assertione D. Augustini, gratia non ita voluntatem mouet, & attrahit, vt eam necessitet ad consensum, liberéque eligendi facultatem adimat: cuius oppositum falsò Iansenius illi tribuit, loco suprà citato.

SECTIO II.

Resolutio quæstionis propositæ.

11. QVòd si quæras, in quo igitur errarunt Pelagiani circa vires ad peccandum, aut non peccandum necessarias. Respondeo errasse 1. quòd dicerent vires naturales sufficere ad vitanda omnia peccata, implendáque vniuersa Dei præcepta: neque ad hoc egere diuinæ gratiæ auxilio, cuius indigentiam repugnare dicebant libertati arbitrij. Erat enim hæc illorum assertio, damnata in Concilio Palæst. *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Itémque ista: *Victoria nostra* (cùm tentationes superamus) *non est ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio.* Et Diuus Augustinus libro secundo de peccat. merit. capite secundo, loquens de Pelagianis sic ait: *Sunt quidam tàntùm præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, vt ad non peccandum, nec adiuuandos nos diuinitùs opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio.*

Pelagiani volebant sufficere vires naturales ad non peccandum.

12. Errarunt 2. quòd existimarent pares nos habere vires, & libertatem æquè potentem, & expeditam ad bonum, & ad malum: vt patet ex epistola Prosperi ad August. præfixâ libro de præd. Sanct. vbi refert eos affirmasse: *Quantum quisque habet ad malum, tantum habere facultatis ad bonum: párique momento animum moueri ad vitium, & virtutem.* Contra quem errorem editus fuisse videtur canon 22. Concil. Arausic. sic definiens: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem, atque iustitiam: ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi quibusdam guttis irrorati, non deficiamus in via*, salutis scilicet, à qua possumus quidem propriis viribus deflectere per errorem, mendacium, & peccatum: sed non possumus illam ingredi, nec constanter tenere, sine diuinæ gratiæ adiutorio.

Et pares nos habere vires ad bonum, & malum.

13. Errauerunt 3. quòd nullam peccandi infirmitatem ex peccato Adæ secutam esse dicerent, neque verò sequi potuisse: vt loquitur Pelagius apud August. libro de Natura & Grat. capite 19. *Primò de eo disputandum est,* inquit, *quòd per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Vnde ante omnia quærendum puto quid sit peccatum? substantia aliqua, an omnino substantiâ carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperã facti actus exprimitur.* Deinde adiungit: *Credo ita est.* Et, *Si ita est,* inquit, *quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantiâ caret?* Quia verò negare non poterant id, quod euidenti experientia notum est, magnam esse in hominibus propensionem ad peccandum, & difficultatem ad resistendum, grauémque luctam inter carnem, & spiritum, de qua conqueritur Apostolus Rom. 7. verſ. 15. & seqq. dicebant illam non aliundè oriri, quàm ex mala consuetudine. *Neque verò* (inquit Pelagius in epist. ad Demetriadem) *alia nobis causa difficultatem bene agendi facit, quàm longa consuetudo vitiorum, quæ omnes infecit à paruo, pau-*

Et peccandi infirmitatẽ non esse ortam ex peccato Adæ.

latim fuit per multos corrupit annos, & ita postea obligatos sibi & addictos tenet, vt vim quodammodo videatur habere naturæ. In eúmque sensum exponebant illud Apost. c. suprà cit. *Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, illud facio, &c.* vt testatur August. lib. 2. Operis imperfecti, fol. 222. aliísque locis. Ad quod confirmandum, sic ratiocinabatur Pelagius apud August. lib. de Natur. & Grat. cap. 14. impugnans contrariam expositionem Catholicorum de lucta inter carnem, & spiritum, seu concupiscentiam & rationem: *Quis fecit bonum spiritum? sine dubio Deus. Carnem quis creauit? Idem credo Deus. Nulli dubium est. Et vtrumque quod bonus Deus creauit, bonum est? Confitendum est. Si ergo & spiritus bonus, & caro bona, vt à bono auctore condita; qui fieri potest vt duo bona possint sibi esse contraria?*

14. *Damnantur ab Arausicano Conc.* Contra quem errorem, falsámque interpretationem editus fuit canon 1. Concilij Arausic. II. quo definitur, per peccatum Adæ totum hominem, id est, secundùm corpus & animam, in deterius mutatum fuisse: eiúsque liberum arbitrium læsionem aliquam passum esse. Et can. 13. sic habet: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari.* Et can. 25. dicit, per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuisse liberum arbitrium, vt nullus postea, aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit.

15. *Docebant peccatum non posse esse pœnam alterius peccati.* Addebant prætereà fieri non posse, vt vnum peccatum sit pœna alterius peccati iusto Dei iudicio: & velle peccata peccatis puniri, non minùs absurdum esse, quàm velle ignes ignibus extinguere. Cúmque illis opponebantur hæc Apostoli verba, Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: Tradidit illos Deus in reprobum sensum:* Respondebant 1. hæc amplificatoriè dicta esse. 2. Illud *tradere*, non aliud significare, quàm Deum illis dedisse liberum arbitrium, quo peccarent si vellent. 3. *Cùm desideriis suis traditi dicuntur,* (inquit Iulian. apud Aug. lib. 5. contra illum scripto cap. 3.) *relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi.* Quam patientiam, & derelictionem in eo consistere dicebant, quòd Deus sineret eos peccare, & non vitæ subtraheret, ne peccarent: ac neque etiam in ipso actu peccandi, aut paulò pòst; sed diutiùs conuersionem expectaret: quod non pœna, sed magnum potiùs beneficium erat.

16. *Quomodo in hoc errauerint.* Et quidem si tantùm negassent Deum impellere ad peccandum in pœnam præcedentis peccati, vt videntur significare postrema verba Iuliani proximè relata: voluissentque Deum non inducere necessitatem peccandi, vt videtur intellexisse Pelagius sic loquens apud August. lib. de Nat. & Grat. cap. 30. *Quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognouerit? suum enim non est, si necessarium est,* nimirum per Dei vindictam necessariò illatum. *Aut si suum est, voluntarium est. Et si voluntarium est, vitari potest.* Si hoc, inquam, solum voluissent Pelagiani, quando dicebant non posse iusto Dei iudicio vnum peccatum esse pœnam alterius peccati; non errassent, sed Catholicè sensissent. Nam contrarium potiùs erroneum est, & Caluinisticum: quod tamen Iansenius sibi placere indicat lib. 4. de hæresi Pelag. cap. 5. §. *Ex quibus facilè intelligitur,* cùm ait, Deum iuxta Catholicos tradere in desideria cordis sui peccatores, non solùm gratiam suam subtrahendo, sed & Diabolum immittendo, & aliis occultis, & mirabilibus modis, ex profundo iudicio potentiáque venientibus, peccatores ita suis desideriis tradendo, vt fiant eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum. Clariùs verò mentem suam exponit lib. 3. de statu naturæ lapsæ, c. 11. & sequentibus, vbi perspicuè affirmat, & fusè probare conatur totum genus humanum amisisse libertatem indifferentiæ, & in peccandi necessitatem coniectum esse propter peccatum Adæ, Deo iustè hanc illi pœnam infligente. *Error Iansenij circa idem.*

17. *Ad Caluinum accedit.* Non est, inquã, dogma Pelagianum, sed Caluinisticum, abominabile apud omnes Catholicos, & vel ipsis Caluinistis pudendum, qui tam fœdum, & execrandum magistri sui errorem, quoquo modo possunt, dissimulare conantur; dicere, Deum punire aliter peccata nouis peccatis, quàm permissiuè, subtrahendo gratiam suam, & specialem protectionem contra insultus Diaboli, aliásque peccandi occasiones; sed verè positiuè per seipsum; vel per Sathanam, & alios iustitiæ suæ ministros, ad noua peccata inducere, inflectere, & cogere, seu necessitare: esséque auctorem tyrannidis Achabi, incestus Absalonis, conuitiorum Semei, & aliorum id genus peccatorum, quæ Doctores Catholici Dei tantùm permissu euenisse volunt: ipsúmque Sathanam, Dei impulsu partes suas agere: & cùm dicitur Sathanam excæcare infidelium mentes: id non esse aliundè, nisi quia à Deo ipso manat efficacia erroris: vt ait Caluinus lib. 1. Inst. cap. 18. & lib. 2. c. 4. & lib. 3. c. 23. & in c. 1. epist. ad Rom. vers. 24. Qui blasphemus error damnatur à Trid. sess. 6. can. 6. anathematizante eum, qui dixerit, Deum aliter, quàm permissiuè operari mala opera. *Vide Petrũ du Moulin, in Clypeo fidei ad art. 8.*

18. *Negabant Pelagiani peccatum esse pœnam peccati, permissiuè.* Sed non id tantùm negarunt Pelagiani: verùm etiam quòd neque vnum peccatum possit esse pœna alterius peccati permissiuè, eo sensu, quẽ paulò antea exposuimus, quíque traditur ab omnibus Doctoribus Catholicis, sic interpretantibus quæ dicuntur in Exodo de obduratione Pharaonis, quam Deus sibi tribuit: déque conuitiis Semei contra Dauidem, quæ Dauid ipse ad Deum refert 2. Reg. 16. de seductione Achab per spiritum mendacij 3. Reg. 22. de excæcatione populi Israël, Isaiæ 6. de traditione Gentilium in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ, eò quòd cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, Rom. 1. & alia id genus. Nimirum quia, cùm existimarent sufficere vires naturales ad vitanda peccata quælibet, neque ad hoc indigere gratiæ diuinæ auxilio: non credebant noua peccata contingere ex subtractione auxilij à Deo facta, in pœnam præcedentis peccati; sed tantùm ex mera voluntatis creatæ determinatione, liberáque suiipsius inclinatione ad malum. Qui eorum error damnatus fuit in Concilio Diosp. art. 6. 20. & 22. vt diximus disp. 2. num. 9. & à Cælestino in epist. ad Episcopos Galliæ, art. 3. 7. 8. & 9. relatis eadem disp. sect. 4. num. 24.

SECTIO III.

Quid senserint de virtutibus, déque naturæ viribus ad bene operandum?

19. *Error illis à Iāsenio tributus circa officia virtutum.* HAc de re Iansenius l. 4. de hæresi Pelagianorum cap. 6. & sequētibus, vbi inter eorum dogmata, & nouam doctrinam ab illis traditam, refert primò quòd senserint officia virtutum per se considerata, id est, seposito fine ad quem referri possunt, esse bona: vt vestire nudum, pascere pauperem, concupiscentiam continere: apposito verò fine, meritoria fieri præmij temporalis, vel æterni; prout vel ad creaturam, vel ad creatorem referuntur. Et si quidem ad creaturam referrentur, præmiúmque temporale duntaxat mererentur, vocabant ea sterilia bona. Sin autem ad Deum relata, præmíque æterni essent meritoria, vocabant fructuosa bona: vt patet ex D. Augustino lib. 4. contra Iulian. cap. 3.

20. *Et circa opera bona infidelium.* Secundò, quòd dicerent, fidem Christi ad bonum opus nullo modo esse necessariam: sed sine illa Ethnicos bene operatos esse, verásque in illis virtutes fuisse. Neque minùs absurdum esse dicere castitatem infidelium, castitatem non esse; quàm dicere corpus Paganorum corpus non esse, & oculos Paganorum sensum non habere intuendi, & frumenta quæ ex illorum nascuntur agris, frumenta non esse. Multóque magis vera esse peccata negabant, si quod talium operum moralium sine fide Christi Ethnici facerent. *Si gentilis*, inquit Iulianus apud August. loco suprà cit. *nudum operuerit, periclitantem liberauerit, agri vulnera fouerit, diuitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli, nunquid quia non est ex fide, peccatum est?*

21. *Et circa naturalia virtutum semina.* Tertiò, quòd dicerent omnium virtutum semina, etiam fidei, ac dilectionis Dei, humanæ animæ inserta esse naturaliter, quæ lege & voluntate prouocata, bonorum operum, ac virtutum omnium fructus ferrent. *Cunctarum origo virtutum in rationali anima sita est*, inquit Iulianus apud August. lib. 4. cap. 3. & Pelagius lib. 1 de libero arbitrio, vt refert Augustinus lib. de gratia Christi cap. 18. *Habemus*, inquit, *possibilitatem vtriusque partis à Deo insertam, veluti quandam, vt ita dicam, radicem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diuersa gignat & pariat: & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* Hæc autem semina, inquit Iansenius, credebant consistere partim in ratione seu intellectu, partim in voluntate. Et in ratione quidem esse putabant quoddam iudicium, quo animus inter bonum discernit, ac malum: hoc improbat, illud probat: hoc supplicio; illud præmio dignum putat. Quod nihil est aliud, quàm illa omnium Pelagianorum vocibus decantata lex naturalis, quæ medullis intimis mentis impressa, inter quæuis vitia & facinora perseuerat. Ex parte autem voluntatis, semina illa virtutum dicebant esse quosdam affectus bonos, qui naturaliter in affectiua rationalis mentis parte plantati sunt, vt ipsi putabant; quibúsve bonum nobis naturaliter placet, malum displicet. Vtrumque expressit Pelagius in epist. ad Demetriadem, cùm dixit esse in nobis naturalem quandam sanctitatem, *quæ velut in arce animi præsidens, exercet boni malique iudicium.* Et paulò superiùs, *Quid illud obsecro, est* (inquit) *quod ad omne peccatum erubescimus aut timemus &c. nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quæ hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet: & dum in bono opere confidit, quid solum eam deceat ostendit.*

22. *Et circa vires naturæ ad credendum, & ad bene operandum.* Quartò, hinc ortas esse dicit laudes immodicas, quibus naturam passim extollebant Pelagiani: cuius vires tantas esse statuerunt, vt ad Deum naturaliter etiam per fidem cognoscendum, & diligendum sufficerent: atque ad exercendas virtutes omnes cardinales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam, & consequenter ad vitam iustam, & ad salutem æternámque felicitatem, & regnum Dei obtinendum: quo pacto reipsa obtinuisse dicebant Sanctos qui tempore legis naturę vixerūt: vt Abelem, Enoch, Melchisedech, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, & similes. Easdémque vires naturales sufficere dicebant, ad agendam conuenientem de peccatis commissis pœnitentiam, obtinendámque remissionem per Dei misericordiam: necnon ad superandas malas consuetudines peccando contractas, & quoscunque passionum impetus; adeóque vi solius naturæ, & possibilitatis, siue potentiæ nobis datæ in ipsa creatione, posse homines esse perfectos, & ab omni peccato abstinere si velint, omniáque Dei mandata implere. Nam, vt aiebant, posse non peccare, & iustè viuere, à Deo est, quatenus talem naturam creauit, vt pro sui libertate arbitrij possit non peccare, & implere iustitiam. Velle autem, & exequi, nostrum est, quatenus pendet à libera nostra voluntate, vt id velimus, & agamus: ad idque nullo alio indigemus auxilio. *Cùm tria*, inquit de Pelagio August. lib. de grat. Christi, cap. 4. *constituat atque distinguat, quibus mandata diuina dicit impleri: possibilitatem; voluntatem* (id est volitionem) *& actionem: possibilitatem scilicet, quâ homo potest esse iustus: voluntatem, quâ vult esse iustus: actionem, quâ iustus est: horum trium primum, id est possibilitatem, datam confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere, etiamsi nolumus: duo verò reliqua, id est, voluntatem, & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, vt nonnisi à nobis esse contendat*: id est, non ab auxilio gratiæ. Quod expressiùs affirmat idem S. Doctor epist. 94. vbi de Pelagianis sic ait: *Cauendis futuris, vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis* (ac proinde ad iustè viuẽdum) *sine vllo deinceps adiutorio gratiæ Dei, naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem existimant.*

23. *Et ad vincendas tentationes.* Vnde inferebant consequenter loquendo, non esse rogandum Deum vt ne nos inducat in tentationem. *Nec donum Dei posceritis* (inquit Iuliano Augustinus lib. 1. Operis imperf. fol. 109. *ne intretis in tentationem: hoc est, ne peccetis. In vestra enim virtute confiditis, &c.* Quem verò sensum huic petitioni darent, refert Augustinus epist. 94. vbi sic ait: *Illud verò quod sequitur, Ne nos inferas in tentationem, non sic accipiunt tanquam Deus orandus sit, quo nos ad superan-*

dus adiuuet tentationes peccatorum: Sed ne quisquam irruens corporaliter nos humanus casus affligat, (nempè, vt exponit alibi, ne ruamus de equo, ne frangamus pedem, ne latro nos interficiat, & cetera huiusmodi, quæ non habemus in nostra potestate) *quoniam tentationes peccatorum vincere ita sit iam in nostra positum potestate possibilitate naturæ, vt hoc inaniter impetrandum orationibus arbitremur.*

24. *Et ad omnia peccata vitanda.* Addebant eò perfectionis attingere hominem posse naturæ viribus, vt nec illi necessarium ampliùs sit dicere, *Dimitte nobis debita nostra*; quia scilicet non ampliùs peccat. Cúmque illis obiiceretur, Christum ipsosmet Apostolos sic orare docuisse: respondebant, Apostolis, cùm adhuc infirmi essent, formam illam orandi fuisse præscriptam; vel si postea, quando perfecti euaserant, eandem vsurpabant; sic illos orasse non pro seipsis, sed pro imperfectis: vel etiam pro se ipsis non ex veritate, sed ex humilitate: vt refert August. lib. 2. de peccat. merit. cap. 10. & Concil. Carthag. can. 78.

25. *Argumenta Pelagianorum ad id probandum.* Quatuor autem potissimùm argumentis in hunc errorem inductos fuisse Pelagianos affirmat Iansenius cap. 16. libri suprà cit. Primò, quia natura humana non fuit per peccatum Adæ debilitata. Quare sicut in Adamo potuit esse sine peccato; sic & in nobis. Secundò, quia Deus non præcipit impossibilia. Ergo possumus naturaliter implere omnia eius mandata, frustráque præciperet Deus vt perfecti simus, nisi esse possemus. Tertiò, quia nullum est peccatum, quod vitari non possit, si velimus efficaciter, *Nulla enim ratio, vel iustitia patitur, saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest*, inquit Celestius apud August. lib. de perfectione iustitiæ, cap. 2. Quartò denique, quia pendet à libera nostra voluntate vt præcepta Dei custodiamus: adeóque si volumus, non peccamus; quemadmodum Scriptura docet pluribus locis: *Quod vult faciat.* 1. Corint. 7. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.* Ecclesiast. 15. *Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam*, ibidem. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, & ad iracundiam me prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Isaiæ primo. A solo igitur nutu voluntatis pendet, vt peccet, vel non peccet: vtque seruet mandata, vel non seruet.

26. *Eorundem elusiones.* Ad eludendas verò Scripturas quæ dicunt, *Omnes peccauerunt: Non est homo sine peccato: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.* respondebant aliud esse, posse sine peccato esse: & aliud, esse reipsa sine peccato: séque loqui de posse, non de esse: Scripturam verò locis cit. dicere quid sint, non quid esse possint, imò non peccarent, si non possent esse sine peccato: quia non est peccatum, nisi quod vitari potest. Quamquam interdum etiam nonnullos fuisse diu sine peccato affirmabant, saltem post aliquod tempus à sua conuersione: quando scilicet frequenti & heroïco virtutum exercitio perfectionem iustitiæ attigerant: vt Paulum, Dauidem & similes. Interdum etiam dicebant aliquos vixisse ab initio sine vllo peccato: vt Abelem, & Iob, & aliquot alios, vt eorum testimoniis probat Iansenius toto cap. 17. libri suprà cit.

27. Neque tantùm possibilitatem non peccandi: verùm etiam facilitatem naturæ viribus asserebant: dicebántque, conquerentes de difficultate non peccandi accusare Deum ignorantiæ: quòd scilicet nesciuerit quid faciendo hominem fecerit, aut quid iubendo præceperit. Addebant suam doctrinam de facilitate seruãdi præcepta, accendere homines ad virtutem, & perfectionem: contrariam verò coniicere in desperationem; faceréque vt renuncient studio perfectionis. Quæ omnia testatur Augustinus lib. de gestis Pelagij, cap. 30. & seqq. & lib. 2. contra Iulian. cap. 8. & lib. 3. cap. vltimo. Hanc autem facilitatem ex eo nasci dicebant, quòd non sint nobis insitæ naturaliter malæ concupiscentiæ, quæ virtutem reddant difficilem: ac si quæ nobis sunt innatæ, illæ potiùs bonæ sint: quódque non peccare, sit in nostræ voluntatis arbitrio: fiátque si volumus, non fiat si nolumus: nam si nolumus, non peccamus, inquit Pelagius apud Augustinum libro de perfectione iustitiæ, cap. 6. *Eorundem error de naturali facilitate non peccandi.*

Hinc etiam fieri posse dicebant, vt ἀπάθειαν, id est, passionum imperturbationem, siue impassibilitatem assequeremur, quibus animus noster inquietari solet: Ita vt non solùm fracto impetu regantur ac temperentur, sed etiam funditus extirpentur, vel ita certè domentur rationis freno, vt nunquam homine commoueantur inuito. Id de illis testatur August. lib. 2. contra Iulian. cap. 8. vbi relatis hisce Ambrosij verbis; *Non est in nostra potestate cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improuisò offusæ mentem animúmque confundunt &c.* subiungit alloquens Pelagianos, *Ita vos inuenimus elatos, & alta sapientes, vt respondeatis nobis, non solùm ista vos non pati: verùm etiam in hominis esse potestate ne ista patiatur: nec esse causam cur ad hoc Dei poscatur auxilium.* Idem testatur Hieronymus lib. 1. dialogi contra Pelagianos: ipséque Pelagius hoc idem obscuriùs significabat hac propositione damnatâ in Concilio Palæst. *Malum nec in cogitationem iustorum venire*: quia scilicet tantam perfectionem & moderationem assequuti sunt viribus naturalibus, vt nec mala cogitatio, nec vllus motus concupiscentiæ inordinatus, vel alia passio mala excitetur ipsis inuitis: quamuis possint permittere, & peccare si velint: quia semper retinent libertatem indifferentiæ ad peccandum & non peccandum. Qua de causa non impeccabilitatem, sed impeccantiam tantùm iustis & perfectis hominibus tribuebant Pelagiani. 28. *Et de impassibilitate.*

Eò denique superbiæ, & amentiæ progressi sunt, vt existimarent Ecclesiam ex solis illis iustis & perfectis nunquam peccantibus constare: cùm vera Ecclesia, Christi sponsa rugam & maculam non habeat, vt ait Apostolus Ephes. 5. *Etiam hoc audent Pelagiani dicere*, inquit Augustinus lib. de dono perseuer. cap. 5. *hominem iustum hac in vita nullum habere omnino peccatum; & in talibus hominibus esse iam in præsenti tempore Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi, quæ vna & sola sponsa sit Christi.* Et serm. 29. de verbis Apostoli cap. 2. refert eos interrogatos, quinam essent illi iusti, qui nullum prorsùs hac in vita peccatum habent; respondere solitos, Totam Ecclesiam. Eodémque pertinebat hæc propositio Pelagij, damnata in Concilio Palæst. *In die iudicij* 29. *Et quòd Ecclesia constat ex solis iustis non peccantibus.*

iniquis & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis ignibus exurendos, nimirum, quia omnibus peccatoribus, tanquam si essent extra Ecclesiam, cum Ethnicis & Paganis, sententiam damnationis subeundam esse credebant.

30. Additque Augustinus lib.4. ad Bonif. cap.11. & l.6. contra Iulian. cap.13. & serm.3. de verbis Apost. c.3. adeo suam illam perfectionem huius vitæ extulisse Pelagianos, vt æquare existimarent perfectionem vitæ futuræ, excepta resurrectione & immortalitate corporum; ceteroqui enim iustos illos & perfectos esse æquales Beatis & Angelis Dei: imò & ipsi Deo, in eo saltem quòd sicut Deus sua natura sine peccato est; sic & illi perfecti absque omni peccato naturaliter esse possunt. Quin etiam, inquit auctor quæstionum veteris & noui testamenti, q. 109. Deo meliores eatenus sunt, *quia natura quæ potest peccare, sicut & non peccare, si semper vincis, illi naturæ præponenda est, quæ ideo non peccat, quia impassibilis est. Non enim magnum videatur non peccare, quia non potest. Magnificum autem, si cùm possit peccare, non peccat.* Quâ superbiâ & dementiâ Pelagianorum nulla maior excogitari queat. Huc vsque Iansenius.

Et iusti æquare possint ac superare perfectionē Beatorum.

SECTIO IV.

Sintne prædicta omnia inter errores Pelagianos computanda?

31. SED pergit ille, more suo, vera falsis miscere, & Catholica dogmata Pelagianis, multáque erroris insimulare & hæresis, quæ nunquam ab Ecclesia damnata fuerunt, sed è contrario communiter recepta à Catholicis, & à Sanctis Patribus tradita.

Officia virtutum sunt per se bona.

Huiusmodi est quod primò reprehendit in Pelagianis, officia virtutum esse bona per se, id est, semoto respectu ad finem extrinsecum, siue Deum, siue creaturam, ad quem referri possunt. Etenim id nunquam damnauit Ecclesia: neque potest aduersarius, quocunque se vertat, proferre aliquid, quo probet damnatum aliquando fuisse. Contrà verò, huiusmodi virtutum officia, qualia sunt, subuenire misero, & egenti in necessitate, vestire nudum, cibare pauperem, concupiscentiam coërcere, iram moderari, suum cuique tribuere, parentes colere, & alia his similia, esse per se bona & honesta, seu rectę rationi consentanea, fierique laudabiliter, si fiant propter honestatem quam habent, docet Scriptura, quæ sæpius laudat & commendat huiusmodi virtutum officia, nullâ etiam factâ mentione finis extrinseci. Vt hospitalitatem Abrahę, Genes.18. Misericordiam obstetricum Ægyptiarum erga infantes Israëlitarum, Exod.1. & Rahab erga exploratores, Iosuë 2. & Iobi erga pauperes, Iob 29. & Tobiæ erga mortuorum sepulturam, Tob. primo, & continentiam Ioseph. Gen.39. & honorem redditum parentibus & senioribus, 1. Petr. 5. & obedientiam debitam magistratibus, Rom.13.

Probatur ex Scriptura.

32. Idem etiam docent communiter SS. Patres, qui eiusmodi virtutum officia similiter commendant, & laudant tanquam bona & honesta, nulla facta mentione finis extrinseci, ad quem referantur. Vt Chrys. hom.41. in Gen. Ambros. l.1. de Abraham. cap.5 Aug. serm.68. & 70. de tempore, vbi hospitalitatem Abrahæ magnis encomiis exornant: & misericordiam obstetricum Ægyptiarum commendant idem Aug. lib. contra mendacium, c.15. & Greg. l.18. Moralium c.4. & alij similiter laudant alia virtutum officia superiùs commemorata. Verba D. August. loco proximè citato hæc sunt: *Sed quod scriptum est, bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt; sed quia in homines Dei, misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdúmq; non esset, si alio priùs tempore commissa ab eis aliqua opera mala, Deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere: ita mirandum non est, quòd vno tempore, in vna causa Deus vtrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, factúmque fallaciter, & bonum remunerauit; & propter hoc bonum, malum illud ignouit.* Quibus verbis perspicuè significat opera illa obstetricum & Rahab meretricis fuisse bona, & alicuius præmij temporalis meritoria, quo Deus ea remunerauit.

Ex sanctis Patribus.

Idem etiam docent communiter Theologi, & Philosophi morales tam Christiani, quàm ethnici, fauétq; ratio manifesta. Nam bona morali bonitate & honesta illa sunt, quæ sunt rectæ rationi consentanea, quæque decent naturā rationalem vt talē. Atqui rectę rationi consentaneum est, decétq; naturam rationalem, vt talem, misereri indigentium, illorúmq; necessitatibus subuenire, vestire nudos, alere famelicos, prudenter, sobriè, iustè, moderatéq; se gerere, fortiter pati dura, vel aggredi difficilia, & ardua, quando id expedit; colere & amare parentes, gratum esse erga benefactores, obedire legitimis superioribus, & alia his similia, etiam per se considerata, id est, sine respectu ad finem vllum extrinsecum. Ergo non potest negari huiusmodi officia esse per se bona, & honestè appetibilia. 33.

Confirmatur ratione.

Porro eadem virtutum officia esse meritoria vitæ æternæ, si propter Deum exerceantur, cum alis conditionibus ad merendum requisitis, certissimum est, & definitum à Trident. sess. 6.c.16. vbi confirmat his Apost. verbis 1. Cor.15. *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino,* & Hebr.6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis.* Et Matth. 25. Christus formam iudicij extremi describens, sententiámque tunc proferendam, affirmat vitam æternam rependendam esse propter opera misericordię erga pauperes & afflictos exhibita. Quòd verò digna sint aliquo saltē præmio temporali, quando fiunt propter solam honestatem intrinsecam, vel in ordine ad bonum aliquem finem creatum, vel carent aliqua conditione ad merendam vitam æternam necessaria, docet ipsemet Augustinus lib.5. de Ciuit. cap.15. vbi affirmat Deum Romanis tam amplum dedisse imperium, tantámque felicitatem temporalem, veluti mercedem bonorum operum, quæ intuitu reipublicæ exercebant. *Quibus ergo Deus,* inquit, *non erat daturus vitam æternam, cum sanctis Angelis suis &c. sineque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.* 34.

Quomodo merentur præmium æternum aut temporale.

Quas virtutes postea commemorans, ait illos priuatas res suas pro re communi, hoc est, republica, & pro eius ærario contempsisse, auaritiæ restitisse, consuluisse patriæ consilio libero; neque delicto secundùm suas leges, neque libidini obnoxios fuisse.

35\. Idémque docet Hieronymus in cap. 29. Ezechiel. ad vers. 18. exponens illa Dei verba, *Merces non est reddita ei* (Nabuchodonozori Regi ethnico) *neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute, quâ seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonozor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius; & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi quo seruiuit aduersus eam: dedi ei terram Ægypti, pro eo quod obediuerit mihi, ait Dominus Deus:* Exponens, inquam, verba ista Hieronymus, sic ait: *Ex eo quod Nabuchodonozor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerit, non absque mercede, Dei iudicio præteriri.* Merces autem, & meritum correlatiua sunt. Itaque si Pelagianum dogma est, dicere huiusmodi opera esse meritoria alicuius præmij temporalis: Pelagiani censendi erunt Augustinus & Hieronymus, præcipui debellatores illius hæresis: & Scriptura ipsa Pelagianum errorem docebit verbis modò relatis, alibíque sæpiùs, vt Exodi 1. vbi dicitur Deus ædificasse domos obstetricibus Ægyptiis, propter misericordiam erga infantes Hebræorum ab illis præstitam: & Iosue 6. vbi Rachab, Deo volente sine dubio, donatur incolumitate, & aggregatur filiis Israël, propter hospitalitatem, & gratiam exploratoribus exhibitam, vt narratur Iosue 2.

36\. *Non est error, dicere opus bonum fieri posse sine fide.* Huiusmodi etiam est quod secundo loco inter dogmata Pelagiana recenset Iansenius, fidem Christi non esse vllo modo necessariam ad quodcunque bonum opus, & sine illa ethnicos interdû bene operatos esse: multóque magis non esse peccatum, si quod bonum opus sine fide Christi fecerunt ethnici. Enimuerò si hoc dicere *Probatur ex Augustino.* Pelagianus error est, Pelagianus ergo fuit Augustinus, qui loco suprà citato dixit veteres Romanos infideles, & ethnicos bona quædam opera fecisse, & aliquibus virtutibus præditos fuisse. Quod idem scribit epist. 5. ad Marcel. vbi sic habet: *Rempublicam primò Romani constituerunt, auxerúntque virtutibus, &c. custodientes quandam sui generis probitatem, &c. Deus ostendit in illo imperio, quantum valerent ciuiles, etiam sine vera religione, virtutes.* Et lib. de spiritu & litera, quem scripsit contra Pelagianos, cap. 28. sic ait de Gentilibus: *Meritò dici potest, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Et cap. 27. de iisdem sic loquitur: *Impiorum, nec Deum verum veraciterque colentium, quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus: verùm etiam meritò, rectéque laudamus. Quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem, defensioneme mereantur.* Quæ particula *vix*, non significat prorsus non inueniri; sed rarò & difficilè. Et rursus cap. 28. *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio* (infideli) *aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.*

37\. *Et ex Hieronymo, aliisque Patribus.* Pelagianus quoque fuerit Hieronymus, affirmans loco suprà citato ethnicos facere aliquid boni operis, quod Dei iudicio absque mercede non præteritur. Et in cap. 22. Matthæi sic ait: *Inter ipsos quoque ethnicos, est diuersitas infinita; cùm sciamus alios esse procliues ad vitia, & ruentes ad mala: alios ob honestatem morum virtutibus deditos.* Simili modo loquuntur alij Patres; quorum aliquot testimonia referemus paulò pòst. Idémque non obscurè docet Scriptura, laudans aliqua opera ethnicorum, veluti bona & mercede digna: vt suprà ostendimus. Et Christus *Et ex sacris literis.* Matthæi 5. vers. 46. & 47. manifestè supponit aliquod bonum opus morale fieri posse ab ethnicis: cùm sic ait: *Si dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne & ethnici hoc faciunt?* atque ideo non est quòd ampliorem mercedem expectetis, cùm nihil amplius id est maius, aut melius faciatis. Vbi sine dubio loquitur Christus de dilectione, & salutatione moraliter bona: non autem de mala: nemo enim adeo stultus est, vt speret à Deo mercedem pro illa.

38\. *Confirmatur ratione.* Fauet etiam ratio manifesta. Nam homo sine fide multa cognoscit naturaliter, etiam practicè, siue solo lumine naturali, siue aliorum doctrina, & instructione; vt Deum esse colendum, neminem esse iniustè lædendum, parentes esse honorandos, benefactores esse amandos. & in plerisque huiusmodi operum, per se naturalium, non magna occurrit difficultas: imò ad quædam natura per se inclinat: vt ad misericordiam erga miserrimum exercendam, ad vitam amici innocentis tuendam, ad beneficium agnoscendum, & similia. Cur ergo ad hæc necessaria est fides Christi? quæ etiamsi adesset, non tolleret difficultatem bene operandi: & hæc per auxilia actualia, si opus sit, potest sufficienter tolli. Quare non est Pelagianum dicere aliqua huiusmodi opera moraliter bona, fieri posse sine fide Christi: sed è contrario falsa est, meritóque damnata hæc propositio à Pio V. & Gregorio XIII. in *Et ex Bulla Pij V.* bullis contra Baium, num. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia:* & ista num. 29. *Fures sunt, & latrones, quicunque aliunde, quàm per Christum, in viam iustitiæ, hoc est, ad aliquam iustitiam conscendi posse docent, aut tentationi vlli, sine gratia ipsius adiutorio, resistere hominem posse.* Quæ autem in contrarium opponit alibi Iansenius, ex Augustino explicabuntur inferiùs in sequenti tract. disp. 19. vbi fusiùs hac de re disseretur, examinando quæ ille scripsit, libro quarto de statu naturæ lapsæ.

39\. *Non est error, dicere virtutum semina nobis inesse.* Huiusmodi præterea est quod tertio loco ad Pelagianismum pertinere affirmat, omnium virtutum semina (si sermo sit de naturalibus: nam de fide, & dilectione supernaturali; & aliis id genus dicemus sectione sequenti) inserta esse naturaliter humanæ naturæ: quæ semina partim consistunt in lege naturali, seu dictamine conscientiæ discernente inter bonum & malum; partim in quadam propensione voluntatis ad bonum, & auersione atque horrore mali: propter quod etiam erubescimus, aut timemus, & conscientiæ stimulis pungimur; quando malè agimus.

Probatur ex Patribus.

Enimuerò si id quoque inter dogmata Pelagij censendum est, Pelagianus fuerit non solùm Origenes, qui sic ait lib.3. in cap.3. epist. ad Roman. *Inuenitur quidem Deus dedisse homini omnes affectus, omnésque motus, quibus ad virtutem niti possit, & progredi: insuper etiam vim rationis inseruisse, quo agnosceret quid deberet agere, quid cauere.* Verùm etiam Athanasius in vita S. Antonij, vel ipse Antonius, cuius hæc verba refert: *Virtus, quæ in nobis est, mentem tantũ requirit humanam. Cui enim dubium est, quin naturalis animæ puritas, si nulla fuerit extrinsecùs sorde polluta, fons sit & origo omnium virtutum.* Et Basilius, homil. 9. in Hexaem. paulò ante medium, de iisdem seminibus sic ait: *Sunt apud nos ipsæ virtutes secundùm naturam; ad quas habendas affinitas animæ, non ex humana doctrina, sed ex ipsa natura nobis inesse videtur.* Et Chrysostomus homil. 2. in epist. ad Ephes. *Indidit enim Deus*, inquit, *naturæ nostræ quoddam amatorium, vt alter alterum inuicem diligamus. Omne enim animal*, inquit, *diligit sibi simile: & homo suum proximum. Vides quòd ad virtutem semina habeamus à natura. Vitium autem est præter naturam.* Et in homil. *Quòd regulares feminæ non viris cohabitent*; sic ait in eandem sententiam: *Hoc diuinæ prouidentiæ opus est, quòd tantam nobis virtutis familiaritatem & cognationem, & tantam vitiorum dissimilitudinem indidit. Ita illa quidem omnium calculis probatur, etiam absentium. Ista verò damnantur etiam ab illis qui virtutem non curant, & auersantur, & persequuntur.* Et Damascenus lib. 3. de fide cap. 14. in fine, *Naturales virtutes sunt, ac naturaliter, & æquè omnibus insunt: etsi non omnes æquè ea, quæ naturæ consentanea sunt, operemur.* Hieronymus quoque in caput primum epist. ad Galat. circa illa verba: *Cùm autem placuit ei qui me segregauit,* idem non minùs expressè perspicuéque affirmat, quando relatis hisce aliis Scripturæ verbis ex Ioan. 1. *Medius vestrûm stetit quem vos nescitis: &, Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* dicit ex illis perspicuum fieri *naturâ omnibus Dei inesse notitiam: nec quemquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ, & iustitiæ, reliquarúmque virtutum. Vnde multi absque fide & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè: vt parentibus obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant: magisque iudicio Dei obnoxij fiant, quòd habentes in se principia virtutum, & Dei semina, non credunt in eum, sine quo esse non possunt.* Aug. verò lib. de Spirit. & lit. scripto contra Pelagianos, c. 27. aliàs 28. de Gentilibus illis loquens, de quibus Paulus Rom. 2. dicit, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt &c.* sic ait: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit.* Ibidémque dicit posse Apostolum in hunc sensum intelligi sine inconuenienti. *Veruntamen*, inquit, *quia non vsque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: inde meritò dici posset etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis vel sapere: Si hoc est quod dictum est: quia gentes quæ legem non habent, (hoc est legem Dei) naturaliter quæ legis sunt faciunt: & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis; id est, non omninò deletum est quod illis per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est &c.*

40. Absolutè verò eundem locum Apostoli de lege naturali cordibus hominum inscripta, déque bonis quibusdam operibus ex dictamine illius legis, per vires naturales factis, intelligunt Origenes lib. 2. in epist. ad Rom. paulò ante medium, Tertull. lib. de Corona militis, cap. 6. Chrysost. homil. 5. in epist ad Rom. Hieronym. in cap. 29. Ezech. ver. 18. Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Anselmus, D. Thom. Caietan. Tolet. aliique veteres & recentes interpretes epist. ad Rom. Et denique à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. damnata fuit hæc Baij propositio num. 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Qua censura percellitur etiam Iansenius, obiter arguens Pelagianismi hanc expositionem lib. 4. de hæresi Pelag. cap. 8. paulò ante finem.

Confirmatur ex Apostolo Rom. 2.

41. Legem quoque naturalem, de qua sine dubio loquitur ibi Apostolus, commendant non solùm Pelagiani, vt sæpè illis exprobrat Iansenius: sed & Sancti Patres ab omni labe Pelagianismi longè remoti: vt Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, vbi dicit: *Nullam esse animam quamuis peruersam, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia non loquatur Deus. Quis enim scribit in cordibus hominum legem naturalem nisi Deus?* Et Ambrosius lib. 9. epist. 71. *Ea lex* (naturalis scilicet) *non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte, in singulis exprimitur.* Et Damascenus libro 4. de fide cap. 23. de eadem sic loquitur: *Lex Dei mentem nostram incendens, eam ad se pertrahit, conscientiámque nostram vellicat, quæ & ipsa mentis nostræ lex dicitur.* In quæ verba Clictouæus, *Lex mentis nostræ*, inquit, *est ipsa naturalis ratio, Dei legem habens sibi inditam, impressámque, & insitam, qua bonum à malo, interno lumine, diiudicamus &c.* Et Hieronym. epist. 151. ad Algasiam, quæst. 8. *Ista lex*, inquit, *quæ in corde scribitur, omnes continet nationes: & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Vnde omnis mundus sub peccato, & vniuersi homines præuaricatores legis sunt: & idcirco iustum iudicium Dei est, scribentis in corde humani generis; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quis enim ignorat homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiscentiam esse malam &c. Per hanc legem naturalem, & Cain cognouit peccatum suum &c.*

Iidem Patres commendant legem naturalem.

42. Neque respondeat Iansenius, Patres citatos ita legem naturalem laudasse, & semina virtutum naturæ indita, vt noluerint quicquam boni operis solis naturæ viribus, & sine gratiæ auxilio, ex illis prosilire. Primò enim id falsum esse constat ex aliquorum verbis suprà relatis, & pluribus aliis eorum testimonis, quæ referemus alio loco, vbi fusiùs hac de re disputabimus: nunc enim breuiter tantùm hæc attingimus ad refellendam iniustam Iansenij censuram. Secundò, quamuis ita esset: non fuerunt damnandi ab illo Pelagiani, quòd legem naturalem, & semina virtutum commendauerint: sed quòd nimiùm vires eorum extulerint: vt certè

Responsio Iansenij refellitur.

certè nimis extulerunt, quando affirmarunt non esse necessarium gratiæ diuinæ auxilium ad vllum bonum opus, de quo errore mox dicemus.

SECTIO V.

Quænam ex recensitis à Iansenio verè pertineant ad dogmata Pelagiana?

43. *Docebant vires naturales sufficere ad credendum, & Deum amandum sicut oportet.* VT enim iam ad ea veniamus, quæ ex suprà commemoratis verè pertinent ad falsa dogmata Pelagianorum: Errarunt primò in eo quòd tantas esse vires humanæ naturæ statuerent, vt sufficiant sine auxilio gratiæ ad Deum, etiam per fidem, cognoscendum; & diligendum, non quomodocunque, sed eo gradu perfectionis, qui ad salutem & felicitatem æternam, regnúmque Dei consequendum satis valeat: similitérque ad exercenda omnium aliarum virtutum officia, prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis & temperantiæ. *Dänantur à Concilio Palæstino.* Qui error damnatus fuit à Concilio Palæst. anathematizante has Celestij & Pelagij propositiones. *Posse hominem, si velit, esse sine peccato, omniáque Dei mandata custodire*; & nimirum ad hoc non egere auxilio gratiæ. Et istam similiter: *Tantam nos habere per naturam liberi arbitrij non peccandi possibilitatem, vt plus etiam, quàm præceptum est, faciamus.* Et istam denique, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio.*

44. *Et Arausicano, ac Tridentino.* Eundem errorem damnauit Arausic. præcipuè can. 7. cuius verba hæc sunt: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere: & illud Apostoli, Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vbi, vt rectè notat Bartholomæus Miranda Dominicanus in Summa Conciliorum, non negatur opera naturæ fieri posse sine auxilio gratiæ, sed quæ pertinent ad salutem vitæ æternæ, quam limitationem non frustra addidit Concilium verbis modò relatis. Eandémque ob causam canone 25. dicens non posse nos per liberum arbitrium diligere Deum, vel in eum credere, adiunxit, *Sicut oportet.* Similique modo loquitur Trident. sessione sexta canone tertio, cùm sic ait: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quibus verbis tacitè permittit naturæ viribus imperfectiorem quendam modum credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi: sed non qualem esse oportet ad salutem consequendam. Et in bullis Pij V. & Gregorij XIII. damnatur hæc propositio Michaëlis Baij numero 33. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor naturæ: & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Itémque ista numero 35. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cùm iniuria crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus.* Et ista quoque numero trigesima sexta: *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

Errauerunt secundò in eo quod senserunt viros Sanctos, tempore legis naturæ, solis viribus naturalibus actus illarum virtutum exercuisse sicut oportet ad salutem consequendam: vt Abelem, Noë, Abraham, Loth, Isaac, Iacob, Ioseph, & similes. Contra quem errorem Synodus Arausic. canone vigesimo quinto ita pronunciauit: *Secundùm sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum traditiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi parentis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina preuenerit. Vnde Abel iusto, & Noë, & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omni antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adamo datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam.* 45. *Alter verò error circa sanctos veteris testamenti.*

Errauerunt tertiò, quòd dixerint easdem vires naturales sufficere ad agendam conuenientem de peccatis commissis pœnitentiam, obtinendámque remissionem per Dei misericordiam. Qui error damnatus fuit à Concilio Palæstino proscribente hanc propositionem Celestij & Pelagij: *Pœnitentibus veniam non dari secundùm gratiam & misericordiam Dei: sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia:* qui scilicet per laborem, & opera pœnalia, facta solis naturæ viribus, meruerint obtinere iustificationem. Eundémque errorem damnauit Trident. canone suprà relato, & Arausic. canone quarto in hæc verba: *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit: non autem vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur: resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino &c.* 46. *Et circa pœnitentiam, ac remissionem peccatorum.*

Errauerunt 4. quòd affirmarent easdem vires naturales sufficere ad vincendas quascunque malas consuetudines peccando contractas, & ad coërcendos quoscunque passionum impetus, & tentationes: iisdémque viribus naturæ solius posse homines abstinere ab omni peccato, si velint, omniáque Dei mandata implere, & esse perfectos. Quem errorem damnauit Concilium Palæst. in Celestio & Pelagio affirmantibus, *Posse hominem, si velit, esse sine peccato, omniáque Dei mandata implere:* & videlicet non ad hoc egere 47. *Et circa facultatem vincendi tentationes, implendique mandata.*

gratiæ auxilio, sed vires naturales sufficere; iuxta id quod aiunt ibidem paulò pòst: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in sua voluntate habet vnusquisque, aut facere aliquid, aut non facere:* & *Victoriam nostram* (de tentationibus) *non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio.* Ibidémque propositum fuit Pelagio vt fateretur, *Quando contra tentationes, & concupiscentias dimicamus, quamuis propriam habeamus voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram prouenire victoriam. Non enim aliter verum est illud Apostoli ad Romanos, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Contra eundem sanxit Mileuit. Synodus canone tertio, Gratiam Dei necessariam esse, vt mandata eius impleantur, & non solùm vt faciliùs impleri possint. Et Arausic. canone nono. *Diuini est muneris cùm rectè cogitamus & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.* Et canone decimo. *Adiutorium Dei, etiam renatis ac Sanctis, semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint operè perdurare.*

48. *Et circa necessitatem orationis ad eum finem.* Errauerunt quintò, quòd dicerent consequenter, non esse rogandum Deum vt ne nos inducat in tentationem, id est, non esse implorandum eius auxilium ad vincendas tentationes, aut præcauendas peccandi occasiones, quia ad hoc vires naturales sufficiunt. Quem errorem damnauit Arausic. canone nono & decimo supra relatis, & canone decimo nono, cuius verba sunt: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit recuperare quod perdidit?*

49. *Vel ad petendam veniam peccatorum.* Errauerunt sextò, quòd crederent eò perfectionis attingere hominem posse solis naturæ viribus, vt nec illi necessarium sit dicere Deo, *Dimitte nobis debita nostra*, quia non ampliùs peccat; & Apostolos, aliósque Sanctos, vel non id dicere in propria persona, orando pro seipsis, sed pro peccatoribus: vel humilitatis causâ, si de seipsis loquantur. Quem errorem proscripsit Concilium Mileuit. canone septimo, sic dicens: *Item placuit vt quicunque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere Sanctos, Dimitte nobis debita nostra, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio; sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnumquemque Sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, vt hoc pro aliis potiùs, quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit.* Et sequenti canone octauo, sic statuit: *Item placuit, vt quicunque verba ipsa Dominicæ orationis, vbi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, ita volunt à Sanctis dici, vt humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit.*

50. *Soluuntur argumenta Pelagianorum.* Ad primum autem fundamentum Pelagianorum, relatum num. vigesimo quinto, respondeo falsum esse quòd natura humana non fuerit per peccatum primi parentis debilitata. Sed neque Adamus poterat omnia Dei mandata custodire sine gratiæ diuinæ auxilio. Ad secundum dico Deum non præcipere impossibilia: quia dat gratiam, quâ fiant possibilia ea, quæ non essent possibilia per naturam. Ad tertium; nullum est peccatum, quod vitari non possit cum auxilio gratiæ, nullúmque planè committitur peccatum culpabile, quod vitare nequeat ille qui committit. Veruntamen futurum est vt succumbamus tentationi & peccemus, nisi speciali gratia adiuuemur, vel intra longum tempus, & frequentes peccandi occasiones: vel in aliqua difficili, & importuna tentatione, diu vehementérque ad peccandum sollicitante. Ad quartum: Pendet quidem à nostra libertate, adiuuante Dei gratia, vt eius mandata custodiamus. Sine gratia verò non possumus implere omnia: futurúmque est infallibiliter vt non seruemus, nisi ab illo specialiter iuuemur.

Hinc collige sextò, errasse eosdem multò magis, quando non solùm possibilitatem non peccandi, sed etiam facilitatem naturæ viribus tribuerunt. Qui error damnatur à fortiori per canones suprà relatos, ex Concilius Palæst. Mileuit. & Arausic. Neque minùs errarunt addentes posse hominem viribus naturalibus assequi impassibilitatem, seu carentiam omnimodam perturbationis passionum, & malarum cogitationum occursus indeliberatos. Ad quod dogma respexit Concilium Palæst. damnans Celestium, & Pelag. quòd dicerent, *Malum nec in cogitationem iustorum venire.* Quasi non veniret in cogitationem iustorum quod malum est, aut propterea desinerent esse iusti, dummodo absit consensus, inquit Augustinus libro de Gestis Pelag. cap. 4. 51. *Eorumdem error circa facilitatem non peccandi & impassibilitatem.*

Errauerunt præterea docentes Ecclesiam ex solis iustis omni peccato carentibus esse compositam: neque aliter verum esse, quòd non habeat maculam, neque rugam. Nam vt refert idem S. Doctor cap. 9. lib. cit. obiectum fuit Pelagio à Concilio Palæst. quòd diceret Ecclesiam hîc esse sine macula & ruga. Quasi vellet cum Donatistis, in solis bonis intelligi, quos asserebat nullum habere peccatum. Additque ibidem Augustinus: *Si ita est, quomodo sunt membra Ecclesiæ, de quibus vera clamat humilitas? Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Vel quomodo id, quod eam docuit Dominus, orabit Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra: si in hoc sæculo est Ecclesia sine macula & ruga?* Contra eundem errorem editi fuerunt canones 6. & 7. Concilij Mileuit. quorum verba paulo antè retulimus. 52. *Et quòd Ecclesiam ex solis iustis constare volent.*

Quod verò addebant, suam illam perfectionem, naturæ viribus possibilem, æquare perfectionem futuræ vitæ, excepta resurrectione, & immortalitate corporum: ceteroqui enim iustos illos & perfectos, esse æquales Beatis, & Angelis Dei: imò etiam ipsi Christo, & Deo quoad impeccantiam: quin etiam hac in parte Deo ipso feliciores esse: multò magis constat ex supradictis esse erroneum, & damnatum à Conciliis citatis: adeóque absurdum est, vt longiori refutatione non egeat. Neque verò id cohæret cum eo, quod aiebant, 53.

Iustos illos suos habere quidem impeccantiam, sed non impeccabilitatem: id est, posse peccare, tametsi non peccant. Nam si ita est, longè absunt à perfectione Beatorum hominum, & Angelorum, & Christi Domini, qui sunt impeccabiles ab intrinseco: multóque magis Deus nulli alteri comparandus in hac & aliis perfectionibus. Sicut in alia parte iustitiæ, quæ consistit in exercitio virtutum, & in cognitione Dei, Beati Angeli & homines, multóque magis Christus & Deus longissimè supereminent perfectioni iustorum huius vitæ.



DISPVTATIO VII.

De multiplici statu hæresis Pelagianæ: & quam gratiam admiserit?

SECTIO I.

Synopsis doctrinæ Ianseniȷ.

1. *Primus status, Ethnicismus.* ARIVM & multiplicem fuisse statum hæresis Pelagianæ docet Iansenius libro quinto, capite primo & seqq. Primus fuit, inquit, veluti Ethnicismus, à à Philosophis acceptus. In quo nulla facta mentione gratiæ, naturam hominis sufficere dicebant ad quæcunque opera virtutum exercenda, ad seruanda omnia Dei mandata, & viuendum sine vllo peccato, ad vincendas omnes passiones, & malas consuetudines, ad ἀπάθειαν, siue imperturbationem, ac denique ad veram & æternam felicitatem consequendam. Quod verum quidem est, satísque ab eo probatum testimoniis SS. Augustini & Hieronymi, quæ refert capite primo. Sed fraudulenter addit §. vltimo eiusdem cap. fundamentum huius status comminiscendi, & quo tota doctrina Pelagiana nititur, esse, *naturalem illam possibilitatem*, siue *libertatem voluntatis ad bonum & malum.* (*Impostura Ianseniȷ.*) Falsissimum enim est Pelagianam hæresim in isto dogmate de libertate indifferentiæ fundatam esse, quod à sacris litteris, & sanctis Patribus communiter traditum fuisse, atque à tota Ecclesia receptum, ostendimus disputat. 3. alibíque fusiùs demonstrabimus. Verùm fundamentum illius fuit, quòd vires naturales liberi arbitrij tantas esse crederent, vt ad prædicta omnia sufficerent: adeóque diuinæ gratię auxilio minimè indigerent.

2. *Secundus status Semi-Ethnicismus.* Secundus status fuit veluti Semiethnicismus: in quo naturam ipsam tanquam gratiam agnoscere & prædicare cœperunt. Cùm enim Pelagius malè audiret apud Catholicos, quòd necessitatem gratiæ negaret: ad declinandam inuidiam, & fucum Catholicis faciendum, moderationem quandam suæ sententiæ, specie tenus, adhibuit, cœpítque nomine gratiæ liberum arbitrium intelligere: quia gratis à Deo, id est, nullis nostris præcedentibus meritis, in ipsa creatione nobis collatum est. Et eatenus affirmauit gratiam esse necessariam ad bene operandum & peccatum vitandum, quatenus sine libero arbitrio, neque bene agere, neque à malo abstinere possumus. Nomine autem liberi arbitrij intelligebant naturale bonum libertatis, cum reliquis necessariis ad liberè operandum, quæ naturaliter nobis insunt; cuiusmodi sunt facultas consultandi, expendendíque rationes & motiua agendi vel non agendi; naturalísque propensio ad bonum, & auersio à malo: vt testantur Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem, & lib. 1. dialogi contra Pelag. & Augustinus epist. 95. & 143. & serm. 11. de verbis Apostoli, cap. 7. & libr. de hæresibus, hæresi 88. aliísque locis, in quibus fucum hunc detegit, & refutat.

Tertius status fuit veluti Iudaïsmus, inquit. 3. *Tertius status, Iudaismus.* In quo Pelagius adhuc pulsatus fidelium obiurgationibus, eásque declinare volens, addidit alterum genus gratiæ, nempe legem seu doctrinam diuinam, & exempla Christi, quibus instruimur, viámque veritatis & salutis edocemur: quibúsve promissio futuræ gloriæ, & comminatio mortis æternæ continetur. Hanc autem addidit non tanquam simpliciter necessariam ad bene viuendum, peccatúmque vitandum: ad quod liberum arbitrium per se sufficere credebat: sed vt quod possumus per naturam, faciliùs impleamus per huiusmodi gratiam: cui præterea adiunxit remissionem peccatorum. Hæc omnia testatur Augustinus lib. de gestis Pelagij, cap. 35. & lib. de hæresibus, hæresi 88. & lib. de gratia Christi, cap. 40. & 41. & serm. 2. de verbis Apost. cap. 3. & lib. de Spiritu & lit. cap. 2. & 19. & epist. 106. & 200. vbi hac in re Pelagianos quodammodo Iudaizasse affirmat: quòd nimirum, sicut illi, legi nimium tribuentes, veram Christi gratiam reiicerent.

Atque hinc ortas esse dicit Iansenius capite quarto laudes immodicas, quibus legem extollebant: & quicquid docet Scriptura de vera gratia, illi assignabant. Quòd nimirum lex sit quæ nos confortat, vt omnia possimus; quòd faciat vt nullâ tentatione moueamur: quòd tollat peccatum, & non solùm ostendat seu prohibeat: quòd omne bonum in nobis operetur, nósque iustificet, ac tandem ad vitam æternam perducat. Id enim significabat illa Celestij & Pelagij propositio, damnata in Concilio Palæst. *Quoniam lex mittit ad regnum, quemadmodum Euangelium;* &, *Regnum cælorum, etiam in veteri Testamento fuisse promissum:* videlicet tanquam vi legis obtinendum, sine gratia Christi. Vnde dicebant, orationes nostras, quibus gratiam Dei imploramus, ad nihil esse necessarias, nisi vt nobis doctrina etiam diuina reuelatione aperiatur: vt refert Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 41. Nimirum vt ita ostendatur homini, quod concupiscat & diligat: non vt adiuuetur mens humana, vt quod faciendum esse didicerit, dilectione & actione perficiat: addit ibidem Augustinus. Ad hoc enim naturalem libertatē sufficere credebant. Et primis quidem seculis, ab Adamo vsque ad Moysem, sufficientem fuisse dicebant legem naturalem. Tunc enim propter illam primę conditionis integritatem adhuc perseueran- 4. *Tribuebant legi, quæ dicuntur de gratia.*

tem, & vigorem legis naturalis, illæsámque libertatem arbitrij, non erat opus alia gratia. Postea verò, licentia & consuetudine peccandi sensim magis inualescente, naturam mala educatione & prauis exemplis corruptam, eguisse legis scriptæ subsidio, quam Deus per Moysem dedit. Cúmque postea, ob nimiam humani generis corruptionem, quæ peccandi consuetudine inoleuerat, lex illa non sufficeret ampliùs ad piè sanctéque viuendum: venisse Christum veluti tanti morbi medicum, qui homines gratia sua medicinali sanaret.

5. *Quid sentirent de gratia remissionis peccatorum.* Hanc autem Christi gratiam triplicem ponebant: videlicet remissionem peccatorum, legem seu doctrinam Euangelicam, & exempla virtutis à Christo exhibitæ. Et primam in eo consistere dicebant, quòd cùm lex vetus consuetudinem peccandi non tolleret; sed comminatione pœnarum ab illa reuocare conaretur: neque peccata commissa remitteret, sed pœnis inflictis vlcisceretur: Christus huiusmodi consuetudinem malè agendi per baptismum tolleret: neque peccata commissa vlcisceretur, sed misericorditer condonaret. Hanc verò remissionem (inquit Iansenius capite septimo) gratuitam, seu gratiam esse volebant, ac fine meritis dari, non eo sensu, quo Catholici sentiunt; nempe quòd gratis homini spiritus pœnitentiæ, sine vllo bonorum operum merito, inspiretur: sed eò quòd detur etiam Gentilibus, qui nulla legis, hoc est, ceremoniarum opera perfecerunt, sed tantummodo in Christum fide crediderunt. Propter quod etiam illam vocabant *iustitiam fidei:* nimirum quia iustitia, & remissio peccatorum, quæ ante Christi legem obtinebatur, vel per opera bona moraliter, instinctu & virtute naturali facta, tempore legis naturæ; vel per opera cerimonialia, tempore legis Mosaïcæ, nunc per solam Christi fidem obtinetur, id est, sine operibus illis cerimonialibus. Vel etiam quia magis necessaria est remissio in lege gratiæ ob inolitam & auctam peccandi consuetudinem, difficultatémque viuendi sine peccato. Vel denique, quia in baptismo nulla pœnitentia laboriosa imponitur.

6. *Quam aliam gratiã admitterent.* Quia verò gratia illa remissionis peccatorum, medebatur quidem peccatis præteritis, sed non præcauebat futuris, contra quæ tota Ecclesia in priuatis & publicis orationibus postulat aliquod aliud adiutorium, aliámque Christi gratiam, ad cauendas aut vincendas tentationes, quæ post baptismum remissionémque acceptam frequenter occurrunt: ne viderentur apertè recedere à sensu Ecclesiæ, admiserunt aliam gratiam in eum finem: nempe doctrinam & exemplum Christi: vt testatur Augustinus libro de gratia Christi, capite secundo & trigesimo primo. In quo exemplo gratiam Christi propriè dictam consistere dicebant. Nam, vt ait capite illo trigesimo primo, *Adiutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus; adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitrantur exemplo.* Et hanc ideo necessariam hoc tempore dicebant esse, quia *non sufficit* ampliùs *sola lex, propter nimiam peccandi consuetudinem: nisi Christi accedat non inspiratio caritatis per Spiritum sanctum, sed intuendum & imitandum, in doctrina Euangelica, virtutis eius exemplum:* vt ait Augustinus cap. 39. lib. citati.

In eodem exemplo maximam vim inesse prædicabant ad hoc vt sanctè viuere possimus. *Nam si ante legem iustè quidam & sanctè vixisse referuntur, quantò magis post illustrationem aduentus eius nos id posse credendum est: qui instaurati per Christi gratiam* (nempe remissionis peccatorum) *& in meliorem hominem renati sumus; qui sanguine eius expiati atque mundati, ipsiusque exemplo ad perfectionem incitati iustitia, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuêre: meliores etiam quàm fuêre sub lege: dicente Apostolo, Peccatum vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia;* inquit Pelagius apud Augustinum, libro de gratia Christi, capite trigesimo octauo. 7. *Exemplum Christi præcipuè commẽdabant.* Eidémque exemplo Christi, & doctrinæ Euangelicæ pleraque tribuebant, quæ Scriptura tribuit singularissimæ Christi gratiæ: vt quòd Deus nos sibi reconciliet per Christum: hoc est, vt ipsi interpretabantur, per Christi doctrinam pariter, & exemplum. *Et doctrinã Euangelicam.* Quòd Christus nos eripiat à ventura ira, dimittendo scilicet peccatum, & doctrina sua & exemplo. Quòd detur nobis victoria per Christum, id est per crucis eius, & virtutis exemplum. Quòd caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, ad illuminandos mentis oculos, & aperiendam intelligentiam veritatis: & sic de ceteris. Quoniam autem, vt rectè illis opponebat Augustinus libro de gratia Christi, capite quadragesimo primo, exemplum Christi continetur in ipsa eius doctrina, seu lege Euangelica, respectu nostri, & eorum omnium, qui exempla illa virtutis non viderunt, sed ex Scriptura tantùm cognoscunt: ne videretur adhuc Pelagius aliam gratiam ad bene viuendum non requirere, quàm legem, seu doctrinam: addidit, vt refert idem sanctus Doctor, frustra se eo nomine infamari, cùm vltra liberum arbitrium, confiteretur & gratiam: *quam nos* (inquit) *non vt tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adiutorio confitemur. Adiuuat enim nos per doctrinam, & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat:* &, vt alibi addit; *dum nobis suadet omne quod bonum est.*

8. *Quosnam effectus gratiæ suæ tribuerent.* Quibus verbis illi suæ gratiæ quinque tribuit effectus. Primus. Quòd non tantùm externis auribus insonet: sed etiam interiùs, Spiritu sancto reuelante, & oculos mentis aperiente, ostendat quid agendum sit. 2. Quòd futura demonstret: id est, cœlestis præmij offerat promissionem, mentémque nostram futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendat. 3. Quòd diaboli pandat insidias. 4. Quòd nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminet. 5. Quòd nobis suadeat omne quod bonum est. Et hæc omnia magnificè de illa sua gratia prædicabat, vt videretur recedere à doctrina, quam in *Subdolè illam verbis extollebant.*

Concilio Palæstino speci tenus damnauerat, adiutorium Dei ad bene viuendum, in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina, cùm tamen reipsa ab illo dogmate non recederet: quia, vt rectè dicit Augustinus eodem libro de gratia Christi, capite 10. ad doctrinam pertinet quòd *futuræ gloriæ & præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinā pertinet etiam quòd sapientia reuelatur. Ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potiùs exhortari, distare aliquid videtur; etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscunque sermonibus vel literis continetur.* Hoc itaque est Dei gratiam ponere in lege & doctrinâ; & quibuscunque verbis, siue hîc, siue alibi gratiam illam exornauit Pelagius, nullo modo à verborum ambiguitate discessit, quâ discipulis suis sic posset exponere, vt nullum auxilium gratiæ credant, nisi in lege atque doctrina: ita vt ipsas quoque orationes, vt in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi vt nobis doctrina etiam diuina reuelatione aperiatur, inquit Augustinus capite 41. libri citati, nimirum vt discamus quid facere debeamus: non autem vt velimus & faciamus: ad hoc enim putat vires liberi arbitrij sufficere, absque vlla pia motione voluntatis & inspiratione dilectionis erga bonum, vel odij erga malum, per legem & doctrinam nobis ostensum.

SECTIO II.

Errauerintne Pelagiani dicentes, Legem datam esse, non solùm vt cognosceretur peccatum, verùm etiam vt caueretur.

9. *Errarunt, volentes doctrinam sufficere.*

ET grauiter quidem errauerunt Pelagiani, in eo quòd legem & doctrinam sufficere crederent ad sanctè viuendum, & seruanda Dei mandata, sine alia gratia immediatè iuuante voluntatem, & confortante vires liberi arbitrij. Qui illorum error damnatus fuit à Concilio Palæstino, proscribente hanc Celestij & Pelagij propositionem, *Gratiam Dei in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina*, vt refert Augustinus libro de gestis Pelagij, capite vndecimo. Hoc est, vt ipsemet exponit ibidem capite 15. & libro de gratia Christi, capite 40. & 41. Illam esse Dei gratiam volebant, quia sic conditi sumus, vt hoc velle possimus: & quòd adiutorium legis, mandatorúmque suorum dedit. Atque hoc qualecunque, & quantulumcunque adiutorium in eo constituebant, *quod nobis addatur scientia, reuelante Spiritu per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficilè possumus habere per naturam; vt videlicet tanquam viâ demonstratâ, quâ ambulare debeamus; iam viribus liberi arbitrij, nullo adiutorio alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via.*

10. *Lib. 5. de hæresi Pelag.*

Sed non minùs grauiter errat ipse Iansenius, cùm initio capitis quinti refert inter eorum dogmata, quòd dicerent, ambigi non posse hanc fuisse maximam causam promulgandæ legis diuinæ, vt proderetur & caueretur peccatum, quod priùs latebat: non enim, inquit, per legem prodi tantummodo peccatum, iuxta illud Apostoli, *Per legem cognitio peccati*, &, *Peccatum non cognoui nisi per legem*: sed etiam caueri volebant: quod si non fiat; non legis insufficientiâ, sed hominum culpâ contingere. Quibus verbis insinuat breuiter id quod fusiùs docet libro primo de gratia Christi Saluat. capite vndecimo, & quinque sequent. & libro tertio, capp. quinto, sexto, & septimo, hallucinari quisquis legem eo fine datam fuisse putat, vt Iudæi, eius luce eruditi, faciliùs peccata vitarent, aut per gratiam sufficientem eam seruarent, hoc enim Apostolo & Augustino è diametro contrarium est: sed vt multitudine & magnitudine peccatorum, quæ ex lege sciebantur futura, eorum superbia frangeretur. Lex enim iustitiam reddit difficiliorem, & quasi muro interposito impossibilem. Hoc ille citato capite vndecimo, quod aliis deinceps persuadere conatur. *Error Iansenij circa legem veterem.*

11. *Ostenditur absurditas illius erroris sumpti à Luthero & Caluino.*

Hunc autem absurdum & blasphemum errorem accepit à Luthero libro de seruo arbitrio, & in caput quartum epistolæ ad Galatas: & à Caluino libro secundo Institut. capite septimo, numero nono, decimo & vndecimo. Quo nihil magis absurdum dici potest, magísque blasphemum contra veterem legem, & Deum eius auctorem. Hoc enim est dicere Deum per eam prohibuisse peccata, quæ fieri volebat: eáque intentione legem tulisse, vt peccarent homines, non vt peccata vitarent. Siquidem, vt affirmat Iansenius, lex eo fine Iudæis data fuit à Deo, non vt faciliùs peccata vitarent, vel vt eam seruarent, iuuante ipsius gratia: sed vt peccata multiplicarentur, & multitudine ac magnitudine peccatorum frangeretur eorum superbia. Hoc est etiam dicere Deum præcepisse Iudæis impossibilia: si, vt ait Iansenius, non dedit illis gratiam sufficientem, sine qua lex seruari non poterat: imò nec dare potuit, nisi repugnando legis illius scopo, & intentioni quâ data fuit. Quis autem vel mediocriter sanus præcipit id, quod fieri non vult; aut seriò vult, & pro iure suo exigit, vt fiat id, quod nouit esse impossibile, negando auxilium quo fiat possibile, & vi sui præcepti, atque ex directa illius intentione, obligando se ad non præstandum auxilium necessarium? Hoc etiam est dicere Deum per legem illam necessitasse Iudæos ad peccatum, & iniustitiam: quandoquidem, vt ait Iansenius, lex reddidit iustitiam difficiliorem, & quasi muro interposito impossibilem: ac denique Deum hortantem Iudæos per se, vel per ministros suos ad iustitiam & obseruationem legis; hortatum esse ad faciendum quod sciebat esse illis impossibile; grauibúsque pœnis temporalibus, & æternis eos addixisse, quia non seruabant legem, quam neque poterant seruare, neque Deus volebat seruari; dederátque eo fine vt non seruarent, atque vt seruare non possent, negabat illis gratiam sine qua erat impossibile seruari: quippe quia, vt ipse affirmat, exhibitio gratiæ non modò efficacis, sed etiam sufficientis, repugnabat è diametro scopo illius legis, & intentioni Dei le-

gislatoris. Quo quid absurdius dici possit non video, aut magis repugnans lumini naturali, & communi conceptui, quem omnes formant naturaliter de sapientia, bonitate, & æquitate Dei.

12. *Probatur eumdem repugnare Scripturæ.* Neque minùs repugnat Scripturæ, quæ disertè contrarium docet Deuteronomij 30. vbi Deus perspicuè affirmat se legem illam dedisse Iudæis, vt facerent ea, quæ per illam iniungebantur, & vitarent peccata prohibita; eámque seruando, vitam, & salutem æternam consequerentur; contrariámque damnationem effugerent: neque illis defuturum gratiæ auxilium, quo, si velint, seruare possint. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi* (inquit de lege per Moysem data toti populo Israël) *non supra te est, neque procul positum; sed iuxta te est. Sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum:* id est, non superat vires tuas adiutas gratia; sed poteris facilè cum illa seruare, si velis; neque ad seruandum illa tibi deerit: *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum: & è contrario mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius, ac ceremonias, atque iudicia, & viuas.* Hoc est, proposui eo fine, eáque intentione præcepta mea, siue naturalia, & moralia, siue ceremonialia, siue iudicialia, vt ea serues: & non tantùm vt cognoscas quid faciendum sit, sed vt facias, & faciendo viuas. *Testes inuoco cœlum & terram, quòd proposuerim vobis hodie vitam & mortem; benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas.* Poterátne disertiùs, & maiori cum emphasi dicere Moyses, intentionem Dei esse, vt seruaretur lex quam dabat; aut potentiùs ad illam seruandam hortari?

13. *Et doctrinæ sancti Augustini.* Repugnat quoque doctrinæ Sanctorum Patrum; ex quibus sufficiet vnum Augustinum producere, cuius maximè auctoritate abutitur aduersarius, post Lutherum & Caluinum, aliósque hæreticos, eiusdem cum illo sententiæ. Sic igitur habet Augustinus libro de Natura & gratia contra Pelagianos cap. 69. *Eo ipso, quo firmissimè creditur Deum iustum, & bonum impossibilia non posse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Quod ibidem confirmat ex loco Deuteronomij paulò antè allato, & expenso. Et capite 43. eiusdem libri, *Deus impossibilia non iubet,* inquit: *Sed iubendo admonet & facere quod possis; & petere quod non possis.* Vult ergo quotiescunque præcipit, vt faciamus id, quod iubet, & consequenter ad id præbet auxilium necessarium. Et libro secundo de peccatorum meritis & remissione, cap. 6. *Dubitare non possum,* inquit, *nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse: nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo.*

14. *Et Chrysostomi.* Non possum tacitus prætererire istud aliud Chrysostomi testimonium homil. 10. in epistolam ad Romanos. Vbi exponens verba ista, *Lex subintrauit vt abundaret peccatum,* sic ait: *Particula, vt, non causam, sed euentum significat. Non enim huius rei gratiâ data est vt abundaret peccatum; sed data est vt minueretur, & de medio tolleretur. Contrarium verò accidit non ob legis naturam, sed eorum, qui illam receperunt, socordiam.* Hæc ille: quibus nihil aptiùs dici potest ad refellendum errorem Iansenij, euertendúmque præcipuum illius fundamentum.

Neque obest quod Paulus verbis à Iansenio relatis dicit, legem dedisse cognitionem peccati. Neque enim affirmat legem id solum præstitisse: neque negat aliud eius officium, cum illo non repugnans, sed optimè cohærens. Quippe quia idcirco dabat cognitionem peccati, vt caueretur quod prohibebatur. Hoc ipsúmque significat aliis locis Apostolus: vt cùm dicit capite tertio epistolæ ad Galat. veterem legem datam fuisse Iudæis, veluti pædagogum: *Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur &c.* Datur enim pædagogus ad vtrumque finem: & illius officium est, non solùm docere quid faciendum sit, sed etiam curare vt fiat; neque solùm instruere intellectum cognitione veri, sed etiam mores formare, & corrigere, ac seueriore disciplinâ lasciuientem pueritiam coërcere. *Pædagogus paruulis assignatur,* (inquit Hieronymus in commentar. eiusdem loci) *vt lasciuiens refrenetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, & ad maiores philosophiæ ac regendæ reipublicæ disciplinas, metu pœnæ coërcita, præparatur.* Similique modo lex Mosaïca data fuit Iudæis, vt eos præpararet ad altiorem disciplinam, & legem Christi: quo adueniente, non fuit ampliùs opus tali pædagogo, vt affirmat ibidem Apostolus. 15. *Lex vetus quo fine datat.*

SECTIO III.

Quid intellexerunt Pelagiani per gratiam remissionis peccatorum: quóve sensu gratuitam esse dixerunt?

RESPONDEO, per gratiam remissionis peccatorum, intellexisse gratiam quæ peccata præterita remitteret, nullo autem modo iuuaret ad ea deinceps vitanda; siue illam putarent esse meram condonationem Dei remittentis offensas sibi factas, siue aliquid positiuum & habituale, infusum animæ, quod vtrum admiserint dicemus sectione duodecima. Nam si talem gratiam admiserunt, negarunt tamen illam, siue per seipsam, siue per auxilia iure quodam naturali sibi annexa, iuuare homines contra tentationes, & occasiones peccandi. Vt enim de illis testatur sanctus Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 17. dicebant, gratiam Dei, quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est, neque natura, ad hoc tantùm valere, vt peccata præterita remittantur, non vt futura vitentur, vel repugnantia superentur. 16. *Volebant tantùm eã prodesse contra peccata præterita.*

Vnde verum esse non puto quod ait Iansenius lib. 5. de hæresi Pelagiana, cap. 6. intellexisse etiam per gratiã remissionis, extinctionem malæ consuetudinis, antea contractæ. Nam si ita esset, multum sanè profuisset, & iuuisset huiusmodi 17. *An etiam contra malam consuetudinem?*

gratia ad vitanda peccata, & vincenda repugnantia, inter quę præcipua est consuetudo peccandi, & magna propensio habitualis per eam parta. Præterquam quòd experientiâ illis manifestum erat non tolli malam consuetudinem, quando peccata remittuntur adultis illi obnoxiis, siue per baptismum, siue per aliud medium. Sentiunt enim ordinariè manere vitiosam inclinationem peccando comparatam; & si aliquando extinguitur; non tribuitur id soli remissioni, sed extraordinario Dei beneficio: Déque illa verum est, æquè ac de concupiscentia, quod ait Trid. sess. 5. can. 5. in baptizatis, & iustificatis ad agonem relinqui; nocere tamen non consentientibus, sed viriliter per IesuChristi gratiã resistentibus non posse. Adde quod, ipsi potiùs existimabant tolli malam consuetudinem per contrarios actus virtutum, ad quos sufficeret liberum arbitrium per legem, & doctrinam adiutum, vt refert ipsemet aduersarius lib. 4. de hæresi Pelagiana, cap. 13. probátque præcipuè testimoniis Pelagij in epist. ad Demetriadem, & Augustini lib. 3. contra Iulian. cap. vltimo. Quam illorum sententiam, quoad secundam partem fuisse damnatam à Concil. Palæst. liquet ex dictis præcedenti disput. sect. 5.

18. Neque obest id, quod præcipuè opponit Iansenius lib. 5. cap. 6. §. *Hanc itaque*, Iulianum aliósque Pelagianos hanc gratiam remissionis appellasse *liberatricem*: déque illa intellexisse quod ait Apost. Rom. 7. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IesumChristum:* quod ab Apostolo dictum volebat Iulianus lib. 1. Operis imperfecti, folio 82. propter consuetudinem delinquendi, à qua liberari postulabat Apostolus.

Soluitur obiectio. Respondeo enim existimasse quidem Iulianum cum ceteris Pelagianis, nos liberari à reatu peccati, relicto ex consuetudine peccandi, siue ex actibus vitiosis frequenter iteratis, per gratiam remissionis, & misericordiam Dei; ab ipsa verò consuetudine, per gratiam legis, & doctrinæ, intelligendo eo nomine internam etiam illustrationem, iuuantem ad exercendos actus contrarios. Quo etiam sensu exponebant particulam illam orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, vt refert ipse Iansenius lib. 5. c. 9. probátque ex Aug. epist. 143. dicente, hoc sensu eos orasse ne intremus in tentationem, quatenus pulsantibus nobis, aperiatur intelligentia veritatis, vti discamus quid agere debeamus.

19. *Quo sensu vellent remissionem peccatorum esse gratiam?* Difficultas autem non leuis est, quo sensu Pelagiani voluerint gratiam illam remissionis peccatorum esse verè gratiam, seu gratuitam, & dari sine meritis: vt eos sensisse testatur S. August. lib. de gratia & lib. arb. cap. 6. & patet ex dictis sect. præcedenti. Cùm è contrario docerent generaliter, gratiam dari secundùm merita: ne alioqui Deus esset acceptor personarum, vel iniquus gratiarum suarum distributor: & specialiter affirmarent, pœnitentibus veniam non dari secundùm gratiam & misericordiam Dei: ne videatur esse iniquus si peccatoribus illam det; sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. Quam vtramque propositionem damnauit Palæstina Synodus, & specie tenus duntaxat retractauit Pelagius, vt refert Augustinus lib. de gestis Pelag. cap. 11. & 13. & lib. de hæresibus, hæresi 88.

Hanc difficultatem non expedit, ac ne tangit quidem Iansenius cap. 7. lib. 5. de hæresi Pelag. cùm triplicem causam assignat, cur remissionem peccatorum gratiam esse voluerint, & dari sine meritis. Prima est, inquit, quia dabatur etiam Gentilibus illis, qui nulla legis, hoc est, ceremoniarum opera perfecerunt, sed tantummodo in Christum fide crediderunt: nam quòd crederent opera bona moralia necessaria fuisse Gentilibus ad iustificationem, constare ait ex verbis Pelagij, in caput 3. epist. ad Rom. num. 49. & aliis quæ refert. Secunda est, quia iuxta Pelagij sententiam, olim tempore legis naturæ, atque etiam Mosis, non erat necessaria illa peccatorum remissio, quæ sola fide credentibus in Christum datur: propterea quòd homines poterant per naturæ, & liberi arbitrij integritatem, totam legem custodiendo, si vellent, omnem omnino implere iustitiam. Nunc autem, quia nimia peccandi consuetudo præualuit, & legem sæpè transgredi facit, opus est remissione per fidem Christi, quæ à cuiuslibet voluntate pendet. Tertia est, quia Gentilibus ad fidem Christi conuersis nulla imponitur laboriosa pœnitentia in baptismo, per quem eis remittuntur peccata. 20. *Sententia Iansenij.*

Prima ex his causis à Iansenio assignatis, est euidenter falsa, & contra mentem Pelagianorum. Nam si remissionem peccatorum ideo dixissent esse gratuitam, & non dari ex meritis; quia datur Gentilibus ad Christum conuersis, sine obseruatione operum ceremonialium: dixissent pariter vitam æternam esse gratuitam & non dari ex meritis; quia illa quoque datur Gentilibus ad Christi fidem conuersis, sine operibus ceremonialibus. Atqui vitam æternam dari sine meritis non asserebant, sed planè contrarium: vt testatur August. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 6. vbi sic ait: *Sed cùm dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in fine, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi &c.* 21. *Impugnatur prima eius ratio.*

Secunda verò est impertinens: quia tametsi verum esset quod dicit, ostenderet solùm remissionem peccatorum esse magis necessariam post aduentum Christi: sed non ostenderet esse magis gratiam, aut gratuitam, id est, dari sine meritis. Quanquam etiam falsum est, & contra mentem Pelagianorum, dicere maiorem esse difficultatem abstinendi à peccato post aduentum Christi, propter inolitam peccandi consuetudinem ab infantia; & idcirco remissionem peccatorum nunc esse magis necessariam. Quasi verò non etiam tempore antecedenti fuerint æquè magna difficultas abstinendi à peccato, & malæ consuetudines ab infantia contractæ: aut propterea, secundùm Pelagianos, potestas resistendi malæ consuetudini, & abstinendi à peccato per vires arbitrij fuerit imminuta: cùm è contrario constans eorum doctrina fuerit, vnumquemque habere ab ortu vires integras liberi arbitrij, quæ neque propriâ, neque alterius culpâ debilitari, aut frangi possint: vt testatur D. August. lib. de natura & gratia, cap. 19. vbi Pelagium ita loquentem refert: *Primùm de eo disputandum est, quod* 22. *Refellitur secunda.*

per peccatum debilitata dicitur & immutata natura, etiam quoad libertatem, vt sentiunt Catholici contigisse per peccatum Adæ. Quod ipse postea refutat hac potissimùm ratione, quia cùm peccatum non sit substantia, non potuit humanam debilitare naturam. Libertas autem arbitrij est ipsamet hominis natura. Quæ ratio æquè concludit de peccatis cuiusque propriis, ac de peccato Adæ, vel aliorum progenitorum. Quod magis expressit Iulianus apud Augustinum lib. 2. Operis imperfecti, fol. 141. cùm sic ait: *Nos dicimus non natura statum mutari, sed meriti qualitatem: id est, & in peccante homine esse liberi arbitrij naturam* (illæsam scilicet & immutatam) *per quam potest à peccato desinere, qua fuit in eo, vt posset à iustitia deuiare.* Quare falsum est quod addit cap. cit. Iansenius, Pelagianos existimasse naturæ integritatem, & vires arbitrij fuisse maiores tempore legis naturæ, & Mosis, ideóque potuisse tunc homines totam legem custodire, si vellent, & omnem omnino implere iustitiam: nunc autem, nimia consuetudine præualente, non idem ampliùs posse. Euidentérque patet ex epistola Pelagij ad Demetriadem, quæ est 17. inter reiectas D. Augustini, quicquid ille prædicat magnificè de integritate liberi arbitrij, eiúsque viribus sufficientibus ad vitanda omnia peccata, & ad omnia virtutum exercitia, non pertinere solùm ad Patriarchas, & Prophetas, aliósque iustos legis naturæ & Mosis, sed etiam ad homines suo tempore existentes, quos hac consideratione dicebat esse ad virtutem incitandos, séque non alio fine quantæ sint vires liberi arbitrij explicare.

23. *Tertia refutatur.* Tertia causa denique à Iansenio reddita, non est melior præcedentibus, neque magis cohæret cum doctrina Pelagianorum: Nam illi non credebant vllum peccatum remitti infantibus in Baptismo: quippe quos dicebant nullo esse peccato infectos. Neque etiam adultis, si nondum actu peccauerant: si autem peccauerant; opus erat vt aliquam pœnitentiam agerent ante Baptismum, iuxta doctrinam Catholicam, non negatam à Pelagianis, & apertè traditam à Petro Apostolo Act. 2. v. 38. vbi Iudæis petentibus quid sibi faciendum esset vt ad Christum accederent, & saluarentur. *Pœnitentiam agite*, inquit, *& baptizetur vnusquisque vestrûm.* Debebant ergo esse pœnitentes, vt ad baptismum accederent. Atqui generale axioma Pelagianorum erat, *Pœnitentibus veniam dari, non secundùm gratiam & misericordiam Dei; sed secundùm merita & laborem eorum, qui digni sunt misericordia.* Generaliter quoque affirmabant, *gratiam non dari nisi secundùm merita*: atque etiam specialiter illam, quâ liberamur ab impietate, (vt fit per remissionem peccatorum) quemadmodum sensisse Pelagium, quidquid dissimulauerit in Concilio Palæstino, & constanter docuisse in suis etiam posterioribus scriptis, testatur Augustinus lib. de hæresibus, hær. 88.

24. *Improbatur alia sententia.* Non placet etiam quod aliqui dicunt: ideo Pelagium sensisse remissionem peccatorum dari gratis, & sine meritis, quia licèt non detur sine præuiis operibus, quibus ad illam disponimur; illa tamen opera non eam consequuntur sine fide in Christum, sine qua nullus in lege Euangelica iustificatur; quandoquidem iam homines aliter saluari non possunt, nisi Christi fide saluentur, vt ait Pelagius in caput 6. epist. ad Ephesios, ver. 21. fides autem Christi non habetur nisi per Euangelium. *Quomodo enim credent, in quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Rom. 10. Et Euangelium gratis à Deo datum est, gratísque prædicatur ex genere suo, & permultis annunciatur reipsa absque vlla præuia ipsorum dispositione. Ex quo capite remissio peccatorum dicitur gratis obtineri. Non placet inquam hic propositæ difficultatis expediendæ modus. Nam etiam nemo vitam æternam consequitur tempore legis Euangelicæ, sine fide in Christum: vt fatetur Pelagius verbis suprà relatis in fauorem istius sententiæ. Ergo si Pelagius voluisset remissionem peccatorum dari gratis & sine meritis, propter rationem allatam: debuisset pariter dicere vitam æternam dari gratis & sine meritis. Nam fides Christi ad vtrumque requiritur: & hæc habetur per Euangelium gratis propositum: & inter fidem, & remissionem peccatorum requiruntur aliquæ aliæ operationes, seu dispositiones, putà, contritio, vel attritio de peccatis commissis, & spes veniæ, fiduciáque de Dei misericordia per Christum obtinenda: sicut inter eandem fidem, & vitam æternam requiruntur alia opera.

Petauius tom. 3. Dogm. lib. de hæresi Pelag. c. 3. num. 9.

25. *Solutio difficultatis.* His igitur reiectis dicendum censeo Pelagium (vt sæpius testatur August.) consueuisse verborum ambagibus suos errores occultare: atque etiam interdum sententiam, vel mutare specie tenus, vel reipsa temperare, ad vitandam Episcoporum condemnationem, vel execrationem & odium Catholicorum. Atque ita cùm primò gratiam penitus negaret: deinde cœpit illam admittere, sed subdolè, & ambiguè, nomine gratiæ nihil aliud quàm liberum arbitrium intelligendo. Postea verò, increpitus à fratribus, addidit remissionem peccatorum, & legem & doctrinam, atque exemplum Christi; vt ait S. August. epist. 95. & lib. de hæresibus, hær. 88. & lib. de gratia Christi, pluribus locis. Sic igitur, quod ad præsentem difficultatem attinet, cùm primò quidem, ante Concilium Palæstinum, docuisset remissionem peccatorum non dari sine meritis præcedentibus, condignis scilicet, iuxta id, quod scripserat, pœnitentibus veniam dari non secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita & laborem eorum, qui *digni fuerint misericordia*: postea ad vitandam condemnationem, odiúmque publicum, dixit remissionem peccatorum dari sine meritis: intelligendo, *condignis*: quia opera peccatoris, quæ illam præcedunt, quæque, vt ipse putabat, solis viribus liberi arbitrij fiunt, propositâ solùm lege & doctrinâ, non sunt condigna remissione; sicut opera bona subsequentia remissionem peccatorum, & à iustis facta, censebat esse merita condigna vitæ æternæ. Adhuc verò persistebat aliquatenus in priori sententia, quatenus volebat remissionem dari pœnitentibus ex naturalibus eorum operibus, tanquam meritis congruis, ne Deus esset acceptor personarum, vel iniquus distributor suarum gratiarum. In quo semper errabat: quia nulla opera merè naturalia merentur de congruo remissionem pec-

catorum: nec quisquam potest sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque ipsius adiutorio, credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet, ad obtinendam gratiam iustificationis: vt definit Trident. sessione 6. can. 3. post Arausic. can. 4. 6. & 7.

SECTIO IV.

Quid intellexerint Pelagiani per gratiam legis & doctrinæ?

26. *Status quæstionis.* DIFFICVLTAS in eo consistit vtrum per eam gratiam intellexerint solùm legem seu doctrinam externam, an verò etiam internam illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti?

Censent aliqui intellexisse solâ doctrinam externam. Existimant plerique nihil aliud eos intellexisse per eiusmodi gratiam, nisi legem & doctrinam extrinsecùs propositam: quicquid dissimulauerit Pelagius, verbis magnificis illam extollendo. Mouentur ad id opinandum primò, quia quæcunque in contrarium proferri solent, non conuincunt admisisse Pelagium vllam gratiam verè internam, id est, quam Deus nobis immediatè inspiret interiùs: sed, si bene expendantur, ostendunt eum loqui de externa solùm doctrina, per quam Deus nos illuminat, & mysteria sua reuelat, & exempla Christi proponit, præmiáque, & pœnas, & per eadem, voluntatem ad bonum succendit.

27. *Probant ex Augustino.* Probant secundò, quia D. August. pluribus locis id docet & quidem etiam illis ipsis, quibus maximè conantur aduersarij probare contrarium: vt lib. 1. de gratia Christi, vbi postquam cap. 7. retulit verba, quibus subdolè Pelagius suam illam gratiam extollebat, vt errorem dissimulando, Catholicos deciperet. *Adiuuat enim nos*, Deus, *per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum Diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat:* his, inquam, verbis Pelagij relatis subiungit Augustinus cap. 9. *Quid iuuat Pelagium, quia diuersis verbis eandem rem dicit, vt non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adiuuari?*

28. Item cap. 10. eiusdem libri, relatis his Pelagij verbis, *Operatur in nobis Deus velle, quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & multorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei, stupentem suscitat voluntatem: dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne, quod bonum est:* subiicit Augustinus cap. 13. *Hæc gratia si doctrina dicenda est: certè sic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, nec solùm per eos, qui plantant & rigant extrinsecus*, (vt scilicet Pelagius volebat) *sed etiam per seipsum, qui incrementum administrat occultus.* Sanè, inquit Ægidius Coninc. vnus è præcipuis huius sententiæ patronis, si Pelagiani concesserunt Deum non solùm per libros, & per concionatores, similiáque obiecta externa; sed etiam per se immediatè suam doctrinam nobis interiùs inspirare, ac intelligentiam illuminare: iniuriam illis facit Augustinus, qui solum primum illis tribuit; & vt secundum fateantur, toties, ac tam importunè, quasi pertinaciter negarent, ab illis efflagitat.

Disp. 4. de Actibus supernat. dubio 4.

29. Rursus cap. 41. lib. cit. refert Augustinus Pelagium tria distinxisse: possibilitatem, voluntatem, & actionem: id est, vt ipsemet exponit cap. 47. naturam liberi arbitrij, volitionem, & operationem: affirmasséque voluntatem, & actionem nullo iuuari auxilio: possibilitatem verò iuuari lege & doctrina, præcipuéque exemplo Christi, quod propriam Christi gratiam nuncupabat: *Quod nihilominus*, inquit August. *ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica prædicatur: vt videlicet tanquam viâ demonstratâ, quâ ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamuis & ipsam viam contendat etiam solâ inueniri posse naturâ, sed faciliùs, si adiuuet gratia.* Ex his sic argumentatur auctor suprà nominatus: Cùm Pelagius gratiam præcipuam, & Christi propriam constituerit in solo Christi exemplo, quod patet non esse gratiam nobis interiùs inspiratam, sed extrinsecùs propositam: manifestum est nullam eum gratiam internam agnouisse, sed extrinsecam tantùm doctrinam: Idémque sæpius testatur alibi sanctus ille Doctor, vt epist. 95. vbi de Pelagianis sic loquitur. *Illam confiteantur apertissimè gratiam: quam doctrina Christiana demonstrat, & prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua saluatur natura: non auribus sonante doctrina, vel aliquo adiumento visibili, sicut plantatur quodammodo, & rigatur extrinsecùs; sed subministratione spiritus, & occultâ misericordiâ, sicut facit ille, qui dat incrementum, Deus.*

30. *Idem dicût de Semipelagianis.* Addit Ægidius eadem disput. dub. 5. non aliam quoque Semipelagianos agnouisse gratiam, nomine legis & doctrinæ: Idque probat ex Fausto Rhegiensi, lib. 1. de lib. arb. cap. 17. vbi verba illa Christi, *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, sic exponit: *Numquid velut insensibilis vel inepta materies, de loco ad locum mouendus est & trahendus? Sed assistenti & vocanti Domino famulus manum fidei quâ trahatur, ostendit, & dicit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, iudicium comminari, præmium polliceri?* Et Cassian. collat. 13. cap. 13. & tribus sequentibus, totam Dei gratiam in eo ponit, quòd per externam vocem nos vocauerit, per Prophetas, per Scripturas, per Concionatores, similésque modos externos; aut magna bene operantibus præmia polliceatur & retribuat: quòd tentationes auertat, vel moderetur, ne supra vires nostras grauemur: quòd vim dæmonis cohibeat, ne sæuiat quantum vult. Quare licèt verbo tenus Pelagium damnauerint, & necessitatem veræ gratiæ profiteri se simulauerint: reuera tamen idem cum illo hac in parte senserunt. Ideóque Prosper in epist. de lib. arbitrio ad Ruffinum, ita de illis ait: *Intellectum est enim, saluberriméque perspectum, hoc tantùm eos de gratia confiteri, quòd*

quædam libero arbitrio sit magistra: seque per exhortationes, per legem, per doctrinam, per creaturas, per contemplationem, per miracula, pérque terrores extrinsecùs immissos, iudicio eius ostendat: quo vnusquisque secundùm voluntatis suæ motum, si quæsierit, inueniat; si petierit, accipiat; si pulsauerit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius vocatio hoc solum circa nos agit, vt nostræ facultatis arbitrium admoneat: nec aliud sit gratia, quàm lex, quàm prophetæ, quàm doctrina, cui circa omnes homines per mundum vniuersum commune & generale sit studium, vt qui voluerint, credant; & qui crediderint, iustificationem merito fidei & bonæ voluntatis accipiant.

31. *Contraria sententia.* His non obstantibus, alij ex diametro oppositi censent Pelagianos veram internam gratiam inspirationis diuinæ admisisse. Inter quos est Iansenius lib. 5. de hæresi Pelagiana cap. 9. vbi id probat ex Pelagij verbis, suprà relatis, quibus dixit nos multiformi & ineffabili dono gratiæ illuminari, & cordis nostri oculos aperiri & sapientiam reuelari: in cuius reuelationis exemplum producit Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 10. relatis ibidem his Pelagij verbis, altissimam illam reuelationem, quæ Apostolo Paulo data fuit. Hæc autem sine dubio intus, non foris facta est, Deo intrinsecùs manifestante veritatem. Quod quia non sufficit ad bene operandum, petit August. cap. 24. vt fateantur non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, (vt fatebantur Pelagiani, & sufficere credebant) sed etiam bonas voluntates. Denique ob eandem causam dicebat Pelagius orandum esse vt ne intremus in tentationem; teste Diuo Augustino epist. 143. & lib. de gratia Christi cap. 41. vt scilicet *nobis aperiatur intelligentia veritatis, vt discamus quid facere debeamus: item vt nobis doctrina etiam mandatorum, diuina reuelatione aperiatur, & Spiritu sancto reueletur.* Quibus verbis, *etiam diuina reuelatione aperiatur, & Spiritu sancto reueletur*, manifestè reuelationem hanc, tanquam internam, opponit externæ, quæ ab homine forinsecùs fieri potest. Idque confirmat in Commentario cap. 2. prioris epist. ad Corinthios, vbi hæc Pauli verba, *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum*, sic exponit: *Nobis, qui fide meruimus Spiritum Dei accipere, qui nobis voluntatem eius ostendit.* Addi potest, quod eidem Pelagio dicit August. lib. de gratia Christi, cap. 26. *Cogitationem, & electionem, sicut sunt discernenda, discernat: quia scientia inflat, caritas ædificat: & cùm sit vtrumque donum Dei, sed vnum minus, alterum maius: non sic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum, quod minus est, diuino tribuat adiutorio: quod autem maius est, humano vsurpet arbitrio.* Quibus verbis asserit Pelagium, cogitationem bonam Deo tribuere velut eius inspiratori.

32. *Intellectus tripliciter iuuari potest à gratia.* Existimo distinctione vtendum esse. Tripliciter enim intelligi potest Deum iuuare intellectum gratiâ legis & doctrinæ. Primò, extrinsecà tantùm eius propositione: vt contendit prima opinio. Et hoc falsum esse, puto satis euinci argumentis allatis in fauorem secundæ sententiæ. Probant enim sufficienter Pelagium & eius asseclas internum aliquid agnouisse: nimirum interiorem illustrationem, & reuelationem doctrinæ per Spiritum sanctum aperientem cordis oculos, & non tantùm externos corporis oculos vel aures sensibiliter afficientem. Secundò, hæc interior illuminatio duplex intelligi & esse potest. *Interior illuminatio duplex esse potest.* Vna, ex parte obiecti tantùm, per meliorem illius applicationem, quâ videlicet Spiritus sanctus meliùs proponat & exponat intellectui veritatem, cui de reliquo ipse viribus solis naturalibus assentire sinatur. Altera, ex parte causæ, id est, ex parte ipsiusmet intellectus, qui diuino spiritu, & auxilio gratiæ corroboretur, & eleuetur ad meliùs intelligendum & assentiendum, eliciendo actum nobiliorem, quàm possit solis naturæ viribus, circa obiectum tali modo propositum.

Ex his duobus modis illuminationis, priorem tantùm probant argumenta adducta in fauorem secundæ sententię, illúmque fateor à Pelagianis admissum fuisse. 33. *Qualem admiserint Pelagiani.* Secus autem posteriorem. Vt colligo primò, ex eo quòd, sicut testatur Prosper verbis suprà relatis, ex epistolâ de libero arbitrio, Pelagiani nihil aliud tribuerent illi gratiæ legis & doctrinæ, quàm præstare officium magistri, qui proponit & exponit discipulis, quæ ab illis intelligi & fieri vult, relinquens de cetero viribus naturalibus ingenij cuiusque, vt ea percipiat quoad potest; neque immediatè intellectum eorum adiuuans vt meliùs percipiat. *Probatur ex Prospero admisisse tantùm illam ex parte obiecti.* Secundò, id perspicuè docere mihi videtur Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 3. vbi sic ait de Pelagio. *Nam gratiam Dei, & adiutorium, quo adiuuamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio: aut lege atque doctrina. Vt videlicet cùm adiuuat Deus hominem vt declinet à malo, & faciat bonum; reuelando & ostendendo quid fieri debeat, adiuuare credatur: non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, vt id quod faciendum esse cognouerit, faciat.* & lib. de spiritu & litera, cap. 2. de iisdem hæreticis ita loquitur: *Sed aiunt, ideo illa sine ope diuina non fieri, quia & hominem Deus creauit cum libero voluntatis arbitrio: & dando præcepta ipse docet quemadmodum homini sit viuendum: & in eo vtique adiuuat, quòd docendo aufert ignorantiam, vt sciat homo in operibus suis quid euitare, & quid appetere debeat, quò per liberum arbitrium naturaliter insitum, viam demonstratam ingrediens, continenter & iustè, & piè viuendo, ad beatam, eandémque æternam vitam peruenire mereatur.* Vbi vides Pelagianos solam doctrinæ propositionem tribuere gratiæ: assensum autem intellectui, & consensum voluntati, solis viribus naturalibus vtrumque relinquendo.

Idem etiam ex eo colligo, quòd cùm Pelagius, vt suprà relatum fuit ex Augustino lib. de gratia Christi, cap. 41. & 47. tria ista distinxisset: possibilitatem, voluntatem, & actionem: 34. *Idem probatur ex D. Augustino.* id est, naturam liberi arbitrij, complectentem quicquid ad liberè agendum est naturaliter necessarium, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis: volitionem, siue consensum & affectum liberum voluntatis: & operationem, siue ipsius operis executionem. Volebat quidem possibilitatem diuino iuuari auxilio per legem & doctrinam exteriùs propositam, & diuinitus etiam reuelatam interiùs: hoc est,

intellectum & voluntatem instruit veri & boni cognitione: eatenúsque iuuari ad exercendas bonas operationes, & vitanda peccata, quatenus illi meliùs Spiritus sancti ope, diuináque reuelatione proponuntur & applicantur obiecta, circa quæ possit volitionẽ, & operationem exercere. Ipsam verò volitionem, & actionem non egere Dei auxilio: id est, non esse opus vlla gratia, quæ immediatè influat & cooperetur ad eiusmodi actus, potentiámque volendi & operandi iuuet atque corroboret: quippe quæ sola sibi sufficit ad volendum & agendum. Verba Diui Augustini cap. illo 41. hæc sunt: *Tria illa constituit Pelagius: possibilitatem, voluntatem, actionem. Et solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio. Voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio existimat indigere. Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam sancto Spiritu reuelari, propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ etiam prophetícis fuisse temporibus: adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica prædicatur: vt videlicet tanquam viâ demonstratâ, quà ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis* &c.

35. *Et ex Concilio Palæstino.* Eodem pertinet illa Pelagij, & Celestij propositio, damnata in Concilio Palæstino, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate vnusquisque habet facere aliquid, vel non facere.* Quia scilicet gratiæ internæ necessitatem immediatè iuuantes voluntatem ad liberè operandum, repugnare credebant ipsius libertati. Non minorem autem putabant esse vim intellectus, & sufficientiam ad assentiendum doctrinæ diuinæ sibi propositæ, & præstandum ex parte sua quod ad liberam operationem requiritur. Quare nec internam illam gratiam ad iuuandum intellectum admittebant, nec vllos actus in entitate supernaturales, saltem in statu viæ: hoc est, tales, vt quoad speciem, & substantiam suam non possint elici solis naturæ viribus, & sine concursu superioris causæ eleuantis. Item, vt refert August. epist. 107. cùm exprimeret modum Pelagius, quo Deus facit vt bene operemur; dicebat Deum per legem suam, & per Scripturam operari vt velimus. Et in epist. ad Demetriadem, virginem illam exhortans ad sanctitatem, totus est in commendanda illa gratia legis & doctrinæ, & consideratione exemplorum Christi, aliorúmque id genus, quasi veræ gratiæ: concludens cap. 27. *Tunc senties quantum ad eius amorem adiuuet te sapientia, quantum sit in te diuinæ legis auxilium.*

36. *Soluuntur argumenta primæ sententiæ, quoad Pelagianos.* Ad primum argumentum pro prima opinione allatum numero 26. Respondeo contrarium satis patere ex verbis Pelagij & Augustini relatis numero 31. in fauorem secundæ sententiæ. Ad secundum dico, Augustinum cit. cap. 9. libri de gratia Christi, nihil aliud affirmare nisi quòd Pelagius persisteret semper in suo errore de legis & doctrinæ gratia: quódque ille dicebat de reuelatione (per illuminationem videlicet se tenentem ex parte obiecti ad meliorem eius propositionem & declarationem) ad doctrinam quoque pertinere. Nam hoc etiam est docere, & idem præstare (sed meliùs aut immediatiùs) quod præstant libri scripti, aut Doctores, aut concionatores. Ad tertium, respondeo D. Augustinum postulare à Pelagianis vt fateantur doctrinam diuinam non solùm nobis reuelari exteriùs, aut interiùs: sed etiam iuuari intellectum & voluntatẽ per gratiam internam immediatè influentem in assensum intellectus, & consensum voluntatis: iuxta id, quod ait eodem libro de gratia Christi, cap. 11. *Nos eam gratiam volumus aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo, non solùm promittitur, verùm etiam creditur, & speratur: nec solùm reuelatur sapientia, sed verùm etiam & amatur: nec suadetur solùm omne, quod bonum est, verùm & persuadetur.*

Ad quartum respondeo, Pelagium gratiam Christi propriam constituisse in exemplo Christi, non exteriùs tantùm proposito per doctrinam Euangelicam, aut per concionatores; sed etiam interiùs per Spiritum sanctum reuelato, meliúsque proposito. Ad quintum, dico Augustinum verbis illis velle vt Pelagius apertè fateatur non naturâ solâ, & libero arbitrio, aut legis & doctrinæ exteriùs propositæ per eum, qui plantat aut rigat, vel etiam interiùs per Spiritum sanctum meliùs explicatæ, auxilio, fieri bonum, quod agimus; verùm etiam opus esse subministratione virtutis, & occultâ misericordiâ, quâ Deus incrementum dat: id est, quâ influit in assensum, & consensum, mouétque immediatè vt voluntariè assentiamus & consentiamus: atque ita interiùs suadet, vt persuadeat: ita mouet sensum, vt accommodet assensum; quemadmodum dicit alibi idem Augustinus epistola 107. ad Vitalem. 37.

38. *Et quoad Semipelagianos.* Ad sextum respondeo, Faustum non excludere internam reuelationem, quâ meliùs proponantur Scripturæ consolationes, quibus excitemur; & increpationes, quibus deterreamur &c. quamuis neque expressè includat. Fortassis etiam non in eo consentit cum aliis. Neque enim omnes Pelagiani, aut etiam Semipelagiani consenserunt in omnibus. Cassianus verò collat. 3. c. 4. sic ait. *Inspiratio quædam* (Dei) *in cor immissa dormientes ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat, Deúmque sequi, & eius inhærere præceptis compunctione saluberrima cohortatur.* Prosper denique ideo dicit velle Semipelagianos, non aliud præstare gratiam, quàm fungi officio magistri: quia siue exteriùs tantummodo proponatur doctrina, in qua gratiam Dei constituebant: siue etiam interiùs, id totum facit in modum magistri, seu doctoris, ostendendo, & explicando intellectui, quod de cetero viribus suis cognocat.

39. *Diluuntur argumenta secundæ sententiæ.* Ad argumenta verò secundæ opinionis respondeo nihil proferri, quod non possit explicari commodè iuxta distinctionem à nobis datam num. 32. Et probare quidem satis efficaciter agnouisse Pelagianos gratiam internam reuelationis, se tenentem ex parte obiecti: at non alteram se tenentem ex parte causæ, & influentem immediatè ad meliorem intelligentiam nobilioremque assensum circa obiectum propositum.

SECTIO V.

Quo ſenſu Pelagius admiſerit, aut negauerit, gratiam dari ad ſingulos actus: quídve intellexerit per adiutorium poſſibilitatis, voluntatis, & actionis?

40. INTER errores obiectos Pelagio, & damnatos à Concilio Palæſt. vnus fuit, *Gratiam Dei & adiutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina.* Quâ obiectione, & condemnatione ſignificauit Synodus, iuxta doctrinam Catholicam, huic errori oppoſitam, fatendum eſſe, quòd vltra liberum arbitrium, & legem, atque doctrinam, neceſſarium ſit aliud genus gratiæ, quod ad ſingulos actus bonos, & ſalutares exercendos, vires ſuppeditet, ita vt ſine illo exerceri non poſſint.

41. *Fraudulenter illam tantùm admiſit.* *Quid per eam intelligeret?*

Hunc errorem ſuum eſſe negauit Pelagius in eodem Concilio, & anathematizauit eos, qui ſic docerent, aut ſentirent: vt videre eſt apud Auguſt. lib. de geſtis Pelag. cap. 11. Verùm, vt poſtea declarauit, nomine illius gratiæ Dei ad ſingulos actus neceſſariæ, & à libero arbitrio, atque à lege, & doctrina diſtinctæ, non intellexit aliquam ſubminiſtrationem virtutis, vt ſcilicet Catholici ſentiunt: ſed duntaxat memoriam remiſſionis peccatorum iam obtentæ, cuius nos oportet meminiſſe, vt ne ampliùs peccemus: & intuitum exemplorum Chriſti, quæ debemus imitari: & aſſiduam conſiderationem legis atque doctrinæ diuinæ, vt eam ſeruemus, iuxtáque illam noſtras omnes actiones dirigamus: quemadmodum de eo refert Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 2. Quare non niſi ſpecie tenus receſſit à dogmate, quod in Concilio Palæſtino damnare viſus fuerat: vt rectè obſeruauit idem S. Doctor cap. 3. lib. citati: reipſáque negauit auxilium gratiæ de nouo dari ad ſingulos actus, per modum virtutis in illos influens, viréſque naturales corroborans ad faciendum bonum, & declinandum à malo: ad quod putabat naturam ipſam ſufficere.

42. *Volebat ſolam poſſibilitatem iuuari.*

Eadémque de cauſa dicebat ſolam naturæ poſſibilitatem gratiâ iuuari: non autem voluntatem, & actionem: id eſt, volitionem, & operationem: vt teſtatur ibid. Auguſt. *Cùm enim* (inquit de Pelagio) *tria iſta conſtituat atque diſtinguat, quibus mandata diuina dicit impleri: poſſibilitatem, voluntatem, & actionem: poſſibilitatem ſcilicet, qua poteſt homo eſſe iuſtus*, id eſt, iuſtè rectéque viuere: *voluntatem, qua vult eſſe iuſtus: actionem, quâ iuſtus eſt: Horum trium primum, id eſt, poſſibilitatem datam confitetur à Creatore naturæ, & nec eſſe in noſtra poteſtate, ſed eam nos habere, etiamſi nolimus. Duo verò reliqua, id eſt, voluntatem & actionem, noſtra eſſe aſſerit, atque ita nobis tribuit, vt non niſi à nobis eſſe contendat. Denique gratiâ Dei non iſta duo, quæ noſtra omnino vult eſſe, id eſt, voluntatem, & actionem; ſed illam, quæ in poteſtate noſtra non eſt, & nobis ex Deo eſt, id eſt, poſſibilitatem perhibet adiuuari: tanquam illa, quæ noſtra ſunt, hoc eſt, voluntas & actio, tam ſint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum; vt diuino adiutorio non indigeant: illud verò, quod nobis ex Deo eſt, hoc eſt, poſſibilitas, tam ſit inualidum; vt ſemper gratiæ adiuuetur auxilio.* Hæc ibi D. Auguſtinus, qui paulò poſt cap. 5. idem, & iiſdem ferè verbis repetit, alibíque ſæpius inculcat.

43. *Et poſſe tantùm, eſſe per Dei gratiâ: velle & agere, noſtrum eſſe.*

Conſequenter verò dicebat Pelagius, cùm tria ſint, poſſe iuſtum eſſe, velle iuſtum eſſe, & reipſa iuſtum eſſe: primum iſtorum trium, quòd ſcilicet poſſimus iuſtè viuere, eſſe Dei, qui poſſibilitatem illam dedit nobis gratuitò, iuuátque modo ſuprà explicato: reliqua duo noſtra eſſe, quia ad rectè volendum, & agendum nullo indigemus eius auxilio: neque Deus nos adiuuat, vt velimus & agamus; ſed vt velle, & agere poſſimus: *Vt generaliter vniuerſa complectar*, (inquit Pelagius apud Auguſt. lib. de gratia Chriſti, cap. 14.) *quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donauit, qui hoc poſſe adiuuat. Quod verò bene, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt, qui hæc omnia vertere etiam in malum poſſumus.*

44. *Damnatur ab Arauſicano.*

Hunc illius errorem damnauit Arauſic. can. 7. anathematizans eum, qui dixerit poſſe per naturæ vigorem, ſine auxilio gratiæ cogitari, vel expeti, aut eligi bonum aliquod ad ſalutem vitæ æternæ pertinens. Contrà quàm Chriſtus ait Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: & Apoſt. 2. Corinth. 3. *Non quod idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et can. 9. *Diuini muneris eſt cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bene agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur, operatur.* Et can. 25. addit per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuiſſe liberum arbitrium, *vt nullus poſtea, aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum, & miſericordia diuina preuenerit*; per actuale videlicet auxilium: quia iam amiſſo dono integritatis naturæ, non ſufficit, vt antea, liberum arbitrium cum virtutum infuſarum habitibus.

45. *Quid ſint adiutorium poſſibilitatis, voluntatis, & actionis iuxta Ianſenium.*

Eſt autem adiutorium poſſibilitatis (inquit Ianſen. lib. 5. de hæreſi Pelagiana cap. 11.) adiutorium, quo ipſa poſſibilitas, vt loquitur Pelagius, id eſt, potentia naturalis adiuuatur, & roboratur, vt vel omnino poſſit, vel faciliùs poſſit velle, aut agere. Datur enim, vt ſit quoddam ſupplementum potentiæ non ſatis inſtructæ ad agendum. Adiutorium verò voluntatis, & actionis, eſt (inquit) illud, quo voluntas neceſſitatur ad volendum, & agendum: ſeu, quo fit vt velimus, & agamus neceſſariò & ineuitabiliter. Hoc enim ſibi volunt, quæ fusè de natura huius auxilij dicit toto illo cap. 11. déque differentia inter huiuſmodi adiutoria: quam affirmat eſſe quadruplicem. Prima eſt, quia adiutorium poſſibilitatis eſt adiutorium actus primi: adiutorium autem voluntatis, & actionis, eſt adiutorium actus ſecundi. Illud enim facit vt voluntas poſſit velle, & agere. Iſtud autem facit vt velit, & agat. Secunda eſt, quòd adiutorium poſſibilitatis eſt indeterminatum ad velle, & non velle: ad agere, & non agere. Adiutorium autem voluntatis, & actionis, nunquam à voluntate, & actione ſeparatum eſt: nimirum quia eſt ad hoc vnum determinatum, & non poteſt fruſtrari ſuo effectu. Eſtque notandum, adiutorium

rium possibilitatis semper esse tale, siue agat, siue non: sicut potentia semper est potentia, etiam tunc cùm agit. Neque enim mutat naturam suam, sed influit per modum potentiæ. Tertia differentia est, quia adiutorium possibilitatis est simile adiutorio *sine quo non*, in eo quod, istud quoque dat tantummodo posse, neque eo fit, vt reipsa velimus & agamus. Ab illo tamen differt per negationem, quæ importatur nomine adiutorij *sine quo non*. Dicitur enim auxilium possibilitatis, quamuis non sit tale, vt simpliciter necessarium sit, adeo vt sine illo res fieri nequeat: neque Pelagius tale volebat esse auxilium possibilitatis, quod admittebat ad vitandum malum, & faciendum bonum, vt sine illo vtrumque per vires liberi arbitrij fieri non posset, saltem priusquam nimis inualuisset peccandi consuetudo. Adiutorium autem voluntatis, & actionis est planè simile, vel potiùs idem cum adiutorio *quo*: quippe quo posito, necessariò ponitur ipsa volitio, & actio, fitque vt velimus, & agamus: iuxta doctrinam D. Aug. lib. de Cor. & grat. c. 12. Quarta denique, & capitalis differentia est, quòd adiutorium possibilitatis arbitrio voluntatis humanæ ita in agendo, & non agendo subiectum, & attemperatum manet; vt ab eius nutu pendeat, & quodammodo expectet voluntatis determinationem, quâ ad agendum applicetur, vel otiosum maneat: sicut habitibus vtimur, cùm volumus. Adiutorium autem voluntatis, & actionis, non ita illi subiacet; sed è contrario ipsam volũtatem determinat ad volendum, & agendum, eámque sibi subiicit.

46. *Eiusdem impostura circa controuersiam de gratia.* His ita expositis, & suppositis à Iansenio sine maiori probatione, dicit de hoc secundo genere adiutorij, contentionem fuisse inter Augustinum, partes Ecclesiæ Catholicæ agentem, & inter Pelagianos, qui cùm auxilium possibilitatis admitterent, adiutorium illud voluntatis, & actionis execrabantur. Primò, quia per illud (vt ipsi quidem existimabant) tolleretur vsus liberi arbitrij: quippe quod si ad bene agendum suppeditetur, non potest voluntas non bene agere: &, si non suppeditetur, non potest bene agere. Dicitur enim hoc adiutorium esse necessarium ad singulos actus bonos, adeóque sine illo non posse bene agi. Secundò, quia inducit coactionem, & fatalem quandam necessitatem. Quippe quod voluntatem, quamuis reluctantem, ad volendum adigit: & non pendet à voluntate vt habeatur, aut non habeatur: sed à Dei beneplacito, qui dat quando, & quibus vult, neque expetentibus, neque cogitantibus, sæpè etiam reluctantibus, & aduersus ipsam gratiam cor obstinatissimum gerentibus. Illo autem dato, volumus, & agimus necessariò: non dato, velle, & agere non possumus: cùm, vt suprà vidimus, ad omnes, & singulos actus bonos necessarium dicatur esse eiusmodi auxilium. Quare per illius præsentiam adstringimur necessitati volendi, & agendi: per absentiam verò, necessitati non volendi, & non agendi. Tertiò, quia tale genus gratiæ securitatem, & inertem negligentiam affert. Tum quia illud adiutorium non promiscuè commune esse statuitur, sed ex puro Dei pendere beneplacito, vt largiatur cui volet: *Spiritus* enim *vbi vult, spirat*, Ioan. 3. & *diuidit singulis, prout vult*, 2. Corinth. 12. Vnde sequi videtur, nihil aliud debere hominem facere, quàm expectare cœlitus gratiam, velut *aquæ motionem*. Tum etiam quia, cùm illud voluntatis, & actionis adiutorium dare dicatur ipsam voluntatem, & actionem, nihil opus esse videtur, vt nos conatibus nostris ad volendum, agendúmque connitamur. Hoc enim ipsius gratiæ opus est: & si quis aliquid agit, si petit, si quærit, si pulsat; hoc ab illa gratia præueniente, & necessitante fieri debet. Quartò denique, quia tale adiutorium tollit rationem laudis, & meriti ac mercedis ab humanis operibus. Neque enim nobis, qui necessariò agimus, sed soli Deo laus boni operis, & corona debebitur: quippe qui illud per suam gratiam operatur in nobis. Illi etiam soli culpa imputanda erit, quando malè agimus: quippe qui gratiam illam ad bene agendum peccatúmque vitandum necessariam, & vires sufficientes non suppeditauit.

Quæ omnia argumenta, inquit Iansenius, manifestum faciunt contentionem fuisse inter Augustinum, & Pelagianos, non de adiutorio possibilitatis, pendente à nutu libertatis humanæ; sed de adiutorio voluntaris & actionis, determinante, & necessitante voluntatem ad volendum & agendum. Neque enim adeo stupidi erant Pelagiani, neque in mentem hominis sani venire potest opinio, vel suspicio, quòd adiutorium possibilitatis subiacens arbitrio voluntatis, vt agat, vel non agat, & expectans liberam illius determinationem, quâ applicetur ad operandum si velit, adimat illi vsum libertatis, & coactioni fatalique necessitati illam subiiciat, gignat ignauiam, & inertem securitatem, laudémque, & meritum atque mercedem bonis operibus eripiat. Hinc etiam tacitè infert Iansenius id, quod alibi clariùs exprimet, Theologos Catholicos, qui cum Tridentino negant gratiam necessitantem, versari in errore Pelagianorum. Nam quæcunque tandem auxilia admittant libertatem vtendi, vel non vtendi relinquentia; illa sunt tantùm adiutoria possibilitatis: non autem voluntatis seu volitionis, & actionis. Neque illis fit vt velimus, & agamus necessariò, eo ipso quod dantur: sed tantùm vt velle, & agere possimus, si volumus. Quod quidem auxilium admittebant Pelagiani: aliud verò negabant, & propter hoc ab Ecclesia damnati sunt. 47. *Confirmatur.* *Altera impostura.*

Notat autem cap. 14. Monachos Adrumetini Monasterij in Africa, incidisse in eandem, atque Pelagianos, opinionem; quâ libertatem humanam per talem gratiam, tam præsente quàm absente illius adiutorio, prorsus extingui putabant, moti iisdem argumentis, quibus Pelagiani. *Illud tamen*, inquit, *inter vtrosque discrimen est, quòd Pelagiani, ne libertas tolleretur, talem gratiam sustulêre: Adrumetini, vt salua maneret talis gratia, libertatem. Nempe quia illi hæretici erant, inimici crucis Christi. Isti Catholici, qui quidlibet sibi tolli mallent, quàm gratiam Dei.* Mirare, Lector, hominis iudicium, dignámque tali Doctore sententiam. Quasi verò non æquè sint hæretici, qui libertatem negant, vt gratiam seruent: quàm qui gratiam negant, vt libertatem adstruant. Et Ecclesia non æquè proscripserit velut hæreticos, Lutheranos, & Caluinistas, & ceteros, qui prætextu gratiæ commendandæ libertatem homini eripuerunt; atque Pelagianos, qui prætextu seruandæ libertatis, necessitatẽ gratiæ sustu'erunt. 48. *Inepta eius ratiocinatio.*

SECTIO VI.

Ostenditur contentionem Augustini cum Pelagianis, non fuisse de gratia necessitante.

49. *Contentio Augustini cum Pelagio, non fuit an gratia necessitet, sed an sit necessaria.* NEQVE verò minùs hallucinatur in eo quod affirmat contentionem Diui Augustini cum Pelagianis fuisse de adiutorio voluntaris & actionis, quale suprà descripsit: tali scilicet, vt voluntatem ad volendum, & agendum necessitet antecedenter, neque subsit eius arbitrio, vt eo vtatur, vel non vtatur. Contrà quàm semper Ecclesia docuit, & Tridentinum contra errorem Lutheri, & Caluini à Iansenio renouatum, definiuit sess. sexta, capite quinto, & can. 4. Non fuit, inquam, inter Augustinum, & Pelagianos, aut etiam Semipelagianos contentio, num auxilium gratiæ tale sit, vt voluntatem determinet, & necessitet ad consensum: sed vtrum ad omne opus bonum, bonámque voluntatem, quæ ad salutem vitæ æternæ pertineant, necessarium sit auxilium diuinæ gratiæ, distinctum à libero arbitrio, quod *possibilitatem* Pelagius appellabat; & à lege atque doctrina, quâ possibilitatem adiuuari affirmabat, non vt possit simpliciter, sed vt faciliùs possit: nam vires naturales arbitrij ad posse simpliciter sufficere credebat.

50. Hoc ita esse patet euidenter ex plurimis Augustini locis, quibus hæresim Pelagianorum, & suam cum illis contentionem describit: idque non solùm in prioribus libris, sed etiam in postremis, quos contra Pelagianos exarauit. Quod quia maximi momenti est ad totam Iansenij doctrinam euertendam, & capitalem eius imposturam detegendam, fusiùs & accuratiùs demonstrandum est.

51. *Probatur ex D. Augustino.* In primis ergo Pelagianam hæresim ita describit Augustinus in libris de peccatorum meritis, & remissione, quos primos contra illam edidit: *Sunt quidam*, inquit libro secundo, capite 2. *tantum præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, vt ad non peccandum nec adiuuandos nos diuinitus opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio.* Vbi manifestè vides accusari Pelagianos, non quòd auxilium necessitans negarent, admisso tantùm adiutorio repudiabili, & cui voluntas dissentire possit: sed quòd nullum adiutorium gratiæ necessarium esse dicerent ad non peccandum, sufficiente ipsomet libero arbitrio. Idémque dicebant de facultate bene agendi, omniáque Dei mandata seruandi. Et illud Apostoli, *Quid habes, quod non accepisti?* quo probatur bonas voluntates, bonáque opera esse ex auxilio gratiæ, eludebat, dicendo, ideò quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse; quia hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset. *Cùm verò vt sit aliquid, atque vt homo sit, non habeat nisi à Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quidquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset, nisi esset in quo esset:* vt refert idem S. Doctor cap. 18. libri cit. subtiliter addens, inde sequi malam quoque voluntatem, maláque hominis opera Deo tribuenda esse; quia non essent, neque fierent, nisi homo esset, & nisi à Deo accepisset esse.

52. Idem S. Doctor in epist. 94. eandem hæresim rursus ita describit: *Noua quædam hæresis, inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exurgere: sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est: hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, vt hoc solùm ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus; & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Ceterùm ad eadem mandata seruanda & implenda, nullo diuino adiutorio nos egere.* Vbi rursum vides nullam fieri mentionem gratiæ necessitantis, sed auxilij gratiæ necessarij ad seruanda mandata, distincti à libero arbitrio, & à lege Dei, seu doctrinâ.

53. Deinde, cùm Pelagius, ad vitandum odium Catholicorum, simularet se profiteri necessitatem gratiæ ad bene operandum, fraudem illius detegens Augustinus, dicit nullum aliud auxilium gratiæ ab ipso admitti, quidquid dissimulet, nisi liberum arbitrium, & legem atque doctrinam, quâ continetur etiam exemplum Christi, remissionémque peccatorum, cuius memoria iuuet ad non peccandum, vlteriùs: non autem internum auxilium, quod voluntati immittatur, & cum illa immediatè in volitionem, & actionem influat. *Nam gratiam Dei*, inquit de Pelagio, lib. de gratia Christi, cap. 3. *& adiutorium, quo adiuuamur ad non peccandum, aut in natura, & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina. Vt videlicet cùm adiuuat Deus hominem, vt declinet à malo, & faciat bonum; reuelando, & ostendendo quid fieri debeat, adiuuare credatur: non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, vt id, quod faciendum esse cognouerit, faciat.* Et cap. 5. eiusdem libri, dicit totum dogma Pelagij expressum in libro eius tertio pro libero arbitrio, in eo consistere, quòd possibilitatem quidem vellet diuino iuuari auxilio per legem & doctrinam: voluntatem autem & actionem, *nullo indigere Dei auxilio: & ideo non adiuuet vt velimus, non adiuuet vt agamus, sed tantummodo vt velle, & agere valeamus.* Itaque error Pelagij non erat, quòd voluntatem, & actionem iuuari diceret aliquo auxilio repudiabili, & non determinante: sed quòd nullo auxilio indigere crederet, atque à nobis, solis naturæ viribus, hæc duo esse vellet, supposita lege & doctrina, quâ iuuaretur possibilitas, id est, liberum voluntatis arbitrium.

54. *Confirmatur aliis eius testimoniis.* Præterea, cùm Pelagius, vt errorem suum meliùs occultaret, verbis magnificis suum illud adiutorium extolleret, peteretque vt legerentur, quæ de illo scripserat, vt intelligeretur falsò sibi imponi, quòd negaret necessitatem gratiæ: reponit Augustinus, se illa omnia diligenter, & attentè legisse, nihilque reperisse, quod ipse non posset exponere suis discipulis de lege & doctrina, quâ possibilitatem naturæ volebat adiuuari: vt videre est capite sexto, septimo, decimo, & 41. eiusdem libri de gratia Christi. Et capite 47. ita concludit. *Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, vt bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quan-*

do bene vult, & bene agit: si vt dixi, consenserit etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari: & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus; eámque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersia relinquetur. De hoc igitur erat tota contentio, quoad gratiam auxiliantem, inter Augustinum & Pelagium, vt fateretur voluntatem, & actionem ita diuino egere auxilio, vt sine illo nihil bene velimus, & agamus: prætérque legem & doctrinam admittendum esse aliquod auxilium voluntatis, & actionis. Quod certissimum est, admittitúrque ab omnibus Catholicis, licèt gratiam antecedenter necessitantem cum Tridentino reiiciant, & Lutheranis Caluinistisque eam relinquant. Itaque Augustino satisfaciunt, & cum illo consentiunt, qui gratiam ad volendum, & agendum necessariam esse fatentur: licèt non satisfaciant Iansenio, & Caluino, volentibus vlteriùs, vt gratiam necessitantem admittant.

55. Similiter libro quarto contra duas epist. Pelagian. c. 6. impugnans Iulianum iam ad Semipelagianismum declinantem, & abutentem verbis illis Isaiæ, *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, quasi illis significaretur meritum nostræ voluntatis præcedere gratiam, quæ vi illius detur: sic de illo & aliis Pelagianis pronunciat: *Si intelligerent, quod dictum est, si volueritis, vt etiam ipsam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo scriptum est, Præparatur voluntas à Domino, tanquam Catholici vterentur hoc testimonio, & non solùm hæresim veterem Manichæorum vincerent, sed nouam Pelagianorum contererent. Quid eis prodest, quod in laude ipsius liberi arbitrij gratiam dicunt adiuuare vniuscuiusque bonum propositum? Hoc sine scrupulo acciperetur Catholicè dictum, si non in bono proposito meritum ponerent, cui merito iam merces secundùm debitum, non secundùm gratiam redderetur: sed intelligerent, & confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adiuuat gratia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gratia.* Itaque tunc etiam hæresis Pelagiana circa gratiam non consistebat in eo, quòd negaret talem esse efficaciam gratiæ, qualem esse volunt Iansenius & Caluinus: ita scilicet vt necessariò trahat voluntatem ad consensum, illique resisti non possit: sed in eo, quòd negaret gratiam esse necessariam ad ipsum etiam bonum propositum concipiendum, & gratis dari sine nostris præcedentibus meritis.

56. Ad hæc, cùm in libro de Correptione & gratia, capite duodecimo scripsisset Augustinus, Adamo datum fuisse adiutorium sine quo non poterat perseuerare; sed non quo perseueraret: nunc verò sanctis in regnum Dei electis dari auxilium, non modò quo perseuerare possint, sed etiam quo nonnisi perseuerantes sint: & donum illud perseuerantiæ suppliciter emereri posse, contumaciter amitti non posse: ex quibus verbis nonnulli suspicati erant Augustinum introducere aliquod auxilium antecedenter necessitans ad perseuerandum: vt Prosper, & Hilarius ei significarunt in epistolis ad eum scriptis, & præfixis libro de Prædestinatione Sanctor. Respondet August. capite sexto libri de bono perseuerantiæ, quem inter postremos scripsit; non illum esse sensum suum, neque se tale aliquod donum perseuerantiæ admittere, quod vi sua faciat necessariò perseuerare: sed quod dixit, perseuerantiam non posse contumaciter amitti, intelligendum esse de perseuerantia in actu secundo completa, & iam actu posita; quæ non potest non esse, aut non fuisse, ex suppositione quòd sit, aut quòd fuerit: ideóque non potest amitti. Eodem sensu intelligendum est, quod ait loco citato de Correptione & gratia, adiutorium datum perseuerantibus, & electis in regnum Dei, agere electos indeclinabiliter & insuperabiliter: in actu secundo scilicet, & ex præsuppositione euentus futuri, à Deo præsciti, qui per talia auxilia perducit electos infallibiliter ad regnum suum.

Et denique, vt sexcenta alia præcedentibus similia prætercam: in libro de hæresibus, quem vltimum, aut ferè vltimum scripsit, vt testatur Isidorus libro de viris illustribus, capite nono, ideóque illius non meminit in libris Retract. quippe quia nondum illum scripserat, quando opera sua sub finem vitæ recognouit: in illo, inquam, libro de hæresibus, hæresi 88. affirmat, Pelagianorum errorem fuisse, quòd primò dicerent hominem sine gratia seruare posse omnia Dei mandata. Deinde verò addidisse gratiam, vt hoc faciliùs posset: *Ad hoc tantùm adiuuante Deo per suam legem, atque doctrinam, vt discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus: non autem ad hoc, per donum Spiritus sancti, vt quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari scientiam confiterentur, quo ignorantia pellatur, caritatem autem dari negarent, qua piè viuitur.* 57.

Ex his omnibus Sole clariùs liquet, contentionem D. Augustini cum Pelagianis de auxilio gratiæ, non fuisse de gratia necessitante; sed de necessitate gratiæ ad bonas volitiones, & operationes: déque admittendo aliquo auxilio gratiæ præter liberum arbitrium, & legem atque doctrinam: gratiæ, inquam, propriè dictæ, & sine præuiis meritis naturalibus collatæ, influentísque in ipsam volitionem, & actionem: vt ab illis postulat Augustinus, verbis relatis: & quod in posttemis etiam suis libris eos negasse affirmat.

Idem secundò patet euidenter ex eo quòd si Diuus Augustinus cum Pelagianis contendisset de gratia necessitante: debuisset sæpiùs in eo insistere, idque disertè exprimere: quod certè nunquam fecit, vt patebit ex solutione argumentorum Iansenij. Quinetiam ipsemet contra seipsum pugnasset; fuissétque in errore, de quo Pelagianos reprehendisset, & damnasset. Euidenter enim affirmat Augustinus pluribus locis, atque etiam in libris contra Pelagian. auxilium gratiæ Christi, quo ad Deum trahimur, & cuius ope bene volumus & agimus, esse tale vt non imponat necessitatem voluntati, possitque illi resisti. Sic enim ait l. 2. contra literas Petiliani, c. 84. *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahit ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio: fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum est: sed intellectu* 58. *Altera probatio efficax.* *Augustinus docet gratiam non necessitare.*

hoc percipere pauci valent. Et libro de spiritu & lit. cap.34. *Misericordia Dei,* inquit, *praeuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire nostræ voluntatis est.* Et libro 83. quæst. q. 68. dicit non omnes à Deo vocatos ad cœnam Euangelicam venire: sed si non veniunt, debere sibi tantùm id tribuere; quia vt venirent, erat in libera eorum voluntate: id est, poterant consentire auxilio gratiæ, cui restiterunt. Et libro primo ad Simplic. q. 2. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset, & cucurrisset Dei adiutorio peruenisset, qui etiam ei velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptâ, reprobus fieret.* Et lib.3. de lib. arb. cap.1. generaliter affirmat, non fore laudandum hominem propter bona opera, quæ cum auxilio gratiæ facit, neque culpandum propter mala, nisi vtraque faceret ex electione, liberè ad hoc, aut illud se mouendo, cum potestate ad oppositum. *Motus quo huc aut illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate; neque laudandus, cùm ad superiora; neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, vt istis neglectis, æterna vellet adipisci; atque vt malè nollet viuere, vellet autem benè.* Nimirum quia vt idem ait lib. 83. quæst. q. 24. *nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam iuste potest, qui nihil fecerit propria voluntate.* Similia dicit libro de natura & gratia, cap. 65. vt mox videbimus.

59. *Idem docet Hieronymus, & Prosper.* In idem vitium incidisset alter Pelagianorum impugnator præcipuus, D. Hieronymus, qui libro secundo contra Iouinianum, capite secundo sic affirmat: *Liberi arbitrij nos condidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.* Quam sententiam refert, & approbat velut certissimam notissimámque D. August. libro de natura & gratia, capite 65. & libro 3. dialogi contra Pelagian. *Hoc est,* (inquit idem Hieronym.) *quod tibi in principio dixeram, in nostra esse potestate, vel peccare, vel non peccare: vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium.* Itaque gratia, ex mente Augustini & Hieronymi, non necessitat ad bonum, sed potestatem eligendi relinquit. Et Prosper, insignis Augustini discipulus, fideíque Catholicæ contra Pelagian. & Semipelag. defensor, libro secundo de vocat. Gent. capite 12. *Quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri,* (inquit) *eorum meritis deputetur, quorum potuit id voluntate non fieri.* Et capite 26. *Quòd à multis refutatur gratia, ipsorum est nequitia. Quòd à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humana.* Et in respons. ad sextum cap. Gallorum affirmat, *ineptissimè dici prædestinationem Dei siue ad bonum, siue ad malum, in hominibus operari, vt ad vtrumque homines quadam necessitas videatur impellere.* Fieríne potest, vt quisquam sibi persuadeat Patres citatos in illis etiam libris, quos ediderunt contra Pelagianos fuisse in illo ipso errore, de quo cum illis contendebant, & propter quem illos velut hæreticos tantopere insectabantur? Omnino vel insanos, vel stupidos esse oportet, qui hoc sibi persuadent.

SECTIO VII.

Idem probatur de contentione D. Augustini cum Semipelagianis.

QVòd verò neque etiam contentio D. Augustini cũ Semipelagianis fuerit de gratia necessitante, vt fingit Iprensis, non minùs facilè, & perspicuè probari potest: quia, vt rectè obseruauit vir eruditissimus Franciscus Annat. disp. 3. de scientia media c.4. §. 4. non potest meliùs intelligi, quæ fuerit inter eos controuersia circa gratiam auxiliantẽ, quàm ex propositione quæstionis disputandæ, & ex illius disputationis conclusione. Atqui ex vtroque patet totum hoc negotium fuisse non de gratia necessitante voluntatem; sed de necessitate gratiæ ad omnem bonam volitionem & operationem. Ergo, &c. Maior est euidens. Minor rectè probatur ab auctore citato ex initio lib. de Præd. Sanct. scripti occasione contentionis, contra illum susceptæ à Semipelag. vt patet ex eodem lib. & ex epist. Prosperi, & Hilarij ei præfixis. Nam initio prædicti lib. de Præd. Sanct. totam quæstionem à Semipelag. motam, sic breuiter proponit, & hoc verbo comprehendit, *Gratiam dari secundùm merita nostra:* id est, aliquod meritum nostrum præcedere omnem gratiam. Quale meritum dicebant Semipelagiani esse initium fidei, quódque velimus sanari, & opem medici petamus, & quæramus. Propter quod addit c. 2. *Priùs itaque fidem, quâ Christiani sumus, donũ Dei esse debemus ostendere.* Cap. verò 20. & 21. eundem lib. concludit: *Multa diximus, & fortasse iam dudum potuimus persuadere quæ volumus: & adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur, quasi obtusis, quibus & quod nimium est, non est satis. Sed dent veniam: noua enim quæstio ad hoc nos compulit. Quia cùm in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimoniis egissemus, donum Dei esse etiam fidem: inuentum est, quod contradiceretur, ad hoc valere illa testimonia, vt ostendant donum Dei esse incrementum fidei: initium verò fidei, quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei: sed hoc exigere Deum, vt cùm id præcesserit, cetera tanquam hoc merito consequantur, quæ Dei dona sunt, &c. Quod videtis quàm sit absurdum.* — 60. *Contentio Augustini cum Semipelagianis, non fuit de Gratia necessitante.*

Hæc igitur erat noua quæstio à Semipelagianis mota, non vtrum gratia voluntatem ad consensum necessitet; sed vtrum etiam ad ipsum fidei initium necessaria sit: & an initium fidei ita sit ab homine, vt non sit etiam donum Dei gratuitum. Propter quod ait immediatè pòst Augustinus, *Institimus quantùm potuimus, vt etiam ipsum initium fidei, donum Dei esse ostenderemus. Quod si & diutiùs fecimus, quàm fortasse vellent hi, propter quos fecimus: hinc ab eis reprehendi parati sumus: dum tamen, etsi multò diutiùs, quàm vellent, etsi cum fastidio, ac tædio intelligentium; fateantur nos fecisse, quod fecimus: id est, etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, iustitiam, pietatem, & cetera de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse.* — 61. *Sed an gratia sit ad credendum necessaria, & ad initium salutis.*

Simili modo concludit librum sequentem de Bono perseuerantiæ, eâdem occasione scriptum: in quo vlteriùs probandum susceperat ipsam quoque perseuerantiam donum Dei esse. 62.

Satis (inquit c. 24.) *docuisse me existimo, vel potiùs plusquam satis, dona Dei esse, & incipere in Dominum credere, & vsque in finem in Domino permanere.* Quorum primum præstitit præcedente lib. de Prædest. Sanct. secundum verò in hoc lib. de Bono perseuer. Et paulò pòst significat se nihil aliud ab illis petere & optare, nisi vt fateantur gratiam ad ipsum etiam initium fidei necessariam esse, nec sine illa quenquam posse saluari, eámque gratis à Deo dari, sine prærio merito. *Oremus,* inquit, *dilectissimi, oremus vt Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximéque fratribus & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri post ingentem, & ineffabilem ruinam, quâ in vno omnes cecidimus, neminem nisi gratia Dei liberari: eámque non secundùm merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari.*

63. *Probatur ex Prospero.* Idem secundò rectè probat auctor suprà citatus, ex epistola Prosperi ad Augustinum, scriptâ ex occasione contentionis Semipelagianorum: vbi postquam eorum doctrinam fusiùs exposuit: quicquid in illa vitiosum videbatur, quódque optabat ab Augustino refutari, sic breuiter comprehendit. *Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur: si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit,* (antecedenter ad omnem gratiam) *non ideo quia adiuuatur, velit: si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipsô inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex eo, quod ipse donauerit: tribue nobis in hac causa, Papa beatissime, Pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro, vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire.* Eò igitur, iuxta Prosperum, reducebantur omnes Semipelagianæ virulentiæ fibræ: ad quas stirpitus eradicandas, non aliud requirebatur, quàm fateri internum, veræ propriéque dictæ gratiæ auxilium necessarium esse ad omne opus bonum pertinens ad salutem. Quod qui fatetur, & credit, non malè collocat in homine principium salutis, non impiè præfert humanam voluntatem diuinæ, vt ideo quis adiuuetur per gratiam, quia priùs voluit naturæ viribus: & non ideo quia adiuuatur, velit: non malè credit acceptionem boni, inchoari à semetipso, & non à Deo summo bono: nec aliunde se Deo placere putat, nisi ex eo, quod Deus donauerit.

64. *Occurritur obiectioni.* Neque obest, quòd paulò pòst, inter quæstiones, quas hac occasione Prosper ab Augustino explicari postulat, istam secundo loco ponat, *Quomodo per istam gratiam præoperantem, & cooperantem, liberum non impediatur arbitrium?* Hoc enim postulat, non quia Diuus Augustinus cum illis contendebat de gratia necessitante, ad quam confitendam vellet eos adigere: sed quia Pelagiani, & Semipelagiani existimabant impediri libertatem arbitrij per ipsam gratiæ necessitatem, quocunque tandem modo diceretur esse efficax: ideóque non contra certum quendam efficaciæ modum, sed contra ipsam gratiæ necessitatem pro tuenda libertate pugnabant. Hoc etiam luculenter ostendit auctor suprà laudatus §. 3. adductis pluribus ad id probandum Augustini, Prosperi, & Hilarij, aliorúmque veterum testimoniis. Nobis sufficiet pauca illustriora proferre. Cuiusmodi est istud sumptum ex epist. 106. Diui Augustini ad Paulinum: vbi dogma Pelagianorum hoc refert, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Idemque testatur Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem, vbi Pelagianum ita loquentem inducit: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget.* Et libro secundo Dialogi contra Pelag. sic eundem interrogantem refert: *Quomodo seruas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse, nisi semper Deus adiuuerit?*

Et libro secundo ad Bonifac. capite quinto, affirmat Augustinus existimasse Pelagianos, asserere necessitatem gratiæ merita nostra præuenientis, nihil esse aliud, quàm fatalem quandam necessitatem inducere. Quem errorem ita refutat: *Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, qui nullis hominum meritis, Dei gratiam dicimus antecedi.* Et inferiùs: *Verùm hic se satis isti aperiunt: cùm enim propterea nobis calumniantur, dicentes, nos fatum gratiæ nomine asserere, quia non secundùm merita nostra dari dicimus Dei gratiam: procul dubio confitentur, quòd ipsi eam secundùm nostra merita dari dicunt.* Et cap. sexto. *Itáne verò filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, & noui hæretici Pelagiani, quisquis dicit gratiâ Dei omnia hominis bona merita præueniri, neque gratiam Dei meritis dari, ne non sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur, fatum vobis videtur asserere?* 65. *Pelagiani existimabant necessitatem gratiæ repugnare libertati.*

Cúmque Semipelagiani hunc errorem Pelagij retinerent: & tamen faterentur gratiam esse necessariam ad continentiam, patientiam, pietatem, sapientiam, & alia huiusmodi; quod de fide confiteri recusabant: arguit illos inconstantiæ doctrinæ idem S. Doctor, libro de Bono perseuerantiæ, capite decimo septimo, his verbis: *Cur ergo & ipsi nobiscum prædicant dona Dei esse sapientiam, & continentiam? Quòd si hæc cùm dona Dei esse prædicantur, non impeditur hortatio, quâ homines hortamur esse sapientes, & continentes: quæ tandem causa est, vt existiment impediri exhortationem, quâ exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere vsque in finem?* id est si non obstante necessitate gratiæ, liberi sumus ad sapientiam, & continentiam amplectendam; ideóque vtiliter exhortationes ad illam adhibentur: non obstat gratiæ necessitas ad fidem concipiendam, & retinendam, quò minùs liberum id nobis sit, vtilibúsque adhortationibus ad illud incitemur. 66.

Quòd autem in eodem errore versarentur Semipelagiani, constat euidenter ex epistola Prosperi suprà citata, vbi inter eorum errores hunc refert: *Remoueri omnem industriam, tollíque virtutes, si Dei constitutio* (de gratia danda) *humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Et Hilarius in altera epistola ad Augustinum, præfixa libro de Prædestinatione Sanctorum, refert affirmasse, *excludi omnem prædicandi vigorem, si nihil, quod per ipsum excitetur, remansisse dicatur in hominibus: esséque inutilem illam exhortandi con-* 67. *Idem credebant Semipelagiani.*

suetudinem: hoc est, vt addit Hilarius paulò pòst, nisi homines naturæ viribus possint velle & credere, se à suo morbo sanari posse. *Ad hoc enim esse liberum arbitrium, vt velit, vel nolit admittere medicinam:* præueniendo scilicet gratiam: quod si non possit, liberum minimè sit, frustráque illi exhortatio adhibeatur.

68. *Altera obiectio diluitur.* Non obest 2. quòd Hilarius in eadem epistola dicit Semipelagianos ægrè tulisse, quod scripserat Augustinus in lib. de Correptione & gratia: ita distingui gratiam, quæ primo homini data est, ab ea, quæ nunc datur: vt ille acceperit perseuerantiam (id est gratiam ad perseuerandum) non qua fieret vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc verò sanctis, in regnum Dei per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ detur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint: atque hoc donum perseuerantiæ posse quidem suppliciter emereri; sed non posse contumaciter amitti. Quibus Augustini verbis ita mouebantur Semipelagiani, (inquit ibidem Hilarius) vt dicerent quandam desperationem hominibus inijci, tollique vtilitatem exhortationis, & comminationis, quæ pertinent solùm ad eam voluntatem, *quæ & persistendi, & desistendi obtinet liberam potestatem: non ad hanc, cui nolle iustitiam ineuitabili necessitate coniunctum est,* si nimirum tali gratia destituta est; & contrà, vult iustitiam ineuitabiliter, si tali gratiæ adiutorio præueniatur.

69. Respondeo enim hanc Semipelagianorum opinionem ortam esse ex peruersa verborum Augustini intelligentia, vel parum attenta consideratione eorum, quæ ipsi obiiciebant: cùm de re ipsa, déque sententia ipsius bene intellecta non possent dubitare: ideóque nulla esset inter eos, nisi de vocum significatione dissensio. Hoc ita esse patet ex responsione Augustini ad Hilarium, quæ habetur capite 6. libri de Bono perseuer. quâ disertè significat, se per donum illud perseuerantiæ, non intelligere aliquod donum gratiæ vnum, aut multiplex, quod vi sua necessitet ad perseuerandum, cuique ineuitabili necessitate coniuncta sit perseuerantia; & quod qui obtinent, non habeant liberam persistendi, & desistendi potestatem: sed quod dixerat, donum perseuerantiæ contumaciter amitti non posse, fierique per illud, vt ij, quibus datur, non modò possint perseuerare, verùm etiam vt non nisi perseuerantes sint; intelligendum esse de impossibilitate tantùm consequente ex præsuppositione ipsius actualis perseuerantiæ, ex qua fit, vt non possit non perseuerare, quicunque perseuerat: quia cùm nemo possit perseuerare simul, & non perseuerare; impossibile est vt non perseueret, supposito quòd perseueret: id est, fieri non potest vt componat perseuerantiam cum non perseuerantia. Id ita esse tam perspicuè liquet ex ipsis Augustini verbis citato cap. 6. vt non egeat interpretatione.

70. *Satisfit tertiæ obiectioni.* Non obstat denique, quòd interdum S. ille Doctor in concertatione cum Pelagianis, & Semipelagianis, affirmat auxilium gratiæ efficacis habere aliquam infallibilitatem in obtinendo consensu voluntatis, quam agit indeclinabiliter, & ineuitabiliter. Nam aliud est, insinuare aliquid, obitérque attingere: & aliud, de eo disputare. Primum concedimus, & vt alibi exposuimus, loquitur Augustinus de infallibilitate consequente ex præscientiâ euentus conditionatè præsciti, non ex vi ipsius auxilij præcisè sumpti. Secundum autem negamus, & testimoniis iam adductis ad probandum non ita esse, addi potest, prædestinationem, seu præparationem gratiæ, pro qua contra Semipelagianos pugnabat S. ille Doctor; & de qua conilianda cum nostra libertate inter eos cõtrouertebatur, non esse aliam, nisi illam ex qua sequitur initium fidei; & perseuerantiam vsque in finem, esse donum Dei: & gratiam non dari secundùm merita: vt manifestè liquet ex lib. de Bono perseuer. cap. 17. vbi affirmat, prædestinationis definitione à se datâ, & Scripturæ testimoniis probatâ, subuerti illum tantummodo errorem, quo dicitur gratia secundùm merita nostra dari, vt qui gloriatur non in Domino, sed in seipso glorietur. Et cap. 20. prope finem. *Quid autem coëgit*, inquit, *loca scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Et cap. 21. *Si autem vtrumque donum Dei est* (initium fidei & perseuerantia) *& hæc Deus dona sua, quod negare quis potest? daturum se esse præsciuit: prædestinatio prædicanda est. vt possit vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundùm merita nostra datur, insuperabili munitione defendi.* De illa ergo prædestinatione disputatio erat, quâ fit vt initium fidei, & omne aliud opus bonum ad salutem pertinens, incipiat à gratia sine vllo merito præcedente initium fidei, aut primę vocationis, & per solas naturæ vires elicito: non autem de illa, per quam decernatur, aut exhibeatur gratia huius naturæ, vt vi sua necessariò, & ineuitabiliter voluntatem ad consensum pertrahat. Quo autem sensu dicat interdum S. Aug. vt lib. de Corrept. & gratia cap. 12. auxilium, quod nunc datur sanctis, & electis ad regnum Dei, non dare solùm possibilitatem, sed & ipsam actionem: neque tantùm facere vt possimus, sed etiam vt faciamus, exponemus inferiùs disp. 22. vbi de gratia Christi Saluatoris sermo erit.

Ad id verò, quod opponit Iansenius, sępiúsque inculcat, Pelagianos, & Semipelag. nõ adeo fuisse 71. *Quarta obiectio refutatur.* stupidos (quippe quorum ingenia, vt ait Augustinus, erant aëria, & velocia) vt existimauerint gratiam efficacem, qualem nos esse volumus, relinquentem scilicet voluntati facultatem ad cõsentiendum, aut dissentiendum, vt libuerit, repugnare libertati, eiúsque vsum tollere: Respondeo hæreticos illos existimasse necessitatem internæ motionis voluntatis ad consensum, de qua illis erat cum Augustino controuersia, ideo repugnare vsui libertatis; quia credebant voluntatem non esse liberam, nisi per se vtrumque possit: vt suprà vidimus ex Hieronymo, & Augustino: non potest autem per se vtrumque, si debet necessariò præmoueri vt possit velle, & agere, quod bonum est. Neque mirum videri debet, aut incredibile Pelagianos difficultatem hac in re passos esse: cùm etiam nunc, post tam longam, & exactam discussionem tot eruditissimorum subtilissimorúmque Do-

ctorum, reperiantur ingenio & doctrina præstantes Theologi, qui putent necessitatem concursus diuini cum voluntate, stare non posse cum libertatis exercitio: atque non leues rationes ad hoc persuadendum adducant: quas fideliter retulit, & diluere conatus est Martinonus tom. 1. disput. 34. sect. 4. & sequentibus.

72. *Difficultas conciliandi necessitatem gratia cum libertate.* Item non est facilius conciliare libertatis vsum cum gratia efficaci, vt tali; quàm cum præscientia Dei de futuris à libertate creaturæ pendentibus: à qua præscientia pendet certitudo & infallibilitas gratiæ efficacis; iuxta doctrinam Theologorum, qui de illa meliùs sentiunt. Atqui libertatis creatæ conciliatio cum illa Dei præscientia, non est adeo facilis, vt multi præclaro licèt ingenio, & doctrina præditi, non parum in ea laborauerint olim, & adhuc magnam patiantur difficultatem: vt videre est tum apud Augustinum lib. 5. de Ciuitate, cap. 9. & 10. & in tribus libris de libero arbitrio. præcipuè lib. 3. cap. 2. tum etiam apud recentes philosophiæ, & Theologiæ scriptores, vbi disputanr de veritate, aut de præscientia futurorum contingentium. Et hæc difficultas adeo grauis est, vt ipsi principes philosophiæ, ac Theologiæ, Aristoteles & D. Thomas eam satis feliciter expedire nequiuerint: sed vterque veritatem determinatam liberè futurorum negauerit, ne veritas illa eorum contingentiæ, & & libertati causarum præiudicaret. Refert etiam D. August. lib. de bono perseuerantiæ, cap. 15. monachum quendam in suo monasterio adeo turbatum fuisse illâ præscientiâ futurorum; vt exhortationes, & correptiones veluti inutiles reiiceret, eò quòd alius esse non posset, neque aliter facere, quàm Deus præsciuit: & eò denique adductum, vt monasterio vitæque religiosæ valedixerit.

73. Denique idem S. Doctor clarè affirmat difficultatem istam in eo positam fuisse: quomodo gratia diuina nos præueniat, moueátque, & trahat ad consensum: & tamen nobis liberum sit eam sequi, vel non sequi: quod vtrumque verum esse disertè asserit, & quæstionem eo modo proponit lib. 2. contra literas Petil. cap. 84. cuius verba retulimus numer. 58. aliisque locis expresè affirmat gratiam illam non inferre voluntati necessitatem consentiendi: vt lib. de natura & gratia, cap. 65. & lib. de gratia & lib. arbit. cap. 2. & 4. ita gratiæ efficaciam cum libertate conciliat, vt antecedentem necessitatem agendi penitus excludat, prolatis quamplurimus ad id probandum Scripturæ testimoniis, quæ apud ipsum legi poterunt, & à nobis alibi referentur.

SECTIO VIII.

Confirmatur doctrina præcedens ex Conciliis contra Pelagianos & Semipelagianos celebratis.

74. *Nullũ Concilium eos damnauit eò quòd gratiam necessitatem negarent.* QVOD diximus initio sectionis præcedentis, & ex ipsomet Augustino probauimus, contentionem ipsius & Ecclesiæ cum hæreticis illis non fuisse de gratia necessitante, quasi verò damnati fuerint, eò quòd illam reiicerent: non minùs euidenter probari potest ex Conciliis contra eosdem hæreticos celebratis: in quorum nullo fit mentio talis erroris: neque vllus canon contra illum editus fuit. Nullúsque omnino profertur ab aduersariis, neque proferri potest. Atqui si de illo errore, præcipua fuisset Ecclesiæ cum illis contentio, vt fingit Iprensis; debebat ille præcipuè notari, & damnari: ac sicut multi canones editi sunt contra errorem, quo negabant gratiam Dei necessariam esse ad singula opera bona, & tam ad initium, quàm ad incrementum fidei, bonarúmque omnium volitionum, & operationum: ita certè error iste præcipuus multis eorum canonibus damnatus, & anathematizatus fuisset. Quis enim sibi persuadeat Ecclesiam in eiusmodi Conciliis, vel non vidisse in quo præcipuè consisteret sua cum illis hæreticis contentio: vel de illa terminanda tam parum sollicitam fuisse; vt ne canonem quidem vnum circa illam ediderit?

Hoc autem ita se habere, non potest meliùs probari, quàm inductione. In primo igitur Episcopali iudicio Carthagine habito contra Celestium, damnatus quidem ille fuit, quòd negaret peccatum originale: diceretque Adam mortalem factum, & moriturum fuisse, tametsi non peccasset: & infantes in illo statu nasci in quo Adam erat ante præuaricationem: & alia quædam, quæ refert Augustinus lib. de gestis Pelagij & lib. de peccato originali cap. 1. & seqq. sed nullum planè verbum de gratia necessitante.

In Concilio Palæstino, seu Diospolit. in quo paulò pòst Pelagius errores suos dissimulanter retractauit, isti quoad gratiam auxiliantem, eiúsque necessitatem, fuerunt illi obiecti, & à Synodo proscripti: Gratiam Dei, & adiutorium non ad singulos actus dari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina: &, Gratiam secundùm merita nostra dari: &, Non esse liberum arbitrium si Dei indiget auxilio: &, Victoriam nostram non esse ex Dei adiutorio. Coactúsque fuit Pelagius fateri gratiam Dei & adiutorium etiam ad singulos actus dari, & non dari secundùm merita nostra: esséque liberum arbitrium, etiamsi diuino indigeat auxilio: & quando contra tentationes dimicamus, non ex nostra voluntate, sed ex Dei adiutorio prouenire victoriam: vt refert Augustinus lib. de gestis Pelagij. At verò neque obiectum illi fuit, quòd negaret gratiam necessitantem: neque postulatum vt illam admitteret. 75. *Probatur de Carthaginensi.*

In Concilio Carthaginensi, paulò pòst Synodum Palæstinam habito, accusatur & damnatur Pelagius, quòd diceret, *Humanam sibi ad vitanda peccata, & seruanda Dei mandata sufficere posse naturam*; rogatúrque Pontifex summus, à Patribus eiusdem Concilij per epistolam Synodalem, vt damnet generaliter omnes id affirmantes. Quæ epistola est 90. inter Augustinianas, vbi postquam retulerunt Pontifici errorem Pelagij & Celestij in eo versari, quòd nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Christiani sumus: sed in eo Dei gratiam deputandam esse velint, quòd talem hominis instituit, creauítque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, siue naturaliter in corde conscriptam, siue in literis da- 76. *Et de Palæstino.*

tam: eandémque legem ad gratiam pertinere, quòd illam Deus in adiutorium hominibus dedit: his inquam relatis, orant Pontificem, vt auctoritate Sedis Apostolicæ anathematizet adeo pestiferum, & exitialem errorem: consideréque quid ex illo sequatur: nempe tolli, & inutilem reddi partem illam orationis Dominicæ, quâ Deum precamur, vt ne nos inducat in tentationem, sed liberet nos à malo: aliásque preces, quibus auxilium Dei, ad vitandum peccatum, & ad bene agendum postulamus. Quibus respondens qui tunc Sedem Apostolicam tenebat Innocentius epist. 91. apud D. Augustinum, & eorum sententiam approbans, ita concludit: *Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quo dicat adiutorio nobis non opus esse diuino; inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficio profitetur ingratum: nec nostra communione sunt digni, quam prædicando talia polluerunt.*

78. *Et de Mileuitano.* Idem postea exemplo Concilij Carthaginensis fecerunt Episcopi Numidiæ, in Concilio Mileuitano congregati, qui similiter ad Innocentium scripserunt Synodalem epistolam, numero 92. inter Augustinianas: rogantes, *vt magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam adhibere dignetur. Noua quippe hæresis, & nimiùm perniciosa tentat surgere, inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: isti dicunt posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire; vt ei non sit iam necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra. Illud verò, quod sequitur, Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam diuinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis: tanquam frustra Apostolus dixerit, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: &, Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id, quod potestis &c.* Quibus rescribens Pontifex epist. 93. inter Augustinianas, laudatâ primùm illorum sollicitudine in ouibus sibi commissis ab errore præseruandis, & à luporum incursibus; dicit *nihil acerbius in Deum fingi potuisse, quàm quod dicunt Pelagiani, hominem sibi posse sufficere, nec gratia egere diuina: quâ priuatus necesse est diaboli laqueis irretitus succumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat.*

79. In eodémque Concilio eduntur 8. primi canones contra errores Pelagij, (nisi potiùs sunt Concilij Carthagin. sub Zozimo celebrati) quibus anathematizatur. Primò; qui dixerit Adam mortalem factum, & moriturũ fuisse, quamuis non peccaret. Secundò, Et qui dixerit paruulos non trahere ex Adamo aliquid peccati, quod regenerationis lauacro expietur. Tertiò, Et qui dicit gratiam, quâ iustificamur per Iesum Christum, valere quidem ad remittenda peccata, quæ iam commissa sunt, non autem ad iuuandum vt non ampliùs committantur. Quartò, Vel gratiam Dei propter hoc tantùm nos iuuare ad non peccandum, quòd per eam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, & quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. Quintò, Et qui dixerit ideo nobis gratiam iustificationis donari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam. Sextò, Et qui illud Ioannis Apost. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, sic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humanitatem non oportere dici nos non habere peccatum: non quia veritas est, sequitur enim Apostolus, & adiungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & iustus, qui remittat nobis peccata &c.* Septimò, Et qui negauerit Sanctos etiam pro seipsis dicere, *Dimitte nobis debita nostra*. Quod idem statuitur sequenti canone octauo. De gratia verò necessitante quæ sit ad volendum, & bene agendum necessaria, nihil penitus in hoc Concilio, vt neque in aliis suprà citatis dicitur.

Cúmque Pelagius libellum suæ confessionis vnà cum epistola, quâ se ab hæresis labe purgare nitebatur, misisset ad Innocentium, Summum Pontificem: in eáque confessione dixisset, *Liberum sic confitemur esse arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Iouinianis asserunt hominem non posse peccare. Vtrumque enim tollit libertatem arbitrij. Nos verò dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur arbitrij. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus.* Zozimus, qui Innocentio mortuo successerat, non aduertens Pelagium nihil aliud intelligere per auxilium diuinæ gratiæ, necessariæ ad singula bona opera, quàm legem & doctrinam: eum Catholicè sentire pronunciauit: grauitérque per literas reprehendit Herotem, & Lazarum, Africanósque Episcopos, à quibus accusatus, damnatúsque fuerat. Ergo iudicio Zozimi Catholicè sentiunt, qui gratiam sic admittunt, vt liberum seruent arbitrium: liberum, inquam, libertate indifferentiæ, de quo nemo negat locutum fuisse Pelagium, quódque verba eius relata satis apertè significant. Ergo euidenter falsum est, præcipuum illius errorem, & causam contentionis cum Ecclesia fuisse, quòd negaret gratiam necessitantem, tollentem vsum libertatis indifferentiæ. 80. *Confirmatur ex iudicio Zozimi Papæ.* Vide Baron. ad ann. 417.

Rursus, cùm Episcopi Gallicani, & presbyteri Ecclesiæ Massiliensis nonnulla ab Augustino scripta contra Pelagianos improbarent, velléntque declarari, quid de controuersia, occasione illorum excitata, teneret Sedes Apostolica, cuius se definitionibus stare velle profitebantur: hanc ob causam Cælestinus Pontifex scripsit epistolam ad Episcopos Galliæ, quâ dicit se diligenter inquisiuisse quid de illa statuissent prædecessores sui: deindéque subiungit decem articulos, à Sede Apostolica definitos, & à nobis integrè relatos disput. 2. numero 24. In quibus statuitur gratiam Dei necessariam esse, vt bene velimus, & agamus, atque etiam ad ipsam cogitationem, piúmque consi- 81. *Et ex epistola Cælestini.*

lium, omnémque motum bonæ voluntatis. Sed quòd illa gratia debeat esse necessitans, quódque sine tali gratia nihil bene velimus, & agamus, ne verbulo quidem significatur. Ergo euidenter falsum est de illa præcipuè contendisse Pelagianos aut Semipelagianos, & eo nomine proscriptos esse velut hæreticos, quòd eam pernegarent, admisso tamen auxilio indifferentiam voluntatis relinquente. Simúlque falsum euidenter, & intolerabiliter calumniosum est, hæreticis Pelagianis, aut Semipelagianis, seu Massiliensibus annumerare Theologos Catholicos, qui tale auxilium negant, licèt quodcunque aliud tam ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus admittant. Præsertim cùm post articulos prædictos à nobis loco citato relatos, & expositos, ita concludat summus Pontifex: *Ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil subtrahendum est, sufficere credimus quicquid secundùm prædictas regulas, Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.*

82. *Et ex Arausicano.*

Denique Synodus Arausicana II. contra eosdem Semipelagianos vltimò celebrata sub Leone I. vel vt alij malunt, sub Hilario, vel sub Felice IV. vt videtur Baronio, contra errores partim eorum proprios, partim communes cum Pelagianis, edidit canones 25. quos fideliter retulimus eadem disputat. 2. numero 30. Sed in nullo prorsus statuitur gratiam necessitantem esse necessariam ad bene volendum, & agendum: vt eos legenti facilè patebit. Quod tamen præcipuè & expresè, disertisque verbis statuendum fuisset, si erat hæc de re præcipua cum Pelagio, & Semipelagianis concertatio. Quis ergo sanæ mentis non potiùs credat figmentum illud esse Iansenij, ad calumniandos Theologos excogitatum, quàm tot Concilia, tótque summos Pontifices vel adeo cæcos & hebetes fuisse, vt non viderent id, de quo erat præcipuum caput controuersiæ: vel adeo oscitantes, & negligentes, vt ad alia minora intenti, quod præcipuum erat omnino prætermiserint? Planè ridiculum & absurdum est dicere damnatum fuisse Pelagium, & Semipelagianos propter errorem, de quo nusquam à Conciliis vel à summis Pontificibus reprehenduntur, & cuius nullam condemnationem proferre possunt aduersarij.

SECTIO IX.

Respondetur argumentis Iansenij.

83. SVPEREST vt respondeamus argumẽtis, quibus adeo confidenter Iansenius contrarium persuadere conatus est. Opponit igitur 1. Pelagium admisisse quidem adiutorium possibilitatis, non autẽ voluntatis, & actionis: intelligendo per adiutorium possibilitatis illud, quod iuuat, & cõplet potentiam vt agat simpliciter, aut faciliùs agat: ita tamen vt relinquat illã indifferentem, neque ad volendum & agendum determinet: per adiutorium verò volũtatis, & actionis, auxilium, quo necessariò fit, vt velimus, & agamus, quódque est inseparabile à volitione, & actione, quia necessariò illam infert, extrahítque potentiam de sua indifferentia, eam determinando vt velit & agat. Cùm ergo D. Augustinus Pelagium vrgeat vt præter adiutorium possibilitatis, quod ille fatebatur, admittat istud auxilium voluntatis, & actionis: euidens est contentionem illius cum Pelagio fuisse de gratia necessitante.

84. *Quid intelligerent Pelagiani per auxilium possibilitatis.*

Respondeo, patere ex supradictis Pelagium & Semipelagianos per adiutorium possibilitatis intellexisse auxilium legis & doctrinæ, & si quod aliud, instruens tantùm intellectum, vt cognoscamus quid volendum & agendum, vel à quo abstinendũ sit: non autem per se influens, & immediatè adiuuans, & corroborans voluntatem, vt bene velit, & agat. Totam enim opem & efficaciam gratiæ in eo sitam esse volebant, vt ostenderet quid volendum, & agendum, aut vitandum sit: voluntate de cetero solis viribus naturalibus sibi sufficiente ad volendum, & agendum, & ad peccata vitanda: vt patet ex testimoniis D. Augustini, aliorúmque veterum, relatis sect. 6. 7. & 8. Itaque per adiutorium voluntatis, & actionis, quod ab illis admitti postulat Augustinus, intelligit auxilium internum gratiæ, immediatè afficiens voluntatem per pias motiones, eámque iuuans per se proximè, vt velit & agat, atque etiam concurrens moraliter, aut physicè ad liberam volitionem bonam, si voluntas motioni consentit: non autem auxilium necessitans voluntatem ad consensum: vt euidenter ex eo liquet, quòd alioquin D. Augustinus contra seipsum pugnasset: vt ostendimus sect. 6. numero 58. Et præterea, si Pelagius negasset tantùm auxilium necessitans, verámque gratiam internam immediatè iuuantem ad volendum & agendum admisisset, calumniosè illum tractaret Augustinus, tam sæpe illi exprobrans, aliisque Pelagianis, quòd voluntatem sibi sufficere dicerent, ad volendum, & agendum id, quod per legem & doctrinam nouit esse volendum & agendum: neque ad hoc egere, aut verò etiam iuuari auxilio gratiæ. Quemadmodum calumniosum, & euidenter falsum esset dicere Theologos Catholicos, qui cum Concilio Tridentino negant auxilium necessitans, admissa necessitate interni auxilij gratiæ præuenientis, & cooperantis ad bene, & sicut oportet volendum & agendum; affirmare voluntatem sibi ad hoc sufficere, neque iuuari diuinitus, sed solis viribus naturalibus id præstare.

Quid Augustinus per auxilium voluntatis & actionis?

85. *Quid sit auxilium quo, iuxta Iansenium.*

Opponit 2. auxilium de quo D. August. contendebat cum Pelagianis, esse auxilium, quo fit vt velimus & agamus: seu quod *operatur in nobis velle & perficere* (id est operari iuxta Græcum) *pro bona voluntate*, vt loquitur Apostolus Philippensiũ 2. ver. 14. de eodémque loquitur Arausicana Synodus II. canone 5. aliisque pluribus. Illud autem non est adiutorium possibilitatis, quod tantùm dat posse, aut faciliùs posse, relinquens libertati indifferentiam ad volendum aut non volendum, agendum aut non agendum, prout libuerit. Vnde etiam tale auxilium non dat nobis velle & agere; sed libertas ipsa, quæ ad volendum, & agendum sese determinat: neque tali adiutorio debet tribui quòd velimus & agamus, sed voluntati liberè illo vtenti. Sicut lumini corporali, aut speciebus intentionalibus non tribuitur quòd videamus, sed nobis ipsis, qui liberè oculos applicamus ad videndum, vtimúrque lumine, &

aliis videndi auxiliis. Sicut etiam, quamuis habitus naturales concurrant cum potentiis ad earum operationes; non tamen illis tribuitur operatio, sed voluntati, quæ illis vtitur, quando vult. Sequitur ergo contentionem cum Pelagianis fuisse de adiutorio determinante, & necessitante ad volendum & agendum: quod quia ipsi constanter negarunt, velut hæretici damnati sunt. Sequitur vlteriùs Theologos huius temporis qui tale adiutorium negant, admisso tantùm adiutorio possibilitatis, id est, relinquente indifferentiam voluntatis; velint nolint, esse Pelagianos.

86. *Refellitur eius impostura.* Respondeo 1. satis constare ex præcedentibus quid intelligerent Pelagiani per adiutorium possibilitatis, quod admittebant; nimirum legem & doctrinam externam, aut internam per aliquam mentis illustrationem: quidve per adiutorium voluntatis & actionis, quod negabant; nimirum auxilium immediatè iuuans ad volitionem, & actionem: ad quam putabant sufficere vires naturales, vt centies illis exprobrat Augustinus, & propter quod anathematizantur ab Arausicano, aliisque Conciliis. Quare frustra vim facit Iansenius in huiusmodi nominibus, eorúmque explicatione ex suo cerebro conficta: cùm de re ipsa, déque sensu, & mente D. Augustini, & Pelagianorum satis constet. Sanè euidenter falsum esset, quod illis sæpissimè tribuit Augustinus; eorum sententiam fuisse, quòd volũtas & actio nullo egeant, nullóque iuuentur auxilio gratiæ, sed solis naturæ viribus agamus & velimus, supposita lege & doctrina: si verum esset illos admisisse auxilium internum, immissum voluntati, necessarium esse vt velit & agat, quamuis non illam necessitet. Sicut falsò diceretur videri posse sine lumine per solam applicationem obiecti, quamuis lumen non necessitet ad videndum, sed eius vsus subsit arbitrio voluntatis.

87. *Gratia dat velle, & agere, quãuis non necessitet.* Respondeo 2. falsum esse, quòd auxilium gratiæ relinquens voluntati libertatem indifferentiæ, non det illi velle & agere: vel, vt loquitur Apostolus, non operetur in nobis velle & perficere: neque illi tribui possit volitio & operatio. Nam auxilium gratiæ datum Angelis, & primis parentibus ante peccatum, relinquebat eorum voluntati libertatem indifferentiæ, vt fatetur aduersarius lib. de gratia primi hominis, & Angelorum, cap. 2. & 22. Et tamen dabat illis bene velle, & bene agere; dedítque sanctis Angelis perseuerare, vt docet August. lib. 12. de Ciuitate, cap. 9. vbi loquens de bona voluntate Angelorum, dicit eam, *Si cum ipsis facta est, sine dubio ab illo factam esse à quo & ipsi.* Et paulò pòst: *Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eámque in seipsis, Deo non operante fecerunt: ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt. Absit &c. Aut si non potuerunt seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem, quâ meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris, habere non possent. Et cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summè est, conuerterentur, eique adhærentes magis essent, eiúsque participatione sapienter beatéque viuerent: quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuisse in solo desiderio remansuram: nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando auidiorem.* Et inferiùs, loquens de perseuerantia bonorum, & de casu malorum Angelorum: *Istis*, inquit, *mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinẽ, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt.* Plura ad idem confirmandum eiusdem S. Doctoris testimonia proferemus alio loco: vbi etiam ostendemus quàm ineptè Iansenius eludat istud, quod proximè retulimus, dicendo sensum Augustini esse, quòd sancti Angeli per ipsam beatitudinem adiuti fuerint, vt ipsammet beatitudinem, & certitudinem illam assequerentur.

Neque minùs falsum est, & contra sensum communem hominum, manifestámque rationem, quod ait Iansenius, non posse tribui effectum causis ad agẽdum iuuantibus, si non determinent & necessitent ad agendum: sed tantùm liberæ voluntati operantis, quæ se & illas ad agendum applicat, & determinat. 88. *Effectus tribuitur causis iuuantibus, etsi non necessitantibus.* Quis enim negauerit præcipientem, consulentem, inducentem, esse causam eius quod fit: & quidem interdum principaliorẽ; licèt non necessitet causam exequentem, sed hæc liberè se determinet ad faciendum quod præcipitur, aut consulitur? Quis ignorat vbique gentium puniri, qui mandant fieri homicidium, tanquam eius auctores, & causas principales? Quis vel mediocriter in Philosophia & Theologia morali, vel Iurisprudentia versatus, ignorat inter causas numerari morales, quæ ad effectum concurrunt iussione, consilio, aliísque modis, quamuis non necessitantibus? Quis etiam non dicat cum Anselmo, pauperem, cui à diuite datum est vnde vestem emat, suámque nuditatem tegat, diuiti potiùs quàm sibi debere vestem illam tribuere: quamuis liber emerit, potuerítq; datam ab illo pecuniam in alium vsum conuertere, aut vestem ipsam sibi ab illo datam potuerit nolle induere? *Velut* (inquit lib. de Concordia præscientiæ, cum Prædest. cap. 3.) *cùm aliquis nudo cui nihil debet, & qui nullum à se potest indumentum habere, dat vestem: non tamen, quamuis ipse habeat potestatem vtendi & non vtendi accepta veste, si ea vtatur, imputandum est induto, quia indutus est, sed danti vestem.*

Quis etiam nescit tribui sæpissimè bonis vel malis habitibus, quod bene vel malè agamus, sequendo pondus & inclinationem illorum, quamuis liberè sequamur; & causam cur aliqui sæpius peierant, inebriantur, conuitiantur, proximo detrahunt: vel è contrario sint mites, sobrij, veraces &c. refundi in habitum, relictum ex longa frequentatione huiusmodi actuum? 89. Nemo etiam iure negauerit lumen corporeum esse causam partialem visionis, quamuis illo liberè vtamur: sicut defectus luminis est aliqua causa cur non videamus, id est, non simus completè potentes ad videndum. Et denique quidquid quomodocunque concurrit physicè, aut moraliter cum causis liberis, aut necessariis, est causa effectus eo modo quo concurrit, potéstque illi tanquam causæ partiali tribui id, quod fit. *Similitérque tribuitur gratia quamuis non necessitet.* Est autem certissimum, & omnium Catholicorum consensu receptissimum, gratiam seu præuenientem, seu concomitantem, concurrere ad bonas volitio-

nes & operationes (quamuis non necessiter) partim suadendo, aut præcipiendo, aut aliter inducendo & alliciendo, atque iuuando ad consensum: partim etiam physicè coefficiendo cum intellectu & voluntate sanctas cogitationes, piásque motiones, & consensum ipsum, affectúmque liberum voluntatis, omnésque actus ad salutem æternam conducentes & supernaturales. Quare non minùs possunt gratiæ tribui huiusmodi volitiones, & actiones; quàm aliis causis suprà memoratis tribuuntur effectus suprà dicti; quamuis pendeant ab applicatione libera voluntatis.

90. *Cōfirmatur ex Augustino & Hieronymo.* Certè prædicatio, & exhortatio externa non necessitat voluntatem ad consensum. Et tamen Augustinus illi tribuit quòd velimus & credamus: cùm sic ait lib. de spiritu & lit. cap. 34. *Visionum suasionibus agit Deus vt velimus, & credamus, siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes; siue intrinsecùs, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem.* Et paulò inferiùs tribuit Deo quòd velimus credere, quamuis liberè consentiamus. *Profectò*, inquit, *ipsum velle credere Deus operatur in nobis: consentire autem Dei vocationi, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Idémque docet Hieron. in cap. 26. Ieremiæ, circa illa verba, *Et dices ad eos,* vbi sic habet: *In nostra positum est potestate vel facere quid, vel non facere: ita duntaxat, vt quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus.* Et in cap. 18. circa illud, *Verbum quod factum est,* de Deo sic ait: *Dimittit hominem voluntati suæ, vt vel præmia, vel pœnas sua voluntate, & suo merito recipiat. Nec statim totum erit hominis, quod eueniet, sed eius gratiæ, qui cuncta largitus est. Ita enim libertas arbitrij reseruāda est, vt in omnibus excellat gratia largitoris.*

91. Opponit 3. Pelagianos negasse adiutorium voluntatis, & actionis, eò quòd existimarent non posse illud stare cum libertate indifferentiæ, sed fatalem quandam necessitatem inducere. Hoc autem non poterant suspicari de auxilio, relinquente voluntati libertatem vtendi vel non vtendi. Quis enim hoc nisi plusquam hebes, & prorsus amens suspicari potest? Ergo non loquebantur de tali auxilio, sed de necessitante: déque illo cum eis contendit August. adigítque ad illud cum tota Ecclesia confitendum.

Cur Pelagiani crederent necessitatem gratiæ officere libertati? Respondeo, huic obiectioni iam occursum fuisse sect. 7. num. 71. & seqq. vbi diximus Pelagianos existimasse necessitatē gratiæ cuiuscunque siue internæ, siue externæ, repugnare libertati arbitrij: quia tam plenam & perfectam illam esse volebant, vt per se posset bene & malè agere: neque ad bonū libera esset, si non posset sine auxilio gratiæ illud velle & agere: neque ad malum, si non posset sine gratia ab illo abstinere. Certum est autem necessitatem gratiæ repugnare tam plenæ & perfectæ independentiæ libertatis: Eodémque sensu dicebat Pelagius, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat adiutorio, quoniam in sua voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Neque enim est per se completè potens ad bene agendum, neque ad malum vitandum, si neutrum potest sine auxilio gratiæ. Deinde, cùm audirent Pelagiani, & Semipelagiani, gratiam efficacem prædicatam ab Augustino (solet enim de illa specialiter cum illis disputare) talem esse vt hominem vel contumacem conuertat, faciátque de nolente volentem, moueat & trahat voluntatem ad consensum, illúmque inseparabiliter obtineat; quod verum est de illa gratia considerata vt efficaci, & prout subest directioni & præscientiæ diuinæ: sumpserunt inde occasionem existimandi indifferentiam voluntatis per illam violari, & fatalem quandam necessitatem induci. Neque incredibile debet videri Pelagianos in hanc cogitationem venisse. Cùm etiam hoc tempore non desint viri docti, qui sibi persuadeant non solùm physicam prædeterminationem, sed etiam vsum & directionem scientiæ mediæ, non excusare gratiam efficacem ab antecedenti necessitate, & violatione libertatis indifferentiæ: vt refert Petrus à sancto Ioseph in suaui concordia, disput. 4. sect. 5. inter quos sunt auctores cursus Theologici Salmanticensis, quibus nimis iniuriosè succenseat Iansenius, si eos neque inter sapientes, aut insipientes, neque inter vigilantes, aut somniando delirantes computauerit, sed illis omnibus deteriores esse affirmauerit: quales vult esse eos, qui dicunt Pelagianos in illam suspicionem venire potuisse, viros acris, velocis, & præstantis ingenij, vt sæpius affirmat Augustinus, & testantur eorum monumenta.

Quanquam non adeo perspicaces & acuti fuerunt, vt non multa absurda docuerint. Cuiusmodi est quod de illis refert Iansenius tom. 1. lib. 4. cap. 9. Gentiles sola natura duce credidisse non solùm in Deum, sed & in Christum, & quidem fide sufficiente ad vitam æternam. Et cap. 20. & sequent. Ecclesiam totam ex solis iustis, & non peccantibus constare: posséque homines per solas vires liberi arbitrij tantam perfectionem assequi hac in vita, vt sint æquales Angelis, & Beatis: imò etiam æquales, aut feliciores ipso Deo. Et naturalem innocentiam paruulorum secundùm carnem & animam, æqualem esse innocentiæ & puritati carnis, & animæ Christi. Et denique hominem illum, qui Christus est, solis naturæ viribus vixisse sine peccato: & ita meruisse fieri Dei filium, idémque posse alios homines præstare: vt idem refert lib. 6. cap. 6. & testimonio Prosperi & Cassiani confirmat. Enimuerò multò satius est credere Pelagianos hallucinatos esse, existimando gratiam efficacem (qualem asserimus cum D. Augustino & cum Tridentino Concilio) repugnare libertati: quàm D. Augustinum improbasse & damnasse in Pelagianis sententiam de gratia non necessitante, quam ipsemet expressè tenuit & docuit in libris etiam contra eos scriptis, vt ostendimus sect. 6. num. 58. quibus adde, quòd in libro de gratia & libero arbitrio, quem scripsit partim contra Pelagianos, pro defensione gratiæ, & partim contra monachos Adrumetinos, pro defensione liberi arbitrij, ita docet gratiam ad omnia & singula bona opera necessariam esse, vt simul velit libertatem manere in sua potestate indifferentiæ, vt consentiat gratiæ, vel non consentiat, eáque vtatur vel non vtatur. Quod cap. 2. confirmat multis Scripturæ testimoniis, ac tandem sic concludit, *Nempè vbi dicitur noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Liberum scilicet per po- 92. *Pelagiani multa absurda docuerunt.*

testatem indifferentiæ, expertem necessitatis; vt magis significat cap. 4. sic dicens: *Numquid non liberum Timothei arbitrium est exhortatus Apostolus, dicens, Contine te ipsum; & in hac re potestatem voluntatis ostendit vbi ait, Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, vt seruet virginem suam.*

93. *Cur putarit induci fatalem necessitatem.* Quod verò attinet ad fatalem necessitatem: causa cur illam induci crederent Pelagiani, non erat ea sola, quam huc vsque diximus: sed & præcipuè quia putabant illam ex eo sequi, quòd gratia necessaria ad bene operandum, peccatúmque vitandum, diceretur dari sine vllis nostris meritis præcedẽtibus, per vires solas naturæ factis. Indéque etiam dicebant extingui sollicitudinem bene agendi, & vigorem mentis, & cetera, quæ retulimus sect. 7. num. 65. Quod præter ibi dicta confirmari potest ex lib. 4. contra Iulianum cap, 8. vbi D. Aug. sic illum, aliósque Pelagianos alloquitur: *Hac vt Christianis cordibus conuenit cogitare nescitis, & vos potiùs secundùm vestram sententiam fato ista dicitis fieri. Vestra quippe, non nostra sententia est, fato fieri, quod merito non fit. Et ne secundùm istam definitionem fato fiant hominibus, si meritis non fiant, quæcunque fiunt; ideo merita vel bona, vel mala, quantum potestis, asseritis; ne fatum sit consequens, si merita negaretis.*

SECTIO X.

Quid senserint de adiutorio interno? & primò de concursu generali.

94. *Quid de illo sentiat Iansenius.* ADIVTORIVM internum duplex generaliter admissum fuisse à Pelagianis affirmat Iansenius lib. 5. cap. 18. & sequentibus. Vnum se tenens ex parte intellectus, consistens in cognitione eius, quod faciendum est, aut vitandum: quo adiutorio non datur velle & agere, sed tantùm iuuatur possibilitas: quia non possumus velle & agere, quod ignoramus esse volendum & agendum. Atque hoc adiutorium possibilitatis admissum fuisse à Pelagianis, probat ex Augustino lib. de hæresibus, hær. 88. & lib. de gratia Christi, cap. 12. Sed quid de illo sentiendum sit, patet ex dictis sect. 4. num. 30. & seq. Alterum se tenet ex parte voluntatis, in qua etiam dari potest auxilium, quod solam possibilitatem adiuuet, non volitionem, & actionem. Quicquid enim, inquit, ipsum posse voluntatis, seu posse velle, seu potestatem volendi, & consequenter agendi adiuuat, ita vt velle & agere nostrum sit; hoc est, quo ita velimus & agamus, vt nobis liberum & indifferens sit non habere volitionem & actionem: hoc ex mente Pelagij adiutorium possibilitatis dicitur, tametsi istud adiutorium simul ad agendum & volendum pro nutu hominis sese cum illo determinantis, aliquid conferat. Huiusmodi sunt concursus generalis, & habitus voluntatis, & gratiæ quædam actuales illi datę. Nam quòd concursus generalis arbitrio voluntatis ita contemperetur, vt non ideo voluntas agat, quia illi datur, sed ideo detur, quia voluntas ad agẽdum se determinat, docent omnes Theologi & Philosophi, præter assertores physicæ prædeterminationis. Communis etiam & constans est Philosophorum, & Theologorum sententia, quòd habitibus vtimur, cùm volumus. Neque dubium esse potest, quin simile adiutorium actuale in voluntate poni possit, quod nutui eius ita contemperatum sit, vt eam agere volentem adiuuet, agere nolentem non incitet, aut proritet ad actionem: vel certè si quo modo incitauerit; fræno libertatis ita subiectum sit, vt non nisi eius arbitrio volũtas adiuta ad volendum agendúmve prosiliat.

95. *Probat admisisse Pelag. concurs. sum generalem.* His præsuppositis, affirmat certum & citra controuersiam esse debere, quòd Pelagiani concursum generalem admiserint, quo Deus omnes omnino effectus cum causis secundis efficiat, & conseruet. Quod probat primò generaliter toto ferè cap. 19. adductis pluribus testimoniis ex Comment. Pelagij in epist. Pauli, & Augustini lib. 1. & 2. de nuptiis & concupisc. & in Opere imperfecto contra Iulianum, aliisque libris contra eundem scriptis. Deinde speciatim de concursu ad operationes voluntatis id probat toto c. 20. prolatis aliis eiusdem locis, tum ex libris citatis, tum ex l. 4. ad Bonifacium cap. 4. Ac demum cap. 20. conatur eludere ea, quæ in contrarium solent obiici ex D. Hieronymo in epist. ad Ctesiphontem, & l. 1. Dialogi contra Pelag. Reliquis capitibus vsque ad finem libri docet Pelagianos alia quoque duo genera auxiliorum habitualium, & actualium ex parte voluntatis admisisse, vt videbimus sequentibus sectionibus. Nunc quid senserint de concursu generali examinandum est.

96. *Argumenta pro parte negante.* Et illum quidem negatum à Pelagianis fuisse probabile facit, quod de illis refert Hieronymus in epist. suprà cit. vbi sic Pelagium alloquitur: *Fraudulenter prætendis vt gratiam Dei ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cùm Dei contemnas adminiculum, hominum requiras auxilia. Audite quæso, audite sacrilegum; Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate, imò sacrilege Apostolum prædicantem: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in nomine Domini facite.* Et lib. 1. Dialogi contra Pelag. Critobulo, id est, Pelagiano sic obiicienti; *Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio: ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manúmque aptare literis, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cetera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus?* Respondet Atticus, id est, Catholicus: *Iuxta meum sensum non posse perspicuum est.*

97. *Iansenij euasiones.* His testimoniis tria respondet Iansenius cap. 21. Vnum est, Pelagianos non loqui de concursu generali, sed de gratia, quæ cùm non sit necessaria ad actus illos minimos, atque indifferentes, curuandi digitum, mouendi manum &c. inde volebant inferre neque ad actus bonos necessariam esse: vel hac astutia declinare aliquo modo inuidiam, quam ob negatã necessitatem gratiæ ad bona opera, incurrebant. 2. Hieronymum, sicut & Augustinum variis locis, loqui de speciali Dei prouidentia, quæ etiam in huiusmodi operibus indifferentibus, aut etiam malis pariter ac bonis necessaria est, vt fiant, & ad exitum

tum perducantur. 3. Hieronymum loqui de actibus illis curuandi digitum, mouendi manum &c. non vt simpliciter fiunt, sed vt recto quodam modo, & cum virtute exercentur: ad quos ita exercendos gratiam Dei necessariam esse contendit.

98. *Refellitur prima, ostenditúrque Hieronymũ non loqui de concursu generali.* Sed contra primam euasionem dico: Si hoc intendebant Pelagiani, debebat Hieronymus eorum fraudem detegere, dicendo non esse quæstionem de eiusmodi operationibus minimis & indifferentibus, ad quas fateretur ipse, cum omnibus Catholicis, gratiam Dei non esse necessariam: sed de bonis, & vtilibus ad salutem vitæ æternæ: ad quas negare gratiam necessariam esse, propterea quòd possumus sine illa curuare digitum, mouere manum, aliáque id genus minima & indifferentia opera exercere, nimis absurdum est, & incredibile, atque ad inuidiam declinandam ineptum.

99. *Et secunda, quòd loquatur de speciali prouidentia.* Contra secundam dico: Tametsi Deus prouidentia speciali procurat interdum, aut promouet bona opera, impeditque mala; falsum tamen est prouidentiam illam interuenire in omnibus hominum actibus & operibus. Alioqui non esset specialis, sed generalis. Quin potiùs sicut Deus generali lege constituit sinere causas secundas liberas, æquè ac necessarias, actiones suas exercere, & cum illis concurrere: statuit pariter (quod idem est) earum actiones non impedire, sed cum illis cooperari, & efficere, atque perficere, quòd illæ ex necessitate naturæ, vel ex libera electione postulant & exigunt à prima causa generari. Atqui Hieronymus affirmat generaliter omnes actus humanos fieri Deo ad illos concurrente, & nullum sine eius adiutorio fieri. Ergo non loquitur de prouidentia speciali, vt malè ipsum interpretatur Iansenius. Addo blasphemum esse dicere Deum speciali prouidentia concurrere ad actus malos, vel procurare vt fiant, & ad exitum perducantur. Neque id vllo modo significat Augustinus locis à Iansenio allegatis: vt vel ex sola eorum lectione manifestum est.

100. *Et tertia, quòd de operibus tantum bonis.* Contra tertiam dico, non minùs falsum esse, quod ait, Hieron. loqui tantùm de operibus illis, prout honestè, & cum virtute fiunt: déque auxilio gratiæ necessario, vt honestè fiant: maléque id ab eo probari, tum ex eo quòd Pelagius solùm negabat gratiam esse necessariam ad opera bona, déque hoc solùm erat cum illo contentio: tum etiam quia malè alioquin Hieronymus eum sic alloqueretur ep. suprà cit. *Audi ingrate, imò sacrilege, Apostolum prædicantem, siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia in nomine Domini facite:* Et; *Si arbitrio suo regitur, vbi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Ieremias, Non est in homine via eius? Christus autem non regit nos nisi in operibus gratiæ.*

101. Respondeo enim, Pelagium præcipuè quidem & directè negasse solùm necessitatem auxilij gratiæ ad opera bona, & vitæ æternæ consequendæ vtilia: in quo errore confutando & damnando Patres & Concilia laborarunt: consequenter tamen, & ex iisdem principiis negasse concursum generalem, siue immediatam Dei cooperationem ad actus liberos; ne, si egeamus Dei cooperatione immediata, tollatur vsus libertatis. Vt colligitur ex eodem Hieron. epist. suprà cit. vbi errorem Pelagij sic refert: *Dei gratia est, quòd propria nos condidit voluntatis; & libero arbitrio contenti sumus: neque vltrà eius indigemus auxilio: ne si indiguerimus, liberum frangatur arbitrium.* In eadémq; epist. multò ante medium, Principem Pelagianorum ita philosophari ait: *Si nihil ago absque auxilio; & per singula opera est eius omne, quod gessero: ergo non ego, qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium. Frustráque dedit arbitrij libertatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuuerit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget.* Et paulò pòst: *Si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruitur.* Fuit etiam in Conc. Palæstino damnata hæc Pelagij propositio. *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere,* vt refert Aug. l. de gestis Pelagij, cap. 13. & epist. 106. ad Paulinum, circa finem.

Neque obest id, quod addit Hieronymus, *Siue manducatis siue bibitis &c. omnia in nomine Domini facite.* Nam cùm hæc & similia opera, de se indifferentia, duplici modo fieri possint: primo simpliciter, & absque relatione ad vllum finem honestum: secundo, ad Deum illa referendo, aut per alium finem bonum cohonestando vtiliter ad vitam æternam: Hieron. probat nos Dei ope indigere, quocũque modo fiant. Et pro primo quidẽ affert illud Iacobi 4. v. 13. *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras proficiscemur in illam ciuitatem: & faciemus illic annum, vt negotiemur & lucremur &c.* (qui finis est indifferens) *pro eo vt dicatis:* si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Pro secundo autem adducit illud Apostoli 1. Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia in nomine Domini facite.* Quódque Hieron. loquatur latiùs, quàm de auxilio necessario ad opera bona & salutaria, id est, de concursu etiam generali ad quoscunq; actus, siue bonos siue malos: patet ex verbis Critobuli, id est, Pelagij eodem dialogo 1. *Si absque Deo, & nisi per singula me iuuerit, nihil possum agere: nec pro bonis me operibus iustè coronabit: neque affliget pro malis: sed in vtroque suum vel recipiet, vel damnabit auxilium.* Vbi manifestè loquitur de auxilio cõmuni bonis & malis operibus. Respondenti autem Attico, id est Hieronymo: *Non ita esse datum nobis liberum arbitrium, vt per singula opera Dei tollatur adiutorium:* subiicit Critobulus, *Non tollitur Dei adiutorium, cùm creatura in semel dati liberi arbitrij gratia conseruatur.* Et paulò pòst: *Si in omnibus, inquit, ille cooperatur; non est meum, sed eius, qui adiuuat, imò qui in me cooperatur: præsertim cùm absque eo facere nihil possim.* — 102. *Repellitur instantia.*

Non obest etiam id, quod vltimò obiicitur ex eodem Hieronymo: *Si suo arbitrio regitur &c.* Hoc enim dicit ad confutãdum alium errorem Pelagij, quem sic refert: *Vnde & audes linguâ proferre temerariâ vnumquẽque arbitrio suo regi:* Vniuersaliter scilicet, & in quibuscunque operibus, etiam ad vitam æternam conducentibus, in quibus nos Deo & Christo rectore egere certum est. Vnde sic meritò opponit huic errori Hieronymus: *Si suo arbitrio regitur, vbi est auxilium Dei? si Christo rectore non indiget, quomodò scribit Ieremias: Non est in homine via eius? &, A Domino gressus hominis diriguntur &c.* — 103. *Altera instantia refutatur.*

I

SECTIO XI.

Satisfit obiectionibus Ianseny.

104. *Cōtrarium malè probat ex verbis Pelagij.* OPPONIT 1. verba ista Pelagij ex Commentario in epist. ad Coloss. cap. 3. nu. 40. *Qui* (Dominus) *vbique semper videt, & custodit omne, quod factum est.* Sed hæc verba non satis ostendunt agnouisse Pelagium concursum Dei immediatum ad omnes actiones creaturarum: neque Durandus & alij, qui concursum illum immediatum negāt, diffitentur Deum videre, & aliquo modo custodire omne, quod factum est; proximè scilicet custodire, vel remotè; mediatè, vel immediatè; per se, aut per alias causas, ad conseruationem rerum aliquid conferentes; vel per virtutem persistendi in suo esse, quam à Deo acceperunt. Contrà verò, multò expressiùs videtur Dei concursum immediatum negare Pelagius, seu cooperationem cum causis secundis, & speciatim cum voluntate humana, quando sic loquitur apud Hieron. sub nomine Critobuli, dial. 1. suprà cit. *Si in omnibus ille cooperatur, non est meum, sed eius, qui adiuuat.* & in epist. ad Ctesiphontem, *Recede à me*, inquit, *non habeo te necessarium. Dedisti mihi semel libertatem arbitrij vt faciam quod voluero. Quid rursus te ingeris vt nihil possim facere, nisi in me tua dona compleueris?* addendo scilicet tuum concursum, sine quo nequeam operari, & facere quod voluero. Certè si crederet se nihil posse velle ac operari sine Dei concursu, non diceret, *Recede à me, non habeo te necessarium &c.*

105. *Plus habent apparentia quæ refert ex Iuliano.* Opponit 2. Iulianum pluribus locis concursum illum ita exprimere, vt de eius mente dubitari nequeat. Nam apud Aug. lib. 2. de nuptiis cap. 15. exponens illud Apostoli, *Deus dat illis corpus, sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus:* affirmat ipsum corpus humanum à Deo fieri, ideóque non propter illud contrahi peccatum originale. *Si ergo Deus*, inquit, *humano semini, quod nemo negat vel prudentum, vel piorum, proprium sicut omnibus rebus corpus attribuit, vnde quemquam reum probabis?* Et lib. 2. Operis imperfecti, dicit Deum formare lineaméta corporis; quippe *quæ interueniente Dei potentia in visceribus finguntur maternis.* &, quo nihil clarius desiderari potest, l. 2. de nuptiis cap. 13. sic loquitur idem Iulian. de Isaac: *Quem conditor promisit, conditor dedit: non concubitus, sed Dei opus est, qui nascitur. Qui enim primum hominem fecit ex puluere, omnes fabricatur ex semine. Sicut ergo tunc limus, qui assumptus est, materia, non auctor fuit hominis: ita nunc vis illa voluptatis cōfectrix commixtrixque seminum, non explet operationis vicem, sed de thesauris naturæ offert Deo vnde ille hominem digneturoperari.* Similia sunt alia, quæ refert in eodem cap. 19. & cap. 20. addit præcipuè quod ait Iulianus lib. 2. de nuptiis, cap. 4. *Parentum, qui nos generant efficientiæ, potentiam Dei operationis interuenire, omne quod est, eâ administrantis virtute, qua condidit.* Et lib. 1. Operis imperfecti fol. 51. *Vt igitur prima fidei fundamenta cognoscas* (inquit idem Iulianus) *noster Deus, Ecclesiæ Catholicæ Deus, substantiâ nobis ignotus est &c. factor omnium, quæ non erant, dispensator omnium, quæ sunt*, & lib. 4. ad Bonifac. cap. 4. Episcopi Pelagiani cum Iuliano dicunt, *Deum bonum nascentium esse conditorem, per quem facta sunt omnia: eiúsque opus esse filios hominum:*

Ad hæc respondeo 1. fortasse Iulianum discessisse hac in parte à sententia Pelagij. Neque enim omnes hæresis alicuius sectatores in omnibus vel inter se, vel cum hæresiarcha consentiunt: sed, vt optimè notauit Tertullianus, hæreticorum ille mos est, vt putét sibi licere, quod magistro suo licuit: posséque ab illo dissentire, sicut ipse ab aliis dissentit. *Mentior*, inquit lib. de præscript. cap. 42. *si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspecta hæreses omnes, in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.* 106. *Fortè dissentit à Pelagio.*

Respondeo 2. non adeo perspicuum esse, Iulianum ita sensisse, ac sibi persuasit Iansenius. Nihil enim expressius ex illo refert pro concursu generali immediato, quàm quod ait Iob cap. 10. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me, &c. ossibus & neruis compegisti me, vitam & spiritum tribuisti mihi.* Et Apostolus 1. Cor. 15. *Vnicuique seminum dat proprium corpus &c.* Et mulier illa fortissima, 2. Machab. 7. *Nescio quales in vtero meo apparuistis: neque enim ego animam, & spiritum donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator &c.* Quæ omnia non negarunt Durandus, & Ludouicus à Dola, & quicunque alij cum illis inter Philosophos, aut Theologos Catholicos, immediatum Dei concursum negauerunt: sed (quamuis incongruè) exposuerunt de concursu Dei mediato per virtutes à se inditas rebus creatis, quas conseruat, & per illas operatur omnes & singulos earum effectus, ipsíque sobolis procreationi, & aliarum rerum efficientiæ se interserit. Potuit ergo Iulianus, ne Pelagio contradiceret, & minùs cohærenter ratiocinaretur, simili sensu verba illa Scripturæ intelligere, nihílque ampliùs affirmare locis ex eo relatis à Iansenio, quæ non minùs hanc expositionem pati possunt. Et verò, si de concursu Dei immediato ad omnia loquebatur, non debuit illum ponere inter prima Christianæ fidei fundaméta, vt vidimus eum fecisse verbis relatis ex l. 1. Operis imperf. fol. 51. Neq; D. Aug. approbans quod ex Iul. retulimus, l. 2. de nupt. cap. 4. diceret, doctrinam illam esse dogma Catholicæ fidei, & non posse Christianum esse qui hoc negauerit: vt ait lib. 3. contra Iul. cap. 10. Neque enim ille concursus est adeo expressus in sacris literis, vel tam apertè traditus ab Ecclesia tanquam dogma fidei; vt Durandus, & Ludouicus à Dola, & alij, qui eum negarunt, non censeantur esse Christiani, & Catholici. 107. *Potest tamen aliter intelligi quod ex illo dicitur.*

Addo 3. consideratione dignum esse, quòd nullus locus profertur à Iansenio, quo Pelagiani dixerint specialiter, Deum cōcurrere cum humana voluntate ad suas operationes; quamuis id specialiter probandum susceperit toto cap. 20. Nimirum quia nullum proferre potuit: cùm è contrario multa à nobis proferantur, quibus specialiter concursum illum negare videtur: ídque ob causam specialem & propriam agentium liberorum: ne videlicet arbitrium 108. *Nullus locus expressus profertur in contrarium.*

non sit liberum, si alterius indigeat adiutorio.

109. *Refellitur euasio.* Quod autem respondet Iansenius in fine cap. cit. causam huius silentij circa operationes voluntatis, esse, quia nunquam de illo concursu ad voluntatem inter Pelagianos & Catholicos fuit disputatio aut controuersia: sed solummodo de illa gratia, propter quam iuuandæ infirmitati hominum largiendam auctor gratiæ in mũdum veniens crucifixus & mortuus est. Non venit autem Christus concursum generalẽ tribuere, sed peccatores saluos facere: neq; connaturalem integro homini cooperationem dare, sed quærere & saluum facere, quod perierat, infundens in vulnera oleum, & vinum, id est, misericordissimum diuinæ gratiæ, & caritatis adiutorium.

110. *Fuit etiam contentio cum Pelag. de concursu generali.* Hoc, inquam, non satisfacit: quia licèt contentio SS. Patrum cum Pelagianis fuerit præcipuè de necessitate gratiæ propriè dictæ; tamen quòd etiam interdum de cõcursu generali contra illos disputauerint, valde probabiliter colligitur, tum ex locis Hieron. suprà relatis, & expensis; tum ex eo quod Pelagius in epist. ad Demetriadem dicit: *Homines sine Dei operante virtute, ostendere quales à Deo facti sunt.* Et lib. de gratia Christi cap. 3. de eodem sic ait Aug. *Voluntatem,* id est, volitionem, *nostram esse asserit: atque ita nobis tribuit, vt nonnisi à nobis esse contendat.* Qua exclusiua vniuersali, *nonnisi à nobis*, videtur omnem Dei cooperationem excludere. Quare de illa etiam exclusione contendebat Pelagius. Eodémque pertinet, quod ex ep. 106. D. Aug. & lib. de gestis Pelagij cap. 13. paulò antè retulimus dixisse Pelagium, *Non esse liberum arbitrium si Dei indiget adiutorio, quoniam in sua voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Et l. 4. contra Iulianum cap. 3. contendit Aug. contra illum, & probat, si quid boni licèt imperfectè, & inutiliter ad vitam æternam faciunt infideles, illud etiam Deo tribuẽdum esse, qui malis vtitur bene, *& cuius occulto indicio nec iniusto alij fatui, alij tardissimi ingenij, & ad intelligendum quodammodo plumbei, alij obliuiosi, alij acuti memorésque nascuntur*, & cetera eiusmodi, quę per ordinariã Dei prouidentiã, & concursum generalem tantùm, communiter fiunt. Quare de illis quoq; intelligendum est, quod subiicit Aug. *Quantò ergo tolerabiliùs illas, quas dicis in impiis esse virtutes, diuino muneri potiùs, quàm eorum tribueres tantummodo voluntati?* Supponit ergo Iulianum negasse illum etiam Dei concursum ad huiusmodi qualescũque virtutes: déque illo procedit eius argumentatio: quæ alioquin inepta esset, si ex eo quòd Deus concursu generali cooperatur ad generationem, & temperamentum naturale hominum, vellet inferre à fortiori, Deum concursu speciali suæ gratiæ cooperari ad huiuscemodi qualescunque actus virtutum imperfectos & ad salutem inutiles.

111. Denique Paulus Orosius in Apolog. pro lib. arb. quam contra Pelagium scripsit eodem fere tempore, quo Hieron. & Aug. contra illum decertarũt, significat hæreticum illum non modò gratię propriè dictę per Christũ datæ necessitatem negasse, verùm etiam generalẽ Dei cõcursum: illiúsque hanc sententiam fuisse: *Deum custodire naturam, quam semel bene dispposuit, & elementariis cursibus constitutis, inde facere Deum, quæ facit.* Speciatímque voluntatẽ non alio egere, quàm lib. arb. humanæ naturæ concesso; videtur satis exprimere Pelagius, cùm sic loquitur apud Hier. in ep. ad Ctesiph. *Dei est gratia, quòd propriæ nos condidit voluntatis, & libero arbitrio contẽti sumus, neque vltra eius indigemus auxilio: ne si indiguerimus, liberum frangatur arbitrium.*

Opponi 3. potest, quòd si contentio fuit inter Patres, & Pelagianos de concursu etiã generali: eludi poterunt omnes eorum assertiones, & can. Conciliorum editi pro necessitate gratiæ contra Pelagium. Poterit enim dici sermonem esse in illis de necessitate concursus generalis. 112. *Altera instantia refellitur.*

Respondeo non ita esse. Patres enim, & Concilia sæpissimè, & disertissimè exprimunt necessitatẽ gratiæ propriè dictæ, & per Christum datæ: affirmãntq; solum naturæ vigorem non sufficere ad opera bona & salutaria, sed opus esse auxilio gratuito, seu naturæ indebito. Si quãdo autem loquuntur indefinitè, & generaliter: debent cum accommoda applicatione & distributione intelligi: quòd nimirũ ad op[illegible]rè naturalia requiratur & sufficiat concursus generalis Dei: ad alia verò opera bona, & salutaria, necessariũ sit auxilium speciale, & gratuitũ. Eodémq; modo accipiendæ sunt generales Scripturæ locutiones, quæ omnia ad Deum velut auctorem referunt, eiúsque tribuunt operationi: ac fine illa nihil fieri dicunt. Quo pacto D. Thomas lect. 1. in cap. 15. Ioan. exponit verba illa Christi, *Sine me nihil potestis facere*, sic dicens: *Opera enim nostra, aut sunt ex virtute naturæ; aut ex gratiâ diuina. Si virtute naturæ: cùm omnes motus naturæ sint à Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moueri potest sine ipso. Si verò virtute gratiæ: cùm ipse sit auctor gratiæ, nullum opus meritorium sine ipso fieri potest.*

SECTIO XII.

Admiserintne Pelagiani adiutorium internum consistens in gratia habituali, vèl in virtutibus infusis?

NOTA 1. gratiam habitualem, & sanctificantem distingui à virtutibus infusis, iuxta doctrinam D. Thomæ, plurimorúmq; Theologorum: in qua sententia fuisse Pelagianos probabile fiet ex sequentibus: licèt plerisque aliis probabilius videatur, gratiam illam non distingui realiter à caritate habituali. 113. *Gratiam distinguunt à virtutibus.*

Nota 2. non esse quæstionem de habitibus virtutum naturalibus, siue acquisitis, qui gignuntur consuetudine bene operandi, seu frequentatione actuum virtutis, & ad similes actus potentiam inclinant. Nam huiusmodi habitus admissos fuisse à Pelagianis iure dubitari nequit, & euidenter constat ex epistola Pelagij ad Demetriadem, & pluribus aliis, quæ de illis retulimus disp. 6. sect. 1. *Non negabant dari habitus naturales.*

De habitibus ergo infusis & supernaturalibus est tantùm controuersia. De quibus & de gratia habituali partem negantem tenent multi graues doctíque Theologi, hoc præcipuè argumento persuasi, quod D. Aug. subtilissimus, diligentissimúsque hæresis Pelagianæ indagator, affirmat lib. de gratia Christi cap. 30. se nusquam in scriptis Pelagij & Celestij gratiam illam, quâ iustificamur, potuisse inuenire. *Istam quippe gratiam*, inquit, *quâ iustificamur, id est, quâ caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis, in Pelagij & Celestij scriptis,* 114. *Admiserintne supernaturales?* *Pars negans probatur ex Augustino.*

quacunque legere potui, nusquam eos inueni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Atqui gratia illa, quâ iustificamur, vel est gratia habitualis, iuxta doctrinam D. Thomæ, plurimorúmque aliorum: vel vt alij malunt, est ipsa caritas habitualis, præsuppositâ fide & spe: & iuxta omnium sententiam, omnes aliæ virtutes supernaturales, simul cum illa, infunduntur in iustificatione.

115. Adde quòd idem S. Doctor sæpius affirmat Pelagianos non aliam agnouisse gratiam præter legem & doctrinam, quâ continetur exemplum Christi, & remissionem peccatorum: quam voluisse puram, & simplicem esse; id est, sine infusione habituum supernaturaliũ, significat idem S. Doctor cap. 37. lib. cit. vbi dicit Pelagium per naturam in melius instauratam, remissionem velle intelligi peccatorum: non autẽ illius gratiæ & virtutis subministrationem, quæ iuuet ad peccata in posterum vitanda: vt colligitur ex iis, quæ addit sequenti cap. 38. vbi relatis verbis istis Pelagij, *Nam si ante legem, vt diximus ac multò ante Domini nostri, & Saluatoris aduentum iustè quidam & sanctè vixisse referuntur, quanto magis post illustrationem aduentus eius, nos id posse credendum est, qui instaurati per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine eius expiati, atque mundati, ipsiúsque exemplo ad perfectionem incitati iustitiæ, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuere.* His, inquam, verbis Pelagij relatis, subiungit Augustinus, *Videte quemadmodum & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum & in exemplo Christi adiutorium gratiæ cõstituerit.* Quod adiutorium non aliter esse necessarium ad singulos actus intelligebat Pelagianus, nisi quia per singulos actus meminisse debemus dimissa nobis esse peccata, vt non peccemus vlteriùs; vel considerare exempla Christi, vt illum imitemur: adiuti non aliqua subministratione virtutis (præcipuéque caritatis habitualis, & actualis, cui ferè soli, aut præcipuè tribuere solet Augustinus subsidium nostræ infirmitatis, & adiutorium voluntatis, ad volendum, & faciendum bonum per legem & doctrinam cognitum) sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum sit, per singulos actus recordantis; vel Dominicæ conuersationis exemplum intuentis; vt ait idem S. Doctor c. 2. eiusdem lib. de gratia Christi. Itaque Pelagius per remissionem peccatorum non intellexit infusionem caritatis, seu gratię sanctificantis, aliorúmque habituum supernaturalium, qui illam comitantur: sed nudam, & simplicem peccatorum condonationem.

116. *Confirmatur ratione.* Accedit etiam ratio specialis de virtutibus infusis, quia cùm negarent Pelagiani omnes actus supernaturales hac in vita; dicerẽtq; homines per solas vires liberi arbitrij posse implere omnia Dei mandata: & ad nullum bonũ opus egere gratia simpliciter, sed tantùm vt faciliùs fiat, iuuari per legem & doctrinã; siue externam, siue etiam internam, ostendentem voluntati, quid velle, & agere debeat: vt ipsa de cetero sibi sufficiens velit, & agat. Cùm inquam, ita sentirent Pelagiani, non erat cur existimarent infundi habitus supernaturales, quorũ natura & officium est iuuare intellectum & voluntatem ad exercendos actus, quos solis suis viribus exercere nequeunt, atque easdem facultates intrinsecè, & permanenter potẽtes, & completas in actu primo constituere ad huiusmodi actus. Quare valdè probabile est Pelagianos non admisisse huiusmodi habitus, neque vllam internam renouationem hominis, sed simplicem, & puram remissionem peccatorum in adultis (paruulos enim innocẽtes nasci, & eâ non egere credebant) quam etiam meritò naturali pœnitẽtiæ tribuebant. Nam, vt alibi diximus, erat hæc vna eorum propositio, dãnata in Synodo Palæstina, *Pœnitentibus veniam non dari secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitẽtiam digni fuerint misericordiâ.*

Et verum quidem est remissionem peccatorum duplicem posse concipi. Vnam puram & simplicem, quæ sit mera condonatio offensæ. Alteram, quæ sit restitutio peccatoris in pristinum statum, ex quo per peccatum excidit. Vtramque etiam Deo possibilem esse dubitari non potest. Sicut enim homines possunt vtroque modo offensas sibi factas remittere: potest etiam Deus; qui licèt reipsa restituat sanctitatem supernaturalem, quam per peccatum mortale perdidimus, consistentem in habitibus infusis, præcipuéque in caritate, vel gratia iustificante: posset tamen absolutè condonare peccatum absque tali infusione: sicut homines sæpissime cõdonant delicta in se commissa, nullum aliud beneficium conferendo offensori. Et licèt nunc post Trident. certum sit, paruulis æquè, ac adultis non remitti peccatum sine infusione habituum supernaturalium: tamen hæc duo distinguit idem Concilium sess. 6. c. 7. dicens iustificationem non esse solam peccatorum remissionem; sed & internam renouationem, & sanctificationem hominis, per susceptionem gratiæ, & donorum, quæ paulò pòst dicit esse fidem, spem, & caritatem habitualem, infusam diuinitus. Et ante Trident. dubitatum & controuersum fuerat inter Theologos, an etiam paruulis infunderentur habitus, quando illis remittitur peccatum originale: vt testatur Innoc. III. cap. *Maiores, de Baptismo & eius effectu:* partémque affirmantem amplexus est Clemens V. cum Conc. Viennensi, vt probabiliorem duntaxat, & cõmuniorem Theologorum illius temporis: vt videre est in Clem. vnica, *de Summa Trinitate.* Testatur etiam Chrysost. in homil. quadam ad Neophytos, fuisse suo tempore qui dicerent peccata simpliciter remitti, sine infusione habituum. 117. *Remissio peccatorum dupliciter fieri potest.*

Sic igitur de remissione peccatorũ sensisse Pelagianos colligi putant auctores huius sentẽtiæ, ex eo quòd S. Aug. locis suprà relatis, affirmat nunquam se in scriptis Pelagij, & Celestij inuenire potuisse gratiã illam, quâ iustificamur, concessam fuisse sicut oportet: & per naturã in melius instauratam non aliud eos intelligere, quàm remissionem peccatorum, id est, non renouationem internam per infusionem gratiæ, & donorum supernaturalium, quibus natura in statum, quem amisit, restituatur: sed puram condonationem peccatorum, non quoad pœnam tãtùm, verùm, etiã quoad offensam, in qua formaliter consistit peccatũ: quod sine gratiæ infusione, & sine restitutione amicitiæ diuinæ, ac sine alia cõuersione, aut physica vlla mutatione peccatoris fieri posse docẽt qui meliùs sentiunt, vt speciatim videre est apud Martin. tom. 5. disp. Theo- 118.

logic.disp.44.sect.5. & seqq. vbi etiam satisfacit illis omnibus, quæ in contrarium opponit Iansenius cit.c.22.vt ostendat peccatũ non posse aliter remitti, quàm per infusionem alicuius formæ positiuæ. Ibidem quoque rectè probat, licèt gratia sanctificans infundatur reipsa in iustificatione, prout nunc fit; ipsam tamen infusionem gratiæ non esse formaliter remissionem peccati, & emundationem ab ipsius macula habituali: sed hanc fieri per actum Dei condonantis offensam, & moraliter extinguentis siue abolentis: quæ abolitio est tantùm effectus secundarius gratiæ habitualis, & sine illa fieri posset.

119. *Altera confirmatio.* Ad idem confirmandum addunt Suares Prolegom.5. de gratia, cap.2. & lib.7. cap.6. & Stapletonus lib.4. de gratia & libero arb. cap.1. D. August. cum aliis Episcop. epist. 95. affirmare doctrinam Pelagij esse, nos bene operari, & vitare peccata non adiutos aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis. Et Concil. Mileuit. can. 3. damnasse Pelagianos, quòd dicerent gratiam ad solam remissionem peccatorum valere: non autem iuuare vt non ampliùs peccemus. Quod certè faceret, si in virtutibus infusis consisteret, vel illas sibi adiunctas haberet, cùm iure ad auxilia conuenienti tempore conferenda; iuxta veram, & vnanimem doctrinam Theologorum Catholicorum.

SECTIO XIII.
Resolutio difficultatis, & solutio argumentorum.

120. CONTRARIUM è diametro sentit Iansenius lib. 5. de hær. Pelagiana, cap. 22. & sex consequentibus: vbi certum esse contendit Pelagianos tum gratiam habitualem sanctificantem, tum etiam virtutum supernaturalium habitus infusos admisisse. Cuius sententiæ priorem partem veram esse, posteriorem falsam existimo.

Pelagiani admiserunt gratiam sanctificantem. Et primò quidem, quòd senserint remissionem peccatorũ non esse meram & simplicem eorum extinctionem, vt vult prima sententia: sed fieri cum aliqua iustitiæ, seu gratiæ sanctificantis infusione, probatur efficaciter ex his Pelagij verbis, in Comment. cap.5. epist. ad Rom. num. 36. *Quare multa peccata dimisit abundantia donationis Spiritus sancti? quia multa sunt dona. Ipsa enim iustitia donatur per Baptismum, non ex merito possidetur.* Quibus verbis significat vltra donum remissionis peccatorum, dari saltem alterum, quo iusti fiamus, per iustitiam nobis diuinitus collatam, sine nostro merito de condigno. Et in cap.5. epist. 2. ad Cor. num. 34. sic ait: *Tribus modis inesse Deum legimus. Secundùm infinitatem omni creaturæ: sicut ipse dicit per prophetã, Nõnne cælum & terram ego impleo? Secundùm sanctificationem, & peculiarem inhabitationem in sanctis: iuxta illud; & inhabitabo in illis. Secundum plenitudinem diuinitatis in Christo &c.* Et in c.3. ep. ad Titum, n.7. dicit Baptismum vocari ab Apostolo *lauacrum renouationis Spiritus sancti,* quia nos Spiritus sanctus per Baptismum renouauit. Et apud Aug. lib. de gratia Christi, cap.38. affirmat nos instaurari per Christi gratiã, & in meliorem hominem renasci. Renascentia autem fit per aliquid intrinsecum, & habituale. Et lib.3. de peccatorum meritis, cap.6. testatur Augustinus, Pelagianos dixisse non ideo paruulos baptizari, vt remissionem accipiant peccatorum, sed vt sanctificentur in Christo. Et lib. de hæresibus, hæresi 88. refert dogma Pelagij fuisse, *Paruulos propterea baptizari vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei de bono in melius translati, non ista renouatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.* Et lib.3. contra Iulianum, cap.3. illum inter Pelagij sectatores præcipuum sic loquentem de baptismo inducit: *Quos fecerat Christus condendo bonos, facit innouando, adoptandóque meliores.*

Alia multa his similia profert Iansenius cap. 23. & sequentibus libri suprà citati: sed hęc plusquam sufficiunt ad probandum, quod intendimus: cùm non sint expressiora ea Patrum testimonia, quibus probare solent Theologi contra hæreticos huius temporis, iustificationem non esse meram peccatorum remissionem, aut non imputationem: neque fieri solùm per iustitiam Christi nobis extrinsecùs imputatam; sed per aliquid intrinsecum, quo verè renouamur, regeneramur, renascimur, & adoptamur in filios & hæredes Dei, & iustificamur, & sanctificamur in Christo. Quæ omnia affirmant etiam Pelagiani locis suprà citatis. 121.

Neque obstant, quæ in fauorem primæ sententiæ fuerunt obiecta ex D. Augustino. Nam ex illis, quæ præcedunt, aut sequuntur iisdem locis, patet S. Doctorem lib. de gratia Christi, cap. 30. ideo affirmare se nusquam in scriptis Pelagij & Celestij inuenire potuisse eos confiteri, sicut oportet; gratiam illam, quâ iustificamur, & quâ caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: quia nusquam scripserant caritatem habitualem nobis infundi, vel actualem diuinitùs inspirari, per eiúsque inspirationem iuuari nos ad bene operandum, & ad malum vitandum: de quo auxilio specialiter loquitur ibi sanctus Augustinus. Capite autem 37. eiusdem libri, cùm ait Pelagium per naturam in melius instauratam, velle intelligi remissionem peccatorum: nomine *remissionis* comprehendit gratiam sanctificantem, seu iustitiam, quam simul infundi, & per quam remitti peccata credebant Pelagiani, vt liquet ex testimoniis relatis numero 120. excluditque solùm virtutes supernaturales, quarum mentionem Pelagiani non faciunt. Denique capite 38. loquitur de auxilio tantùm actuali, quod dicit à Pelagio constitui in recordatione remissionis peccatorum, & in exemplo Christi, & in lege & doctrina: quemadmodum ex ipso contextu manifestum est. Similitérque aliis duobus locis postremò obiectis à Suare, sermo est de auxilio actuali, quod à Deo postulamus, vt resistamus tentationibus, quódque ad vincendas concupiscentias necessarium esse negabant Pelagiani: vt ex ipsis verbis Augustini, & Concilij Mileuitani fideliter & integrè relatis manifestum est. Alia verò argumenta in fauorem eiusdem sententiæ producta nobis non obsunt, sed potiùs confirmant secundam partem assertionis nostræ. *Soluuntur argumenta cõtraria sententia.*

Secundò enim; quòd certum non sit, vt contendit Iansenius, admisisse Pelagianos virtutes supernaturales infusas, siue habituales, probatur, quia nusquam illarum mentionem expressam faciunt: nihilque profertur à Iansenio, 122. *Non admiserũt virtutes infusas.*

ex quo id certò colligi possit. Contrà verò D. Augustinus locis suprà relatis ex cap.30.37.& 38. libri de gratia Christi, dicit eos nunquam esse confessos infundi nobis caritatem per Spiritum sanctum, non magis scilicet habitualem, quàm actualem: & per naturã in melius instauratam, non aliud intellexisse, quàm remissionem peccatorum, id est, gratiam quidem sanctificantem, quâ remittuntur peccata: sed non etiam virtutes infusas, & dona Spiritus sancti, si ab illis distinguuntur. Nam si istud quoque admisissent, non notaret Augustinus hanc illorum sententiam velut singularem, & alienam à fide Catholica, quæ certè non aliter sentit de nostra instauratione, & remissione peccatorum. Valet etiam ad hoc probandum ratio allata num. 116. Quod scilicet, cùm Pelagiani non admitterent actus supernaturales hac in vita, consequens erat, vel magis cohærens cum hac eorum doctrina, vt neque habitus virtutum supernaturalium admitterent: quippe qui dantur propter actus.

123. *Argumenta contraria sententia.* In contrarium multa opponit Iansenius lib.5. cap. 23. & seqq. Præcipua sunt & plus habent momenti, quæ refert ex lib. 1. Operis imperfecti fol.58. vbi sic loquitur Iulianus: *Nos igitur in tantum gratiam baptismatis omnibus vtilem ætatibus confitemur, vt cunctos, qui illam non necessariam etiam paruulis putant, æterno feriamus anathemate. Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus, ac reuerenda virtutibus, pro infirmitatum generibus, & humanorum statuum diuersitatibus, vna tam remediorum collatrice, quàm munerum virtute medicatur. Quæ cùm admouetur, non est mutanda pro caussis. Iam enim ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat.* Et libro tertio de peccatorum meritis capite secundo sic ait Augustinus de Pelagianis: *Vnde coguntur paruulos baptizatos in credentium numero deputare, & auctoritati sanctæ vbique Ecclesiæ consentire, quæ fidelium nomine eos non censet indignos, quibus iustitia Christi, etiam secundùm istos prodesse nonnisi credentibus posset.* Et capite decimo nono eiusdem libri: *Nam vtique quos paruulos per Sacramentum fidelium fideles faciendos esse iudicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.*

124. *Quo sensu vellent Baptismum multa conferre dona.* Sed ad primum respondeo verba illa, in quibus præcipuè vis argumenti consistit, *Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus, ac reuerenda virtutibus &c.* intelligi posse, vt indicat ipse Iansenius, de gratia baptismi intransitiuè sumpta; id est, de baptismo ipso, qui locuples sit multis donis spiritualibus, & fœcundus muneribus, ac virtutibus, id est, viribus ad multos effectus præstandos: nimirum ad mundandam animam à peccatis, si est illis infecta, & ad pœnas peccatorum omnino remittendas, ad sanctificandum, & regenerandum in Christo, ad adoptandum in filios Dei, & cohæredes Christi, ad incorporandum nos eidem Christo & Ecclesiæ, fidelibúsque & viuis eius membris aggregandum per gratiam sanctificantem, nobis cum remissione peccatorum in baptismo collatam. Qui cùm adhibetur, non est mutandus pro causis, sed dona sua pro accedentium capacitate dispensat: id est, non est alia forma, alióve modo administrandus paruulis, quàm adultis: sed in vtrisque operatur effectum, cuius sunt capaces: nempe gratiam sanctificantem in paruulis, non habentibus peccatum, quod remittatur: in adultis verò, remissionem etiam peccatorum, præter gratiam, aliósque eius effectus suprà commemoratos, quos in omnibus operatur.

Ad secundum dico, liquere ex Augustino lib. 6. contra Iulianum cap. 3. quo sensu intelligerent Pelagiani paruulos fieri fideles in baptismo; nimirum quatenus credunt per eos, à quibus offeruntur, quíque eos tenent, aut respondent eorum nomine, cùm baptizantur. *Velitis, nolitis*, inquit, *paruulos credere confitemini in Christum per corda & ora gestantium. Ergo & ad illos pertinet dominica illa sententia, Qui non crediderit, condemnabitur.* Nec obest, quod opponit Iansenius cap. 24. vt probet eos, iuxta mentem Pelagianorum, credere, non ore tantùm alieno, verba proferendo, sed intus gratiam ipsam, quadam cõmunicatione recipiendo: quia idem S. Doctor l. 1. de peccatorum meritis, cap. 9. sic ait: *Gratia enim Christi illuminationem, & iustificationem nostram etiam intrinsecùs operatur: &c. Dat etiam* Christus, *sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis.* Nam Augustinus id non ex sententia Pelagij, sed ex sua dicit. Et quamuis diceret ex sententia Pelagij, id non plus probaret, quàm infundi gratiam habitualem, quam distinxisse Pelagium à virtutibus supernaturalibus probabilius est: vt nunc etiam faciunt plerique Theologorum cum D. Thoma 1. 2. q. 110. art. 3. Et quamuis D. Thomas tum ibidem, tum etiam 3. p. q. 69. art. 4. censeat virtutes supernaturales oriri à caritate, & per baptismum infundi: non sequitur Pelagianos eiusdem sententiæ cum illo hac in parte fuisse: sed potiùs oppositum colligitur ex dictis suprà num. 122. 125. *Et paruulos facere fideles.*

Alia quæ in confirmationem opinionis suæ addit Iansenius: quòd videlicet Pelagiani dicerent baptismum delere crimina, & abstergere, vbi illa reperit; salutem afferre, renouare, naturam instaurare, liberare à corpore mortis huius, regenerare, illuminare, vnde etiam vocatur Sacramentum illuminationis, iustificare, & sanctificare in Christo, spiritaliter procreare, Christi corpori, velut membra inserere, vnctionem dare Spiritus sancti, reconciliare hominem Deo, adoptare, & facere hominem filium Dei, & templum Dei, & hæredem eius ac cohæredem Christi. Hæc, inquam, omnia, quæ fusiùs ille prosequitur cap. 23. & duobus sequentibus minus habent difficultatis; quia facilè potuerunt intelligi à Pelagianis de gratia habituali, quæ hæc omnia munera præstet: sicut etiam reipsa præstat vel sola vel principaliter, in sententia Theologorum Catholicorum. 126. *Et peccata abstergere, renouare &c.*

Dices, auctoritates Patrum, quibus probari solet infundi etiam virtutes cum gratia sanctificante, non esse expressiores huiusmodi Pelagianorum assertionibus. Quare non minùs ex illis colligi debet admisisse Pelagianos virtutes infusas & supernaturales. 127. *Repellitur instantia.*

Respondeo negando antecedens. Nam sancti Patres faciunt expressam mentionem virtutum: vt Hieronymus in caput 26. Isaiæ circa illa verba, *Morientes non viuant:* vel, vt

habent LXX. *Mortui enim vitam non habebunt:* vbi sic ait: *Qui iniquitate mortuus est atque peccatis, antequam viuificetur iustitiâ, atque virtutibus per eum qui dicit, ego sum vita, viuere non poterit.* Et Augustinus epist. 85. ad Consentium, *Quid est aliud iustitia*, inquit, *cùm in nobis est, vel qualibet virtus, quâ rectè sapienterque viuitur, quàm interioris hominis pulchritudo?* Accepta scilicet in iustificatione: iuxta id, quod ait lib. 15. de Trinit. cap. 8. *Quæ natura*, humana, *cùm à suo creatore ab impietate iustificatur, à deformi forma formosam transfertur in formam.* Ad idem confirmandum adducit Bellarminus libro 2. de Iustif. cap. 8. illud Cyrilli Alexand. lib. 6. de Trinitate: *Calor*, inquit, *spiritus est, qui simul vt caritatem in nobis diffuderit, & igne mentes nostras inflammauerit, iam sumus iustitiam consecuti.* Similia dicunt Basil. lib. 1. de Baptismo cap. 2. Nazianz. & Nyssen. orat. in sanctum baptisma, Chrysost. homil. 16. in 1. ad Corinth. aliique Patres.

SECTIO XIV.

Admiserintne Pelagiani auxilium internum actuale respectu voluntatis?

128. *Conclusio negans.* CONSTAT ex dictis sect. 4. Pelagianos tale auxilium non admisisse, sed gratiam auxiliantem constituisse in lege & doctrina, exemplo Christi, & remissione peccatorum, id est, frequenti recordatione, quòd nobis dimissa fuerint: comprehendendo nomine doctrinæ, exemplum Christi, & internam illustrationem saltem ex parte obiecti, vt ibidem probauimus præcipuè testimoniis Augustini & Prosperi.

129. *Affirmat Iansenius.* Contrarium tamen vult persuadere Iansenius lib. 5. de hæresi Pelagiana, cap. 28. & duobus sequentibus. Vbi docet primò non existimasse Pelagianos illas motiones pias, actui libero præuias, atque indeliberatas, in quibus auxilium actuale ex parte voluntatis constituunt Theologi, repugnare libertati indifferentiæ. Quippe quorum dogma erat, *Sufficere hominem ingenitis sibi motibus dare leges*, id est, posse pro suo arbitratu consentire illis, vel dissentire: &, *Non esse tantas libidinis vires, vt eam ratio regere ac frenare non possit:* posséque non minùs regere motiones sollicitantes ad bonum, quàm motus indeliberatos concupiscentiæ, tam vehementer impellentes ad malum. Ad hoc tamen confirmandum nullum profert testimonium toto illo cap. 28. quo id probandum suscepit.

130. Docet secundò non dubitasse Pelagianos, quin huiusmodi motus boni, quibus ad Deum amandum, vel alia bona opera voluntas præuenta excitatur, frequenter in actum prodirent, æquè ac mali ad peccandum incitantes. Sed voluisse pias illas motiones diuinitus immissas voluntati, esse duntaxat adiutorium possibilitatis, id est, relinquens indifferentiam voluntati: non autem veram gratiam Christi Saluatoris, id est, necessitantem ad volendum. Priorem partem *Probat ex Iuliano.* huius assertionis probat verbis Iuliani apud Augustinum lib. 1. ad Bonifac. cap. 18. quibus asserit hominem *in bonis operibus à Dei gratia semper adiuuari: in malum verò, diaboli suggestionibus incitari.* Posteriorem verò probat tum ex communi axiomate Pelagianorum, sufficere hominem ingenitis sibi motibus dare leges: tum ex verbis Iuliani immediatè præcedentibus eodem loco, *Hominem Dei opus defendimus: nec ex illius potentia, vel in bonum, vel in malum, inuitum aliquem cogi, sed propria voluntate, aut bonum facere, aut malum.*

Docet tertiò, Pelagianos constanter negasse veram illam gratiam internam, & actualem voluntatis, vsque ad condemnationem sub Zozimo Papa: cùm ne tunc quidem admiserint adiutorium internum possibilitatis, quale voluntas Adami habuit in statu naturæ integræ: sed eousque senserint naturales illius vires sufficere ad implendam omnem iustitiam, reipsáque implere: & ad vitandum omne peccatum, reipsáque vitare: vt probat ex August. lib. de natura & gratia cap. 45. 48. & 51. & ex epist. Concil. Carthag. & Mileuit. ad Innocentium Papam, eiúsque responsione, apud Augustinum epist. 90. 92. 93. itémque ex eius epist. 106. ad Paulinum. Neque contrarium bene colligi ex his Pelagij verbis apud Augustinum lib. de gratia Christi, cap. 10. *Operatur in nobis Deus velle, quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos; & mutorum more animalium, tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit; dum reuelatione sapientiæ, in desiderium Dei, stupentem suscitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* Nam his non obstantibus, quæ Pelagius scripserat lib. 1. de libero arbitrio, D. Augustinus in epist. 106. ad Paulinum, posteriùs scriptâ, significat Pelagium sensisse auxilium gratiæ, quale Adamus habuit ante præuaricationem, non esse necessarium naturæ lapsæ, vt reparet, quod perdidit. Et in eodem lib. de gratia Christi, in quo refert Augustinus verba illa Pelagij, dicit cap. 3. se nusquam in illius scriptis inuenisse confessionem veræ gratiæ, sed tantùm remissionis peccatorum, & legis atque doctrinæ, & exemplorum Christi. Quin etiam eodem cap. 10. post eadem verba relata, subiungit; *Nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus operatur in nobis velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam. In lege namque atque doctrina sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia reuelatur: ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quod bonum est.* Neque obest quod addit de succensione voluntatis. Illam enim intelligit non aliter Deo tribuendam esse, nisi quia nudâ æternæ gloriæ pollicitatione sapientia reuelatur, atque exhortatione, siue suasione (quæ vt ait August. *etiam doctrinæ generalitate concluditur*) socordiam voluntatis excuti, eámque succendi, atque in desiderium Dei suscitari putat. Hoc autem totum suasionis, reuelationis, & promissionis genus circa solum intellectum adhiberi, neque cognitionis limites egredi manifestum est: & externâ quoque hominis docentis, atque suadentis operâ nonnunquam fit. Hæc Iansenius. 131. *Dicit Pelagianos tandem illud admisisse.*

132. *Cur putarent necessitatem gratiæ repugnare libertati?* Contra quæ dico primò, Pelagianos existimasse necessitatem auxilij interni respectu voluntatis repugnare libertati indifferentiæ, quia credebant voluntatem esse naturaliter completè liberam, & expeditam per seipsam ad bonum

& malum, vel eligendum, vel respuendum: quod non est, si non potest eligere bonum, neque vitare malum, sine auxilio gratiæ: aliásque ob causas, quas exposuimus sect. 7. huius disputationis, num. 71. & sect. 9. num. 91. & seq. Aliud autem est voluntatem posse resistere motibus sibi ingenitis: & non esse tantas libidinis vires, vt eam ratio regere non possit: & aliud, voluntatem esse liberam libertate indifferentiæ circa bonum & malum, quamuis non possit eligere bonum, aut respuere malum, sine auxilio gratiæ. Primum asserebant Pelagiani: secundum negabant.

133. *Soluitur argumentum sumptum ex Iuliano.* Dico secundò, malè probari à Iansenio Pelagianos admisisse aliquod auxilium gratiæ respectu voluntatis, ex verbis Iuliani, dicentis, *hominem in bonis operibus à Dei gratia semper adiuuari.* Hoc enim facilè potest intelligi, sicut reipsa intellexit Iulianus de gratia legis & doctrinæ, & exemplorum Christi, vel de memoria remissionis peccatorum, quam admittebant, & in quibus solis eos auxilium gratiæ constituisse affirmat sæpiùs Augustinus: vt lib. de gratia Christi, cap. 10. alibíque sæpiùs, & lib. de hæresibus, hæresi 88. quem librum scripsit Augustinus paulo ante mortem, vt ostendam sect. sequenti, diúque post condemnationem hæresis Pelagianę, sub Zozimo, librósque ad Bonifacium. Quare falsum est quod ait Iansenius, Iulianum tunc fuisse in contraria sententia, cùm dixit, verbis ab Augustino relatis libro 1. ad Bonifac. cap. 18. Hominem in bonis operibus à Dei gratia semper adiuuari. Quasi verò hæc verba non possint facilè conciliari cum illa eiusdem, & ceterorum Pelagianorum sententia, gratiam qua iuuatur liberum arbitrium ad bene operandum, aut non peccandum, consistere in lege & doctrina, exemplo Christi, & remissione peccatorum.

134. *Gratiam necessitantem meritò reiecerunt.* Dico tertiò, verè quidem Pelagianos negasse constanter gratiam necessitantem, tanquam libertati contrariam: sed illam quoque, & eandem ob causam, semper reiecisse Catholicos, & nunc etiam reiicere, vt contrariam sacris literis, & traditioni sanctorum Patrum, & summorum Pontificum, ac Conciliorum definitionibus, præcipuè Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & Senonensi, decreto fidei 15. in quibus definitur contra Lutherum & Caluinum, liberum hominis arbitrium *à Deo motum, & excitatum, posse dissentire si velit;* &, *non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Placuit tamen Iansenio, cum Luthero & Caluino sentire: illorúmque exemplo hanc doctrinam Catholicam Pelagianismi insimulare.

135. Porro testimonia, quibus probat cap. 30. Pelagianos non admisisse gratiam necessitantem; æquè probant non admisisse gratiam illam internam respectu voluntatis; cuius tamen oppositum ipse affirmat cap. 28. & initio cap. 29. Neque enim vllum affert, aut verò etiam afferre potuit efficacius argumentum ad id probandum, quàm quod sumitur ex verbis Pelagij apud Augustinum, lib. de gratia, cap. 10. affirmantis gratiam suscitare in desiderium Dei stupentem voluntatem. Quod tamen ipsemet aduersarius, post Augustinum eodem loco, fatetur intelligi posse, ac debere, quòd suscitet per modum doctrinæ, pertinentis ad intellectum, proponendo scilicet, & suadendo. Quare parum *Iansenius malè sibi constat.* aptè, & cohærenter ratiocinatur, quando contendit alia, quæ non plus habent difficultatis, non posse simili modo intelligi de gratia pertinente ad intellectum, sed necessariò exponi debere de gratia voluntatis.




DISPVTATIO VIII.

De quarto statu hæresis Pelagianæ, déque aliis eius dogmatibus.

SECTIO I.

Admiserintne tandem Pelagiani veram gratiam, quæ facit velle & operari?



AFFIRMAT Iansenius libro 6. cap. 1. & seq. atque hunc dicit fuisse quartum, & vltimum statum hæresis Pelagianæ, cœpisséque postquam Zozimus Papa Celestium, Pelagiúmque damnauit. Nam cùm antea docuissent Pelagiani gratiam non esse necessariam, neque ad inchoandum, neque ad perficiendum: sed *humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata seruanda sufficere posse naturam: & non esse orandum Deum, vt contra peccati malum, vel ad operandam iustitiam sit noster adiutor:* postea tamen, damnatione illa oppressi, asseruerunt hominem quidem sine gratia posse inchoare virtutem, & vitam bonam: ad perfectionem tamen assequendam Dei adiutorium esse necessarium. Atque ita sensisse Iulianum, qui post illam damnationem hæresis scripsit, probat ex Augustino libro 4. contra eundem, cap. 3. aliisque locis, quibus affirmat eum, & alios Pelagianos deinceps voluisse hominem, ex seipso habere bonum propositum, & *tantummodo ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius cœpti meritum etiam perficiendi gratiam consequatur:* id est, vt initio illo boni operis, aut bonæ voluntatis, quod à se habet, mereatur gratiam proficiendi, & perficiendi: *Veluti homo à seipso, sine adiutorio Dei, habeat propositum bonum studiúmque virtutis, quo merito præcedente, dignus sit adiuuari Dei gratia subsequente;* inquit August. lib. 2. ad Bonifac. cap. 10. Atque inde factum esse dicit Iansenius, vt quæ scripsit Augustinus contra Pelagianos, ante condemnationem, sub Zozimo, loquantur ferè de sola gratia iustis necessaria ad proficiendum, & perseuerandum. In posterioribus verò, de gratia necessaria homini ad inchoandum, & conuertendum se ad Deum ab infidelitate & iniustitia. 1. *Synopsis doctrinæ Ianseny.*

Quòd autem Pelagiani per gratiam illam necessariam ad perficiendum intellexerint veram, & internam Christi gratiam ex parte voluntatis, non autem solùm legem & doctrinam, vel exemplum Christi, & remissionem peccatorum, probat ex Augustino lib. de gratia, & lib. arb. cap. 14. sic scribente de Pelagianis: *Sed cùm fuerint conuicti non defensores, sed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrij, quia neque scientia diui-* 2.

ne legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Iesum Christum Dominũ nostrum datur; sed ipsa facit vt lex impleatur, vt natura liberetur, vt peccatum non dominetur. Cùm ergo in his conuicti fuerint; ad hoc se conuertunt, vt quocunque modo conentur ostendere gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Dicunt enim, quòd etsi non datur secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur, (& quia etiam nomine boni operis non comprehendebant initium illud bonæ voluntatis, ac neque etiam fidei) *tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur; quia bona voluntas præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, vt secundùm hæc merita, gratia sequatur exaudientis Dei.* Et serm. 13. de verbis Apostoli cap. 11. & 12. *Non sicut quidam dicere cœperunt, qui coarctati sunt aliquando gratiam confiteri: & benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt. Accedendo enim proficere potuerunt, & ad id quod verè rectum est, peruenire. Iam verò dicunt adiutricem esse gratiam Dei, ad faciliùs faciendum. &c.*

3. Ex quibus duobus Augustini locis, aliisque similibus, colligit aduersarius, Pelagianos gratiam illam dupliciter adulterasse; atque ita totum abstulisse, quod tribuisse videbantur. Nimirum quia dicebant veram illam gratiam, tametsi ad adipiscendam perfectionem vtilis sit, non tamen simpliciter esse necessariam, sed tantùm vt faciliùs obtineatur. Deinde quia volebant illam ipsam gratiam non dari gratis, sed ex merito: ac proinde non esse gratiam: quia vt ait Apostolus Rom. 4. *Si gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia.* Hæc autem merita illam præcedentia dicebant esse cupiditatem boni, id est, primam bonam voluntatem, siue credendi, & conuertendi se ad Deum, siue bene viuendi. *Illi volunt*, inquit Augustinus lib. 2. ad Bonifac. cap. 8. *ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur.* Idque affirmabant; ne alioquin inuito, & reluctanti homini diceretur immitti diuinitus cupiditas boni: si videlicet nondum volenti daretur gratia, quâ vellet. Ipsam quoque fidem inter huiusmodi merita numerabant. Quo sensu Pelagius apud Augustinum, lib. de gratia Christi, cap. 31. sic ait: *Illi* (infideles) *ideo iudicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri; malè vtuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui bene libero vtentes arbitrio, promerentur Dei gratiam* (credendo scilicet) *& eius mandata custodiunt.* Denique orationem etiam viribus humanis tribuebant, & inter merita gratiam præuenientia computabant. Eóque sensu intelligebant, quod Christus dixit, *Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Ibi enim vos (inquit August. lib. 4. contra Iulian. cap. 8. Pelagianos alloquens) *vt video, ponere iam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare; vt his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur.*

4. Tantopere autem extollebant merita illa humana gratiam præcedentia, vt dicerent Christum etiam per illa meruisse fieri Deum, seu potiùs illum in se inhabitantem habere. Nam Pelagius Nestorianismum, qui Deum atque hominem in Christo diuidit, præformauit; vt testatur Prosper in epitaphio hæres. Pelag. & Nestor. & Cassian. lib. 5. de Incarnat. cap. 2. quem errorem hausit ab Origene lib. 2. Periarchon. cap. 6. & lib. 4. cap. vlt. in hunc sensum exponente, quod de Christo dicitur Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem,* (puris naturæ humanæ viribus) *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Videntur autem Pelagiani in tam fœdum errorem lapsi esse, vt effugerent vim argumenti, quo vrgebantur à D. August. lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. *Respondeatur quæso*, inquit: *Ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? Quod eius bonum, qualecunque præcessit, &c.* Huc vsque Iansenius sex primis capitibus lib. 6. de hæresi Pelag.

Et hæc quidem omnia satis probant Iulianum, aliósque Pelagianos, post condemnationem sub Zozimo, cœpisse deflectere ad Semipelagianismum, & Nestorianismum. At non quòd veram & internam gratiam ex parte voluntatis admiserint. Nam iis non obstantibus, quæ Augustinus scripserat libro 2. ad Bonifac. cap. 10. & lib. de gratia, & lib. arb. cap. 14. & serm. 13. de verbis Apostoli, cap 11. & 12. ex quibus id probare conatur Iansenius: idem S. Doctor in lib. de hæresibus, hæresi 88. disertè affirmat Pelagianos, quicquid dissimulauerint, & sententiam mutare visi fuerint, semper in eo perstitisse, quòd adiutorium gratiæ ad bene operandum, & peccata vitanda, constituerint in lege & doctrina, exemplo Christi, & remissione peccatorum: illúdque non censerent esse simpliciter necessarium ad vtrumque præstandum, sed tantùm vt faciliùs fiat. Scripsit autem D. Augustinus librum de hæresibus, vel postremum, vel inter postremos; vt notarunt Doctores Louanienses in Censura eiusdem lib. initio tom. 6. & testatur Isidorus lib. de viris illustribus, cap. 9. vbi addit Augustinum morte præuentum, librum illum imperfectum reliquisse. Ex quo sequitur scriptum fuisse post libros ad Bonifacium, & librum de gratia Christi, aliósque suprà memoratos. Vt ex eo etiam perspicuè liquet, quòd in libris Retract. meminit quidem librorum istorum, iam antè à se scriptorum: At non libri de hæresibus: quippe quem nondum scripserat, quando sub finem vitæ libros à se iam editos recognouit. Id etiam constat ex epistola ipsiusmet Augustini, eidem libro de hæresibus præfixâ, quâ disertè affirmat se illum scripsisse post libros Retractationum. 5. *Numquam admiserunt Pelagiani gratiam voluntatis.*

Euidenter autem falsum est, quod ait Iansenius lib. 6. de hæresi Pelagiana, cap. 3. Augustinum in eo libro facere mentionem illius alterius gratiæ, cùm sic ait: *Denique Pelagius à fratribus increpitus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda; correptioni eorum hactenus cessit, vt non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam.* Nam D. Augustinus verbis illis, iunctis immediatè præcedentibus, & sequentibus, nihil aliud significat, nisi quòd Pelagius, cùm priùs affirmaret, & crederet posse hominem seruare omnia Dei mandata sine gratia, 6. *Contrariū malè probatur ex Augustino.*

cùm tamen Christus è contrario affirmet, *Sine me nihil potestis facere:* postea Catholicorum obiurgatione commotus, & aliquatenus cedens eorum correptioni, dixit gratiam dari, vt faciliùs impleri possint: significans hac voce, *faciliùs*, posse tamen sine illa impleri. *Illam verò gratiam Dei* (inquit immediatè pòst Augustinus) *sine qua nihil boni possumus facere* (iuxta verba Christi relata) non *esse dicunt* (Pelagiani) nisi *in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura: ad hoc tantùm ipso adiuuante per suam legem atque doctrinam, vt discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus: non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, vt quæ didicimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur: caritatem autem dari negant, quâ piè viuitur: vt scilicet, cùm sit Dei donum scientia, quæ sine caritate inflat: non sit Dei donum ipsa caritas, quæ vt scientia non inflet, ædificat.* Hæc Augustinus; quibus perspicuè testatur Pelagium, eiúsque asseclas, etiam tunc cùm hæc scriberet, non admisisse nisi illud genus gratiæ, quod confert ad sciendum quæ facienda sunt, adeóque se tenet ex parte intellectus; non autem illud, quod se tenet ex parte voluntatis, conférttque immediatè ad volendum, & faciendum.

7. Quare per gratiam illam, quam visi fuerant locis relatis num. 2. tandem admittere vltra legem & doctrinam: non intellexerunt veram, & internam gratiam auxiliantem ex parte voluntatis, dantémque illi velle & operari: sed aliquid pertinens ad scientiam, distinctum à lege, & doctrina externa: nimirum vel internam illustrationem ex parte obiecti; vel etiam fortasse ex parte causæ, id est, auxilium eleuans intellectum ad meliùs percipiendam legem & doctrinam, & exemplum Christi, ac beneficium remissionis peccatorum. Et quidquid verbis speciosis præ se ferrent, vt vim argumentorum à Catholicis sibi obiectorum effugerent: non fuit illa vera sententiæ mutatio, & veræ gratiæ voluntatis confessio: sed similis illi, quâ Pelagius Augustinum fefellerat, dicens, vt ipse refert libro de gratia Christi, cap. 23. *Quâ arbitrij libertate qui bene vtitur, ponit cor suum in manu Dei, vt illud, quò voluerit, Deus ipse declinet.* Quibus verbis inductus fuerat Augustinus ad exclamandum, *Magnum profectò adiutorium diuinæ gratiæ, vt cor nostrum, quò voluerit, Deus ipse declinet.* Sed postea, fraudem eius detegens, postquam exactè diligentérque omnes illius scriptorum latebras perlustrasset, vt in illis veræ gratiæ confessionem exquireret: nihil se in illis inuenisse dixit, quod non de lege, & doctrina posset exponere Pelagius suis discipulis: vt ait eodem lib. capite 41. Certè iniuriosè & calumniosè Pelagianos tractasset Augustinus, si cùm illi sententiam mutassent, & veram Christi gratiam ex parte voluntatis tandem agnouissent, perstitisset nihilominus vsque ad extremum vitæ, in illis accusandis, quòd gratiam tantùm admitterent, quâ scire valeamus quæ facienda sunt: non autem veram Christi gratiam, quâ velimus & faciamus.

SECTIO II.

Quid senserint Pelagiani de Prædestinatione?

EORVM dogmata circa prædestinationem recenset Iansenius, lib. 6. cap. 7. & sequent. docétque primò omnem prædestinationem, & electionem gratuitam sustulisse: volentes gratiam non dari nisi præuiis quibusdam meritis, sola virtute naturali factis: & gloriam similiter non tribui nisi vel propter sola illa merita; iuxta priorem sententiam, quâ credebant vires naturales sufficere, non solùm ad inchoandum, sed etiam ad perficiendum, & faciendum quidquid ad salutem necessarium est: vel adiunctis meritis, cum auxilio gratiæ factis, iuxta posteriorem sententiam; quâ dixerunt vires naturales egere gratia ad perficiendum. 8. *Negarunt prædestinationem gratuitam.*

Secundò, scopum Pelagianorum fuisse, & Semipelagianorum in errore suo condendo, vt humana salus, quemadmodum & meritum, ex humani arbitrij libertate penderet: ita vt si quid fortè ad salutem assequendam operaretur Deus per suam gratiam, vltima tamen discretio vnius ab alio, operantis à non operante, credentis ab incredulo, volentis à nolente, nequaquam à Deo, sed ex liberi arbitrij cardine flexúque voluntatis peteretur. Atque hanc totius hæresis Pelagianæ radicem, & caput fuisse dicit, & cardinem in quo vertitur tota erroris illius impietas. Cetera enim, quæ dixerunt de naturali integritate, de primis hominibus, de paruulis & adultis, de prædestinatione & electione, de lege & doctrina, de exemplo Christi & remissione peccatorum, &c. vel sunt illius erroris fulcimentum, vel tanquam ornamentum ab illis addita fuerunt, vel ad mitigandam inuidiam excogitata. 9. *Eorum scopus.*

Tertiò, sententiam illorum fuisse, vt quandoquidem nemo peccati reus, vel iudicio diuino nascitur obnoxius, sed sine vitio, æquè ac sine virtute nascimur, & vtriusque capaces sumus: Deum generaliter velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vt qui voluerint credant; & neminem ex Dei potentia, vel in bonum, vel in malum inuitum cogi, id est, necessitari, & ex nolente volentem fieri, aut reluctanti studium virtutis immitti: quia personarum acceptio non est apud Deum. Hoc enim ex mera & sola hominis libertate pendet. Nam *ante hominem vita & mors: quod placuerit ei, dabitur illi:* ne libertas scilicet tollatur arbitrij, homini donata in ipsa creatione: cuique sufficiebat initio ad seruandam iustitiam contéplatio creaturarum vt cognosceret Deum, & quomodo esset viuendum, per legem naturalem scriptam in corde vniuscuiusque. Postea verò, cùm propter naturæ corruptionem ortam ex peccandi consuetudine, non sufficeret lex naturalis; data est lex Mosaïca, per quam veluti abstersa caligine, natura humana pristino nitori restitueretur. Cúmque nec illa sufficeret, auctâ magis peccandi consuetudine; venit Christus vt suâ gratiâ tanto morbo succurreret. 10. *Quid sentirent de voluntate Dei saluandi homines.*

Quam Christi gratiam multiplicem esse dice- 11.

Gratiam Christi multiplicem statuebant. bant. Primam volebant in eo consistere, quòd Deus illum pro omnibus hominibus tradidit, & non pro aliquibus tantùm, quos ipse peculiari voluntate putetur selegisse. Secundam gratiam Christi, & magis propinquam dicebant esse remissionem peccatorum, siue baptismum, præparatum hominibus legis præuaricatione reis, quam propter inualescentem peccandi consuetudinem iam ampliùs seruare non poterant. Et hanc etiam Christi gratiam dicebant esse generalem, omnibúsque indifferenter propositam: sed quòd vni præ alio detur, hoc ex hominum voluntate contingere, quorum vnus credere velit, alius nolit. Deo namque circa omnes homines, per vniuersum mundum commune, & generale est studium, vt qui voluerint, credant: & qui crediderint, iustificationem merito fidei, & bonæ voluntatis accipiant. Tertiam dicebant consistere in doctrina, quam Christus attulit mundo; & in exemplo virtutum eius, quibus adiuti homines studerent deinceps custodire iustitiam, quam in baptismo acceperunt.

12. *Quid sentirent de vocatione.* Denique inquit Iansenius, cùm quatuor sint, quibus Dei beneuolentia, & Christi gratia erga homines elucent: vocatio, iustificatio, glorificatio, & quæ in Deo est, æterna prædestinatio: sic de singulis Pelagiani statuebant, vt vocationem hominum peccatorum ad prædictam baptismi gratiam per fidem accipiendam, dicerent esse gratuitam: ita tamen vt rationem cur illis, non aliis Euangelium annuncietur, & per illud vocentur ad baptismum, dicerent esse, quia Deus præsciuit illos esse credituros. Similitérque, cur hoc potiùs tempore, vel loco prædicaretur Euangelium, causam esse, quia Deus præsciuit, tunc aut tali loco credituros. Quare nullam agnoscebant peculiarem beneuolentiam seu propositum Dei, secundùm quod vnum, alio prætermisso, vel integras etiam nationes, neglectis aliis, ad salutem adiuuet: sed hanc discretionem volebant ex alicuius diuersitatis ab hominibus datæ, & vnum ab alio secernentis præuisione, contingere: siue hoc aliquod opus bonum, siue minora peccata esse dicantur. Hinc erat, quòd vocationem secundùm propositum, de qua loquitur Apostolus, vellent intelligi non de proposito ipsius Dei, sed hominis, cuius bonum propositum, tanquam bonum meritum, sequatur misericordia vocantis Dei. Quamuis etiam id intelligerent de voluntate, quâ Deus statuit homines legis transgressionis reos, iustificare per baptismum & fidem in Christum, gratis, non exigendo ab illis vt priùs exequantur opera legis, neque imponendo pœnitentias pro peccatis antè commissis. Quod propositum dicebant esse proprium legis Euangelicæ: nam antea iustificabantur homines per exactam, & perfectam obseruationem legis: ideóque non erat tunc gratuita remissio.

13. *Et de electione.* Consequenter autem ad hanc doctrinam statuebant duplicem electionem. Vnam meritorum: alterâ gratiæ, seu fidei. Electionem meritorum dicebant esse, quâ quis ad salutem eligitur ex meritis operum, quibus lex & mandata custodiuntur. Electionem gratiæ, quâ quis gratis per fidem eligitur ad salutem, vt modò explicatum fuit. Priorem dicebant esse propriam legis Mosaïcæ: posteriorem, Euangelicæ, in qua Christus Gentiles, & alios ad iustificationem gratuitam per baptismum vocauit. Neque tamen volebant electionem istam esse adeo gratuitam, vt nihil omnino meriti antecederet. Nam aliquam diuersitatem ex parte electorum necessariam esse credebant: nimirum aliquod meritum, saltem fidei, propter quod vnum alteri sapienter, & discretè, non autem cæco modo, vel cum personarum acceptione præponeret. Vnde quando Gentiles prætulit Iudæis; hoc factum esse dicebant propter bonas, aut malas illorum & istorum voluntates: atque ita Deum sine iniustitia, & acceptione personarum erga vtrosque se gessisse. Sed ideo solùm gratuitam esse dicebant, quia remissio peccatorum, & iustificatio datur per baptismum sine præmissa obseruatione legis, & sine laboriosa pœnitentia, dummodo tamen illi in Christum voluntariè, & liberè credant. Quam fidem dicebant non esse propriè meritum, sed opera, quæ postea fiunt ex fide. Fidem autem intelligebant, quæ per solas naturæ vires exerceatur: non quam Deus per auxilium gratiæ suæ operetur. Et sicut hæc electio fit in tempore propter huiusmodi fidem: ita ab æterno fuit decreta propter huiusce fidei præscientiam.

Iisdem principiis insistendo, nullam prædestinationem admittebant, quæ non esset ex operibus, vel saltem ex fide. Ex operibus quidem. 14. *Quam prædestinationem admitterent.* *Quos preuidit futuros conformes Christo in vita, voluit vt fierent conformes in gloria*: inquit Pelagius in caput 8. ad Rom. num. 50. Ex fide verò præscita similiter *hos prædestinauit*, vt idem ait in caput primum epist. ad Ephes. num. 13. *vt haberent potestatem filij Dei fieri, homines qui credere voluissent.* Itaque præscientiam, & prædestinationem idem esse dicebant. Similique modo de reprobatione philosophabâtur. Cúmque ab illis quæreretur, quomodo Deus de paruulis aliquos eligit præ aliis, in quibus tamen neque fides, neque opera vlla præcesserunt? respondebant eligi propter fidem, aut opera præscita à Deo, vel absolutè futura in illis, qui diutiùs victuri sunt: vel conditionatè futura, si diutiùs non sunt victuri, neque ad ætatem adultam, vsúmque rationis peruenturi. *Nam Deus* (vt aiunt apud Augustinum epist. 105. ad Sixtum prope finem) *in eis quos hinc aufert, præuidet, quemadmodum victurus esset quisque, si viueret; & ideo quem nequiter nouit fuisse victurum, sine baptismo facit & mori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.*

Sic igitur electorum, & reproborum discretionem fundamentalem, radicalem, & vltimam 15. *Vnde peterent discretionem electorum à reprobis.* cardine tandem humanæ voluntatis niti volebant, quæ vel operando totam iustitiam ipsa sibi parit: vel saltem volendo, credendo, pulsando, gratiæ prouocat adiutorium, quo adiuta possit vlteriùs, quod per se ipsa non potest. Atque ita volentis hominis conatus eligitur, non misericordis Dei prædestinatio commendatur. Neque verum est, quod ait Apostolus, Deum pro sua misericordia facere alios vasa gloriæ: alios pro sua iustitia facere vasa in contumeliam: sed hanc discretionem ab hominibus ipsis oriri. Huc vsque Iansenius, prædicta omnia sugillans velut erronea, & Catholicæ fidei dissentanea.

SECTIO III.

Síntne prædicta omnia inter Pelagianos errores computanda?

16. *Illorum error circa prædestinationem.* SED hîc quoque vel mala fide, vel ex ignorantia, sine delectu, & discretione vera falsis permiscet, & Catholica dogmata Pelagianis. Nam error quidem Pelagianus est, damnatus à Synodo Arausic. II. can. 3. & pluribus sequentibus, dicere gratiam & gloriam non dari nisi præuiis meritis naturalibus, per solas vires liberi arbitrij factis: salutémque nostram, & illius meritum, discretionémque vnius ab alio, credentis à non credente, electi à reprobo, non ex Dei gratia, sed ex nutu liberi arbitrij solis viribus naturalibus operantis, peti debere. At verò, quòd salus nostra, & meritum, & discretio vnius ab alio pendeat ab humana libertate præuenta per Dei gratiam, & ab eadem adiuta, non est error Pelagianus, sed veritas Catholica, tradita in Script. Deuter. 30. *Proposui vobis hodie vitam, & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, &c.* Eccles. 15. *Si volueris seruare mandata, conseruabunt te, &c. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors; bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Iosue 24. *Optio vobis datur: eligite hodie, quod vobis placet, cui seruire potissimum debeatis, &c.* Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis, &c.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quibus, & similibus locis Scriptura manifestè docet pendere à libera nostra voluntate & electione, vt bene vel malè operemur, & vitam æternam consequamur, vel æterna morte puniamur.

Non est error, dicere salutem pendere à libertate cum gratia. Probatur ex Scriptura.

17. *Et ex Patribus.* Idem perspicuè docent sancti Patres, quorum plura testimonia referemus alibi: sufficiet in præsens aliquot Augustini & Hieronymi adducere. Sic ergo loquitur Aug. lib. 2. de Actis cum Felice Manich. cap. 4. *Habet vnusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona* ferens fructus meritorios vitæ æternæ, *aut eligere, quæ mala, & esse arbor mala,* ferens fructus meritorios æternæ damnationis. *Hoc ergo Dominus dicens* (videlicet, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum) *ostendit esse in potestate, quod facerent: & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent: si malum eligerent, pœnam illius sentirent.* Et lib. 50. homil. hom. 16. *In tuo arbitrio posuit Deus cui pares locum: Deo an diabolo.* Illud autem dicitur esse in nostra potestate & arbitrio, quod si volumus, fit: si nolumus, non fit: inquit idem S. Doctor lib. de Spiritu & litera, cap. 31. & lib. de gratia & lib. arb. cap. 2. relatis his Scripturæ verbis, *Si volueris, conseruabis mandata, &c. Apposuit tibi ignem, & aquam: ad quodcunque volueris extende manum tuam, &c.* ita concludit: *Nemo ergo Deum causetur in corde suo: sed quisque sibi imputet cùm peccat: neque cùm aliquid secundùm Deum operatur, alienet illud à propria voluntate;* liberè scilicet bonum, sicut & malum operante. Hieronymus verò epist. 8. ad Demetriadem, *Si vis,* inquit, *esse perfectus, non cogo, non impero; sed propono palmam, ostendo præmia: tuum est eligere, si volueris in agone atque certamine coronari.* Et in caput primum Isaiæ, circa illa verba, *Si volueritis, bona terræ comedetis,* sic ait: *Liberum seruat arbitrium: vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna, vel præmium sit.* Et in caput 55. relatis his Scripturæ verbis, *Aut facite arborem bonam, &c.* dicit inde perspicuum esse, *vnumquemque propria voluntate facere anima suæ bonam aut malam arborem, cuius fructus varij sunt,* vitæ scilicet, aut mortis æternæ.

18. *Et ex Conciliis.* Idem quoque docent Concilia, præcipuè Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. definiens liberum hominis arbitrium ita cooperari gratiæ vocanti, & excitanti, atque iuuanti ad bene operandum, vt possit dissentire si velit: adeóque pendere à libera eius electione, quod bene operetur, consentiendo. Et cap. 13. dicit pendere à nobis, vt perseueremus in accepta iustitia; & consequenter perueniamus ad coronam promissam perseuerantibus: foréque vt perseueremus, si Dei gratiæ paratæ nos iuuare, ipsi non defuerimus. Et Concil. Arausic. can. 25. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus,* inquit, *quòd accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Itaque iuxta doctrinam Scripturæ, & sanctorum Patrum, Conciliorúmque definitionem, salus nostra, & meritum, discretióque volentis à nolente, operantis à non operante, perseuerantis à deficiente, pendet, & petitur à libero flexu voluntatis, non solius, sed gratiâ præuentæ, & cooperantis, aut non cooperantis auxilio sibi oblato. Idque nonnisi ineptissimè Pelagiani erroris insimulari potest.

19. *Deus vult omnes homines saluos fieri. Probatur ex Scriptura.* Neque minùs ineptum est, Pelagianismi accusare propositionem hanc, *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire.* Hæc enim non Pelagiana, sed Apostolica est assertio, à Paulo tradita iisdem terminis, 1. Timoth. 2. Quódque generaliter, vt verba sonant, intelligenda sit, persuadent adiuncta in textu. Nam immediatè antea monet Apostolus, & obsecrat, vt oretur pro omnibus hominibus. Est autem orandum pro omnibus absolutè, & sine exceptione: atque hunc esse morem totius Ecclesiæ testatur Prosper, ad obiect. Vinc. obiect. 2. cuius verba referemus paulò pòst. Quare sicut particula vniuersalis, *pro omnibus,* sumitur generaliter & sine exceptione, quando Paulus dicit orandum esse pro omnibus hominibus: eodem planè modo sumi debet, quando addit immediatè pòst, Deum velle omnes homines saluos fieri; ne alioquin in tam breui contextu æquiuocè loquatur. Præsertim verò, cùm rationem hanc reddat, cur orandum sit pro omnibus: quia Deus vult omnes saluos fieri. Idque magis confirmat altera ratio, immediatè paulò pòst à Paulo subiuncta: *Vnus est enim Deus: vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Etenim Deus est vniuersalissimè, & sine vlla exceptione omnium Deus, vt perspicuum est. Et Christus est generalissimè omnium hominum mediator, seipsúmq; dedit redemptionem pro omnibus sine exceptione, vt probabimus paulò pòst. Adde quòd Scripturæ verba debent in-

telligi vt sonant, quantum fieri potest: iuxta regulam Diui Augustini libro tertio de doctrina Christiana, capite decimo, & exceptio ab aduersario prætensa, alibi manifestè excluditur in sacris literis: Ezechielis 18. vers. 13. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non magis, vt conuertatur & viuat?* Et 2. Petri 3. vers. 19. *Nolens aliquos perire, &c.* Eodémque sensu generalissimo prædicta Pauli verba exponunt, & illam Dei voluntatem ad omnes sine exceptione extendunt Sancti Patres communiter, speciatimque illi, qui Pelagianis fortiùs restiterunt: vt Hieronymus in caput primum epist. ad Ephes. circa illa verba, *In quo & sorte vocati sumus:* vbi sic habet: *Vult* Deus *saluari omnes, & in agnitionem veritatis venire: sed quia nullus absque propria voluntate saluatur (liberi enim arbitrij sumus) vult nos bonum velle: vt cùm voluerimus, velit & ipse suum in nobis implere consilium.* Huc vsque Hieronymus, loquens de adultis, quorum nullum penitùs ab illa generali assertione Pauli excludi vult. Quódque alij saluantur, alij pereunt, non ex Dei voluntate oriri quasi aliquos tantùm saluare voluerit, & ex massa damnationis extrahere, vt vult Iansenius: sed ex eo quòd illi libero bene vtuntur arbitrio, faciúntque, adiuti Dei gratia, quæ ad salutem necessaria sunt: alij sua libertate abutentes, impediunt ne Deus suum in illis impleat consilium, id est, voluntatem eos saluandi exequatur. Idem, & iisdem ferè verbis

Et ex Patribus.

20. affirmat Diuus Augustinus libro de spiritu, & litera, capite 33. *Vult Deus*, inquit, *omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt:* quippe qui volebat vt crederent, & saluarentur. *Nec ideo tamen eam vincunt: verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant: experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt.* Ergo quod pereant, non ex eo prouenit, quòd Deus non voluerit eos saluare: sed quòd Deum misereri, & saluare volentem, libero suo malè vtentes arbitrio, contempserunt. Est autem liber iste *de Spiritu & litera*, vnus ex illis, quos D. Augustinus contra Pelagianos exarauit.

21. Neque minùs perspicuè idem affirmat Prosper eius discipulus, libro secundo de Vocat. Gent. capite 28. vbi dicit *Manifestum esse, quòd diuersis, atque innumeris modis omnes homines, vult Deus saluos fieri: & in agnitionem veritatis venire, sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur* voluntati Dei scilicet, & auxiliis gratiæ, quibus eos volebat ad salutem perducere. Et in respons. 2. ad obiect. Vincent. *Sincerissimè credendum*, inquit, *atque profitendum est, Deum velle vt omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissimè præcipit quòd in omnibus Ecclesiis piissimè custodiatur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus, quòd multi pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum.* Itaque qui pereunt, non idcirco pereunt, quòd Deus non habuerit voluntatem eos saluandi: sed quòd eius voluntati non consenserint, malisque suis meritis damnationem sibi accersiuerint. Et libro secundo de Vocat. Gent. capite 23. dicit, generalem illam Dei voluntatem ad omnes etiam paruulos extendi. Nam postquam sæpiùs inculcauit illam Pauli sententiam, *Vult omnes homines saluos fieri*, ad illos etiam pertinere: subdit de præmaturè morientibus sine baptismo, *Isti ad eam pertinent partem gratiæ, quæ semper est vniuersis impensa nationibus, quâ vtique si bene eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur, &c.*

Quando autem Diuus Augustinus videtur dicere contrarium; intelligendus est de voluntate efficaci, id est, quæ reipsa sortitur effectum. Quo pacto vult eos tantùm saluare, quos præuidit gratiis suis bene vsuros, vel in statu gratiæ per baptismum, aut aliud medium acceptæ morituros, vel eam tandem recuperaturos: non autem de voluntate simplicis desiderij, & conditionati; quæ ad omnes sese extendit, & quantum est de se vult omnes saluos fieri per Sacramenta, vel per auxilia gratiæ, si non obstet libertas creaturarum, & non desit earum cooperatio, vel vsus mediorum salutis, positus in libertate adultorum, tam pro seipsis, quàm pro paruulis, curæ illorum commissis. 22.

Exponitur Augustinus.

Pari impostura recenset Iansenius inter Pelagianorum dogmata, quòd dicerent Deum tradidisse Christum pro omnibus, & non pro aliquibus tantùm, quos peculiari affectu putetur selegisse. Nam istud quoque verum, & Catholicum dogma est, assertum ab Apostolo 1. Timoth. 2. vbi dicit *vnum esse Deum, & vnum mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* & non pro aliquibus tantùm, quos peculiari affectu selegerit, nimirum pro solis electis, aut fidelibus, vt vult Iansenius. Cuius restrictio manifestè repugnat menti eiusdem Apostoli, disertè affirmantis, Christum etiam pro reprobis, & infidelibus mortuum esse, cùm sic ait 1. Corinth. 8. *Peribit in tua conscientia frater infirmus, frater pro quo Christus mortuus est.* Et 1. Timoth. 4. vers. 10. *Qui est redemptor omnium, maximè fidelium.* Vbi, vt rectè ait Prosper libro secundo de Vocat. Gent. capite 31. dicendo *maximè fidelium*, ostendit non pro illis solis, sed etiam pro infidelibus saluandis mortuum esse. *Dicendo enim, qui est Saluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei super vniuersos homines esse generalem. Adiiciendo autem, maximè fidelium, ostendit esse partem humani generis, quæ merito fidei diuinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis proueharur.* 23.

Christus pro omnibus mortuus est.

Scriptura id docet.

Eadem restrictio manifestè reiicitur 1. Ioan. 2. vbi de Christo dicitur, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris:* id est, fidelium, quos Ioannes alloquitur: *& non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*, id est, non pro fidelibus tantùm, sed & pro omnibus aliis. Ideóque S. August. tract. 1. in Ioan. epist. 1. affirmat hoc dictum fuisse *propter illos, qui se diuisuri essent, & vellent ostendere eum in parte, qui emit totum.* Et Rom. 5. vers. 18. comparat Apostolus generalitatem redemptionis Christi, cum 24.

Confirmatur ex Augustino.

K

generalitate transfusionis peccati Adæ: ita vt, sicut peccatum Adæ pertinet ad omnes, via naturali generationis ab eo descendentes, absque vlla exceptione, nisi fortè Beata Virgo singulari priuilegio, etiam à debito illius contrahendi exempta fuit: sic & Christi redemptio ad omnes sine exceptione pertineat. *Sicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem.* Et 1. Corinth. 5. vers. 14. *Arbitrantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Quæ verba expendens D. August. lib. 6. contra Iulian. cap. 4. sic ait: *Vnus, inquit Apostolus, pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse, vt moreretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus. Impingo, inculco, infercio recusanti, &c. Vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat vt in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.* Quódque non tantùm pro electis, aut pro solis fidelibus mortuus sit Christus, manifestè docet idem S. Doctor lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 8. vbi Christum inducit ita loquentem in die iudicij reprobis, & incredulis Iudæis, à quibus crucifixus est: *Videtis vulnera quæ infixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? Quoniam, & per vos, & propter vos apertum est, neque tamen intrare voluistis.* Et in Psal. 68. ad ver. 27. de Iuda proditore, & reprobo sic ait: *Proiecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat: nec agnouit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.*

25. *Exponuntur loca, quibus videtur id negare.* Quare si alicubi dicere videtur Christum pro illis mortuum non esse, intelligendus est, quoad efficacem applicationem redemptionis: non autem quoad sufficientiam, & intentionem Christi, qui seipsum pro salute omnium tradidit: quamuis multi vel suâ, vel aliorum culpâ, redemptionis beneficio, eiúsque fine, qui est salus & iustificatio, non fruantur. Nam vt ait Trident. sess. 6. cap. 3. *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius applicatur.* Quam applicationem dicit consequenter cap. 4. & 5. fieri in lege Euangelica per baptismum in re, vel in voto, & per gratiam Dei præuenientem nos, & iuuantem, cum libera nostra cooperatione.

26. *Probatur ex aliis Patribus.* Denique restrictio illa Ianseniana repugnat etiam vnanimi sententiæ Patrum, qui prædicta Pauli verba 1. Timoth. 2. generalissimè intelligunt, & sine exceptione: vt Clemens Alexand. lib. 7. Stromat. vbi sic habet; *Seruator est non horum quidem, aut illorum, sed omnium,* & Gregor. Nazianz. orat. 25. *Per Christi cruciatus omnes citra vllam exceptionem instaurati sumus, qui primi Adæ participes fuimus.* Et Chrysost. hom. 7. in 1. ad Timoth. *Quid ergo,* inquit, *pro Gentilibus etiam mortuus est Christus? Ita sanè: & pro illis etiam orare vos pigere non debet. Quomodo ergo non crediderunt? Quia credere noluerunt, suas tamen ille partes executus est, dum pro eis in cruce penderet.* Similia dicunt Ambrosius serm. 8. in Psalm. 118. Hieronym. in epist. 83. ad Oceanum, de bigamia. Augustinus verbis suprà relatis ex lib. 6. contra Iulianum, capite 4. iterúmque capite nono. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium, cap. 16. & 31. Leo serm. 1. de Natiuit. & epist. 83. ad Episcopos Palæst. & alij, quorum plura testimonia referemus alibi, vbi ex professo hac de re disputabitur. Nunc hæc sufficiunt ad refellendam ineptam æquè, ac iniustam Iansenij censuram, ponentis inter dogmata Pelagiana veritatem Catholicam sæpiùs traditam in sacris literis, & à Sanctis Patribus vnanimiter & constanter assertam: vt omittam Concilia Arelatense & Valentinum, quæ eidem apertè suffragantur. *Et ex Conciliis.* Arelatense quidem (de quo vide Baronium ad ann. 400.) approbans epistolam Fausti ad Lucidum, & anathematizans eum, qui dixerit Christum non esse mortuum pro omnibus, nec omnes homines saluos fieri velle. Valentinum autem sub Lothario, cap. 5. dicens: *Firmissimè tenendum esse Christum pro illis etiam mortuum esse, qui redemptionem eius irritam potiùs facere, quàm seruare elegerunt;* id est, qui negligunt frui eius beneficio, & pereunt.

SECTIO IV.

In quo errauerint Pelagiani circa electionem ad gratiam, & prædestinationem ad gloriam.

Respondeo errasse quidem in eo quòd volebant electionem ad beneficia gratiæ, 27. *Volebant pendere ex fide, & meritis naturalibus.* putà ad vocationem, ad prædicationem Euangelij, ad baptismum, ad pœnitentiam, pendere ex fide, vel ex bonis operibus, per solas vires naturales habitis: neminémque vocari nisi præsuppositis huiusmodi fide naturali vel operibus, absolutè, aut conditionatè præuisis: propter quæ meritoriè hi potiùs vocentur, quàm illi. Quem errorem damnauit Trident. sess. 6. *Damnantur à Tridentino, & Arausicano.* cap. 5. definiens vocationem ipsam fieri per Dei gratiam præuenientem gratis, hoc est nullis eorum, qui vocantur, præexistentibus meritis. Et cap. sequenti addit fidem ipsam, æquè ac alias dispositiones necessarias ad iustificationem, fieri in nobis per gratiam illam præuenientem, vocantem gratis, & excitantem ad credendum. Eundem proscripsit Arausic. II. can. 3. damnans eum qui dixerit, per inuocationem humanam, gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis. Et can. 4. addit eum resistere Spiritui sancto, qui dicit Deum expectare voluntatem nostram, vt à peccato purgemur: non autem vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem fieri. Et can. 5. dogmatibus Apostolicis aduersari pronunciat eum, qui asserit, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, &c. non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, sed naturaliter nobis inesse. Idémque confirmat tribus sequentibus canonibus. 28.

Et Prædestinationem esse ex tali fide, & meritis. Errauerunt secundò, in eo quod affirmabant prædestinationem, siue electionem, & voluntatem efficacem dandi gloriam, nullam

esse nisi ex tali fide, vel operibus naturalibus, velut illius meritoriis, & absolutè, aut conditionatè præuisis. Quem errorem damnauit Arausicanum, can. 7. definiens hæretico falli spiritu eum, qui dixerit, posse per naturæ vigorem, sine illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, cogitari, aut eligi aliquid, quod ad salutem vitæ æternæ pertineat. Pertinet autem ad illam sine dubio, quicquid illam meretur, & quicquid illius est causa.

29. *Impostura Iansenij.* Sed velle, ad eundem errorem spectare sententiam communem inter Theologos, quæ affirmat prædestinationem non esse factam nisi ex præuisione absoluta fidei & operum, cum Dei gratia exercitorum, vel aliarum conditionum necessariarum ad salutem ex parte creaturarum: hanc, inquam, sententiam velle erroris Pelagiani damnare, plenum est temeritatis, aut ignorantiæ: quod tamen subobscurè, & fraudulenter intendit Iansenius hoc loco: apertiùs autem libro nono de gratia Christi Saluatoris, & in Statera, capite quarto. Nam primò, nunquam Ecclesia hanc sententiam damnauit erroris, neque contrariam approbauit. Quinimò Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, componens controuersias occasione doctrinæ Diui Augustini excitatas à Massiliensibus, quibus aliter docere ille videbatur: permisit libertati opinandi varias illorum hac de re sententias: dicens se neque damnare, neque approbare quæstiones interoccurrentes, tractatas ab illis, qui Pelagianis restiterant: sufficeréque ad retinendam fidem, & sententiam Ecclesiæ Catholicæ in materia cum Pelagianis controuersa, si adhæreatur decem articulis, quos ibidem proponit: in quibus nulla prorsus fit mentio de prædestinatione ad gloriam, facta ante præuisionem, siue independenter à præscientia fidei, & operum salutarium, vel conditiónum necessariarum. Deinde, vt rectè ostendunt Petauius tomo primo dogmatum, libro nono, Martinonus tomo primo, disputatione decima nona, sectione quarta, & plures alij, sententia affirmans, non esse factam nisi ex tali præuisione, communissima fuit Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui Augustinum præcesserunt: vt opponebant illi Massilienses, & Prosper ipse in eius epistola, præfixa libro de Prædestinatione Sanctorum, idque fatetur ipsemet Augustinus, capite decimo quarto eiusdem libri, & manifestè patet ex eorum testimoniis, quæ referunt Auctores suprà citati. Quare damnare Pelagianismi hanc assertionem, est damnare erroris, & hæresis ipsam Ecclesiam quatuor primorum seculorum. Quippe cuius fides, & sententia, non fuit alia, quàm fides, & sententia communissima sanctorum Patrum, & Scriptorum Catholicorum quibusque seculis. Sed & ipsemet Augustinus pluribus locis eidem suffragatur, vt ostendit auctor postremò nominatus, plurimique alij post Augustinum eandem apertissimè tenuerunt, & inter alios quadraginta circiter probæ notæ Theologi, quos Martinonus recenset numero tricesimo secundo disputationis citatæ, præter Dionysium Petauium libro suprà citato, Tolerum in caput octauum & nonum epistolæ ad Romanos, Philippum Gamachæum tomo primo, quæst. vicesima tertia, capite sexto, Claudium de Saintes in libro Atheismorum Caluini, & plures alios.

Non est error dicere Prædestinationem factam esse ex operibus gratia.

Tertiò, eadem sententia conformior est sacris litteris, quæ nusquam promittunt absolutè vitam æternam, & sine conditione baptismi in re vel in voto, pro tempore legis Euangelicæ: iuxta illud Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* vel etiam sine conditione fidei & operum respectu adultorum: nam, vt ait Trident. sess. 6. can. 20. *Euangelium non est nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum.* Sed è contrario Scriptura Euangelica sæpiùs docet causam cur Deus vnis præparauerit, seu destinauerit vitam æternam, alios illâ priuare, mortíque æternæ addicere decreuerit, esse, quia illi bene operati sunt, isti secùs. Vt Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Vbi nota sermonem esse non de sola executione, sed & de ipsa præparatione, siue intentione efficaci, vt significant verba ista, *paratum vobis regnum:* ita vt sequens particula causalis, *Esuriui enim & dedistis, &c.* denotet causam ipsius præparationis, siue intentionis efficacis; & non solùm executionis: id est, causam cur Deus intenderit, & non solùm cur det: vt optimè notauit Chrysostomus, homil. 80. in Matth. vbi Christum electis sic loquentem inducit: *Nam quia sciebam vos, antequam nati essetis, huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuêre.* Idémque significat Christus Matth. 20. comparans Deum patri familias, conducenti operarios ad vineæ suæ culturam, & vitam æternam denario diurno promisso in mercedem operis. Nam merces non tantùm datur propter opus impensum: verùm etiam proponitur, & intenditur; seu destinatur efficaciter, vt exhibenda propter illud: ita vt præuisio laboris sit causa cur paterfamilias, & Deus simili modo se gerens, velit efficaciter mercedem reddere. 30. *Probatur ex Scriptura.*

Eandémque ob causam dicit Ambrosius, Christum respondisse duobus discipulis proximè illi assidere postulantibus in regno suo, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Sic enim ait libro quinto de fide, capite tertio, Christum loquentem inducens: *Non est meum, qui iustitiam seruo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addit: quibus paratum est: vt ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis. Quia Deus personarum acceptor non est. Vnde & Apostolus ait: Quos præsciuit, hos & prædestinauit: Quia non antè prædestinauit, quàm præsciret: sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.* Similíque modo eundem locum exponit Epiphanius hæresi 69. dicens Christum verbis illis, *Non est meum dare vobis, &c.* ostendere, *quòd non iuxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate, &c. Si laboraueritis, erit vobis preparatum à Patre meo.* Quibus vltimis verbis perspicuè docet Epiphanius voluntatem efficacem dandi gloriam pendere à conditione operum, neque 31. *Et ex Patribus.*

aliter esse destinatam vitam æternam adultis, de quibus loquitur. Idémque docet Apostolus Rom. 8. cùm ait, *Si filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur; vt & conglorificemur.* Et Apocalypsis 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Et 2. Petri 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quibus omnibus Scripturæ locis, & multis aliis similibus proponitur gloriæ dandæ volitio tanquam suspensa, & dependens à conditione operum.

32. Quinetiam loca illa Scripturæ, quibus præcipuè abutuntur aduersarij, in eundem sensum exponunt communiter Sancti Patres, præcipuè Græci: vt illud Apostoli ad Rom. 9. *Cùm nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, &c. Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Quæ verba sic interpretatur Chrysostom. hom. 16. in eandem epistolam: *Qua igitur de causâ hic quidem amore, ille autem odio habitus erat? Qua de causâ hic seruiebat, ille autem imperabat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat: quanquam illis nondum natis alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur. Adhuc enim nati cùm non essent, dixerat Deus, Maior seruiet minori. Cur igitur hoc dixit Deus? Quia non expectat, quemadmodum homo, à rerum exitu videre quisnam bonus sit, quisnam item non talis: sed etiam antea nouit quisnam malus, & quis non talis.* Similia dicunt Cyrillus Alexandrinus in caput primum Malachiæ, exponens illa verba, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*: & Hieronymus ibidem, *Dilectio, & odium Dei*, inquit, *vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus. Alioquin nouimus, quòd omnia Deus diligat, nec quicquam oderit eorum, quæ creauit.*

33. Eodem quoque modo exponit Augustinus quod dicit ibidem Apostolus, *vt secundùm electionem propositum Dei maneret*: ita scribens libro primo ad Simplic. quæstione 2. *Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, &c. Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab eo, qui reiicitur. Vnde quod dicitur, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ*, fidei scilicet, bonorúmque operum cum auxilio gratiæ factorum, vel boni status finalis. Quam assertionem nusquam retractauit Augustinus, sed potiùs confirmauit serm. 7. de verbis Domini, & serm. 233. de tempore, & libro secundo Retract. capite primo, & libro de Prædestinatione Sanctorum capite quarto, quos libros sub extremum vitæ scripsit.

34. Similiter, quod ibidem ait Apostolus; *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam*, non ita intelligendum esse dicunt sancti Patres, quasi Deus pro suo mero arbitrio, & nulla data occasione ex parte creaturarum, alios ad cœlestem gloriam eligat, alios reprobet, & ad æternam ignominiam destinet: sed eo tantùm fine id dixisse Apostolum, vt obiectoris audaciam comprimeret, significarétque non magis homines Deo obloqui debere, quàm lutum figulo. Alioqui enim pendere ab hominum bonis, vel malis operibus, liberóque illorum arbitrio, gratiæ diuinæ auxiliis bene vtente, vel abutente, quòd fiant vasa in honorem, vel in contumeliam. Idque Apostolus ipse non obscurè significat in fine eiusdem capitis, quo totum illum discursum ita concludit: *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam: apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem, quæ ex fide est. Israël verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, &c.* Quibus verbis significat causam cur Gentiles electi fuerint, esse, quia in Christum crediderunt, & veram iustitiam, quæ est ex Christi fide, apprehenderunt: causam autem cur Iudæi reiecti fuerint, esse, quia nimis sectando legis Mosaicæ opera, tenaciúsque illis adhærendo, ac nimis præfidendo, credere in Christum, illiúsque iustitiam sectari noluerunt. Et 2. Timoth. 2. vers. 20. disertè affirmat esse in nostra potestate, seu libertate positum, vt vasa simus honoris, aut contumeliæ. *Si quis ergo*, inquit, *emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino.* Quem in locum Chrysostomus, *Vides*, inquit, *vt non naturæ carnalisve necessitatis sit, aureum esse, vel fictile, sed nostræ tantummodo voluntatis. Ibi nempe neque fictile vas, aureum fieri potuerit; neque hoc in illius naturam conuerti. At verò hîc magna huius mutationis, & emigrationis facultas volenti datur, &c.* Et in caput 9. epist. ad Rom. ait verba suprà relata non dici ab Apostolo ad tollendum liberum arbitrium, quo boni vel mali euadimus, & vasa in honorem, vel in contumeliam: sed ad ostendendum non magis esse obloquendum Deo, quicquid agat; quàm lutum obloquitur figulo: absurdúmque esse existimare omnia esse similia: & ita concludit: *Vnde ergo*, inquit, *alij quidem vasa iræ, alij autem misericordiæ? A propria voluntate. Deus autem admodum bonus cùm sit, in vtrisque eandem ostendit bonitatem. Etenim non eos solùm, quos seruabat, miseratus est: sed & Pharaonem ipsum, quantum quidem in ipso fuit, &c.*

Eodem spectat, quod ait Irenæus lib. 4. aduersus hæreses capite 9. In nostra esse libertate 35.
fieri paleam comburendam igne inextinguibili, vel frumentum in horrea cœlestia transportandum: quod idem est, ac fieri vas fictile, vel aureum; siue contumeliæ, vel honoris. *Homo rationabilis*, inquit, *& secundùm hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis; ipse sibi causa est vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter, & iustè condemnabitur.* Eódem quoque spectat, quod ait Augustinus libro de actis cum Felice Manichæo cap. 4. In nostra esse voluntate fieri, vel arborem bonam ferentem fructus vitæ æternæ; vel arborem malam æternis ignibus cremandam. *Nemo nisi Deus*, inquit, *arborem facere potest; sed habet vnusquisque in sua voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala, & esse arbor mala.*

Ex quibus & similibus Scripturæ, & Patrum te- 36.

stimoniis facile est intelligere, quàm sit à vero alienum, & absurdum quod vult persuadere Iansenius; ad errores Pelagianorum pertinere quod dicerent Deum non facere alios vasa in honorem, & alios vasa in contumeliam, pro suo mero arbitrio, sine data occasione ex parte creaturarum: id etiam intelligendo (vt ipse quidem vult) de occasione data per vsum, vel non vsum auxiliorum gratiæ, & mediorum salutis, tam pro seipsis, respectu adultorum, quàm pro paruulis, qui adultorum curæ sunt commissi, & sicut actu tantùm alieno peccauerunt, sine vsu propriæ libertatis: ita aliorum operâ saluandi sunt: à quibus medium salutis debet illis applicari.

SECTIO V.

Inuexerintne Pelagiani in Ecclesiam statum naturæ puræ?

37. *Synopsis doctrinæ Iansenij.* AFFIRMAT Iansenius libro 6. de hæresi Pelagiana cap. 11. vbi docet primò, statum naturæ puræ consistere in duobus, iuxta communem assertionem Theologorum. Nimirum in eo, quòd natura habeat omnia, quæ ad perfectionem hominis, & naturales facultates ei debitas pertinent, secundùm corpus, & animam, sensus externos, atque internos, omnia denique ad naturalem operationem hominis necessaria. Et in eo, quòd nihil neque boni, neque mali superaddatur præter naturæ debitum. Quorum duorum primum significatur nomine *naturæ:* secundum, nomine *puræ*, quod nihil aliud significat nisi negationem boni, vel mali præternaturalis.

38. Docet 2. Pelagianos hunc statum naturæ humanæ constituisse siue in paruulis, siue in adultis. Nam primò, nihil eorum subtraxerunt, quæ ad naturam hominis pertinere dicuntur. Potentias etiam omnes ei dederunt integras, vnà cum illa naturali arbitrij indifferentia, quâ possit legem naturalem seruare, vel transgredi; nec non concursum generalem Dei, & prouidentiam ordinariam, quæ creaturæ rationali debetur, vt iuxta naturæ suæ conditionem operari possit. 2. Nihil quoque nascenti homini addiderunt boni vel mali, quod non status eius naturalis postulet. Innocentes enim nasci homines, id est, ab omni culpa liberos docuerunt: & quicquid hac in vita boni malique commune cernimus, quod vel animus ignorando, & concupiscendo, vel corpus patiendo toleret, naturalem hominis institutionem, non peccati supplicium esse statuerunt: nec vllam virtutem, aut gratiam habitualem, naturæ in ortu suo superadditam, agnouerunt, vt ex iam dictis alibi notum est, & perspicuè docent Pelagius, & Iulianus apud Augustinum libro de peccato orig. cap. 13. aliisque locis.

39. Ad idem confirmandum addit Iansenius communem sententiam Scholasticorum, qui statum hominis, qualis nunc nascitur, non aliter differre dicunt à statu naturæ puræ, nisi sicut spoliatus discrepat à nudo: quorum iste caret vestibus, quas nunquam habuit: ille habuit, sed amisit per peccatum primi parentis, quo integritas illa naturæ, & supernaturalis conditionis amissa fuit. Atqui Pelagiani non credebant primum hominem in illa integritate supernaturali creatum fuisse, neque illâ per peccatum cum tota sua posteritate spoliatum. Illorum enim dogma erat: *Adam mortalem factum, qui siue peccaret, siue non peccaret, moriturus esset:* &, *Peccatum Adæ, ipsum solùm læsisse, & non genus humanum:* &, *infantes nasci in eo statu, in quo fuit Adam ante præuaricationem:* ac proinde non magis illum fuisse gratia vestitum, aliisque donis supernaturalibus: quàm nunc infantes, illis vestiti, nascuntur: qui certè carent illis omnibus, vt docet fides Catholica, & ipsi etiam Pelagiani profitebantur, speciatimque Iulianus apud August. lib. 3. contra eundem, capite 3. Huc vsque Iansenius.

Qui perspicuè fallitur, & sibi contradicit. Nam vnâ ex parte docet statum naturæ puræ requirere, vt nihil boni malique naturæ indebitum, ei superaddatur; vt patet ex verbis eius relatis num. 37. Idémque supponunt Theologi communiter, affirmantes de ratione status naturæ puræ esse, vt natura habeat suam perfectionem essentialem, omnésque suas facultates naturales, & concursum atque prouidentiam sibi naturaliter debitam: vtque nihil habeat sibi superadditum non debitum, aut naturaliter conueniens, aut naturæ viribus possibile, siue bonum, siue malum: hoc est, neque peccatum habeat originaliter sibi annexum, pœnæque reatum ex illo sequentem: neque etiam affecta sit aliquibus gratiæ donis, aut perfectionibus naturæ non debitis. Atqui Pelagiani docebant naturam humanam in præsenti statu donari gratiâ; atque etiam virtutibus supernaturalibus: vt vult Iansenius, & probare conatur lib. 5. de hæresi Pelagiana cap. 22. & seqq. ob idque volebant paruulos baptizari, licet nullo peccato infectos: quia vt ait Iulianus apud Augustinum loco suprà citato. *Christus auget circa imaginem suam continua largitate beneficia: & quod fecerat, condendo bonos, facit innouando adoptandóque meliores:* per gratiam scilicet habitualem, & si quæ alia dona supernaturalia per baptismum infundi voluit. Ergo falsum est Pelagianos inuexisse in Ecclesiam statum naturæ puræ, siue pro paruulis, siue pro adultis, vt affirmat Iansenius. 40. *Quid sit status naturæ puræ.* *Pelagiani non illum inuexerunt.*

41. *Confirmatur alio argumento.* Item, de ratione status naturæ puræ est, vt non ordinetur ad finem supernaturalem, sed ad eum solum, quem potest viribus naturalibus assequi, vel cum adiumento aliarum causarum naturalium, & concursu Dei generali. At Pelagiani fatebantur homines in præsenti statu esse ac semper fuisse ordinatos ad finem supernaturalem. Nam per vitam æternam, quam etiam paruulos sine baptismo decedentes assequi docebant, intelligebant claram Dei visionem, & fruitionem; vt ostendimus disput. 5. sect. 5. & quamuis aliter videatur Iansenio, malitque per vitam illam æternam intellexisse Pelagianos naturalem quandam beatitudinem, consistentem in aliqua Dei contemplatione, & amore naturali, qualem naturæ viribus haberi posse existimabant: attamen non negat, quod manifestum est, & extra controuersiam, eos per regnum cœlorum promissum baptizatis & iustis, intellexisse veram, & supernaturalem felicitatem. Er-

go falsum est, & malè cohærens cum eius doctrina, quod ait, Pelagianos existimasse homines tam adultos, quàm paruulos, in statu puræ naturæ constitutos esse, statímque illum in Ecclesiam inuexisse.

42. *Soluitur argumentum Iansenij.* Neque contrarium bene probat, ex eo quòd Theologi communiter dicunt, statum naturæ puræ differre ab eo qui nunc est, sicut differt nudus à spoliato. Hoc enim non asserunt vniuersaliter, quasi natura nunc sit redacta ad eundem statum, quem haberet condita & relicta in puris naturalibus, in quo non essent dona gratiæ, neque ordinatio ad finem supernaturalem, sicuti nunc esse nullus Catholicorum ambigit: sed hoc intelligunt de natura humana, vt spoliata dono integritatis, quam acceperat in Adamo, quámve amisit irreuocabiliter per illius præuaricationem: quem statum pura natura non haberet, nec vnquam habuisset. Nunc verò illum quidem non habet natura lapsa, sed habuit in Adamo, & per ipsius peccatum amisit: ideóque dicitur fuisse dono illo spoliata. Sed quamuis peccatum Adæ nos spoliauerit irreuocabiliter dono integritatis: non tamen donis gratiæ sanctificantis, & virtutum supernaturalium, quæ per baptismum, vel alia sacramenta, aut per actus pœnitentiæ salutaris recuperantur: neque etiam ordine, & destinatione ad beatitudinem supernaturalem, ad quam Deus naturam quoque lapsam ordinauit, & promouet mediis conuenientibus. Quare peccatum non redegit naturam humanam ad statum similem purè naturali; euidentérque falsum est, nos nihil ampliùs habere in præsens, quàm haberemus in statu puræ naturæ.

SECTIO VI.

De præcursoribus Pelagianorum, eorúmque moribus.

43. QVÆ de his fusè disserit Iansenius à cap. 12. vsque ad finem libri 6. breuiter perstringenda sunt. Parum enim, aut nihil faciunt ad eorum errores agnoscendos, in quibus indagandis, & ad veritatis normam contra Iansenij imposturas exigendis, opera nostra versatur.

44. *Pelagij præcursores.* Et verum quidem est, quod ait Celestio, & Pelagio præiuisse Ruffinum in neganda traductione peccati originalis: vt videre est apud Augustinum lib. de peccato orig. cap. 3. & in asserenda possibilitate naturali perfectionis iustitiæ, & impeccantia: vt testatur Hieron. in epist. ad Ctesiphontem, & lib. 4. Comment. in Ierem. cap. 23. Et Euagrium Monachum in adstruenda impassibilitate, siue imperturbatione passionum, per solas vires naturales possibili, vt idem ait eodem libro; quibus adiungit etiam Iouinianum, Priscillianum, Manichæum, & Gnosticos: & in fine prologi Dialog. contra Pelagianos addit Palladium, & Euchitas prælusisse Pelagianis in inducenda ἀπαθείας, siue impassibilitate, & impeccantia, naturalíque iustitiæ perfectione.

45. Secundò, verum pariter est, quod affirmat, Origenem multos errores Pelagianorum præformasse: præcipuè in libris Periarchon, & in Comment. epist. ad Rom. quam ob causam Hieronymus in fine libri 3. Dialog. contra Pelag. Origenem vocat *Pelagianorum antistitem*: & libro 2. eiusdem Dialogi Amasium, & ἀρχαῖον, id est, scriptorem librorum περὶ ἀρχῶν, appellat eorum *magistrum*: & in epist. ad Ctesiphontem, doctrinam Pelagij vocat *ramusculum Origenis*.

46. *Impostura Iansenij quoad doctrinam Origenis de libertate indifferentia.* Grauiter tamen errat, aut malitiosè fallere conatur Iansenius, quando cap. 13. inter errores illos Pelagianorum ab Origene præformatos, primo loco ponit assertionem de libertate indifferentiæ, basi penè præcipua, vt ipse ait, totius structuræ Pelagianæ. Constat enim ex dictis tota disput. 3. & ampliùs constabit disp. 30. doctrinam illam de libertate indifferentiæ manente in hoc statu naturæ lapsæ, non peculiare Origenis, aut Pelagianorum dogma fuisse: sed assertionem Catholicam, in sacris literis satis euidenter expressam, & à sanctis Patribus vnanimiter traditam, atque à Conciliis, totáque Ecclesia huc vsque assertam. Cúmque reprehendit Origenem in medio cap. 13. quòd ad probandam libertatem indifferentiæ vteretur his Scripturæ locis, *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, Isaiæ 1. &, *posuit ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum, elige ergo vitam, &c.* Deuter. 30. & similibus, quibus etiam, inquit, vtebantur Pelagiani: inuoluit eâdem reprehensione iniustâ, & ineptâ, D. Augustinum, aliósque Patres, qui communiter iisdem planè locis ad eundem finem vsi sunt, vt ostendimus disput. cit. relatis eorum testimoniis, speciatímque D. Augustini lib. de gratia, & lib. arb. cap. 2. *Inepta eius Censura.* Quanquam excessit Origenes in eo quòd libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, potestatémque malè agendi, in cœlo etiam manere existimauit, & circulos illos perpetuos induxit transmutationis de Beatis in damnatos, déque damnatis in Beatos, prout bene, vel malè libertate arbitrij per vices vterentur. Sed in eo quod asseruit homines etiam nunc, & in statu vitæ præsentis, hac libertate pollere in bonis, aut malis operibus exercendis, Catholicè sensit: quíque contrarium asseruerunt, habiti semper fuerunt pro hæreticis, æquè ac Lutherus, & Caluinus, quibus tamen Iansenius adhærere maluit.

47. *Altera eius impostura circa idem.* Pari imprudentia, vel malitia carpit ibidem erroris Pelagiani Origenem, quòd dixerit, vnumquemque in manu sua habere, & in arbitrij potestate, vt aut peccati seruus sit, aut iustitiæ: quódque nostræ sit potestatis, vti sicut oportet extrinsecis, aut intrinsecis incitamentis, & bonis consentire, malis autem resistere. Nam hoc ipsum æquè docent alij Patres communiter, nominatímque D. August. lib. 50. homil. hom. 16. vbi sic ait: *In tuo arbitrio posuit Deus, cui pares locum; Deo, an diabolo*, & lib. de Actis cum Felice Manichæo cap. 4. dicit vnumquemque habere in voluntate eligere, quæ bona sunt, vel quæ mala: fructúsque ferre bonorum, aut malorum operum. Et lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 6. dicit causam cur è duobus æquali tentatione concupiscentiæ pulsatis, vnus peccet, alter non: esse quia vnus liberè consentit, alter resistit. Et lib. 3. de lib. arb. cap. 1. dicit, motum, quo voluntas in bonum, vel in malum fertur, non fore laudandum, neque culpandum, nisi in nostra positus esset potestate, seipsámque voluntas huc aut illuc inflecteret. Et lib. 83. quæst.

quæst. 24. affirmat *& peccatum, & rectè factum in nostra esse potestate, neque aliter iustè imputari posse.* Et lib. de duabus animabus, cap. 12. dicit peccati reum teneri non posse, qui libero animi motu caret, & abstinendi ab opere suo potestatem non habet. Non igitur in eo errauit Origenes, sed conformiter D. Augustino, aliisque Patribus loquutus est. Errauit tamen, si tantas esse vires liberi arbitrij voluit, vt auxilij gratiæ necessitatem excluserit. Qua de re quid senserit dicemus paulò pòst, num. 51.

48. *Inepta euasio Iansenij.* Parum autem consideratè addit Iansenius, rectè, atque Catholicè Origenem hæc dicere potuisse, illisque vti Scripturæ testimoniis aduersus Manichæos, Marcionem, & similes pestes sideribus atque fatis, vel diuersis naturis opera humanæ voluntatis attribuentes. Quasi verò non æquè rectè Catholicéque dici possint, ac debeant contra assertores gratiæ necessitantis ad bonum, & concupiscentiæ necessitantis ad malum: affirmantésque nihil boni ab hominibus fieri, nisi præsente & necessitante gratia: nihilque mali nisi absente gratia, & necessitante concupiscentia. *Eius doctrina Manichaismo similis est.* Neque enim minùs inducunt isti in voluntates & actiones hominum necessitatem ineuitabilem, quàm illi fati assertores vel duarum naturarum: neque contra illos minùs facit quod ait Augustinus contra Astrologos, seu Planetarios, & Manichæos, lib. 2. contra Faustum, cap. 5. *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Nota quod ait, *ab omni vinculo necessitatis.* Et lib. de duabus animabus, cap. 12. *Peccati reum teneri quenquam, quia non facit, quod facere non potest, summa iniquitatis est, & insania. Quamobrem illæ animæ* (bona scilicet & mala à Manichæis vnicuique hominum attributæ) *quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Quæ manifestum est æquè dici posse contra Iansenium, eiúsque sectatores: quippe, sicut Manichæi duas naturas, siue animas introducebant: vnam bonam, necessitantem ad bonum: alteram malam, necessitantem ad malum, quando præualet: Sic isti duas alias veluti naturas inducunt; gratiam videlicet, necessitantem ad bonum quando adest: & concupiscentiam, necessitantem ad malum, quando præualet absente gratia.

49. *Eiusdem impostura circa legem naturalem & virtutum semina.* Quartò, pari quoque malitia, vel imprudentia Origenem reprehendit, vt Pelagianismi præcentorem, quòd dixerit legem naturalem fuisse scriptam à Deo in cordibus hominum, non atramento, sed spiritu Dei viui: qui cùm, vt ait Apostolus Rom. 2. naturaliter faciunt ea, quę legis sunt, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Et Deum cum eadem lege indidisse nobis virtutum omnium naturalium semina, omnésque motus, & affectus, quibus ad virtutem niti possimus & progredi, iuuante scilicet auxilio gratiæ. Nam hæc assertio quoad vtramque partem, non est peculiaris Origeni aut Pelagianis, sed communis sanctorum Patrum: vt relatis pluribus eorum testimoniis ostendimus disput. 6. sect. 4. numero 39. & sequentibus. Errauit tamen cum Pelagianis, si totam legem naturalem impleri posse dixit sine auxilio gratiæ: vel sine illa exerceri posse omnia virtutum etiam naturalium officia: de quo errore diximus eadem disputatione.

Similitérque errauit circa legem Mosis, si eam sine gratia Christi sufficere ad salutem credidit. 50. *Et circa legem Mosaicam.* At non in eo quod affirmauit, veram fidem, qualis tunc erat in Iudæis, protulisse fructus bonorum operum, accepta iustificatione, & remissione peccatorum: eandémque legem datam esse, vt obsisteretur tyrannidi Diaboli per victimas & sacrificia, non idolis vt fiebat à paganis, sed soli vero Deo oblata: atque per illam infringeretur regnum dæmonis & peccati, viáque ad salutem Iudæis aperiretur. Nam, vt *Vide disp. 22. & 24.* alibi ostendemus, certum est hanc fuisse primam intentionem, seu voluntatem Dei legem illam ferentis: vt significauit per Moysen in eius latione, Deuter. 30. ver. 16. quamuis per accidens, & contra Dei intentionem, propter malitiam hominum euenerit, vt peccata multiplicarentur: nitentibus videlicet Iudæis in contrarium, facereque recusantibus id, quod per legem faciendum esse docebantur. Quo sensu Apostolus dicit Roman. 5. ver. 20. legem subintrâsse vt abundaret delictum: vt exponunt Chrysostomus eodem loco, aliique Patres, & interpretes Catholici. Sed hæc omnia Iansenio displicent; quia existimat cum Caluino, & eius sectariis, legem Moysis ex ipsa intentione Dei fuisse datam, non vt iuuaret homines ad salutem: sed vt peccata multiplicandi causa esset: vtque Iudæi peccatis magis obnoxij, & oppressi, meliùs agnoscerent necessitatem Mediatoris, illúmque feruentiùs desiderarent; vt docet libro 1. de gratia Christi Saluatoris, cap. 8. & seqq.

Quintò, verum est quoque grauiter errauisse Origenem, & Pelagianis ac Semipelagianis errandi causam præbuisse: 51. quando Scripturæ loca, quibus peccatum originale adstruitur, exposuit in sensum Pelagianum, dicens peccatum Adæ malo posteris exemplo fuisse, & catenus illis nocere: & quando pluribus locis à Iansenio relatis cap. 15. docuit aliquod nostrum opus bonum merè humanum, aut fidem solis naturæ viribus conceptam, præcedere gratiam velut illius meritum: ne alioquin Deus, gratiam conferens sine præuiis meritis, sit acceptor personarum. Eandémque ob causam sensit gratiam non esse necessariam ad fidem initialem, & ad inchoandam seriem bonorum operum; sed tantùm ad progressum & perfectionem. Eandem quoque ob causam voluit prædestinationem & electionem efficacem ad gloriam, distinctionémque inter vasa gloriæ, & vasa contumeliæ, in eadem fide meritísque naturalibus primitus fundari. Sed quod dixit electionem illam & distinctionem non ita fieri, vt non habeatur ratio fidei supernaturalis, & bonorum *Et circa electionem ad gloriam* operum cum Dei gratia factorum, quódque illa pendeat aliquatenus ab hominibus, qui pro sui libertate arbitrij, vel bene operantur, vel malè, consentiendo & cooperando, vel dissentiendo gratiæ diuinæ auxiliis; erroneum non est: cùm potiùs sit magis conforme sacris literis, & à sanctis Patribus communiter assertum, vt ostendimus sect. 4.

quos præsciuit hæc initia habituros, suâque gratiâ bene vsuros, prædestinauit; reiectis aliis omnibus, in quibus eiusmodi initia naturalia, & bonũ vsum gratiæ liberíq; arbitrij cooperationem non prævidit. His etiam initiis naturalibus, veluti scalis, ad gratiam conscendi debere existimarunt: ne alioquin Deus sit acceptor personarum, si gratiam suam vni det, & non alteri, sine præuia differentia ex parte ipsorum. Nimisque durum esse censuerunt, quod Augustinum affirmare credebant, totum salutis nostræ negotium, discretionémque inter electos & reprobos, à mero Dei beneplacito pendere; qui hos elegerit, istos reiecerit, quia sic voluit, & non ex præscientia occasionis datæ ab iis, qui electi, aut reprobati fuerunt.

2. *Et de varietate opinionum inter Semipelag.* Docet 2. non tamen eandem fuisse omnium istorum Pelagianorum sententiam: sed quamuis omnes faterentur peccatum originale, & læsionem naturæ humanæ ex illo secutam: plus tamen nonnullos, & non minùs quàm Pelagium ipsum, tribuisse viribus naturalibus liberi arbitrij: vt Faustum illum Rhegiensem Episcopum, qui in duobus libris, quos de gratia liberóque arbitrio conscripsit, docet vires naturales sufficere non modò ad initium salutis; sed etiam ad eius perfectionem, adiuncto solo legis & doctrinæ auxilio. Alios verò demissiùs de naturæ viribus, meliúsque de gratiæ necessitate sensisse. Quinetiam Cassianum Collat. 12. nouam quandam sententiam induxisse, distinguẽdo duo hominum genera: vnum eorum, qui vocantur præuiis meritis naturalibus: quia scilicet priùs voluerunt vocari, & credere: alterum eorum, qui præueniuntur per gratiam, & de nolentibus volentes fiunt, inuiti quodammodo, id est, non priùs volentes, nihílque ad gratiam & vocationem habendam conferentes. Quanquam nec ille semper in hac sententia perstitisse videtur. Fuitque illud vitium inconstantiæ in doctrina commune Semipelagianis, cùm doctissimorum aduersariorum argumentis conuicti, primam stationem deserere cogerentur, & aliò confugere, vt suum errorem quoquo modo tueri possent. Quapropter non ex Fausto solo, vel Cassiano, vel alio quopiam Semipelagianorum, de illorum erroribus iudicandum est: sed præcipuè ex epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum, præfixis libro de Prædest. Sanctorum, in quibus eorum sententiam, optimè sibi notam, & simul causam errandi dilucidis verbis exponunt.

3. *Et de illorũ Præcursoribus.* Docet 3. Semipelagianos non fuisse primos, qui hunc errorem Pelagij de meritis naturalibus gratiam præuenientibus, seorsum ab aliis eius dogmatibus tenuerunt. Nam præter Origenem, qui tam perfectè illum expressit, vt Pelagianis nihil addendum fuerit, præcipuè in Commentario cap. 9. epist. ad Rom. eundem tenuit Vitalis ille Carthaginensis, ad quem D. Augustinus scripsit epistolam 107. vt eum dedoceret, & ad veritatem Catholicam reduceret. Nec immeritò v[...] [...]r Hieronymus in hunc scopulum impegiss[...] [...]. 3. dialogi contra Pelagianos, cùm dixit: *Iustitiam labore, & industria ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custodiri: vt nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.* Quæ verba Hieronymi sunt illis similia, quæ D. Augustinus à se dicta, cùm in errore illo versaretur. [...]noscit & retractat lib. 1. Retract. cap. 23. [...]*od ergo credimus nostrum est, quòd autem bonum operamur, illius est: quod profectò* (inquit) *non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri.*

Apertissimè quoque eundem errorem (sicut & plures alios) docuerat auctor Commentarij in epistolas D. Pauli, qui falsò tribuitur Ambrosio, & hab[...] [...]r in tom. 5. operum illius: cùm tamen neq[...] [...]tylum Ambrosij, neque doctrinam sapiat [...]ed multa contineat illi contraria: potiúsque sit Hilarij Diaconi Romani, qui sub Damaso Papa scripsit, vt rectè ait & probat Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Præcipuè verò illum expressit in caput 2. epist. ad Romanos, circa illa verba, *Cum enim Gentes, quæ legem non habent &c.* vbi docet fidem per naturam haberi. Et in cap. 8. ad versum istum, *Velle adiacet mihi*, dicit nos viribus naturæ velle bonum, & in illo nobis complacere: perficere autem per Dei gratiam. Et in cap. 9. eiusdem epist. pluribus locis, vbi ad eiusmodi fidem, vel opera naturalia præcedentia gratiam, refert discretionem à Deo factam inter Iacob & Esau: & inter eos, qui vocantur aut eliguntur, & eos, qui non vocantur aut reprobantur: quæ fuit communis Semipelagianorum sententia. 4.

5. *Et de differentia inter paruulos & infideles, quoad baptismum, & vocationem.* Cúmque vrgerentur à D. Augustino, exemplo paruulorum, quorum aliqui fruuntur beneficio baptismi, alij sine illo moriuntur: cùm tamen neutri crediderint, nec quicquam boni aut mali fecerint: recurrebant (vt alibi diximus de Pelagianis) ad fidem & opera, quæ habuissent si vixissent diutiùs, & ad ætatem adultam peruenissent. Sicut etiam cur quibusdam infidelibus malè viuentibus prædicetur Euangelium, non aliis: vel tali tempore, & non alio: causam dicebant esse, quòd Deus præuideret illos credituros, non alios, aut tali tempore fidem amplexuros. Disp. 8. sect. 2. num. 14.

6. *Et de causa huius hæresis.* Totam verò causam huius erroris fuisse dicit Iansenius illud propositum diuinæ voluntatis, & prædestinationis, quo saluandi à perituris discernuntur, secundùm Augustinum, ex mero Dei beneplacito, & non ex præscientia alicuius differentiæ se tenentis ex parte creaturarum: vt patet ex epistolis Prosperi, & Hilarij, suprà citatis & ex libris Fausti Rhegiensis de libero arbitrio. *Multi*, inquit Prosper, *qui in Massiliensi vrbe consistunt in sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti &c.*

7. *Cur reiicerent Propositum antecedens.* Cur autem tantopere abhorrerent illud propositum prædestinationis, ratio multiplex fuit. Primò scilicet, quia C[...] [...]ium fatum introducere videtur, id est, [...] [...]ntatem à Deo præfixam in ortu cuiusque, imò ab æterno, vt isti saluentur, illi pereant: isti benè, illi malè operentur. Nam hoc propositũ antecedit hominis voluntatem: & est firmum, seu immobile, atque ita efficax, vt quod Deus proposuit, non possit non euenire, adeóque necessariò eueniat. Dicitur enim Deus, quos vocat secundùm propositum prædestinationis, præuenire gratiâ necessitante

ad consensum, siue vt viam salutis ingrediantur, siue vt in ea perseuerent, & tandem illam consequantur: aliis verò negare eiusmodi gratiam, sine qua tamen non possunt damnationem vitare.

8. Vnde fit secundò, vt propositum illud tollat libertatem indifferentiæ, non prout est solùm in mente diuina, sed prout traditur executioni in electis & reprobis. Nam illi, quibus datur gratia & vocatio secundùm propositum, necessitantur per illam, ad consensum. Et quia in hoc statu naturæ lapsæ dicitur nihil boni fieri posse sine gratia Christi medicinali, talis naturæ, tantæque efficaciæ, vt necessitatem consentiendi imponat voluntati: quotquot verò illâ carent, necessitari ad peccandum, quotiescunque peccant, ipso pondere concupiscentiæ, seu morbi ex peccato Adæ contracti: inde sequitur nullam esse libertatem indifferentiæ in bene, vel malè agendo.

9. Tertiò, tale propositum gignit desperationem in peccatoribus, otium & ignauiam in sanctis. Ex eo quòd necesse sit vtrinque accidere id, quod diuinitus, præueniendo voluntatem humanam, absoluto proposito constitutum est. Frustra itaque laborari aduersus id, quod nullo conatu, siue bene, siue malè agendo, euitari potest.

10. Quartò, idem propositum aduersatur prędicationi, exhortationi, correptioni. Cùm enim homo nihil penitus ad salutē suam, vel inchoandā, vel promouendam posse dicatur, nisi ei per gratiam ex illo proposito dimanantem donetur à Deo, vsque ad ipsam etiam credendi primam voluntatem: inutilem censebant esse exhortandi consuetudinem, & prædicandi vigorem, si nihil, quod per eum excitetur, remansisse dicatur, sique peccandi non habemus liberam voluntatem. Adde quòd absurdum videtur Deum id ab hominibus infirmis per præcepta & exhortationes petere, quod ipse daturus est; & hominem propter bonæ voluntatis defectum culpare, corripere, redarguere; quam ipse, qui dona sua distribuit singulis prout vult, donare non voluit. Deinde, hoc ipsum, quod bona voluntas homini infideli danda, vel peccatori restituenda prædicatur ex proposito voluntatis Dei, omnem conatum hominis reprimit, quo ad eliciendos illos bonæ voluntatis motus anniti posset. Quorsum enim conabitur, inquiebant, ille, qui voluntatem ipsam sibi audit non nisi ex diuino proposito largiendam? Addebant præterea incertitudinem ex parte nostra propositi ac voluntatis Dei. Nemo enim, audita exhortatione, quâ ad credendum & bene viuendum incitatur, videtur posse seriò & sedulò ad conandum assurgere; quia vtrum Deus sibi ab æterno fidem ac vitam bonam, ad quam impellitur, dare proposuerit, prorsus ignorat. Item cùm propositum illud dicatur esse immutabile; quid prodest exhortatio? Quid enim conabitur ille, quem exhortamur; cùm sciat immutabile esse, quicquid diuinitus constitutum est, nec in aliam sortem se, suo nisu, posse transferri?

11. Quinta ratio auersandi propositum illud erat, quia studium orationis extinguit. Siue enim diuinæ voluntatis proposito homines à perditionis massa discreti sint; siue non discreti: pariter nihil opus est oratione. Quicquid enim in electis vt fiat, Dei voluntate prædestinatum est, etiam nemine orante complebitur: quicquid in reprobis prædestinatum est, vt non fiat, nullius oratione impetrabitur. Quia rigor illius propositi flecti nequit.

Sexta ratio: Molestissimum illis erat hoc prædestinationis decreto aliquos separante è massa 12.
perditionis, alios in ea pro mero Dei beneplacito relinquente, totum genus humanum duas in partes diuidi, quarum vna vitæ, morti altera destinata sit: tantúmque chaos inter illas firmatum, vt neque in hac, neque in altera vita, vna ad alteram transire possit.

Septima ratio: Quòd hæc sententia duas na- 13.
turas induceret, vt [illegible]chæi; duásque massas fingeret, quarum [illegible] sit bona; vtpote, quæ nullo arbitrij m[illegible]u, salute excidere potest: altera mala, quæ nullo studio possit à perditione liberari: Hoc est, vno verbo, quòd vnaquæque suæ qualitatis adeò tenax sit, vt aliud, quàm facta est, esse non possit.

Octaua: Quòd inde sequeretur, Deum non 14.
velle seriò omnes homines saluos fieri; sed solùm paucos illos, quos sibi ad vitam æternam eligendo prædestinauerit: contra illud Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri &c.* Sequeretur etiam Christum non venisse, neque mortuum esse pro salute omnium hominum: neque omnibus dari vocationem & gratiam, quâ saluari possint, sed solis illis prædestinatis.

Nona: Quia definitus ille, prædestinatúsque 15.
electorum & saluandorum numerus, qui nec augeri potest, nec minui, reliquos omnes abiectos, & ad interitum destinatos esse supponit: sequitur Deum non tantùm eos non velle saluos fieri, sed etiam in ipsa peccata præcipitare videri, vel saltem in necessitate peccandi constituere; vt scilicet ad damnationem iam sibi præordinatam infallibili gubernatione perueniant: nec infidelium tantùm, sed omnia quoque Christianorum flagitia, quibus à suscepta fide & caritate desciscentes, sibi viam ad perditionem struunt, Deo decernente perpetrari; subtrahi namque perseuerandi vires, vt cadant, & finem sibi diuinitus destinatum assequantur.

Decima: Quia doctrina de tali proposito re- 16.
pugnat antiquorum Patrum doctrinæ, & Ecclesiæ sensui. Quotquot enim Augustini ætatem antegressi sunt, videntur prædestinationem hominum, non secundùm illud beneplacitum voluntatis Dei, sed secundùm præscientiam alicuius operis, aut voluntatis ex parte hominum antecedentis, vnanimi penè consensione docuisse. Nam ea, quæ ab Apostolo ad Romanos scribente, ad manifestationem diuinæ gratiæ præuenientis electorum merita proferuntur, à nullo vnquam Ecclesiasticorum ita intellecta fuisse affirmabant, vt refert Prosper in epistola ad August. suprà cit. Quod & ipse fatetur in fine eiusdem epistolæ, sic dicens: *Illud etiam, qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par inuenitur & vna sententia, quâ propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios*

vasa contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit.

17. *Argumenta Ianseniij, quibus probat tale propositum esse Augustinianum.* Hæc omnia ita esse obiecta Augustino, patet ex præfatis epistolis Prosperi & Hilarij, & ex libris Fausti Rhegiensis de libero arbitrio. Ex quibus omnibus tria infert Iansenius. Primò, longè aberrare à doctrina D. Aug. qui propositum illud tam constanter ab eo prędicatum, vt à diuina voluntate possit formari, præuisionem aliquam humani motus, siue voluntatis, siue determinationis, siue absolutam, siue hypotheticam includere, vel supponere credunt, & persuadere moliuntur. Sic enim propositum diuinum non præueniret, sed sequeretur humanam voluntatem: contrà quàm Augustinus sępius asserit; ipsique Massilienses eum docere supponunt, quando obiiciunt apud Prosperum epist. cit. *remoueri omnem industriam, tollique virtutes; si Dei constitutio humanas præueniat voluntates.* Enimuerò si ante diuinæ voluntatis propositum humanæ cuiuspiam determinationis nutus siue cum gratia, siue sine gratia, in Dei præuisione præcedit: profectò iam propositum eligendi, humanam voluntatem non præueniet, sed sequetur. Hoc etiam tota Massiliensium oppugnatio clarissimè demonstrat. Nam si propositum, vt à Deo possit concipi, ab aliqua præuisa humanæ libertatis inclinatione suspenditur: nulla nisi ab homine prorsus insano timeri potest vmbra fati, vel tenuissima. Nulla prorsus stabilitatis eius immutabilis, aut efficaciæ timendæ ratio. Siquidem tota, si quæ hîc fingi potest fatalitas, aut immutabilitas, totàque efficacia illius propositi pendet ab ipsa hominum voluntate, & à præuisis eius motibus, quibus ipsa fatum huius propositi, siquod esset, potiùs regeret, quàm ineuitabiliter ab illo regeretur. Nullus etiam esse potest libertatis interimendæ metus, vbi Deus cauet & vigilat, ne quasi fatali aliqua sanctione lædatur: & vbi nihil proponitur, aut decernitur, nisi libertas voluntatis, iam à Deo extra periculum omne posita, & incolumis esse videatur: nihil scilicet statuendo, nisi præuiso quid ipsa liberè factura sit. Nec nisi ineptissimè existimari potest superfluum esse laborem voluntatis propter decreti illius constantiam, quod non nisi præuiso voluntatis labore sancitum est: aut vereri diuinæ voluntatis certitudinem, quæ à propriæ voluntatis flexu suspensa esse supponatur: aut conqueri exhortationis, & correptionis interitum per illud propositum afferri, si voluntatis assensus, aut dissensus, quibus excitandis, aut auertendis exhortatio & correptio adhiberi solent, ante ipsum Dei propositum præuisus esse ab Augustino doceatur. Idémque est de cæteris eorum obiectionibus suprà relatis, quæ nullam penitùs habent difficultatis vmbram, nisi propositum illud, præsupponatur fuisse independens à præscientia determinationis humanæ voluntatis.

18. *Et vsque ad perseuerantiam extendi.* Infert 2. propositum istud omnes humanas voluntates præueniens, non modò ad primas, credendi, sperandi, diligendíque voluntates, quæ ex illo proposito consequuntur, sed ad ipsam quoque perseuerantiam bonæ voluntatis extendi: vsque adeo, vt etiam gloriam electis, discretísve sola Dei benignitate largiendam suâ latitudine velut causa complectatur. Nam Massilienses passim istud propositum cum electione & discretione à massa perditionis, seu prædestinatione confundunt, quibus perseuerantiam includi nemo dubitat. Eandémque ob causam dicebant *prædestinatos ad vtramque partem, & prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui*; talémque electionem teporis occasionem afferre, quia à fine, ad quem electi sunt, non possunt cadere: tolleréque etiam necessitatem, & vtilitatem orationis, quia *iam prædestinatis ad vitam necessaria non erit oratio: deputatis ad mortem prodesse non poterit*: vt aiebat Faustus libro 1. de gratia & libero arbitrio cap. 4.

19. *Et gratiam, qua impletur, esse necessitantem.* Infert 3. vocationem illam electorum secundùm Dei propositum, quam tot querelis Massilienses impetebant, nullo modo posse esse talem, vt positis omnibus externis, internísque gratiis ad consentiendum necessariis, vltimus ad discernendum nutus ab illa indifferentiæ libertate in vtramuis libeat partem sese inclinante, petatur. Absurdum quippe videri debet illam gratiam fuisse à Massiliensibus tot clamoribus impugnatam, quasi liberum auferret arbitrium, quæ postquam data est, instar habitus ad volendum, instar luminis ad videndum, instar scipionis ad ambulandum, prorsus ad nutum subdita est voluntati. Præsertim verò cùm hoc genus gratiæ ipsi vltro admiserint, vt alibi probabitur.

20. Atque ex his tribus manifestum fieri contendit, Augustini sententiam verè talem fuisse, qualem supponebant Massilienses. Absurdum enim esset, & à dignitate tanti Doctoris alienum, quòd cùm videret se tot obloquiis & obtrectationibus ab errantibus & malè doctrinam suam accipientibus appeti; tot calumniis assertam à se veritatem traduci; tantum salutis periculum dari; tot scandala aduersus Ecclesiæ fidem suscitari; nunquam tamen in omnibus libris, quos aduersus illos condidit, vel verbulo dictum, aut insinuatum esse voluerit, malè Massilienses doctrinam suam de proposito illo & gratia intelligere: nihil esse de voluntatibus hominum, multò minùs de gloria conferenda prædestinatum, siue propositum, nisi præuiso, sub ipso gratiæ adiutorio, voluntatis assensu. Itaque nihil esse in illo proposito fatale, vel formidabile: quia nihil à Deo inconsulta voluntate decernatur: saluum esse sub gratia liberum arbitrium, quia ab eius liberrimo nutu, etsi non sine gratia, credere & non credere, velle & nolle suspenditur. Sic enim omnes contentionum fibras radicitus amputasset. Quod si non potuit, ignarissimus & stupidissimus fuit: si noluit, impiissimus. Vtrumque de illo sentire nefas. Nimirum vidit isto propositi, & gratiæ explicandæ modo, Massiliensibus quidem abundè fieri satis: sed Catholicæ fidei forsan veritatem prodi, Christianæ religionis iugulum peti. Hæc Iansenius toto lib. 7. quæ sequentibus sectionibus examinanda sunt.



SECTIO II.

Errauerintne Massilienses in omnibus suprà relatis?

21. *Errabant, quòd vellēt initium salutis esse ex nobis sine gratia.*

Dico primò grauiter quidem errasse in eo quod vellent initium salutis, id est, voluntatem credendi, ipsámque fidem & aliquod bonum imperfectum ad salutem pertinens vitæ æternæ, à nobis solis esse, id est, sine auxilio gratiæ: & gratiam esse quidem necessariam ad perficiendum, sed non ad inchoandum. Qui error damnatur à Concil. Arausic. can. 5. sic statuente, *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur: beato Paulo dicente, Confidimus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi. Et illud, Vobis datum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et, Gratiâ salui facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et iterum canone septimo contra illum sic pronunciat: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, euangelizanti prædicationi, consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli, Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Damnantur ab Arausicano.

22. *Et à Cælestino Papa*

Eundem errorem damnauit Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ: vbi inter articulos, quos ab omnibus Catholicis definit esse tenendos, quartus est, Quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio. 5. Quòd omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam referenda sint: quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quod ipse donauerit. 6. Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Et denique 10. Iuxta has regulas Ecclesiæ & documenta ex diuina auctoritate desumpta, Deum esse auctorem omnium bonorum affectuum, atque operum, & ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri.

23. *Volebant meritum naturale præuenire gratiam.*

Dico 2. errasse quoque in asserendo gratiam non dari nisi secundùm tale initium bonæ voluntatis, & fidei naturalis tanquam meritum, vel iam præsuppositum, vel præscitum absolutè, aut conditionatè: in illóque fundari discretionem, quòd Deus hunc vocet, non alium; quòd his nationibus prædicetur Euangelium, non aliis; vel hoc tempore potiùs quàm alio: quòd ex duobus infantibus vnus moriatur sine baptismo, alter eius beneficio potiatur: neque aliter fieri posse, nisi Deus sit acceptor personarum. Qui error specialiter damnatur ab Arausic. can. 3. anathematizante eum, qui dixerit, per inuocationem humanam, gratiam Dei posse conferri: non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis. Et can. 6. sic pronunciat. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem diuinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem, & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens & humillimus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid habes, quod non accepisti? &, Gratiâ Dei sum id, quod sum.*

Contrarium definit Arausicanum.

Idem probatur ex Scriptura. 24.

Præterea verò quòd tale initium fidei & bonorum operum non sit conditio sine qua præsuppositâ, vel præscitâ Deus non vocet, aut Euangelium his vel illis annunciari procuret, manifestè docet Scriptura pluribus locis. Nam Sapient 12. testatur Deum obstinatissimos Iebuzæos, & Cananæos vocasse ad fidem & conuersionem, quos tamen rebelles futuros esse sciebat, quíque semper antea in sua infidelitate, malitiáque obstinatè perstiterant. Et Isaiæ 65. Deus testatur se vocare, præueniendo eos, à quibus non quæritur: *Inuentus sum*, inquit, *à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant.* Quæ verba repetit Apostolus Roman. 10. & iisdem vtitur Arausic. canone tertio, vt probet ipsam gratiam facere vt Deus inuocetur à nobis, non autem per inuocationem humanam, gratiam Dei conferri. Et Ezechielis tertio, vers. quinto, Deus prophetam sic alloquitur: *Non ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israël: neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones: & si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israël nolunt audire te; quia nolunt audire me: Omnis quippe domus Israël attrita fronte est, & duro corde.* Quibus verbis significat se illum mittere ad eos, quos præsciebat non audituros, relictis aliis, qui audiuissent, si ad illos misisset. Idémque Christus affirmat de Corozaim & Betsaïda, respectu Tyriorum & Sidoniorum: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Betsaïda; quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent:* Matthæi 11. Similitérque, cur ex duobus infantibus vnus baptizetur, alter sine baptismo moriatur, causam non esse præscientiam eorum, quæ facturi essent, si diutiùs viuerent, docet Scriptura Sapientiæ quarto: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius:* significans malitiam sub conditione tantùm præscitam à Deo, non impedire suam erga tales misericordiam, eorum casum præueniendo per mortem, ne pereant. Vnde consequens est vt non impediat etiam, ne infantes fruantur baptismi beneficio. Cur autem sine illo permittantur multi decedere, dicetur sequenti disputatione, sectione tertia.

Dico

25. *Errabant, quòd Prædestinationem fundarent in fide ac meritis naturalibus.*

Dico 3. Errasse pariter Massilienses in eo, quòd aiebant discretionem electorum & reproborum factam esse depédenter à præscientia talis fidei, & bonæ voluntatis naturalis: indéque peti radicitus cardinem totius differentiæ inter electos & reprobos: at non in eo, quòd vellent electionem non esse factam ex solo & mero Dei beneplacito, sed ex præscientia absoluta operum aut conditionum requisitarum ex parte creaturarum: si hoc intelligebant (vt lib. 8. de hæresi Pelagiana cap. 6. & seqq. persuadere nititur Iansenius) de operibus factis cum auxilio gratiæ. Prima pars huius assertionis sequitur ex dictis conclusione primâ. Cùm enim erroneum sit, & damnatum ab Arausic. & Cælestino, dicere, posse à nobis fieri solis naturæ viribus aliquid ad salutem vitæ æternæ pertinens, siue fidem, siue bonum aliquod opus, aut etiam voluntatem credendi, & ipsum credulitatis affectum, vt ibi probauimus: hinc manifestè sequitur non posse sine errore prædestinationem, siue electionem ad vitam æternam, fundari in eiusmodi fide vel operibus, aut quibuscunque initiis naturalibus.

26. *Non autem quia fundarent in fide & operibus gratiæ.*

Altera pars eiusdem assertionis probatur, quia non est erroneum quidquid tale videtur Iansenio, vel quidquid dixerunt Massilienses, aut quidquid in illis improbarunt, qui eos oppugnauerunt: sed quod ab Ecclesia tale iudicatum fuit. Nunquam autem damnauit erroris assertionem illam de electione facta secundùm præscientiam supradictam, quæ potiùs Scripturæ diuinæ conformior est, & à sanctis Patribus communissimè tradita; vt de illis, qui Augustini ætatem præcesserunt, fateri cogitur aduersarius libro septimo, capite decimo-septimo. Videantur quæ diximus præcedenti disputatione sect. 4. numero 29. & seq. vbi hanc totam propositionem fusiùs confirmauimus, euidentérque ostendimus ineptam æquè ac iniustam esse Iansenij censuram, quâ inter dogmata Pelagianorum & Massiliensium eam collocat, contrariámque doctrinam dicit esse Catholicam & Apostolicam.

27. *Nec quia reiicerent vocationem necessitantem.*

Dico quartò, multò minùs errasse Semipelagianos reiiciendo vocationem illam secundùm propositum, quam velut Augustinianam & Catholicam obtrudit Iansenius: quæ scilicet fiat per gratiam tam potenter & efficaciter præuenientem & excitantem, vt voluntatem ad consensum necessitet. Probatur: quia Scriptura quoque diuina vocationem illam reiicit, docétque nos ita vocari à Deo & præueniri, vt positis omnibus prærequisitis ad consensum, possit voluntas resistere, & interdum resistat. Vnde illa exprobratio iustissima Prouerb. 24. *Vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*: & illa Christi obiurgatio Matth. 23. *Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Et Isaiæ 54. *Quid est, quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.*

28. Patres quoque communiter, speciatímque Diuus Augustinus, docent nos ita Deo vocanti consentire, vt possimus resistere: *Misericordia Dei preuenit nos: consentire autem Dei vocationi, vel ab ea dissentire nostræ voluntatis est*, inquit Diuus Augustinus libro de spiritu & litera scripto contra Pelagianos, capite 34. Et libro secundo contra literas Petiliani cap. 84. dicit Deum ita nos ad se vocare & trahere per suam gratiam, vt tamen liberum nobis relinquat eligere quod volumus: consentire scilicet, aut dissentire: Et libro primo ad Simplic. quæstione secunda: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset; qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Et libro 83. quæstionum q. 68. *Ad illam, inquit, cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt: neque illi, qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; sed tantùm sibi; quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate.* Similia dicit Arnobius libro secundo aduersus Gentes, cuius verba hæc sunt: *Vis sumere, quod offertur, atque in tuos vsus conuertere? Consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis & despicis? te muneris commoditate priuaueris: Nulli Deus infert necessitatem.* Et Chrysostomus homilia 81. in caput vicesimum sextum Matthæi, *Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum, qui virtutem volunt contemnere, vllo modo violentat. sed hortatur quidem, ac consulit, & omnibus modis bonos esse persuadet.* Si verò aliqui reluctentur, nullo modo cogit: id est, necessitat. Et Prosper Augustini discipulus, libro secundo de vocatione Gentium, capite vicesimo-sexto. *Quod à multis, inquit, refutatur gratia, ipsorum est nequitiæ; quod autem à multis recipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Loquitur autem de vocatione seu gratia præueniente, & auxiliante, vt patet ex verbis immediatè præcedentibus. In quibus omnibus Scripturæ & Patrum testimoniis notandum est, sermonem esse non de sola vocatione externa; sed etiam de interna, & de omnibus ad consensum necessariò prærequisitis: nam alioquin non bene diceretur voluntatem potuisse consentire, si defuit aliquid sine quo non potuit: neque iustè exprobraretur quòd non consenserit, si defuit aliquid, sine quo non poterat consentire.

29. *Iansenius sentit cum Luthero, & damnatur à Tridentino.*

Denique contraria sententia, quam Iansenius profitetur, est error Lutheri in libro de seruo arbitrio, & in caput secundum Genes. & Caluini libro secundo Institut. capite secundo numero decimo, & capite tertio numero decimo, manifestè damnatus à Tridentino sessione sexta, capite quinto, vbi docet *Iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum preueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur; vt, qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest; neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam,*

coram illo, libera sua voluntate possit. Et can. 4. eiusdem sessionis, anathematizat eum qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quò ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit. Et Concilium Senonense celebratum Parisiis contra Lutherum, paulò ante Tridentinum, in decreto fidei 15. definit, *Non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Quæ autem ad eludendas huiusmodi definitiones Conciliorum excogitauit Iansenius, alibi refutabimus disp. 30. sectione 6. & sequentibus.

SECTIO III.

Fueritne iusta causa reiiciendi propositum illud prædestinationis, si tale docebatur ab Augustino, quale supponit Iansenius?

30. RESPONDEO affirmatiuè. Ad quod probandum, necessarium est præmittere breuiter quid de illo sentiat Iansenius, tribuátque D. Augustino, cuius doctrinæ se mordicus adhærere profitetur.

Quale illud esse doceat Iansenius. Docet igitur primò, per peccatum Adæ omnes homines fuisse inuolutos in vna & eadem massa damnationis. 2. Deum ex huiusmodi massa voluisse aliquos extrahere, & prædestinasse, seu elegisse ad vitam æternam, pro suo mero beneplacito, nulla præhabita consideratione operum, vel conditionis necessariæ ex parte creaturarum: id est, non secundùm præscientiam eius, quod ex parte voluntatis creatæ futurum erat, siue cum Dei gratia, siue absque illa: alios verò neglexisse, seu reliquisse in massa perditionis, & ad mortem æternam destinasse: exercendo in illis suam misericordiam, in istis suam iustitiam. Tertiò, Deum quos elegit, præuenire gratia necessitante, quæ non pendet in operando à libero consensu voluntatis, sed ad consentiendum illam determinat, & necessitat vi sua: alios autem destituere huiusmodi gratia, ac ne dare quidem illis sufficientem, vt saluari possint, sed in necessitate pereundi relinquere. Quartò, gratiam illam necessitantem adeò necessariam esse ad bene operandum, vt sine illa nihil boni fieri possit: & qui illa destituitur, necessariò peccet. Amissa enim est libertas indifferentiæ circa bonum & malum, per peccatum Adæ: ideóque vanum esset, & inutile auxilium gratiæ compatiens indifferentiam: sed quoties bene agimus, id facimus præsente, & necessitante gratia. Quoties autem malè agimus, id facimus necessitati pódere concupiscentiæ, cui non possumus resistere sine gratia necessitante: hanc autem nunquam habemus, quando in peccatum labimur: nam si adesset, non peccaremus, sed tentationi resisteremus. Hæc est planè doctrina, quam sequitur, & Augustino tribuit Iansenius, partim & obiter lib. 7. de hæresi Pelag. partim & fusiùs, atque apertiùs lib. 3. de statu naturæ lapsæ, & lib. 9. & 10. de gratia Christi Saluatoris.

31. Ex hac doctrina manifestè sequitur non sine iusta causa opponi à Presbyteris Massiliensibus & Episcopis Galliæ, per illam induci fatalem quandam necessitatem in ortu cuiusque: imò ab æterno, vi illius propositi, & modi illud exequendi. Sicut enim Stoïci, fati assertores, ideo fatalem quãdam necessitatem inducebant, quia putabant omnia, quæ fiunt, necessariò euenire ex ordinatione & connexione causarum à Deo constitutarum, quarum cursum & effectum voluntas hominum impedire nequeat: & Astrologi seu Planetarij, & Genethliaci ex positu siderum, qualis fuit in ortu cuiusque: sic doctrina supradicta fatalem inuehit necessitatem ex tali proposito, modóque executionis, vt isti saluentur, illi pereant: isti bene, illi malè operentur. Quam necessitatem voluntates hominum necessariò sequantur, neque vlla ratione possint eius effectum & cursum impedire: quippe qui antecedenter ad illorum voluntatem, immutabiliter, & efficaciter destinatur, & procuratur per causas, quibus voluntas non potest obsistere. *Probatur ex illo sequi fatalem necessitatem.*

32. Sequitur 2. propositum illud, per modum quo traditur executioni, tollere, siue prorsus impedire vsum libertatis indifferentiæ. Nam vbicunque est determinatio antecedens, & necessitans ad vnum, non est indeterminatio, siue indifferentia ad illud idem: hæc enim duo repugnant contradictoriè, séque mutuò destruunt. Atqui executio illius propositi, respectu electorum, fit per gratiam necessitantem: respectu autem reproborum, fit per negationem talis gratiæ, quâ negatâ, necessitantur pondere concupiscentiæ ad malè operandum. Ergo in neutris relinquit vsum libertatis indifferentiæ circa bonum & malum. Neque dicas pendere à nostra libertate, vt talem gratiã habeamus, posséque à nobis impetrari per orationem, vel obtineri per alia media. Nam si pendet à nostra libertate vt tali gratia præueniamur, debet pendere mediante aliqua bona operatione, vel piâ oratione liberâ, quæ sit causa cur à Deo præueniamur. Atqui ante quamcunque piam orationem, bonámve operationem, debet præcedere gratia necessitans, iuxta doctrinam aduersarij, quippe quia non potest aliter illa fieri. Quòd autem ante omnem piam orationem, & bonam operationem præueniamur gratia necessitante, non potest pendere ab aliqua piâ oratione, vel bonâ operatione nostrâ; quia ante omnem piam orationem, bonámque operationem, non est alia. *Et tolli libertatem indifferentiæ.* *Refellitur euasio.*

33. Confirmatur: quia vt impetretur gratia necessitans per aliquam orationem, aut bonam operationem; debuit præcedere gratia necessitans, vt huiusmodi oratio, vel operatio fieret. Ergo non fuit in dominio voluntatis illam exercere, aut non exercere, priusquam illa gratia conferretur. Ergo eius collatio non est ipsi libera, ne respectu quidem impetrationis, sed tandem in Dei voluntatem refundenda est ineuitabilis necessitas bene agendi, præsente gratia præueniente ad bene operandum: vel necessitas peccandi, illâ negatâ & absente. Nulla enim potest assignari bona oratio, vel operatio, per quam illam impetremus, vel aliter obtineamus, ad quam Deus non imposuerit antecedentem necessitatem, præueniendo nos aliqua gratia, necessitante ad bonam illam operationem,

vel orationem exercendam, iuxta doctrinam aduersarij. Adde, quòd hæc responsio stare non potest cum eius assertione, quòd per peccatum Adæ amissa sit libertas indifferentiæ; quæ certè non restituitur per gratiam necessitantem.

34. *Probatur etiam gignere ignauiam.* Sequitur tertiò, talis propositi doctrinam ingenerare mentibus hominum ignauiam, & desperationem. Ignauiam quidem, quia si Deus ita prædestinauit, & irreuocabiliter statuit me per media necessitantia ad finem intentum perducere; non est opus, vt sim sollicitus de salute mea procuranda, quæ ex vi talis propositi necessariò eueniet: neque potest mea socordia impedire ne eueniat: ac si opus est labore & sollicitudine, Deus vi talis decreti ad illam me necessitabit. Quid igitur est opus vt me ipse prouocem? præsertim cùm ne quidem hoc ipsum velle & facere possim sine præueniente gratia, me ad id necessitante. Debeo igitur totum hoc negotium Deo relinquere, qui per gratiam necessitantem adiget me ad faciendum quidquid est necessarium vt assequar finem intentum. *Et desperationem.* Desperationem verò, quia iuxta sententiam illam potest ac debet quisque sic ratiocinari: Si non sum illo decreto seu proposito immutabili comprehensus, actum est de salute mea, & frustra coner assequi id quod à meo conatu non pédet, quódque nullo meo labore assequi possum. Neque enim minùs impossibile est quemquam illo decreto non comprehensum, in numerum electorum irrepere; quàm vllum eo comprehensum, illi numero deesse. Sed neque possum sperare & conati sine gratia necessitante, cuius exhibitio pendet à mero Dei beneplacito, & ab illo proposito irreuocabili, quo de nostra salute, vel damnatione sine nobis statutum est irreuocabiliter ab æterno.

35. *Et vanas reddere exhortationes &c.* Sequitur 4. pari euidentia, propositum illud vanas reddere prædicationes, exhortationes, correptiones &c. Quid enim est opus exhortatione, prædicatione, aut correptione ei, quem Deus statuit præuenire gratia necessitante; cùm non possit non facere id quod ab illo volumus? Et si è contrario, Deus statuit non illum præuenire gratia necessitante; quid prodest illi prædicatio, vel exhortatio, aut correptio; cùm sit penitùs impossibile vt quidquam boni faciat, nisi præuentus gratia necessitante? Neque dicas vtilem adhuc fore exhortationem, aut correptionem, quia Deus statuit non dare gratiam necessitantem, nisi illa mediante. Respondeo enim, sensum igitur exhortationis & correptionis fore, Hortor te vt facias, si Deus interuentu meæ exhortationis dederit tibi gratiam necessitantem ad faciendum; id est, si Deus faciat vt non possis non facere. Qui sensus est ineptus: & sic exhortatio deberet potiùs ad Deum dirigi: id est, potiùs orandus esset Deus vt det illi gratiam necessitantem; quàm iste hortandus vt agat id, quod non potest non agere, si Deus illam det, & quâ non datâ, impossibile est vt agat.

36. *Et extinguere studium orationis.* Quintò, non sine causa dicitur studium orationis extingui per tale propositum. Nam siue orem, siue non orem, nihil aliud fiet, nisi quod à Deo ex mero suo beneplacito, antecedenter ad nostram orationem, aut eius defectum, efficaciter & absolutè, atque irreuocabiliter decretum fuit. Et si de numero reproborum sum; oratio mea non faciet vt ab illo eximar: si de numero eorum, quos Deus saluare proposuit, defectus meæ orationis non mutabit illud decretũ. Sique Deus vult me orare ad eum finem, necessitabit me ad orandum per gratiam præuenientem, sine qua etiam ne possum quidem velle orare. Quomodo ergo pendet à mea voluntate & libertate, vt me ad illam excitem?

37. *Et Deum duas hominum massas fecisse.* Sextò, ex eadem doctrina manifestè sequitur, Deum, post peccatum Adæ, humanum genus duas in partes diuisisse pro suo mero beneplacito, vnam eorum, quos saluare decreuit per media necessitantia: alteram eorum, quos in massâ damnationis reliquit, voluitque mediis necessariis destitutos esse. Atque ita ex massa corrupta humani generis duas fecisse, quarum vna necessariò sit bona, altera sit necessariò mala: & non velle salutem omnium, sed paucorum tantùm quos ex massa damnationis secreuit. Quomodo enim vult salutem eorum, quos in massa damnationis reliquit, proposuítque mediis necessariis destituere, atque in necessitate damnationis constituere? At hoc esse contra Scripturam 1. Timoth. 2. aliisque locis ostendimus suprà disp. 8. sect. 4. numero 9. & fusiùs ostendemus disp. 26. sect. 5. & seqq. *Et necessitatem peccandi, oriri ex tali proposito.* Neque minùs absurdum est (quod tamen sequitur ex illa sententia) necessitatem peccandi, & non perseuerandi in reprobis, qui fuerunt iustificati, oriri ex vi illius propositi, & in illud meritò refundi. Nam cùm Deus statuerit efficaciter, & irreuocabiliter illos damnare: ne infringatur hoc propositum, debet procurare vt cadant, destituendo saltem gratia præueniente, & necessitante ad non peccandum, & ad perseuerandum: quâ destituti, sunt in necessitate peccandi & non perseuerandi. Imò etiam generaliter necessitas peccandi, in omnibus qui peccant, & quotiescunque peccant, orietur ex proposito illo, quo Deus statuit non præuenire gratia necessitante, pro suo mero beneplacito. Hoc autem est manifestè contra Scripturam, quæ testatur Deum nolle peccatum, & mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat: & nolle aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti: Ezech. 18. & 2. Petr. 3.

38. *Et repugnare antiquis Patribus.* Denique fuit etiam iusta causa reiiciendi hoc propositum, tot aliis nominibus improbandum, quia eius assertio est contra communem sententiam omnium ferè antiquorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, vt obiiciebant Massilienses, & affirmat Prosper ipse in epist. ad August. sæpiùs cit. his verbis: *Illud quoque qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Neque id diffitetur Augustinus, respondens illi obiectioni libro de Prædestin. Sanctorum, cap. 14. Sed & Iansenius ipse libro 7. de hæresi

Pelagiana capite decimo-septimo affirmat aliter de proposito & prædestinatione sensisse Patres & Scriptores Ecclesiasticos, qui inter Origenem, & Augustinum vixerunt, atque illos in hunc scopulum Semipelagianum impegisse. Quod est dicere, Ecclesiam, cuius non est alia fides, quàm communis sensus Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, duobus circiter integris seculis in errore Semipelagiano versatam esse: quod est absurdum & erroneum, Ecclesiæque Catholicæ infallibilitati aduersum. Certè quamuis Diuus Augustinus in illa sententia fuisset, (quod absit) præualere deberet omnium aliorum Patrum anteriorum auctoritas, accedente præsertim Scripturæ diuinæ suffragio, & aliis argumentis suprà propositis, quibus nunquam satisfacient Ianseniстæ.

39. *Ianseniј hallucinatio.* Neque est, quòd existiment has omnes obiectiones esse Semipelagianas, eo quòd idem, vel aliquid simile à Semipelagianis obiectum fuit doctrinæ Diui Augustini: satisque sibi esse ad probandum esse iniustas & erroneas, ostendere ab illis quoque propositas fuisse; quod tamen vnum sibi sufficere existimauit Iansenius. Iam enim sæpius eum monuimus, quia semper in eo peccat, non omnia, quæ dicuntur ab hæreticis, esse hæretica: sed ea quæ Ecclesia talia esse iudicauit, & in illis damnauit vt erronea. Neque minùs habent ponderis rationes allatæ, eò quòd illis etiam efficaces visæ sint; sed potiùs magna censeri debet earum vis, cùm hæreticos æquè, ac Catholicos conuincant.

SECTIO IV.

Sitne propositum illud, quale traditur à Iansenio, Augustinianum, Catholicum, & Apostolicum?

40. *Doctrina Ianseniј.* HOc quidem affirmat Iansenius, & simplicibus atque ignaris persuadere molitur: sed quàm à veritate id alienum sit, patebit ex sequentibus. Priùs ergo recolendum est duas esse partes illius propositi Ianseniani. Vna est, quòd Deus non secundùm præscientiam, sed ex suo mero beneplacito elegerit ab æterno omnes saluandos, omnésque reprobos reiecerit, atque in massa damnationis reliquerit, in qua totum genus humanum per peccatum Adæ fuit inuolutum. Altera est, quòd Deus propositum illud suum saluandi eos, quos elegit, & extrahendi ex massa damnationis, aliósve in ea relinquendi, exequatur per media necessitantia, & à libertate creaturæ independentia: præueniendo electos gratiâ necessitante, (loquendo de adultis) & illam negando reprobis, sine qua tamen impossibile est vt saluentur, imò quicquam boni faciant.

41. *Ostenditur non esse, quoad executionem per gratiam necessitantem.* His præmissis, respondeo neutrum ex dictis esse Augustinianum, multóque minùs Catholicum, & Apostolicum. Primò enim, quòd executio illius propositi per gratiam necessitantem, non sit doctrina Augustiniana, neque Catholica & Apostolica, patet ex dictis sectione secunda, vbi euidenter ostendimus Diuum Augustinum pluribus locis, & Concilia, Scripturámque diuinam affirmare, gratiam, quâ Deus salutem hominum procurat, non esse talem, vt voluntatem necessitet ad consensum, ita vt non possit illi resistere: & si quid in contrarium videtur dicere Augustinus libro de correptione & gratia, capite 12. cùm ait Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ dari, quale Adamo: sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur: *non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verumetiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint.* Et alibi: *Donum illud suppliciter emereri posse, contumaciter amitti non posse:* intelligendum illud est, consequenter ad euentum reipsa futurum, & à Deo præscitum; qui non potest non esse futurus, ex suppositione quòd futurus sit, & à Deo præscitus. Ideóque auxilium gratiæ, & donum perseuerantiæ datum cum tali præuisione, tale est, vt non solùm per illud perseuerare possint electi, verùm etiam nonnisi perseuerantes sint. Tale etiam est, vt contumaciter amitti non possit: quia fieri nequit vt perseuerent simul, & non perseuerent: neque dicitur esse donum perseuerantiæ, nisi reipsa perseueretur. Atque ita semetipsum exponit Diuus Augustinus libro de Bono perseuerantiæ, capite sexto, cuius verba referemus paulò pòst. Eodémque sensu consequente, seu composito, accipiendum est, quod addit Augustinus libro de Correptione & gratia, capite duodecimo, in fine, *Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non deficeret, neque aduersitate aliquâ vinceretur.* Qua de re plura dicemus alibi.

Secundò, non est quoque doctrina Diui Augustini, neque Conciliorum, aut Scripturæ diuinæ, quòd electio ad gloriam facta sit ex mero Dei beneplacito, & non secundùm præscientiam: vt breuiter ostendimus disputatione præcedenti, sectione quartâ, numero vicesimo nono, & fusiùs probant Petauius, & Martinonus locis ibidem citatis: Summa probationum est, quia Scriptura, per quam præcipuè diuina consilia nobis innotescunt, nunquam proponit vitam æternam, vt destinatam absolutè, & independenter à conditione fidei & operum, vel debitæ applicationis Sacramentorum, siue mediorum ex parte nostra requisitorum: sed è contrario, Christus satis apertè significare videtur Matthæi vicesimo quinto, regnum cœlorum fuisse præparatum, id est, destinatum electis, propter bona opera præscita: cùm ait, *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim &c.* Sicut ibidem affirmat ignem æternum paratum fuisse reprobis, propter eorum immisericordiam. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Et Matth. 20. idem significat comparatione denarij diurni, seu mercedis destinatæ operariis, intuitu laboris in vinea excolenda præstandi. Et Rom. 8. Paulus eandem gloriam proponit vt dandam sub conditione ope-

[right margin] *necessitantem.* — 42. *Neque quoad electionem antecedentem.* — Mart. tom. 3. disp. 19. sect. 3. & seqq. — *Probatur ex scriptura.*

rum, cùm ait: *Si filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et paulò pòst. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*; id est, quorum præsciuit fidem & dilectionem, eos prædestinauit, vt essent conformes filio: quemadmodum exponunt Origenes, Cyrillus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylact. & alij. Et secundæ ad Timotheum secundo, versu vicesimo primo docet idem Apostolus, pendere à nostra cooperatione, & munditie præuisa, quòd simus vasa honoris, & gloriæ: cùm, postquam dixit, in magna domo esse vasa quædam in honorem, alia in contumeliam: addit, *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem &c.* Et secundæ Petri primo, versu decimo, & Romanorum vndecimo, versu vicesimo octauo, significat vterque Apostolus salutem nostram, & electionem, eiúsque certitudinem pendere à bonis operibus & à nostrâ perseuerantiâ. Idémque Ioannes Apostolus docet Apocal. tertio, dicens, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, significans esse suspensam ab illa conditione, neque aliter esse destinatam efficaciter. Quod item Petrus indicat loco citato his verbis, *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis:* & Paulus ad Romanos 11. versu vicesimo secundo: *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris.* Atqui salus non esset suspensa, neque eius certitudo penderet à bonis operibus, & à perseuerantia nostra, si fuisset à Deo decreta absolutè & efficaciter ante præuisa opera, & ante præscitam perseuerantiam. Neque perseuerantia in bonis operibus certam faceret electionem nostram: sed potiùs electio certam faceret perseuerantiam. Item primæ ad Timotheum 2. proponitur salus æterna, vt omnibus expetita per modum desiderij: & vt omnibus danda, quantum est ex parte Dei, Ezechielis 18. & 33. Vbi iurat Deus se omnibus, qui bene vixerint, daturum gloriam; qui malè, pœnas debitas subituros: & prout transierint homines libera sua voluntate à bono in malum, vel contrà; eum suam sententiam attemperaturum sine acceptione personarum. Ergo non habuit tale decretum, quale supponit Iansenius: quo nimirum statuerit ante omnem præscientiam operum, saluare aliquos, & extrahere de massa damnationis per media necessitantia & independentia ab eorum libertate: alios in ea relinquere: & mediis sufficientibus destituere, adeóque necessitati pereundi subiicere. Quæcunque autem maioris momenti in contrarium obiiciuntur ex Scriptura, præcipuéque ex capite nono epistolæ ad Romanos explicata fuerunt sectione septima eiusdem disputationis decimæ nonæ, ad quam lectorem remittere satius est, quàm eadem hoc loco repetere.

43. *Et ex Augustino.* Augustinus quoque idem sæpius docet: vt libro primo ad Simplic. quæstione secunda, dicens, *neminem eligi nisi iam distantem ab eo, qui reiicitur. Vnde quod dicitur, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum nisi præscientiâ*, nimirum fidei, & operum bonorum, & conditionum necessariarum ex parte eligendorum. Quam sententiam nunquam retractauit, sed potiùs confirmauit libro secundo Retractationum, capite primo; & libro de Prædestinatione Sanctorum, capite quarto, quos paulò ante mortem scripsit. Et sermone septimo de verbis Domini: *Quos voluit Dominus, hos elegit*, inquit. *Elegit autem, sicut dixit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum iustitiam.* Et inferiùs: Deum ita loquentem inducit de electis inter Israëlitas, qui Baal non adorauerant: *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal.* Et libro de Gratia & libero arbitrio capite sexto, octauo, & nono, itémque libro de Correptione & gratia, capite decimo tertio exponens modum, quo illa electio fit secundùm gratiam, & simul secundùm iustitiam: dicit hoc esse, quia bona opera, quibus salutem assequimur & meremur, non sunt ex nobis per solas vires naturæ, sed ex gratia. Et sermone 233. de tempore, quærens cur Deus hunc dignum habet, illum indignum: istum honorat, & illum cruciat: respondet: *Hunc dignum habet, pro bonis operibus suis: illum habet indignum pro suis operibus malis.* & libro 83. quæstionum q. 68. *Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis: quia & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatum vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni efficiuntur iustificatione:* nimirum actus, quibus cum Dei gratia præueniente, & excitante, atque iuuante exercitis, sese ad illam disponunt, iuxta doctrinam Catholicam, à Tridentino expressam sessione sexta, capite quinto & sexto. *Et item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione:* mala scilicet opera, grauiáque scelera, quibus viam maioribus, & efficacioribus gratiæ auxiliis obstruxerunt, & à Deo deseri meruerunt. Et quamuis ibi sermo sit de conuersione, & obduratione peccatoris: ratio tamen, quam affert, æquè concludit de electione & reprobatione: quia videlicet illa Dei voluntas non potest esse iniusta &c.

Neque minùs electionem secundùm præscientiam docent Prosper & Auctor Hypognostic. insignes Augustini discipuli, & Semipelagianorum impugnatores, hanc ab illo sententiam edocti. 44. *Et ex Prospero.* Prosperi verba in responsione ad obiectiones Vincentianas ad articulos falsò impositos Augustino, articulo duodecimo, hæc sunt: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate ac virtute mansuri.* Et in responsione ad 3. obiect. Gallorum dicit eos, qui pereunt, non habuisse necessitatem pereundi ex eo quòd prædestinati non sunt, sed quia casuri, & ad pœnitentiam non reuersuri voluntaria præuaricatione præsciti sunt, ideo sunt inter reprobos computati. Et auctor libror. Hypognost. qui eos ex sententiis August. composuit, eandem electionem secundùm præscientiam tradit his verbis lib. 6. cap. 2. quibus suam & Au- *Et ex auctore Hypognost.*

gustini, aliorúmque Catholicorum sententiam contra Pelagianos & Semipelagianos explicare se profitetur, ad refellendam malam eorum intelligentiam doctrinæ Augustini: *Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper & est, quicquid antequam sit, sic præscit, prædestinat: & propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo & Apostolus, Nam quos præsciuit, inquit, & prædestinauit.* Et paulò pòst, in fine capitis, dicit Deum, quia iustus & misericors est, præsciúsque futurorum, ex damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ, quos præscit, misericordiâ diuinâ præparare, id est, prædestinare ad vitam æternam: ceteros autem pœnâ punire, quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit.

45. *Expenduntur loca citata.* Hæc certè omnia stare non possunt cum proposito illo Ianseniano. Nam si Deus absolutè proposuit, non ex præscientia, sed ex mero suo beneplacito, saluare aliquos per media necessitantia; & alios in massa damnationis relinquere mediis sufficientibus destitutos: non est verum quod dixit Augustinus, Deum elegisse præscientiâ; & non sine aliqua diuersitate præsupposita in electis & reprobis, ab æterno præuisa: Et, elegisse secundùm gratiam, & secundùm iustitiam; quia opera propter quæ elegit fiunt ex gratia: &, elegisse eos, quorum mentes præuidit non de se, nec de Baal, sed de Deo præsumentes, &c. Verum quoque non erit, quod dixit Prosper, ideo non esse prædestinatos eos, qui pereunt, quia præsciti sunt casuri: essent autem, si præuisi essent ad pœnitentiam reuersuri, & in sanctitate mansuri: neque habere necessitatem pereundi ex eo quòd non sunt prædestinati. Habent enim euidentissimè, si verum est quod ait Iansenius, ideo quia non sunt de numero selectorum ex massâ perditionis, seu prædestinatorum, relictos esse in massa illa damnationis, sine mediis ad salutem sufficientibus. Fuerúntque casuri, quia non erant prædestinati: non autem, vt ait Prosper, ideo non prædestinati, quia præsciti erant casuri. Denique verum quoque non erit, quod dixit auctor librorum Hypognostic. Deum propterea prædestinare, quia præscit quale futurum sit: iuxta illud, *Nam quos præsciuit, & prædestinauit.* Quibus autem meliùs nota sit Augustini sententia, Iansenio, an Prospero, & auctori prædicto, eius doctrinæ studiosissimis ac defensoribus eximiis contra Pelagianos, iudicet æquus lector.

46. *Exponuntur breuiter Augustini verba opposita.* Effugia verò quæ nonnulli excogitarunt ad eludendas huiuscemodi Diui Augustini, aliorúmque Patrum auctoritates, fuerunt refutata superiùs citatâ disputatione decima nona, sect. 4. numero 51. & seqq. Quæque in contrarium obiiciuntur præcipuè ex libro de Corrept. & gratia, capite septimo, & libro de Præd. Sanct. cap. 17. 18. & 19. & libro de Bono perseuerantiæ cap. 9. fuerunt ibidem explicata totâ sect. 8. vbi ostenditur, & ex ipsomet Augustino probatur, quædam ex illis dici in sensu tantùm concomitante; & non causali: vt quod ait primo loco citato. *Quicunque ab illa originali damnatione, ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quòd & procuretur eis audiendum Euangelium: & cùm audiunt, credunt: & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant: & si quando exorbitant, correpti emendantur &c.* Possunt enim hæc ita intelligi, quòd illis, qui sunt efficaciter electi ad gloriam, reipsa procuretur Euangelium, & audiendo credant, & in fide ac dilectione perseuerent, aut si ceciderint, resurgant: quamuis discretio & electio efficax non sit causa, cur hæc omnia fiant: sed potiùs electio fuerit efficax, quia Deus præsciuit hæc omnia futura. In aliis sermonem esse de prima gratia, seu prima vocatione, quam Semipelagiani volebant dari ex præsuppositis aut præuisis fide & operibus, aut initiis quibusdam naturalibus, velut eius meritoriis; & non ex puro Dei beneplacito. Quo sensu accipienda sunt, quæ dicit libro de Prædestinatione Sanctorum, capite decimo septimo, decimo octauo, & decimo nono. In aliis, quando dicit Deum elegisse per electionem gratiæ: si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia: loquitur de operibus purè naturalibus, aut quæ nullo modo sint à pura gratia, ne respectu quidem primæ vocationis: iuxta sensum Pelagianorum & Semipelagianorum, contra quos disputabat. Quo sensu accipiendum est quod ait paulò pòst verba modò relata ex libro de Correpr. & grat. *Hæc omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos &c.* In aliis denique, vt lib. de Bono perseuerantiæ, capite nono, quando dicit prouidentiam Dei diuersam circa electos & reprobos, ad inscrutabile Dei iudicium referendam esse, & pendere à Dei beneplacito; intelligi debet, quatenus Deus pro suo mero beneplacito, & inscrutabili iudicio, elegit hanc rerum seriem, in qua præsciebat fore, vt illi bene vterentur mediis salutis, & eam consequerentur, isti non: præ alia, in qua contrarium euenisset, si eam elegisset.

SECTIO V.

Respondetur argumentis Iansenij.

SVPEREST vt respondeamus argumentis ab aduersario propositis lib. 7. de hæresi Pelagiana, capite decimo octauo, & à nobis suprà relatis numero decimo septimo & seqq. quibus oppositum euidēter probari contendit. Ad primum dico, Quando Massilienses, verbis illis à Prospero relatis, affirmant *remoueri omnem industriam, tollique virtutes, si diuina constitutio humanas præueniat voluntates;* loquuntur non solùm de constitutione dandi gloriam, siue de electione efficaci & prædestinatione ad vitam æternam, verùm etiam de constitutione dandi primam gratiam: quippe quam volebant subsequi fidem naturalem, & aliquod salutis initium, à nobis datum solis naturæ viribus: vt eius intuitu, tanquam alicuius meriti præuij, aut præuisi, daretur gratia ad prosequendum & perficiendum salutis negotium viribus nostris inchoatum. Et si aliqui eorum prius solum affirmabant, non sine causa dicebant, *remoueri omnem industriam, tollique virtutes,* id 47. *Soluitur primum argumentum.*

est, studium bene operandi, si voluntas Dei efficax, & absoluta de hominum salute, concepta est independenter ab eorum voluntate, id est, à præuisione operum, aut conditionum ab ipsorum libertate pendentium: id enim rectè inferri ex illa sententia de electione antecedenter, & absolutè facta, liquet ex dictis sect. 3. Verè quoque addebant, Scriptores Ecclesiasticos, qui Augustinum antecesserant, non eo sensu intellexisse quæ dicuntur à Paulo in epistola ad Romanos, de gratia Dei præueniente nostra merita. Sed falsò addebant, *remoueri* quoque *omnem industriam*, &c. nisi fides, & aliqua opera solis naturæ viribus exercita præueniant Dei gratiam, sintque initium, & fundamentum nostræ electionis ad gloriam, seu efficacis, & absolutæ prædestinationis. Perperámque ad huius erroris confirmationem obiiciebant communem Patrum antiquiorum consensum, qui nihil tale asserunt, quando affirmant electionem ad gloriam, fundatam esse in præuisione fidei & operum. Loquuntur enim de fide, & operibus gratiæ, id est, ad quæ liberè exercenda iuuamur gratiæ præuenientis, & cooperantis auxilio; non autem de fide, & operibus, quæ per solas naturæ vires exhibeantur, Deúmque moueant vt gratiam nobis, & gloriam conferat. Quanquam hæc duo non adeo expressè, & accuratè distinxerunt, vt fecerunt Augustinus & alij, qui post exortam hæresim Pelagianam, & Semipelagianam scripserunt. Eóque sensu intelligendum est, vt verum sit, quod ait idem S. Doctor lib. de Prædestinat. Sanctorum, cap. 14. *Quid igitur opus est vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari; quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur*, &c.

In quo errabant Semipelagiani circa electionem?

48. Porro quòd illo etiam posteriori sensu assertionem suam intelligerent, si non omnes, saltem aliqui Massiliensium, magis à vero aberrantes, patet ex eo quod addit Prosper paulò post verba suprà relata ex ipsius epistola ad Augustinum, præfixâ libro de Prædestinatione Sanctorum. *Quidam verò horum* (Massiliensium) *in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec existentem, liberi arbitrij, & rationalem, gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Itaque gratiam omnia nostra merita præuenientem, non aliam esse volebant, quàm liberum arbitrium nobis in ipsa creatione gratis à Deo collatum, & idcirco nomine gratiæ impropriè nuncupatum: ad gratiam verò Christi, & propriè dictam perueniri volebant per bonum illius vsum, velut gratiæ meritum, vel reipsâ præsuppositum, vel præscitum.

Gratiam ex merito naturali dari volebant.

Ad quem errorem refellendum scripsit Augustinus rogatu Prosperi, & Hilarij librum de Prædestinatione Sanctorum, vbi ab ipso initio probandum suscipit humanam voluntatem non præcedere diuinam constitutionem, per eiusmodi scilicet fidem, & opera viribus arbitrij solius exhibita, & gratiam promerentia. Eodémque sensu dicit humanam voluntatem non præcedere diuinam constitutionem, quia alioqui gratia daretur secundùm merita, vt aiebat Pelagius, damnatus in Concilio Palæstino: & fides ipsa est donum Dei, non autem solus eius progressus, atque perfectio, vt fusè probat primis vndecim capitibus: tum cap. 12. sic ait: *Sed omnis hæc ratio, quâ defendimus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, verè esse gratiam, id est, non secundùm merita nostra dari, quamuis euidentissimè diuinorum eloquiorum testimoniis asseratur: tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, vt retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant: laboratur aliquando in ætate maiorum, iam vtentium voluntatis arbitrio: sed vbi venitur ad paruulos, & ad ipsum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum.* Et deinceps refutat quod illi dicebant, ex duobus infantibus vnum baptizari ante mortem, non alium; quia Deus præsciuit quid in ætate adulta acturi essent, si eam attingerent; vel vni adulto prædicari Euangelium, non alteri, quia per bona opera naturalia id meruit, aut præuisus est crediturus naturæ viribus; vel denique fidem non esse ex Dei gratia præueniente, &c. 49.

Quo sensu dicat Aug. gratiam, & electionem non esse ex meritis?

Atque hoc solum est, quod in eius doctrina de Prædestinatione approbauit Ecclesia: quòd scilicet non sit facta secundùm præscientiam operum naturalium, vel ex toto, vt volebant Pelagiani; vel ex parte, videlicet quoad initium salutis, vt Semipelagiani: quemadmodum rectè dicit, & probat efficaciter Didacus Ruis, in lectione Patrum, & Conciliorum versatissimus, disput. 10. de Prædestinat. sect. 1. quia, inquit, Concilia, & Summi Pontifices approbantes doctrinam Augustini de Prædestinatione, & gratia, non sunt alij præter Leonem magnum, & ex eius præscripto, Concilium Arausicanum II. itémque Cœlestinum, ac postremò Gelasium. Hi autem omnes non approbant tanquam certam, & de fide, doctrinam Augustini de prædestinatione, nisi quantùm ad hunc articulum, *Ex viribus naturæ sine auxilio gratiæ nullum datur initium iustificationis, nulla dispositio, nullum meritum, nulla impetratio, nulla ratio.* Nam suis decretis, & canonibus inserunt eos articulos doctrinæ Augustini, quos approbant: & cùm plurimos inserant de negando initio gratiæ ex viribus naturæ, nullibi mentionem faciunt de prædestinatione, seu electione ad gloriam, factâ independenter à præuisis operibus supernaturalibus, eliciendis per auxilia gratiæ. Quódque dixit expressè Cœlestinus in epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 13. sine dubio alij subintelligunt, profundiores quæstiones de Prædestinatione & aliis, quas præter ea quæ exprimunt, tractarunt illi, qui Pelagianis, & Semipelagianis restiterunt, se nec contemnere nec approbare. Malè tamen addit paulò pòst auctor suprà citatus, his non obstantibus, magnam auctoritatem 50.

Quidnam approbauit Ecclesia in doctrina Augustini de prædestinatione?

electioni ad gloriam, factæ independenter à præuiso bono vsu gratiæ conciliari, ex eo quòd hæc doctrina sit adeo finitima doctrinæ fidei, confirmatæ à summis Pontificibus: vt Augustinus quoties contra Pelagianos, vel Semipelagianos excludit iustificationis initium ex viribus naturæ; toties ad hoc explicandum, & probandum, recurrat ad electionem, factam ante præuisa opera quæcunque, siue naturalia, siue supernaturalia. Nam & Ruis falsum supponit: & si Augustinus id faceret, non doctrinæ affinitas aut connexio, quæ nulla est, sed æstus disputationis ad hoc illum impelleret. Cur autem ex hac fidei veritate, quòd gratia diuina, & constitutio illius dandæ præueniat nostram voluntatem, neque illam mereamur per fidem naturalem, aut aliquid aliud solis naturæ viribus exhibitum, putarent Massilienses inferri absurda & incommoda, quæ Iansenius enumerat, quæque nos retulimus numer. 17. exposuimus suprà disputat. 7. sect. 7. num. 71. & seqq. & sect. 9. num. 91.

51. *Diluitur secundum argumentum.* Ad secundum respondeo, Massilienses extendentes propositum illud Augustini, omnem humanam voluntatem præueniens, ad ipsam vsque perseuerantiam, & ad totum negotium salutis: id fecisse per illationem malè deductam ex aliquibus eius verbis obscurioribus, & praua eorum intelligentia: cùm tamen ipse pluribus locis satis expresserit iustificationem, perseuerantiam, & gloriam pendere ex aliqua nostra operatione, bona scilicet, & supernaturali à Deo præscita. Vt de iustificatione videre est l. 1. ad Simplic. q. 2. vbi sic ait: exponens illud Apostoli ad Rom. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret, &c. Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, &c. Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reiicitur; vnde quod dictum est quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ*; ipsius nimirum iustificationis, & bonorum actuum, quibus, præueniente & iuuante Dei gratiâ, ad illam disponimur. Et epist. 105. dicit nec ipsam remissionem peccatorum sine aliquo merito esse, quia fides illam impetrat. De perseuerantia verò liquet ex lib. de Bon. perseu. cap. 6. vbi dicit *hoc donum posse suppliciter emereri:* id est, obtineri per aliqua bona opera, vel orationem factam cum auxilio gratiæ. Qui autem meretur vt Deus det perseuerantiam, meretur etiam vt voluerit efficaciter eam dare. Idem enim est, aut necessariò connexum, mereri aliquod præmium ab alio retribuendum; & , mereri vt ille velit retribuere. Vel etiam quando D. Augustinus videtur extendere propositum illud, præueniens humanam voluntatem, ad omnia supradicta: loquitur de voluntate naturaliter spectata, hoc est, de iis, quæ ab illa fiunt solis naturæ viribus: quorum certè intuitu Deus non dat iustificationem, vel perseuerantiam, & gloriam: non autem de iis, quæ ope gratiæ diuinæ fiunt: neque damnat erroris asserentes electionem pendere ab eiusmodi operibus supernaturalibus. Nam quòd Pelagianos, aut Semipelagianos non reprehendat, si loquantur de operibus factis cum auxilio gratiæ, patet ex eo quod ait lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 6. *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: prorsus rectissimè respondet Apostolus, Quis te discernit? &c.* Denique de gloria idem liquet ex iis, quæ dixit Augustinus locis suprà relatis, num. 43. Quibus adde, quod ait lib. de Prædest. Dei, cap. 3. *Ex præscientia igitur offensionis prædestinatio emanauit vltionis: sicut ex præscientia virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis.* Hæc Augustinus; si tamen huius libri verè auctor est, quod à multis negatur. sed ad negandum non sufficit, quod solum opponit Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: ideo non esse Augustini, *quia sub finem docet, prædestinationem esse ex præuisione operum, quam sententiam vbique Augustinus oppugnat.* Nam si hæc ratio valeret, expungendi essent ex catalogo librorum Augustini, multi alij, qui certissimè illius sunt, citati suprà num. 43. in quibus idem perspicuè affirmat. Vnde etiam collige non esse verum, quod ait Bellarminus, D. Augustinum hanc sententiam vbique oppugnare. Et verò vbi maximè videtur aduersariis illam insectari, vt libro de Prædest. Sanct. cap. 17. & sequentibus, non loquitur de electione ad gloriam ex præuisis operibus supernaturalibus: sed de electione ad primam gratiam, seu vocatione ad fidem, non ex præuiis operibus naturalibus, aut dependenter ab eorum præscientia. Quo sensu dicit initio capitis cit. *Intelligamus ergo vocationem, quâ fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed, qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant, ipsi eum priùs vtique elegerant, credendo in eum, vt eligi mererentur.* Et cap. 18. eodem sensu sic loquitur: *Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum*, id est ad iustificationem, *non quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus*, nempe solis naturæ viribus: *sed elegit, prædestinauitque vt essemus:* id est, præparans gratiam, cui consentiremus, & consentiendo, iustificationem, seu adoptionem filiorum consequeremur, sanctique, & immaculati euaderemus.

SECTIO VI.

Soluuntur alia, quæ opponit Aduersarius.

Tertium argumentum Iansenij, est inutilis repetitio eorum, quæ dixerat in confirmatione primi, de obiectionibus Massiliensium contra doctrinam Augustini. Quod verò addit, nusquam hunc Doctorem, ne verbulo quidem significasse suam sententiam de proposito, & de vocatione secundùm propositum, siue propositi executione, malè intelligi à Massiliensibus; euidenter falsum est. Nam lib. de Bono perseuerantiæ, cap. 6. manifestè eos reprehendit, quòd suam doctrinam malè intelligerent de auxilio sanctis dato, & electis ad regnum cœlorum, vt perseuerent, & illud assequantur: quasi vellet illud esse tale, vt antecedenter inferat necessitatem perseuerandi; cùm tamen id 52. *Impostura Iansenij.*

significare minimè voluerit, sed tantùm dicere, non posse illud donum amitti, & non posse non perseuerare, qui illud habet; quia non dicitur donum perseuerantiæ, nisi reipsa perseueretur, aut iam perseueratum sit: fierique non potest vt quis non perseueret, aut amittat perseuerantiam, ex hypothesi quòd perseueret, aut iam perseuerauerit: quæ necessitas est tantùm consequens, siue hypothetica, & in sensu composito; quia non potest componi in eodem perseuerantia cum non-perseuerantia: id est, fieri nequit vt quis simul perseueret, & non perseueret. Verba D. Augustini cap. cit. hæc sunt; *Sed nolunt, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Vbi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquimur, quâ perseueratur vsque in finem; quæ si data est, perseueratum est vsque in finem: si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data. Quod iam, & superiùs satis egimus. Non itaque dicant homines, perseuerantiam cuiquam datam esse vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse, cui data est, repertus fuerit vsque ad finem. Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus, & si quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quandiucunque habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perseuerantiam verò vsque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisque vsque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia, quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti, per quod fit, vt non amittatur etiam quod posset amitti?*

Augustinus conqueritur se malè intelligi.

53. Et initio lib. de Prædest. Sanct. conqueritur quòd Massilienses, post tam multa, quæ scripserat, adhuc tamen caligarent circa suam de Prædestinatione doctrinam: *Quapropter* (inquit Prospero aut Hilario) *ecce rescribo vobis, & licèt iam non vobiscum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam. Consideratis enim literis vestris,* (quas de Massiliensibus scripserant) *videre mihi videor eos fratres, pro quibus geritis piam curam, &c. eo modo esse tractandos, quo tractauit Apostolus, quibus ait, & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit. Adhuc quippe in quæstione caligant de Prædestinatione Sanctorum.* Idem Augustinus (aut potiùs Prosper eius nomine) sic orditur librum, quo refellit obiectiones Vincentianas: *Quidam Christianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, vt suam se euertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt, ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eáque ostendenda, & ingerenda multis publicè, priuatímque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico indiculo continentur.* Inter articulos autem illos falsò impositos Augustino à Massiliensibus, tertius est, Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum. Septimus, Quòd hæc sit voluntas Dei, vt magna pars Christianorum salua esse nec velit, nec possit. Decimus-quartus, Quòd pars illa magna Christianorum Catholicorum fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam, & perditionem prædestinata est, etiam si petat à Deo sanctitatis perseuerantiam, non impetrabit, eò quòd mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit vt caderent. Decimus-quintus, Quòd omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postquam ceciderunt sic à Deo dispensantur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari. Ac denique plerique alij, & ferè omnes articuli eo libro comprehensi, pertinent ad prædestinationem aut reprobationem, vel ad modum eam exequendi.

Prosper de eodem conqueritur.

Liber quoque sextus Hypognosticon, ex sententiis Augustini compositus, incipit à simili reprehensione Massiliensium, hunc in modum: *Credere nos vel prædicare sugillatis, quia cum lege Dei, & prophetis, cum Euangelio Christi, eiusque Apostolis, prædestinationem dicimus, eò quòd Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni cœlorum, vt si nolint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omnino perire non posse: nec prorsus debere sui esse solicitos, quos Deus, quia voluit, semel iam eligendo prædestinauit ad vitam: quosdam verò sic prædestinauit in gehennæ pœnam, vt etiamsi credere velint, si ieiuniis, & orationibus, omnique se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari* (supple, dicamus) *& vitam illis æternam in toto dari non posse: sic electione prædestinatos esse vt pereant. Deum nos taliter operantem, personarum esse acceptorem dicere. Non miramur vos de nobis, id est, homines de hominibus falsa posse confingere.* Et paulò pòst: *Inclinate igitur aliquantulum patienter aurem cordis vestri, & qualiter mysterium prædestinationis credamus, qualiterve prædicemus, audite.* Posteàque subiungit, Deum prædestinare, quia præscit: *Deus,* inquit, *cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper & est, quicquid antequam fit, sic præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Ideo & Apostolus, nam quos præsciuit, inquit, & prædestinauit.* Quod si postea recurrit ad inscrutabilia Dei iudicia cum Apostolo, hoc facit propter electionem huius seriei, præ alia æquè possibili, & magis fauorabili, vt dicemus disp. 39. num. 13. & disp. 25. num. 49. Item si postea negare videtur electionem sequi præscientiam, intelligendus est de præscientia operum naturalium iuxta sensum Semipelagianorum, contra quos disputat. 54.

Et auctor Hypognosticon.

Sic habet editio Paris. an. 1551. apud Carolam Guillard viduã.

Denique libet etiam primus Fulgentij ad Monimum totus in eo versatur vt ostendat doctrinam D. Augustini de prædestinatione, & reprobatione malè intellectam fuisse à Monimo, eiúsque obiectiones contra illam, esse malè fundatas. Et cap. 27. aliísque locis multa dicit, verum Augustini sensum interpretando, quæ cum proposito Ianseniano, & modo illud exequendi stare nullo modo possunt. Vt quod ait cap. cit. *Peccata itaque hominum, cuncta quidem Deus in peccatoribus præsciuit futura. Et quia ipse non ea prædestinauit facienda, iustè prædestinauit iudicio punienda. Quod etiam in ipsis dictis Sancti Augustini, quæ tua inseruisti epistola; si conside-* 55.

Et Fulgentius.

res, profectò cognosces. Qui postquam dixit, Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat, qui faceret, non erat vsque ad vnum. Sed in eo genere, quod prædestinatum est ad interitum: statim secutus, adiunxit dicens: super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam. Nempe satis atque euidenter his dictis ostendit, quia Deus peccata hominum præscientiâ vidit, quibus sententiam prædestinatione dictauit. Quid enim aliud accipere debemus in hac prolatione sententiæ Dei, nisi paratum supplicium peccatori? Iustè autem est ad punitionem diuinâ æquitate prædestinatus, qui peccator est diuinâ cognitione præscitus. Vtpote, qui iniquitatem, ad quam à Deo non est prædestinatus, propria esset voluntate facturus. Vt in quo præscientia Dei videbat futurum opus iniustum, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium iustum. Manifestum est, hæc stare non posse cum prædestinatione, & reprobatione facta, non ex præscientia, sed ex mero Dei beneplacito: & cum peccandi necessitate, iniecta reprobis ob defectum gratiæ sufficientis illis negatæ, vi reprobationis, ita vt non voluntate sed necessitate peccent: id est, non quia volunt, sed quia non possunt non peccare.

56. *Sententia D. Augustini de Prædestinatione, cur malè intellecta.* Neque mirum videri debet, sententiam Diui Augustini fuisse perperam à Massiliensibus intellectam, propter nonnulla obscuriùs ab eo dicta: cùm non desint etiamnum, qui diuersimodè illam accipiant: & alij quidem electionem antecedentem ad præscientiam operum, docuisse illum affirment, vt Thomistæ communiter, Suares, Didacus Ruis, & Arrubal in suis disputationibus de prædestinatione: alij consequentem, & pendentem à præscientia; vt Vasquez, Lessius, Valentia, &c. alij denique vtramque illi tribuant; vt doctissimus Episcopus Ebroicensis Claudius de Sainctes, suis repetitionibus de Eucharistia, & pluribus aliis operibus satis notus: qui in libro Atheismorum Caluini, tract. 7. dicit Augustinum ter aut quater sententiam mutasse: & primò quidem adhæsisse communissimæ antiquiorum Patrum doctrinæ, asserenti electionem factam esse secundùm præscientiam fidei, & operum cum gratia factorum. Deinde, occasione Pelagianæ hæresis, cum qua tamen hæc assertio nullam habet connexionem, aut affinitatem, voluisse factam esse ante omnem præscientiam, & quamcunque præsuppositionem, vel occasionem aliunde datam: quam sententiam Caluinus arripuit. Tertiò, recurrisse ad peccatum originale, omnes inuoluens in eadem massa damnationis, vt causam aliquam assignaret, cur Deus reprobauerit. Quartò denique, multorum querelis, & offensionibus Catholicorum inde secutis, inductum, atque etiam re meliùs considerata, perpensisque argumentis sibi obiectis, reuertisse ad communissimam prædecessorum suorum sententiam, quam primò cum illis tenuerat, de electione secundùm præscientiam. Quanquam nihil vnquam scripsit, quod per commodam explicationem, iuxta illam eandem sentētiam intelligi nequeat. Sed negari non potest, eum plerisque loquendi modis obscurioribus, errandi occasionem dedisse peruersis ingeniis, vt Caluino, eiúsque similibus; ingentésque turbas, & offensiones animorum in Ecclesia excitasse. Hæc ille, quæ ex longiori eius discursu breuiter decerpsimus.

Sed præstat aliquot eius verba è Gallico in Latinum conuersa transcribere, quibus fusiùs, & liberiùs mentem suam exprimit.

Sæpè (inquit) miratus sum Caluini audaciam, qui stultas suas imaginationes toti Ecclesiæ primitiuæ anteponere non veretur. Quasi verò sancti illi Doctores & Martyres, Christi sanguine recèns fuso, spirituque feruentes, controuersias suo tempore exortas, sine matura deliberatione, & Scripturarum collatione deciderint. Sed in argumento de Prædestinatione, quod nunc tractamus, mirari satis nequeo eius temeritatem; qui vt citiùs sese expediat, vnico verbo toti antiquitati abrenunciat, vt vnicum Augustinum sibi reseruet; quem tamen constat abiecisse sententiam illam à Caluino traditam, duabus præcipuè rationibus inductum, atque persuasum. Post disputationes cum Pelagianis habitas, & scriptos aliquot ab eo libros aduersus eosdem hæreticos, magnum ex illis scandalum exortum est, eò quòd nouam de prædestinatione, & reprobatione sententiam introduceret, quam ad solum Dei beneplacitum, & discretionem mera eius voluntate factam referre videbatur. Gallos præcipuè commouit hæc doctrina: ex quibus duo, nimirùm Hilarius Episcopus Arelatensis, & Prosper Aquitanicus, ad eum scripserunt, duásque præcipuas commotionis, & scandali causas ei proposuerunt. Prima erat, quòd doctrina illa noua esset, & toti antiquitati aduersa, vt patet ex testimoniis Iustini, Tertulliani, & Irenæi, quæ nos suprà retulimus, & Caluinus ipse id fatetur. Verba Prosperi in Epistola ad Augustinum hæc sunt. *Illud etiam, qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna sententia, quâ propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, &c.* operum videlicet cum Dei gratia factorum, non autem purè naturalium, vt volebant ex toto Pelagiani, & ex parte Semipelagiani. Respondit Augustinus, Patres illos, & Scriptores, qui eum præcesserant, non adeo exactè hanc materiam scrutatos esse, quia res illis non erat cum Pelagianis. Sed, quod pace illius dictum velim, non defuerant hæretici, ipso initio Ecclesiæ, qui dicerent Deum destinasse Adamum, eiúsque posteros ad peccatum, & damnationem: ideóque Patribus illis antiquioribus, non defuerat occasio hanc quæstionem perscrutandi. Altera obiectio Augustino proposita erat, quòd eius doctrina licentiam peccandi, & desperationem pareret: eò quòd tale diceret esse donum perseuerantiæ; vt neque suppliciter emereri, neque contumaciter amitti possit: quemadmodum scribit Hilarius in epistola ad eundem. Propter quod etiam Episcopi Galliæ prohibuerunt eiusmodi doctrinam populo Christiano proponi à concionatoribus. Respondit Augustinus idem incommodum sequi ex infallibili præscientia Dei. Sed hoc dixit argumento conuictus, & cedens potiùs difficultati, quàm satisfaciens: cùm certum sit præscientiam Dei de rebus futuris, non esse causam illarum, nullámque imponere necessitatem rebus præuisis, siue liberis earum causis. Addidit hanc sententiam populo proponendam esse à concionatoribus in tertia persona duntaxat: ne si in secunda persona po- 57. *Iudicium Claudij Sanctesij de eadem.*

pulo ipsi enuncietur, coniiciatur in scrupulum, & perplexitatem animi. Verùm inde facilè potest intelligi, qualis sit hæc doctrina, quæ non potest sine scandalo, & Christianarum mentium offensione sincerè explicari. Quapropter Augustinus, vt opinionis suæ temperamentum adhiberet, recurrit ad peccatum originale, & naturæ lapsum in Adamo: existimans se ex illo reddere posse causam sufficientem reprobationis. Verùm satis animaduertit corruptionem peccati originalis non sufficere ad tantam pœnam iustè infligendam, quanta reprobis, & damnatis præparata est: ideóque magnam hac in re perplexitatem animi passus est; multósque alios deinceps in eandem, ingentésque perturbationes induxit. Interea verò, quod dixisse videtur, electionem, & reprobationem fuisse factam ex solo Dei beneplacito, nullâ aliunde datâ occasione; reiectum fuit ab omnibus Catholicis, & à Conciliis Valentino, & Arausicano.

58 Et paulò pòst, Ab Apostolis (inquit) vsque ad Augustinum, Patres, & alij Doctores Catholici ab Apostolis ipsis, vt par est credere, edocti, parcè, & sobriè de prædestinatione, & reprobatione loquuti sunt: causámque prædestinationis esse dixerunt præscientiam bonorum operum, quæ liberè homines faciunt: reprobationis verò, præscientiam malorum operum. Diuus Augustinus eandem sententiam tenuit vsque ad suam cum Pelagianis concertationem, vt ipsemet fatetur. Postea verò excogitauit sententiam, quam secutus est Caluinus, de prædestinatione, & reprobatione ex solo Dei beneplacito. Tertiò, recurrit ad massam corruptionis in Adamo, vt assignaret causam reprobationis ex parte hominum: peccatum scilicet originale. Quartò denique rediit ad sententiam antiquorum Patrum de prædestinatione, & reprobatione factis ex præscientia bonorum, & malorum operum: vt testatur Fulgentius in libro ad Monimum.

59. Et post multa: Pro resolutione fidei meæ, inquit, quam Ecclesiæ Catholicæ iudicio submitto, censeo D. Augustinum nimio contra Pelagianos ardore incensum, nimis præcipitanter sententiam, & consensum prædecessorum suorum contempsisse: præsertim cùm illi magnum in Scriptura fundamétum habuerint, & nihil commune cum errore Pelagianorum: multóque maiorem fidelibus ædificationem, & pacem, & feruorem ad salutem suam per bona opera cum Dei gratia procurandam attulerint. Video etiam eos, qui post Augustinum vixerunt, & scripserunt, magis cum Ecclesia primitiua, quàm cum illo sentire: conarique potiùs Augustinum cum primitiua Ecclesia conciliare, quàm propter Augustinum deserere sensum primitiuæ Ecclesiæ: vt etiam Prosper & alij testantur. Plures quoque è Doctoribus Scholasticis, & modernis Catholicis adhærent Patrum antiquorum sententiæ, quàm Augustini doctrinæ. Sed & ipsemet, si commodè intelligatur, nihil vnquam dixit, quod cum antiquorum illorum sententia conciliari nequeat. Huc vsque Episcopus Ebroicensis: qui, vt opinor, & pace illius dictum volo, consultiùs fecisset, tantíque Doctoris auctoritati conuenientiùs, si semper & constanter quæcunque dixit Augustinus, in sensum illum commodum exposuisset, & non tantam in opinando inconstantiam ei tribuisset.

Non est quoque prætereundum, Iansenium ipsum lib. 9. de gratia Christi Saluatoris, cap. 24. & lib. 10. cap. 1. affirmare D. Augustinum nullam habuisse controuersiam cum Pelagianis de electione ad gloriam, ante præscientiam operum: sed illam per se sequi ex doctrina ipsius, de vera Christi gratia, hoc est, de gratia necessitante, & de amissione libertatis indifferentiæ per peccatum Adæ, quæ si remaneret in hoc statu naturæ lapsæ, consequenter dicendum, inquit, foret Deum elegisse, & reprobasse ex præscientia operum liberè futurorum: sicut electio, & reprobatio Angelorum tali modo facta est: & talis etiam fuisset electio, & reprobatio hominum, si status innocentiæ, & libertatis indifferentiæ, quæ tunc erat, perseuerasset. Quare si falsum est D. Augustinum docuisse gratiam necessitare voluntatem, & amissam esse libertatem indifferentiæ: consequens est, iuxta confessionem aduersarij, sententiam de electione, & reprobatione independenter à præscientia operum, esse alienam à mente D. Augustini. Atqui euidens est, vt alibi ostendimus, Augustinum non ita docuisse, vt neque vllum alium Doctorum Catholicorum ante Iansenium: ne ipsos quidem assertores physicæ prædeterminationis, qui nihilominus volunt gratiam non inferre necessitatem voluntati, sed saluam manere libertatem indifferentiæ, quæ non periit per peccatum originale: detestantúrque doctrinam contrariam, vt errorem Lutheri in lib. de seruo arbitrio, & Calu. lib. 2. Instit. c. 2. & 3. damnatum à Trident. sess. 6. c. 5. & can. 4. & 5. 60. *Notabilis confessio Iansenij de fundamento contrariæ sententiæ.*




DISPVTATIO X.

De aliis dogmatibus Semipelagianorum.

SECTIO I.

Errauerintne dum admittunt duplex propositum: vnum generale saluandi omnes, alterum speciale circa aliquos: & istud absolutum, illud conditionatum?



AFFIRMAT Iansenius lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 2. vbi dicit, Semipelagianos horrore commotos illius propositi, quo alij, qui pro solo Dei beneplacito, nulla prorsus habita considera- 1. *Sententia Iansenij affirmans.* tione voluntatis humanæ à perditionis massa, quam peccatum Adæ fecerat, aliis in eadem massa prætermissis, discreti à Deo fuisse dicebantur; & consequenter omnes voluntatis actus, quibus ex illa massa perditionis eripiuntur, à prima credendi voluntate vsque ad ipsam gloriæ coronam accipere, per gratiam scilicet necessitantem, vt ipse supponit: aliam viam excogitasse, quâ, mitigatâ illâ propositi diuini fatalitate, vnusquisque, si vellet, per gratiam posset ab illa perditionis massa liberari. Itaque duo Dei proposita saluandi homines esse voluerunt. Vnum generale saluandi omnes, non efficax, & absolu-

tum; sed per modum simplicis desiderij, & conditionatum, si ipsi vellent, & ex parte ipsorum non deessent opera bona, vel conditiones requisitæ. Alterum speciale saluandi eos, quos præsciuit operaturos, vel habituros conditiones necessarias; quósque suppositâ hâc præscientiâ decreuit absolutè, & efficaciter saluare. Hanc autem sententiam inter errores Semipelagianorum cẽsendam esse non aliter probat Iansenius, nisi quia Semipelagiani ita docuerunt, vt probat ex epistolis Prosperi & Hilarij, præfixis libro de Prædest. Sanct. apud Augustinum tom. 7. & ex Fausto lib. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 16. & Augustino lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. &c.

2. *Sententia negans.* Sed in eo grauiter hallucinatur, vt iam sæpiùs eum monuimus. Neque enim erroneum est, quidquid senserunt, aut dixerunt Semipelagiani, aut quidquid de illis Prosper, Hilarius, & Augustinus, vel alij referunt; aut etiam quidquid improbarunt, quicunque contra eos scripserunt; sed quod in illis damnauit Sedes Apostolica, siue per se immediatè, siue per Concilia à se approbata. Huiusmodi autem non est duplex illud propositum. Nullam enim profert aduersarius, aut quisquam alius, neque proferre potest, huius duplicis propositi condemnationem: quod è contrario magnum habet fundamentum in sacris literis, Conciliis, & Patribus.

3. *Probatur ex Scriptura.* Primò enim, quòd Deus habeat propositum generale saluandi omnes homines, patet ex Scripturæ testimoniis relatis, & expensis suprà disp. 8. sect. 3. num. 19. & sequentibus, quæque alibi fusiùs expendemus, cùm hac de re dicendi nouam dabit occasionem aduersarius. Nimirum ex primæ Timoth. 2. vers. 5. Ezech. 18. vers. 13. & 2. Petri 3. vers. 9. Quibus adde quòd Scriptura proponit omnibus in commune, & sine vlla exceptione, Sacramenta & mandata Dei, vt salui fiãt. Marci vltimo vers. 15. & 16. ad eundémque finem Deus vult omnibus sine exceptione annunciari Euangelium, & baptismum dari quibuscunque volentibus, & credentibus, Matth. vltim. neque minùs generaliter promittit salutem æternam credentibus, & baptismum recipientibus, seruantibúsque mandata; quàm minatur damnationem non credentibus, mediáque salutis sibi oblata respuentibus. *Qui* enim *crediderit*, fide scilicet operante per dilectionem, *& baptizatus fuerit, saluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur.* At hoc secundum est verum generaliter, & sine exceptione. Ergo & primum sine exceptione verum esse debet. Neque Deus offerret omnibus hæc media salutis, si non vellet omnes saluare.

Et ex Conciliis. Idem quoque docet Concilium Arelatense celebratum ann. 490. (vt vult Baronius) damnans eum, qui dicit *alios deputari ad mortem, alios ad vitam æternam prædestinari*, antecedenti scilicet voluntate, quâ Deus generaliter omnes saluare noluerit, sed hanc ipse differentiam inter homines constituerit pro suo beneplacito, prout volebant hæretici Prædestinatiani ibi damnati. Ibidémque anathematizatur qui dixerit *eum qui periit, non habuisse vt saluus esse posset.* Et Concilium Carisiense ann. 848. ac Moguntiacum eodem anno habitum, in quibus fuit damnatus Gothescхalcus Monachus Orbacensis, affirmans Deum ab æterno prædestinasse, quos voluit, ad regnum: & quos voluit, prædestinasse ad interitum: atque illos quidem perire non posse: istos autem non posse saluari: Dei scilicet decreto antecedentem necessitatem vtrisque imponente. Itémque Deum non velle omnes homines saluos fieri, sed eos duntaxat, qui saluantur reipsa. Neque venisse Christum, vt omnes saluos faceret; aut passum esse pro omnibus, sed pro iis tantùm, qui passionis eius mysterio saluantur. Idem etiam docent Sancti Patres communi consensu, siue antiquiores Augustino, siue coætanei, aut posteriores: ipséque Augustinus, & alij, qui cum illo Pelagianos, & Semipelagianos impugnarunt, vt Hieronymus & Prosper, quorum aliquot testimonia retulimus loco suprà citato, & plura referemus inferiùs disput. 38. *Et ex Sanctis Patribus.*

Idem denique omnes Doctores scholastici cum D. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 159. vbi sic habet: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c.* Et q. 23. de Veritate, art. 2. *Quia ergo Deus omnes homines propter beatitudinem fecit; dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle. Sed quia quidam suæ saluti aduersantur, quos ordo suæ sapientiæ ad salutem venire non patitur, propter eorum defectum, implet in eis alio modo id, quod ad suam bonitatẽ pertinet, scilicet eos per iustitiam damnans.* Et S. Bonauentura in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. in corp. *Deus dicitur velle*, inquit, *omnium salutem, quantum in se est: & antecedenter connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ.* Similia dicunt Scotus ad eandem distinctionem quæst. vnic. ad 1. Albertus 1. parte, quæst. 79. memb. 2. Alensis 1. parte, q. 3. & 6. memb. & alij veteres, moderníque Theologi. 4. *Et ex consensu Theologorum.*

Secundò, quòd illud propositum generale saluandi omnes non sit absolutum, & efficax, probatur, quia quidquid vult Deus efficaciter & absolutè, impletur reipsa. De illa enim voluntate verum est, quod dicitur Rom. 8. *Voluntati eius quis resistit?* & Esther. 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Et Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Atqui propositum illud generale non impletur, quia multi non saluantur, sed multo plures à salute excidunt. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20. Et, *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, &c.* Matth. 7. &, *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, ibidem. Atque hoc adeo notum est, vt in eo confirmando superuacaneum sit immorari. 5. *Propositum saluandi omnes, non est efficax & absolutum.*

Tertiò, quòd illud propositum generale sit conditionatum, & affectum conditione pendente à libera hominum voluntate vt sortiatur effectum suum, posito videlicet, quòd ipsi vtantur mediis à Deo institutis, tam pro seipsis, quàm pro paruulis adultorum curæ commissis; docet Scriptura Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; quia scilicet non est aliter tibi destinata. Et c. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse intrabit in regnum cælorum.* Et Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Et cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* 6. *Sed conditionatum.* *Vt docet Scriptura.*

Idem-

Et Concilia. Idémq; affirmant Conc. Arausi.can.25.sic dicens: *Hoc etiam secundùm fidē Catholicā credimus, quòd acceptâ per baptismū gratiâ, omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutē pertinent, possint, & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere:* adeóque pendere ab eorum voluntate, vt propositum illud saluandi omnes in ipsis impleatur, & de conditionato transeat in absolutum, & efficax. Idem quoque docet Trid. sess. 6.cap.13.cùm ait, *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debere. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficit, operans velle, & perficere.* Et can.22.anathematizat eum, qui dixerit hominem iustificatum non posse perseuerare cum auxiliis gratiæ, si nimirum velit ei cooperari. Itaque voluntas humana facit, vt propositum illud generale, & conditionatum, transeat in absolutum & efficax, respectu eorum, qui cooperantur auxiliis sibi oblatis: & sicut vtendo illis, obtinent vitam æternam; obtinent etiam vt Deus efficaciter eam dare voluerit: frustráque ponitur in Deo alia voluntas efficax, præcedens cooperationem, eiúsque præscientiam; sine qua non daret, & quâ positâ non potest non dare.

7. Et Sancti Patres. Idem pariter affirmant Sancti Patres, nominatímque D. Aug.lib.de spir. & lit.c.33. *Vult Deus,* inquit, *omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt;* quippe, qui volebat eos credere, & saluari. *Nec ideo tamen eam vincunt; verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malísque pœnalibus implicant; experturi in suppliciis potestatē eius, cuius in donis misericordiam contempserunt.* Et Hieron. in c.1.epist.ad Ephes.exponens illa verba *in quo, & sorte vocati sumus: Vult Deus,* inquit, *saluare omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate saluatur (liberi enim arbitrij sumus) vult nos bonum velle: vt cùm voluerimus, velit & ipse suum in nobis implere consilium.* Et Chrys.hom.11. in c. 2. Gen.in fine. *Nos,* inquit, *si voluerimus quod nostrum est facere, nihil prohibebit eadem nos bona consequi: liberalis enim est Dominus, & vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Similia dicit hom. 9.de laudibus Pauli, & hom.16.in c.9.ep.ad Rom.

Et Prosper l.2. de Voc.Gent.c.28. in fine. *Manifestum fit,* inquit, *quòd diuersis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.* Et c.23.addit illam Pauli sententiam generalem, *Vult omnes homines saluos fieri*; ad infantes etiam pertinere: quia iuuarentur per parentes, si ipsi gratiâ sibi oblatâ bene vterentur.

8. Et Theologi. Idem denique affirmat S. Thomas loco primùm cit.num.3. vbi postquam dixit Deum velle omnes homines saluos fieri, & quantum est ex se, paratum esse dare omnibus gratiam, qua salui fiant: addit, *Sed illi soli gratia priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant; sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur: licèt videre non possit, nisi lumine solis preueniatur.* Huc vsque D. Thomas, cui assentiuntur reliqui Doctores Scholastici.

Ex quibus omnibus sequitur primò, esse in Deo duplex propositum saluandi. Vnum scilicet generale, & conditionatum, saluandi omnes quantum est ex se: nisi obstet voluntas creata, & desit conditio requisita ex parte illius. Alterum absolutum atque efficax, quo vult reipsa dare gloriam illis omnibus, in quibus impletur talis conditio, pendens à voluntate creata. Siue, vt rem meliùs explicem, propositum illud generale, & conditionatum transire in absolutum & efficax, hoc est, habere vim absoluti, & effectum sortiri, respectu eorum, in quibus impletur conditio, & implenda præuidetur. Secundò, ex dictis facilè colligitur, quantæ sit temeritatis, & imprudentiæ, damnare erroris Semipelagiani sententiam, quam Sancti Patres, & omnes Doctores Catholici tanto consensu tenuerunt, accedentibus etiam Scripturâ diuinâ, & Conciliis suprà citatis.

SECTIO II.

Errauerintne Semipelagiani in eo quòd statuerint beneficia generalia, & gratiam sufficientem omnibus hominibus communem, vi illius propositi generalis saluandi omnes.

AFFIRMAT Iansenius c.3.l.8.de hær.Pelag.vbi docet omnibus Semipelagianis duo ista communia fuisse dogmata, & veluti cardines totius erroris: Quòd Deus generali quodam proposito, quantum in se est, velit omnes omnino homines saluos fieri: de quo diximus sect. præcedenti: & quòd consequenter in omnes omnino gratiam suam indifferenti quadam largitate profundat: quò possint, si velint, ad salutem peruenire, vtendo mediis & auxiliis gratiæ, quæ Deus voluit omnibus exhibere. Cùm autem illa sint duplicia, quædam scilicet remota, quæ gratia quadam propinquiore, & actuali indigent, vel applicatione, vt homini prosint ad salutem: cuiusmodi sunt incarnatio, redemptio in cruce, baptismus & cetera huiusmodi. Alia proxima, quæ sunt ipsa applicatio, vel ipsæ gratiæ actuales, siue internæ, siue externæ, quæ in ipsum voluntatis motum influunt, & quibus ad salutem proximè iuuamur: Neutra ipsi cuiquam ex ordinatione diuina subtrahi volebant, sed omnibus esse proposita, & præparata, quantum est ex parte Dei. Vt de mediis remotis patet ex epist. Prosperi ad August. præfixa lib.de Præd.Sanct. affirmantis docuisse Semipelagianos vniuersis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicunque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint: & pro vniuerso hominum genere mortuum esse Christum, ac neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum: atque ad omnes pertinere misericordiæ diuinæ sacramentum, id est, baptismum. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam esse vitam æternam: & qui contrarium asserunt, repugnare Apostolo. 9. Doctrina Iansenij.

De proximis verò patet ex epist. Prosperi suprà citata, & in carm.de Ingrat.c.10.& 11.& Faust. l.1. de grat.& lib.arb.c.17.vbi sic loquitur: *Quis tā immemor salutis suæ sit, qui attrahentis misericordiam negare præsumat? Sed ille verè impius est, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus testatur impendi.* 10.

11. Media salutis generalia sunt omnibus communia. Verùm in eadem semper hallucinatione versatur Iansenius, cùm ex eo solo quòd Pelagiani, aut Semipelagiani aliquid dixerint, putat inter eo-

rum errores censendam esse doctrinam in Scriptura traditam, & à SS. PP. aliísque Doctoribus Catholicis communissimè receptam, & speciatim ab illis ipsis, qui prædictis hæreticis potissimùm restiterunt. Nam quòd media illa remota sint omnibus communia ex intentione Dei, omnibúsq; in commune proposita, docet Scriptura pluribus locis affirmans Christum venisse & mortuum esse pro omnibus; voluisséque Euangelium, & baptismum omnibus proponi: vt patet ex dictis sect. præced. num. 3. & disp. 8. sect. 3. num. 23. Eandémque esse communissimam doctrinam Patrum, speciatímque Hieronymi, Augustini, & Prosperi, præcipuorum impugnatorum hæresis Pelagianæ & Semipelagianæ, liquet ex iisdem locis, & fusiùs alibi ostendemus tract. 3. disputando de gratia sufficiente.

Vide disp. 26.

12. *Et media sufficientia omnibus parata.*

Quòd verò etiam media proxima, id est, gratiæ actuales ad salutem sufficientes, sint omnibus parata, quantum est ex parte Dei, & generali quâdam beneficentiâ in omnes profundantur, (loquor de adultis eorum capacibus, quibus pro se, & pro paruulis, ipsorum curæ commissis, communicantur: quippe qui ob defectum vsus rationis, sunt incapaces huiusmodi gratiarum immediatè, id est, in seipsis, & ope tantùm alienâ saluari possunt per applicationem baptismi, quæ idem est atque ipse baptismus, pro illis omnibus institutus (vt suprà diximus:) quòd, inquam, gratiæ actuales sufficientes, sint omnibus paratæ, quantum est ex parte Dei, docet Scriptura Ioan. 1. vbi de Verbo incarnato dicitur, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* quod iuxta communem SS. PP. interpretationem, speciatímque D. Augustini, dictum est de illuminatione supernaturali per gratiam omnibus paratam, & omnes illustrantem, quantum est de se. Sic enim ait l. 1. de Gen. contra Man. c. 3. *Solis istius* corporei *lumen, non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis & mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multò meliùs, quàm nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen* (gratiæ) *non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporaliũ se ad eius præcepta seruanda conuertunt. Quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum.* Simili modo eundem locum interpretatur Chrys. hom. 7. in Ioan. sic dicens: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat profectò, quantum in ipso est. Si qui autem sponte suâ, mentis oculis conniuentibus, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerunt; non ex luminis natura in tenebris perstiterunt: sed ex malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est: non Iudæum, non Græcum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non seruum, non virum, non mulierem, non senem, non iuuenem excipit, aut dedignatur: omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore aduocat, qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent: cùm enim aditus omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ duntaxat malitiâ ingredi recusant.* Et Amb. serm. 8. in Psal. 118. *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: vt si quis clausis fenestris radios solis excludat.*

Probatur ex Scriptura & Patribus.

Item Scriptura testatur Deum omnes ad se vocare, & inuitare vt ad se veniant. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Matt. 11. conqueritúrque, & exprobrat quòd venire recusent: *Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret,* Prou. 1. vers. 20. Ergo dat omnibus auxilium sufficiẽs vt venire possint, & parére vocanti. Nam alioqui vana, & simulatoria foret vocatio, & iniusta exprobratio. Idipsúmque disertè affirmat Aug. l. 83. quæst. q. 68. vbi sic habet: *Ad illam cœnam, quam Dominus dixit in Euangelio præparatam, neq; omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque neque illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi; quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur, propterea & si quisque sibi tribuit quod venit vocatus; non potest sibi tribuere, quod vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* Et l. 3. de lib. arb. cap. 19. idem confirmat his verbis: *Cùm vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem, auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras: nec illud, quod vulnerata mẽbra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis: ista tua peccata propria sunt.* Neq; minùs perspicuè idem affirmat Prosper eius discipulus l. 2. de Voc. Gent. c. 29. cuius verba hæc sunt. *Vniuersitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit: vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis: neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari.* Et Clem. Alex. l. 2. Strom. *Diuinũ verbum clamauit,* inquit, *omnes simul vocans: eos quidem, vel maximè cognoscens, qui non erant parituri: & tamen, quoniam est in nostra potestate parére, & non parére, vt nulli possint causari prætextum ignorantiæ, iustam fecit vocationem.* 13.

Eodem pertinet, quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, vt sect. præc. num. 3. probauimus ex 1. Tim. 2. aliísque locis Scripturæ. Frustra autem, & simulatoriè id vellet, nisi daret, aut quantum est ex se paratus esset dare omnibus media ad salutem necessaria. Ideóque meritò D. Aug. in Enchir. c. 95. explicans illud Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, &c.* dicit Deum non iniustè nolle saluos fieri eos, qui pereunt, quia noluerunt auxiliis gratiæ cooperari, *cùm possent salui esse, si vellent.* Et Prosper lib. suprà cit. cap. 26. dicit opitulationem gratiæ per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhiberi; & quòd à multis refutatur, ipsorum esse nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ esse diuinæ, & voluntatis humanæ. Et c. 31. eiusdem libri, *Elaboratum est,* inquit, *quantum Dominus adiuuit, vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiã in cunctis retro seculis, probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse; prouidentia quidem pari, & bonitate generali; sed multimodo opere, diuersáque mensura.* Pluribus supersedeo, quia hæc satis superque sufficiunt ad refellendam Iansenij censuram, numerantis inter dogmata Semipelagianorum præcipua & capitalia, cardinésque totius erroris, veritatem Catholicam tam

14. *Confirmatur aliis Patrum, & Scripturæ testimoniis.*

disertè à D. Augustino, aliisque Patribus traditam, & in sacris literis fundatam.

SECTIO III.

Quas gratias generales admiserint Semipelagiani: & in quo circa illas errauerint?

15. *Doctrina Iansenij.* DE his Iansenius l. 8. c. 4. & quinque sequentibus; vbi docet primam gratiam generalem, quam admittebant Semipelag. esse doctrinam, & Euangelij prædicationem: quam gratiam ideo communem omnibus esse volebant, vt discretionem electorum, & reproborum refunderent non in purum Dei beneplacitum, sed in hominum voluntatem, quorum aliqui credere voluerint, & saluti suæ consulere vtendo auxiliis gratiæ: alij non. Sed quia non omnibus prædicatur Euangelium; multas enim nationes permittit Deus manere in tenebris ignorãtiæ & infidelitatis: ne illud quidem in solum Dei beneplacitum reiiciebant, sed in fidem & opera eorum, conditionatè à Deo præscita: ita vt Deus procuret istis Euangelium prædicari, quia præscit credituros, si audiant: aliis non. Sicut etiam volebant vni ex duobus in infantia morituris administrari baptismum, alteri non: quia Deus præscit quid in ætate adulta facerent, si diutius viuerẽt.

16. *In quo errauerint circa prædicationem Euangelij.* Et in eo quidem non errasse, quòd vellent Euangelij prędicationem esse gratiam generalem, & omnibus communem, quantum est ex parte Dei, liquet ex dictis sect. 1. num. 3. Errarunt tamen in eo, quòd volebant, huius gratiæ generalis applicationem pendere ab aliquo bono merito naturali; fide scilicet, vel alio salutis initio naturæ viribus habito, & iam reipsa præsupposito, vel conditionatè præscito. Quod præcipuè asserebant, ne alioqui Deus sit acceptor personarũ, si largiatur vnis, & non aliis sua dona, absque aliquo præuio illorum merito, vel demerito. In eundémq; sensum interpretabantur illud Christi, Lucæ 11. *Qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Hoc autem esse erroneum constat ex dictis disput. 9. sect. 2. num. 23. & seqq.

17. *Voluerintne semper eam præcedi aliquo merito.* Meritò tamen dubitant aliqui vtrum hanc legem adeo generalem esse voluerint, vt nemo ab illa eximeretur: ita vt Deus nulli vnquam conferret gratiam absque præuio merito, vel existente, vel conditionatè præuiso? Ratio dubitandi est, quia pręcipuum fundamentum huius erroris nullam potest exceptionem pati, cohærenter loquendo. Si enim est vitium acceptionis personarum, quod in Deum cadere non potest, & irrationabilis bonorum distributio, dare vni gratiam, & non alteri, absque præuio merito: vel debet Deus dare omnibus gratiam, quod non facit: vel nulli debet dare absque præuio merito. Adde quod iidem Semipelagiani videntur hoc expressè affirmare. Cassianus enim l. 12. de Institutis renunciantium, c. 14. sic ait: *Pronunciamus laborantibus tantùm, ac desudantibus* (per humanos conatus, de quibus ibi loquitur) *misericordiam Dei, gratiámque conferri.* Vbi nota particulam exclusiuam, *tantùm*; cuius loco perperam in quibusdam exemplaribus habetur, *tamen.*

18. In contrarium verò est, quòd idem Cassianus Collat. 13. cap. 12. & quinque sequentibus, videtur aliquam exceptionem admittere: vt in Matthæo, Paulo, & similibus, quos Deus supra omne illorum meritum specialiter vocauit. Et cap. 13. dicit, nonnunquam Deum conatus bonæ voluntatis, vel exigere ab homine, vel expectare; ne otioso, vel dormienti videatur bona sua conferre. Vbi cùm ait, *nonnunquam*, significat non semper Deum ita se gerere, sed aliquando aliter sua bona distribuere. Et cap. 17. addit inscrutabilia esse Dei iudicia, & varia. Nam quosdam volentes ad augmentum prouehit; alios etiam nolentes attrahit. Qua de causa Prosper lib. contra Collatorem, c. 5. 13. & sequentibus, Cassianum arguit inconstantiæ & contradictionis, velut inconsequenter locutum. Alij verò conantur hæc loca dissonantia ita conciliare, vt Semipelagiani duplicem gratiam esse voluerint. Vnam generalem omnibus propositam, consistentem in libertate arbitrij, & in lege atque doctrina: & hanc volebant dari omnibus siue saluandis, siue damnandis, generaliter & indiscriminatim, absque merito præuio, ex sola Dei voluntate, quâ vult omnes homines saluos fieri. Aliam specialem, internam, & excitantem ad bene operandum, quæ non omnibus datur: & hanc non dari sine præuio merito.

Verùm, licèt admittamus Semipelagianos aliquam gratiam internam agnouisse, vt dicemus paulò pòst: tamen ille ipse vsus libertatis, seu rationis, & lex atque doctrina, non ad omnes peruenit. Multi enim alterutro beneficio, vel vtroque priuantur. In quo erit vitium acceptionis personarum, iuxta doctrinam Semipelagianorum, si priuantur absque proprio demerito. Deinde vocatio Matthæi, & Pauli fuit specialis gratia, non omnibus generaliter proposita, vel concessa; quam tamen Cassianus fatetur fuisse illis datam absque præuio merito. Fortasse meliùs possent hæc conciliari, dicendo mentem Cassiani, & aliorum Semipelagianorum fuisse, Deum nunquam conferre gratiam, sine aliquo merito præuiso, vel vt præexistente, vel vt futuro absolutè, aut conditionatè. Aliquando tamen conferre aliquibus sine merito, reipsa præexistente, sed præuiso solùm vt futuro, vel absolutè, vt contigit Matthæo, Paulo, & similibus; vel conditionatè solùm, vt infantibus ante vsum rationis morientibus post baptismum susceptum. 19. *Improbatur prima responsio.* *Vera solutio.*

In quo etiam errabant Semipelagiani, volentes causam cur vnus baptizetur ante mortem, non alius, esse præscientiam eorum, quæ facturi essent, in ætate adulta, si ad illam peruenirent. Neque enim, propter ea, quæ nunquam erunt, quęque tantùm conditionatè præsciuntur, Deus quenquam honorat aut punit, aut desinit illi benefacere: alioqui non esset verum, quod dicitur Sapientiæ 4. de iusto præmatura morte, per speciale Dei beneficium, peccati, & damnationis periculis subtracto: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* vt rectè contra illos argumentatur D. Aug. l. de Præd. Sanct. c. 12. & pluribus sequentibus, vbi fusissimè hunc errorem refutat. Sed vera causa cur aliqui infantes moriantur sine baptismo, quem pro omnibus Deus instituit, & quantum est de se, vult omnibus administrari; est malitia, aut negligentia parentum, aut aliorum adultorum, à quibus salus eorum pendet, quibúsve committitur. Nimirum quia malè vtuntur gratia sibi oblata, & impensa tam pro seipsis, quàm pro salute paruulorũ: vt rectè ait Prosper l. 2. de Voc. Gent. c. 23. vbi sic loquitur de huiusmodi infãtibus sine baptismo deceden- 20. *Eorumdem error circa baptismum.* Vide etiam lib. de Bono perseuer. c. 9. & epist. 107. ad Vitalem post medium.

meruisse voluntatis affectum. Et cap. 10. eiusdem lib. 2. *Hoc solum nostrum est*, inquit, *vt qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem quaerendi, & pulsandi importunitate. placeamus:* ad quod scilicet sumus per nos ipsos satis idonei: alioqui enim hæc distinctio, & oppositio non esset bona.

29. *Confirmatur ex Arausicano.* Probatur 2. ex Concil. Arausic. sæpiùs in eundé sensum intelligente, & damnante Semipelagianos, & contra illos definiẽte, ipsam etiam fidem, ipsúmque credulitatis affectum non haberi sine gratia: nec quicquam ad salutem vitæ æternæ pertinens sine illa fieri posse: vt videre est can. 5. 6. & 7. quorum verba retulimus disp. præcedenti, sect. 2. num. 21. Idémque confirmat pluribus aliis canonibus, ex quibus manifestè liquet errorem Massiliensium in hunc sensum ab Arausicano intellectum, & damnatum fuisse, vt existimarent nos præuenire gratiam, & Deum nostros conatus expectare: posséque nos per naturæ vigorem, absque inspiratione, & illuminatione Spiritus Sancti, id est, sine gratia interna credere prædicationi Euangelicæ; nostræque saluti aliquod initium dare naturaliter. In eundémque sensum Cælestinus I. in epist. ad Episcopos Galliæ scriptâ, ad sedandas controuersias per Massilienses excitatas, definiuit art. 6. *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Ad eundem denique errorem respexit Trid. sess. 6. cap. 5. & can 3. definiens, iustificationis exordium à Deo per Iesum Christum præueniente gratiâ sumendum esse, &c. & neminem sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere posse, &c.

30. *Et ex Prospero.* Probatur 3. ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad August. præfixis lib. de Præd. Sanct. ex quibus potissimè de erroribus Semipelag. iudicandum esse affirmat Iansenius lib. 7. de hær. Pelag. cap. 3. Nam Prosper in primis refert *hanc ipsorum definitionem ac professionem esse*, omnem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri (per legem scilicet, & doctrinam) vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata. Et propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, vniuersis hominibus sine exceptione esse propositam: vt quicúque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse, &c.* Vbi notanda sunt hæc verba, *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri.* Significant enim nos primùm viribus naturalibus fidem concipere, quæ deinceps per Dei gratiam iuuetur, & perficiatur: ita vt gratia non præueniat fidem, sed ab illa præueniatur, & sic aliquo merito naturali obtineatur: iuxta id, quod Prosper de illis addit paulò pòst.

31. *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec existentem, liberi arbitrij, & rationalis gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, & ad agnitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, possit suam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, ad istam salutem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Quibus verbis significat aliquos Semipelagianorum conuictos Scripturæ testimoniis, quibus probatur gratiam præcedere fidem, & quicquid aliud ad salutem pertinet, recurrisse ad euasionem Pelagij, abutentis nomine gratiæ, & per illud intelligentis naturale donum creationis, liberique facultatem arbitrij, quam gratiam initialem appellabant, déque illâ, Scripturæ testimonia sibi obiecta intelligi volebant. Subiungit paulò pòst eos asseruisse *quantum quisque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum: parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appetentem gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta suscipiat.* Nimirum sicut naturæ viribus, sine ope gratiæ, satis potentes ad malum sumus, neque ad illud iuuamur per gratiam: ita & ad bonum saltem aliquod exiguum, in quo salutis initium constituebant. Ac sicut animus potest naturaliter ad malum se mouere; ita & ad bonum accedere. Sicut denique mala sectantem subsequitur iusta damnatio: ita bona appetentem subsequatur gratia Dei, quæ ipsum foueat, velut iusta remuneratio.

Addit eos tam vniuersaliter affirmasse gratiam subsequi merita humana, & propter illa dari, vt cùm vrgerentur exemplo paruulorum, quorum aliqui baptizantur ante mortem præmaturam, alij non; quamuis illi nihil boni fecerint, quo baptismi gratia donari mereantur; recurrerent ad ea, quæ facturi essent, si diutiùs viuerent. 32.
Cùmque, inquit, *inter hæc innumerabilium illis multitudo obiicitur paruulorum, qui vtique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur: vt ante discretionem boni ac mali de vsu vitæ istius auferendi: alij per regenerationem inter cælestis regni assumantur heredes: alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales aiunt perdi, talésque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit.* Et inferiùs, rationem cur aliquibus adultis prædicetur Euangelium, & non aliis, vtrisque æqualiter immerentibus; petunt ex eo quòd Deus præscit quinam sint credituri naturæ viribus, si prædicetur: & ita concludit, *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint:* præsupposita scilicet, vel in re ipsa, vel in Dei præscientia: vt confirmat paulò inferiùs subiungens: *Ac sic cùm in his. qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam: vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare qui saluat: & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.* Non poterat clariùs exprimere

doctrinam Semipelagianorum esse, quòd voluntas præueniat gratiam, & humana obedientia, sit causa cur illa à Deo præbeatur, ac denique salutis initium non ex Dei gratia, sed ex fide hominis naturali sit. Quod non minùs clarè affirmat, non multò pòst; hæc addens. *Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, principium salutis malè in homine collocatur, si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit; non ideo, quia adiuuatur, velit: si originaliter malus receptionem boni, non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donauerit: tribue nobis in hac causa Papa beatissime, pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro; vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire.* Huc vsque Prosper in epistla ad Aug.

33. *Idem testatur Hilarius.* Neque minùs perspicuè Hilarius in sua ad eundem epistola, testatur illum Massiliensium errorem fuisse, qualem diximus, & omnes Catholici ad Iansenium vsque docuerunt: Nam ipso ferè initio sic ait. *Hæc sunt itaque, quæ Massiliæ, vel aliis etiam in locis in Gallia ventilantur. Nouum & inutile esse prædicationi, quòd quidam secundùm propositum eligendi dicantur, vt id nec arripere valeant, nec tenere, nisi credendi voluntate donata &c. Consentiunt omnem hominem in Adam periisse; nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari. Sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Ceterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendũ quenquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterritâ & supplici voluntate vnumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur,* Crede & saluus eris, *vnum horum exigi asserunt, aliud offerri: vt propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id, quod offertur deinceps tribuatur. Vnde consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate Conditoris concessum est: & nullam ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat vel possit se velle sanari: propter quod, vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniatur.* Quibus verbis perspicuè significat voluisse Massilienses nos per fidem incipere naturæ viribus, gratiámque promereri: deberéque priùs velle sanari: vt eo merito, quo volumus, & credimus nos posse sanari, & ipsum fidei augmentum, & totius sanitatis nostræ consequamur effectum: ac denique per fidem, quæ à nobis exigitur, obtineamus gratiam, quæ à Deo offertur. Neque inde sequi gratiam non esse necessariam ad omne opus bonum: quia inter opera bona non est computanda fides & salutis initium: neque pars medicinæ est, quòd ægrotus velit sanari. Sic enim voluntariè restringebant nomen boni operis; vt eluderent definitionem Concilij Palæstini contra Pelagium, & argumenta Catholicorum, quibus conuincebant gratiam ad omnia & singula bona opera, quæ ad salutem vitæ æternæ pertinent, necessariam esse.

Propter quod addebant, vt refert Hilarius immediatè pòst; *Non negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat: non autem quidquam ipsa iam valeat. Nam illa testimonia, vt est illud, sicut vnicuique partitus est mensuram fidei: & similia, ad id volunt valere, vt adiuuetur, qui cœperit velle; non vt etiam donetur vt velit.* Et aliquantò pòst dicit eos valde approbasse quod August. scripserat in quæst. contra Porphyrium, & in Comment. epist. ad Rom. cùm in errore Semipelagiano versaretur: *Non quidem Deus eligit opera, quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum sanctum, vt per caritatem bona operemur: sed tamen eligit fidē: quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum sanctum, per quem infusâ caritate bonum possit operari. Non ergo eligit Deus opera cuiusquã in præscientia, quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præscientia, vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Quare iuxta illorum doctrinam fides, secundùm quam eligimur, non donatur à Deo per gratiam, neque est donum Spiritus sancti: sed est causa cur Spiritus sanctus & gratia nobis donetur. Ad quod confirmandum addunt immediatè pòst, *Dicit enim Apostolus: Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus: Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus nostrum est: quod autem operamur, illius.* Addunt etiam, de hac fide non posse dici, *Quid habes, quod non accepisti?* Et aliquantò pòst: *Asserunt*, inquit, *inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere confitentur, vt hoc ipso, quòd ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit.* Ac denique addit eos voluisse discretionem electorum à reprobis, in hoc fidei, & bonæ voluntatis initio naturali fundari. 34.

SECTIO V.

Idem confirmatur testimoniis Patrum, qui Semipelagianos impugnarunt.

POTERANT quæ diximus, abundè sufficere ad persuadendum vel obstinatissimis, errorem Semipelagianorum non fuisse, qualem dicit mala fide Iansenius: sed qualem Scriptores Catholici huc vsque retulerant. Quia tamen res est magni momenti, hanc insignem eius imposturam Theologis iniuriosam, & Catholicæ fidei perniciosam refellere; quippe in qua totum Iansenianæ doctrinæ virus latet: operæpretium fuerit præcedentibus testimoniis luculentissimis addere alia eiusdem generis ex Augustino, Prospero & Fulgentio, qui Semipelagianis præcipuè restiterunt: & desumpta ex scriptis, quæ contra illos ex professo ediderunt. 35. *Probatur ampliùs ex Augustino.*

Augustinus ergo epist. 107. ad Vitalem Semipelagianum, postquam retulit eius sententiam de modo fidem concipiendi, audita prædicatione Euangelij, per solam videlicet facultatem arbitrij, quæ sufficiat ad acceptandam, vel respuendam veritatem propositam: dicit ipsum contradicere orationibus, quas Ecclesia 36. *Iansenius lib. 7. cap. 4. hunc Vitalem numerat inter præcursores Semipelagianorum.*

electioni ad gloriam, factæ independenter à præuiso bono vsu gratiæ conciliari, ex eo quòd hæc doctrina sit adeo finitima doctrinæ fidei, confirmatæ à summis Pontificibus: vt Augustinus quoties contra Pelagianos, vel Semipelagianos excludit iustificationis initium ex viribus naturæ; toties ad hoc explicandum, & probandum, recurrat ad electionem, factam ante præuisa opera quæcunque, siue naturalia, siue supernaturalia. Nam & Ruis falsum supponit: & si Augustinus id faceret, non doctrinæ affinitas aut connexio, quæ nulla est, sed æstus disputationis ad hoc illum impelleret. Cur autem ex hac fidei veritate, quòd gratia diuina, & constitutio illius dandæ præueniat nostram voluntatem, neque illam mereamur per fidem naturalem, aut aliquid aliud solis naturæ viribus exhibitum, putarent Massilienses inferri absurda & incommoda, quæ Iansenius enumerat, quæque nos retulimus numer. 17. exposuimus suprà disputat. 7. sect. 7. num. 71. & seqq. & sect. 9. num. 91.

51. *Diluitur secundum argumentum.* Ad secundum respondeo, Massilienses extendentes propositum illud Augustini, omnem humanam voluntatem præueniens, ad ipsam vsque perseuerantiam, & ad totum negotium salutis: id fecisse per illationem malè deductam ex aliquibus eius verbis obscurioribus, & praua eorum intelligentia: cùm tamen ipse pluribus locis satis expresserit iustificationem, perseuerantiam, & gloriam pendere ex aliqua nostra operatione, bona scilicet, & supernaturali à Deo præscita. Vt de iustificatione videre est l. 1. ad Simplic. q. 2. vbi sic ait: exponens illud Apostoli ad Rom. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret, &c. Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, &c. Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reiicitur; vnde quod dictum est quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ*; ipsius nimirum iustificationis, & bonorum actuum, quibus, præueniente & iuuante Dei gratiâ, ad illam disponimur. Et epist. 105. dicit nec ipsam remissionem peccatorum sine aliquo merito esse, quia fides illam impetrat. De perseuerantia verò liquet ex lib. de Bon. perseu. cap. 6. vbi dicit *hoc donum posse suppliciter emereri*: id est, obtineri per aliqua bona opera, vel orationem factam cum auxilio gratiæ. Qui autem meretur vt Deus det perseuerantiam, meretur etiam vt voluerit efficaciter eam dare. Idem enim est, aut necessariò connexum, mereri aliquod præmium ab alio retribuendum; & , mereri vt ille velit retribuere. Vel etiam quando D. Augustinus videtur extendere propositum illud, præueniens humanam voluntatem, ad omnia supradicta: loquitur de voluntate naturaliter spectata, hoc est, de iis, quæ ab illa fiunt solis naturæ viribus: quorum certè intuitu Deus non dat iustificationem, vel perseuerantiam, & gloriam: non autem de iis, quæ ope gratiæ diuinæ fiunt: neque damnat erroris asserentes electionem pendere ab eiusmodi operibus supernaturalibus. Nam quòd Pelagianos, aut Semipelagianos non reprehendat, si loquantur de operibus factis cum auxilio gratiæ, patet ex eo quod ait lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 6. *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: prorsus rectissimè respondet Apostolus, Quis te discernit? &c.* Denique de gloria idem liquet ex iis, quæ dixit Augustinus locis suprà relatis, num. 43. Quibus adde, quod ait lib. de Prædest. Dei, cap. 3. *Ex præscientia igitur offensionis prædestinatio emanauit vltionis: sicut ex præscientia virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis.* Hæc Augustinus; si tamen huius libri verè auctor est, quod à multis negatur. sed ad negandum non sufficit, quod solum opponit Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: ideo non esse Augustini, *quia sub finem docet, prædestinationem esse ex præuisione operum, quam sententiam vbique Augustinus oppugnat.* Nam si hæc ratio valeret, expungendi essent ex catalogo librorum Augustini, multi alij, qui certissimè illius sunt, citati suprà num. 43. in quibus idem perspicuè affirmat. Vnde etiam collige non esse verum, quod ait Bellarminus, D. Augustinum hanc sententiam vbique oppugnare. Et verò vbi maximè videtur aduersariis illam insectari, vt libro de Prædest. Sanct. cap. 17. & sequentibus, non loquitur de electione ad gloriam ex præuisis operibus supernaturalibus: sed de electione ad primam gratiam, seu vocatione ad fidem, non ex præuiis operibus naturalibus, aut dependenter ab eorum præscientia. Quo sensu dicit initio capitis cit. *Intelligamus ergo vocationem, quâ fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed, qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant, ipsi eum priùs vtique elegerant, credendo in eum, vt eligi mererentur.* Et cap. 18. eodem sensu sic loquitur: *Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum*, id est ad iustificationem, *non quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus*, nempe solis naturæ viribus; *sed elegit, prædestinauitque vt essemus*: id est, præparans gratiam, cui consentiremus, & consentiendo, iustificationem, seu adoptionem filiorum consequeremur, sanctique, & immaculati euaderemus.

SECTIO VI.

Soluuntur alia, quæ opponit Aduersarius.

TERTIVM argumentum Iansenij, est inutilis repetitio eorum, quæ dixerat in confirmatione primi, de obiectionibus Massiliensium contra doctrinam Augustini. Quod verò addit, nusquam hunc Doctorem, ne verbulo quidem significasse suam sententiam de proposito, & de vocatione secundùm propositum, siue propositi executione, malè intelligi à Massiliensibus; euidenter falsum est. Nam lib. de Bono perseuerantiæ, cap. 6. manifestè eos reprehendit, quòd suam doctrinam malè intelligerent de auxilio sanctis dato, & electis ad regnum cœlorum, vt perseuerent, & illud assequantur: quasi vellet illud esse tale, vt antecedenter inferat necessitatem perseuerandi: cùm tamen id 52. *Impostura Iansenij.*

significare minimè voluerit, sed tantùm dicere, non posse illud donum amitti, & non posse non perseuerare, qui illud habet; quia non dicitur donum perseuerantiæ, nisi reipsa perseueretur, aut iam perseueratum sit: fierique non potest vt quis non perseueret, aut amittat perseuerantiam, ex hypothesi quòd perseueret, aut iam perseuerauerit: quæ necessitas est tantùm consequens, siue hypothetica, & in sensu composito; quia non potest componi in eodem perseuerantia cum non-perseuerantia: id est, fieri nequit vt quis simul perseueret, & non perseueret. Verba D. Augustini cap. cit. hæc sunt; *Sed nolunt, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Vbi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquimur, quâ perseueratur vsque in finem; quæ si data est, perseueratum est vsque in finem: si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data. Quod iam, & superiùs satis egimus. Non itaque dicant homines, perseuerantiam cuiquam datam esse vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse, cui data est, repertus fuerit vsque ad finem. Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus, & si quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quandiucunque habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perseuerantiam verò vsque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisque vsque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia, quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti, per quod fit, vt non amittatur etiam quod posset amitti?*

Augustinus conqueritur se malè intelligi.

53. Et initio lib. de Prædest. Sanct. conqueritur quòd Massilienses, post tam multa, quæ scripserat, adhuc tamen caligarent circa suam de Prædestinatione doctrinam: *Quapropter* (inquit Prospero aut Hilario) *ecce rescribo vobis, & licèt iam non vobiscum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam. Considaratis enim literis vestris,* (quas de Massiliensibus scripserant) *videre mihi videor eos fratres, pro quibus geritis piam curam, &c. eo modo esse tractandos, quo tractauit Apostolus, quibus ait, & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit. Adhuc quippe in quæstione caligant de Prædestinatione Sanctorum.* Idem Augustinus (aut potiùs Prosper eius nomine) sic orditur librum, quo refellit obiectiones Vincentianas: *Quidam Christianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, vt suam se euertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt, ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eáque ostendenda, & ingerenda multis publicè, priuatímque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico indiculo continentur.* Inter articulos autem illos falsò impositos Augustino à Massiliensibus, tertius est, Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum. Septimus, Quòd hæc sit voluntas Dei, vt magna pars Christianorum salua esse nec velit, nec possit. Decimus-quartus, Quòd pars illa magna Christianorum Catholicorum fidelium, atque Sanctorum, quæ ad ruinam, & perditionem prædestinata est, etiam si petat à Deo sanctitatis perseuerantiam, non impetrabit, eò quòd mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præaptauit vt caderent. Decimus-quintus, Quòd omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, postquam ceciderunt sic à Deo dispensantur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari. Ac denique plerique alij, & ferè omnes articuli eo libro comprehensi, pertinent ad prædestinationem aut reprobationem, vel ad modum eam exequendi.

Prosper de eodem conqueritur.

Liber quoque sextus Hypognosticon, ex sententiis Augustini compositus, incipit à simili reprehensione Massiliensium, hunc in modum: *Credere nos vel prædicare sugillatis, quia cum lege Dei, & prophetis, cum Euangelio Christi, eiusque Apostolis, prædestinationem dicimus, eò quòd Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni cœlorum, vt si nolint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omnino perire non posse: nec prorsus debere sui esse sollicitos, quos Deus, quia voluit, semel iam eligendo prædestinauit ad vitam: quosdam verò sic prædestinauit in gehennæ pœnam, vt etiamsi credere velint, si ieiuniis, & orationibus, omnique se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari* (supple, dicamus) *& vitam illis æternam in toto dari non posse: sic electione prædestinatos esse vt pereant. Deum nos taliter operantem, personarum esse acceptorem dicere. Non miramur vos de nobis, id est, homines de hominibus falsa posse confingere.* Et paulò pòst: *Inclinate igitur aliquantulum patienter aurem cordis vestri, & qualiter mysterium prædestinationis credamus, qualiterue prædicemus, audite.* Postéaque subiungit, Deum prædestinare, quia præscit: *Deus,* inquit, *cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper & est, quicquid antequam fit, sic præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit. Ideo & Apostolus, nam quos præsciuit, inquit, & prædestinauit.* Quod si postea recurrit ad inscrutabilia Dei iudicia cum Apostolo, hoc facit propter electionem huius seriei, præ alia æquè possibili, & magis fauorabili, vt dicemus disp. 39. num. 13. & disp. 25. num. 49. Item si postea negare videtur electionem sequi præscientiam, intelligendus est de præscientia operum naturalium iuxta sensum Semipelagianorum, contra quos disputat. 54.

Et auctor Hypognosticon.

Sic habet editio Paris. an. 1551. apud Carolam Guillard viduam.

Denique liber etiam primus Fulgentij ad Monimum totus in eo versatur vt ostendat doctrinam D. Augustini de prædestinatione, & reprobatione malè intellectam fuisse à Monimo, eiúsque obiectiones contra illam, esse malè fundatas. Et cap. 27. aliísque locis multa dicit, verum Augustini sensum interpretando, quæ cum proposito Ianseniano, & modo illud exequendi stare nullo modo possunt. Vt quod ait cap. cit. *Peccata itaque hominum, cuncta quidem Deus in peccatoribus præsciuit futura. Et quia ipse non ea prædestinauit facienda, iustè prædestinauit iudicio punienda. Quod etiam in ipsis dictis Sancti Augustini, quæ tua inseruisti epistolæ; si conside-* 55.

Et Fulgentius.

res, profectò cognosces. Qui postquam dixit, Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat, qui faceret, non erat vsque ad vnum. Sed in eo genere, quod prædestinatum est ad interitum: statim secutus, adiunxit dicens: super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam. Nempe satis atque euidenter his dictis ostendit, quia Deus peccata hominum præscientiâ vidit, quibus sententiam prædestinatione dictauit. Quid enim aliud accipere debemus in hac prolatione sententiæ Dei, nisi paratum supplicium peccatori? Iustè autem est ad punitionem diuinâ æquitate prædestinatus, qui peccator est diuinâ cognitione præscitus. Vtpote, qui iniquitatem, ad quam à Deo non est prædestinatus, propria esset voluntate facturus. Vt in quo præscientia Dei videbat futurum opus iniustum, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium iustum. Manifestum est, hæc stare non posse cum prædestinatione, & reprobatione facta, non ex præscientia, sed ex mero Dei beneplacito: & cum peccandi necessitate, iniecta reprobis ob defectum gratiæ sufficientis illis negatæ, vi reprobationis, ita vt non voluntate sed necessitate peccent: id est, non quia volunt, sed quia non possunt non peccare.

56. *Sententia D. Augustini de Prædestinatione, cur malè intellecta.* Neque mirum videri debet, sententiam Diui Augustini fuisse perperam à Massiliensibus intellectam, propter nonnulla obscuriùs ab eo dicta: cùm non desint etiamnum, qui diuersimodè illam accipiant: & alij quidem electionem antecedentem ad præscientiam operum, docuisse illum affirment, vt Thomistæ communiter, Suares, Didacus Ruis, & Arrubal in suis disputationibus de prædestinatione: alij consequentem, & pendentem à præscientia; vt Vasquez, Lessius, Valentia, &c. alij denique vtramque illi tribuant; vt doctissimus Episcopus Ebroicensis Claudius de Sainctes, suis repetitionibus de Eucharistia, & pluribus aliis operibus satis notus: qui in libro Atheismorum Caluini, tract. 7. dicit Augustinum ter aut quater sententiam mutasse: & primò quidem adhæsisse communissimæ antiquiorum Patrum doctrinæ, asserenti electionem factam esse secundùm præscientiam fidei, & operum cum gratia factorum. Deinde, occasione Pelagianæ hæresis, cum qua tamen hæc assertio nullam habet connexionem, aut affinitatem, voluisse factam esse ante omnem præscientiam, & quamcunque præsuppositionem, vel occasionem aliunde datam: quam sententiam Caluinus arripuit. Tertiò, recurrisse ad peccatum originale, omnes inuoluens in eadem massa damnationis, vt causam aliquam assignaret, cur Deus reprobauerit. Quartò denique, multorum querelis, & offensionibus Catholicorum inde secutis, inductum, atque etiam re meliùs considerata, perpensisque argumentis sibi obiectis, reuertisse ad communissimam prædecessorum suorum sententiam, quam primò cum illis tenuerat, de electione secundùm præscientiam. Quanquam nihil vnquam scripsit, quod per commodam explicationem, iuxta illam eandem sentētiam intelligi nequeat. Sed negari non potest, eum plerisque loquendi modis obscurioribus, errandi occasionem dedisse peruersis ingeniis, vt Caluino, eiúsque similibus; ingentésque turbas, & offensiones animorum in Ecclesia excitasse. Hæc ille, quæ ex longiori eius discursu breuiter decerpsimus. Sed præstat aliquot eius verba è Gallico in Latinum conuersa transcribere, quibus fusiùs, & liberiùs mentem suam exprimit.

Sæpè (inquit) miratus sum Caluini audaciam, qui stultas suas imaginationes toti Ecclesiæ primitiuæ anteponere non veretur. Quasi verò sancti illi Doctores & Martyres, Christi sanguine recens fuso, spirituque feruentes, controuersias suo tempore exortas, sine matura deliberatione, & Scripturarum collatione deciderint. Sed in argumento de Prædestinatione, quod nunc tractamus, mirari satis nequeo eius temeritatem; qui vt citiùs sese expediat, vnico verbo toti antiquitati abrenunciat, vt vnicum Augustinum sibi reseruet; quem tamen constat abiecisse sententiam illam à Caluino traditam, duabus præcipuè rationibus inductum, atque persuasum. Post disputationes cum Pelagianis habitas, & scriptos aliquot ab eo libros aduersus eosdem hæreticos, magnum ex illis scandalum exortum est, eò quòd nouam de prædestinatione, & reprobatione sententiam introduceret, quam ad solum Dei beneplacitum, & discretionem mera eius voluntate factam referre videbatur. Gallos præcipuè commouit hæc doctrina: ex quibus duo, nimirùm Hilarius Episcopus Arelatensis, & Prosper Aquitanicus, ad eum scripserunt, duásque præcipuas commotionis, & scandali causas ei proposuerunt. Prima erat, quòd doctrina illa noua esset, & toti antiquitati aduersa, vt patet ex testimoniis Iustini, Tertulliani, & Irenæi, quæ nos suprà retulimus, & Caluinus ipse id fatetur. Verba Prosperi in Epistola ad Augustinum hæc sunt. *Illud etiam, qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna sententia, quâ propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, &c.* operum videlicet cum Dei gratia factorum, non autem purè naturalium, vt volebant ex toto Pelagiani, & ex parte Semipelagiani. Respondit Augustinus, Patres illos, & Scriptores, qui eum præcesserant, non adeo exactè hanc materiam scrutatos esse, quia res illis non erat cum Pelagianis. Sed, quod pace illius dictum velim, non defuerant hæretici, ipso initio Ecclesiæ, qui dicerent Deum destinasse Adamum, eiúsque posteros ad peccatum, & damnationem: ideóque Patribus illis antiquioribus, non defuerat occasio hanc quæstionem perscrutandi. Altera obiectio Augustino proposita erat, quòd eius doctrina licentiam peccandi, & desperationem pareret: eò quòd tale diceret esse donum perseuerantiæ; vt neque suppliciter emereri, neque contumaciter amitti possit: quemadmodum scribit Hilarius in epistola ad eundem. Propter quod etiam Episcopi Galliæ prohibuerunt eiusmodi doctrinam populo Christiano proponi à concionatoribus. Respondit Augustinus idem incommodum sequi ex infallibili præscientia Dei. Sed hoc dixit argumento conuictus, & cedens potiùs difficultati, quàm satisfaciens: cùm certum sit præscientiam Dei de rebus futuris, non esse causam illarum, nullámque imponere necessitatem rebus præuisis, siue liberis earum causis. Addidit hanc sententiam populo proponendam esse à concionatoribus in tertia persona duntaxat: ne si in secunda persona po-

57. *Iudicium Claudij Sanctesij de eadem.*

pulo ipsi enuncietur, coniiciatur in scrupulum, & perplexitatem animi. Verùm inde facilè potest intelligi, qualis sit hæc doctrina, quæ non potest sine scandalo, & Christianarum mentium offensione sincerè explicari. Quapropter Augustinus, vt opinionis suæ temperamentum adhiberet, recurrit ad peccatum originale, & naturæ lapsum in Adamo: existimans se ex illo reddere posse causam sufficientem reprobationis. Verùm satis animaduertit corruptionem peccati originalis non sufficere ad tantam pœnam iustè infligendam, quanta reprobis, & damnatis præparata est: ideòque magnam hac in re perplexitatem animi passus est; multósque alios deinceps in eandem, ingentésque perturbationes induxit. Interea verò, quod dixisse videtur, electionem, & reprobationem fuisse factam ex solo Dei beneplacito, nullâ aliunde datâ occasione; reiectum fuit ab omnibus Catholicis, & à Conciliis Valentino, & Arausicano.

58. Et paulò pòst, Ab Apostolis (inquit) vsque ad Augustinum, Patres, & alij Doctores Catholici ab Apostolis ipsis, vt par est credere, edocti, parcè, & sobriè de prædestinatione, & reprobatione loquuti sunt: causámque prædestinationis esse dixerunt præscientiam bonorum operum, quæ liberè homines faciunt: reprobationis verò, præscientiam malorum operum. Diuus Augustinus eandem sententiam tenuit vsque ad suam cum Pelagianis concertationem, vt ipsemet fatetur. Postea verò excogitauit sententiam, quam secutus est Caluinus, de prædestinatione, & reprobatione ex solo Dei beneplacito. Tertiò, recurrit ad massam corruptionis in Adamo, vt assignaret causam reprobationis ex parte hominum: peccatum scilicet originale. Quartò denique rediit ad sententiam antiquorum Patrum de prædestinatione, & reprobatione factis ex præscientia bonorum, & malorum operum: vt testatur Fulgentius in libro ad Monimum.

59. Et post multa: Pro resolutione fidei meæ, inquit, quam Ecclesiæ Catholicæ iudicio submitto, censeo D. Augustinum nimio contra Pelagianos ardore incensum, nimis præcipitanter sententiam, & consensum prædecessorum suorum contempsisse: præsertim cùm illi magnum in Scriptura fundamētum habuerint, & nihil commune cum errore Pelagianorum: multóque maiorem fidelibus ædificationem, & pacem, & feruorem ad salutem suam per bona opera cum Dei gratia procurandam attulerint. Video etiam eos, qui post Augustinum vixerunt, & scripserunt, magis cum Ecclesia primitiua, quàm cum illo sentire: conatíque potiùs Augustinum cum primitiua Ecclesia conciliare, quàm propter Augustinum deserere sensum primitiuæ Ecclesiæ: vt etiam Prosper & alij testantur. Plures quoque è Doctoribus Scholasticis, & modernis Catholicis adhærent Patrum antiquorum sententiæ, quàm Augustini doctrinæ. Sed & ipsemet, si commodè intelligatur, nihil vnquam dixit, quod cum antiquorum illorum sententia conciliari nequeat. Huc vsque Episcopus Ebroicensis: qui, vt opinor, & pace illius dictum volo, consultiùs fecisset, tantíque Doctoris auctoritati conuenientiùs, si semper & constanter quæcunque dixit Augustinus, in sensum illum commodum exposuisset, & non tantam in opinando inconstantiam ei tribuisset.

Non est quoque prætereundum, Iansenium ipsum lib. 9. de gratia Christi Saluatoris, cap. 24. & lib. 10. cap. 1. affirmare D. Augustinum nullam habuisse controuersiam cum Pelagianis de electione ad gloriam, ante præscientiam operum: sed illam per se sequi ex doctrina ipsius, de vera Christi gratia, hoc est, de gratia necessitante, & de amissione libertatis indifferentiæ per peccatum Adæ, quasi remaneret in hoc statu naturæ lapsæ, consequenter dicendum, inquit, foret Deum elegisse, & reprobasse ex præscientia operum liberè futurorum: sicut electio, & reprobatio Angelorum tali modo facta est: & talis etiam fuisset electio, & reprobatio hominum, si status innocentiæ, & libertatis indifferentiæ, quæ tunc erat, perseuerasset. Quare si falsum est D. Augustinum docuisse gratiam necessitare voluntatem, & amissam esse libertatem indifferentiæ: consequens est, iuxta confessionem aduersarij, sententiam de electione, & reprobatione independenter à præscientia operum, esse alienam à mente D. Augustini. Atqui euidens est, vt alibi ostendimus, Augustinum non ita docuisse, vt neque vllum alium Doctorum Catholicorum ante Iansenium: ne ipsos quidem assertores physicæ prædeterminationis, qui nihilominus volunt gratiam non inferre necessitatem voluntati, sed saluam manere libertatem indifferentiæ, quæ non periit per peccatum originale: detestantúrque doctrinam contrariam, vt errorem Lutheri in lib. de seruo arbitrio, & Calu. lib. 2. Instit. c. 2. & 3. damnatum à Trident. sess. 6. c. 5. & can. 4. & 5. 60. *Notabilis confessio Iansenij de fundamento contrariæ sententiæ.*




DISPVTATIO X.

De aliis dogmatibus Semipelagianorum.

SECTIO I.

Errauerintne dum admittunt duplex propositum: vnum generale saluandi omnes, alterum speciale circa aliquos: & istud absolutum, illud conditionatum?



AFFIRMAT Iansenius lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 2. vbi dicit, Semipelagianos horrore commotos illius propositi, quo alij, qui pro solo Dei beneplacito, nulla prorsus habita consideratione voluntatis humanæ à perditionis massa, quam peccatum Adæ fecerat, aliis in eadem massa prætermissis, discreti à Deo fuisse dicebantur; & consequenter omnes voluntatis actus, quibus ex illa massa perditionis eripiuntur, à prima credendi voluntate vsque ad ipsam gloriæ coronam accipere, per gratiam scilicet necessitantem, vt ipse supponit: aliam viam excogitasse, quâ, mitigatâ illâ propositi diuini fatalitate, vnusquisque, si vellet, per gratiam posset ab illa perditionis massa liberari. Itaque duo Dei proposita saluandi homines esse voluerunt. Vnum generale saluandi omnes, non efficax, & absolu- 1. *Sententia Iansenij asfirmans.*

tum; sed per modum simplicis desiderij, & conditionatum, si ipsi vellent, & ex parte ipsorum non deessent opera bona, vel conditiones requisitæ. Alterum speciale saluandi eos, quos præsciuit operaturos, vel habituros conditiones necessarias; quósque supposita hac præscientia decreuit absolutè, & efficaciter saluare. Hanc autem sententiam inter errores Semipelagianorum cēsendam esse non aliter probat Iansenius, nisi quia Semipelagiani ita docuerunt, vt probat ex epistolis Prosperi & Hilarij, præfixis libro de Prædest. Sanct. apud Augustinum tom. 7. & ex Fausto lib. 1. de gratia, & lib. arb. cap. 16. & Augustino lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. &c.

2. *Sententia negans.* Sed in eo grauiter hallucinatur, vt iam sæpiùs eum monuimus. Neque enim erroneum est, quidquid senserunt, aut dixerunt Semipelagiani, aut quidquid de illis Prosper, Hilarius, & Augustinus, vel alij referunt; aut etiam quidquid improbatunt, quicunque contra eos scripserunt; sed quod in illis damnauit Sedes Apostolica, siue per se immediatè, siue per Concilia à se approbata. Huiusmodi autem non est duplex illud propositum. Nullam enim profert aduersarius, aut quisquam alius, neque proferre potest, huius duplicis propositi condemnationem: quod è contrario magnum habet fundamentum in sacris literis, Conciliis, & Patribus.

3. *Probatur ex Scriptura.* Primò enim, quòd Deus habeat propositum generale saluandi omnes homines, patet ex Scripturæ testimoniis relatis, & expensis suprà disp. 8. sect. 3. num. 19. & sequentibus, quæque alibi fusiùs expendemus, cùm hac de re dicendi nouam dabit occasionem aduersarius. Nimirum ex primæ Timoth. 2. vers. 5. Ezech. 18. vers. 13. & 2. Petri 3. vers. 9. Quibus adde quòd Scriptura proponit omnibus in commune, & sine vlla exceptione, Sacramenta & mandata Dei, vt salui fiãt. Marci vltimo vers. 15. & 16. ad eundémque finem Deus vult omnibus sine exceptione annunciari Euangelium, & baptismum dari quibuscunque volentibus, & credentibus, Matth. vltim. neque minùs generaliter promittit salutem æternam credentibus, & baptismum recipientibus, seruantibúsque mandata; quàm minatur damnationem non credentibus, mediáque salutis sibi oblata respuentibus. *Qui* enim *crediderit*, fide scilicet operante per dilectionem, *& baptizatus fuerit, saluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur.* At hoc secundum est verum generaliter, & sine exceptione. Ergo & primum sine exceptione verum esse debet. Neque Deus offerret omnibus hæc media salutis, si non vellet omnes saluare. *Et ex Conciliis.* Idem quoque docet Concilium Arelatense celebratum ann. 490. (vt vult Baronius) damnans eum, qui dicit *alios deputari ad mortem, alios ad vitam æternam prædestinari*, antecedenti scilicet voluntate, quâ Deus generaliter omnes saluare noluerit, sed hanc ipse differentiam inter homines constituerit pro suo beneplacito, prout volebant hæretici Prædestinatiani ibi damnati. Ibidémque anathematizatur qui dixerit *eum qui periit, non habuisse vt saluus esse posset.* Et Concilium Carisiense ann. 848. ac Moguntiacum eodem anno habitum, in quibus fuit damnatus Gothescalcus Monachus Orbacensis, affirmans Deum ab æterno prædestinasse, quos voluit, ad regnum: & quos voluit, prædestinasse ad interitum: atque illos quidem perire non posse: istos autem non posse saluari: Dei scilicet decreto antecedentem necessitatem vtrisque imponente. Itémque Deum non velle omnes homines saluos fieri, sed eos duntaxat, qui saluantur reipsa. Neque venisse Christum, vt omnes saluos faceret; aut passum esse pro omnibus, sed pro iis tantùm, qui passionis eius mysterio saluantur. Idem etiam docent Sancti Patres communi consensu, siue antiquiores Augustino, siue coætanei, aut posteriores: ipséque Augustinus, & alij, qui cum illo Pelagianos, & Semipelagianos impugnarunt, vt Hieronymus & Prosper, quorum aliquot testimonia retulimus loco suprà citato, & plura referemus inferiùs disput. 38. *Et ex Sanctis Patribus.*

4. *Et ex consensu Theologorum.* Idem denique omnes Doctores scholastici cum D. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 159. vbi sic habet: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c.* Et q. 23. de Veritate, art. 2. *Quia ergo Deus omnes homines propter beatitudinem fecit; dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle. Sed quia quidam suæ saluti aduersantur, quos ordo suæ sapientiæ ad salutem venire non patitur, propter eorum defectum, implet in eis alio modo id, quod ad suam bonitatẽ pertinet, scilicet eos per iustitiam damnans.* Et S. Bonauentura in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. in corp. *Deus dicitur velle*, inquit, *omnium salutem, quantum in se est; & antecedenter connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ.* Similia dicunt Scotus ad eandem distinctionem quæst. vnic. ad 1. Albertus 1. parte, quæst. 79. memb. 2. Alensis 1. parte, q. 3. & 6. memb. & alij veteres, moderníque Theologi.

5. *Propositum saluandi omnes, non est efficax, & absolutum.* Secundò, quòd illud propositum generale saluandi omnes non sit absolutum, & efficax, probatur, quia quidquid vult Deus efficaciter & absolutè, impletur reipsa. De illa enim voluntate verum est, quod dicitur Rom. 8. *Voluntati eius quis resistit?* & Esther. 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Et Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Atqui propositum illud generale non impletur, quia multi non saluantur, sed multo plures à salute excidunt. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20. Et, *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, &c.* Matth. 7. &, *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, ibidem. Atque hoc adeo notum est, vt in eo confirmando superuacaneum sit immorari.

6. *Sed conditionatum.* Tertiò, quòd illud propositum generale sit conditionatum, & affectum conditione pendente à libera hominum voluntate vt sortiatur effectum suum, posito videlicet, quòd ipsi vtantur mediis à Deo institutis, tam pro seipsis, quàm pro paruulis adultorum curæ commissis; docet Scriptura Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* quia scilicet non est aliter tibi destinata Et c. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse intrabit in regnum cælorum.* Et Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Et cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* *Vt docet Scriptura.*

Idém-

Et Concilia. Idémq; affirmant Conc. Arauſ. can. 25. ſic dicens: *Hoc etiam ſecundùm fidē Catholicā credimus, quòd acceptâ per baptiſmū gratiā, omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad ſalutē pertinent, poſſint, & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere:* adeóque pendere ab eorum voluntate, vt propoſitum illud ſaluandi omnes in ipſis impleatur, & de conditionato tranſeat in abſolutum, & efficax. Idem quoque docet Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. cùm ait, *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debere. Deus enim, niſi ipſi illius gratia defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficit, operans velle, & perficere.* Et can. 22. anathematizat eum, qui dixerit hominem iuſtificatum non poſſe perſeuerare cum auxiliis gratiæ, ſi nimirum velit ei cooperari. Itaque voluntas humana facit, vt propoſitum illud generale, & conditionatum, tranſeat in abſolutum & efficax, reſpectu eorum, qui cooperantur auxiliis ſibi oblatis: & ſicut vtendo illis, obtinent vitam æternam, obtinent etiam vt Deus efficaciter eam dare voluerit: fruſtráque ponitur in Deo alia voluntas efficax, præcedens cooperationem, eiúſque præſcientiam; ſine qua non daret, & quâ poſitâ non poteſt non dare.

7. *Et Sancti Patres.* Idem pariter affirmant Sancti Patres, nominatimque D. Aug. lib. de ſpir. & lit. c. 33. *Vult Deus,* inquit, *omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè vtentes, iuſtiſſimè iudicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt;* quippe, qui volebat eos credere, & ſaluari. *Nec ideo tamen eam vincunt; verùm ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, malíſque pœnalibus implicant; experturi in ſuppliciis poteſtatē eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt.* Et Hieron. in c. 1. epiſt. ad Epheſ. exponens illa verba *in quo, & ſorte vocati ſumus: Vult Deus,* inquit, *ſaluare omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus abſque propria voluntate ſaluatur (liberi enim arbitrij ſumus) vult nos bonum velle: vt cùm voluerimus, velit & ipſe ſuum in nobis implere conſilium.* Et Chryſ. hom. 11. in c. 2. Gen. in fine. *Nos,* inquit, *ſi voluerimus quod noſtrum eſt facere, nihil prohibebit eadem nos bona conſequi: liberalis enim eſt Dominus, & vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Similia dicit hom. 9. de laudibus Pauli, & hom. 16. in c. 9. ep. ad Rom.

Et Proſper l. 2. de Voc. Gent. c. 28. in fine. *Manifeſtum fit,* inquit, *quòd diuerſis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, ſuâ pertinaciâ reluctantur.* Et c. 23. addit illam Pauli ſententiam generalem, *Vult omnes homines ſaluos fieri,* ad infantes etiam pertinere: quia iuuarentur per parentes, ſi ipſi gratiâ ſibi oblatâ bene vterentur.

8. *Et Theologi.* Idem denique affirmat S. Thomas loco primùm cit. num. 5. vbi poſtquam dixit Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & quantum eſt ex ſe, paratum eſſe dare omnibus gratiam, qua ſalui fiant: addit, *Sed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſeipſis gratia impedimentum præſtant; ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licèt videre non poſſit, niſi lumine ſolis præueniatur.* Huc vſque D. Thomas, cui aſſentiuntur reliqui Doctores Scholaſtici.

Ex quibus omnibus ſequitur primò, eſſe in Deo duplex propoſitum ſaluandi. Vnum ſcilicet generale, & conditionatum, ſaluandi omnes quantum eſt ex ſe: niſi obſtet voluntas creata, & deſit conditio requiſita ex parte illius. Alterum abſolutum atque efficax, quo vult reipſa dare gloriam illis omnibus, in quibus impletur talis conditio, pendens à voluntate creata. Siue, vt rem meliùs explicem, propoſitum illud generale, & conditionatum tranſire in abſolutum & efficax, hoc eſt, habere vim abſoluti, & effectum ſortiri, reſpectu eorum, in quibus impletur conditio, & implenda præuidetur. Secundò, ex dictis facilè colligitur, quantæ ſit temeritatis, & imprudentiæ, damnare erroris Semipelagiani ſententiam, quam Sancti Patres, & omnes Doctores Catholici tanto conſenſu tenuerunt, accedentibus etiam Scripturâ diuinâ, & Conciliis ſuprà citatis.

SECTIO II.

Erraueríntne Semipelagiani in eo quòd ſtatuerint beneficia generalia, & gratiam ſufficientem omnibus hominibus communem, vi illius propoſiti generalis ſaluandi omnes.

AFFIRMAT Ianſenius c. 3. l. 8. de hær. Pelag. vbi docet omnibus Semipelagianis duo iſta communia fuiſſe dogmata, & veluti cardines totius erroris: Quòd Deus generali quodam propoſito, quantum in ſe eſt, velit omnes omnino homines ſaluos fieri: de quo diximus ſect. præcedenti: & quòd conſequenter in omnes omnino gratiam ſuam indifferenti quadam largitate profundat: quò poſſint, ſi velint, ad ſalutem peruenire, vtendo mediis & auxiliis gratiæ, quæ Deus voluit omnibus exhibere. Cùm autem illa ſint duplicia, quædam ſcilicet remota, quæ gratia quadam propinquiore, & actuali indigent, vel applicatione, vt homini proſint ad ſalutem: cuiuſmodi ſunt incarnatio, redemptio in cruce, baptiſmus & cetera huiuſmodi. Alia proxima, quæ ſunt ipſa applicatio, vel ipſæ gratiæ actuales, ſiue internæ, ſiue externæ, quæ in ipſum voluntatis motum influunt, & quibus ad ſalutem proximè iuuamur: Neutra ipſi cuiquam ex ordinatione diuina ſubtrahi volebant, ſed omnibus eſſe propoſita, & præparata, quantum eſt ex parte Dei. Vt de mediis remotis patet ex epiſt. Proſperi ad Auguſt. præfixa lib. de Præd. Sanct. affirmantis docuiſſe Semipelagianos vniuerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, vt quicunque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſſint: & pro vniuerſo hominum genere mortuum eſſe Chriſtum, ac neminem prorſus à redemptione ſanguinis eius exceptum: atque ad omnes pertinere miſericordiæ diuinæ ſacramentum, id eſt, baptiſmum. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam eſſe vitam æternam: & qui contrarium aſſerunt, repugnare Apoſtolo. 9. *Doctrina Ianſenij.*

De proximis verò patet ex epiſt. Proſperi ſuprà citata, & in carm. de Ingrat. c. 10. & 11. & Fauſt. l. 1. de grat. & lib. arb. c. 17. vbi ſic loquitur: *Quis tā immemor ſalutis ſuæ ſit, qui attrahentis miſericordiam negare præſumat? Sed ille verè impius eſt, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus teſtatur impendi.* 10.

Verùm in eadem ſemper hallucinatione verſatur Ianſenius, cùm ex eo ſolo quòd Pelagiani, aut Semipelagiani aliquid dixerint, putat inter eo- 11. *Media ſalutis generalia ſunt omnibus communia.*

rum errores censendam esse doctrinam in Scriptura traditam, & à SS. PP. aliisque Doctoribus Catholicis communissimè receptam, & speciatim ab illis ipsis, qui prædictis hæreticis potissimùm restiterunt. Nam quòd media illa remota sint omnibus communia ex intentione Dei, omnibúsq; in commune proposita, docet Scriptura pluribus locis affirmans Christum venisse & mortuum esse pro omnibus; voluisséque Euangelium, & baptismum omnibus proponi: vt patet ex dictis sect. præced. num. 3. & disp. 8. sect. 3. num. 23. Eandémque esse communissimam doctrinam Patrum, speciatímque Hieronymi, Augustini, & Prosperi, præcipuorum impugnatorum hæresis Pelagianæ & Semipelagianæ, liquet ex iisdem locis, & fusiùs alibi ostendemus tract. 3. disputando de gratia sufficiente. *Vide disp. 26.*

12. *Et media sufficientia omnibus parata.* Quòd verò etiam media proxima, id est, gratiæ actuales ad salutem sufficientes, sint omnibus parata, quantum est ex parte Dei, & generali quâdam beneficentiâ in omnes profundantur, (loquor de adultis eorum capacibus, quibus pro se, & pro paruulis, ipsorum curæ commissis, communicantur: quippe qui ob defectum vsus rationis, sunt incapaces huiusmodi gratiarum immediatè, id est, in seipsis, & ope tantùm alienâ saluari possunt per applicationem baptismi, quæ idem est atque ipse baptismus, pro illis omnibus institutus (vt suprà diximus:) quòd, inquam, gratiæ actuales sufficientes, sint omnibus paratæ, quantum est ex parte Dei, docet Scriptura Ioan. 1. vbi de Verbo incarnato dicitur, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* quod iuxta communem SS. PP. interpretationem, speciatímque D. Augustini, dictum est de illuminatione supernaturali per gratiam omnibus paratam, & omnes illustrantem, quantum est de se. Sic enim ait l. 1. de Gen. contra Man. c. 3. *Solis istius* corporei *lumen, non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis & mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multò meliùs, quàm nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen* (gratiæ) *non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporaliũ se ad eius præcepta seruanda conuertunt. Quod omnes homines possũt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum.* Simili modo eundem locum interpretatur Chrys. hom. 7. in Ioan. sic dicens: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat profectò, quantum in ipso est. Si qui autem sponte suâ, mentis oculis conniuentibus, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerunt; non ex luminis natura in tenebris perstiterunt: sed ex malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est: non Iudæum, non Græcum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non seruum, non virum, non mulierem, non senem, non iuuenem excipit, aut dedignatur: omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore aduocat, qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent: cùm enim aditus omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ duntaxat malitiâ ingredi recusant.* Et Amb. serm. 8. in Psal. 118. *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat; vt si quis clausis fenestris radios solis excludat.* *Probatur ex Scriptura & Patribus.*

Item Scriptura testatur Deum omnes ad se vocare, & inuitare vt ad se veniant. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* Matt. 11. conqueritúrque, & exprobrat quòd venire recusent: *Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret,* Prou. 1. vers. 20. Ergo dat omnibus auxilium sufficiẽs vt venire possint, & parére vocanti. Nam alioqui vana, & simulatoria foret vocatio, & iniusta exprobratio. Idipsúmque disertè affirmat Aug. l. 83. quæst. q. 68. vbi sic habet: *Ad illam cœnam, quam Dominus dixit in Euangelio præparatam, neq; omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque neque illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi; quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur, propterea & si quisque sibi tribuit quod venit vocatus; non potest sibi tribuere, quod vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur; sic inchoat meritum supplicy, cùm vocatus venire neglexerit.* Et l. 3. de lib. arb. cap. 19. idem confirmat his verbis: *Cùm vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem, auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras: nec illud, quòd vulnerata mẽbra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis: ista tua peccata propria sunt.* Neq; minùs perspicuè idem affirmat Prosper eius discipulus l. 2. de Voc. Gent. c. 29. cuius verba hæc sunt. *Vniuersitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit: vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis: neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari.* Et Clem. Alex. l. 2. Strom. *Diuinũ verbum clamauit,* inquit, *omnes simul vocans: eos quidem, vel maximè cognoscens, qui non erant parituri: & tamen, quoniam est in nostra potestate parére, & non parére, vt nulli possint causari prætextum ignorantiæ, iustam fecit vocationem.* 13.

14. *Confirmatur aliis Patrum, & Scripturæ testimoniis.* Eodem pertinet, quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, vt sect. præc. num. 3. probauimus ex 1. Tim. 2. aliísque locis Scripturæ. Frustra autem, & simulatoriè id vellet, nisi daret, aut quantum est ex se paratus esset dare omnibus media ad salutem necessaria. Ideóque meritò D. Aug. in Enchir. c. 95. explicans illud Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, &c.* dicit Deum non iniustè nolle saluos fieri eos, qui pereunt, quia noluerunt auxiliis gratiæ cooperari, *cùm possent salui esse, si vellent.* Et Prosper lib. suprà cit. cap. 26. dicit opitulationem gratiæ per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhiberi; & quòd à multis refutatur, ipsorum esse nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ esse diuinæ, & voluntatis humanæ. Et c. 31. eiusdem libri, *Elaboratum est,* inquit, *quantum Dominus adiuuit, vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiã in cunctis retro seculis, probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse; prouidentia quidem pari, & bonitate generali; sed multimodo opere, diuersáque mensura.* Pluribus supersedeo, quia hæc satis superque sufficiunt ad refellendam Iansenij censuram, numerantis inter dogmata Semipelagianorum præcipua & capitalia, cardinésque totius erroris, veritatem Catholicam tam

disertè à D. Augustino, aliísque Patribus traditam, & in sacris literis fundatam.

SECTIO III.

Quas gratias generales admiserint Semipelagiani: & in quo circa illas errauerint?

15. *Doctrina Iansenij.* DE his Iansenius l.8.c.4. & quinque sequentibus; vbi docet primam gratiam generalem, quam admittebant Semipelag. esse doctrinam, & Euangelij prædicationem: quam gratiam ideo communem omnibus esse volebant, vt discretionem electorum, & reproborum refunderent non in purum Dei beneplacitum, sed in hominum voluntatem, quorum aliqui credere voluerint, & saluti suæ consulere vtendo auxiliis gratiæ: alij non. Sed quia non omnibus prædicatur Euangelium; multas enim nationes permittit Deus manere in tenebris ignorātiæ & infidelitatis: ne illud quidem in solum Dei beneplacitum reiiciebant, sed in fidem & opera eorum, conditionatè à Deo præscita: ita vt Deus procuret istis Euangelium prædicari, quia præscit credituros, si audiant: aliis non. Sicut etiam volebant vni ex duobus in infantia morituris administrari baptismum, alteri non: quia Deus prēscit quid in ætate adulta facerent, si diutius viuerēt.

16. *In quo errauerint circa prædicationem Euangelij.* Et in eo quidem non errasse, quòd vellent Euangelij prędicationem esse gratiam generalem, & omnibus communem, quantum est ex parte Dei, liquet ex dictis sect. 1. num. 3. Errarunt tamen in eo, quòd volebant, huius gratiæ generalis applicationem pendere ab aliquo bono merito naturali; fide scilicet, vel alio salutis initio naturæ viribus habito, & iam reipsa præsupposito, vel conditionatè præscito. Quod præcipuè asserebant, ne alioqui Deus sit acceptor personarū, si largiatur vnis, & non aliis sua dona, absque aliquo præuio illorum merito, vel demerito. In eundémq; sensum interpretabantur illud Christi, Lucæ 11. *Qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Hoc autem esse erroneum constat ex dictis disput. 9. sect. 2. num. 23. & seqq.

17. *Voluerintne semper eam præcedi aliquo merito.* Meritò tamen dubitant aliqui vtrum hanc legem adeo generalem esse voluerint, vt nemo ab illa eximeretur: ita vt Deus nulli vnquam conferret gratiam absque præuio merito, vel existente, vel conditionatè præuiso? Ratio dubitandi est, quia pręcipuum fundamentum huius erroris nullam potest exceptionem pati, cohærenter loquendo. Si enim est vitium acceptionis personarum, quod in Deum cadere non potest, & irrationabilis bonorum distributio, dare vni gratiam, & non alteri, absque præuio merito: vel debet Deus dare omnibus gratiam, quod non facit: vel nulli debet dare absque præuio merito. Adde quod iidem Semipelagiani videntur hoc expressè affirmare. Cassianus enim l. 12. de Institutis renunciātium, c. 14. sic ait: *Pronunciamus laborantibus tantum, ac desudantibus* (per humanos conatus, de quibus ibi loquitur) *misericordiam Dei, gratiámque conferri.* Vbi nota particulam exclusiuam, *tantum*; cuius loco perperam in quibusdam exemplaribus habetur, *tamen.*

18. In contrarium verò est, quòd idem Cassianus Collat. 13. cap. 12. & quinque sequentibus, videtur aliquam exceptionem admittere: vt in Matthæo, Paulo, & similibus, quos Deus supra omne illorum meritum specialiter vocauit. Et cap. 13. dicit, nonnunquam Deum conatus bonæ voluntatis, vel exigere ab homine, vel expectare; ne otioso, vel dormienti videatur bona sua conferre. Vbi cùm ait, *nonnunquam*, significat non semper Deum ita se gerere, sed aliquando aliter sua bona distribuere. Et cap. 17. addit inscrutabilia esse Dei iudicia, & varia. Nam quosdam volentes ad augmentum prouehit; alios etiam nolentes attrahit. Qua de causa Prosper lib. contra Collatorem, c. 5. 13. & sequentibus, Cassianum arguit inconstantiæ & contradictionis, velut inconsequenter locutum. Alij verò conantur hæc loca dissonantia ita conciliare, vt Semipelagiani duplicem gratiam esse voluerint. Vnam generalem omnibus propositam, consistentem in libertate arbitrij, & in lege atque doctrina: & hanc volebant dari omnibus siue saluandis, siue damnandis, generaliter & indiscriminatim, absque merito præuio, ex sola Dei voluntate, quâ vult omnes homines saluos fieri. Aliam specialem, internam, & excitantem ad bene operandum, quæ non omnibus datur: & hanc non dari sine præuio merito.

Verùm, licèt admittamus Semipelagianos aliquam gratiam internam agnouisse, vt dicemus paulò pòst: tamen ille ipse vsus libertatis, seu rationis, & lex atque doctrina, non ad omnes peruenit. Multi enim alterutro beneficio, vel vtroque priuantur. In quo erit vitium acceptionis personarum, iuxta doctrinam Semipelagianorum, si priuantur absque proprio demerito. Deinde vocatio Matthæi, & Pauli fuit specialis gratia, non omnibus generaliter proposita, vel concessa; quam tamen Cassianus fatetur fuisse illis datam absque præuio merito. Fortasse melius possent hæc conciliari, dicendo mentem Cassiani, & aliorum Semipelagianorum fuisse, Deum nunquam conferre gratiam, sine aliquo merito præuiso, vel vt præexistente, vel vt futuro absolutè, aut conditionatè. Aliquando tamen conferre aliquibus sine merito, reipsa præexistente, sed præuiso solùm vt futuro, vel absolutè, vt contigit Matthæo, Paulo, & similibus; vel conditionatè solùm, vt infantibus ante vsum rationis morientibus post baptismum susceptum. 19. *Improbatur prima responsio.* *Vera solutio.*

In quo etiam errabant Semipelagiani, volentes causam cur vnus baptizetur ante mortem, non alius, esse præscientiam eorum, quæ facturi essent, in ætate adulta, si ad illam peruenirent. Neque enim, propter ea, quæ nunquam erunt, quęque tantùm conditionatè præsciuntur, Deus quenquam honorat aut punit, aut desinit illi benefacere: alioqui non esset verum, quod dicitur Sapientiæ 4. de iusto præmatura morte, per speciale Dei beneficium, peccari, & damnationis periculis subtracto: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* vt rectè contra illos argumentatur D. Aug. l. de Præd. Sanct. c. 12. & pluribus sequentibus, vbi fusissimè hunc errorem refutat. Sed vera causa cur aliqui infantes moriantur sine baptismo, quem pro omnibus Deus instituit, & quantum est de se, vult omnibus administrari; est malitia, aut negligentia parentum, aut aliorum adultorum, à quibus salus eorum pendet, quibúsve committitur. Nimirum quia malè vtuntur gratia sibi oblata, & impensa tam pro seipsis, quàm pro salute paruulorū: vt rectè ait Prosper l. 2. de Voc. Gent. c. 23. vbi sic loquitur de huiusmodi infātibus sine baptismo deceden- 20. *Eorumdem error circa baptismum.* Vide etiam lib. de Bono perseuer. c. 9. & epist. 107. ad Vitalem post medium.

tribus: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus; quà vtique si bene eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur.* Quia videlicet si parentes, vel alij quibus salutis paruulorum cura incumbit, bene vterentur auxiliis gratiæ sibi oblatis, Deus eos perduceret ad notitiam Euangelij & baptismi, si sunt infideles: & tam inter illos, quàm inter fideles, speciali prouidentia impediret, vel auerteret causas, siue naturales, siue morales, quæ mortem paruulis afferunt, priusquam beneficio baptismi potiantur. Addunt aliquid amplius Ysamb. 1. 2. in tract. de gratia, & Philipp. Gamach. tom. 3. q. 68. cap. 2. quæ apud ipsos legi poterunt, eòque tendunt, vt ostendant non deesse paruulis aliud medium extraordinarium, præter baptismum & martyrium, cuius ope saluari possint.

21. Secundam gratiã, quam admittebant Pelagiani, dicit Iansenius esse quasdam primæ integritatis reliquias, quas homines in natura rationali, siue in intelligentia naturali gerunt, quantumuis in originalis peccati corruptione nascantur: id est, potestatem naturalem credendi, & partem quandam illius possibilitatis naturalis, quam Cælestinus per peccatum penitùs amissam docet; siue illius libertatis naturalis, quâ primi hominis liberum arbitrium ita liberum erat, vt bene velle posset, & malè: nec erat necesse vt Deus ei per gratiam, sicut nunc necesse est, ipsum velle & agere largiretur, sed propter præstantiam indultæ libertatis & facultatis, ex se poterat velle & agere, tametsi non sine gratia simul influente. Hanc enim facultatem non ita esse debilitatam per peccatum Adæ existimabant, vt saltem id, quod infimum, tenuissimúmque iustitiæ exordium est, per eam inchoare non possimus. *Nullam,* inquit Hilarius in epist. ad Augustinum, *ita deprauatam, vel extinctam putant,* supple naturam, *vt non debeat vel possit se velle sanari. Et proprium arbitrium ad hoc tantùm esse liberum, vt velit, vel nolit admittere medicinam.*

Cælestinus in Epistola ad Episcopos Galliæ.

22. Verùm licèt in eo errauerint, quòd existimarent habere homines naturalem credendi potestatem; id est, posse solis naturæ viribus credere sicut oportet ad salutem inchoandam, & alia quædam præstare, quæ nomine initij salutis intelligebant: de quo errore diximus alibi, ostendimusque fuisse damnatum ab Arausic. can. 3. 5. 6. & 7. eundémque latè impugnat August. lib. de Præd. Sanct. cap. 2. & pluribus sequentibus: Secus tamen in eo quòd asserebant liberum arbitrium non esse penitùs extinctum per peccatum originale, sed esse adhuc in homine libertatem indifferentiæ, quâ, cum ope diuinæ gratiæ, possit bene operari, & à peccatis abstinere: possit etiam liberè peccare, ipsique gratiæ dissentire: & denique vocationi & inspirationi, ac motioni diuinæ consentire liberè, cum potestate dissentiendi. Hanc enim doctrinam non esse Semipelagianam, sed Catholicam & de fide, sempérque ab Ecclesia traditam, & à Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5. definitam, constat ex iis, quæ diximus tota disput. tertia, & fusiùs alibi demonstrabitur tract. 3. disputando de gratia efficaci. Quid autem Cælestinus intelligat per *naturalem possibilitatem,* explicabimus tract. sequenti, disput. 12. sect. 6. num. 44.

Et circa initium salutis.

Disput. 21. sect. 2. & seqq.

23. Tertia gratia generalis, quam admittebant Semipelagiani, est (inquit Iansenius) gratia interna, & sufficiens ad credendum, non ad operandum. Certum enim esse dicit, Massilienses præter prędicationem & naturam, veram etiam, & internam, & actualem gratiam ad ipsam etiam fidem, quam humanæ libertatis, & voluntatis adscribebant viribus, necessariam esse docuisse. Nam primus homo, haud secus atque Angeli boni, vera & actuali gratia ad perseuerandum in iustitia, siue ad vitam æternam per bona opera consequendam indiguit, iuxta D. Augustinum, & Arausic. can. 19. cuius verba hæc sunt: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Vbi de gratia interna sermonem esse nemo negat, & manifestum est ex epist. 106. D. Augustini, in fine, vnde ad verbum canon ille desumptus est. Hæc autem gratia talis erat, quantum ad operandi modum, vt eius vsus in sua cuiusque voluntate relinqueretur: hoc est, vt eâ vti vel non vti, velle aut nolle cum ea credere, vel non credere, operari, vel non operari, perseuerare, vel non perseuerare, in vniuscuiusque relinqueretur arbitrio. Non enim dabat homini velle, vel agere, sed tantùm posse velle, vel agere: Nunc autem, perditâ illâ felicissimâ integritate naturæ, talis gratia datur, quæ ipsum velle, & agere, & perseuerare largiatur: hoc est, iuxta doctrinam Iansenij, quæ voluntatem necessitet ad volendum, & operandum: quam etiam adeo necessariam esse vult in hoc statu naturæ lapsæ, vt sine illa nihil bene velle, aut operari valeamus.

Quam gratiam internam admiserint, iuxta Iansenium.

24. In hoc igitur, inquit, Massiliensium error propriè consistebat, quòd aliquid primæuæ libertatis reliquum putarent, quo, sicut Adam, si voluisset, poterat perseueranter operari bonum; ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet: neuter tamen absque interioris gratiæ adiutorio, cuius vsus vel abusus relictus esset in vtriusque arbitrio, & potestate. Non enim exclusisse Massilienses ab illa credendi voluntate gratiam, quæ interiùs adiuuaret, liquet ex eo, quòd frequenter Augustinus & Prosper, eorum sententiam, quâ hominem sua naturali possibilitate, seu libertate, seu naturâ credere, & velle posse censebant, in Angelis, & Adamo ante præuaricationem, non autem in lapsis hominibus, veram esse fateantur: Prosper in Carmine de Ingratis, cap. 42. & in responsione ad cap. 8. Gallorum: Aug. de Bono perseuer. cap. 7. Idémque patet ex eo quòd fatebantur Semipelagiani liberum arbitrium fuisse per peccatum Adami delibatum: sed non eò vsque, vt non sufficiat ad volendum credere, & velle sanari, opémque medici postulandam, vt patet ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum sæpiùs citatis. Atqui liberum arbitrium primi hominis ante peccatum egebat gratia, & auxilio *sine quo non,* vt crederet, & bene velle, aut operari posset, vt sæpiùs docet Augustinus, & non negabant Semipelagiani: patérque ex Prospero in Carm. de Ingratis, c. 10. & Aug. l. de Corr. & grat. c. 11. & lib. 14. de Ciu. c. 27. Ergo non negabant eodem auxilio nunc indigere homines vt possint credere, &c. alioquin opi-

Vult admisisse gratiam repudiabilem, etiam ad initium salutis.

nati essent liberũ arbitrium nunc esse potentius in natura lapsa, quàm fuerit in statu innocentiæ.

25. *Id confirmat variis testimoniis.* Ad idem confirmandum adducit multa Gennadij testimonia ita docentis, & in eo sententis cum Semipelagianis: itémque Cassiani, & D. Augustini idem etiam tenentis, quo tempore in errore Massiliensium versabatur: ac denique Massilienses non fuisse ex professo hostes gratię; neque vllam habuisse causam, cur talem gratiam reticerent, cùm per illam omnes eorum difficultates facillimè soluerentur, de fatalitate per gratiam inuecta, de impedito vsu libertatis, & necessitate inducta, de inutilitate orationis, correptionis, exhortationis, &c. Huc vsque Iansenius, eò tendens, vt persuadere conetur errorem Semipelagianorum non fuisse qualis huc vsque à Doctoribus Catholicis esse dicebatur: nimirum quòd vellent hominem solis naturæ viribus posse credere, & alia quædam facere, in quibus initium salutis constituebant: quamuis non possint perficere, & præstare omnia ad salutem consequendam necessaria: in quo dissentiebant à Pelagio, cùm alioquin quoad initium salutis illi consentirent: eáque præcipuè de causa Semipelagianorum nomen sortiti sunt, quia ex parte tantùm cum illo consentiebant: quippe qui volebat non initium solùm, sed & cætera omnia ad salutem consequendam pertinentia fieri posse viribus naturalibus sine auxilio gratię. Sed errorem illorum in eo situm fuisse, quod vellent ad initium salutis sufficere auxilium dans posse tantùm, & quale habebat Adamus in statu innocentiæ, id est, relinquens vsum libertatis indifferentiæ: neque necessariam esse gratiam dantem ipsum velle, & agere: hoc est necessitantem ad volendum, & agendum, tam ad initium salutis, quàm ad illius augmentum, & perfectionem: propter quod non satisfecerint D. Augustino, & ab Ecclesia damnati fuerint.

26. *Duplex impostura Iansenij.* Verùm in vtroque grauiter errat Iansenius: & in eo scilicet, quod affirmat Semipelagianos docuisse gratiam internam esse necessariam ad fidem initialem, aliáque huiusmodi, quibus salutem nostram inchoari à nobis volebant: & in eo quod ait damnatos fuisse, & Augustino non satisfecisse, quia volebant gratiam illam non esse necessitantem. Hoc secundum iam alibi fusè probauimus disp. 7. sect. 6. & tribus sequentibus. Primum verò demonstrabitur sect. sequenti.

SECTIO IV.

Probatur Semipelagianos non docuisse gratiam esse necessariam ad initium salutis.

27. QVòd igitur Semipelagiani non senserint gratiam internam esse necessariam ad fidem initialem, siue ad initium salutis, sed illam solis naturæ viribus haberi posse, reipsáque haberi dicerent, & per illam obtineri gratiam ad perficiendum: probatur primò ex ipsis eorum verbis, quibus sententiam suam exprimunt: neque verò potest aliunde melius intelligi quid senserint, quàm ex iis quæ ad suum dogma explicandum scripserunt.

Probatur ex ipsorummet testimoniis, & 1. Cassiani.

Cassianus collat. 13. cap. 3. Cassianus ergo inter illos præcipuus, licèt interdum dicat, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis, & initium sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atque opportunitatem eorũ quæ rectè cupimus, tribuit peragendi: omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum. Qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis. Alibi tamen, & sæpiùs apertè docet id non esse intelligendum de fide, & initio salutis, quasi ipsum quoque sine ope gratiæ haberi non possit. Vt cùm sic ait Collat. 13. c. 7. *Dei benignitas cùm bonæ voluntatis in nobis quantulacunque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse, tanquam de dura silice nostri cordis excusserit, confouet eam, & exsuscitat, suáque inspiratione confortat.* Et c. 8. *Cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Et c. 9. dicit initium bonæ voluntatis interdum oriri ex naturæ bono, quod beneficio Creatoris accepimus. In eúmque sensum exponit ibidem, quod ait Apostolus Rom. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Et c. 11. *Cùm viderit nos Deus,* inquit, *ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, & confortat:* nobis scilicet eum præuenientibus, licèt etiam quandoque pręueniat: vt ait verbis præcedentibus. Ad idque confirmandum, & illustrandum profert, quod ait Scriptura, Psal. 49. *Inuoca me die tribulationis,* &c. & Isaiæ 30. *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Et cap. 12. addit ex Psal. 18 *Mane oratio mea preueniet te:* hæc omnia sic interpretans, vt velit hominem inchoare, & præuenire, gratiam verò subsequi, vt Zachæo, Dauidi, & aliis contigisse dicit. Quin etiam cap. 14. affirmat sanctum Iob *non Dei, sed suis viribus vicisse dæmonem:* & fidem Centurionis dicentis, *Domine non sum dignus, &c.* non fuisse Christi donum, sed bonum liberi arbitrij vsum; quia alias non fuisset dignus laude, nec dixisset illi Dominus, *non inueni tantam fidem;* sed, *nemini dedi tantam fidem.* Omitto alia plurima, ne longior sim, præcedentibus similia, quæ habet ferè tota illa Collat. 13.

Simili modo loquitur Faustus Rhegiensis, alter Semipelag. antistes: vt lib. 1. de lib. arb. c. 17. vbi exponens, quomodo Pater nos trahat ad Filium, dicit Deum attrahentem, aliquid in homine requirere, *vt per quandam voluntatis ansulam comprehendi, & attrahi valeat, qui vocatur:* fidem scilicet, per quam à Deo iuuari mereamur, gratiæque auxilium obtineamus: iuxta id quod paulò antè dixit. *Manum fidei quâ attrahatur, extendit & dicit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meã. Et ita se duo ista coniungunt; attrahentis virtus, & obedientis affectus: quomodo si æger aliquis assurgere conetur, & facultas animum non sequatur, & propterea sibi porrigi dexteram deprecetur: clamat voluntas, quia sola per se eleuari nescit infirmitas; ita Dominus inuitat volentem, attrahit desiderantem, erigit adnitentem.* Et inferiùs explicans modum, quo Deus trahit, hæc addit: *Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere; desideranda proponere, intentare metuenda, iudicium comminari, premium polliceri?* relinquendo scilicet viribus propriis vt sequamur, & obediamus: iuxta id quod addit l. 2. c. 4. *Ad obedientiam pertinet labor, fructus verò laboris ad gratiam.* Et cap. 6. dicit Abelem diuinis placere conspectibus per insitum à Deo generaliter bonum; id est, per propriæ 28. *Et Fausti Rheg.*

meruisse voluntatis affectum. Et cap. 10. eiusdem lib. 2. *Hoc solum nostrum est*, inquit, *vt qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem quærendi, & pulsandi importunitate, placeamus*: ad quod scilicet sumus per nos ipsos satis idonei: alioqui enim hæc distinctio, & oppositio non esset bona.

29. *Confirmatur ex Arausicano.* Probatur 2. ex Concil. Arausic. sæpiùs in eundē sensum intelligente, & damnante Semipelagianos, & contra illos definiēte, ipsam etiam fidem, ipsúmque credulitatis affectum non haberi sine gratia: nec quicquam ad salutem vitæ æternæ pertinens sine illa fieri posse: vt videre est can. 5. 6. & 7. quorum verba retulimus disp. præcedenti, sect. 2. num. 21. Idémque confirmat pluribus aliis canonibus, ex quibus manifestè liquet errorem Massiliensium in hunc sensum ab Arausicano intellectum, & damnatum fuisse, vt existimarent nos præuenire gratiam, & Deum nostros conatus expectare: posséque nos per naturæ vigorem, absque inspiratione, & illuminatione Spiritus Sancti, id est, sine gratia interna credere prædicationi Euangelicæ; nostræque saluti aliquod initium dare naturaliter. In eundémque sensum Cælestinus I. in epist. ad Episcopos Galliæ scriptâ, ad sedandas controuersias per Massilienses excitatas, definiuit art. 6. *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Ad eundem denique errorem respexit Trid. sess. 6. cap. 5. & can 3. definiens, iustificationis exordium à Dei per Iesum Christum præueniente gratiâ sumendum esse, &c. & neminem sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere posse, &c.

30. *Et ex Prospero.* Probatur 3. ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad August. præfixis lib. de Præd. Sanct. ex quibus potissimè de erroribus Semipelag. iudicandum esse affirmat Iansenius lib. 7. de hær. Pelag. cap. 3. Nam Prosper in primis refert *hanc ipsorum definitionem ac professionem esse*, omnem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri (per legem scilicet, & doctrinam) vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata. Et propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, vniuersis hominibus sine exceptione esse propositam: vt quicúque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sit iuuanda mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse, &c.* Vbi notanda sunt hæc verba, *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri.* Significant enim nos primùm viribus naturalibus fidem concipere, quæ deinceps per Dei gratiam iuuetur, & perficiatur: ita vt gratia non præueniat fidem, sed ab illa præueniatur, & sic aliquo merito naturali obtineatur: iuxta id, quod Prosper de illis addit paulò pòst.

31. *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec existentem, liberi arbitrij, & rationalis gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, & ad agnitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius, possit suam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Quibus verbis significat aliquos Semipelagianorum conuictos Scripturæ testimoniis, quibus probatur gratiam præcedere fidem, & quicquid aliud ad salutem pertinet, recurrisse ad euasionem Pelagij, abutentis nomine gratiæ, & per illud intelligentis naturale donum creationis, liberíque facultatem arbitrij, quam gratiam initialem appellabant, déque illâ, Scripturæ testimonia sibi obiecta intelligi volebant. Subiungit paulò pòst eos asseruisse *quantum quisque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum: parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appetentem gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta suscipiat.* Nimirum sicut naturæ viribus, sine ope gratiæ, satis potentes ad malum sumus, neque ad illud iuuamur per gratiam: ita & ad bonum saltem aliquod exiguum, in quo salutis initium constituebant. Ac sicut animus potest naturaliter ad malum se mouere; ita & ad bonum accedere. Sicut denique mala sectantem subsequitur iusta damnatio: ita bona appetentem subsequatur gratia Dei, quæ ipsum foueat, velut iusta remuneratio.

Addit eos tam vniuersaliter affirmasse gratiam 32.
subsequi merita humana, & propter illa dari, vt cùm vrgerentur exemplo paruulorum, quorum aliqui baptizantur ante mortem præmaturam, alij non; quamuis illi nihil boni fecerint, quo baptismi gratia donari mereantur; recurrerent ad ea, quæ facturi essent, si diutiùs viuerent. *Cùmque*, inquit, *inter hæc innumerabilium illis multitudo obiicitur paruulorum, qui vtique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur: vt ante discretionem boni ac mali de vsu vitæ istius auferendi: alij per regenerationem inter cœlestis regni assumantur heredes: alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales aiunt perdi, talésque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit.* Et inferiùs, rationem cur aliquibus adultis prædicetur Euangelium, & non aliis, vtrisque æqualiter immerentibus; petunt ex eo quòd Deus præscit quinam sint credituri naturæ viribus, si prædicetur: & ita concludit, *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*: præsuppositæ scilicet, vel in re ipsa, vel in Dei præscientia: vt confirmat paulò inferiùs subiungens: *Ac sic cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam: vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare qui saluat: & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.* Non poterat clariùs exprimere

doctrinam Semipelagianorum esse, quòd voluntas præueniat gratiam, & humana obedientia, sit causa cur illa à Deo præbeatur, ac denique salutis initium non ex Dei gratia, sed ex fide hominis naturali sit. Quod non minùs clarè affirmat, non multò pòst; hæc addens. *Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, principium salutis malè in homine collocatur, si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit; non ideo, quia adiuuatur, velit: si originaliter malus receptionem boni, non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur: si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donauerit: tribue nobis in hac causa Papa beatissime, pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro; vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire.* Huc vsque Prosper in ep. illa ad Aug.

33. *Idem testatur Hilarius.* Neque minùs perspicuè Hilarius in sua ad eundem epistola, testatur illum Massiliensium errorem fuisse, qualem diximus, & omnes Catholici ad Iansenium vsque docuerunt: Nam ipso ferè initio sic ait. *Hæc sunt itaque, quæ Massiliæ, vel aliis etiam in locis in Gallia ventilantur. Nouum & inutile esse prædicationi, quòd quidam secundùm propositum eligendi dicantur, vt id nec arripere valeant, nec tenere, nisi credendi voluntate donata &c. Consentiunt omnem hominem in Adam periisse; nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari. Sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cùm prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Ceterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendū quenquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant exterritâ & supplici voluntate vnumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur,* Crede & saluus eris, *vnum horum exigi asserunt, aliud offerri: vt propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id, quod offertur deinceps tribuatur. Vnde consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate Conditoris concessum est: & nullam ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat vel possit se velle sanari: propter quod, vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniatur.* Quibus verbis perspicuè significat voluisse Massilienses nos per fidem incipere naturæ viribus, gratiámque promereri: deberéque priùs velle sanari: vt eo merito, quo volumus, & credimus nos posse sanari, & ipsum fidei augmentum, & totius sanitatis nostræ consequamur effectum: ac denique per fidem, quæ à nobis exigitur, obtineamus gratiam, quæ à Deo offertur. Neque inde sequi gratiam non esse necessariam ad omne opus bonum: quia inter opera bona non est computanda fides & salutis initium: neque pars medicinæ est, quòd ægrotus velit sanari. Sic enim voluntariè restringebant nomen boni operis; vt eluderent definitionem Concilij Palæstini contra Pelagium, & argumenta Catholicorum, quibus conuincebant gratiam ad omnia & singula bona opera, quæ ad salutem vitæ æternæ pertinent, necessariam esse.

Propter quod addebant, vt refert Hilarius immediatè pòst; *Non negari gratiam si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat: non autem quidquam ipsa iam valeat. Nam illa testimonia, vt est illud, Sicut vnicuique partitus est mensuram fidei: & similia, ad id volunt valere, vt adiuuetur, qui cœperit velle; non vt etiam donetur vt velit.* Et aliquantò pòst dicit eos valde approbasse quod August. scripserat in quæst. contra Porphyrium, & in Comment. epist. ad Rom. cùm in errore Semipelagiano versaretur: *Non quidem Deus eligit opera, quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum sanctum, vt per caritatem bona operemur: sed tamen eligit fidē: quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum sanctum, per quem infusâ caritate bonum possit operari. Non ergo eligit Deus opera cuiusquā in præscientia, quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præscientia, vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Quare iuxta illorum doctrinam fides, secundùm quam eligimur, non donatur à Deo per gratiam, neque est donum Spiritus sancti: sed est causa cur Spiritus sanctus & gratia nobis donetur. Ad quod confirmandum addunt immediatè pòst, *Dicit enim Apostolus: Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus: Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus nostrum est: quod autem operamur, illius.* Addunt etiam, de hac fide non posse dici, *Quid habes, quod non accepisti?* Et aliquantò pòst: *Asserunt, inquit, inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere confitentur, vt hoc ipso, quòd ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit.* Ac denique addit eos voluisse discretionem electorum à reprobis, in hoc fidei, & bonæ voluntatis initio naturali fundari. 34.

SECTIO V.

Idem confirmatur testimoniis Patrum, qui Semipelagianos impugnarunt.

POTERANT quæ diximus, abundè sufficere ad persuadendum vel obstinatissimis, errorem Semipelagianorum non fuisse, qualem dicit mala fide Iansenius: sed qualem Scriptores Catholici huc vsque retulerant. Quia tamen res est magni momenti, hanc insignem eius imposturam Theologis iniuriosam, & Catholicæ fidei perniciosam refellere; quippe in qua totum Iansenianæ doctrinæ virus latet: operæpretium fuerit præcedentibus testimoniis luculentissimis addere alia eiusdem generis ex Augustino, Prospero & Fulgentio, qui Semipelagianis præcipuè restiterunt: & desumpta ex scriptis, quæ contra illos ex professo ediderunt. 35. *Probatur ampliùs ex Augustino.*

Augustinus ergo epist. 107. ad Vitalem Semipelagianum, postquam retulit eius sententiam de modo fidem concipiendi, audita prædicatione Euangelij, per solam videlicet facultatem arbitrij, quæ sufficiat ad acceptandam, vel respuendam veritatem propositam: dicit ipsum contradicere orationibus, quas Ecclesia 36. *Iansenius lib. 7. cap. 4. hunc Vitalem numerat inter præcursores Semipelagianorum.*

fundit pro infidelibus vt Deus eos conuertat ad fidem. *Quomodo dicis*, inquit, *quod te audio dicere, vt rectè credamus in Deum & Euangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse?* &c. *Quæ si dicis, profectò nostris orationibus contradicis. Dic ergo apertissimè, nos pro iis, quibus Euangelium prædicamus, non debere orare, vt credant; sed eis tantummodo prædicare. Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas; & quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem, & pro catechumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus vt in eo, quod esse cœperunt, eius munere perseuerent: subsanna pias voces; & dic te non facere, quod hortatur; id est, Deum pro infidelibus, vt eos fideles faciat, non rogare: eo quòd non sint ista diuinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis.* Et paulò pòst ad hunc errorem refutandum adducens, quod dicitur Psal 36. *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*, sic ex illo argumentatur. *Non dixit, Et viam eius discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid huiusmodi, quod posses dicere à Domino quidem dari, sed homini iam volenti, vt scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, vt viam eius discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente sua voluntate mereatur. Sed ideo dixit. A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet, vt intelligeremus ipsam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere, quoniam Dei via, quid est nisi fides recta? illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitùs, vt velimus. Non enim ait Scriptura, A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam eius voluit: sed diriguntur, inquit, & volet. Non igitur, quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur volet.* Posteáque refutans, quod ille dicebat, sufficere ad credendum prædicationem Euangelij, nec esse opus gratiâ internâ, quâ Deus iuuet, & inspiret fidem; subiungit: *Si enim quod scriptum est, A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet: &, Præparatur voluntas à Domino: &, Deus est enim, qui operatur in nobis & velle: & multa huiusmodi, quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundùm merita nostra datur, sed dat merita ipsa, cùm datur, quia præuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cuiusquam inuenit in corde, sed facit. Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suam, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta sic eius ageret sensum, vt eidem legi, atque doctrinæ accommodaret assensum; proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, vt Deus ad fidem suam infidelium corda conuerteret, & conuersis proficientem perseuerantiam eiusdem gratiæ suæ largitate donaret.*
37. Et denique post multa eiusdem generis, nam tota illa epistola valde prolixa in hoc vno errore confutando versatur. *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam*, inquit, *sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam; quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam. Propterea Deus vt omnia futura opera sua in prædestinatione præsciuerit, sic illa disposuit, vt quosdam non credentes, ad fidem suam, orationes credentium pro eis exaudiendo conuertat: vnde refutentur, & si ille est eis propitius, corrigantur, qui putant gratiam Dei esse naturam liberi arbitrij, cum qua nascimur; aut gratiam Dei esse doctrinam quamuis vtilem, quæ per linguas & literas prædicatur. Non enim hoc oramus pro infidelibus, vt fiat eorum natura, id est, vt homines sint, aut vt doctrina eius prædicetur, quam malo suo audiunt, si non credunt: & plerumque pro eis oramus, qui cùm legant, vel audiant, nolunt credere: sed oramus vt voluntas corrigatur, doctrina consentiatur, natura sanetur.*

Idem S.Doctor libro de Prædest. Sanctorum, 38.
quem rogatu Prosperi & Hilarij scripsit ad refellendos errores Massiliensium, postquam dixit capite primo illos à Pelagio in eo dissentire, quòd admitterent peccatum originale, & necessitatem gratiæ præuenientis ad omne opus bonum: siue incipiendum, siue perficiendum: incipit capite secundò refellere, quod illi dicebant, aliter de ipsa fide sentiendum esse: quippe quam, vt suprà notauimus, nomine boni operis non comprehendebant. *Prius itaque fidem, qua Christiani sumus*, inquit, *donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentiùs id facere possimus, quàm in voluminibus tot tantisque iam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui diuina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, vt nouerimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis.* Non poterat clariùs exprimere sententiam Massiliensium esse qualem asserimus. Posteáque ostendit hanc illorum assertionem pertinere ad errorem Pelagij damnatum in Concilio Palæstino, quo dicebat gratiam secundùm merita nostra dari: *Si non pertineat*, inquit, *ad Dei gratiam, quòd credere cœpimus: sed illud potiùs, quod propter hoc nobis additur, vt pleniùs perfectiùsque credamus: ac per hoc initium fidei nostræ, priores damus Deo, vt retribuatur nobis & supplementum eius, & si quid aliud fideliter poscimus. Sed contra hæc cur non potiùs audimus: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia? Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto ex ipso sunt cetera: sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo, in quem credidit nihil mereri? Vnde fit vt iam merenti, cetera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnauit.* Et aliquantò pòst. *Porro*, inquit; *si operatur Deus fidem nostram* (iuxta illud Apostoli, quod ad id probandum paulò antè adduxit ex secundæ Corinth. tertio, *Non quod simus sufficientes &c.* & Philippens. 1. Vobis donatum est pro Christo non solùm vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo) *miro modo agens in cordibus nostris vt credamus: numquid metuendum est, ne totum facere non possit: & ideo homo primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur? videte si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim credenti, vt à Domino ip-*

sa fides augeatur, & fit merces fidei cœpta, fides aucta.

39. Eodémque capite probat non solùm fidem, sed etiam piam cogitationem, quæ illam præcedit, haberi per Dei gratiam: & denique magnam partem illius libri in hoc probandum impendit, quòd initium fidei non sit ex solis naturæ viribus, sine auxilio gratiæ. Falsò autem supponeret Massilienses contrarium sensisse, si, vt ait Iansenius, existimassent non posse haberi sine auxilio gratiæ repudiabilis. Et si ita esset, incumbendum erat Augustino, vt probaret tale genus gratiæ non sufficere, sed planè opus esse gratiâ necessitante: cuius tamen nullam penitùs mentionem facit, neque aliud probant eius argumenta, siue ex Scriptura, siue aliunde petita, quàm fidem esse donum Dei, & ad illam concipiendam requiri opem diuinæ gratiæ: cuius scilicet contrarium affirmabant Semipelagiani.

40. *Et ex Prospero.* Eundémque fuisse illorum errorem perspicuè docet Prosper libro contra Collatorem, pluribus locis, & præcipuè capite 40. vbi dicit illorum definitionem & doctrinam esse *quòd possit, qui voluerit, indicio naturali Dei gratiam præuenire, & adiutorium eius, quo faciliùs ad perfectionem perueniat, promereri; quia nullius sit laudis, ac meriti, qui donatis bonis, non propriis adornatur. Cauendum quoque esse, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura, cùm tanta sit virium eius integritas, vt contra ipsum diabolum, sæuitiámque eius vsque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei valeat dimicare.* Et lib. Responsionum ad Excerpta Genuensium, respondens tribus prioribus dubiis circa doctrinam Augustini, retractantis errorē Semipelagianum, quem ante susceptum Episcopatum tenuerat, vt ipsemet ait libro de Prædest. Sanct. cap. 3. sic habet: *Si consideremus Pelagiana argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere quàm vt videatur gratia Dei secundùm merita nostra dari, vt in eo ipso in quo gratiam necessariam confitetur, meritis eam humanæ voluntatis eneruet? Quam peruersitatem omnino incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere: aut ideò eam se iactitat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilē inseruit libertatem, per quam vnusquisq; & credere, & nō credere in sua habet potestate, & de hoc naturali bono, qui nullis præcedentibus meritis, cùm crearetur accepit, cetera dona mereatur.* Et inferiùs, dubio quinto respondens, dicit eos qui ita sentiunt, dicere: *Fides per quam iustificor, ex me est: & hoc bonum ex quo iustus viuit, non accepi per gratiam, sed habeo per naturam. Si ergo fides donum Dei non est, frustra & Ecclesia pro non credentibus orat vt credant, & sufficit impiis magisterium legis adhiberi: de qua dictum est: Si ex lege est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: quod similiter dici potest etiam de natura.*

41. *Et ex Fulgentio.* Denique Fulgentius non alio sensu intellexit sententiam Semipelagianorum: vt patet ex eius libro de Incarnatione & gratia Iesu Christi, capite 18. vbi refutans hanc illorum propositionem, *Meum est velle credere, Dei autem gratia est adiuuare:* sic ait: *Si secundùm opinionem illorum, nostrum est velle credere, priusquam nos Dei gratia incipiat adiuuare: iniustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bona retribuitur voluntati.* Et præcedenti capite dixerat, eos, qui sic loquuntur & sentiunt, *malè gratiam Dei suæ postponere voluntati, cùm ista bona esse non possit, si illa defuerit.* Quibus postremis verbis manifestè significat existimasse Semipelagianos illam credendi voluntatem haberi sine Dei gratia, illámque præuenire. Idque confirmant argumenta, quibus deinceps hunc errorem confutat. Nimirum quia non esset verum, quod dicitur Psal. 36. *A Domino gressus hominis diriguntur:* & quod ait Salomon, *Præparatur voluntas à Domino.* Quibus verbis, inquit, cordis humilitas admonetur diuinis eloquiis, cùm principaliter ipsa bona voluntas, quâ incipimus velle credere, à Domino præparari demonstratur ac dirigi. Item quia si hanc bonam voluntatem (sicut illi volunt) gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit: nos priores Deo voluntatem damus: atque ita gratiam non miserationi tribuimus, sed æquitate Dei retribuentis accipimus: contrà quàm ait Apostolus *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Tertiò, inquit, misericordia Dei non aliquando præuenit hominem, si nunquam bonam facit, sed expectat vt inueniat voluntatem. Cuius contrarium Scriptura docet, cùm ait Psal. 58. *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* Et Paulus de seipso confirmat 1. Timoth. 1. dicens, *Qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Quomodo ergo aliquam credendi voluntatem ex seipso Paulus habere poterat, qui blasphemum se, & persecutorem, & contumeliosum cæcus atque incredulus ignorabat?* Et paulò pòst, *Cùm ergo*, inquit, *Paulus esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, non ideo est adiutus Dei gratiâ, quia credere voluit; sed vt credere vellet, donum gratiæ præuenientis accepit, quæ in eius voluntate non aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sæuitiam, contumelias, & ignorantiam in incredulitate reperit.* Eiusdem generis sunt alia pleraq; argumenta, quæ sequentibus capitibus addit, semper supponens, vt aliquam vim habeant, bonam illam voluntatem, & initium salutis haberi sine Dei gratia præueniente: alioqui enim manifestè falsum est eos sensisse gressus nostros à Deo non dirigi, & voluntatem non à Domino præparari principaliter: & misericordiam Dei non præuenire, nec facere bonam voluntatem, sed inuenire: & nos priores Deo voluntatem dare: atque ita gratiam non miseratione, sed æquitate Dei retribuentis accipere.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta contraria.

Atque ex his tam multis, támque perspicuis Conciliorum & Sanctorum Patrum testimoniis facilè intelligitur, quàm sit à vero alienum, quod ait Iansenius, errorem Massiliensium à sanctis Patribus impugnatum, & ab Ecclesia damnatum, in eo positum fuisse, quòd vellent fidem, & initium salutis à nobis esse, non solis naturæ viribus, sed cum auxilio gratiæ repudiabilis, id est, cui voluntas ita consentit, vt possit dissentire: atque in eodem er- 42. *Impostura Iansenij.*

rore versari, eidémque damnationi subiectos esse Theologos, qui tam ad initium salutis, quàm ad progressum, & perfectionem docent talem gratiam sufficere, cum Tridentino, sess. 6. cap. 5. & can. 4. gratiámque necessitantem, tanquam Lutheranam & Caluinianam reiiciűt. Enimuerò, si non fuit sententia Semipelagianorum de initio salutis, qualem diximus, & tot támque luculentis testimoniis demonstrauimus, dicendum est, vel Patres & Concilia non eam intellexisse, vel malitiosè illis hæreticis imposuisse, cùm centies affirmarunt eos tale initium non Deo, eiúsque gratiæ, sed naturæ tribuere: velléque gratiam non præuenire, vt tale initium habeatur, sed subsequi: nos priores dare Deo bonam voluntatem, & ab ipso gratiam in retributionem accipere. Quis autem sanæ mentis non potiùs sibi persuadeat falli Iansenium, aut fallere meditari, quàm illum solum inter Catholicos vidisse id quod tota Ecclesia hactenus ignorauerit: quódque primus ipse posthabitis tam multis adeo certis, & euidentibus testimoniis, per consequentias nescio quas, & malè fundatas suppositiones in lucem eduxerit? Quasi verò D. Aug. aliisque Patribus suprà citatis, aut defuerit vis intelligendi, quâ verum sensum Massiliensium penetrarent; aut verba, quibus nitidè illum exprimerent, aut bona fides, quâ sincerè illum referrent. Nullus opinor tam malè de illis sentiet, vt à Iansenio suspicionem imposturæ remoueat. Quomodo autem de sententiis veterum hæreticorum rectè iudicari poterit, si neque ex verbis, quibus referuntur à sanctis Patribus eorum contemporaneis, aliisque Scriptoribus Catholicis, neque ex ipsismet eorum scriptis, aut dictis, de illis iudicandum est; sed ex longo & perplexo ratiocinationum flexu, qui post mille annos vni Iansenio inter Catholicos in mentem venerit?

43. *Soluitur primum argumentum Iansenij.* Ad cuius primum argumentum, numero 23. propositum, respondeo 1. non esse opus tanto verborum circuitu, & tam multarum illationum deductione, in quæstione facti, cuius veritas tot euidentibus testimoniis comperta est. 2. Malè ab ipso supponi, distinctionem inter gratiam primi hominis in statu innocentiæ, & eam, quæ datur in statu naturæ lapsæ, talem esse, vt ista necessitet voluntatem ad consensum; illa non. Hoc enim falsum esse ostendemus alibi, disputando de gratia efficaci. 3. Malè quoque supponit Massilienses credidisse Adamum in statu innocentiæ indiguisse gratia actuali & interna, vt crederet, & initium saluti suæ daret. Nullum enim profert testimonium, quo probetur ipsos de fide initiali primi parentis ita sensisse. Quódque ad id probandum præcipuè opponit ex Prospero in Carmine de Ingratis, dicente eorum sententiam fuisse quòd gratia Adamum volentem iuuaret, hoc est, vt ipse interpretatur, liberè vtẽtem gratia præueniente, & consentientem ex libertate indifferentiæ: hoc, inquam, nullius est momenti, cùm manifestè liqueat Massilienses eo loquẽdi modo, *quod Deus iuuet volentes*, intellexisse, priùs hominem velle iuuari, eáque voluntate obtinere gratiam, quâ iuuetur ad progrediendum vlteriùs: priúsque petere, quærere, pulsare, quàm accipiat, inueniat, introeat: vt patet ex testimoniis relatis tota sect. 4. & 5. præcipuè num. 27. & 28.

Vide disp. 21. sect. 2. & seq.

Augustinus verò, & Prosper, & Hilarius locis ab aduersario relatis cap. 6. docent quidem Adamum opus habuisse gratia ad omnem bonam voluntatem, & actionem: sed non affirmant Massilienses in eadem sententia fuisse. Neque enim satis id probant verba ista epistolæ Hilarij ad Augustinum, sic scribentis de Massiliensibus: *Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, sine qua perseuerare non poterat: hos autem amissis, & perditis viribus, credentes tantùm, non solùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat ambulantes.* Non enim sensus horum verborum est, vt vult Iansenius, potuisse Adamum in statu innocentiæ perseuerare cum auxilio gratiæ repudiabilis, quæ tunc propter naturæ integritatem illi sufficiebat: nunc autem propter aliquas integritatis illius reliquias posse quidem credere cum tali adiutorio, sed non posse progredi & perseuerare; ad hoc enim requiri gratiam necessitantem, quæ prostratum erigat & fulciat ambulantem. Primò enim, malè Iansenius hæc postrema eorum verba interpretatur de auxilio necessitante: quasi verò prostratus non possit erigi, aut ambulans fulciri manu alterius, aut scipione, quibus possit non vti, si velit. Secundò, malè cohæret hæc interpretatio cum eo, quod idem Iansenius sæpius affirmat lib. 7. & 8. de hæresi Pelagiana, Massilienses abhorruisse à gratia necessitante, veluti fatalem necessitatem inducente, libertatem perimente, prædicationem, exhortationem, & correptionem inutilem reddente, meriti rationem tollente, &c. 3. Eadem interpretatio repugnat euidenter verbis Hilarij immediatè sequentibus, *Ceterum quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate contendunt: quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non possint.* Quibus verbis testatur Hilarius noluisse Massilienses tale nunc dari auxilium ad perseuerandum, vt voluntatem necessitet, ita vt cum illo non possit nisi perseuerare. 44.

45. *Diluitur secundum.* Ad secundum argumentum, propositum capite 7. eiusdem libri 8. de hæresi Pelagiana, respondeo malè supponi à Iansenio Gennadium locutum esse ex sententia Semipelagianorum locis ab eo relatis, quando dixit: *Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione.* Et inferiùs: *Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris.* Nam licèt Gennadius fauerit Semipelagianis, & in libro de viris illustribus Cassiani & Fausti opera nimis laudarit, Prosperúmque & alios eorum impugnatores depresserit: non tamen in omnibus cum illis consensit: Neque iudicandum est aliquod dogma esse Semipelagianum, quia Gennadius illud tenuit: sed è contrario, probandum est aliunde tale dogma esse Semipelagianum, vt inde concludatur Gennadium ita sentientem conuenisse cum Semipelagianis. Nullus certè antiquorum damnauit

Gennad. lib. de Ecclesiast. dogmat.

erroris, vllave censura notauit, quæ ex Gennadio retulit aduersarius. Et quandiu valebit apud Catholicos Scripturæ & Patrum auctoritas, Concilijque Tridentini expressa definitio: tandiu certum erit inspirationem diuinam, & auxilium gratiæ quo præuenimur, & iuuamur ad credendum, & bene operandum tale esse, vt voluntas liberè illi consentiat, & cooperetur, possitque dissentire, si velit. Præterea quod addunt alij, dubitare plerosque, sitne verè Gennadij liber de Ecclesiasticis dogmatibus, ex quo suum istud argumentum deprompsit aduersarius: & neminem veterum vllum errorem contra gratiam in eo libro notasse.

Satisfit tertio argumento. Ad tertium respondeo, primum locum Cassiani relatum ex Collat. 3. cap. 4. & 12. non loqui de fide initiali, siue de exordio salutis; sed de aliis, quæ in progressu fiunt, de quibus dicit: Inspirationes diuinas in cor immitti, quibus occasionibus nostrum sit enixiùs, vel remissiùs famulari. Loquitur enim de vocatione ad vitam religiosam, & rerum omnium temporalium abrenunciationem, exemplo Abrahæ exeuntis de terra sua, & de cognatione sua: vt patet ex cap. 3. & 10. Neque obstat, quod ait initio cap. 12. *Si in omni opere &c.* Nam, vt alibi diximus, nomine operis boni, non comprehendebant Semipelagiani initium salutis. Et interrogatio Germani, proposita capite 11. cui postea respondet Paphnutius toto illo capite 12. non est de initio salutis, sed de iis, quæ ad perfectionem pertinent: *In quo ergo*, inquit, *liberum consistit arbitrium, nostraque quòd laudabiles sumus reputatur industria, si Deus in nobis omnia, quæ ad nostram perfectionem pertinent, & incipit, & consummat?*

46. Quando autem Collat. 13. probat ex libro Pastoris, *adiacere homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, vt inter duos angelos sibi adhærentes constitutus, diuersis suasionibus vtrinque pulsetur. In hominis verò optione consistere, vt eligat, quem sequatur. Et idcirco manere in homine liberum arbitrium, quod gratiam Dei possit negligere; vel amare.* Loquitur similiter non de initio, sed de incremento, & perfectione. Sic enim habet locus integer, prout refertur à Prospero libro contra Collatorem capite vicesimo-septimo. *Dubitari non potest inesse quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta, sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire. Quia secundùm Beatum Apostolum, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Adiacere autem homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertissimè docet, in quo duo Angeli vnicuique nostrûm adhærere dicuntur,* &c. vt suprà. Quòd enim Cassianus hæc ita intelligat, vt velit ex huiusmodi seminibus prodire naturaliter aliquid boni sine ope gratiæ, quæ tantùm necessaria sit ad incrementum & perfectionem, docet Prosper ibidem his verbis: *Qui ergo dicit sine vllo opere gratiæ naturaliter omni animæ semina inesse virtutum, quid laborat ostendere, nisi de istis seminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum? Denique vt videretur aliquid gratiæ tribuisse, ad perfectionis, ait, incrementum, semina hæc peruenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excitata: vt scilicet opitulatio Dei sit cohortatio, atque doctrina: mens autem, quæ virtutum est opulenta seminibus, vtatur facultate, quam possidet, ad hoc tantùm iuuanda, vt earum virtutum apprehendat culmina, quarum sibi scit inesse principia. Igitur secundùm istum, humana anima sic ædificabitur in templum Dei, vt non accipiat fundamentum, præter quod aliud nemo potest ponere, quod est Christus Iesus: quando autem hoc fundamentum incipitur, nisi quando fides in audientis corde generatur? Quæ si naturaliter inerat, non cœptum ibi est aliquid, sed superinstructum &c.* In quibus verbis notandum est etiam, quod ait Prosper, *vt scilicet opitulatio Dei sit cohortatio, atque doctrina:* significans, Cassianum per gratiam illam necessariam ad incrementum, & perfectionem, non intelligere auxilium internum immediatè mouens, & iuuans voluntatem: sed ad summum, præter externam cohortationem, atque doctrinam, interiorem mentis illustrationem, quam nomine doctrinæ comprehendebant, vt alibi notauimus. Propter quod etiam volebant gratiam non alio fungi officio, quàm magistri, docentis scilicet, quid agendum, aut cauendum sit: vt idem Prosper ait in Epistola de libero arbitrio ad Ruffinum.

Quod autem addit Prosper, opponitque Iansenius, Cassianum dixisse, *Inter boni & mali contrarias suasiones naturali iudicio, & propria discretioni hominem esse commissum: vt ei non plus à Deo præsidij, quàm à diabolo sit periculi:* exponitur ab eodem Prospero capite 32. vbi refert Cassianum dicentem Iob eatenus adiutum Dei gratia fuisse, quatenus non maiorem diabolo eum tentandi potestatem dedit, quàm ipse haberet virtutis ad resistendum. Ita scilicet, vt non eum iuuerit Deus interno aliquo auxilio, ne quidem ex parte intellectus: sed tantùm externa protectione, impediens dæmonem ne magis sæuiret: *Ne*, inquit, *violentissimus inimicus animam eius amentem faciens, & impotentem sensu, impari eum, atque iniquo certaminis pondere prægrauaret.* Itaque verborum illorum, *non plus à Deo præsidij* &c. sensus est, Deum non plus dæmoni permittere, quàm ferre possimus & vincere. Et capite 34. addit Iobum ex sententia Cassiani tantâ liberi arbitrij potentiâ præditum fuisse, vt ipsius quoque corporis ineffabiles cruciatus (vltra amissionem bonorum, & liberorum) *proposito nudæ voluntatis euicerit.* Ac post multa in eandem sententiam hæc addit cap. 35. *Quòd autem dicis, gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendam non penitus recessisse; quòd tentatori eius tantam Deus tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem: nónne rectiùs; veraciùsque loquereris, si vbi dixisti, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, diceres potiùs, quantam & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem? Vnius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliquâ temperasset; vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia & Dei adiutorio, & libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris à Deo datam esse virtutem. Itaque conflictus illius, atque victoria non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectato-* 47. *Exponuntur alia Cassiani loca.*

rem: vt cui persuadere poteris per naturalem arbitrij facultatem tam arduum certamen euictum, dubitare non audeat, in leuioribus causis multò liberiores esse bonæ voluntatis effectus: atque ita in illius damnatæ sententia foueam cadat, quâ dicitur, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, faciliùs possimus implere per gratiam; tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata. Vel igitur mentem Cassiani malè Prosper intellexit, vel hæc Iobi victoria, iuxta illius sententiam, sine ope gratiæ internæ fuit obtenta. Et quamuis non ita esset, nihil id faceret ad probandum, quod intendit aduersarius, credidisse Massilienses, & præcipuè Cassianum eorum principem, gratiam internam actualem necessariam esse ad initium salutis. Neque enim illa victoria fuit initium salutis Iob, quem Scriptura testatur iustum antea, & Deo gratum fuisse.

48. *Soluitur quartũ argumentum.* Ad quartum respondeo, quibusnam in locis, & quo sensu errauerit Diuus Augustinus cum Semipelagianis, dicens fidem esse ex nobis, non posse meliùs cognosci, quàm ex ipsomet Augustino, loca illa indicante, & errorem suum agnoscente libro de Prædest. Sanctorum, capite tertio: & libro primo Retract. capite vicesimo tertio, & ex epistolis Prosperi & Hilarij, quibus significant eadem loca fuisse à Semipelagianis laudata, & approbata, tanquam suæ doctrinæ consentanea. Loca autem illa habentur in quæstionibus contra Porphyrium, & in expositione epistolæ ad Romanos. Et quo sensu in illis errauerit, sic ipsemet exponit capite tertio lib. de Prædestinatione Sanctorum, vbi dicit se præcipuè conuictum fuisse his Pauli verbis, *Quid habes quod non accepisti?* cùm similiter ac Semipelagiani, erraret *putans fidem, quâ in Deum credimus non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam Dei gratiâ preueniri, vt per illam nobis daretur, quod posceremus vtiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar.* Quibus ex verbis perspicuum est, errorem Diui Augustini sentientis cum Semipelagianis, in eo positum fuisse, quòd vellet fidem non esse ex gratia Dei præueniente, nisi quatenus debet eam præcedere prædicatio veritatis à Deo reuelatæ, cui de cetero possimus assentiri naturæ viribus.

49. Quod confirmat libro primo Retract. capite vicesimo-tertio, vbi eundem suum errorem ita retractat: *Disputans* (in exposit. epist. ad Rom.) *quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit seruiturum esse maiorem: & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauerit, &c. ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem, Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est: sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ; de qua idem dicit Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, quæ vtique non est gratia, si eam merita vlla præcedant, ne iam, quod datur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, reddatur potius meritis, quàm donetur. Proinde, quod continuò dixi: Dicit enim idem Apostolus: Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus: Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subiunxi, Quòd ergo credimus nostrum est: quòd autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum: Profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per Spiritum fidei & caritatis &c. Et quod paulò pòst dixi, Nostrum est enim credere & velle; illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem, sed eâdem regulâ, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem: & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Vides hîc quoque Diuum Augustinum errorem suum in eo ponere, quòd dixerit fidem non esse donum Dei, neque haberi per gratiam Dei præuenientem, sed illam præuenire & mereri. Neque obest, quod addit immediatè pòst de vocatione: potest enim ac debet intelligi de vocatione externa per præconium veritatis, vt paulò antè dixit verbis relatis ex libro de Prædest. Sanct.

Quare frustra laborauit Iansenius in indagando eius sensu ex aliis operibus, scriptis ante Episcopatum; quasi verò constanter & vbique senserit cum Semipelagianis, quotiescunque de fide & initio salutis mentionem fecit. Præsertim cùm neque Semipelagiani loca illa à Iansenio citata, sibi fauere dixerint: neque Diuus Augustinus vnquam illa retractauerit; neque vel leuiter significauerit se errasse, quando dixit fidem esse ex gratia præueniente, consentiente libero voluntatis arbitrio, cum potestate dissentiendi: sed è contrario disertè affirmauerit in libris etiam, quos Episcopus scripsit, atque etiam, quos contra Pelagianos exarauit, gratiam, quâ vocamur, & iuuamur siue ad credendum, siue ad bene operandum, talem esse, vt liberam consentiendi, vel dissentiendi potestatem relinquat. Sic enim docet libro de spiritu & litera scripto contra Pelagianos, capite 34. *Misericordia Dei præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis est.* Et libro de natura & gratia, capite 65. approbat tanquam certissimum, notissimúmque quod dixerat Hieronymus, *Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur &c.* Plura his similia eiusdem loca retulimus disput. 7. sect. sexta & septima. 50.

Sed & pleraque ex locis à Iansenio prolatis non satis probant quod intendit, Augustinum scilicet ante Episcopatum docuisse fidem non esse ex nobis, sine auxilio gratiæ internæ præuenientis. Nam in primo, quem produxit ex lib. 83. quæstionum disiunctiuè loquitur dicens, *Nec quemquam velle posse nisi admonitum,* 51.

tum, & vocatum, siue intrinsecùs vbi nullus hominum videt, siue extrinsecùs per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia &c. In secundo ex libro de Quantitate animæ, loquitur tantùm de adiutorio in genere. In tertio, sumpto ex libro de Vita beata, solùm dicit, admonitionem quandam, quæ nobiscum agit vt Deum recordemur, vt eum quæramus, vt eum pulso omni fastidio sitiamus; de ipso ad nos fonte veritatis emanare: qualis autem sit hæc admonitio interna, vel externa non exponit: neque vtrum specialiter ad primam inquisitionem, & initium salutis necessaria sit. In quarto, desumpto ex Soliloquiis, non aliud affirmat Augustinus, nisi quòd Deus nos conuertat, & fidem donet: vtrum autem id faciat per præconium veritatis, an per internum auxilium non distinguit: nec vtrum loquatur de fide initiali, vel potiùs de augmento fidei: addit enim immediatè pòst, Auge in me fidem &c. lib. 1. capite 1. in fine.

52. *Quintum diluitur.* Ad quintum, & vltimum quod opponit cap. 11. iam alibi respondimus, Massilienses æquè ac Pelagianos existimasse Deum non posse sine vitio acceptionis personarum, dona sua distribuere, & vni gratiam dare, non alteri, sine aliquo præuio naturali merito, aut demerito, vel reipsa præexistente, vel absolutè aut conditionatè præuiso. Vnde censebant, æquè ac Pelagius, gratiam secundùm merita nostra dari, vt ostendit Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum, capite secundo. Cur autem fatalem necessitatem, aliáque incommoda in argumento commemorata, sæpiúsque à Iansenio repetita, crederent sequi ex doctrina sancti Augustini de gratia, eiúsque necessitate ad omnem bonam voluntatem, & actionem, diximus suprà disputat. 7. sect. 7. num. 71. & sect. 9. num. 91. & seqq.

Iansenius sibimet aduersatur. Quod denique addit eodem cap. 11. & in quo præcipuè vim facit, cardinem totius controuersiæ inter Augustinum & Massilienses fuisse, vter salutem inchoet homo, an Deus, ipsi potiùs obest. Frustra enim hac de re fuisset cum illis contentio, si credidissent, neque fidem, neque vllum bonum voluntatis motum, aut opus esse posse sine præueniente Dei gratia. Nam hoc posito euidens est non hominem, sed Deum inchoare salutem. Euidentérque falsum erit, quod ait Prosper, verbis à Iansenio relatis ex epist. ad August. *Cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam, vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare, qui saluat, & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.* Neque enim prior est obedientia hominis quàm gratia, iuxta Massilienses, si volebant obedientiam præstari non posse, nisi præueniente gratia. Neque initium salutis est ex eo qui saluatur, si necessarium est, vt ad ipsum initium gratia saluantis præcedat, neque voluntas humana gratiam sibi parit, sed ab illa paritur, & præuenitur, ac præparatur, atque mouetur ad consensum, quæ illam sibi subiicit, non quidem necessitando vt vult Iansenius cum Luthero, & Caluino: sed ad consentiendum, & obediendum ita præmouendo, vt possit tamen resistere ac dissentire, si velit, iuxta definitionem Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. Estque notandum duplicem esse subiectionem. Vnam, quæ fit ex necessitate: sicut inter causas necessarias, infirmiores subiiciuntur potentioribus. Alteram quæ fit ex liberâ voluntate: vt cùm homines alij aliis se sponte subiiciunt, vt eorum voluntati, & imperio obsequantur. Sic etiam orator dicitur animos, & voluntates auditorum sibi subiicere, quando vi eloquentiæ, & rationum momentis, eorum affectus ita mouet, vt persuadeat quidquid vult. Et quidquid dicat Iansenius ipsi etiam habitus boni vel mali dicuntur sibi subiicere voluntatem, quando illam vehementer inclinant, tametsi liberè consentiat.

Falsum quoque erit, quod addit Prosper paulò pòst. In eo latere virulentiam illius erroris, quòd principium salutis in homine collocatur; quódque diuinæ voluntati, voluntas humana præfertur; quòd non ideo, quia adiuuatur homo velit; quòd receptionem boni à semetipso inchoare creditur; quòd aliúde Deo placetur, nisi ex eo quòd ipse donauerit. Namè contrario salutis initium præuenienti gratiæ Dei tribuitur, & eadem voluntati humiliter eam sequenti, & obedienti præfertur: & vult homo quia adiuuatur vt velit, & boni receptio, non ab illius virtute naturali sine Dei gratia præueniente & iuuante inchoatur: neque placetur Deo nisi ex eo, quod eius gratia donauerit: nec denique solus homo seipsum discernit propriis viribus, sed cum Dei gratiâ ad sui discretionem cooperatur: iuxta illud Apostoli, Non ego, sed gratia Dei mecum: vnde nihil habet, quod non acceperit: neque gloriari potest, quasi non acceperit, vt alibi dicit idem Apostolus. Quomodo autem non solùm potentia volendi, sed & ipsa volitio, donetur à Deo per gratiam præuenientem, & concomitantem, cui tamen liberè voluntas cooperetur, possítque non cooperari si velit, tametsi posse & velle differant, nec velit, quicunque potest, exposuimus alibi disput. 7. sect. 9. num. 87. & seqq. & iterum exponemus inferiùs vbi de gratia efficaci disputabitur: sæpius enim hunc lapidem voluit, & reuoluit Iansenius.

SECTIO VII.

Quibus operibus naturalibus tribuerint Semipelagiani vim merendi gratiam: & quid intellexerint nomine gratiæ respondentis tali merito.

CIRCA primum: Constat ex dictis, Massilienses per initium salutis, & ea, quæ liberi arbitrij viribus fieri, gratiámque promereri volebant, intellexisse 1. Voluntatem credendi seu pium credulitatis affectum; ipsámque fidem: vt testatur Hilarius in Epist. ad Aug. vbi de illis sic ait: *Consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius natura id voluntate conditoris concessum est.* Ibidémque addit Hilarius eos negasse donari nobis credendi voluntatem: & talem omnibus remansisse voluntatem, *quà vel contemnere quis valeat, vel obedire*, Veritati scilicet & Euangelio. 2. Desiderium salutis, & opitulationis medici: vt patet ex Cassiani verbis Collat. 13. affir- 53. *Intelligebāt per initium salutis voluntatem credendi & fidem.* *Et desiderium salutis.*

mantis congruum esse, vt quando salus animæ à Christo Saluatore restauranda prædicatur, saltem possint per naturalem libertatem *credere, quæ de medico prædicantur, desiderare sanitatem, & eius auxilium flagitare.* Et Hilarius ferè initio epistolæ citatæ, *Consentiunt,* inquit, *omnem hominem in Adam periisse, nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari: sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cùm prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis, annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Et paulò pòst: *Nullam ita deprauatam, vel extinctam naturam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari.*

54\. *Et orationem ac solicitudinem petēdi, quærendi, pulsandi.* Tertiò, eòdem pertinere dicebant orationem, quâ suppliciter opitulatio medici, & sanitas postularetur: diligentiámque & solicitudinem in petendo, quærendo, pulsando: vt docet Augustinus libro de Bono perseuerantiæ, capite vicesimo tertio de illis sic loquens: *Attendant quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, vt petamus, quæramus, pulsemus.* Et Prosper in epistola ad Augustinum, refert eos dixisse, *Posse hominem ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, peruenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, pulsando, &c.* Addebant quartò, pios aliquos affectus, prædicationis occasione excitatos: vt timorem pœnarum, quibus Deus peccata vlciscitur; & dolorem de peccatis commissis, déque peccandi periculis ac difficultate ea vitandi: desiderium bene viuendi, & incumbendi virtutum officiis ad salutem necessariis. Vt de timore testatur Hilarius epistola citata referens eos naturæ viribus tribuere quòd *exterrita supplici voluntate, vnusquisque ægrotus velit sanari.* Et longè pòst de timore simul ac dolore, sic eos loquentes inducit: *Quo pertinet tanta extrinsecùs correptionis instantia, si ab homine, etsi non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonstratæ mortis horretur? Nam si non potest timere quis vnde terretur, nisi ea voluntate, quæ sumitur: non ex eo culpandus, quòd nunc non vult, sed in eo, & cum eo, qui sic aliquando noluit, vt eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, vt nunquam recta, semper autem praua vellet appetere. Si autem est qualiscunque dolor: qui ad exhortationem corripientis oriatur, hanc ipsam dicunt causam propter quam vel reiiciatur alius, vel alius assumatur.* Denique de desiderio & solicitudine bene viuendi, quam etiam deuotionis nomine solebant appellare, patet ex Cassiano Collat. 13. capite nono sic dicente: *Vt autem euidentiùs clareat etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possunt, Apostolus testis est dicens: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.*

Et aliquos pios affectus.

55\. Vnde non solùm ita sentiebant de desiderio bene viuendi in genere: sed etiam specialiter de voluntate saltem imperfecta & inefficaci viuendi iustè, fortiter, temperatè, & exercendi singillatim virtutum officia ad salutem necessaria. Quin etiam Cassianus & Faustus tribuunt interdum solis naturæ viribus efficaces quosdam actus virtutum heroïcarum: vt obedientiam Abrahæ ad filium immolandum, patientiam & victoriam Iob &c. Estque obseruandum id, quod rectè notauit Petauius tom. 3. Dogmatum Theologicorum, lib. de hæresi Pelagiana & Semipelag. cap. 7. agnoscitque Iansenius lib. 7. de eadem cap. 2. & 3. & lib. 8. cap. 13. aliisque locis: non idem sensisse omnes Semipelagianos hac in parte, sed alios aliis grauiùs errasse. Quidam enim, quorum confusè mentionem facit Hilarius in epistola sæpius citata, dicebant liberum arbitrium, peccato primi parentis debilitatum, nihil aliud posse viribus naturalibus, nisi velle credere, reipsáque credere: ac velle sanari: & si quid aliud hac voluntate comprehendebant, vt suprà exposuimus: quod inter bona opera, vel merita non numerabant: sicut in ægro voluntas adhibendi medicum, vel certa de remedio concepta fiducia, nondum pars esse curationis aliqua censetur. Quare eo non obstante profitebantur ad nullum opus bonum incipiendum, vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse sine Dei gratia præueniente: sumendo bonum opus, vt dixi, prout à fide distinguitur, & à prædicta voluntate sanitatem obtinendi. Alij verò aliquid ampliùs dicebant posse naturæ viribus exhiberi, quàm fidem; & illam salutis obtinendæ voluntatem: nimirum virtutes, etiam heroïcas, & admirabilia quædam facinora: vt Cassianus Collat. 13. vbi postquam capite tertio Catholicè asseruit, *Non solùm actuum,* verùm *etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat; & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi: quippe qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis, &c. Nostrum verò esse vt quotidie attrahentem nos gratiam Dei, humiliter subsequamur.* Postea tamen cap. 9. hanc doctrinam subuertens, affirmat *per naturæ bonum, à Deo in creatione datum, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possunt.* Et capite decimo-quarto non solùm bonæ voluntatis initium tribuit viribus naturalibus liberi arbitrij; sed etiam opera virtutum heroïca: vt luctam cum dæmone & victoriam Iob, obedientiam & fortitudinem Abrahæ filium immolantis, eximiam fidem Centurionis à Christo laudatam Matth. 8. & alia similia.

Et actus quosdam heroicos.

Non in his omnibus consenserunt omnes Semipelagiani.

Similiter Faustus libro 2. de Gratia & libero arbitrio capite sexto tribuit naturæ viribus cum solo auxilio legis naturalis, quòd Abel Deo placuerit; quòd Noë perfectus fuerit; quòd Enoch meruerit transferri. *Sed & Abel,* inquit, *diuinis placere conspectibus, per insitum à Deo generaliter bonum, id est, per propriæ meruit voluntatis affectum. Hic ergo, cui cognomen Iusti, immaculata vitæ perfectio dedit, quo erudiente iustitiæ sectator existeret, nisi eum lex visceribus inscripta docuisset.* Tum 56.

de Enoch sic ait cap. 7. *Vnde Enoch cum Deo ambulare, vel Deo placere potuisset, nisi eum lex visceribus infusa secreto magisterio illuminasset in tantum, vt nihil terrenum sapiens mirabiliter à terra Deo adsumente raperetur.* De Noë verò hæc subiicit: *Qualem, quantámque homo à Deo legem*, naturalem scilicet, *prima conditione susceperit, perfecta etiam Noë iustitia declarauit, quia generalia fidei dona speciali in se studio virtutum sectator excoluit.* Quinetiam videtur planè sensisse cum Pelagio, non alio præter naturam opus esse auxilio ad salutem assequendam, quàm legis & doctrinæ. Cùm in libro præcedenti, capite decimo-septimo, aliisque locis, gratiam Christi commendans, quâ Deus nos ad se trahit, & ad salutem perducit, dicit illud attrahere nihil aliud esse, *nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuendâ, iudicium comminari, premium polliceri.* Et capite vndecimo exponens illud Psalmi 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum*, de spiritali ædificio Ecclesiæ, quod Deus in sanctis perficit & consummat, *Numquid aliter*, inquit, *ædificat, & cognoscit Ecclesiam, quàm per labores & officia Sacerdotum, per ministeria & exempla Sanctorum, per Apostolorum virtutes, & Martyrum mortes.*

57. *Quibus aliis operibus, vim merendi tribuerint.* Porro non tantùm primis affectibus naturalibus volendi credere, optandi sanitatem, & aliis ad initium salutis spectantibus tribuebant vim merendi gratiam: verùm etiam aliis deinceps eâdem virtute naturali productis, siue ante, siue post iustificationem, vt significat Cassianus Collat. 13. capite octauo, vbi sic ait: *Cùm Deus in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Loquitur autem ibi Cassianus generaliter de hominibus, siue ante fidem, & iustificationem adeptam, siue post: ita vt velit vnicuique bonæ voluntati respondere gratiam proportionatam: exempli gratia, naturali affectui volendi credere, respondere auxilium ad credendum: & desiderio remissionis peccatorum, aut naturali pœnitentiæ, respondere remissionem peccatorum, seu iustificationem: & desiderio augmenti, vel naturali conatui proficiendi in accepta iustitia, vel orationi factæ ad vincendam grauem aliquam tentationem, aut peragendi opus aliquod heroïcum, respondere gratiam illud exequendi. Nam hoc etiam sensu dicebant petenti dari, & quærentem inuenire, & pulsantem introïre. Eodémque sensu Faustus libro primo de gratia cap. 7. dicit Deum ab incipientibus expectare fidem, & à proficientibus opera: ita tamen vt credulitatis affectum proficientibus augeat, & laborantibus adiutor quotidianus assistat: laborem scilicet, & conatum naturalem promouens, gratiâ illum subsequente.

58. *Subiiciebant meritis naturalibus iustificationem.* Circa secundum in titulo sectionis propositum: certum est 1. Massilienses nomine gratiæ respondentis huiusmodi meritis naturalibus, intellexisse ipsam etiam remissioné peccatorum, seu iustificationem, quam existimarunt naturalis fidei & pœnitentiæ merito obtineri posse: vt patet ex epistola Prosperi de lib. arbit. ad Ruffinum, vbi dicit gratiæ vocationem hoc solum circa nos agere, vt *nostræ facultatis arbitrium admoneat: vt qui voluerint credant: & qui crediderint, iustificationem merito fidei & bonæ voluntatis accipiant.* Et in epist. ad Diuum Augustinum præfixa libro de Prædest. Sanct. sic ait de Massiliensibus: *Ad gratiam, quâ in Christo renascimur, peruenire hominem dicunt per naturalem facultatem, petendo, pulsando, quærendo, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, ad istam saluantem gratiam, initialis ope gratiæ, meruerit peruenire.* Vbi per initialis opem gratiæ, iuxta sensum Semipelagianorum, intelligit libertatem naturalem gratis à Deo concessam per donum creationis.

Certum est 2. nomine gratiæ respondentis tali merito intellexisse ipsos auxilia quædam externa: vt legem & doctrinam, prouidentiam Dei in præcauendis tentationibus, vel suggerendis bene agendi occasionibus externis, auertendísque impedimentis: quibus mediantibus bene possimus operari, & in fide aliísque virtutibus proficere: vt patet ex Cassiano tota Collat. 13. & lib. 12. de Institutis renunciantium, cap. 16. An verò præter hæc auxilia externa senserint dari gratiam internam præuenientem, id est, illuminationes & inspirationes, piásque motiones internas, aut etiam gratiam concomitantem, id est, auxilium supernaturale cooperans & concurrens ad actus liberos supernaturales: in controuersia positum est. 59. *Et auxilia externa.*

Et primò quidem Iansenius libro 7. & 8. de hæresi Pelag. pluribus locis persuadere conatur, eos sensisse per fidem initialem, & alios huiusce modi actus, in quibus initium salutis constituebant, obtineri gratiam non solùm illustrantem intellectum per internas inspirationes: verùm etiam mouentem, & necessitantem ipsam voluntatem ad consensum: quam vellent esse necessariam ad proficiendum: licèt ad inchoandum sufficere crederent auxilium gratiæ repudiabilis. Et huiusmodi gratiam necessitantem dicit intelligi ab Augustino, & Prospero, & à Concilio Arausicano, nomine gratiæ: quâ Christiani sumus, quâ iustificamur in Christo, quâ infirmitas naturæ nostræ sanatur, quâ datur ipsum velle & operari, & similibus loquendi modis. Verùm ex dictis disp. 7. sect. 6. & pluribus sequentibus, satis constat, neque Semipelagianos hoc genus gratiæ auxiliantis admisisse; neque ab Augustino, aliísque Patribus traditum fuisse: sed esse merum figmentum Lutheri & Caluini, Patribus & Conciliis, Scripturæque diuinæ repugnans. 60. *An etiam gratiam internam? Sententia affirmans.*

Alij ex opposito dicunt Semipelagianos nullam veram gratiam internam & auxiliantem agnouisse: sed præter remissionem peccatorum, solam externam gratiam in lege, & doctrina, gloriæ pollicitatione, gehennæ comminatione, protectione contra insultus & fraudes diaboli, aliásque externas iniurias, & similibus auxiliis externis consistentem. Probant, quia sentiebant illi cum Pelagio veram libertaté non posse consistere cum necessitate talis gratiæ excitantis, & cooperantis. Ideóque D. Augustinum, & alios Catholicos reprehendebant tanquá euertentes libertatem per gratiam illam internam ad operandum necessariam: & omnia Sanctorum opera, quibus laus & meritum in Scriptura tribui- 61. *Contraria opinio.*

rur, adscribebant soli arbitrio, supradictis auxiliis externis instructo: vt videre est apud Cassianum Collat. 13. cap. 11. 12. & 14. & Faustum lib. 2. de lib. arb. cap. 8. vbi fidem Raab, & Centurionis, Abrahę in sequendo Deum promptam voluntatem, & constantiam Iob tribuit naturæ viribus, ne alioqui nullius meriti vel laudis fint. Probant deinde, quia licèt multum in specie commendarent necessitatem gratiæ, quæ vel nostros conatus, & desideria præueniat, vel sequatur & iuuet: quoties tamen gratiam illam explicant, nihil aliud commemorant, nisi gratias externas suprà recensitas, & remissionem peccatorum, liberúmque arbitrium, & lumen naturale gratis à Deo datum: Vt de Fausto liquet ex lib. 1. de lib. arb. cap. 17. cuius verba retulimus num. 56. & de Cassiano ex Collat. 13. cap. 13. & tribus sequentibus, vbi totam Dei gratiam in eo ponit, quòd Deus externâ prædicatione per Christum, per prophetas, per concionatores, similésque modos vocet: quòd bene operantibus magna præmia polliceatur, & tribuat: quòd auertat tentationes, aut moderetur, vímque dæmonis cohibeat. Addunt terriò, Prosperum in epistola ad Ruffinum de libero arbitrio dicere, *Hoc tantùm eos de gratia confiteri, quòd quadam libero arbitrio sit magistra: séque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, pérque terrores extrinsecùs indicio eius ostendat: quo vnusquisque secundùm voluntatis suæ motum, si quæsierit inueniat &c.* Item Pelagium (à cuius errore non recesserunt Semipelagiani hac in parte) asseruisse adiutorium gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse exemplo: vt affirmat sanctus Augustinus libro de gratia Christi, capite 41. Si autem gratiam Christi propriè dictam constituebant in exemplo Christi, quod sine dubio externum nobis est; multò magis alias: adeóque nullum internum adiutorium ad bene operandum necessarium esse voluerunt. Qua de causa Concilium Arausicanum can. 7. damnat asserentes posse aliquem per naturæ vigorem bonum aliquod ad salutem vitæ æternæ pertinens, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti. Quibus verbis cùm ait non posse nos salutariter consentire Euangelicæ prædicationi sine Spiritus sancti illuminatione & inspiratione, intelligit per illam illuminationem & inspirationem, aliquid internum: non autem externam propositionem Euangelij, quæ est ipsa prædicatio. Alioqui sensus esset, non posse nos Euangelicæ prædicationi consentire sine Euangelica prædicatione: qui sensus est ineptus. Cúmque sic definiat contra Semipelagianos, manifestè significat illorum errorem in eo positum fuisse, vt gratiam internam illuminationis, & inspirationis Spiritus sancti negauerint esse necessariam ad credendum & ad bene operandum.

62. *Vera sententia.* Sed meliùs sentiunt, qui dicunt Semipelagianos admisisse gratiam internam illustrationis Spiritus sancti ad meliùs intelligendam doctrinam sacram, extrinsecùs propositam. Primò, quia Pelagius illam admittebat, & nomine doctrinæ comprehendebat; vt probauimus disp. 7. sect. 4. n. 32. & seqq. Secundò, quia Cassianus Collat. 3. cap. 4. disertè affirmat *inspirationem diuinam in cor immitti, quæ dormientes ad desiderium salutis exsuscitat, Deúmque sequi compunctione saluberrima cohortatur.* Tertiò, quia argumenta in contrarium adducta minoris sunt momenti.

Ad primum enim respondeo, sensisse Pelagium, & Semipelagianos veram libertatem non posse consistere cum necessitate auxilij, necessarij ad volendum & agendum: secus autem cum necessitate auxilij ad intelligendum id, quod liberè volendum est, quódque asserebant esse in sola voluntatis & arbitrij potestate vt vellet, aut non vellet; ageret, aut non ageret. 63. *Soluuntur argumenta contraria.*

Ad secundum dico, Semipelagianos imitatos Pelagium, nomine doctrinæ, prædicationis & cohortationis, comprehendisse auxilium internum illustrationis Spiritus sancti ad illam meliùs intelligendam: eiúsque interdum expressam mentionem fecisse, vt patet ex verbis Cassiani proximè relatis.

Ad tertium respondeo, sicut nomine doctrinæ comprehendebant auxilium internum, quo meliùs intelligeretur: ita nomine exemplorum Christi (quæ, vt rectè ait S. August. libro 1. de gratia Christi capite 41. ad doctrinam pertinent) comprehendebant internum Spiritus sancti adiutorium, quo exempla virtutum à Christo edita meliùs penetrarentur, & expenderentur, aptiúsque voluntati ad illam mouendam proponerentur. Canon verò citatus ex Concilio Arausicano damnat Semipelagianos in eo quod licèt admitterent auxilium internum illustrationis & inspirationis Spiritus sancti esse necessarium ad augmentum fidei & virtutum: non tamen vniuersaliter ad credendum sicut oportet, & ad quodcunque bonum opus, quod ad salutem vitæ æternæ pertineat. Dicebant enim initium fidei & bonorum operum esse ex nobis, vt patet ex testimoniis Cassiani, & Prosperi relatis num. 57. & 58. 64.

SECTIO VIII.

Notantur aliqua contradictiones & elusiones Iansenij.

Non sunt hoc loco prætereundæ insignes aliquot aduersarij contradictiones & elusiones: qui capite decimo-quarto libri octaui de hæresi Pelagiana, dicit Massilienses voluisse tantùm primam voluntatem credendi, ipsámque fidem, & initium salutis, affectúmque perseuerandi haberi per gratiam repudiabilem: vt vitarent fatalem necessitatem, inductam ex discretione Dei, si fiat independenter ab vsu nostræ libertatis: incrementum verò & progressum in via salutis tribuisse Deo, id est, gratiæ necessitanti. Quod probat ex Prospero, in epistola ad Augustinum, affirmante Deum fundasse discretionem in præscientia eorum, qui credituri essent, & in fide permansuri: *Qui autem credituri sint, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sint, dicunt præscisse ante mundi constitutionem Deum:* & ex hac præscientia istos ab aliis discreuisse. Et Hilario in epistola ad eundem: *Conueniens asserunt veritati, vt & eo merito, quo* 65. *Prima contradictio Iansenij.*

voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Ideóque Scripturæ loca, quibus fides adscribitur Deo, ad id valere dicebant, *vt adiuuetur, qui cœperit velle, non vt etiam donetur vt velit, reiectis aliis &c.*

66. Et tamen, vt ipsemet refert eodem capite ex Hilario, epistola citata, nolebant Massilienses gratiam vllam datam prædestinatis talem esse, vt non posset amitti, & retineri: ac proinde penderet ab vsu libertatis. *Ceterum*, inquit Hilarius de Massiliensibus, *quicquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse, & amittere & retinere propriâ voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non possint.* Vbi nota particulam generalem, *quicquidlibet*, quæ complectitur omnem gratiam datam prædestinatis. Quare euidenter falsum est, ipsos voluisse gratiam illis datam ad proficiendum, id est, ad augmentum fidei, aliarúmque virtutum, esse necessitantem. Falsum pariter est Hilarium loqui tantùm de perseuerantia, quam Massilienses æquè ac fidem, & initium salutis, pendere voluerint ab vsu libertatis: secùs autem reliqua. Nam Hilarius generaliter asserit eos voluisse, quicquid datur prædestinatis, gratiæ scilicet, posse ab illis amitti, vel retineri liberâ ipsorum voluntate: indéque infert, ex eorum sententia perseuerantiam non esse talem, vt amitti non possit. Præterquàm quòd perseuerantia nihil aliud est, quàm continua obseruatio mandatorum, & exercitium bonorum operum, quibus implentur: quæ opera, si fiant independenter ab vsu libertatis, præueniente gratia necessitante, ipsa quoque perseuerantia necessaria est, & independens ab vsu libertatis. Euidentérque implicat contradictionem perseuerantiam esse liberam; & omnia opera, in quibus ipsa formaliter consistit, esse necessaria. Adde etiam quòd necessitas fatalis, quam ex discretione diuina putabant oriri Massilienses, non vitatur, nisi liberum sit quicquid est tale, vt ab illo salus æterna pendeat: quemadmodum dicemus paulò pòst.

67. *Altera contradictio.* Item in eodem capite 14. §. *Alterum quod hic*, dicit Massilienses etiam fidei perseuerantiam in nostra potestate constituisse, hoc est, ita nos posse in illa inchoata credendi voluntate permanere, vt quandocunque volumus, credendi actum eliciamus, sicut primitus audita vocatione credidimus. Nec tamen per hoc, incrementum fidei ad suas vires traxisse, id est, actus fidei perfectiores vsui suæ libertatis non tribuisse: sed solùm voluisse, vt libertas illa naturalis possit voluntatem ad actum credendi pro suo nutu flectere, non solùm quando primùm prædicatione præuenitur, sed etiã quando per Dei gratiam iam impetratam auctior, ardentior, & robustior facta est. In quibus verbis inuoluitur altera contradictio. Nam actus fidei, siue inchoatæ, siue auctæ, & perfectæ, sunt hoc ipso liberi, quòd eliciuntur ab intellectu, ex imperio, vel consensu voluntatis liberè volentis illos exercere. Neque enim actus intellectus sunt liberi per se immediatè; sed tantùm denominatiuè ab actu voluntatis, liberè applicantis, aut mouentis intellectum ad assensum. Quare implicat contradictionem, voluntatem se liberè flectere ad actus fidei perfectiores, in quibus consistit incrementum fidei: & tamen illud incrementum non esse liberum voluntati. Et Massiliensibus impingit aduersarius manifestam contradictionem, cùm affirmat illos voluisse actum credendi deinceps post fidem inchoatam, & proficiendi ac perseuerandi in fide, pendere à nostra libertate: nec tamen illud incrementum viribus nostris tribuisse, id est, liberum nobis esse voluisse.

Idem capite decimo quinto §. *Patefit secundò*, dicit causam cur perseuerantiam in fide & oratione, sicut ipsum initium fidei & orationis, ad suam potestatem, & libertatis arbitrium Massilienses reuocarent, fuisse, ne in easdem omnes difficultates, quas volebant fugere, relaberentur. Nihil enim, inquit, ad euadendum fatum salutísque desperationem iuuat, sua libertate posse credere; si eâdem illâ libertate perseuerare non potest. Nam si non modò credendi voluntas, vel tota iustitia, & perseuerantia in illa, sed vel extremum momentum perseuerantiæ dicatur ex diuina voluntate, seu mero Dei beneplacito suspendi; vt *constitutione sua humanas præueniens voluntates illud, cui voluerit, suo beneplacito largiatur*; omnes prorsus eædémque difficultates ingruent, quas Massilienses, initium fidei & orationis sibi arrogando, declinare voluerunt. 68. *Tertia contradictio.*

Atqui si volebant gratiam iuuantem ad proficiendum in fide aliisque virtutibus, & ad bene operandum post acceptam fidem, esse necessitantem, vt vult Iansenius, déque illa intelligendum est, quod dicunt apud Hilarium, naturam peccato originali infirmatam non posse aliud per se, id est, sine ope gratiæ necessitantis, nisi credere, & velle sanari, incurrebant in easdem difficultates. Neque enim poterat vltimum illud momentum, neque tota iustitia, & perseuerantia in illa, pendere ab eorum libertate, nisi ab illa penderent bona opera, per quæ perseueratur, & in quorum aliquo vltimum illud momentum completur: cùm, vt suprà diximus, perseuerantia nihil sit aliud, quàm continuum exercitium bene operandi, implendique præcepta diuina, vsque ad finem vitæ. 69.

Ibidem §. *Hinc denique quartò*, dicit Semipelagianos ad vitandas easdem difficultates affirmasse, Deum velle saluare omnes homines, sed si voluerint. Ita Pelagius in Commentario, capite secundo epist. 1. ad Timoth. *Vult*, inquit, *omnes ad agnitionem veritatis venire, si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint.* Quem Iulianus, (inquit Iansenius ibidem) postea Massilienses, omnésque recentiores repudiabilis gratiæ defensores, & eandem ob causam, vt desperationem, fatúmque fugerent, imitati sunt. Atqui non illi solùm, sed cõmuni consensu Patres & Scriptores Catholici, siue ante siue post August. generalem illam & conditionatam Dei voluntatem saluandi omnes, asseruerunt; in eúmque sensum intellexerunt locum Apostoli citatum: vt Ignatius Martyr in epist. 6. ad Philadelph. Origenes libro 4. contra Celsum Basilius in Psal. 29. Clemens Romanus lib. 2. const. c. 59. Chrysost. in cap. 2. Genes. hom. 11. & hom. 9. de laudib. Pauli. Cyrill. Alex. l. 11. in Ioan. c. 21. Damasc. l. 2. de fide Orthod. cap. 29. 70. *Eiusdem impostura.* *Patres communiter docent, Deum velle generaliter omnes saluare.*

in fine. Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain, cap. 3. & serm. 8. in Psal. 118. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Ephes. circa illa verba *In quo & sorte.* Prosper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 1. & lib. 2. cap. 28. & 31. & in sententia super caput 8. Gallorum; & iterum in responsione ad 2. obiectionem Vincentianam. Paulinus epistol. 2. & alij, quorum verba referemus disput. 26. sect. 2. Non soli ergo Pelagiani & Massilienses timuerunt incommoda & absurda, quæ oriuntur ex gratia necessitante: abutitúrque lectorum ignorantia vel simplicitate Iansenius, cùm affirmat solos illos agnouisse in Deo generalem & conditionatam voluntatem saluandi omnes; cùm ex locis indicatis & aliis pluribus, quæ addi possent, manifestum sit Patres communiter ita sensisse, & veritatem istam velut ab Apostolo traditam professos esse.

71. *Idem affirmat Augustinus.* Neque dissensit Augustinus, qui licèt alicubi videatur verba Apostoli 1. Timoth. 2. cum restrictione interpretari: loquens scilicet de voluntate efficaci & absoluta, quæ ad eos solos pertinet, qui reipsa saluantur; aliis tamen locis agnoscit in Deo voluntatem illam generalem per modum beneplaciti, quâ scilicet Deus vult omnes saluare, quantum est ex se, si non desit conditio requisita ex parte creaturæ, & voluntaria adultorum cooperatio. Vt videre est lib. de spiritu & lit. quem scripsit contra Pelagianos, cap. 33. vbi sic habet: *Vult Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male vtentes, iustissimè iudicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt: verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius,* *Etiam in libris postremò editis.* *cuius in donis misericordiam contempserunt.* Quem locum frustra conatur eludere Iansenius, respondens librum illum scriptum fuisse ab Augustino sub initium hæresis Pelagianæ, cùm scilicet adhuc Semipelagianorum errore laboraret: postea verò in omnibus suis lucubrationibus aduersus hostes gratiæ, contrariam sententiam tenuisse. Id enim euidenter falsum esse, patet ex libro 1. Retractationum, capite 10. vbi recognoscens quod aliis verbis in eundem sensum dixerat in libris de Genesi contra Manichæos, sic habet: *Quod dixi, Illud lumen pascit pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium, se ad eius præcepta implenda conuertunt; quod omnes homines possunt, si velint: non existiment noui hæretici Pelagiani secundùm eos esse dictum. Verum est enim, omnino omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere caritatis, vt possint.* Ex quibus verbis perspicuum est D. Augustinum non modò sub initium hæresis Pelagianæ, sed etiam sub extremum vitæ, quo tempore scripsit libros Retractationum, credidisse omnes homines posse, si velint, se ad implenda Dei mandata conuertere: adeóque salutem consequi, quæ sine dubio per mandatorum impletionem obtinetur: atque hoc tantùm in Pelagianis reprehendere, quòd nollent hanc voluntatem à Deo præparari, per gratiam scilicet præuenientem, & augeri per caritatem: quod nullus negat Catholicorum, qui gratiam necessitantem cum Tridentino, & cum tota Ecclesia reiiciunt. Liquet etiam ex iisdem verbis, vel non esse erroneum quod scripsit Augustinus libro de spiritu & lit. cap. illo 33. de voluntate Dei generali erga salutem omnium; vel Diuum Augustinum vsque ad extremum vitæ in errore illo versatum esse: quod absurdissimum est, neque minùs à reuerentia illi debita, quàm à veritate alienum.

Perperam verò addit Iansenius Diuum Augustinum non ibi tradere suam sententiam circa locum illum Apostoli, *Vult omnes homines saluos fieri*, sed esse ipsissimam Semipelagianam opinionem, quam ante suum Episcopatum docuerat, & ibi disputandã refellendámque proponit. 72. *Refellitur euasio.* Nam vt locum illum integrum legẽti manifestum est, non ibi disputat Augustinus vtrum velit Deus omnes homines saluos fieri, aut quis sit Apostoli sensus id affirmantis: sed vtrum voluntas, qua in Deum credimus, Dei donum sit: *Sed consequens est*, (inquit initio capitis) *paulùm quærere, vtrum voluntas illa, qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit, an ex illo naturaliter insito libero adhibeatur arbitrio.* Cui quæstioni respondet deinceps esse ex vtroque: quia Deus sic omnes homines saluare vult, vt tamen liberum in eis seruetur arbitrium: atque ita eos vocat ad fidem, iuuátque ad credendum, & bene operandum, obtinendámque salutem, vt tamen ipsi liberè vocantem sequantur, & iuuanti cooperentur. Neque obest, quod addit sub finem disputationis, in quo præcipuè vim facit Iansenius: *Hæc disputatio, si quæstioni illi soluendæ sufficit, sufficiat.* Hoc enim non dicit, vt affirmet se non ex suo sensu, sed iuxta errorem Semipelagianorum locutum esse: neque ad refellendum, quod in totâ illâ disputatione probandum suscepit: fidem scilicet ita esse ex Dei gratia, vt simul sit ex libero arbitrio: quia Deus ita vult omnes homines saluos fieri, vt tamen liberum in eis seruet arbitrium: ineptéque diceret Augustinus; *Hæc disputatio si quæstioni illi soluenda sufficit, sufficiat*, si iuxta errorem Semipelagianorum duntaxat illi respondisset: sic enim esset manifestum & citra omnem dubitationem, quòd non sufficeret. Quæ autem addit immediatè pòst: *Si autem respondetur, cauendum esse, ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium &c.* eò tantùm spectant, vt probet fidem esse donum Dei, non ex eo solùm, quod est ex libero arbitrio à Deo nobis dato; nam sic etiam peccatum esset donum Dei: sed quia est à Deo ad illam nos vocante & præueniente, atque iuuante per auxilium gratiæ, liberè tamen consentiente credentis voluntate. Nam vt addit consequenter, ex suo sensu sine dubio, & confirmans quod initio capitis dixerat, *Attendat & videat, non ideo tantùm istam voluntatem* (credendi) *diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verùm etiam, quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus: siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes &c. siue intrinsecus vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit sua-*

sio, vel vocatio cui credas: profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius preuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.

SECTIO IX.

Perstringuntur alia quædam eiusdem generis.

73. *Prosper docet Deum velle generaliter omnes saluare.* NEQVE meliùs eludit aduersarius testimonia Prosperi, de illa Dei voluntate generali saluandi omnes, & gratia sufficiente ad hoc illis datâ, sumpta ex libris de Vocat. Gent. & respons. ad obiect. Vincent. quibus locis affirmat, Manifestum esse, quòd *diuersis, atque innumeris modis, omnes homines vult Deus saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur:* vt ait lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 28. *Et hanc opitulationem per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhiberi: & quòd à multis refutatur, ipsorum esse nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ esse diuinæ, & voluntatis humanæ*, vt habet cap. 26. eiusdem libri. Et rursus cap. 31. *Elaboratum est, quantum Dominus adiuuit, vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis, probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, &c. quoniam siue manifestè, siue occultè, ipse est, vt Apostolus ait, Saluator omnium hominum, maximè fidelium.* Et denique in responsione ad secundam obiectionem Vincentianam, *Sincerissimè credendum, atque profitendum est, Deum velle vt omnes homines salui fiant; siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi saluantur, saluantis est donum.* Hæc, inquam, testimonia, quæ integrè referre noluit, ne lectoris oculos perstringerent, sed breuiter tantùm indicare, Iansenius, perperam eludit, respondens immediatè ante verba vltimò citata sic haberi, *Remotâ ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet sincerissimè credendum, &c.* vt suprà. Nam per hanc discretionem, non intelligit illam, quam vult Iansenius factam esse ex mero Dei beneplacito secernentis aliquos ex massa perditionis, & alios in ea relinquentis, nulla præhabita consideratione conditionum, vel operum, quæ facturi essent: sed illam, quæ ratione posteriùs consecuta est præscientiam huiuscemodi conditionum vel operum, secundùm quam Deus absolutè, efficacitérque decreuit saluare eos, quibus præuidit non defuturas conditiones, vel opera necessaria: reiectis ceteris, quos simul cum aliis antecedenti voluntate per modum desiderij conditionati saluos fieri volebat, si ex parte ipsorum non deesset conditio requisita. Quòd enim Prosper loquatur de voluntate consequente præscientiam, patet ex illis eius verbis, *Remotâ ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet,* iunctis istis, quæ immediatè post verba suprà relata subnectit; *Vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: vt autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.* Quibus significat non ideo perire aliquos, quia noluit Deus eos saluare: cùm sincerissimè credendum, atque profitendum sit Deum velle salutem omnium: sed quia Dei iustitia postulauit, vt à salute excluderet eos, quos reos fore præsciuit, quósque discreuit ex illa præscientia. Certè nisi ita esset, Prosper non satisfaceret obiectioni sibi propositæ: nec cohærenter loqueretur ad ea, quæ superiùs ex ipso retulimus lib. 2. de Vocat. Gent.

Refutatur elusio.

74. *Altera elusio Iansenij c. 15. eiusdem lib. 8.* Æquè vanum est, quod addit Prosperum in libro 2. de Vocat. Gent. docere quidem Deum omnes homines velle saluos fieri, non tamen ita quasi tantam omnibus internam gratiam impertiretur, vt solus ille libertatis propriæ nutus desit, quominùs salui fiant: sed quia beneficia quædam, & eruditionem generalem omnibus tribuit, sic tamen vt propter acerbitatem vulneris, quo natura sauciata est, *neminem ad cognitionem Dei*, vt ipsemet sese expressè explicat, *contemplatio spontanea plenè valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit.* Hanc autem lucem, non omnibus scilicet, sed quibus vult Deus, occulto eius iudicio dispensari probat ex verbis sequentibus, *Quam inscrutabili iudicio Deus iustus, & bonus non ita præteritis seculis, quemadmodum in nouissimis diebus effudit.* Nam licèt verum sit, quod ait Prosper, Deum non ita, id est, tam copiosè lucem illam suam effudisse præteritis seculis, quemadmodum in nouissimis diebus, id est, post Christi aduentum: quòd tamen sentiat eam satis affulsisse omnibus seculis, & omnibus adultis, atque ita, vt non nisi per eos steterit, quo minùs saluarentur, adeóque potuerint, si voluissent, illius ope credere & saluari, patet ex verbis suprà relatis num. 73. quibus affirmat hanc opitulationem per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhiberi; & quod à multis refutatur, ipsorum esse nequitiæ: quod autem à multis recipitur, & gratiæ esse diuinæ, & voluntatis humanæ: &, suâ pertinaciâ reluctari qui non saluantur: &, non solùm in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse; quoniam siue manifestè, siue occultè, ipse est, vt Apostolus ait, Saluator omnium hominum, maximè fidelium: & quod multi pereunt, pereuntium esse meritum, &c. Enimuerò, si deesset illis lux, & gratia interna, sine qua saluari non possunt: idque ex Dei beneplacito, independenter ab ipsorum libertate, falsum esset quod ait Prosper, stare per humanam voluntatem, quòd à multis non recipiatur opitulatio diuina: & eos, qui pereunt, reluctari sua pertinacia Deo saluare volenti: & quòd multi pereant pereuntium esse meritum, non autem defectum opitulationis internæ, æquè ac externæ.

75. *Impostura Iansenij.* Præcedentibus simile est, quod ait Iansenius cap. 16. eiusdem lib. 8. de hæresi Pelagiana, Massilienses non vltro, sed coactos vi argumentorum, Augustini scilicet, & aliorum ipsos impugnantium, admisisse rationem meriti in fide & aliis, in quibus initium salutis constituebant: cùm alioqui maximopere satagerent omnem meriti vim ab illis remouere. Nam ex epist. Hilarij ad Augustinum constat, eos ipso initio, antequam D. Augustinus rogatu Prosperi, & Hi-

larij contra illos certamen susciperet, vltro admisisse rationem meriti in fide, & oratione initiali; vt patet ex verbis Hilarij, epistola sæpiùs citata, affirmantis *conueniens eos asserere veritati: vt cùm prostratis annunciatur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Et Prosper in epistola ad eundem Augustinum, dicit eosdem affirmasse vitam æternam ab illis apprehendi, *qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ, merito credulitatis acceperint.* Et sic hominem esse institutum, vt per naturalem facultatem possit petere, quærere, pulsare: vt ideo accipiat, ideo inueniat, introeat, quia bono naturali bene vsus, *ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Falsum est igitur, eos vi tantùm argumentorum adactos rationem meriti in illis initiis salutis constituisse.

76. *Iansenius secum pugnat.* Adde quòd Iansenius initio capitis 17. affirmat Massiliensibus æquè ac Augustino, certum, atque indubitatum principium fuisse, quemcunque bonum humanæ voluntatis motum non posse non esse meritum gratiæ, si præcederet gratiam; atqui illud initium salutis erat bonus voluntatis motus, & gratiam præcedens. Ergo vel sibi contradicebant Massilienses, negantes tale initium esse meritorium: vel potiùs secum pugnat Iansenius, cùm vtrumque illis adscribit. Adde præterea, quòd si, vt malè idem supponit, volebant Massilienses fidem, & bonos illos alios actus initiales, non esse ex solis viribus naturalibus sine auxilio gratiæ: non erat cur refugerent vim meriti, saltem de congruo, in illis agnoscere, tametsi gratiam ad illos præuenientem, & iuuantem, dicerent esse repudiabilem. Neque enim ad merendum, & ad sufficientem proportionem cum mercede, gratiæ aut gloriæ, necessaria est, per se loquendo, & ex natura rei, gratia necessitans. Alioqui neque Angeli, neque primi parentes in statu innocentiæ meruissent per opera, facta cum auxilio gratiæ, quæ tunc erat repudiabilis, vt fatetur Iansenius. Hoc autem falsum esse tum ipse docet, tum etiam D. Augustinus locis ab eo relatis, tom. 2. lib. de gratia primi hominis, & Angelorum.

77. *Vanam reddit Augustini disputationem cum Massiliensibus.* Eodem cap. 16. §. *Nam imprimis*, dicit Augustini disputationem cum Massiliensibus fuisse non de merito gratiæ, sed vter præcederet, homo naturaliter aliquid boni suis viribus operando, an Deus illud ipsum per gratiam largiendo: & vtrumuis constiterit, finitam esse totam controuersiam. Atqui vana fuisset hæc disputatio, si, vt ait Iansenius, credidissent Massilienses, neque fidem, neque vllum alium bonum voluntatis motum haberi reipsa, vel etiam posse haberi sine præueniente, & iuuante Dei gratia. Vana quoque forent argumenta, quibus eos solet impugnare D. Augustinus, nimirum hominem præuenire gratiam, & non ab illa præueniri; Gratis mortuum esse Christum: hominem habere aliquid quod non acceperit, contra illud Apost. *Quid habes, quod non accepisti, &c.* Euidenter enim falsum est, hac doctrina supposita, gratiam non præuenire sed hominem, & gratis Christum mortuum esse, si gratiam, quam illi volebant esse necessariam, nobis sua morte promeruit, quâ alioqui propter peccatum originale priuandi eramus; & hominem habere aliquid boni operis, quod non acceperit à Deo per ipsius gratiam, aut se virtute propria discernere sine Dei gratia: ita vt non debeat in Domino gloriari, & dicere cum Apostolo, *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Falsum est igitur, quod affirmat Iansenius, bonos illos affectus, iuxta sententiam Massiliensium, non fuisse habitos sine auxilio gratiæ.

Quod autem refert ex Augustino, epist. 105. ad Sixtum, fieri non posse, vt nullum sit meritum fidei: vt is, qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereatur: vt non debeatur credenti, vt à Domino fides ipsa augeatur: & lib. 2. ad Bonifacium, cap. 8. *Si sine gratia Dei*, inquit, *per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito, gratia veniat adiutorium: ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrum dabitur.* Et iterum cap. 7. *Si autem gratia, iam non ex operibus, &c. gratia vtique, vt per illam fiant bona opera, ne si præcesserint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia iam non sit gratia.* Hæc, inquam, & similia debent intelligi de actibus, & operibus sufficientem proportionem cum gratia habentibus, & ad salutem vitæ æternæ pertinentibus, qualia volebant Massilienses esse illa salutis initia: non autem de operibus sterilibus apud Deum, vt vocabat Iulianus, & qualia solis naturæ viribus fieri posse non negat alibi D. Augustinus, solùm contendens non debere dici, neque esse veras virtutes, si non sunt quales esse oportet, ad consequendam veram beatitudinem. De iisdémque intelligendus est canon 18. Concilij Arausicani ab aduersario relatus: *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.* Nam clausula, quam expressit canone 7. dicens neminem per naturæ vigorem bonum aliquod, *quod ad salutem pertinet vitæ æternæ*, cogitare *vt expedit*, aut eligere, vel Euangelio credere posse sine auxilio Spiritus sancti: subintelligi debet in can. illo 18. & aliis similibus. — 78. *Quibus operibus vim merendi tribuat Augustinus.* — *Lib. 4. aduersus Iulian. cap. 3.*

79. *Iansenij contradictio.* Addit in fine eiusdem capitis, Massilienses, & Pelagianos non voluisse opera illa esse supernaturalia, vt ex eo concluderent mercedem gratiæ illis reddendam esse. Et hoc quidem verum est: neque vllum noui Theologum, qui hoc negauerit. Sed malè cohæret cum eo, quod sæpius hoc eodem libro affirmat Iansenius, opera illa, & motus bonæ voluntatis, iuxta sententiam Semipelagianorum non fuisse, neque esse potuisse ex arbitrio libero, sine auxilio gratiæ. Quid enim aliud est, actum aliquem esse supernaturalem, nisi talem esse, vt excedat naturæ vires? Præsertim cùm iuxta doctrinam aduersarij, libro de gratia primi hominis, excedant etiam actus huiusmodi vires naturæ innocentis: in qua, vt ille ait, nihil boni fieri poterat, sine auxilio gratiæ. Quare non potest aduersarius hoc etiam loco à manifesta contradictione excusari.

80. *Altera contradictio.* Denique cap. 17. confidenter asserit, in errore Semipelagiano versari Theologos, qui cum D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. docent, facienti quod in se est, Deum non negare gratiam: & cum Massiliensibus in eo conuenire, quòd meritum verbo tenus remoueant ab huiusmodi, facientibus naturaliter quod in se est. Sed iterum sibi contradicit in hac comparatio-

ne, si verum est, quod suprà docuit, & vbique supponit, Massilienses loqui de faciente quod in se est, cum auxilio gratiæ. Nam D. Thomas, & alij Theologi loquuntur de faciente quod in se est, etiam solis naturæ viribus. Deinde vel ignorat, vel potiùs mala fide dissimulat duplex inter vtrosque discrimen, quod assignant, qui rem meliùs explicant. Primum, quòd Massilienses vellent actus illos, salutem inchoantes, esse gratiæ proportionatos, atque illam mereri de congruo, vel de condigno, vt suprà ex Hilario, & Prospero ostensum fuit. Theologi autem volunt tantùm, bene operantem naturaliter, & facientem quod in se est, non ponere impedimentum gratiæ, quam Deus de se paratus est omnibus exhibere: neque propterea salutem suam inchoare, vel ad illam se disponere: cùm dispositio debeat esse eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit: & actus illi sint purè naturales; gratia verò sit supernaturalis. Alterum est, quòd vellent connexionem inter fidem, & actus illos initiales cum gratia, talem esse, vt illis positis statim gratia retribueretur infallibiliter, tanquam illis debita. Theologi autem volunt duntaxat fore ex Dei misericordia, vt qui bene operando naturaliter quoad potest, non ponit obicem gratiæ; vel tunc, vel aliàs, quando visum Deo fuerit, ante mortem illuminetur, & iuuetur per gratiam. Qua de re plura dicemus alibi, disput. 21. sect. 3.

De faciente quod in se est.

81. Quòd si interdum Massilienses extenuabant meritum illius fidei, & actuum prædictorum, illúdque verbo tenus negare videbantur: hoc faciebant, ne apertè viderentur inuolui damnatione Pelagij, cuius in Concilio Palæstino proscripta fuerat hæc propositio, *Gratiam dari secundùm merita.* Propter quod dicebant fidem, & actus illos non comprehendi nomine meriti & boni operis: neque rectè dici gratiam non dari gratis, quamuis detur illis præsuppositis: vt testatur Hilarius epist. cit. *Ceterum,* inquit, *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterritâ supplici voluntate vnumquemque ægrotum velle sanari.* Et paulò pòst: *Nec negari gratiam, si precedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: non autem quicquam ipsa iam valeat.*

Cur Semipelagiani extenuarent meritum fidei.

SECTIO X.

Quam vim merendi tribuerint Semipelagiani operibus naturalibus? de congruo tantùm; an de condigno?

82. RESPONDEO certum quidem esse Semipelagianos tribuisse vim meritoriam, & quidem infallibilem bonis operibus naturalibus, respectu gratiæ: incertum tamen esse, tribuerintne illis vim meritoriam de condigno, an potiùs de congruo. Prima responsi pars, quòd illis tribuerint vim merendi, probata fuit sect. præced. testimoniis Prosperi & Hilarij: quibus adde Faustum lib. 1. de lib. arb. cap. 17. vbi sic ait: *Hoc loco sollicitiùs requiratur, vtrum quisque attrahi velit, an nolit. Si non vult absolutè, attrahentis beneuolentiam non meretur. Si autem vult, ecce iam cum Deo, & hominis consensus operatur, &c. Hæc attrahentis Dei misericordia, si dignis datur; aduertis quia iam, & studio humanæ vtcunque seruitutis impenditur. Si verò indignis; consequens est, vt etiam reprobis non negetur, & euidenti miseratione bonitas Dei indiscretè, & iustis, & peccatoribus offeratur.* Et lib. 2. cap. 8. *Liberi arbitrij itaque ratio facit, vt remuneretur credens, & damnetur incredulus.* Loquitur autem de libero arbitrio operante viribus naturalibus. Et Cassianus Collat. 13. cap. 12. *Cauendum nobis est,* inquit, *ne ita referamus ad Dominum omnia Sanctorum merita, vt nihil nisi id, quod malum, atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ.* Quibus verbis clarè significat aliqua esse Sanctorum merita, quæ in Deum, eiúsque gratiam referenda non sunt. Et cap. 11. eiusdem collationis, dicit fidem Zachæi, & pietatem boni latronis vim quandam regnis cælestibus intulisse. Putat autem ibidem, fidem illam, & pietatem præuenisse gratiam, & vocationem diuinam. Quare meritò Prosper lib. contra Collatorem cap. 16. initio, de Cassiani doctrina sic ait: *Hæc doctrina meritum libero assignat arbitrio, quo preueniatur gratia, quæ ei famuletur, reddens debitum, non conferens donum.*

Tribuerunt illis vim merendi.

Secunda pars assertionis, quòd scilicet crediderint Semipelagiani meritum illud esse infallibile, probatur, quia Deus alioquin esset acceptor personarum, & irrationabiliter dona sua distribueret, si aut merentibus non daret gratiam, aut largiretur indignis; iuxta præcipuum fundamentum eorum doctrinæ. Vnde, vt refert Hilarius in epistola ad D. Augustinum, aiebant *De compendio rationem reddi electorum, & reiectorum, in eo, quòd vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur.* Patet etiam ex eadem epistola, existimasse ipsos id certâ lege, & pacto statutum à Deo fuisse: adeóque esse infallibile. *Quod,* inquit, *dicitur, Crede & saluus eris, vnum horum exigi asserunt, aliud offerri: vt propter id, quod exigitur, si redditum fuerit id, quod offertur, deinde tribuatur.* Dicebant etiam, vt refert Prosper in epistola ad Augustinum, *Quantum quisque ad malum, tantùm habere facultatis ad bonum: parique momento animum moueri ad vitium, & virtutem: quem bona appetentem, gratia Dei foueat: mala sectantem damnatio iusta suscipiat.* Quibus postremis verbis significabant, non minùs certâ lege, & infallibili annexam esse gratiam bonis operibus naturalibus, quàm malis pœnam & damnationem. 83.

Et quidem infallibilem.

Tertia pars, quòd scilicet, incertum sit censuerintne opera illa naturalia mereri gratiam de condigno, an potiùs de congruo, probatur, quia ita de illis interdum loquuntur, vt videantur condignitatem eis tribuere. Cuiusmodi est illud, paulò antè relatum ex Fausto Rhegiensi, lib. 1. de lib. arb. cap. 17. *Hæc attrahentis misericordia, si dignis datur, &c.* Et lib. 2. cap. 8. ait: *iustitiam remunerantis, deuotionem pugnantis ostendere:* significans deuotionem naturaliter conceptam, & gratiæ præuiam, mereri ex iustitia remunerationem illam: atque ita in eiusmodi operibus reperiri, & condignitatem, & ius ad mercedem, veluti debitam ex iustitia: quæ duo ad meritum rigorosum, seu de condigno sufficiunt. Et Prosper libro contra Collatorem 84.

An etiam de condigno?

Sententia affirmans.

cap. 16. affirmat ex ipsorum sententia gratiam reddi bonis operibus naturalibus vt debitum, non verò conferri vt donum. Quod non potest dici de merito, solùm de congruo. Item S. Aug. lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. initio, dicit Semipelagianos non recessisse ab illâ sententiâ Pelagij, damnatâ in Concilio Palæstino, *Gratiam secundùm merita nostra dari.* Atqui Pelagius censebat dari secundùm meritum de condigno, vt fatentur omnes, exceptâ fortasse remissione peccatorum, vt diximus disp. 7. sect. 3. num. 25. Ergo eadem fuit Semipelagianorum sententia. Et post multa, non longè à fine eiusdem capitis. *Videte*, inquit, *si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœpta fides aucta: Nec attenditur cùm hoc dicitur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, istam mercedem credentibus imputari.* Quibus verbis manifestè affirmat fidem naturalem (de qua ibi sermo est) mereri gratiam de condigno, iuxta sententiam Massiliensium: Alioqui falsò illis tribueret quòd dicerent gratiam non dari gratis, sed reddi, & fidem auctam non esse gratiam, sed esse mercedem fidei naturalis, qualem ipsi volebant esse fidem inchoatam. Præterea Cassianus collat. 13. cap. 11. adeò meritum illud fidei, & aliorum operum naturalium exaltat, vt dicat fidem Zachæi, & pietatem latronis Christum in cruce confitentis, naturæ viribus conceptam, vt ipse putat, vim quandam regnis cælestibus intulisse.

85. *Contraria sententia.* In contrarium verò est, quòd ipsimet Semipelagiani videntur aliis locis negare esse merita de condigno: vt Cassianus lib. 12. de Institutis renunciantium, cap. 14. vbi sic habet: *Dicimus enim secundùm Saluatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri: sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit.* Et Collat. 13. cap. 13. *Non*, inquit, *videatur irrationabilis* Dei *munificentiæ largitas* (nimirum per acceptionem personarum) *dum eam* (gratiam suam) *sub colore cuiusdam desiderij, ac laboris impertit. Vt nihilominus gratia Dei semper gratuita perseueret, dum exiguis quibusdam paruisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate.* Et Faustus in epistola ad Lucidum presbyterum sic scribit: *Totis viribus desudantes, ne gratia euacuetur in nobis, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronunciemus esse, non pretium: scientes laboris illius fructum, officij rem esse, non meriti.* Et Hilarius in epist. ad S. Augustinum fere initio, refert Semipelagianos respondere solitos, non negari gratiam, si præcedere dicatur voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa iam valeat. Augustinus quoque de Prædest. Sanctorum, cap. 2. significat illos fuisse contentos merito de congruo: cùm sic ait: *Videte si quid agitur isto modo, nisi vt gratia secundùm merita nostra detur quolibet modo.* Eodémque libro reprehendit Semipelagianos, quòd in operibus naturæ ponerent meritum, quale nos ponimus in fide supernaturali, respectu remissionis peccatorum. Atqui hoc meritum est tantùm de congruo, admittitúrque ab ipsomet Augustino epist. 105. & 106. Denique Concilium Arausicanum celebratum contra Semipelagianos nunquam eos reprehendit, quòd darent operibus naturalibus vim merendi de condigno: sed tantùm quòd facerent gratiam naturæ pedissequam, sufficiebátque illis meritum de congruo ad vitandam in Deo acceptionem personarum. Quo præcipuè argumento mouebantur ad affirmandum gratiam dari propter bona opera naturalia.

Propter hæc Suares Prolegom. 5. cap. 6. dub. 7. & lib. 2. de Prædestinatione cap. 6. num. 27. & 28. Vasquez 1. parte disput. 89. cap. 5. num. 32. Herice 1. parte disput. 25. cap. 3. & quidam alij putant esse probabilius Semipelagianos asseruisse tantùm opera bona naturalia mereri gratiam de congruo. Sed longè plures moti prioribus argumentis censent illis tribuisse vim merendi de condigno, quorum plurimos refert, & sequitur Ripalda lib. 1. de ente supernaturali disput. 15. sect. 3. num. 16. iisdémque accedit Ægidius Conninck disput. 4. de Actibus supernaturalibus, dub. 5. num. 88. & sequentibus; & disput. 8. num. 103. & denique hanc esse communem sententiam Scholasticorum fatetur Suares lib. 2. de Prædest. cap. 6. num. 26. cui tanquam probabiliori subscribo. 86. *Quæstionis resolutio.*

Ad primum argumentum pro contraria opinione allatum, respondeo Cassianum eodem modo dicere opera, quibus iusti merentur gloriam, non esse condigna: idque probare ex verbis Apostoli ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quia verbis in primo, & secundo loco citato relatis, negat tantùm operibus naturalibus condignitatem, & æqualitatem quantitatis, seu rei ad rem: non autem æqualitatem proportionis, sufficientis ad meritum de condigno. 87. *Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.*

Ad secundum dico, Faustum & Hilarium posse in eundem sensum intelligi: vel potiùs Faustum, & Semipelagianos ita subdolè loquutos esse ad dissimulandum suum errorem, extenuando suum illud meritum, quod aliàs apertè dixerunt esse condignum. Vt omittam quod alij respondent, forsan ea verba non esse Cassiani, & Fausti, sed Catholicorum à quibus eorum libri fuerunt expurgati. Nam vt refert Baronius tom. 5. anno Christi 433. ex Gennadio lib. de viris illustribus, Eucherius Lugdunensis, & alij quidam Cassianum expurgarunt, quamuis non ita, vt multi adhuc errores residui non sint: & Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis affirmat Faustum priùs Pelagianè scripsisse: postea verò à Fulgentio conuersum scripsisse Catholicè, & egregium volumen edidisse contra pristinos errores. 88.

Ad tertium respondeo D. Augustinum per particulam illam *quolibet modo*, non intelligere idem, ac, *aliquo modo*: sed idem ac, *omni modo*, sensúmque illius esse, quòd ex doctrina Semipelagianorum sequatur nihil gratiæ dari, nisi per meritum; ac proinde nullam esse veram gratiam. Sensus enim Augustini est, quòd si augmentum fidei datur propter meritum credulitatis naturalis, consequens est, vt cetera omnia dentur pariter ob alia merita naturalia. Quare illud, *quolibet modo*, additur ab Augustino ad au- 89.

gendum potiùs, quàm ad extenuandum meritum: vt patet ex verbis proximè sequentibus: *Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis. Debetur enim credenti vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœptæ, fides aucta. Nec attenditur, cùm hoc dicitur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, istam mercedem credentibus imputari.* Quæ verba S. Doctoris non possunt aptè cadere in meritum de congruo, cui merces non redditur secundùm debitum, sed secundùm gratiam. Pergit verò consequenter: *Cur autem totum non tribuatur homini, vt, qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit, augeat, omnino non video, &c.* Eodémque sensu meritò reprehendit Semipelagianos, quòd tantum meritum constituerent in operibus naturalibus respectu gratiæ: cùm ne quidem secundùm Scripturæ veritatem, tale illis tribui possit, quale tribuitur fidei supernaturali, respectu remissionis peccatorum.

90. Denique ad id, quod ex Concilio Arausicano obiicitur. Respondeo primò, ipsum can. 6. damnare eos, qui humanæ obedientiæ adiutorium gratiæ ita subiungunt, vt negent esse gratiæ donum. Quæ verba indicant sensisse Semipelagianos obedientiam humanam, esse meritum de condigno: quod enim datur ex merito de congruo, non desinit esse gratiæ donum. Respondeo secundò, satis illi Concilio fuisse reprehendere Semipelagianos generaliter, quòd tribuerent meritum qualecunque operibus naturalibus respectu gratiæ, illósque damnare quocunque sensu tribuant. Quod sapienter fecit ad obstruẽdam viam fallacibus distinctionibus, quibus suum interdum errorem tegere conabantur. Nec refert, quod meritum de congruo sufficiebat principali eorum intentioni, amoliendi scilicet à Deo vitiosam acceptionem personarum. Nam sufficiebat etiam Pelagio; qui tamen, vt fatentur omnes, tribuit operibus naturalibus vim merendi de condigno. Sed placuit vtrisque sentire tam magnificè de natura, déque arbitrij libertate. Et Semipelagiani noluerunt hac in parte recedere ab auctore suo Pelagio, à quo ferè non nisi in duobus erroribus verè discesserunt: nempe in transfusione peccati originalis, & necessitate gratiæ ad perfectionem salutis: gratiæ, inquam, consistentis in lege, & doctrina, & remissione peccatorum eo sensu, quo suprà exposuimus. Quomodo autem ab illorum sententia distent Catholici, qui docent Deum, facienti quod in se est, non denegare gratiam, intelligendo illud etiam de faciente viribus naturalibus, patet ex dictis sect. præced. num. 80. & fusiùs disp. 21. sect. 3. Et hactenus de hæresi Semipelagiana. Nam quæ addit Iansenius cap. 21. & 22. de illorum sententia circa electionem, & prædestinationem ad gloriam, numerúmque electorum, nihil continent præter repetitionem eorum, quæ dixerat præcedenti lib. 7. quæque nos tota superiori disputatione expendimus. De Prædestinatianis verò de quibus agit cap. 23. dicemus sect. sequenti.





DISPVTATIO XI.

De aliorum erroribus circa gratiam.

SECTIO I.

De Monachis Adrumetinis, & Prædestinatianis.



OCCASIONE scriptorum Diui Augustini contra Pelagianos, orti sunt alij errores circa gratiam. Vnus fuit Monachorum Adrumetinorum, qui, vt testatur Augustinus ipse, in epistola 47. ad Valentinum Adrumetini Monasterij Præfectum, & in libris de Gratia, & libero arbitrio, déque Correptione, & gratia ad eundem scriptis, existimarunt liberum arbitrium tolli per necessitatem gratiæ: eò quòd præsente gratia non potest voluntas non bene agere; & illa absente non potest non malè agere, quemadmodum à D. Augustino affirmari putabant, & ex ipsius scriptis malè intellectis, colligebant. Inter eos autem, & Pelagium hoc discriminis fuit: quòd Pelagius necessitatem gratiæ negaret, vt seruaret libertatem arbitrij: isti autem negabant libertatem arbitrij, vt necessitatem gratiæ tuerentur. A quo errore non nisi verbo tenus absunt noui Dogmatistæ, falsâ D. Augustini intelligentiâ pariter decepti, affirmantes hominem in hoc statu naturæ lapsæ nunquam posse abstinere à peccato, absente gratia; sed in illud labi necessariò, dominante concupiscentia: quia per peccatum Adæ perdidit libertatem indifferentiæ, & potestatem illi resistendi. Præsente verò auxilio gratiæ, non posse non bene operari; quia non potest illi resistere, neque per illam recuperat libertatem indifferentiæ perditam in Adamo, sed subiicitur necessitati bene agendi. In eodem errore sunt Lutherani, & Caluinistæ idem de gratiæ efficacia, & de peccandi necessitate, si desit, affirmantes, vt ostendemus sect. 3. 1. *Error Adrumetinorum.*

Alter error fuit Prædestinatianorum, id est, eorum, qui vt refert Sigebertus in Chronico, anno 415. videntes Augustinum affirmare gratiam Dei non modò necessariam esse ad piè viuendum, sed etiam gratis dari absque vllo merito nostro præcedente, secundùm Dei consilium, & propositum suæ voluntatis; per illámque nos discerni: ac denique sic de illa loqui, vt videretur totum salutis nostræ negotium in diuinam electionem, & prædestinationem reiicere: existimarunt liberum arbitrium per gratiam tolli, hominésque per illam solam, sine voluntaria obedientia saluari: & pariter peccatores, vi solius diuinæ reprobationis damnari: neque mala opera obesse illis, qui prædestinati sunt: neque bona prodesse reprobis. Quem errorem in Africa cœpisse testatur Hincmarus in epistola ad Nicolaum Papam, & libro de prædestinatione contra Gotescalcum. Idémque Pro- 2. *Prædestinatianorum hæresis.*

ſper non obſcurè ſignificat in epiſt. ad Auguſtinum præfixa lib de Præd. Sanct. vbi dicit nonnullos in Africa iam antea turbatos fuiſſe iis, quæ ille ſcripſerat de Prædeſtinatione: ſicut iam multi cœperant iiſdem moueri in Gallia. Africanos autem illos fuiſſe Monachos Adrumetinos indicat Auguſtinus libro ſecundo Retractationum cap. penultimo, vbi refert Monachos illos, lectâ eius epiſtolâ 105. ad Sixtum, duas in partes diuiſos fuiſſe: quarum vna, duce Floro, credebat gratiam à D. Auguſtino ita prædicari, vt tolleret liberum arbitrium. Altera verò pro liberi arbitrij defenſione pugnabat. Quam diſſenſionem S. ille Doctor, vt tolleret, ſcripſit duas epiſtolas ad Valentinum Adrumetini Monaſterij præfectum, eiuſdémque Monachos, quæ ſunt inter Auguſtinianas 46.& 47. totidémque libros, vnum de Gratia, & libero arbitrio; alterum de Correptione, & gratia: monens vtrumque errorem vitandum eſſe, mediâque viâ, quam tenet fides Catholica, incedendum. Ita vt neque liberum arbitrium per peccatum Adæ extinctum eſſe credatur, ſed debilitatum: neque per gratiam impediri, aut perimi, ſed iuuari, & ſanari: & ſic liberum arbitrium, ſiue in bonum, ſiue in malum ſupereſſe non negetur; nec tamen ei tantùm tribuatur, vt ſine Dei gratia ad bonum agendum, aut malum vitandum ſufficiat. Illóſque admonet epiſtola 47. vt *ne declinent ad dexteram, vel ad ſiniſtram*, id eſt, *non ſic defendant liberum arbitrium, vt ei bona opera ſine Dei gratia tribuant*, iuxta errorem Pelagianorum: *nec ſic defendant gratiam, vt quaſi de illa ſecuri, mala opera diligant, aut negligant*, iuxta opinionem Prædeſtinatianorum, qui ea prædeſtinatis minimè nocere credebant. Ex quo patet quantùm à veritate aberrent, qui errorem ab Auguſtino refutatum, ipſiuſmet doctrinam eſſe perſuadere conantur, ſententiámque Prædeſtinatianis attributam, non hæreticam eſſe, ſed veram, & Catholicam ab Auguſtino aſſertam, & hæreſis infamatam à Semipelagianis Auguſtini obtrectatoribus.

3. *Eius origo.* Eandem ex Auguſtini ſcriptis malè intellectis originem duxiſſe teſtatur Proſper epiſtola citata, vbi referens Auguſtino, quæ contra illius doctrinam de prædeſtinatione obiiciebantur ab Epiſcopis Galliæ, & presbyteris Maſſilienſibus; dicit eos ex illa inferre. *Hoc propoſitum vocationis Dei, quo ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum, & reiiciendorum dicitur facta diſcretio; & ſecundum quod placuit creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſunt creati: & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre: eò quòd in vtramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vlla induſtria poſſit intrare, neque electus vllâ negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definiuit, accidere: & ſub incertâ ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem: cum ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit adnitentis intentio. Remoueri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes; & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Et inferiùs, epiſtolam concludens, rogat Auguſtinum vt explicet, quomodo poſſit difficultatibus iſtis, circa eius doctrinam motis ſatisfacere, ipſúmque à ſuſpicione tam ſiniſtræ opinionis vindicare. *Tribue*, inquit, *Pater optime, vt quæ in iſtis quæſtionibus obſcuriora ſunt digneris aperire. Quomodo per iſtam præoperantem, & cooperantem gratiam, liberum non impediatur arbitrium: quemadmodùm per hanc prædicationem propoſiti Dei, nemo eorum, qui cohortandi ſunt, impediatur; nec occaſionem negligentiæ habeant, ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent.* Ex quo iterum patet, quantum aberrent à mente Proſperi, & à rei veritate, qui volunt Auguſtini doctrinam illam eſſe, quam Proſper ipſi tribui ægrè ferebat, & quomodo illam calumniam repelleret, explicari poſtulabat.

Eandémque hæreſim à Cœleſtino Papa damnatam fuiſſe, teſtantur Hincmarus in epiſtola ad Nicolaum Papam, & antiquus auctor libri inſcripti *Prædeſtinatus*, in eius præfatione, vbi refert Cœleſtinum Pontificem, librum ab ipſis vulgatum, ementito nomine Auguſtini, ſibíque oblatum, ita execratum eſſe, vt eum perpetuo damnari iuberet ſilentio. Idémque auctor primus ex profeſſo eiuſdem hæreſis refutationem aggreſſus eſt, quam & in hæreſum catalogo nonageſimam collocauit ſub nomine Prædeſtinatorum; vt etiam fecit Proſper Tiro, non ille Aquitanus, Auguſtini diſcipulus; ſed alter eiuſdem nominis, & ætatis, in Chronico Pithœano, id eſt Pithœi curâ edito ex codice bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis; & Gennadius Maſſilienſis in appendice ad librum S. Auguſtini de hæreſibus, vbi ad octoginta nouem ab ipſo enumeratas, quatuor poſtea exortas addidit, Prædeſtinatianam, Neſtorianam, Eutychianam, & Timotheanam, vt teſtatur Hincmarus lib. de prædeſtinatione, cap. 1. *Sed & de hæreſibus 88.* inquit, *idem Doctor mirificus Auguſtinus librum conſcripſit, quibus nouiſſimè hæreſim Pelagianorum ſubiunxit. Inde Gennadius Maſſilienſis Sacerdos valde doctus, hanc Prædeſtinatianam nonageſimam hæreſim ſectæ Pelagianæ ſuppoſuit: deinde nonageſimam primam Neſtorianam ponit, ſicque Eutychianam, & poſt hanc Timotheanam.* Habetur etiam hæc appendix ad librum Auguſtini de hæreſibus, in codice Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis. 4. *Damnatur à Cœleſtino.*

Ad eandem hæreſim reſpexit Arauſicana Synodus II. can. 25. dum dixit: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati (Chriſto auxiliante & cooperante) quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere. Aliquos verò ad malum diuinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Expreſsè verò damnata fuit in Concilio Arelatenſi triginta Epiſcoporum, anno, vt vult Baronius 490. in qua, epiſtola Fauſti ad Lucidum approbata fuiſſe dicitur, & Epiſcoporum ſubſcriptione munita: qua epiſtola exprimuntur, & anathematizantur Prædeſtinatianorum errores: eádémque conuictus Lucidus, & ad fidem Catholicam reductus, ſuam fidei profeſſionem, & errorum abiurationem obtulit eidem Concilio Epiſcoporum. Et quoniam ex illis duabus epiſtolis præcipuè conſtat, quænam fuerint huius hæreſis dogmata; non erit abs re eas integras hoc loco tranſcribere. Sic igitur habet epiſt. Fauſti ad Lucidum, prout refertur à Baronio ad ann. Chriſti ſupradictum num. 18. 5. *Et ab Arauſicano.* *Et ab Arelatenſi.*

Domi-

6. *Epistola Fausti ad Lucidum.* *Domino deuinctissimo, & mihi speciali affectu venerando ac suspiciendo fr. Lucido presbytero, Faustus.*

Grandis caritas est, parum cauti fratris errorem, per Dei adiutorium, & gratiam, magis velle curare; quàm, sicut summi Antistites meditantur, à bonitate suspendere. Quid possum de hoc sensu, sicut vis, cum vnanimitate tua per literas loqui, cùm te præsens, multâ, & blandâ, & humili allocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquentes ergo de gratia Dei, & obedientia hominis, id omnimodò statuere debemus, vt neque proni in sinistram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixisse miratus sum, quod nullus vnquam sub religiosa professione, contra Catholicam fidem vel scripserit, vel prædicauerit: cùm plurimi multiplices, & profanos auctores suos etiam scriptorum monumentis crediderint inserendos, qui tamen Christiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam quantum cum absente loqui possum, quid sentire cũ Ecclesia Catholica debeas; id est,

Vt cum gratia Domini, operationem baptizati famuli semper adiungas; & eum qui prædestinationem, excluso labore hominis, asserit, cum Pelagij dogmate detesteris.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates, hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse saluari, damnanda præsumptione contenderit: & qui eum sine gratia Dei, liberari posse crediderit.

Item anathema illi, qui hominem cum fideli confessione solemniter baptizatum, & asserentem Catholicam fidem, & postmodùm per diuersa huiusmodi oblectamenta prolapsum, in Adam, & originale peccatum, periisse asseruerit.

Item anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem deprimi hominem dixerit.

Item anathema illi, qui dixerit illum, qui periit, non accepisse vt saluus esse posset, id est, de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit, & noluit.

Item anathema illi, qui dixerit, quòd vas contumeliæ nõ possit assurgere, vt sit vas in honorem.

Item anathema illi, qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit.

Cùm autem ad nos in Christi nomine veneris, aut cùm à SS. Sacerdotibus euocatus fueris; tũc opportunè (si Dominus iusserit) locis suis testimonia proferemus, quibus, & quæ Catholica sunt, manifestentur, & quæ Catholicis sunt contraria, destruantur. Hæc Faustus, qui & mox subdit, quæ de his ipse sentiat, verbis istis.

Nos autem per illuminationem Christi, veraciter, & confidenter asserimus, & eum, qui periit per culpam, saluum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsius famulatui, laboris obedientiam non negasset: & eum qui per gratiam, ad bonæ consummationis metas, seruitio obsequente, peruenit, cadere per desidiam, & perire potuisse per culpam.

Nos ergo per medium, Christo duce, gradientes, post gratiam, sine qua nihil sumus, laborem laboriosæ seruitutis asserimus; sed omnimodò arrogantiam, & præsumptionem laboris excludimus, vt totis viribus desudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronunciemus esse non pretium; scientes laboris ipsius fructum, officij rem esse non meriti; cum Euangelistâ dicentes, *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Hæc quæ strictim pro Epistolæ breuitate memorata sunt, aut recipere se, aut respuere vnanimitas tua recurrente sermone respondeat. Ceterùm qui hanc veritatis mensuram, gratia præcedente, & conatu assurgente, non sequitur; dignus erit, qui à sacris liminibus arceatur.

Ego autem indiuiduam mihi bonitatem tuam, toto sinceræ benignitatis amplexu in via retinẽs, in matris Ecclesiæ gremio permanere, repudiato hoc errore, desidero; qui si citò respuatur, ignorantiæ fuisse videbitur: blasphemia verò reputabitur, si pertinaciter defendatur. Grauem namque in auctorem retorquemus inuidiam, si dicamus quòd ei possibilitatem capessendæ salutis noluerit dare, qui periit: ei duntaxat, qui capere iam possit arbitrij libertatem: cùm minimè negare possimus quòd mandati præuaricatorem in iudicij sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, nescio quomodo reus esse possit de perdito, ac sic peccantes in Deum, cuius in primis incautiùs asseruimus gratiam, in postremis eius videbimur impugnare iustitiam. Huius autem Epistolæ exemplar mecum retineo, in conuentu SS. Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quam si suscipiendam putauerit fraternitas tua: aut subscriptâ manu propriâ mox remittat, aut sequentibus scriptis omninò se improbasse respondeat. Quòd si eam subscriptam, vt dixi, transmittere nolueris; apertè adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis: ac proinde iam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideo secundùm hæc, quæ à me sunt directa rescribe, vtrum ea remotis circuitionibus aut cognoscas, aut respuas. Huc vsque Epistola Fausti, postea Concilio Arelatensi oblata, & ab ipso probata, vt refert ibidem Baronius: cui Lucidus obtemperans, & ab errore resipiscens, hanc fidei suæ confessionem continentem epistolam, ad Concilium misit.

Dominis Beatissimis in Christo RR. PP. Leontio, Euphronio, Fonteio, Viuentio, Mamerco, Patienti, Viriano, Auxiano, Fausto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Basilio, Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano, Amicali, Ioanni; Opilioni, Licinio, Viuentio, Theophlasto Episcopis, Lucidus. *Epistola Lucidi ad Concilium Arelat.*

Correctio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Vnde & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando, excusem, & salutiferâ confessione meâ diluam.

Proinde iuxta prædicandi recentia statuta Concilij, damno vobiscum sensum illum, qui dicit humanæ obedientiæ laborem, diuinæ gratiæ non esse iungendum.

Qui dicit post primi hominis lapsum, ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

Qui dicit, quòd Christus, & Saluator noster mortem non pro omnium salute susceperit.

Qui dicit, quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.

Qui dicit, quòd post acceptũ legitimè baptismum, in Adam moriatur, quicunque deliquerit.

Qui dicit, alios deputatos ad mortem; alios ad vitam prædestinatos.

Qui dicit ab Adam vsque ad Christum, nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id est,

O

per legem naturæ in aduentum Christi fuisse saluatum: eo quòd omnes liberum arbitrium in primo Parente perdiderint.

Qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel summos quosque SS. etiam ante redemptionis tempora intra Paradisum deguisse. Hæc omnia, quasi impia, & sacrilegiis repleta condemno.

Ita autem assero gratiam Dei, vt annisum hominis & conatum, gratiæ semper adiungam: & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam, & infirmatam esse pronunciem: & periclitari eum, qui saluus est, & eum, qui periit, potuisse saluari.

Christum etiam Dominum, & Saluatorem nostrum, quantùm pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse: & quia nullum perire velit, qui est saluator omnium, maximè fidelium: diues in omnibus, qui inuocant illum.

Assero etiam, per rationem, & ordinem seculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos: tamen ex initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis non absolutos.

Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas, factis capitalibus præparatas: quia perseuerantes humanas culpas meritò sequitur diuina sententia; quam iustè incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me Domini Sancti & Apostolici Patres. Huc vsque epistola, & professio Lucidi, definitionem suprà nominatorum Episcoporum amplectentis, & Concilij iudicio, vt par erat, se subiicientis.

8. *Gotescalcus hæresim Prædestinatianam renouat.* Denique cùm 300. ampliùs annis sopita fuisset hęc hęresis, ac penè extincta: restaurari cœpit ante 800. circiter annos per Gotescalcum Monachum, Orbacensis Monasterij in parœcia Suessionensi, tempore Caroli Calui regnantis in Gallia. Ac primò quidem è Monasterio in Italiam transmigrans, cœpit eam spargere in agro Veronensi. Quod audiens Rabanus Moguntinus Archiepiscopus, duas scripsit epistolas contra eius errores: vnam ad Notingum Veronensem Episcopum: alteram ad Eberardum eiusdem prouinciæ Comitem. Quibus perlatis, Gotescalcus siue iussu Episcopi, & Comitis, siue sponte, ex Italia recedens, & in Germaniam commigrans, Rabanum adiit, erroríſque sui libellum ei obtulit. *Damnatur à Synodo Mogunt. Habita fuit hæc Synodus anno 848.* Ille autem coacto Episcoporum Germaniæ Concilio, Moguntiæ eum damnauit, & ad Hincmarum ipsius Metropolitanum remisit cum epist. Synodica, damnationis causam continente. *Illius errores.* Præcipui autem errores in eius lib. de prædestinatione contenti erant: Deum ab æterno prædestinasse quos voluit ad regnum; & quos voluit prędestinasse ad interitum: atq; illos quidem perire non posse, istos autem non posse saluari: Dei scilicet decreto antecedentem necessitatem vtrisque imponente. Item, Deum non velle omnes homines saluos fieri, sed eos duntaxat qui saluantur reipsa. Neque venisse Christum, vt omnes saluos faceret, aut passum esse pro omnibus: sed pro iis tantùm, qui passionis eius mysterio saluantur. Denique, homines post lapsum Adæ non posse vti libero arbitrio ad bene agendum, sed tantùm ad malè agendum. *Iterum damnatur à Synodo Carisiaca.* Propter quos errores damnatus iterum fuit ab Hincmaro, & aliis Episcopis in Synodo Carisiacẽsi, & retrusus in Monasterium, vbi tamdiu virgis cæsus est, donec librum suum in ignem propè accensum coniiceret. Quo autem sensu intelligẽda sint decreta Synodi Valentinæ, circa idem tempus celebratæ, quæ statutis Carisiacæ videntur esse aduersa, quæque dicuntur in libris editis nomine Ecclesię Lugdunensis, exponemus inferiùs n. 23. Plura de hac hæresi videri possunt tum apud auctores citatos, tum in lib. quem vir doctissimus Iacobus Sirmundus de historia hæresis Prædestinatianæ recentissimè scripsit. Eiusdem hęresis mentionem fecerunt Thomas Waldensis, Genebrardus, Alphonsus à Castro, Sanderus, Prateolus, Baronius, Iacobus Gauterius, & alij recentiores Scriptores Catholici, qui antiquas hæreses recensuerunt.

SECTIO II.

Refellitur diuinatio noui Dogmatistæ de hæresi Prædestinatiana.

9. *Iansenius negat talem hæresim fuisse.* His tamen omnibus posthabitis, Iansenius lib. 8. de hær. Pelag. c. vlt. nullam vnquam fuisse Prædestinatianam hæresim affirmat: sed quam Sigebertus, & alij eum secuti hoc nomine indigitarunt, nihil aliud esse, quàm veram Augustini, Prosperi, Hilarij, & aliorum gratiæ defensorum doctrinam de prędestinatione gratuita, quam Semipelagiani hæresis notâ infamarunt. *Existimo equidem*, inquit, *nunquam in rerum naturâ fuisse hæresim Prædestinatianam, vel hæreticos Prædestinatianos: sed è contrario doctrinam Catholicam, quam S. Augustinus, & Prosper docuerunt, sub nomine istius hæresis calumniosè à Massiliensibus traductam esse. Itaque hæretici illi Prædestinatiani non fuerunt alij, quàm S. Augustinus, Prosper, Hilarius, & quotquot eorum doctrinam sequebantur, quos eo nomine indigitarunt Semipelagiani; atque inter hæreticos, nominibus eorum non expressis, collocarunt: quibus credula posteritas, quosdam tanquam hæreticos Prædestinatos auersata est.*

10. *In quo sentit cum Caluinistis.* Hanc autem diuinationem non ipse primus excogitauit, sed à Lutheranis, & Caluinistis, eiusdẽ hæresis recoctoribus, accepit, præcipuéq; à Iacobo Vſſerio insigni Caluinista Hiberno, qui ann. 1631. librum edidit Dublini, hoc titulo inscriptum: *Gotteschalci, & Prædestinatianæ controuersiæ ab eo motæ historia*, quo lib. probandum suscepit eos, qui pro Prædestinatianis hæreticis habentur, non alios fuisse, quàm doctrinæ Augustinianæ defensores. Ad quod persuadendum iisdem vtitur coniecturis, & argumentis, quibus Iansenius: vt rectè notauit Antonius Ricardus lib. 1. disput. de lib. arb. c. 1. sect. 6. §. 3. relatis vtriusque verbis: Neque enim sensum duntaxat, sed verba fere ipsa transcripsit Iansenius. Neque tamen (quod æquum erat) vllam eius mentionem facere dignatus est, vt si quam laudem meretur hæc diuinatio, totam sibi arrogaret, veluti suo labore, & ingenio partam, vt non obscurè significat, præsertim in fine cap. citati.

11. *Argumenta, quibus id probant.* Primũ illius argumentum est, quia nullum hæreseos istius indiciũ extat apud Augustinum: cũ tamen mox sub initium hęreseos Pelagianæ, an. videlicet 415. vt Sigebertus ait, quo necdum hæresis Pelagiana proscripta fuerat, exorta memoretur. *Diluitur primum.* Respondeo constare ex dictis n. 2. falsum esse, quod assumit Iansenius. Nam erroris pręcipui sectæ Prędestinatianorum mentionem fecit Augustinus in epist. 46. & 47. ad Valentinum & Monachos Adrumetinos scriptis, & in libris

de Gratia, & libero arbitrio, déque Correptione, & gratia, quos ad eundem errorem in ipso eius ortu extinguendum conscripsit. Tametsi neque tunc, neque nisi aliquantò pòst, hæresis Prædestinatianorum appellationem obtinuit: sicut hæresis Semipelagiana nunquam ab Augustino, Prospero, aut Hilario sic appellatur, sed diu pòst nomen illud sortita est, nec nisi à Theologis Scholasticis illud accepit.

12. Secundum argumentum est, quia Hincmarus ait, eam primùm in Africâ, postea in Galliis per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis nascebatur, exortam esse; hoc est, in Africa, viuente Augustino: in Galliis sub mortem eius, vtpote, qui Ephesum ad condemnationem hæresis Nestorianæ vocatus, iam obierat. Tunc autem cœperunt contentiones aduersus Augustini libros de Correptione & Gratia, & de natura, & libero arbitrio feruere. Tunc etiam prædestinatio gratiæ vehementissimè oppugnari cœpit, vt ex lib. de Dono perseuer. perspicuum est.

Refellitur secundum. Respondeo hæc omnia nihil aliud probare nisi, quod vltro fatemur, quódque affirmant Gennadius, Sigebertus, Hincmarus, Baronius, & alij veteres, æquè ac recentes Scriptores Catholici, qui de hæresi Prædestinatiana scripserunt, ortum illam duxisse ex scriptis D. Augustini malè intellectis: quando scilicet ea, quæ Massilienses, aut Adrumetini, perperam inferebant ex eius doctrinâ, quæque plerique, vt falsa, reiiciebant: alij vt veram, & Augustinianam de prædestinatione sententiam amplexi sunt, ob idque postea nomen Prædestinatianorũ adepti.

13. Tertium argumentum est, quia Hincmarus addit, hæresim hanc tempore Cœlestini Papæ, ipsius auctoritate, & instantia Sancti Prosperi reuictam esse. Est autem certum, acerrimè Prosperum aduersus calumniatores doctrinæ S. Augustini de prædestinatione, depugnasse, quemadmodum ex duobus eius libris, responsione videlicet ad capitula Gallorum, & ad obiectiones Vincentianas liquet. Nam vterque liber in eo totâ neruorum contentione versatur, vt ostendat falsa esse, vel non intellecta, vel in peruersum sensum rapta, quæ de prædestinatione, & non omnium redemptione, & similibus capitibus sibi, & Augustino imponebantur à Massiliensibus. Aduersus istos igitur pugnauit quidem acriter S. Prosper, eósque compressit auctoritate suâ Cœlestinus: non tamen tanquam qui essent hæretici Prædestinatiani; sed è contrario, tanquam qui tales errores de prędestinatione ab Augustino, & Prospero doceri asserebant.

14. *Satisfit tertio argumento.* Respondeo Prosperum refutando Massilienses, & alios Semipelagianos, qui contra doctrinam Augustini malè intellectam, multa obiiciebant: quique, vt ipse ait, in præfatione ad obiectiones Vincentianas, contexebant, & qualibus poterant sententiis, comprehendebant ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eáque ostendenda, & ingerenda multis publicè, priuatímque circumferebant, asserentes talia in Augustini, & Prosperi esse sensu, qualia diabolico continebãtur indiculo, nos, inquam, D. Augustini calumniatores refutando, simul etiam refutasse alios, qui eorum technis, & fallacibus interpretationibus, aut malis ratiocinationibus decepti, existimabant talem esse doctrinam Augustini de prædestinatione, qualem illi proponebant, eámque vt veram, & Catholicam amplexabantur, non obstantibus iis, quæ ab eodem Prospero de verâ S. Doctoris intelligentia scribebantur. Cœlestinus quoque non solùm Augustini obtrectatores repressit rogatu Prosperi, & Hilarij, per epistolam scriptam ad Episcopos Galliæ: verùm etiã eos, qui sententiam de prædestinatione falsò, & calumniosè illi adscriptam, vt veram, & sanam eius doctrinam sequebantur: quando, vt diximus num. 4. librum ab eis sibi oblatum, Augustini nomen falsò præ se ferentem, execrationi habuit, & æterno silentio damnauit: quemadmodum refert antiquus auctor Anonymus libri inscripti *Prædestinatus*. Ad quod etiam à Prospero inductum fuisse, sibi facilè persuadent, qui sciunt Cœlestinum diu illum apud se habuisse, eiúsque operâ in confutandis hæreticis vsum esse: vt refert ipsemet Iansen. lib. 1. de hæresi Pelag.

Quartum argumentum est, quia, inquit, primus omnium, qui dogmata Prædestinatianorum recensuit, fuit Gennadius Massiliensis presbyter, non mediocriter de Semipelagiana hæresi suspectus, vel infectus, & Augustino ac Prospero, gratiæ patronis integerrimis, periniquus; quorum vnum tanquam ex multiloquiò peccantem, & errantem taxat; alterum tanquam qui Cassiani salutaria opuscula, hoc est, errores de gratia, vt nociua infamauerit. Nam in catalogo hæreticorum, qui tribuitur Hieronymo, & vsque ad Photinum, & Eunomium perducitur, additur in fine, *Huc vsque S. Hieronymus. Hac verò, quæ sequuntur à S. Gennadio Massiliensi presbytero sunt posita.* Prima verò hæresis, quam Gennadius ibi ponit, est Prędestinatianorum. Nam de Pelagianis, & Semipelagianis nulla mentio. Gennadium verò de hæresibus scripsisse testatur ipsemet non vno loco, in lib. de viris illustribus, &c. & longè pòst §. *Nihil arbitror.* Qua de causa, inquit, S. Isidorus Hispalensis Episcopus, Hincmaro antiquior, atque doctior, cùm librum istum Gennadij vidisset, atque inde plures hæreses iisdem omnino verbis descripsisset: Pelagianos à Gennadio prætermissos addidit, & Prædestinatianos à Gennadio positos prætermisit. 15.

16. *Respondetur quarto argumento.* Respondeo cum Sirmundo, c. 6. lib. suprà cit. multa in hoc argumẽto peccari. 1. quia falsum est Gennadium primum omnium Prædestinatianos in hæreticorum album retulisse. Nam ante illum retulerant Prosper, & auctor Anonymus *Prædestinati*. 2. quia constat Gennadium librum de hæresibus nullum edidisse, sed quatuor tantummodo hæresum appendicem ad S. Augustini lib. adiecisse, vt probauimus num. 4. testimonio Hincmari, cui hæc longè propiora, & notiora, quàm Iansenio fuerunt: & ex codice Biblioth. S. Victoris Parisiens. in quo post finem libri S. Augustini de hæresibus, subiuncta est Gennadij appendix, quam diximus, in hunc modum. *Finit relatio S. Augustini Episcopi de hæresibus. Hæc verò, quæ sequuntur à S. Gennadio Massiliensi presbytero sunt posita. Nonagesima, Prædestinatiani sunt, qui dicunt, quòd Deus, &c. Nonagesima prima, Nestoriani dicunt S. Virginem, &c. Nonagesima secunda, Eutychiani dicunt Dominum Iesum, &c. Nonagesima tertia, Timotheani dicunt Filium Dei, verum quidem hominem ex Virgine Maria natum, sed non ita vnam, &c.* Tum deinde, *Explicit liber de hæresibus.* Vnde constat Gennadium non vlteriùs progressum esse, sed hæresibus ab Augustino enumeratis, has tantùm quatuor adiecisse. 3. Cùm

3. Gennadius licèt fortasse id in animo habuerit, nullum reipsa librum de hæresibus scripserit, sed appendicem tantùm prædictam libro Augustini addiderit: perperam affirmat Iansenius librum, qui nunquam fuit, ab Isidoro expilatum fuisse; & in eo Pelagianos, quibus scilicet ille fauebat, prætermissos fuisse: cùm nec illos ab Augustino octuagesimo nono loco enumeratos prætermiserit: nec tanquam illorum erroribus fauens prætermittere debuerit: quandoquidem in catalogo illustrium Scriptorum Ecclesiæ, Pelagium hæresiarcham apertè nominauerat. 4. Perperam quoque Prædestinatianos ab Isidoro, quos apud Gennadium repererat, prætermissos pronunciat. Nam id, neque in lib. Gennadij de hæresibus repererat, quippe qui nullum scripsit, vt modò diximus: neque in appendice, quam ne quidem viderat, vt facilè patet conferendo quæ de Nestorianis, & de Eutychianis ab vtroque sunt scripta: in quibus ne apex quidem vnus apparet, quem à Gennadio Isidorus mutuatus sit, quin potiùs causa cur Isidorus Prædestinatianos omiserit, est, quia Gennadij appendicem non legerat.

17. Quintum argumentum est, quia omniā, quæ Sigebertus, & Hincmarus, maximéque Gennadius, Prædestinatianis ascribunt, sunt ipsissima illa dogmata, quæ Semipelagiani, tāquam ab Augustino tradita, atque in eius libris expressa carpebant. Quod vsque adeo verum est, vt Gennadius plerumque iisdem vtatur verbis aliò detortis, quibus Augustinus vsus est, vel quæ sancto viro ab eius obtrectatoribus obiecta sunt. Quod ita esse probat deinceps longā inductione per singula dogmata à Gennadio, Sigeberto, & Hincmaro adscripta Prædestinatianis: inter quæ dicit, nonnulla esse apertè Catholica: vt quòd Deus non det omnibus iustis perseuerantiam, illis scilicet, qui non sunt prædestinati: quódque illi, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidiā, vel in omni genere peccati, longo tempore; imò ad finem vitæ vsque volutentur, accepturi sint gratiam; adeóque occasionem, quā & credant in Deum, & secundùm Dei præceptum viuant, vt possideant societatem iustorum. Ac denique hæresim illam falsò præsumptam non esse aliud, quàm calumniam Semipelagianorum, liquere dicit ex eo, quòd Gennadius ait Prædestinatianos, talibus suis dogmatibus docere, quòd Deus personas hominum accipiat, quódque Deus alios, etiam inuitos, post multa mala opera, attrahat ad salutem; alios post bona, reiiciat. Quæ sunt ipsissimæ Semipelagianorum querelæ contra distributionem, & operationem gratiæ, sanámque de prædestinatione doctrinam, quam hoc nomine inuidiosè traducebant, quòd alij post multa mala opera attraherentur ad salutem, sicut non dubitat Catholica fides; alij post multa bona reiicerentur; quod itidem verum est, quando ab ipsis bona opera deseruntur.

18. *Quintum refellitur.* Respondeo iam suprà dictum esse illa ipsa, quę à Semipelagianis obiiciebantur Augustino, & in eius doctrinā malè intellectā reprehendebātur, fuisse à plerisque aliis approbata, vt germana eiusdem Augustini, & veræ fidei Catholicæ dogmata. Nam quòd illa calumniosè obiicerentur, & falsis interpretationibus Augustini verba peruerterentur, docet Prosper verbis suprà relatis num. 3. & in præfatione responsionis ad capitula Gallorum, vbi sic ait de Massiliensibus, *Doctrinam, quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decomptores, per multos annos Apostolicè asseruit, literisque mandauit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere, & hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre, vt quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent; talique commento, & detestationem eius, quem impeterent, obtinerent; & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris auerterent.* Quòd verò nonnulli falsas illas interpretationes pro veris haberent, testatur ipsemet Augustinus epist. 46. & 47. & lib. de Correptione & gratia, quem scripsit, vt Adrumetinos ab eiusmodi deceptione reuocaret. Idémque Prosper subindicat, cùm immediatè post verba proximè relata ex præfatione responsionis ad capitula Gallorum, subiungit: *Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum scriptis Catholici inesse Doctoris, qualem eum, quem frustra calumniantur, ostentant singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt: breui, & absoluta professione respondeo, in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur: vt facilè, vel tenuis diligentiæ aduertat inspector, quàm iniustè opprobriis Catholici prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptiùs habeant culpare, quàm nosse.* Et libro contra Collat. capite primo dicit Massilienses, suis contra Diui Augustini doctrinam obiectionibus, trahere ad se multos ineruditos, & non habentia spiritum discretionis corda turbare: neque negligendum esse hoc malum, quod ab occultis prauísque seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latiùs, longiúsque distenditur. Sicut autem nonnulli his turbati Semipelagianis se adiungebant in Augustino reprehendendo, & in excusandis ab errore Pelagianis: sic alij ex opposito falsas eorum interpretationes, & calumnias, pro genuina Augustini doctrina accipiebant, verámque, & Catholicam esse profitebantur.

Denique dogmata illa, quæ à Gennadio, Sigeberto, & Hincmaro tribuuntur Prædestinatianis, non esse doctrinam S. Augustini, docet Prosper in libris responsionum ad capita Gallorum, & ad obiectiones Vincentianas, excerptáque Genuensium. Fuisse autem qui illis adhærerent, vt Augustinianis, & Catholicis, fatetur ipsemet aduersarius de Goteschalco; & de Lucido presbytero, aliisque pluribus, patet ex Concilio Arelatensi, & auctoribus præcedenti sect. relatis: eadémque fere omnia veram esse Augustini doctrinam docet idem aduersarius tum cap. illo 23. l. 8. tum omnibus libris sequentibus, quibus doctrinā S. illius Doctoris de gratia, & lib. arb. déque prædestinatione, & reprobatione, suo sensu exponit. 19.

Cùm autem Gennadius inter dogmata Prædestinatianorum recenset, quòd dicerent non dari omnibus iustis perseuerantiam: non intelligit de perseuerantia in actu secundo; quo sensu id verissimum est: sed de perseuerantia in actu primo, id est, de potentia perseuerandi, quam illi solis prædestinatis dari volebant; in quo eodem errore versari 20.

Vide infrà disput. 38. & 39. Iansenium ostendemus alibi, examinando quæ docet de prædestinatione & reprobatione, libro nono & decimo de gratia Christi Saluatoris. Contra quem errorem Synodus Arausicana II. can. 25. pronunciauit *credendum esse secundùm fidem Catholicam quòd acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati (Christo auxiliante, & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere:* adeóque possint perseuerare.

21. Quando etiam errori tribuit quòd dicerent, illos, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, accepturos esse gratiam; adeóque occasionem quâ & credant in Deum, & secundùm Dei præceptum viuant, vt possideant societatem iustorum; etiamsi in perfidiâ, vel in omni genere peccati longo tempore; imò ad finem vitæ vsque voluntentur: & è contrario eis, qui non sunt prædestinati, licèt aliquandiu bene vixerint, subtrahendas esse vires ne perseuerent in bono: intelligit iuxta sensum Prædestinatianorum, id fieri ex antecedenti necessitate inducta per ipsam prædestinationem, & reprobationem; quia scilicet Deus pro suo mero beneplacito, selegit aliquos ex massa perditionis, quos per media necessitantia saluare decreuerit: quique, vi talis electionis, sint necessariò saluandi, neque possint malè vitam finire, quidquid antea mali fecerint. Alios contrà in massa perditionis reliquit, & idcircò destituit gratiâ necessariâ, vt bene finiant, & salutem consequantur: ac proinde necessariò in statu malo vitam finiunt, licèt toto anteacto tempore bene operati sint. Quæ est ipsamet doctrina Iansenij libro nono & decimo de gratiâ Christi Saluatoris: quidquid dissimulet hoc loco, dicens Deum eos deserere quando ipsi bona opera deserunt: vt intelligat lector ideo deserere, quia ipsi priùs bona opera deseruerunt. Nam iuxta ipsius doctrinam, vt ostendemus alibi disputat. 38. & 39. Deus non eos deserit, seu destituit gratiâ necessariâ vt bene vitam finiant, & saluentur, quia ipsi priùs bona opera deseruerunt: sed quia pro suo mero beneplacito, eos reliquit in massa perditionis, decreuítque non dare gratiam necessariam, vt ex illâ possint exire, & saluari. Quam sententiam meritò exhorrent omnes Catholici. Denique eodem sensu accipiendum est, quod ait Gennadius, Prædestinatianos suis dogmatibus fatere Deum acceptorem personarum, id est, quosdam eligere ad vitam æternam, alios æternæ morti addicere pro suo arbitrio: non autem ex propriis ipsorum meritis, aut demeritis; quósque saluare statuit, inuitos licèt, & diu resistentes, maléque operantes, cogere tandem, id est, necessitate ad conuersionem, atque post quæcunque mala opera ad salutem pertrahere: alios verò post multa bona opera reiicere.

22. *Dissensio propter Goteschalcum.* Opponit 6. Ecclesiam Lugdunensem in libro de tenenda Scripturæ veritate, & libro de tribus epistolis, Synodúmque Valentinam sub Lothario celebratam in Gallia, approbasse articulos, quos in Goteschalco tanquam hæretico Prædestinatiano improbauerant Hincmarus, & Synodus Carisiacensis; quòd scilicet sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauit ad mortem: quódque Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed tantùm eos, qui saluantur: Nec pro totius mundi redemptione, id est, pro omnium hominum salute, & redemptione Dominus, & Saluator noster Iesus Christus sit crucifixus & mortuus; sed tantùm pro iis, qui saluantur. Quos articulos partim Catholicos, partim Augustinianos, & non improbandos dixit Ecclesia Lugdunensis: Synodus autem Valentina edidit quatuor capitula illis consentanea, quibus alia quatuor Synodi Carisiacæ, illis opposita, reprobauit.

23. *Quomodo eius Propositiones diuersimodè acceptæ circa Prædestinationem.* Respondeo, dissensionem illam inter Ecclesiam Lugdunensem, & prædictas Synodos ortam esse ex diuersa intelligentia propositionum Goteschalci, quas benigniùs Ecclesia Lugdunensis, & Synodus Valentina interpretata est: Moguntina verò, & Carisiaca rigidiùs magisque ad sensum auctoris. Quod in hac materia eò faciliùs accidere potuit, quia vt ait ipse Iansenius citato cap. 23. §. *Tertius articulus*, in fine, In tam arcanis abstrusísque doctrinæ Ecclesiasticæ capitulis discernendis, tanta verborum vicinitate, & similitudine expressis, facilè hallucinari, & falli homines solent. Quando ergo Ecclesia Lugdunensis, & Synodus Valentina approbarunt, Deum sicut quosdam ad vitam æternam, sic alios ad mortem æternam prædestinasse: intellexerunt, quòd ad mortem æternam prædestinauerit consequenter propter ipsorum peccata præuisa: non autem, quòd antecedenti & efficaci voluntate ad mortem æternam, adeóque ad peccatum, quod est ipsius causa, prædestinarit. Synodus verò Carisiacensis cum Hincmaro, & antea Synodus Moguntina cum Rabano, in hunc secundum sensum propositionem illam Goteschalci damnauit: quem veterum Prædestinatianorum sensum fuisse testatur Hincmarus cap. 15. lib. de prædest. *Veteres*, inquit, *Prædestinatiani reproborum prædestinationem ad interitum confitentur; quos sicut dicunt à Deo prædestinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum. Hoc moderni Prædestinatiani colore mutant, sed odoris, & saporis intelligentia redolent. Dicunt enim prædestinauit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum: cùm non nisi per peccatum peruenire valeat ad interitum.* Eundémque sensum manifestè reiicit, & damnat Ecclesia Lugdunensis, & Remigius eius antistes in lib. de tribus Epistolis, vbi postquam benigniùs sententiam Goteschalci exposuit in alium sensum, quàm ab Hincmaro accipiebatur: hæc addit, *Si qui sunt, qui ex hoc scandalizari videantur, tanquam per istud prædestinationis verbum necessitas malè agendi cuiquam imposita esse significetur, instruendi potiùs fuerunt, quod Deus neminem prædestinet ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato, nec istâ prædestinatione aliquem cogat ad malè agendum.*

24. *Et circa voluntatem saluandi omnes.* Similiter quando Valentina Synodus approbauit quod aiebat Goteschalcus, Deum non velle saluare omnes homines, sed eos tantùm qui saluantur: & Christum pro omnibus non esse mortuum, &c. intellexit eum loqui de voluntate saluandi efficaci & absoluta: non autem de conditionata, & per modum beneplaciti: de qua Hincmarus, & Synodus Carisiaca non immeritò eum intellexerant. Déque morte Christi, & redemptione, non quoad sufficientiam tantùm, verùm etiam quoad efficacem applicationem, ita vt reipsa illis ad salutem consequendam profuerit. Ac si quid amplius voluit auctor libri de tribus epist. tributus Ecclesiæ Lugdunensi: fatetur

tamen probabilem esse sententiam, quæ generaliter affirmat Christum pro redemptione omnium mortuum esse, Deúmque velle omnes omnino homines saluos fieri; neque oppositam sententiam verè tribuit Augustino, vt ostendemus alibi. Eodémque isto secundo sensu Hincmarus cum Synodo Carisiaca, contra sententiam Gotescalci pronunciauit. Cui Synodo præter eundem Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, interfuêre Wenilo Senonensium Archiepiscopus, Fulconius Morinensium, Teudericus Cameracensium, Hrothadus Suessionum, Ragenarius Ambianensium, Immo Nouiomagensium, Erpoinus Syluanectensium, Lupus Catalaunensium, Yrminfridus Beluacensium, Turboldus Lingonensium, & Gernobrius Turonensi in prouincia Episcopus, aliíque plures, & illustres viri, vt refert ipsemet Hincmarus in epistola ad Nicolaum Papam. *In quorum præsentia*, inquit, *idem Goteschalcus, sicut & in Moguntina ciuitate inuentus hæreticus, atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Rigboldum Chorepiscopum, cùm esset Suessionicæ parochiæ Monachus, inscio ciuitatis suæ Episcopo vsurpauerat potiùs, quàm acceperat, abiectus, & pro sua irreuocabili contumacia, secundùm leges, & Agathenses canones, & regulam S. Benedicti, vt improbus virgis cæsus, sicut decreuerant Germaniæ prouinciarum Episcopi, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus*. Porro non obstante benigna explicatione Ecclesiæ Lugdunensis & Synodi Valentinæ, Goteschalcum inter hæreticos numerarunt, eiúsque dogmata à Synodo Moguntina, & Carisiacensi damnata vt erronea, & hæretica recensuerunt Trithemius, Sigebertus, Flodoardus, Baronius, Du Vallius, Binius, Grauina, Coccius, Prateolus, Gauterius, & alij Scriptores Catholici.

25\. *Quid sentiant noui Caluinistæ de epistolis Fausti, & Lucidi.*

Testimonio Concilij Arelatensis, quod habetur tom. II. Conciliorum Galliæ pag. 147. hoc titulo, *Concilium Arelatense à Leontio Arelatensi Episcopo, ad condemnandum prædestinationis errorem congregatum, &c.* & tom. III. Concil. pag. 823. nouæ editionis, nihil opposuit Iansenius, quo illud infirmaret; quia nondum in lucem prodierat alter eiusdem Iacobi Vsserij Caluinistæ liber, Dublini editus anno 1639. hoc est, anno post mortem Iansenij; quem inscripsit, *Britannicarum Ecclesiarum antiquitates, quibus inserta est pestifera aduersus Dei gratiam à Pelagio Britanno in Ecclesiam inductæ hæreseos historia*: in cuius libri cap. 13. contendit Fausti, & Lucidi epistolas esse Semipelagianas, nulliúsque Synodi auctoritate approbatas. Postquam autem ille prodiit, Iansenij fautores, & Apologistæ, qui, vt scitè ait Ricardus §. 4. sect. suprà cit. in omnia hæreticorum opera ius direptionis habere se putant, illum continuò expilarunt: atque, vt eorum Doctor vnius Caluinistæ auctoritate, & coniecturis, quas ab illo emendicauit, fretus, contra Catholicorum omnium opinionem scribere ausus est, nullam vnquam Prædestinatianorum hæresim extitisse: sic illi, altero eiusdem Caluinistæ opere animati, eiúsque instructi armis, Fausti, ac Lucidi epistolas, quas Cardinalis Baronius, Seuerinus, Binius, Brasichellanus Magister sacri Palatij, aliíque Scriptores Catholici sanas, verè Catholicas, & duarum Synodorum Arelatensis, & Lugdunensis iudicio confirmatas esse testantur, Semipelagianas, & nullius Concilij auctoritate comprobatas esse contendunt. Probántque præcipuè cum eodem Caluinista, ex eo quòd Henricus Canisius asserat, in manuscripto codice non reperiri subscriptiones illas Episcoporum, quæ in vulgatis editionibus leguntur: quásve falsitatis conuinci aiunt ex eo quòd in iis Leontij Arelatensis Archiepiscopi totius Synodi præsidis nomen non appareat.

26\. *Refutantur eorum coniecturæ.*

Sed huic obiectioni respondeo 1. cum Ricardo, Canisium loqui de vnico manuscripto sancti Galli, eóque perturbatissimo: quippe qui Fausti epistolæ, ne ipsius quidem Fausti subscriptionem attexit, sed alia quædam inserit, ac tandem post paginas circiter centum & viginti, Fausti subscriptionem alieno prorsus loco recitat in hæc verba: *Item aliâ manu, Faustus exemplar epistolæ meæ relegi, & subscripsi.* Quare si hoc argumentum valeret, & si ex vno illo codice iudicandum esset de epistola Fausti, sequeretur Faustum in epistolâ suâ, antequam subscriberet, posuisse fragmentum auctoris incerti, procemium S. Hieronymi, & alia multa quæ in codice illo Canisij haberi dicuntur ante subscriptionem Fausti.

Respondeo 2. quòd Leontius, & alij quidam non legantur subscripsisse epistolæ Fausti, non obstare, quò minùs vndecim illi Episcopi subscripserint, qui in vulgatis editionibus nominantur: Auxianus scilicet, siue Auxanius, Faustus, Paulus, Eutropius, Pragmatius, Patiens, Euphronius, Megetius, Claudius, Leucadius, Iulianus. 3. Quidquid de illis subscriptionibus dicendum sit: dubitari non potest quin epistola Fausti, seu doctrina in illa contenta, & Lucido proposita, fuerit à Concilio approbata. Id enim manifestè constat ex epistola Lucidi sic aientis ipso eius initio: *Correctio vestra, salus publica, & sententia vestra medicina est. Vnde, & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutiferâ confessione meâ diluam. Proinde iuxta prædicandi recentia statuta Concilij, damno vobiscum sensum illum, qui dicit humanæ obedientiæ laborem diuinæ gratiæ non esse iungendum, &c.* 27.

28\. *Eorundem calumnia in Synodum Arelatensem.*

Cùm autem addunt Arelatensem illam Synodum, ex Semipelagianis tantùm, aut ex Episcopis aliquot à Semipelagiano circumuentis fuisse conflatam: minùs de illa reuerenter loquuntur, quàm ipse Caluinista Vsserius, qui, dato, & non concesso, Faustum Episcopis illis ambiguitate verborum circumuentis persuasisse, vt epistolæ suæ subscriberent: *Interim tamen*, inquit, *in tot doctrina, & pietate præstantes viros ita iniuriosos esse nos non decet, vt vnius versipellis vulpeculæ (eo enim nomine, nec iniuria Faustum notauit Baronius) auctoritate freti, reliquiarum Pelagianæ hæreseos patronos eos fuisse credamus.* Et verò tam irreuerenter, & iniuriosè tractandi non erant à Iansenianis triginta illi Episcopi pietate, & doctrinâ illustres: quorum multi, ex illis etiam qui epistolæ Fausti subscripserunt, Sanctorum numero adscripti habentur, vt S. Pragmatius Episcopus Augustodunensis, S. Patiens Episcopus Lugdunensis, S. Claudius Episcopus Bisuntinus, & alij, de quibus videri potest Baronius ad ann. Christi 490. n. 25.

SECTIO III.

De Luthero & Caluino, aliísque hæreticis huius temporis.

29. *Doctrina Iansenij, est Caluini & Lutheri.* DOCTRINA Lutheri & Caluini, & aliorum hæreticorum huius temporis, circa varios status naturæ humanæ, & gratiam, libertúmque arbitrium, æternámque Dei electionem, aut reprobationem, est illa ipsa, quam proponit Iansenius in toto suo Opere, & auctoritate Diui Augustini stabilire conatur: quemadmodum patebit ex sequentibus disputationibus, & nunc breuiter demonstrandum est.

Lutherani & Caluinistæ damnant Catholicos vt Pelagianos. Primùm igitur docent, sæpiúsque inculcant supradicti hæretici, Pelagianos esse, quicunque affirmant manere post peccatum Adæ libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum: Deum velle salutem omnium hominum, & pro omnibus mortuum esse Christum: Gratiam sufficientem paratam esse omnibus: Posse resisti gratiæ, & similia. Ita Lutherus, in assertione artic. pronunciat Leonem Summum Pontificem, eiusque Theologos esse Pelagianos, imò etiam nequiores Pelagianis, eò quòd scilicet damnasset erroris aliquot eius articulos veritatibus istis oppositos. Et Chemnitius eius discipulus, in Examine Tridentini, ad sessionem 6. *Hoc memori mente reponamus*, inquit, *& nouerimus; non seriò, sed pro formâ tantùm fieri*, quando Pelagianismum damnant Pontificij. Et Caluinus lib. 2. Institut. cap. 3. num. 13. *Audiamus nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam, pro suo more criminentur, in quo scilicet Patrem suum Pelagium imitantur.* Loquitur ibi de gratia necessitante. Eandémque calumniam impingit Theologis propter assertam libertatem indifferentiæ, lib. 3. contra Pighium pag. 188. Et in Antidoto Concilij Tridentini ad sess. 6. insolenter damnat Pelagianismi, Patres eiusdem Concilij, eò quòd dicant vsum gratiæ, pendere à nostro consensu, nostrámque iustificationem non illi soli, sed liberi quoque arbitrij cooperationi tribuendam esse. Et lib. de æternâ Dei Prædestinat. pag. 706. notat eâdem censurâ Theologos, affirmantes cum Apostolo, Deum velle omnes saluos fieri.

30. *Idem facit Iansenius.* Simili modo Iansenius tom. 1. lib. 2. & sequentibus vsque ad finem sui Operis, quidquid sibi displicet in doctrinâ communiter à Theologis receptâ, non veretur hæresis Pelagianæ censurâ notare, aut falsis & damnatis Semipelagianorum dogmatibus accensere. Vt ex. gr. Quòd per peccatum primi Parentis, libertas indifferentiæ non perierit: Quòd nemo peccet culpabiliter, sine eiusmodi libertate: Quòd ignorantia inuincibilis iuris naturalis, excuset à peccato: Quòd propter originale peccatum infantes sine baptismo decedentes, non torqueantur pœnâ ignis æterni: Quòd status puræ naturæ sit possibilis. Quòd Deus non prædestinauerit homines solâ suâ voluntate, sine præuisione operum, vel conditionum requisitarum ex parte creaturarum: neque propter solum peccatum originale reprobauerit, secernens aliquos ex Adæ massa corrupta, & alios in eâ relinquens & damnans pro suo mero beneplacito: Quòd Deus velit generaliter omnes homines saluos fieri: Quòd Christus pro omnibus mortuus sit: Quòd detur gratia sufficiens in hoc statu naturæ lapsæ, illáque omnibus adultis, & ratione vtentibus offeratur: Quòd auxilium gratiæ datum in hoc statu naturæ lapsæ, non necessitet voluntatem ad bene operandum, sed possit illi resisti: Quòd nos gratiæ cooperemur, & ex bono opere, aliquid laudis & meriti in operantem redundet: Quòd Deus non præcipiat impossibilia: Quòd dentur actus naturales moraliter boni. Et denique quidquid ab illis hæreticis dictum reperit, apud Augustinum, Hieronymum, Prosperum, vel alios eorum refutatores, quod ipsius palato non sapit, tametsi communi Theologorum, & Catholicorum doctrinâ receptum sit, non dubitat recensere inter errores Pelagij, aut Semipelagianorum.

Quasi verò quidquid ab illis dicitur, sit erroris, aut hæresis damnandum: & non possit idem excipi, quod ipse excipit de Caluino & Luthero eorúmque sequacibus, idem cum ipso fere vbique sentientibus: erronea non esse, quæcunque illi dixerunt, & scripserunt: sed quæ Ecclesia improbauit, & damnauit. 31. *Iansenius in præfat. lib. 6. de gratia Christi, & lib. 8. c. 21.* Quasi verò etiam quæcunque contra illos scripserunt sancti Patres cum illis disputantes, sint accipienda tanquam de fide, aut tanquam doctrina specialiter approbata ab Ecclesia: & non potiùs tum de illorum erroribus, tum de Catholicis veritatibus contra illos adstruendis iudicandum sit ex iis, quæ determinauit Cœlestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, vbi præscribit, quid super controuersiis de gratia, & libero arbitrio, déque peccato originali &c. velit Ecclesia teneri contra Pelagianos, & eorum reliquias: & ex iis, quæ contra eosdem definierunt Synodus Palæstina, Arausicana II. & Mileuitana, & Carthaginensis contra eos celebratæ. Quasi denique dogmata iam à primis Ecclesiæ temporibus receptissima inter Catholicos, & à sanctis Patribus communiter tradita, atque in sacris literis, vel expressa, vel bene fundata, sint inter Pelagianos errores numeranda? Cuiusmodi esse illa fere omnia quæ suprà enumerauimus, partim ostendimus in præcedentibus disputationibus, partim in sequentibus patefaciemus.

32. *Inuehuntur illi in Theologos, vt fidei corruptores.* Secundò, inuehuntur sæpissimè hæretici suprà memorati in Theologos Scholasticos, eò quòd, nimis humanæ philosophiæ adhærentes, dogmata fidei Catholicæ non solùm obscurauerint, verùm etiam corruperint. Ita Lutherus in libro contra Iacobum Latomum, sub finem: *Ex iis puto satis monstratum*, inquit, *Theologiam Scholasticam esse aliud nihil, quàm ignorantiam veritatis & scandalum iuxta Scripturas positum &c. Ex fructibus suis cognoscitur philosophia, & Scholastica Theologia. Thomas (Aquinas) auctor est regnantis Aristotelis, vastatoris piæ doctrinæ &c. Videte ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam, hanc ego Scholasticam Theologiam interpretor.* Et Melancthon in Apologia pro Luthero, *Constat*, inquit, *natam esse Lutetiæ profanam illam Scholasticen, quam Theolo-*

giam vocari volunt, quâ admissâ, nihil salui reliquum est Ecclesiæ, Euangelium obscuratum est, fides extincta, recepta operum doctrina, & pro Christiano populo, ne legis quidem, sed Moralium Aristotelis populus sumus, & ex Christianismo, contra omnem sensum Spiritus, facta est quadam philosophica viuendi ratio. Et Caluinus lib. 2. Institut. cap. 2. num. 4. postquam doctrinam Theologorum & Ecclesiæ de libero arbitrio impugnauit, ita concludit: *Nimis ergo philosophicè hac de re locuti sunt, qui se Christi iactabant esse discipulos: nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit &c.* Et in Antidoto decreti Sorbonici, ad art. 2. dicit Theologos Rationem dominam constituere loco Spiritus sancti.

33. *Idem facit Iansenius.* Simili modo Theologos Scholasticos insectatur Iansenius tom. 2. in lib. proœmiali cap. 3. & pluribus sequentibus, veluti philosophiæ nimis addictos, & assuetos; arcana fidei mysteria ex illa magis, quàm ex Scriptura, vel ex Patrum auctoritate metiêtes, & interdum, ex ignorantia antiquitatis, damnatas olim sentêtias reuocantes; atque tam in theoreticis, quàm in practicis seu moralibus, periculosè, ac perniciosè opinantes; nihil denique non audentes, & omnia litibus caritati contrariis, & perplexis quæstionibus miscentes, ita vt vetus ethnicorum philosophorum dissidium, in Ecclesiam induxisse videantur: ad quod confirmandum ipsamet eius verba referemus disputatione sequenti, sect. 1.

34. *Auctoritatem Augustini exaggerant.* Tertiò, Diui Augustini auctoritatem supra modum exaggerant hæretici supradicti, illiúsque præcipuè testimoniis in confirmandis suis erroribus abutuntur: illum sibi familiariter notum, & optimè perspectum, totúmque suum esse gloriantur: vt videre est apud Lutherum in libro de seruo arbitrio, & Caluinum lib. 2. Institut. cap. 2. num. 4. & 9. & libro 3. cap. 3. num. 10. & lib. 5. contra Pighium pag. 199. cuius verba referemus disputatione sequenti sect. 4. num. 22. & seqq. *Idem facit Iansenius.* Idem facere Iansenium, præcipuè in libro proœmiali cap. 14. & sequentibus, vt eodem artificio lectores decipiat, & dogmata sibi cum hæreticis illis communia, velut Augustini doctrinam plausibiliùs obtrudat, ostendemus disputatione & sectione citatis.

35. *Docent illi statum integritatis fuisse naturalem.* Quartò, docent iustitiam, & immunitatem à concupiscentia, & à morte, quæ erat in statu innocentiæ: non fuisse donum supernaturale, sed naturæ humanæ connaturaliter debitum: neque posse dici contrarium sine Dei iniuria. Lutherus in caput 3. Genes. *Quin hoc instituamus, iustitiam non fuisse quoddam donum &c. Sed fuisse verò naturalem.* Ibidémque addit naturam Adæ fuisse diligere Deum, credere Deo, &c. non minùs quàm naturale est quòd oculi lumen videant. Et Caluinus lib. 2. Institut. cap. 1. num. 6. *Naturam illic notari* (in verbis istis Apostoli, Eramus natura filij iræ) *non qualis à Deo condita est; sed vt in Adam vitiata fuit, facilè colligitur, quia minimè consentaneum esset Deum fieri mortis auctorem.* Et Daniel Chamier. nobilis Caluinista, tom. 3. libro 10. cap. 17. num. 3. *Per creationem non habetur concupiscentia &c. alioqui Deus esset auctor mali.*

36. Idem docet Iansenius in libro de gratia primi hominis & Angelorum, & tribus libris de statu naturæ puræ. *Idem docet Iansenius.* *Perspicuum est* (inquit lib. 1. capite 4. in fine) *naturam rationalem non posse sine dono gratiæ supernaturalis institui.* Et cap. 3. & 7. fusè probat, sine Dei amore, & iustitiæ, creaturam rationalem nec rectam esse, nec condi posse. Et cap. 20. *Nihil connaturalius innocenti imagini Dei, cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quàm gratia.*

37. *Docent illi peccatum orig. transfundi ex natura rei.* Quintò, docent peccatum originale transfundi ex ipsa rei natura, ab Adamo in posteros: quia massa, ex qua formantur homines, tota est vitio, seu peccato corrupta; materia ipsa est vitiata; lutum illud, vt sic dicam, ex quo hoc vasculum fingi cœpit, damnabile est, inquit Lutherus in Psalmum 50. circa illa verba. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Et Caluinus lib. 2. Institut. cap. 1. num. 7. *A radice putrefactâ, rami putridi prodierunt, qui suam putredinem transmiserunt ad alios ex se nascentes surculos; sic enim vitiati sunt filij in parente, vt nepotibus essent tabifici.* Nimirum quia tota natura per peccatum primi Parentis vitiata, & concupiscentiæ morbo infecta, nihil potest nisi vitiatum, & eâdem concupiscentiâ infectum producere, vt addit lib. 2. Instit. cap. 1. num. 8. & 9.

38. *Idem docet Iansenius.* Idem docet aduersarius lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 5. vbi contendit peccatum originale ex ipsa rei natura traduci, absurdámque esse sententiam Theologorum, qui non sine aliquo pacto, & ordinatione Dei transfundi putant. Et capite 6. sic habet. *Peccatum originale per libidinem seu concupiscentiam, tanquam veram causam transfusionis, atque ita ex ipsa natura rei propagatur: non secus ac subinde cæcitas, podagra, aliaque parentum vitia, cùm affectuum, tum corporum transfunduntur,* vt addit ibidem capite 16. Nimirum quia, vt ait citato capite 6. *Stirps, siue radix ipsa vitiata est, ex qua fuerat propago ducenda: quâ semel vitiatâ, rerum natura postulat, aut patitur, vt huiusmodi radicis vitium in fructibus inde nascentibus ostendatur.* Et hoc vnum toto illo libro persuadere conatur.

39. *Et ignorantiam iuris naturalis non excusare à peccato.* Sextò, docent ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excusare à peccato. Falsa est, inquit Lutherus in cap. 12. Gen. ista celebris Scholasticorum sententia de ignorâtia inuincibili excusante. *Quisquis inuincibilem hanc ignorantiam, excusationem mereri statuit, euertit Scripturam sanctam, & tollit è mundo Christum iustitiæ solem.* Idémque obiter docet Caluinus lib. 2. Institut. capite 2. num. 25. vbi affirmat eorum esse repudiandam opinionem, *qui consultam malitiam, & prauitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt; nimium enim experimur, quoties labamur cum bona nostra intentione,* non obstante scilicet, nec excusante ignorantiâ. Et disertiùs Hieronymus Zanchius insignis Lutheranus, tract. Theologic. lib. 1. capite 12. de ignoratione Dei Thesi 1. vbi distinguit duplicem ignorantiam: Vnam earum rerum, quas iure naturæ scire tenemur: alteram earum, quas scire non tenemur. Et hanc posteriorem dicit non esse peccatum: secùs autem priorem: probátque ex Augustino libro 5. contra Iulianum capite 3. Item, præmissâ aliâ diuisione in ignorantiam iuris, & facti, dicit istam excusare, non illam:

ac demum ita concludit: *Omnis ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, peccatum est: quia cum lege, quâ iubemur illa cognoscere, pugnat: siue ea cognoscere iam possis, siue non possis. Quòd enim iam non possis, peccato Adæ, quod & tuum est, quia in eo omnes peccauerunt, factum est. Quare falluntur Scholastici, cùm talem ignorantiam, quam inuincibilem vocant, ideo à peccato excusant, quia inuincibilis est.*

40. *Idem sentit Iansenius.* Idem docet Iansenius libro secundo de statu naturæ lapsæ cap. 2. vbi sic ait in titulo capitis. *Ignorantiam, etiam, quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, inuincibilem, non carere peccato, vt dogma fidei ab antiquis traditum:* additque postea contrarium solemne Pelagianorum dogma fuisse. Et capite quinto præmissâ ignorantiæ diuisione, in eam, quæ est iuris naturalis, & eam quæ est facti, aut iuris positiui: dicit istam quidem excusare à peccato: secus verò aliam: *Ignorantia inuincibilis legis, seu iuris naturalis*, inquit in fine capitis, *siue sit vincibilis, vt in grauioribus delictis, præsertim quibus proximus læditur, contingere solet; siue sit inuincibilis, vt in iis forsan, quæ magis à principiis distant, conclusionibus naturalibus, & in variarum occursu subita circumstantiarum plerumque accidit, non excusat à peccato delinquentes.* Cuius differentiæ rationem acceptam à Zanchio assignat capite 6. quia ignorantia iuris naturalis est orta ex peccato originali; ideóque imputantur, quæ ex illa fiunt: alia non.

41. *Et omnem amorem creaturæ esse vitiosum.* Septimò, docent concupiscentiam vitiosam esse quemlibet amorem creaturarum propter se: ita vt omnis ille amor vitiosus sit, qui non est erga bonum diuinum & increatum; & nulli rei creatæ affectus amoris tribui possit sine peccato. Ita Caluinus in Antidoto Tridentini, ad sess. 6. can. 15. *Dei iudicio nihil est sincerum, nec probum*, inquit, *nisi quod ex perfecto eius amore manat.* Ideóque peccati damnant quæcunque fiunt ex alio motiuo, quàm amoris Dei, vt v. gr. quæ fiunt ex timore pœnæ, aut desiderio mercedis æternæ. Sic enim ait idem Caluinus ibidem cap. 31. *Cum ingenuam à filiis suis obedientiam requirat Deus, seruile [illegible] eiusmodi obsequium, non repudiabit modò, sed procul etiam reiiciet.*

42. *Idem ait Iansenius.* Idem docet Iansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 12. vbi affirmat, *Nulli omnino rei creatæ affectum amoris tribui posse; & si tribuatur, sine dubitatione peccari.* Eodémque sensu dixerat capite 7. & seqq. Nulli concupiscentiæ, id est amori bonorum creatorum, consentiri licitè posse. Et capiti 14. hunc titulum præfigit, *Ipsum amare creaturarum hærendo in creatura, est peccare, etiamsi nullis aliis prauis vestiatur circumstantiis.* Et alibi addit, *Concupiscentiam respectu etiam ipsius Dei, amorem vitiosum esse: nam ille semper quidquid concupiscit, hoc vltimò ad ipsum amantem refert.* Atque idcirco reiicit tanquam vitiosum, affectum, quo Deus tanquam bonum nostrum, & merces magna nimis diligitur, qui intuitu illius obtinendæ operatur. *Absit*, inquit tom. 3. l. 5. cap. 10. *vt ita Christianus propter retributionem operetur:* quidquid velut mercedem intendat: etiam *Deum ipsum, mercedem tanquam sibi vtilem expectando. Ex quo amore nascitur*, (inquit paulò pòst) *vt etiam pœnas timeat. Sed sicut ex illo timore nunquam iustitiam Dei operabitur; ita etiam ex illo concupiscentiæ amore, nunquam iustitia diligetur.*

SECTIO IV.

Plura de eorundem hæreticorum doctrina, & consonantia cum Iansenio.

Octavò, docent libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, extinctam fuisse per peccatum Adami, & loco illius necessitatem peccandi inductam esse absente gratiâ: vel bene agendi, illâ præsente. Ita Lutherus in libro de seruo arbitrio: vbi inter alia sic habet: *Sequitur necessariò nos operari: necessariò dico, non coactè &c. Hoc est, homo cùm vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo nolens facit malum &c. sed sponte & lubenti voluntate facit &c.* Alibíque dicit liberum arbitrium iam esse figmentum in rebus & titulum sine re. Et Caluinus in Antidoto ad sess. 6. canone 5. *De verbo ne moueamus rixam: sed quia liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in vtramque partem libera, & soluta: titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem, & Augustinum.* 43. *Vtrique docent amissam esse libertatem indifferentiæ.*

Idem docet Iansenius libro 3. de statu naturæ lapsæ cap. 2. & sequentibus: affirmátque doctrinam istam, quam Augustino tribuit, fuisse causam calumniarum, quibus Pelagiani Catholicos Manichæismi, & euersæ libertatis arguerunt. Et capiti 9. hunc titulum apponit: *Periit non solùm libertas ad agendum bonum, sed etiam abstinendi à peccato.* Addit cap. 11. loco libertatis abstinendi à peccato, inductam esse peccandi necessitatem. Atque hæc dogmata ita tradit, vt velit esse doctrinam fidei Catholicæ: oppositámque, continere præcipuum errorem Pelagianorum, basim & fontem cæterorum omnium. 44

Nonò, docent omnia opera infidelium esse peccata. Lutherus in caput 4. epist. ad Galat. *Opera extra fidem facta, vt maximè in speciem sancta videantur, sub peccato & maledicto sunt.* Caluinus libro 3. Instit. cap. 14. num. 4. *Est maledictum*, (opus infidelium) *nec modò nullius ad iustitiam pretij; sed certi in damnationem meriti, quidquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem reconcilietur.* Idem docet Melancthon in epist. ad Rom. cap. 14. ver. 14. circa illa verba: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et Bucerus in eundem locum, *Quod fide caret, non modò ingratum, sed & abominabile est coram Deo.* 45. *Et omnia opera infidelium esse peccata.*

Idem probandum suscepit Iansenius toto libro 4. de statu naturæ lapsæ, abutens iisdem testimoniis, quibus hæretici modò nominati, vbi inter alia sic ait cap. 3. *Sola absentia fidei sufficit, vt omnia opera infidelium vera sint peccata.* Et capiti 17. hunc titulum præfigit: *Nugæ, delirium, insania, error, impietas contraria Christianorum sensui, Scripturis, & fidei, quòd infidelium sit vlla vera virtus, vel opera sine peccato.* Et cap. 27. confirmat hanc propositionem Baij, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia.* 46.

Decimò, affirmant impossibilem esse statum naturæ puræ: & in Dei contumeliam reci- 47. *Et statum naturæ puræ esse impossibilem.*

dere, atque ad Manichæiſmum accedere, quod dicitur à Doctoribus Scholaſticis, potuiſſe Deum creare naturam obnoxiam morti, & concupiſcentiæ, aliter quàm in pœnam peccati, eò quòd illis ſit naturaliter obnoxia. Caluinus 1. Inſtit. cap.15. num.1. *Cuius (Dei) in contumeliam recideret, ſi quid vitij ineſſe naturæ probaretur.* Et Chamierus inſignis eius diſcipulus tom. 3. lib. 1. cap.1. num. 10. dicit contrariam Bellarmini ſententiam, à Manichæis acceptam eſſe. Relatis enim illius verbis de natura hominis, dicit ex illis ſequi, *à Deo creatum eſſe hominem naturâ morbidum, & languidum, atque habere carnem, cum qua luctari perpetuò opus eſt: quod ſi à Manichæis nihil habet, vnde eſſe poteſt.*

Idem fuſiſſimè perſuadere conatur Ianſenius tribus integris libris, quos de ſtatu naturæ puræ inſcripſit. Perſpicuúmque eſſe contendit libro primo, capite quarto, *naturam rationalem non poſſe ſine dono gratiæ ſupernaturalis inſtitui.* Addit capite quinto: Si crearetur pura natura, vel ipſa non peccaret, vel omnia eius peccata, Deo auctori, non creaturæ imputari deberent. Et libro ſecundo capite 13. & ſeqq. affirmat contrariam ſententiam ad errorem Iuliani, aliorúmque Pelagianorum attinere: Imò & ad Manichæiſmum, vt addit libro tertio cap. 15. *Ex miſeriis (inquit) puræ naturæ cogimur ad diuerſas impietates, blaſphemias in Deum, & ad Manichæiſmum.* Et capite decimo-tertio probat, per ſtatum naturæ puræ, adſcribi Deo crudelitatem, improbatam in Manichæis & Pelagianis.

48. *Et Iudæos caruiſſe gratia ſufficiente.* Vndecimò, affirmant gratiam ſufficientem non fuiſſe datam Iudæis, vt ſeruaretur lex: adeóque illius obſeruantiam fuiſſe impoſſibilem: & Dei ſcopum in lege danda fuiſſe, non vt vitarentur peccata, ſed vt multiplicarentur, & eorum multitudine retunderetur hominum ſuperbia, magiſque agnoſcerent neceſſitatem Redemptoris, & feruentiùs illum expeterent. Lutherus de ſeruo arbitrio. *Quæ igitur vtilitas, & neceſſitas talia (præcepta) inuulgandi, cùm tot mala videantur inde prouenire &c. Prima eſt, humiliatio noſtræ ſuperbiæ &c.* Et in caput 3. epiſt. ad Galat. dicit legem oſtẽdere nobis peccatum, & augere, vt nos terreat, & humiliet: atque is totus & proprius legis vſus eſt. Et tom. 3. in præfatione in vetus Teſtamentum. *Dicimus legem bonam, & vtilem, ſed in bono vſu, ſcilicet ad reuelandas, & augendas ſpirituales tranſgreſſiones.* Similia dicit Caluinus libro ſecundo Inſtitut. cap. 7. num. 2. *Legem propter tranſgreſſiones poſitam eſſe docet* (Apoſtolus) *nempe vt homines ſuæ damnationis conuictos, humiliaret.* Et num. decimo, enumerans legis officia, dicit ſecundum eſſe, vt quò magis ſeſe retinent homines, eo fortiùs intus accendantur, ferueant, bulliant, parati quiduis facere, niſi legis terror obſtaret. Et toto eo capite, alia multa ſcribit præcedentibus affinia.

49. Idem quoque docet Ianſenius tom. 3. lib. 1. de gratia Chriſti Saluatoris. *Lex iuſtitiam reddidit difficiliorem, & quaſi muro interpoſito impoſſibilem,* inquit cap. 8. Et cap. 11. dicit hallucinari quiſquis legem eo ſcopo datam putat, vt Iudæi eius luce eruditi, faciliùs peccata vitarent, aut per gratiam ſufficientem, eam ſeruarent; hoc enim Apoſtolo, & Auguſtino, è diametro contrarium eſt: *ſed vt multitudine peccatorum, & magnitudine præuaricationum; peccatorum, quæ ex lege ſciebantur futura, eorum ſuperbia frangeretur.* Et capite 10. *Lex talis hominibus infirmis data, (inquit) quæ peccatis afflicti, grauiùs adhuc affligerentur.* Addit libro tertio, capite quinto, fuiſſe quendam ſub lege ſtatum, *Sub quo generaliter, paucis exceptis, ante Saluatoris aduentum non dabatur, gratia ſufficiens implendi id, quod iubebatur, multò minùs gratia ſufficiens ad ſalutem; ſed è contrario talis gratia lationi legis, ac ſcopo Dei, capitaliter repugnabat.* Et cap. 7. & 8. *Non adfuit hominibus ſub vetere lege viuentibus, gratia ſufficiens ſeruandi legem, vel vllum præceptum eius, ſed potiùs impediens.*

Duodecimò, affirmant gratiam, quæ datur in hoc ſtatu naturæ lapſæ, neceſſitare voluntatem ad conſenſum, ita vt non poſſit illi reſiſtere: in eóque differre à gratia, quæ dabatur in ſtatu innocentiæ, quâ voluntas libera vtebatur: ita conſentiendo, vt poſſet diſſentire. Id ex profeſſo docet Lutherus toto libro de ſeruo arbitrio, & in caput 2. Geneſ. & Caluinus lib. 2. Inſtitut. cap. 2. *Gratia voluntatem mouet,* inquit, *non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo.* Et in Antidoto Tridentini ad ſeſſ. 6. ſub initium, dicit, in eo hallucinari Patres Tridentinos, *quòd motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat; nihil autem de efficacia illa cogitant &c. Denique in eo falluntur, quòd nullum obſeruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen &c. quod deſereret cùm vellet &c.* 50. *Et gratiam eſſe neceſſitantem.*

Idem docet Ianſenius lib. 2. de gratia Chriſti Saluatoris capite quarto, vbi ſic habet: *Adiutorium* gratiæ *ante* ruïnam (ſeu *lapſum Adæ*) *tale erat, vt eius influxus ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet, adeóque ſalua maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò poſt ruinam tale eſt vt,* ſuapte efficacia *faciat annuere & influere, & velle voluntatem.* Et cap. 5. *Nullum adiutorium gratiæ, cuius vſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur; vt illud amplectatur, aut non deſerat; vt illi conſentiat, aut non conſentiat, ſi voluerit; ad medicinale adiutorium vllo modo pertinere poteſt,* id eſt, ad gratiam datam in ſtatu naturæ lapſæ. 51.

Decimo-tertiò, docent non dari gratiam ſufficientem: & ineptum eſſe quod affirmant Theologi Catholici, illam omnibus paratam eſſe. *Phreneticos nihil moror,* inquit Caluinus libro ſecundo Inſtitut. capite ſecundo, numero ſexto, *qui gratiam pariter & promiſcuè expoſitam eſſe garriunt.* Et capite tertio, numero decimo. *Gratia non quoſlibet promiſcuè dignatur Dominus, quemadmodum vulgò iactatur, &c. Quare meritò Auguſtinus, tam eos deridet, qui aliquas volendi partes ſibi arrogant; quàm reprehendit alios, qui putant promiſcuè dari omnibus, quod ſpeciale eſt, gratuitæ electionis teſtimonium. Communis, inquit, omnibus eſt natura, non gratia.* Et Synodus Dordracena Caluiniſtarum, pag. 745. *Diſtinctio illa gratiæ, in ſufficientem & efficacem, ſi non de externis mediis, ſed de vero & interno ſpiritus tractu loquamur, minimè nobis probatur. Retineant eam* 52. *Et non dari gratiã ſufficientem.*

sibi Bellarminus, & Arminius. *Quoscunque enim Spiritus sanctus trahit, illis non tantùm dat posse currere, sed etiam vt reipsa currant, Cant. 1. ver. 3. Neque dat tantùm Deus, vt possimus ambulare in viis suis, sed etiam vt reipsâ ambulemus, Ezechiel. 36. ver. 27. Neque dat tantum, vt possimus, qui in peccatis mortui sumus, viuificari: sed etiam vt actu ipso viuificemur, Ephes. 2.* Et in epist. Molinæi, quæ habetur in Actis eiusdem Synodi pag. 395. *Gratiam vniuersalem*, inquit, *datam omnibus hominibus, quæ vel mediatè, vel immediatè sufficiat ad perueniendum ad salutem, nullam agnosco.*

53. Idem docet Iansenius toto libro tertio de gratia Christi, vbi sic ait capite primo: *Post lapsum Adæ nullum datur adiutorium verè sufficiens, quin simul efficax sit.* Et capite secundo & tertio, dicit *Gratiam sufficientem esse monstro similem; & lapsorum reparationi inutilem etiam ad sexcentos sufficientiæ gradus auctam; solummodo peccatis faciendis, maiorique damnationi accersendæ seruire (lapsis hominibus citra Dei inuidiam damnandis, à recentioribus ideo excogitatam; quia putant culpæ reum neminem fieri, qui careat eam euitandi sufficiente potestate.* Addit ibidem: Adiutorium purè sufficiens, ad gratiam naturæ stantis pertinere: lapsorum reparationi inutile & perniciosum: imò asseri non posse post lapsum, nisi, maiori hallucinatione, quàm Pelagiani, sublato originali peccato, naturæ vires illæsas esse fateamur.

54. *Et Deum præcipere impossibilia.* Decimo-quartò, affirmant Deum præcipere impossibilia, idque non solùm in lege Mosaïca, de qua diximus num. 48. verùm etiam in lege gratiæ: neque dare auxilium sufficiens, quo fiant possibilia. Idque Lutherus in libro contra Latomum, adeo notum ex Scripturis esse dicit, vt nihil sit manifestius. Et in responsione ad dialogum Syluestri. *Pessimè facis* (inquit) *quòd negas Saluatorem impossibilia iussisse: plusquam pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare: non possumus in hac vita mandata Dei implere.* Et Caluinus libro secundo Institut. capite septimo, numero quinto: *Sit extra controuersiam*, inquit, *impossibile esse in hac carne legis implementum.* Ibidémque dicit eiusmodi argutiâ, Augustinum à Pelagianis fuisse vexatum, iniuriam fieri Deo, si plus iubeat, quàm per eius gratiam præstare queant fideles.

55. Idem docet Iansenius eodem libro tertio cap. 13. & pluribus sequentibus. *Sunt quædam præcepta*, inquit cap. cit. *homini secundum statum, & vires, in quibus constitutus est, impossibilia; nec adest semper gratia, quâ præcepta illa implere sufficiamus.* Ibidémque addit. Illam impotentiam non solùm reperiri in excæcatis, obduratis & infidelibus; sed etiam in fidelibus: non tantùm quando nolunt præcepta facere, sed etiam, quando volunt: atque etiam in Iustis, qui & fidem Christi & caritatem iustitiæ susceperunt: & esse quandam voluntaris infirmitatem, quæ non potest certas tentationes superare: nec adest gratia, quâ superentur: nec spiritus orationis, quo vires impetrentur. Eandémque sententiam tribuit Augustino, & contrariam Pelagianis.

56. *Et Deum non velle omnes saluare, nec Christum pro omnibus passum.* Decimo-quintò, affirmant Deum non velle omnes homines saluos fieri; neque Christum pro omnibus mortuum esse. Caluinus de æterna Dei prædestinatione pag. 706. & 707. *Nunc iactet Pighius*, inquit, *Deum velle omnes saluos fieri.* Et paulò pòst: *Agitatus olim à Pelagianis fuit locus iste. Quid Augustinus pluribus locis respondeat, dicere in præsenti supersedeo.* Et libro tertio Institut. cap. 24. num. 16. dicit Paulum illis 1. Timoth. verbis, *Vult omnes homines saluos fieri*, nihil aliud significare, quàm Deum nulli hominum ordini viam salutis præclusisse, licèt non omnibus & singulis apertam esse voluerit, sed longè pluribus eam præcluserit. Et in expositione eiusdem loci, *Pueriliter ergo*, inquit, *hallucinantur, qui hunc* Pauli *locum prædestinationi opponunt: Si Deus, inquiunt, omnes indifferenter vult saluos fieri, falsum est alios ad salutem; alios ad exitium, æterno eius consilio esse prædestinatos. Aliquid fortè dicerent, si Paulus hîc de singulis hominibus ageret.* Item quòd Christus non obierit mortem pro salute omnium, docet in primam epistolam Ioan. capite secundo versu secundo, dicens, Sub, *omnibus*, reprobos non comprehendi; sed eos designari, qui credituri erant, & qui per varias mûdi plagas dispersi erant. Et in caput decimum-septimum Ioannis, *Christus, proprij gregis fuit sollicitus, & pro electis suis dûtaxat orauit &c.* Et libro contra Heshusium affirmat carnem Christi pro impiis non esse crucifixam, nec sanguinem eius pro eorum peccatis effusum esse. Idem docent Beza in Colloq. Monspelg. pag. 546. & seqq. Chamierus tomo tertio libro nono, capite decimo-tertio, Zanchius in Miscellan. doctrina primæ Ioannis secundo, aliique Lutherani, & Caluinistæ. Zanchij verba sunt, *Sanguis Christi non est secundùm propositum Dei, & reipsa pro reprobis, & incredulis effusus, sed tantùm pro quibusdam multis, hoc est, electis, & quidem pro omnibus istis multis.*

Vtrumque etiam docet Iansenius libro tertio capite vicesimo & vicesimo-primo, quorum priore docet: Erroneam esse sententiam Recentiorum, qui exponunt locum Apostoli, primæ ad Timotheum secundo, *Vult omnes homines saluos fieri:* de voluntate saluandi omnes, quantum in se est. Expositio enim ea *ab errantibus, (nimirum à Pelagianis) introducta, à veris gratiæ defensoribus grauiter improbata est.* Posteriore affirmat, Argumentum pro gratia sufficiente omnium, sumptum ex eo, quòd Christus sit Redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus; vsque ad nauseam à Pelagianis, præsertimque Massiliensibus, inculcatum fuisse: *vt mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere.* Addit Christum pro infidelium in infidelitate morientium, aut iustorum non perseuerantium salute mortuum non esse, nec semetipsum redemptionem dedisse. 57.

Decimo-sextò, docent attritionem conceptam ex metu gehennæ, aut ex consideratione turpitudinis peccati, esse actum malum. Lutherus in assertionibus articulorum contra Bullam Leonis, assertione sexta. *Contritio quæ paratur per discussionem & collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, hæc contritio facit hypocritam,* 58. *Et Attritionem malam esse.*

imò magis peccatorem. Et in sermone de pœnitentia: *Quò magis timore pœnæ, & dolore damni conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse.* Affirmant quoque nullam pœnitentiam bonam esse, nihilque bene fieri, nisi fiat ex amore Dei. Sic enim ait idem Lutherus in epistola ad Sulpicium. *Pœnitentia vera non est, nisi quæ ab amore iustitiæ, & Dei incipit.* Et Chemnitius in Examine Tridentini de contritione, in fine sessionis decimæ-quartæ, canone quinto: *Contritio expauescens*, inquit, *consideratione iræ & iudicij Dei, si non oriatur ex dilectione Dei, etiamsi accedat fides petens, & statuens remitti nobis peccata propter Christum, tamen est non salutaris, sed Iudæ pœnitentia.* Et Caluinus in Antidoto ad sessionem 6. canone decimo-quinto: *Dei iudicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto eius amore manat.*

59. Eadem est doctrina Iansenij libro quinto de gratia Christi Saluat. vbi capite 3. & pluribus sequentibus, ostendere conatur virtutem non esse aliud nisi amorem Dei: nullúmque opus esse bonum nisi fiat ex motiuo caritatis, quo Deus propter se diligitur. Et capiti 25. hunc titulum opponit, *Repugnat magnopere Augustino, doctrina, quâ docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, seu attritionem quorundam Scholasticorum, excludere posse omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonæ vitæ, seu seruandi totam legem Dei: itémque esse dispositionem sufficientem ad iustificationem cum Sacramento obtinendam.*

60. *Et libertatem consistere in spontaneitate.* Decimo-septimò, docent libertatem arbitrij circa bonum & malum, qualis post peccatum originale remansit, in eo solùm consistere quòd sponte velimus, id est, non coactè, voluntate prorsus reluctante; licèt velimus necessariò & sine indifferentia ad volendum aut non volendum. Ita Caluinus lib 2. Institut. cap. 2. num. 6. vbi Magistro Sententiarum eandem sententiam affingit: *Pronunciat*, inquit, *Lombardus non liberi arbitrij ideo nos esse, quod ad bonum & malum, vel agendum, vel cogitandum peræquè polleamus, sed duntaxat quòd coactione soluti sumus. Quæ libertas non impeditur etiamsi praui simus, & serui peccati, & nihil aliud, quàm peccare possimus. Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione.* Et libro secundo contra Pighium, editionis tertiæ Geneuensis pag. 153. *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assenero: ac pro hæretico habeo, quisquis secùs sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur suâ, nihil moror.*

61. Idem affirmat Iansenius, totóque libro sexto & septimo de gratia Christi Saluatoris persuadere conatur, adductis plurimis Augustini, & aliorum Patrum, atque etiam Doctorum Scholasticorum testimoniis: & libro octauo non aliter libertatem arbitrij cum gratiæ efficacia conciliat, nisi, quia hæc facit vt sponte, licèt necessariò, velimus. Verba illius libro sexto, capite sexto hæc sunt: *Omnis omnino voluntas quantumcunque ad vnum determinata, nullâ tali necessitate, qua dicitur necesse esse, vt velit, desinit esse libera.* Et libro septimo, capite decimo dicit, *Cum arbitrio in vtramque partem libero, & flexibili conditum esse primum hominem &c. sed ex spontaneâ discretione, illam æquabilis libertatis indifferentiam periisse*: & nimirum eam quæ nunc remanet, esse tantùm libertatem à coactione. Et libro 8. capite decimo-nono addit nullam gratiæ efficaciam, nullam necessitatem actibus nostris liberis formidandam esse; sed solam vim coactionis, & necessitatem violentiæ: ideóque efficaciam gratiæ, quamuis necessitantis ad spontaneum consensum, non auferre libertatem voluntatis, sed cum illa optimè conciliari.

Decimo-octauò, affirmant Deum, pro suo mero beneplacito aliquos elegisse ad vitam æternam, reliquos positiuè reprobasse, & destinasse ad mortem æternam. Caluinus libro tertio Institut. capite vicesimo-secundo numero vndecimo: *Si non possumus*, inquit, *rationem assignare, cur suos misericordiâ dignetur, nisi quoniam ita illi placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm eius voluntatem.* Et capite 23. numero primo. *Minimè consentaneum est præparationem ad interitum, aliò transferre, quàm ad arcanum consilium Dei.* 62. *Et Deum positiuè reprobasse, ex mero beneplacito.*

Idem docet Iansenius libro nono & decimo de gratia Christi Saluatoris: cum hâc solùm differentiâ, quòd Caluinus velit hanc electionem & reprobationem factam esse antecedenter ad præuisionem peccati originalis: Iansenius autem consequenter, quatenus Deus ex massa perditionis, quâ omnes propter peccatum Adæ inuoluebantur, aliquos selegit, & per media necessitantia saluare decreuit: ceteros in eâ reliquit, & mediis sufficientibus ad salutem destituere voluit: atque ad mortem æternam positiuè destinauit. Verba illius sunt libro decimo, capite tertio: *Manifestissimum est, non aliam agnoscere sanctum Augustinum reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum, seu peccatum originale, quo tota massa periit: & hoc esse causam non tantùm negatiuæ reprobationis, seu non prædestinationis; sed etiam positiuæ.* Et capite quarto: *Cur ex duobus, quorum vterque originali culpâ maculatus est, hic, non iste reprobetur à Deo, rei illius nulla omnino causa ex parte hominis à nobis dari potest, sed pendet à puro beneplacito Dei.* Et libro nono capite vicesimo, affirmat Deum, quos non elegit ad regnum, noluisse eos eligere ad media, hoc est, ad fidem: *& quia noluit eis fidem, noluisse eis etiam prædicationem, & miracula fieri, quamuis videat eos Euangelio prædicato obedituros.* 63.

Ex his perspicuum fit, Iansenium in omnibus & singulis Operis sui partibus, quas nunc breuiter recensuimus, atque in omnibus quæstionibus, quas tractandas suscepit, ita eum Luthero, & Caluino, aliisque hæreticis huius temporis consentire, vt in eorum Schola formatus esse videatur; vel ab eorum libris, doctrinam suam hausisse. 64.



SECTIO

SECTIO V.

De Michaële Baio, eiúsque sectatoribus.

65. INTER eos, qui occasione scriptorum Diui Augustini, de gratia & libero arbitrio malè senserunt, insignis fuit sæculo præterito Michaël Baius Doctor Louaniensis, quem fere in omnibus sequutus est Iansenius, ita vt eius Commentatorem, aut patronum agere videatur. Cuius falsorum dogmatum, quia frequens mentio fiet in sequentibus disputationibus, placuit hoc loco ea referre iisdem verbis, quibus exprimuntur in Bulla Vrbani VIII. contra Iansenium, confirmante Bullas suorum prædecessorum Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium.

66. *Bulla Vrbani VIII. contra Iansenium.* Ille igitur in Bulla data pridie Nonas Martias anni 1641. relatâ priùs integrè, & ad verbum, alterâ Pij V. constitutione anni 1567. Calendis Octobris editâ contra 75. propositiones Michaëlis Baij, quas damnat *vt hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè:* factâque deinde mentione alterius Bullæ Gregorij XIII. qui, inquit, non sine animi sui dolore intelligens non defuisse aliquos, qui articulos in prædicta Constitutione damnatos asserere, & pertinaciter defendere pergerent: pro officij sui munere eorundem temeritatem, atque audaciam, ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minimè contemnendam, & dissimulandam censuit: sed ad coërcenda huiusmodi ingenia per aliam suam Constitutionem sub Datum Romæ IV. Calendas Febr. anno Incarnationis Domini 1579. Pontificatus sui anno 8. editam, Pij prædecessoris Constitutionem prædictam suâ quoque auctoritate confirmauit, articulósque ibidem comprehensos iteratò damnauit.

67. Animaduertens denique hanc iteratam condemnationem non obstitisse quò minùs Cornelius Iansenius Iprensis Episcopus, easdem propositiones, in libro, quem *Augustinum* inscripsit, renouare, & stabilire conatus sit, illius librum in hunc modum condemnat, & ad æternam infamiam hac pontificia censura notat. Cùm autem (inquit circa finem Bullæ) ex diligenti & maturo eiusdem libri, cui titulus *Augustinus*, lectione, postmodum compertum fuerit; in eodem libro multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim, vt præfertur, damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi. Nos huic malo in scandalum totius reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, constitutionis Gregorij ac Pij prædecessorum prædictorum nostrorum, necnon decretorum huiusmodi totos & integros tenores præsentibus pro totaliter expressis & insertis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura Constitutione eiusdem Pij & Gregorij prædecessorum huiusmodi Constitutiones prædictas, omniáque & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus: librúmque prædictum, cui titulus est *Augustinus*, articulos, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt à nobis compertum est, continentem, & renouantem, aliáque omnia opera præsentibus nostris literis subinserta &c. eâdem auctoritate per præsentes omnino prohibemus, ac pro vetitis & prohibitis haberi volumus & mãdamus. Iubentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prædicta Pij prædecessoris Constitutione cõtentis, à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absoluere contra-facientes possit, ne quis cuiuscunque conditionis, & qualitatis, etiam speciali, & specialissimâ notâ & expressione dignus, de prædictis, vt suprà damnatis, & in prædicto libro contentis, aliísque vt infrà subinsertis articulis, opinionibus, sententiis, libellis, orationibus, scripturis, epistolis, thesibus; quoquo pacto loqui, scribere & disputare audeat: librúmque & alia prædicta penes se retinere, vel legere præsumat.

Circa quam prohibitionem notandum est, 68. quod refert Reuerendissimus Dominus Isaacius Habert in fine libri, quem inscripsit *Defensionem fidei Ecclesiæ &c.* Cùm allata fuisset hæc Bulla anno 1644. die 1. & 15. Ianuarij ad sacram Theologiæ facultatem ab Reuerend. Abbate Lutumetio, ex parte Eminentissimi Cardinalis Nuncij Grimaldi, consensu etiam ac iussu Regis interueniente: eâ lectâ, & maturâ deliberatione habitâ, censuit facultas, Quoad doctrinam, plenè recipiẽdam esse summa cum veneratione, & prohibendum esse omnibus, & singulis Doctoribus, ac Baccalaureis, ne vllam ex propositionibus in ea Bulla notatis, ac prohibitis sustinere ac defendere audeant. Quoad alias verò difficultates Bullæ procrastinandum esse, donec mens summi Pontificis quoad prohibitionem disputationum de gratia, & quoad censuras pleniùs intelligatur. Adierunt itaque plurimi Doctores Eminentissimum Cardinalem Nuncium, eúmque de iis difficultatibus prohibitionum ac censurarum consuluerunt: qui respondit ipsis, eas intelligi, quoad propositiones damnatas tantùm minimè docẽdas, ac sustinendas. Ita ab eo acceperunt D. Charton Pœnitentiarius Ecclesiæ Parisiensis, D. Hallierius Regius Professor Theologiæ, D. Habert Canonicus, ac Theologus Ecclesiæ Parisiensis, idem ille, qui nunc est Vabrensis Episcopus, ex quo ista referimus, D. Du-Val Regius Professor Theologiæ, & complures alij. Quod inculcare voluimus, ne quid scrupuli veram ac salubrem de gratia Theologiæ antiquæ doctrinam profitentibus, ac docentibus emergeret, aut hæreret. Huc vsque Episcopus suprà nominatus, testis oculatus, & omni exceptione maior. Itaque iuxta responsum Eminentissimi, non contradicunt Censuræ, & mandatis summi Pontificis, qui prædictas propositiones à Sede Apostolica sæpius damnatas impugnant, & Catholicam veritatem illis contrariam pro virili propugnant, ac magis, magísque stabilire conantur.

69. Sententiæ autem illæ Bullis supradictis con-
Propositiones Baij damnatæ.
tentæ, & ab Vrbano VIII. ex Constitut. suorum
prædecessorum relatæ, sunt istæ, quæ sequūtur,
fideliter transcriptæ ex exemplari, quod ad me
Româ transmittendum curaui ex Typographia
Reuerend. Cameræ Apostolicæ, additis solùm
ad marginem numeris, distinctionis causâ.

Propositiones damnatæ à Pio V. Gregorio XIII.
& Vrbano VIII.

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc
2. integri merita rectè vocantur gratia. Sicut
opus malum ex naturâ suâ est mortis æternæ
meritorium, sic bonū opus ex naturâ suâ est vitę
3. æternæ meritorium. Et bonis Angelis & primo
homini, si in statu illo perseuerasset vsque ad
vltimum vitæ, felicitas esset merces, & non
4. gratia. Vita æterna homini integro, & Angelo
promissa fuit, intuitu bonorum operum, &
bona opera ex lege naturæ ad illam consequen-
5. dam per se sufficiunt. In promissione facta An-
gelo, & primo homini, continetur naturalis
iustitiæ cōstitutio, quâ pro bonis operibus, sine
alio respectu, vita æterna iustis promittitur.
6. Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in
obedientia perseueraret, ad eam vitam pertran-
7. siret, in quâ mori non posset. Primi hominis
integri merita, fuerunt primæ creationis mu-
nera; sed iuxta modum loquendi Scripturæ sa-
cræ, non rectè vocantur gratia; quo fit vt tan-
tùm merita, non etiam gratia, debeant nuncu-
8. pari. In redemptis per gratiam Christi, nullum
inueniri potest bonum meritum, quod non sit
9. gratis indigno collatum. Dona concessa homi-
ni integro, & Angelo, forsitan, non improban-
dâ ratione, possunt dici gratia; sed quia secun-
dùm vsum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea
tantùm munera intelliguntur, quæ per Iesum
Christum malè merentibus, & indignis confe-
runtur; ideo neque merita, neque merces, quæ
10. illis redditur, gratia dici debet. Solutio pœnæ
temporalis, quæ peccato dimisso, sæpè rema-
net, & corporis resurrectio, propriè non nisi
11. meritis Christi adscribenda est. Quod piè, & iu-
stè in hac vita mortali, vsque in finem, conuer-
sati, vitam consequimur æternam, id non pro-
priè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim
initio creationis constitutæ, iusto Dei iudicio,
deputandum est; neque in hac retributione bo-
norum, ad Christi meritum respicitur, sed tan-
tùm ad primam institutioné generis humani, in
qua lege naturali constitutum est, vt iusto Dei
iudicio obedientiæ mandatorū vita æterna red-
12. datur. Pelagij sententia est, Opus bonum, citra
gratiam adoptionis factum, non est regni cœle-
13. stis meritorium. Opera bona à filiis adoptionis
facta, non accipiunt rationem meriti ex eo,
quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitan-
tem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo,
quòd sunt conformia legi, quódque per ea præ-
14. statur obedientia legi. Opera bona iustorum
non accipiunt in die iudicij extremi ampliorem
mercedem, quàm iusto Dei iudicio mereantur
15. accipere. Ratio meriti non consistit in eo, quòd
qui bene operatur habeat gratiam, & inhabi-
tantem Spiritum sanctum; sed in eo solùm,
16. quòd obedit diuinæ legi. Non est vera legis
17. obedientia, quæ fit sine caritate. Sentiunt cum
Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad ratio-
nem meriti, vt homo per gratiam adoptionis
sublimetur ad statum Deificum. Opera Cate- 18.
chumenorum, vt fides, & pœnitentia, ante re-
missionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ
merita, quam vitam ipsi non consequentur, ni-
si priùs præcedentium delictorum impedimen-
ta tollantur. Opera iustitiæ, & temperantiæ, 19.
quæ Christus fecit, ex dignitate personæ ope-
rantis non traxerunt maiorem valorem. Nul- 20.
lum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed om-
ne peccatum meretur pœnam æternam. Hu- 21.
manæ naturæ sublimatio, & exaltatio in con-
sortium diuinæ, debita fuit integritati primæ
conditionis, & proinde naturalis dicenda est,
& non supernaturalis. Cum Pelagio sentiunt, 22.
qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ*
legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, fa-
ciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non
habentibus. Absurda est eorum sententia, qui 23.
dicunt, hominem ab initio, dono quodam su-
pernaturali, & gratuito, supra conditionem na-
turæ suę fuisse exaltatum, vt fide, spe, & caritate
Deum supernaturaliter coleret. A vanis, & o- 24.
tiosis hominibus, secundùm insipientiam Phi-
losophorum, excogitata est sententia, quæ ad
Pelagianismum reiicienda est, hominem ab ini-
tio sic constitutum, vt per dona naturæ super-
addita, fuerit largitate conditoris sublimatus, &
in Dei filium adoptatus. Omnia opera infide- 25.
lium sunt peccata, & philosophorum virtutes
sunt vitia. Integritas primæ creationis non fuit 26.
indebita humanæ naturæ exaltatio, sed natura-
lis eius conditio. Liberum arbitrium sine gratię 27.
Dei adiutorio, non nisi ad peccādum valet. Pe- 28.
lagianus est error, dicere quòd liberum arbi-
trium valet ad vllum peccatum vitandum. Non 29.
soli fures ij sunt, & latrones, qui Christum,
Viam, & Ostium veritatis & vitæ negant; sed
etiam quicunque aliunde, quàm per ipsum in
viam iustitiæ (hoc est, ad aliquam iustitiam)
conscendi posse docent, aut tentationi vlli, sine
gratię ipsius adiutorio resistere hominem posse,
sic vt in eam non inducatur, aut ab ea non su-
peretur. Caritas perfecta, & sincera, quæ est ex 30.
corde puro, & conscientia bona, & fide non fi-
cta, tam in Catechumenis, quàm in pœniten-
tibus, potest esse sine remissione peccatorū. Ca- 31.
ritas illa, quę est plenitudo legis, non est semper
coniuncta cum remissione peccatorum. Cate- 32.
chumenus iustè, rectè, & sanctè viuit, & man-
data Dei obseruat, ac legem implet per carita-
tem, ante obtentam remissionem peccatorum,
quę in baptismi lauacro demum percipitur. Dis- 33.
tinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet,
quo Deus amatur, vt auctor naturæ; & gratuiti,
quo Deus amatur, vt beatificator, vana est, &
commentitia, & ad illudendum sacris literis, &
plurimis veterum testimoniis, excogitata. Om- 34.
ne, quod agit peccator, vel seruus peccati, pec-
catum est. Amor naturalis, qui ex viribus natu- 35.
ræ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem
præsumptionis humanæ, cum iniuria crucis
Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus.
Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, 36.
hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortū ducit,
agnoscit. Omnis amor creaturæ rationalis, aut 37.
vitiosa est cupiditas, quâ mūdus diligitur, quæ à
Ioāne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ,
per Spiritum S. in corde diffusâ, Deus amatur.
Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè 38.

39. tamen sit. In omnibus suis actibus peccator ser-
40. uit dominanti cupiditati. Is libertatis modus,
qui est à necessitate, sub libertatis nomine non
reperitur in scripturis, sed solùm nomen liber-
41. tatis à peccato. Iustitia, quâ iustificatur per fi-
dem impius, consistit formaliter in obedientia
mandatorum, quæ est operum iustitia; non
autem in gratia aliqua animæ infusâ, quâ ado-
ptatur homo in filium Dei, & secundùm inte-
riorem hominem renouatur, ac diuinæ naturæ
consors efficitur, vt sic per Spiritum sanctum
renouatus, deinceps bene viuere, & Dei man-
42. datis obedire possit. In hominibus pœniten-
tibus, ante Sacramentum absolutionis, & in
Catechumenis ante Baptismum, est vera iusti-
ficatio; separata tamen à remissione peccato-
43. rum. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt,
solùm vt. Dei mandatis pareant, cuiusmodi
sunt, obedire parentibus, depositum reddere,
ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere,
iustificantur quidem homines, quia sunt legis
obedientia, & vera legis iustitia; non tamen iis
44. obtinent incrementa virtutum. Sacrificium
Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm
generali illâ, quâ omne opus, quod fit, vt
45. sancta societate, Deo homo inhæreat. Ad ra-
tionem, & definitionem peccati non pertinet
voluntarium; nec definitionis quæstio est,
sed causæ & originis, vtrum omne pec-
catum debeat esse voluntarium; vnde pec-
catum originis verè habet rationem pecca-
ti sine vllâ relatione, ac respectu ad volunta-
46. tem, à qua originem habuit. Peccatum origi-
nis est, habituali paruuli voluntate, volunta-
rium, & habitualiter dominatur paruulo, eò
quòd non gerit contrarium voluntatis arbi-
trium; & ex habituali voluntate dominante fit,
vt paruulus discedens sine regenerationis Sa-
cramento, quando vsum rationis consecutus
erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blas-
47. phemet, & legi Dei repugnet. Praua desideria,
quibus ratio non consentit, & quæ homo in-
uitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non*
48. *concupisces.* Concupiscentia, siue lex membro-
rum, & praua eius desideria, quæ inuiti sen-
tiunt homines, sunt vera legis inobedientia.
49. Omne scelus est eius conditionis, vt suum au-
ctorem, & omnes posteros eo modo inficere
50. possit, quo infecit prima transgressio. Quan-
tum est ex vi transgressionis, tantum meritorum
malorum à generante contrahunt, qui cum mi-
noribus nascuntur vitiis, quàm qui cum maio-
51. ribus. Definitiua hæc sententia, Deum homini
nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur
52. Augustino, cùm Pelagij sit. Deus non potuis-
set ab initio talem creare hominem, qualis
53. nunc nascitur. In peccato duo sunt; actus, &
reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi
reatus, siue obligatio ad pœnam; Vnde in Sacra-
mento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione,
propriè reatus peccati duntaxat tollitur; &
ministerium Sacerdotum solùm liberat à rea-
54. tu. Peccator pœnitens non viuificatur mini-
sterio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo,
qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vi-
uificat eum, & resuscitat, ministerio autem
Sacerdotis solum reatus tollitur. Quando per
55. eleemosynas, aliáque pœnitentiæ opera, Deo
satisfacimus pro pœnis temporalibus, non di-
gnum pretium Deo pro peccatis nostris offe-
rimus, sicut quidam errantes autumant, (nam
alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, re-
demptores) sed aliquid facimus, cuius intui-
tu Christi satisfactio nobis applicatur, &
communicatur. Per passiones Sanctorum in 56.
indulgentiis communicatas, non propriè re-
dimuntur nostra delicta; sed per commu-
nionem caritatis, nobis eorum passiones im-
partiuntur, vt digni simus, qui pretio san-
guinis Christi, à pœnis, pro peccatis debitis li-
beremur. Illa Doctorum distinctio, diuinæ 57
legis mandata bifariam impleri, altero mo-
do quantum ad præceptorum operum sub-
stantiam tantùm; altero quantum ad certum
quendam modum, videlicet secundùm quem
valeant operantem perducere ad regnum æ-
ternum (hoc est, ad modum meritorum)
commentitia est, & explodenda. Illa quo- 58
que distinctio, quâ opus dicitur bifariam bo-
num, vel quia ex obiecto, & omnibus circum-
stantiis rectum est, & bonum, (quod mora-
liter bonum appellare consueuerunt) vel quia
est meritorium regni æterni, eò quòd fit à
viuo Christi membro per spiritum caritatis,
reiicienda est. Sed & illa distinctio dupli- 59
cis iustitiæ: alterius, quæ fit per spiritum
caritatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex
inspiratione quidem Spiritus sancti, cor ad
pœnitentiam excitantis, sed nondum cor
inhabitantis, & in eo caritatem diffunden-
tis, quâ diuinæ legis iustificatio implea-
tur, similiter reiicitur. Item, & illa distin- 60.
ctio duplicis viuificationis; alterius, quâ
viuificatur peccator, dum ei pœnitentia, &
vitæ nouæ propositum, & inchoatio per
Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ viui-
ficatur, qui verè iustificatur, & palmes vi-
uus in Vite Christo efficitur, pariter com-
mentitia est, & Scripturis minimè con-
gruens. Non nisi Pelagiano errore admitti 61.
potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, si-
ue non malus, & gratiæ Christi iniuriam
facit, qui ita sentit, & docet. Sola violen- 62.
tia repugnat libertati hominis naturali. Ho- 63.
mo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod
necessariò facit. Infidelitas purè negatiua in 64.
his, in quibus Christus non est prædicatus,
peccatum est. Iustificatio impij fit formali- 65.
ter per obedientiam legis, non autem per oc-
cultam communicationem, & inspirationem
gratiæ, quæ per eam iustificatos faciat im-
plere legem. Homo existens in peccato mor- 66.
tali, siue in reatu æternæ damnationis, po-
test habere veram caritatem, & caritas, e-
tiam perfecta, potest consistere cum reatu
æternæ damnationis. Per contritionem, e- 67.
tiam cum caritate perfectâ, & cum voto
suscipiendi Sacramentum coniunctam, non
remittitur crimen, extra casum necessita-
tis, aut martyrij, sine actuali susceptione
Sacramenti. Omnes omnino Iustorum af- 68.
flictiones, sunt vltiones peccatorum ipso-
rum; vnde & Iob, & Martyres, quæ passi
sunt, propter peccata sua passi sunt. Ne- 69.
mo, propter Christum, est absque pecca-
to originali; hinc Beata Virgo mortua est
propter peccatum ex Adam contractum, om-
nesque eius afflictiones in hac vita, sicut

& aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati
70. actualis, vel originalis. Concupiscentia in re-
natis relapsis in peccatum mortale, in quibus
iam dominatur, peccatum est, sicut & alij ha-
71. bitus praui. Motus praui concupiscentiæ, sunt,
pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto,
Non concupisces: Vnde homo eos sentiens, &
non consentiens, transgreditur præceptum,
Non concupisces, quamuis transgressio in pec-
72. catum non deputetur. Quandiu aliquid con-
cupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit
præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex*
73. *toto corde tuo.* Satisfactiones laboriosæ iustifi-
catorum, non valent expiare de condigno
pœnam temporalem restantem post culpam
74. condonatam. Immortalitas primi hominis non
erat gratiæ beneficium, sed naturalis condi-
75. tio. Falsa est Doctorum sententia, primum
hominem potuisse à Deo creari, & institui sine
iustitia naturali.

70. Huc vsque Baij propositiones damnatæ, quarum Commentarius prolixus est totum Opus Iansenij eius discipuli, tribus tomis distinctum, quod Bullæ supradictæ Vrbani VIII. contra ipsum edendæ causam dedit. Aliquæ autem illarum planè destruunt naturam gratiæ: vt illæ, quibus dicitur gratiam esse connaturalem Angelis, & primis parentibus ante peccatum. Aliæ ipsius necessitatem in hoc statu naturæ lapsæ nimis exaggerant: vt quæ affirmant nihil boni naturalis posse sine illâ fieri, & semper absque illâ peccari. Aliæ vim iustificandi, aut merendi illi adimunt, vt propositiones 41. 60. 65. 67. & 73. Aliæ denique pertinent ad alias materias, de libero arbitrio, de concupiscentia, de peccato originali, & actuali, de Sacramento pœnitentiæ &c. de quibus suis locis dicetur, quando de illis disputandi occasionem dabit Iansenius.

71. *Iansениani obsistũt Bullæ Vrbani.*

Cùm autem hæc Bulla Vrbani VIII. malè à Iansenij fautoribus, qui non pauci erant in Belgio, & in Gallia, accepta fuisset; & eorum aliqui velut supposititiam planè reiicerent; alij etiam, nescio quâ confidentiâ, notas in illam ederent, quibus falsi, aut subreptionis insimularent: idem Summus Pontifex vtrorumque licentiam, & intolerabilem auctoritatis Apostolicæ contemptum mox repressit: ac tum per suum in Galliâ Nuncium, Eminentissimum Cardinalem Grimaldum, egit vt Parisiis in singulis parœciis promulgaretur, publicísque Sorbonæ tabulis insereretur: tum etiam Breue Apostolicum dedit ad Illustrissimum Mechliniensem Archiepiscopum, 24. Octobris anno 1643. quo iubet vt intolerabilem eorum arrogantiam coërceat, qui non minùs leuiter (inquit) quàm impudenter, Bullam condemnationis libri Iansenij, falsi insimulabant: ipsósque quoquo modo compelleret ad parendum Apostolicæ Sanctioni, quâ librum prædictum damnauit, vt continentem propositiones iam diu antè reprobatas, & damnatas à Pio V. & Gregorio XIII. suis prædecessoribus. Ex quo apparet, quo loco esse debeant apud omnes verè Catholicos, & supremi Pastoris ac iudicis sententiæ, vt par est, adhærentes, quicunque propositiones illas Baianas, & Iansenianas, iam quater à tribus summis Pontificibus damnatas, vt hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & piarum aurium offensiuas, tueri adhuc pertinaciter, & nomine Augustini obtrudere non verentur. Sed præstat hoc loco Breue illud Pontificium integrum referre, quod sic habet.

Archiepiscopo Mechliniensi,

VRBANVS VIII.

72. *Iubentur obedire multis Breuibus Apostolicis.*

VINCVLA Christianæ caritatis, quæ animos mutuò obstringunt, non sine ingenti damno disrumpi perspectum est, dum ob acriter concitatas in rebus ad Catholicam fidem pertinentibus controuersias, ingenia traducuntur in partes. Ac proinde ad tollendas dissensiones, quæ ob editum Cornelij Iansenij librum, qui inscribitur *Augustinus*, exortæ fuerant, iampridem, super nonnullis conclusionibus in disputationem vocatis, scribendi, atque disputandi facultatem interdiximus. Et deinde peculiari constitutione ipsum Iansenij librum, quippe qui opiniones à Pio V. & Gregorio XIII. prædecessoribus nostris dãnatas continere, & tueri deprehésus fuit, omnino reprobauimus pridie Nonas Martij, anno 1641. Quæ constitutio 19. Iunij 1643. publicata in Vrbe fuit. Pontificiæ tamen sollicitudinis zelum, & contrà quàm sperabamus, parùm apud quosdam profecisse audiuimus, & quemadmodum par est, vehementer doluimus. Aliqua enim ad falsitatem diplomatis indicandam non minùs leuiter, quàm impudenter obiiciunt, de protractu illius publicationis, de anno in Coloniẹ exemplaribus immutato, ac erroribus incuriâ Typographi subortis, quæ omnia quanti ponderis sint, vnusquisque perspicit. In tam aperta ipsorum contumacia tuæ vigilantiæ officia elucere cupimus, & quam in eximia, quâ polles, pietate spem posuimus, illam primo quoque tempore in optatum gaudium conuertas. Quamobrem enixè flagitamus vt intolerabilem eorum arrogantiam coërceas, ipsósque ad parendum Apostolicẹ Sanctioni quoquo pacto compellas. Non exiguus erga te nostræ beneuolentiæ cumulus accedet, si diligenter operam adhibueris, vt tam iusti voti compotes efficiamur, qui fraternitati tuæ à bonorum omnium largitore, iugem precamur felicitatem, & Pontificiam benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ 24. Octobris anno 1643.

Eodem die, eadémque occasione, alterum Breue Apostolicum dedit ad Episcopum Antuerpiensem, cuius tenor hic est:

Episcopo Antuerpiensi,

VRBANVS VIII.

73. QVI aliquo erga hanc sanctam Sedem obseruantiæ sensu præditi sunt, summopere mirantur, nonnullos ita longè à propriâ institutione aberrare, vt quæ à Rom. Pontifice statuuntur, temere despiciant. Id in præsentia contingere plurimùm dolemus, dum Constitutionem nostram, quæ ad prohibendos Cornelij Iansenij, & aliorum libros, haud rectam doctrinam continentes, anno 1641. pridie Nonas Martij condita à nobis fuit, nostróque iussu die 19. Iunij 1643. Romæ publicata, à quibusdam Iansenij assectis impudenter, atque inanibus prorsus rationibus oppugnari audiuimus. Propterea

fraternitati tuæ iniungendum censuimus, vt pro eximia, quâ præstas, pastorali virtute, & vigilantiâ omnino incumbas, vt prædicti diplomatis præscripto qualibet ex parte fiat satis. Scimus mentem tuam eo pietatis zelo exardescere, vt nihil ab illâ, quod à præcipua diligentia in præsenti opportunitate valeat proficisci, quisquam desideraturus sit. Tua sanè in eiusmodi causâ officia fieri possunt hoc tempore propugnacula Religioni, & solatia Ecclesiæ. Tantum decus adiungi in primis cupimus nomini fraternitatis tuæ, cui Apostolicam benedictionem in Domino impertimur. Datum Romæ 24. Octobris 1643.

74. Eodem quoque die ob eandem causam alia duo Breuia dedit: vnum ad Academiam Louaniensem: alterum ad Duacensem: cuius vtriusque exemplar ad me Româ transmissum hîc subiiciam.

Academiæ Louaniensi,

VRBANVS PAPA VIII.

QVANTA ex opinionibus errorem, & scandalum præferentibus progigni possit in Ecclesiam pernicies, cùm exploratum omnibus sit; illas inualescere haud sinit prospiciens cunctorum bono caritas Apostolica. Id causæ fuit, cur nos Pij V. & Gregorij XIII. Constitutiones, quibus nonnullæ Theologorum sententiæ reprobantur, peculiari diplomate confirmauimus, simúlque Cornelij Iansenij librum, cui titulus est *Augustinus*, aliáque diuersorum opera prohibuimus, anno Incarnationis Dominicæ 1641. pridie Nonas Martias. Cuius quidem confirmationis, paritérque prohibitionis tenor die 19. Iunij anno 1643. in Vrbe publicatus fuit. Minimè nos latet eâ quâ decuit reuerentiâ, à plerisque vestrûm fuisse exceptum; quippe qui optimè calleris, virgam directionis in Pontificis dextra, esse publicæ incolumitatis tutelam, atque eorum indicem, quæ ad rectum salutis iter, siue conquirenda, siue vitanda sunt. Ingenti tamen animi ægritudine audiuimus aliquos non defuisse, quorum temeritas eò prolapsa est, vt prædictam constitutionem, tum ob prorogatum publicationis tempus, ac etiam quarundam interpunctionum, & literarum menda, tum ob immutatum in Coloniensi editione annum, inanibus scilicet argumentis, in dubium vocare, & falsitatis arguere non sint veriti. Quàm alienum hoc à Louaniensis Academiæ institutione videatur, luculenter perspiciet, quicunque illam semper fuisse perpenderit, non minùs pietatis, quàm doctrinæ celebritate conspicuam, & Pontificias sanctiones non solùm exequi, sed omni studio tueri etiam solitam. Quamobrem confidimus fore, vt grauissimum hoc negotium suo pondere expendentes, iussibus nostris sedulò pareatis, neque patiamini ob effrenatam quorundam audaciam florentissimæ Vniuersitatis nomen, tantâ contumaciæ notâ circumfundi. Quibus certè documentis consuetum erga nos obsequium declarabitis, iis vestræ quoque tranquillitati consuletis, nec paruam à veris Ecclesiæ filiis laudem consequemini. Dirigat consilia vestra, qui scientiarum Dominus est, vósque diu incolumes tueatur, quibus nos paternam benedictionem impertimur. Datum Romæ 24. Octob. 1643.

Academiæ Duacenæ,

VRBANVS PP. VIII.

OMNIPOTENTIS imperium in Pontificia auctoritate despicitur, quotiescunque Apostolicis sanctionibus repugnatur. Quamobrem impudens aliquorum temeritas satis improbari non possit, qui constitutionem de Cornelij Iansenij libro, cui titulus est *Augustinus*, aliorúmque operibus, ac libellis vitandis anno 1641. pridie Nonas Martias à nobis conditam, & 1643. die 19. Iunij in Vrbe publicatam, falsitatis insimulare, vanissimis rationibus non sunt veriti. Ob tam apertam eorundem contumaciam ingenti planè ægritudine affecti fuimus, animo agitantes, quàm pernicioso exemplo & propriæ salutis discrimine id præsumant. Attamen non parũ valet ad sollicitudinem nostram aliqua ex parte leuandam, illa fiducia, quam in bonorum zelo, & præsertim Duacensis Academiæ pietate constituimus. Neque enim patiemini veteris gloriæ decora, non tam doctrinæ, quàm religionis præsidio acquisita, inconsultis quorundã opinionibus imminui. Proinde nobis pollicemur fore, vt quâ par est veneratione nostro diplomati, qualibet ex parte obtemperetis, vósque eius laudis studiosos ostendatis, quæ communis quietis curatione, & debitâ erga hanc sanctam Sedem obedientiâ comparari solet. Altissimum precamur, vt dirigat cogitationes vestras in beneplacito suo, & præclaræ isti Vniuersitati iugiter præsto sit, cui nos Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ 24. Octobris 1643.

Dedit & alia duo Breuia idem Pontifex, eiusdem fermè tenoris ad Franciscum de Mello Belgij Gubernatorem, & ad Archiepiscopum Cameracensem. 76.

Cúmque post tot Bullas, & Breuia Apostolica, non acquiescerent Doctores aliqui Louanienses; & duo ex illis Ioannes Sinnichius, & Cornelius Papius Romam missi, agerent pro viribus apud Summum Pontificem de Bullâ contra Iansenium reuocandâ, aut saltem mitigandâ: nihil aliud ab illo obtinuerunt, nisi vt disertè intelligerent, velle se vt Bullæ accuratè pareatur: quemadmodum constat ex Actis Congregationis sanctæ Inquisitionis generalis, & ex literis eiusdem ad D. Abbatem S. Anastasij Vice-Nuncium Bruxellæ, quorum exemplar est huiusmodi.

FERIA V. DIE XV. IVNII M. DC. XLIV.

IN *generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico apud S. Petrum coram Sanctiss. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentiss. & Reuerend. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in tota republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.* 77.

Cùm post publicatam Bullam Sanctiss. D. N. contra librum Cornelij Iansenij, olim Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, excitatæ fuerint variæ difficultates, occasione diuersitatis exemplarium Bullæ præfatæ, & aliorum de quibus in nonnullis libellis diuulgatis: cúmque per Ioannem Sinichium, & Cornelium Papium Doctores Vniuersitatis Louaniẽsis fuerint præ-

sentatæ literæ eiusdem Vniuersitatis, necnon porrectus supplex libellus sanctissimo Domino Nostro, pro dictæ Bullæ veritate & intentione Sanctitatis suæ, circa illam indaganda: Idem sanctissimus lireras & libellum præfatum sacræ Congregationi supremæ & vniuersalis Inquisitionis remisit, vt per eam de contentis in illis informaretur, prout successiuè informatus mandauit per Eminentissimos ac Reuerendissimos DD. Cardinales Bernardinum Spadam, Ioan. Baptist. Pamphilium, & Lælium Falconerium, tres ex supremis Inquisitoribus, antedictos Sinichium & Papium audiri, & deinde Sanctitati suæ, ab eis deducta referri. Qui quidem Domini Cardinales, in executionem dicti mandati præfatos Doctores verbo, & scripto multa deducentes, tum congregatim, tum priuatim audiuerunt, eáque omnia in præfata suprema, & vniuersali Congregatione priùs communicata, ac ibi pluries discussa, vnà cum voto ipsius Congregationis Sanctissimo D. N. diligentissimè retulerunt. Sanctitas verò sua audita relatione & voto præfatis, nec non omnibus maturè perpensis & consideratis; mandauit ex Archiuio eiusdem Congregationis, & ex matrice Actorum, quæ in eodem Archiuio conseruantur, extrahi, siue transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ, illúdque sic extractum, collationatum, & impressum, eisdem Sinichio & Papio, per supradictos DD. Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium consignari, ipsísque insuper Sinichio, & Papio intimari, & significari: suæ Sanctitatis mentem, & voluntatem esse, vt eidem exemplari sic consignato, fides adhibeatur, & ab omnibus Christi fidelibus Bullæ huiusmodi omnino pareatur, sub pœnis, & censuris in ea contentis; & demum super dubitationibus, difficultatibus, ac querelis, occasione præfatæ Bullæ quoquo modo excitatis vel excitandis, perpetuum silentium imponi, prout imposuit, & ita &c. Non obstantibus omnibus, & quibuscunque in contrarium adductis, & deductis &c. Insuper Sanctitas sua mandauit iuxta sensum præfatum scribi, per eandem S. Congregationem Nunciis Apostolicis, ac locorum Ordinariis, & expediri etiam literas ad Gubernatorem Flandriæ, & Vniuersitatem Louaniensem, & ad alios &c.

Fidem facio ego Notarius publicus infrà scriptus qualiter die 29. Iulij 1644. in executionem suprà scripti decreti fuit à suprà nominatis, Eminentissimis & Reuerend. DD. Cardin. Spada, Pamphilio, & Falconerio, datum, & cum effectu consignatum in propriis manibus Dominorum Ioannis Sinich, & Cornelij Papij, professorum Vniuersitatis Louaniensis, exemplar Bullæ Sanct. D. N. Vrbani PP. VIII. contra librum quẽdam Reuer. Cornelij Iansenij olim Episcopi Iprensis intitulatum Augustinus, & alios libros, & opuscula contenta in eadem Bulla; iisque ab eisdem Eminentissimis DD. Card. intimatam, & significatã suæ Sanctitatis mentem, & voluntatem, vt in præfato decreto, præsentibus testibus opportunis, & cum Assistentia Reuerendis. D. Francisci de Albizis eiusdem sanctæ vniuersalis Inquisitionis Assessoris. In quorum fidem me subscripsi, & sigillo præfatæ sanctæ Inquisitionis muniui hac die 30. Iulij anni 1644. Erat subscriptum, *Ita est, Ioannes Antonius Thomasius præfatæ sanctæ vniuersalis Inquisitionis Notarius*, & appositum sigillum S. Congregationis.

Exemplar Literarum Congregationis S. Officij ad D. Abbatem S. Anastasij Vice-Nuncium Bruxellæ.

Comparvere hîc abhinc dies aliquot Doctor Ioannes Sinnich & Cornelius de Papæ, afferentes literas Vniuersitatis Louaniensis, Prælatorum, Nobilium, ac vrbium Brabantiæ, ad sanctiss. D. N. Præcipuũ negotium, quod ipsi agunt, est, vt conseruentur priuilegia dictæ Vniuersitatis, prætendúntque actam in hac Curia Rotæ, causam nonnullam aliter, atque ipsi disposuerint. Postmodum Doctor Sinnich, quasi per transennam egit de Bulla publicata contra doctrinam Iansenij, & quantum colligi potest, optaret eam, aut reuocari, aut saltem mitigari. Verùm intellexit ex Sanctiss. D. N. velle vt huic accuratè pareatur, atque ipsi idem à me significatum est, & declaratum eam esse veram, & attendendum ad exemplar, quod Romæ excusum est, non verò ad illa, quæ aut Coloniæ, aut Parisiis sunt impressa. Volui de his vestram Dominationem certiorem facere, vt si forsan Doctorem Sinnich, ad fouendas contentiones, alendámque refractariorum, & huic Constitutioni inobedientium contumaciam, aliter aut ad Vniuersitatem Louaniensem, aut ad alios scribere contingat, ac spem faciat, fore vt Bulla reuocetur, aut mitigetur, Dominatio vestra vnumquemque de veritate rei edocere, déque ea Vniuersitates Belgij illiúsque Prælatos securos reddere possit, nunquam ne per minimam quidem cogitationem, sanctissimo Domino venturum in mentem, vt Bullam hanc quacunque demum sui parte immutet, verùm fore vt inuigilet, vt ei obtemperetur, atque ea seruetur, 5. Decembris 1643. 78.

Neque verò minor fuit cura & vigilantia S. D. N. Innocentij X. qui Vrbano successit, & nunc Sedem Apostolicam tenet, in comprimendis iisdem erroribus, & perniciosis assertionibus, tuendáque & sancienda prædecessorum suorum Censura: vt testantur plures eius literæ Apostolicæ in forma Breuis ad varios datæ: quarum aliquot exemplaria transcribere hoc loco visum est, vt confundantur si qui adhuc veritati adeò manifestæ non verentur obstrepere. Neque ingratum erit lectori, me in rem tanti momenti confirmandam diutius incumbere. 79. *Innocentius iubet seruari Bullam Vrbani.*

Theologis, & Professoribus Academiæ Louaniensis,

Innocentivs Papa X.

Dilecti filij salutẽm, & Apostolicam benedictionem. Fundatam Dei sanguine Ecclesiam & afflantis è cælo spiritus virtute corroboratam, ipsa præscribente Apostolica Sede Religionis, ac fidei fundamenta capere, nec aliunde sibi reliquam spem facere veritatis accersendæ, ac salutis, nemo vel minimùm neget, qui se Catholicum non neget. Et vestræ quidem florenti laude Academiæ, à quâ Catholicam doctrinam continenter hausit Christianus orbis, religiosum hunc sensum hærere animis certum est, eóque persuasum constanter à vobis amplectendum Apostolicum Vrbani VIII. decessoris nostri diploma, quo non ita pridem 80.

excusum Cornelij Iansenij Iprensis olim Episcopi librum, Augustinum inscriptum, vetitum esse voluit, vnáque reliquas, & propugnando illi, & refellendo euulgatas dissertationes: cui vniuersim editioni summorum decreta Pontificum Pij V. Gregorij XIII. & Pauli V. planè obstiterant; ita nimirum, & seriò consuluit decessor Pontifex Ecclesiasticæ, cui minùs obtemperatum fuerat, auctoritati: Et proinde cauit ne subinde erumpentium in Ecclesia dissidiorum turbine, ad peruicaciæ scopulum allisę, naufragium facerent fratrum caritas, & fides. Equidem leues animi, gliscente contentionibus contemptu, suæ magis impotentiæ velificati quàm Deo, sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria magistros sibi coaceruant, prurientes auribus, & Romanæ Ecclesiæ, à qua vna, & responsa fidei petantur, & scita Religionis, obedientiam temere detrectantes. Hanc verò perpetuò à vobis, dilecti filij, eidem persanctè probatam, pro ea quâ vos de corde puro, & fide non fictâ complectimur caritate, debita constitutionis prædictæ obseruantia seruandam, curare in Domino monemus, ac præcipimus, vt verè ex diuino oraculo, filij sapientiæ sint cœtus vester, & ratio vestra obedientia, & dilectio: quâ porrò & nos Apostolicam benedictionem vobis peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 20. Februarij 1645. Pontificatus nostri ann. 1.

81. Alia duo Breuia præcedenti similia dedit idem summus Pontifex ad Duacensem Vniuersitatem, & ad Professores, ac Theologos Vniuersitatis Sorbonæ. Cúmque sequenti anno 1646. eximius sacræ Theologiæ Doctor Guilielmus ab Angelis, Louaniensis Academiæ regius Professor, ibidémque Collegij Pontificij præses, Sanctitatem suam per literas monuisset, eam esse quorumdam eius Academiæ Doctorum, aut alumnorum pertinaciam, vt necdum se Apostolicæ Sedis auctoritati, & censuræ submitterent, tantóque malo remedium adhiberi postularet, cui ipse mederi, quantumuis maximè niteretur, non posset: hoc Breue Apostolicum responsi loco accepit.

Exemplar Breuis Apostolici missi à S. D. N. Innocentio PP. X. ad Eximium Dominum ac Magistrum D. Guilielmum ab Angelis S. Theologiæ Doctorem, & in Alma Louaniensi Academia Professorem regium, ibidémque Collegij Pontificij Præsidem.

INNOCENTIVS PP. X.

82. DILECTE fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Probat sese insigniter orbi Catholico dignè in te conformata religioni doctrina; cui, & iugiter ab ipso in Nos, atque Apostolicam Sedem obedientiæ cultu, meritam laudem, solidúmque decus accersis, ac paras. Testata, quæ perspicit eius rei exempla, pari muneretur testimonio Romana Ecclesia; eiúsque virtuti lucem cumulet, cuius ingenium in luce gradiens obsequitur veritati. Et verò exploratum id nobis liquidò est, in ipsa, quam præfers, continenter solicitudine, & cura, vt sanctæ huius Sedis decretis, ac mandatis obtemperetur, quæ contra Iansenij librum, *Augustinum*, inscriptum, ritè iam antea prodiêre. Quibus sanè decretis sua vt constet vis, atque obedientia deferatur, constanter volumus: quod certè, qui in Ecclesiæ gremio sunt filij, si detrectent; in dedecus sese ac perniciem induisse, non obscurè sentient. Equidem ab inclyta ista Louaniensi Academia, Nostræ, ac Sanctæ Sedis menti vt pareatur, haud dubiè expectamus; in quam, vt plurima semper à Romana Ecclesia merita extiterunt, ita neutiquam in posterum deesse eadem volumus, quæ illa, vt confidimus, in dies magis sataget promereri. Tibi interim, dilecte fili, tam egregio incense studio, Pontificiam nostram beneuolentiam exhibemus, & Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die VII. Iulij M. DC. XXXVI. Pontificatus anno II.

Signatum, GASPAR DE SIMEONIBVS.

Huc vsque summus Pontifex: cuius verba grauissima, essent attentè consideranda ab iis omnibus, qui erroribus Iansenianis adhuc adhærere malunt, quàm supremæ auctoritati Sedis Apostolicæ, eiúsque sententiæ, & constanti voluntati, tot Bullis, & Breuibus significatæ, vt decet homines verè Catholicos, & à Schismate, hæresísque, & erroris periculo abhorrentes, sese humiliter, & ex animo submittere. Quibus verendum est, ne sicut Doctor suprà nominatus, suo erga Summum Pontificem, atque Apostolicam Sedem obedientiæ cultu, meritam laudem, solidúmque decus sibi accersiuit ac parauit, vt ait Pontifex, sic ipsi è contrario, obstinatâ suæ inobedientiæ audaciâ, atque Sedis Apostolicæ auctoritatis contemptu, iustum vituperium, & immortale dedecus sibi accersant, & comparent. Si, vt ait Pontifex, illius Doctoris *ingenium in luce gradiens obsequitur veritati:* verendum est, ne ipsi in tenebris ambulantes obsequantur errori, & mendacio. Ponderent etiam, quod tamen seriò grauitérque pronunciat: *Quibus sanè decretis, sua vt constet vis, atque obedientia deferatur, constanter volumus: quod certè, qui in Ecclesiæ gremio sunt filij, si detrectent, in dedecus sese, ac perniciem induisse non obscurè sentient:* & illam supremi Ecclesiæ Pastoris, siue comminationem, siue prædictionem reformident. Si denique, vt idem ait, qui decretis illis parent, Ecclesiæ Romanæ bona erga se merita, & fauores promereri satagunt: consequens est, vt qui parere detrectant, eius indignationem, & iustam suæ peruicaciæ, audaciæque intolerandæ castigationem promereantur. 83.

Istud quoque posteritatis memoria dignum est, quòd cùm Henricus Calenus Archidiaconus Mechliniensis ad Episcopatum Ruremundensem nominatus fuisset à Rege Catholico; noluit idem summus Pontifex Innocentius, eius nominationi consentire, nisi priùs ille Iansenij doctrinam abiuraret, eíque solemniter renunciaret, Sacramento abiurationis in hæc verba concepto. 84. *Calenus Iansenista arcetur ab Episcopatu.*

Ego Henricus Calenus Archidiaconus Mechliniensis ad Episcopatum Ruremundensem nominatus, declaro me in omnibus obedientem esse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimo Domino nostro Innocentio diuinâ prouidentiâ Papæ huius nominis X. eiúsque successoribus. Et quamuis antea existimauerim ea, quæ

continentur in libro Reuerendissimi Cornelij Iansenij, aliàs Iprensis Episcopi, *Augustinus* inscripto, esse iuxta mentem, doctrinámque puram magni Doctoris Ecclesiæ S. Augustini, & conformia sensui recepto, atque approbato à supradictâ matre nostrâ Sanctâ Romanâ Ecclesiâ; atque ita persuasus, eundem librum legerim, & contra impugnantes defenderim: postea tamen certior factus de constanti voluntate Vrbani VIII. felicis memoriæ, & S.D.N. Innocentij X. qui illum interdicunt: declaro me nunc exhibere, sempérque deinceps exhibiturum obedientiam inuiolabilé Decretis Sedis Apostolicæ, & summorum eius Pontificum. Promitto me nihil facturum in contrarium directè, vel indirectè: librúmque prædictum reiicere, & iam reiecisse, nec eum vnquam ampliùs esse lecturum. Sicut etiam declaro me detestari omnes hæreses, & quamlibet illarum, haberéque, & habiturum pro erroneis omnes propositiones, & opiniones iam damnatas, vel in posterum damnandas in quocunque auctore: speciatim verò in præfato lib. Iansenij, cui nomen *Augustinus*. Sic promitto, sic voueo, sic iuro. Henricus Calenus Archidiaconus Mechliniensis supradictus. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

85. Cúmque ille non satis constans visus fuisset in iuramento seruando; perstitit constantissimè Pontifex in Episcopatu negando: significans eo facto, indignos esse gradu, & munere Episcopali eos omnes, qui erroribus toties à Sede Apostolica damnatis adhærent. Qua etiam de causa Rex Catholicus ann. 1647. die 21. Decembris statuit, vt nullus in suis ditionibus ad Episcopatum promoueretur, qui si doctrinæ Iansenij addictus, vel de illâ suspectus esset, non priùs illam abiuraret in manibus Nuncij Apostolici. Eiusdémque Regis exemplo, & iussu Leopoldus Archidux Austriæ, & Belgij Gubernator, sanxit vt qui essent eiusmodi, neque ad Episcopatum, neque ad vllum aliud beneficium Ecclesiasticum admitterentur, nisi Iansenismi abiuratione præmissâ in manibus Vice-Nuncij Apostolici. Quò pertinet quod in statutis Synodalibus ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Claudio d'Aceri Archiepiscopo Bisuntino editis, & promulgatis die 26. Maij 1648. constitutum habetur cap. 3. *De Bulla Vrbani VIII. contra Iansenij librum, cui titulus Augustinus, cum veneratione admittenda:* cuius verba hæc sunt: Quia verò exigit à nobis debita S. Sedi Apostolicæ obedientia, vt cum ea, quâ par est, sedulitate, & diligentia, doctrinas ab ea velut ceterarum Ecclesiarum matre damnatas, damnemus & nos, vel sic maiorum vestigiis inhærentes, quorum mentibus ab ipsis fidei incunabulis, altè impressa versus eandem, nedum in maximis, quin & in minimis fuit reuerentia. Hinc emanatam à felicis recordationis Vrbano VIII. summo Pontifice constitutionem, quæ incipit, *In eminenti Ecclesiæ*, & quâ Cornelij Iansenij liber, cui titulus *Augustinus*, legi, aut etiam à non legentibus seruari districtè prohibetur, propter damnatas in opere eiusmodi opiniones, Apostolicis prædicti Vrbani PP. VIII. quemadmodum & promulgatis à S. D. N. Innocentio PP. X. ea de re Decretis parere cupientes in omnibus, venerabundi admittimus, & vsque adeò strictè seruari mandamus, vt in posterum (quoad nobis placuerit) nullus omnino ad curam animarum admittatur, nisi qui post solemnem Concilij Tridentini fidei professionem, formulam hîc adiectam Vicario nostro Generali attentè legerit, & iurauerit.

Et aliis similiter.

Et ab aliis beneficiis Eccles.

Ego N. profiteor me obedientem S. Romanæ Ecclesiæ, & S.D.N. Innocentio X. Pontifici Romano, eiúsque successoribus, atque ideo me acceptaturum, prout de facto accepto debitâ submissione constitutionem felicis recordationis Vrbani VIII. editam ann. 19. sui Pontificatus, Incarnationis Domin. 1641. pridie Non. Mart. quæ incipit *In eminenti Ecclesiæ, &c.* in qua damnatur, & prohibetur liber Cornelij Iansenij, cui titulus *Augustinus*: quam constitutionem ego integrè accepto, & cum ea in omnibus sentio, & consentio, ac promitto me (quantum in me fuerit) curaturum, vt præfatam constitutionem omnes, & singuli accéptent, & in omnibus cum eadem sentiant, & consentiant. Ita spondeo, voueo, ac iuro. Ego idem N. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. 86.

Ex his omnibus liquet, non minori studio, curâ, & vigilantiâ, repressos fuisse errores supradictos à quatuor summis Pontificibus Pio, Gregorio, Vrbano, & Innocentio X. quàm hæresis Pelagiana, & Semipelag. in ipso sui exordio domita fuit à totidem supremis Ecclesiæ Pastoribus Innocentio I. Zozimo, Bonifacio, & Cælestino: paulóque pòst ferè extincta à Leone I. cuius auctoritate celebratum fuisse Concilium Arausicanum II. contra reliquias Pelagianorum, probabilius esse mihi videtur cū Suare Proleg. 6. de Gratia cap. 1. licèt Baronius, & quidam alij malint ab Hilario Leonis successore, vel à Felice IV. successore Hilarij, transmissos potiùs fuisse canones in eo sancitos: de quibus etiam, vel de capitibus determinatis à Cælestino I. in epistola ad Episcopos Galliæ intelligendum est, quod ait Hormisda P. epist. 70. ad Possessorem: *De arbitrio libero, & gratia Dei quod Romana (hoc est, Catholica) sequatur, & asseueret Ecclesia, licèt in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci; tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si tibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus.* Et hactenùs de hæresibus falsísque opinionibus circa gratiam. 87.





TRACTATVS II.

DE VARIIS STATIBVS NATVRÆ HVMANÆ, in ordine ad gratiam consideratis.

FVIT istud quoque Iansenij artificium in libro suo procemiali, fraudis, & versutiæ plenum, vt Diui Augustini, cuius ore loqui se iactat, nihilque aliud, quàm eius sensa depromere, auctoritatem immodicè extolleret; & eò vsque efferret, vt totam ipsius doctrinam, præcipuè de gratiâ, & prædestinatione, Euangelicam, Apostolicam, Catholicam, & irrefragabilis auctoritatis, totius Ecclesiæ nomine scriptam, & à Romanis Pontificibus magnificentissimè approbatam, & consecratam, vno verbo certissimam fidei regulam esse, persuadere conatus sit: vt quidquid postea in toto opere suo, velut ab ipso dictum proponeret, indubitanter pro vero, & Catholico dogmate haberetur; eiúsque oppositum, pro erroneo, vel hæretico. Et quoniam omnes Doctores Scholasticos sibi aduersari non ignorabat; atque in eorum Scholis toto orbe Christiano, iam à quingentis fere annis, quibus florere cœperunt, dogmata, suis contraria, fuisse recepta, adeóque in totâ ipsâ Ecclesiâ, cuius Pastores non aliud populum docent, quàm quod in Scholis Doctorum Catholicorum audiuerunt: vt hoc præiudicium suæ causæ repelleret, omnémque prorsus auctoritatem Theologis adimeret, quibuscunque potest modis, nititur eos in contemptum adducere in eodem libro procemiali, & negligentiæ, vel oscitantiæ in scriptis sanctorum Patrum euoluendis; ignorantiæ crassæ, & affectatæ in rebus fidei intelligendis; temeritatis, & audaciæ in iisdem suo sensu explicandis; effrenatæ licentiæ in serendis quæstionibus, & in regulis morum tradendis, aliorúmque non vulgarium criminum reos facit.

Nos igitur vt fraudulentis eius conatibus obsistamus, hunc Tractatum secundum auspicabimur, vnde ille Tomum suum secundum exorsus est: & antequam de variis statibus naturæ humanæ, gratiæque auxiliis ad peccatum vitandum, rectéque operandum necessariis, dicere aggrediamur, refutare conabimur sequenti disputatione, quæ ille toto libro suo procemiali scripsit ad eleuandam penitus Theologorum Scholasticorum, & exaggerandam, supra modum, Scriptorum Diui Augustini auctoritatem.

DISPVTATIO PROOEMIALIS numero XII.

De ratione, & auctoritate in rebus Theologicis.

SECTIO PRIMA.

Quid sentiant noui Dogmatistæ de vsu rationis in tractandis quæstionibus Theologicis?

1. *Iansen. lib. procem. c. 3.* TRIA circa vsum rationis in Theologia reprehendit Iansenius in lib. procemiali cap. 3. & pluribus sequentibus. Primum est, quòd Theologi in tricis philosophicis maiorem, & meliorem vitæ suæ partem insumentes, vix tempus habent, quod genuinis principiis Theologiæ peruoluendis, penetrandísque tribuant. Indéque fieri dicit, vt quotiescunque latet eos, quid in grauioribus, aut arcanioribus nodis, vel sentiendum, vel dicendum sit, non eis cura sit, quæ esse deberet, quid vel scripturarum sacrarum auctoritas, vel veneranda Patrum canities consulta respondeat; sed statim ad philosophiæ præsidium, velut ad omnium solutionum armamentarium sese conferant, atque eius regulis, tanquam sacro-sanctis, mysteriorum altissimorum momenta metiantur. Vnde, inquit, ortæ sunt illæ Theologorum sententiæ, de libertate indifferentiæ in operibus gratiæ; de statu puræ naturæ, de virtutibus Gentilium, déque fide, spe, & dilectione naturali, aliísque id genus; quas ille falsas, & Pelagianas esse putat: sed veras esse, & orthodoxas, suis locis ostendemus. *Exprobrat Theologis nimium Philosophiæ studium.*

2. *Et modum malè explicandi fidei veritates.* Secundò eos reprehendit cap. 5. & aliquot ſequentibus, quòd in ratione explicandi res fidei, eáſque tuendi contra errores hæreticorum, & infidelium, longè diſtent in duobus, ab antiquis Patribus. Vnum eſt, quòd iſti ex principiis Verbi Dei, præcipuéque ſacrarum literarum, ſenſus ſuos, & verba promebant. *Ibidem c.8. initio.* Contrà verò, pleræque notitiæ genuinè Scholaſticæ de rebus ſupernaturalibus, non niſi puræ abſtractiones ſint, depuratæque Ariſtotelicæ Metaphyſicæ eliquationes. Quid verò incongruentius, quàm res ſupernaturales ex principiis Ariſtotelis purè naturalibus, ſuſpendere, ac declarare velle? *Et temeritatem omnia perſcrutandi.* Alterum eſt, quòd Sancti Patres religiosè intra terminos oppugnatæ ab errore veritatis, ſine vllâ ſuperfluarum, multò minùs curioſarum, friuolarum, atque inutilium quæſtionum intermixtione, remanebant: neque de arcanis illis, reuelatíſque myſteriis diſſerebant, niſi ineuitabili neceſſitate pertracti. Ne videlicet, ſi vlteriùs progrederentur, idem ipſis eueniret, quod Origeni: qui cùm de illis, nulla neceſſitate, ſolâ diſſerendi cupiditate per Platonicæ, & Ariſtotelicæ Philoſophiæ principia, quibus elimatus erat, in libris ſuis περὶ ἀρχῶν latiùs diſputare voluiſſet, omnes penè errores, quibus Eccleſia per trecentos, & ampliùs annos afflicta fuit, Arianos, Macedonianos, Photinianos, Pelagianos, Deo audaciam perſequente, accuratè præformauit. Contrà verò Theologi Scholaſtici nihil in illis inquirendis inauſum, intactúmque relinquunt; ſed quæſtiones, ſine fine, alias ex aliis proſeminant; nullâ ad id neceſſitate compulſi, ſed ſolâ plerumque quidlibet indagandi, & reſoluendi cupiditate ducti. Nullam enim neceſſitatem prætexere poſſunt cogentium hæreticorum; quibus potiùs pleraque difficiliora argumenta contra fidem noſtram curioſitas quorundam Catholicorum in quærendo, ac diſputando, ſuppeditauit.

3. *Et diſſenſiones ac libertatem quidnis opinandi.* Tertiò ex hac immoderata cupiditate myſteria diuina penetrandi, & ſine vllo limite perſcrutandi, factum eſſe dicit, vt quotidie ſine fine, non minùs in praxi, quàm theoria, quæſtiones Theologicæ, & opinionum diſſenſiones creſcant: & vt quemadmodum in theoricis, limites rerum verè diuinarum tranſcundo, non ſemel in chimæricas abſtractiones inciderunt: ita in practicis, morales regulas agendorum, ſimplices, relinquendo, quas ſimplex, & genuina ratio, & antiqui Patres præſcripſerunt, tam laxas effecêre conſcientias, ſub prætextu accommodandi ſe infirmitatibus hominum; vt nihil opus ſit, niſi ſceleratiores fieri homines, vt noua aliqua, & licentioſa regula fabricetur. Vt reuerà pleriſque Chriſtianis ſcientia recentioris Theologiæ, ad nihil penè ſeruiat, niſi vt ſenſa diuerſa diuerſorum, ſuis apta cupiditatibus noſcendo, & ſequendo, depoſitâ Chriſtianâ ſimplicitate, & probitate, verſutiores, & nequiores *Ibidem c.9.* fiant. Itaque vt huic vagæ, & effrenatæ diſputantium libertati ſtatuatur aliquis modus, vult ſacræ Scripturæ libris, Conciliis, & primorum ſæculorum Patribus nos contentos eſſe debere; in quibus tantam diuinarum veritatum copiam offendemus, vt ſine magna intelligentiæ fatigatione, ſolâ penè memoriâ ſatagente, totius vitæ curſus, capiendis omnibus vix ſufficiat.

Quartò, ex eadem opinandi licentia, & modo res diuinas tractandi, ortum eſſe dicit, quòd inter ſe tantopere diſſideant Theologi. 4. Nimirum quia non auditu fidei, & maiorum traditione, ſed ratione, & humanâ intelligentiâ dogmata fidei inueſtigant. Quam viam dicit eſſe plenam *Ibidem c.8.* contentionis, & caritati contrariam, atque in errorum præcipitia frequenter inducentem. Cur enim plerumque diſſentiunt & magiſtri inter ſe, & à diſcipulis magiſtri, & inter ſe condiſcipuli; niſi quia, vt homines, humanis ſenſibus, & hominis ratiocinationibus, ex philoſophorum principiis, iſta quærunt? Vbi non rarò adeſt, & ſtudium gloriandi, quò quiſque alio ſapientior, & acutior videri cupit; nec ſententiæ quodammodo addictus alienæ, ſed ſui dogmatis, & opinionis inuentor: vt ſanè tot altercationibus, atque diſſenſionibus, philoſophorum antiquorum ſæculum reuixiſſe videatur: & à multis ita tractetur Theologia, vt quidlibet, quod non ſit expreſsè damnatum, ſuſtinere fas putent: & multa iam olim damnata, per ignorantiam antiquitatis, diſputandíque nimiam libertatem, ſuſtineant: neque verean- *Ibid. c.16.* tur eorum nonnulli doctrinam Auguſtini, quam tantopere Romana Eccleſia venerata eſt, procaciter interdum, & ſuperbè reiicere.

Addit denique, non præiudicare integritati 5. fidei Eccleſiæ, quòd plurimæ Theologorum *Ibid. c.30. Malè ſentit de infallibilitate Eccleſiæ.* ſententiæ de gratia (quas doctrinæ Auguſtini contrarias, & erroneas, ac Pelagianas eſſe contendit) fuerint per quingentos circiter annos à Theologis communiter receptæ: ac proinde ab Eccleſia, cuius Antiſtites, aliique Paſtores, & Concionatores non aliud docent populum, quàm quod ipſi à Doctoribus acceperunt in Scholis: & populus ſequitur id, quod docetur à Paſtoribus & Concionatoribus. Nam, inquit, pauci Theologorum, vel nulli, ſententias illas, tanquam de fide tradiderunt, vel etiamnum tradunt; ſed tanquam opiniones ſuas, animo ad eas relinquendas, corrigendáſque parato, ſi fortè Scripturis, aut Conciliis, aut Pontificibus Romanis aduerſæ declarentur. Ex quo fit, vt non ſolùm Eccleſia vniuerſalis, nullo fidei errore fœdata ſit; ſed nec vlla eius pars alicuius momenti, à fide aberrauerit. Deinde ipſi Doctores ſcholaſtici, & vniuerſa Eccleſia, rectiſſimam fidem in canonibus ſuis, & in precibus ſuis, ipſáque oratione Dominicâ quotidianâ proteſtantur; in quibus quidquid Auguſtinus de gratiâ, & prædeſtinatione docuit, comprehenditur: ſed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt, hinc diuerſis opinionibus à ſe diuulſi ſunt, quibus inaduertenter fidem aliqui, quam Catholicè profitentur, interimunt. Sed quemadmodum in Sacramentorum adminiſtratione voluntas generalis faciendi quod Chriſtus inſtituit, vel quod vera facit Eccleſia, corrigit latenter opiniones, quibus falſa, imò & hæretica de Sacramentorum formis opinantur: ita & hîc fides immobilis, quâ credunt verum eſſe, quod in canonibus, vel in oratione ad Deum fusâ profitentur, corrigit falſas opiniones, iuxta quas, cum ſubmiſſione animi ſub tribunal Eccleſiæ, fidem explicant: ita vt inde nulla in animum credentem hæreſeos labes cadat. Hæc Ianſenius.

SECTIO II.

Refelluntur assertiones propositæ.

6. *Iansen. hæreticorum more, infectatur Theologos.* CONTRA quæ dico primò, hæreticorum morem illum fuisse, vt quia Doctores Scholasticos errorum suorum præcipuos impugnatores esse experiebantur, eos quàm possent maximè in contemptum adducerent, & suspectos Catholicis, atque exosos redderent. Sic Caluinus passim in suis institutionibus, eos sophistarum, & rabularum Sorbonensium, interdum etiam pecorum nomine cohonestat: neque dubitauit dicere, eos velo Christum texisse, atque infinita mala Christianæ reipublicæ intulisse. Profanos verò eosdem nominat Philippus Melancthon in Apologia pro Luthero, dicens Lutetiæ natam esse profanam Scholasticen: eâque admissâ Euangelium obscuratum, ac fidem extinctam fuisse. Ipse verò Lutherus in libro contra Iacobum Latomum, Theologiam Scholasticam nihil aliud esse dicit nisi inscitiam veritatis, inanémque fallaciam, quam ad Coloss. 2. vers. 8. præcauere monet Apostolus, sic dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Et in libro de abroganda Missa, Christianas Academias in quibus ea traditur, vocat, homo impurissimus, *Anti-Christi lupanaria.* Easdem longè antea Wicleffus appellauerat *Castra Cainitica.* Nimirum canes oderunt lupi, déque illis simili modo loquerentur, si loquendi facultatem haberent, vt à custodiâ gregum procul ablegandos esse persuaderent. *Pontifices verò eos commendant.* Quis autem verè Catholicus non audiat potiùs summos ipsos Pontifices de Theologia, eiúsque professoribus ita loquentes, & vniuersæ Ecclesiæ præscribentes: *Ad Theologicæ professionis studium aliqui destinentur, qui cùm edocti fuerint, in Dei Ecclesiâ velut splendor fulgeant firmamenti. Ex quibus postmodum copia possit haberi Doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire.* Quod statutum Honorij Papæ, habetur insertum Iuri canonico cap. *Super specula, de Magistris.* Neque minùs honorificè de Theologia sentit, & loquitur Martinus I. in epist. ad Constant. Imperat. dicens Theologiam thus purum, & eximium, & optimi odoris esse: mirrham conseruatricem bonorum, & contrariorum expultricem doctrinam.

7. *Idem, cum Hæreticis exprobrat ignorantiam Theologis.* Dico 2. hæreticorum quoque morem illum fuisse, vt Scripturæ diuinæ, & aliorum veræ Theologiæ fundamentorum, ignorantiam, Theologis impingerent, eorúmque scientiam sibi solis superbè arrogarent: vt de Caluino, & Melancthone ostendemus sect. 4. num. 23. & de Pelagianis testatur S. Augustinus lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum. Spero autem forè vt noui Dogmatistæ, ipso experimento, vel inuiti agnoscant Theologos recentiores, errorum suorum impugnatores, longè meliùs in Scripturæ, & Conciliorum, Sanctorúmque Patrum lectione, & intelligentiâ versatos esse, quàm illi sint, à quibus hac in parte arguuntur inscitiæ, aut socordiæ, & negligentiæ. Quanquam vt hoc agnoscerent, aut non dissimularent aduersarij, sufficere poterant tot recentiorum Theologorum volumina, magno Ecclesiæ bono, & ornamento in lucem edita: quorum vix vllus est, qui non ex sacris literis, & Conciliorum, Sanctorúmque Patrum auctoritatibus, præcipua sententiarum suarum firmamenta petat: quidve in grauioribus, aut arcanioribus nodis sentiendum, vel dicendum sit, ab illis potissimè, velut Theologiæ fontibus hauriat. Quod quidem ab omnibus faciendum esse censemus: sed pariter contendimus notitiam, & vsum moderatum dialecticæ, aliarúmque partium Philosophiæ, esse multis de causis Theologo perutilem; atque etiam necessarium.

Primò scilicet, vt eius ope sophismata infidelium, & rationes apparentes, quibus fidem impugnant, meliùs, potentiùs, faciliúsque dissoluat. 8. *Multiplex vtilitas Philosophiæ in rebus Theologicis.* Quo enim pacto fallaces argutias philosophorum gentilium refellere poterimus, nisi arguendi, & refellendi methodum, artémque teneamus? Quamobrem Basilius in cap. 2. Isaiæ super illa verba, *Et super omnem murum excelsum*, non dubitauit dicere, dialecticam *muri instar esse sacris dogmatibus, quòd ea non sinit facilè diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Et Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. eandem esse dicit veluti sepimentum, vt ne à sophistis veritas doctrinæ Catholicæ proculcetur. Quod paulò latiùs explicans lib. 1. eiusdem operis, sic ait: *Est per se ipsa perfecta, & nullius indigens doctrinâ Saluatoris, vtpote facultas, & sapientia Dei. Porro Græca Philosophia ad eam accedens, non potentiorem facit veritatem; sed sophisticam aduersus eam impressionem imbecillam reddens, propulsánsque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum, & vallum dicitur.*

Secundò, vt philosophiæ subsidio doceamus infideles, quantopere dogmata fidei cum recta ratione consentiant: quámve sint illi consentanea quæ de Dei notitiâ, de animorum immortalitate, de fine hominis vltimo, & mediis ad eum perducentibus, de morum præceptis, déque virtutibus, & vitiis, & aliis id genus, fides tradit. 9. Quem in finem adhibere philosophiam, nihil aliud est, vt scitè ait D. Augustinus lib. 2. de doctrinâ Christ. cap. 40. quàm exemplo Israëlitarum, vasa Ægypti aurea, & argentea, relictis eorum idolis, asportare, & in Dei cultum, populíque fidelis vtilitatem conuertere. Vel, vt ait Basil. hom. 24. ad adolescentes, *Quomodo ex Gentilium doctrinis proficiant:* Exemplo Mosis, & Danielis, Ægyptiorum, & Chaldæorum sapientiam discere, non vt in eius tantùm cognitione acquiescamus, sed vt eam in Ecclesiæ vtilitatem, cultúmque traducamus. Vel etiam, vt ait Hieronymus in epistola 146. ad Damasum de filio prodigo, alienigenam mulierem rasis crinibus, reiectísque superfluis, ad Dei populum introducere.

Tertiò, vt eiusdem armis infidelium errores debellemus: & vel ipsi rationi naturali, veræque philosophiæ contrarios esse ostendamus. 10. Fortiùs enim expugnantur hostes, quando ipsorum armis, aduersus illos, vtimur, & propria tela in eos retorquemus. Atque in hunc vsum philosophiam adsciscere, nihil aliud est, quàm Goliathi Philistæi caput, proprio ipsius gladio

abscindere, vt rectè ait Hieronymus epist. 84. ad Magnum Oratorem: Paulúmque Apostolum imitari, qui Act. 17 vel ipsis poëtarum testimoniis in argumentum fidei vsus est, probans Areopagitis Deum non longè esse ab vnoquoque nostrûm, *quia in ipso viuimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum poëtarum dixerunt, &c.* Eodémque genere argumentandi contra infideles vsos esse frequenter Sanctos Patres, naturalibus argumentis adhibitis, ad ea etiam persuadenda, quæ fides, & religio docent, patet ex Tertulliano in Apologetico, Eusebio libr. 3. historiæ Ecclesi. cap. 25. & lib. 9. cap. 8. Epiphanio hæresi 76. Augustino lib. 1. de moribus Ecclesiæ, & lib. contra Cresconium, & lib. de vtilitate credendi, & in libris de ciuitate Dei, aliísque locis.

11. Quartò, vt eiusdem accessione, fidei dogmata meliùs explicentur, illustrentur, ornentur. Nam quemadmodum rectè ait Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. *Prophetici, ac docentis Spiritus sensus, qui obscurè loquitur, propterea quod non omnium est intelligens auditus*, id est non ab omnibus facilè intelligitur, *artificiosas ad perspicuitatem disciplinas exigit.* Et August. lib. 2. de doctrinâ Christianâ cap. 31. *Disputationis*, inquit, *disciplina*, id est Dialectica, *ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda, & dissoluenda, plurimùm valet. Tantùm ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium.*

12. Quintò, cùm Theologiæ præcipuum munus sit, ex principiis fidei conclusiones deducere, & quid ex illis rectè sequatur, quídve opponatur colligere: non potest id peritè fieri sine notitiâ Dialecticæ: quâ qui minùs instructi sunt, in frequentes errores prolabuntur; Vt notum faciunt illi ipsi contra quos disputamus; qui & noua sua dogmata, non nisi argumentando, quàm optimè possunt, stabilire conantur: Et quia dialecticæ minùs periti sunt, perperam vnum ex alio sæpissimè deducunt, & in frequentes paralogismos impingunt. Adde quòd, ad eruendas conclusiones Theologicas ex principiis fidei, sæpè necessarium est adsciscere aliquod principium ex philosophiâ naturali: quod rectè fieri nequit, sine illius peritiâ; quódque frequenter intelligentia reuelatorum haberi nequit, sine verborum notitiâ, & rerum, quæ illis significantur iuxta communem vsum, ad quem sese accommodat diuina reuelatio. Deus enim loquitur hominibus secundùm vsum verborum ab illis receptum, vt ab illis intelligatur. Hæc autem notitia plerumque pendet ex philosophiâ: Ex. gr. vt probaretur in Christo duas esse voluntates, ita ratiocinandum erat contra Monothelitas: Quælibet natura intellectualis suam habet voluntatem. Ergo vbi est duplex natura intellectualis, duplex voluntas est. Atqui in Christo est duplex natura intellectualis, diuina, & humana. Ergo in Christo duplex voluntas est. Cuius argumentationis prima propositio, *Qualibet natura intellectualis suam habet voluntatem:* sumitur ex philosophiâ. Altera, *quòd in Christo sit duplex natura intellectualis*, est de fide. Item vt contra Apollinaristas probaretur Christum habere animam rationalem, sic argumentandum erat. Quicunque habet veram naturam humanam, habet animam rationalem, quæ est illius forma essentialis. At Christus habet veram naturam humanam: est enim verus homo: ergo, &c. Cuius syllogismi prima propositio adsciscitur ex philosophiâ: secunda est de fide. Item quando scriptura reuelat hominem esse liberi arbitrij, intelligendum est, quæ sit natura libertatis, vt vis huius propositionis reuelatæ bene percipiatur. Quæ sit autem natura libertatis vera, & propria, petitur ex humanâ scientiâ. Et cùm fides doceat Christum esse verum hominem, necessarium est nosse ex philosophiâ, quid sit esse verum hominem, quæve sint eius partes essentiales, & proprietates, vt amplitudo huius reuelationis intelligatur.

Neque fauet aduersariis, quod interdum Sancti Patres in philosophiam, veluti in matrem hæreseon, & fidei corruptricem inuehuntur: doléntque in Ecclesiam irrepsisse captiones sophisticas, ac prauum artificium Aristotelicæ artis, & huius generis alia, velut Ægyptiacas quasdam plagas, vt loquitur Gregorius Nazianzenus orat. 26. qui etiam oratione 34. deplorat illam disputandi de Deo rationem, quæ inualuerat ætate suâ, quæque simplici, & ingenuâ tractatione relictâ, tortuosum, & inuolutum dicendi genus inuexerat. Similitérque Hieron. in cap. 10. Matth. non vult Euangelij Doctores humanæ ratiocinationis præsidiis vti: quia, inquit, *istiusmodi virga, & baculus arundineus est, quem si paululùm presseris, frangitur, & manum transforat incumbentis.* Et alibi, argumenta à ratione ducta, & de Gentilium fonte manantia, tanquam Saülis arma Christiano dicit esse deponenda. Et Tertullianus lib. de præscript. cap. 7. *Quid Athenis*, inquit, *& Hierosolymis? Quid Academia, & Ecclesiæ? Quid hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoïcum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt.* Et Ambrosius in Psal. 118. *Nihil nobis cum philosophiâ*, inquit, *ne fidem nostram per elementa mundi huius traducat à vero: ne quis assertionem nostram per philosophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognouimus, dum Christi generationem putant vsu huius seculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam, quæ apud Deum est: elegerunt disputationis tendiculas, & aucupia verborum secundùm Dialecticæ disciplinam.* 13. *Quo sensu Patres vsum illius reprehendant.*

Hæc, inquam, & similia, quibus aduersarij abutuntur, non obsunt: quia dicuntur à Patribus aduersus eos, qui philosophiam præire, fidem verò subsequi, & illi seruire volebant: quíque totam, aut præcipuam credendi rationem in Dialecticâ, & humanâ sapientiâ constituebant, atq; ex illa, dogmata fidei metiebantur: quíque, vt ait Gregorius 16. Moralium cap. 27. *Omne, quod ratione perscrutari non possunt, credere contemnunt: & per inquisitionem nimiam, in errorem labuntur:* qui denique philosophiam sacris literis præferunt, & Petro Auerroem, Paulo Aristotelem, Christo Platonem anteponunt. Vel etiam contra eos, qui perperam Dialecticâ vtebantur ad Christianam fidem euertendam, & decipiendos minùs eruditos, aut callidos; quales fuisse Arium, Eunomium, Aëtium, Pelagium, eiúsque primipilum Iulianum, Abailardum, & similes antiquiores hæreticos, testantur 14.

tur Socrates lib. 1. historiæ cap. 5. Sozom. lib. 1. cap. 15. Epiphan. hæresi 76. Gregorius Nyssenus libro 1. contra Eunomium, Ambrosius in Psalm. 118. August. lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum, Bernard. epist. 190. & alij. Vel etiam, qui, vt ait Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. in Philosophia appetebant ea, quæ minimè necessaria sunt, sed superflua: & in solis ad contentionem factis, sophisticis argutiis insistentes, à necessariis aberrabant, ac præcipuis: nec nisi vmbras doctrinarum reipsâ persequebantur.

15. *Quomodo illâ vtendum Theologo.* A quibus omnibus longè absunt Theologi, qui Fidei, tanquam Principi, & Dominæ, rectorique viæ, ducatum; Philosophiæ verò famulatum assignant: iuxta præscriptum Petri Damiani Opusculo 36. cap. 5. *Hæc*, inquit, *humanæ artis peritia, si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet ius magisterij sibimet arroganter arripere: sed velut ancilla, Dominæ quodam famulatus obsequio subseruire: ne si præcedit, aberret: & dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen, & rectum veritatis tramitem perdat.* Quique non nisi ad necessitatem, vel ad commodum, aut ornamentum, philosophiam adhibent: vt Theologiæ, scientiarum reginæ, vtilitati, & splendori inseruiat: iuxta illud Damasceni cap. 1. Dialogi, *Decet reginam, ancillarum quarundam vti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas tanquam veritatis famulas, & impietatem, quæ tyrannico dominatu sibi eas vsurpauerat, procul amandemus: neque bono malè vtamur: nec ad circumueniendos simpliciores, conuertamus artem illam disputandi, &c.* Qui denique præcipuè, diuinæ sapientiæ consuescunt; philosophiam verò, velut ancillam posthabent, nec nisi ad illius obsequium, & subsidium adhibent: exemplo Abrahæ, qui duplex iniuit coniugium, cum Sarâ vxore primâ, & præcipuâ, & cum Agare ancilla: quarum illa diuinæ sapientiæ typus erat, ista philosophiæ. Et Saræ quidem amore præcipuo adhærebat; Agari verò vt ancillæ duntaxat. Sic enim Theologo faciendum esse sapienter monet Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. cauendúmque vt ne ancillæ nimio amore delectatus, Dominam, hoc est, veram sapientiam negligat. Curandum insuper, vt si Agar Ægyptia Abrahami complexibus insolescit, eiiciatur foras, atque exulet; aut in ordinem redigatur: neque sinatur, aut Ismaël Isaaci simplicitatem irridere, aut Agar Saræ bonitatem contemnere: Corrigenda enim est, & intra suos limites coërcenda: vt sic modesta, sit vtilis; quæ, si præter modum indulgeretur, foret perniciosa.

16. *Patres sunt illâ vsi.* Atque ita tum eundem Clementem, tum alios Patres Philosophiæ disciplinis, & liberalibus artibus vsos esse, norunt omnes, qui in eorum scriptis versati sunt. De quorum vno, Basilio scilicet, testatur Gregor. Nazianzenus orat. 20. eum vniuersæ Philosophiæ, præcipuè partis illius, quæ in logicis demonstrationibus, aut oppositionibus, & concertationibus, versatur; quam Dialecticam nominant, adeò peritum fuisse; vt iis, qui cum eo disputabant, facilius esset è labyrinthis sese extricare, quàm argumentorum laqueos effugere, si quando res ita postularet.

Quare falsum est, quod secundo loco dicit Iansenius, si cum exclusione id intelligat; Patres ex principiis Verbi Dei, præcipuéque sacrarum literarum, sensus suos, & verba deprompsisse in explicandis rebus fidei, & contra errores hæreticorum, & infidelium propugnandis: si inquam, cum exclusione id intelligit, vti debet, ad probandum quod intendit. Neque enim negamus inde præcipuè Theologicos sensus depromi debere; sed contendimus ad eos depromendos, fideique dogmata illustranda, & confirmanda, conferre aliquid Dialecticam, & reliquas Philosophiæ partes; eòque fine, secundariò tantùm, & minùs principaliter adhiberi posse, atque à Sanctis Patribus adhibitas fuisse. Est autem verum eos plerumque non nisi cogentibus hæreticis, contra Ecclesiam insurgentibus, suscepisse clariùs explicare, diligentiúsque indagare veritates fidei. Vt enim ait S. August. lib. 16. de Ciuit. cap. 2. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur: & ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio.* Et vt ait Gregorius Magnus 14. Moral. cap. 12. *Cùm grauiora prodière hostium certamina, tunc sunt profectò subtiliora sensuum spicula requisita: tunc argumentorum obstacula: tunc perplexior indago verborum.* Attamen velle vt nunquam, nisi illis vrgentibus, & Ecclesiæ fidem corrumpere incipientibus, inquirantur quæ illis refellendis necessaria sunt; perinde est, ac velle, vt milites non priùs armis se muniant, quàm cœperit conflictus cum hostibus: vel vt vrbes neque vallis se cingant, neque rebus necessariis instruant ad sui defensionem, nisi quando premuntur arctâ obsidione, & hostes portis, aut muris acriter instant. Contrà verò Petrus Apostolus epist. primæ capite tertio, iubet nos semper esse paratos *reddere rationem de ea, quæ in nobis est spe*: ipsáque etiam fide, quæ vt ait alter Apostolus Hebræorum 11. spei substantia, siue basis, & fundamentum est. Nimirum quia vt sapienter dixit Petrus Damian. Opusc. 2. contra Iudæos, initio: *Inhonestum est, vt Ecclesiasticus vir his, qui foris sunt, id est, infidelibus calumniantibus, per ignorantiam conticescat: & Christianus de Christo reddere rationem nesciens, inimicis insultantibus victus, & confusus abscedat:* vt interdum certè contingeret, si imparatus ad certamen cum illis accederet.

Quæstiones Theologicæ non inutiles.

SECTIO III.

Refelluntur alia aduersariorum placita.

DICO 3. sobrios quidem Theologos esse debere in formandis quæstionibus, & disquirendis fidei veritatibus, fugiendo excessum, & inexplebilem cupiditatem coërcendo: vt rectè monet Gregorius Nazianzenus orat. 26. & vt ait Chrysostom. homil. 2. in epist. ad Hebr. *Cùm vbique religiosè circumspecta mens esse debeat, tum maximè cùm de Deo*, vel de rebus diuinis *loquimur.* Nec vnquàm *de diuinâ naturâ disputare instituendum est, vbi & veritas inuestigari non potest, & periculosa est coniectura:* vt ait Nilus apud Damasc. in Eclogis parte 1. cap. 48. Quem 27. *Quæ Theologis tractandæ quæstiones.*

modum si aliqui Scholasticorum excesserunt, excusandi non sunt, sed intra terminos coërcendi. At non propterea damnandi, vel reprehendendi alij, qui subtiliter, & accuratè inuestigant, quęcunque possunt ad maiorem intelligentiam reuelatorum facere, vel ad eorum confirmationem, & defensionem contra errores oppositos, vel ad ea etiam inuestiganda, quæ certè, aut probabiliter possunt ex illis colligi. Cuiusmodi sunt quæstiones illæ, quæ tum ab Erasmo in Proœmio super Hilarium, & in cap. 1. ep. 1. ad Timoth. tum ab aliis nuperis Theologiæ obtrectatoribus eum secutis reprehenduntur: speciatímque à Iansenio cap. sexto libri proœmialis, circa medium: vbi quando Theologis recentioribus exprobrat, & conqueritur admirabundus quantam struem curiosissimarum quæstionum nouâ suâ Theologiâ pepererint; de Angelorum principiis specificantibus, & indiuiduantibus, de intelligendi speciebus, modo, duratione; de loco eorum, motu, operationibus, de gratiæ inæqualitate, & magnitudine, de meriti statu, continuatione, intensione, tempore, & similibus infinitis: non aduertit, aut dissimulat has easdem quæstiones ab ipso D. Thoma, & aliis antiquis Theologis propositas fuisse, & expensas. Ab ipso inquam D. Thoma, quem vt sapientissimum Theologum, & ad Ecclesiæ splendorem, diuinæ scientiæ illustrationem, hæresúmque extinctionem natum commendant summi Pontifices Clemens VI. Vrbanus V I. Ioannes XXII. & Pius V. quorum verba retulit Martinon. tom. 1. in præfat. Apologetica.

18. *Rationes naturales non omittenda.* Dico 4. cum eodem auctore, coërcendam esse pariter eorum licentiam, si qui sunt inter Theologos, qui nimio contradicendi vitio laborant: quique vel in chimęricas abstractiones incidunt in Theoricis, vel in moralibus, laxiores opiniones sectantur, aut excogitant. Attamen velle, vt propter vitium paucorum, abstineatur ab vsu ratiocinandi in expendendis, & decidendis quęstionibus Theoricis, aut practicis, prætextu caritatis, & vitandæ contentionis gratiâ, est velle prætextu pacis, alterum nobis oculum eruere, exemplo Naas Ammonitæ 1. Regum 11. Contrà verò rectissimè Hilarius lib. 12. de Trinitate, *Fidem non nudam Apostolus atque inopem rationis reliquit: quæ quamuis potissima ad salutem sit: tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter aduersa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obtinendi securitatem: eritque vt inermibus sint post fugam castra: non etiam vt arma habentibus adsit interrita fortitudo.* Certè ipsamet sapientia, vt dicitur Prou. 9. *Misit ancillas suas,* id est, liberales disciplinas, *vt vocarent ad arcem, & mœnia ciuitatis.* Et vt ait S. Aug. epist. 56. Ipse imperator fidei clementissimus, non solùm arce auctoritatis muniuit Ecclesiam: sed etiam per aliquos piè doctos, & verè spirituales viros copiosissimis apparatibus etiam muniti ssimæ rationis armauit. Nimirum, quia, vt addit ibidem, rectissima illa disciplina est, in arcem fidei recipi infirmos; vt pro eis iam in tuto positis, fortissima ratione pugnetur. Ita scilicet, vt fidelis indoctus armetur fide: doctus, etiam ratione.

19. *Vtilitas Theologiæ Scholasticæ & Moralis.* Velle quoque, vt in tractandis quæstionibus Theologicis speculatiuis, aut practicis, nihil aliud proferamus præter ea, quæ in sacris literis, vel Conciliis, aut Patribus primorum sæculorum expressè continentur: neque ratiocinando examinemus, vt Theologi faciunt, quid ex illorum doctrinâ deduci possit ad dogmata fidei explicanda, vel ad mores hominum informandos, sed vnumquemque eorum lectione contentum esse debere, & Theologorum Scholasticorum, æquè ac moralium libros velut inutiles, aut perniciosos reiicere: hoc inquam velle, nihil aliud est, quàm parto iam ingenti subsidio, priuare homines, & vnicuique laborem imponere id per se faciendi, quod magno laboris compendio, nec minori vtilitate factum reperire potest apud Scholasticos, & morales Theologos, qui magno ingenio ac iudicio præstantes, vitam in sacris literis, Conciliis, & Patribus, aliísque Theologiæ fontibus consulendis, accuratéque inuestigandis, consumpserunt; indéque educendis, & methodicè digerendis conclusionibus Theoreticis, aut practicis, & certis regulis iuxta eorum doctrinam statuendis, atque ad singulas actiones morales applicandis. Quòd si homines tanto ingenio, iudicióque prædití, tantáque diligentiâ, & assiduitate in illis versati, non vbique veritatem assecuti sunt: quid sperandum de aduersariis, eorúmque similibus, qui cum D. Bonauenturâ, Adriano Papâ, Caietano, Toleto, Nauarro, Suare, Lessio, aliísque plurimis vtriusque Theologiæ Scriptoribus antiquis, & recentibus, comparandi non sunt. Certè qui solâ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum lectione contentus, respondere voluerit de quæstionibus conscientiæ difficilioribus; neque illos adierit, qui methodo, & ratione doctrinam de moribus explicuerunt, additis etiam luminibus, quæ ex sacris canonibus, & Iurisconsultorum libris, atque ex morali philosophiâ, vel aliunde hauriri potuerunt, sentiet suo experimento, & aliorum malo, quanto errandi periculo sese exponat: quàm sæpe nodos difficultatum non tam soluat, quàm nectat: quot & quantos consulentium animis scrupulorum laqueos iniiciat: quàm multos denique in æternæ salutis discrimen adducat.

Quintò denique falsum est, & infallibilitati Ecclesiæ iniuriosum, quod postremo loco dicit Iansenius: Errare posse, aut errasse de facto Ecclesiam totam, vel magnâ ex parte, per ignorantiam circa res fidei: sufficeréque vt in canonibus, aut orationibus errori suo deroget tacitè, intentione quadam generali. Id enim minimè conuenit cum eo, quod ait Apostolus 1. Timot. 3. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis: & cum illa generali ac sine temporis limitatione, assertione Christi, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam,* Matth. 16. possentque meritò dubitare fideles, num erret in iis, quæ tanquã vera, & diuinitus reuelata proponit. Estq; prorsus intolerabile, velle Iansenium, certum, & verum esse, atque irrefragabile quidquid Augustinus asseueranter dicit; vt ait cap. 28. libri proœmialis prope finem; & tamen Ecclesiam in iis, quæ affirmat, errare posse interdum, ac sentire de rebus fidei aliter quàm veritas ferat: & pro aliquo tempore falsam opinionem amplecti, donec veritas illucescat. Quasi verò non errent in rebus fidei, qui de illis aliter sentiunt, quàm oportet; licèt veritate detectâ parati sint sententiam mutare. Quasi etiam Ecclesiæ, vt sit immunis ab errore, sufficiat confusè credere quid- 20. *Iansen. malè sentit de infallibilitate Ecclesiæ.*

quid in fidei canonibus, aut in orationibus suis sub vniuersalibus quibusdam propositionibus generalissimè, & confusissimè, obscurissiméque continetur: si nihilominus expresse sentiat, & profiteatur oppositum, parata aliter credere si occulta veritas illi detegatur. Quam tamen animi præparationem non fuisse in Ecclesia (adeóque neque illam ab errore excusasse) circa dogmata à Iansenio proposita vt Catholicas veritates, ex densissimis tenebris, in quibus per quingentos annos latuerunt, eductas & splendori suo restitutas, satis patet ex Bullis, & Breuibus Apostolicis quatuor summorum Pontificum, Pij V. & Gregorij XIII. Vrbani VIII. & Innocentij X. nunc gubernaculum Ecclesiæ tenentis: quibus nouam illam doctrinam, seu potiùs veterum errorum congeriem sæpiùs proscripserunt, constantique animo reiecerunt, consentiente toto orbe Christiano, paucis rebellibus exceptis, vocémque Pastoris vniuersalis, & supremi iudicis de rebus fidei (vt par est) audiente.

21. *Accusat erroris Ecclesiam, vt excuset hæreticos.* Neque verum est, quod ait Iansenius: dogmata, quæ ipse impugnat, non fuisse tradita à Theologis, vel à fidelibus acceptata, & credita, velut ad fidem pertinentia: sed habita duntaxat pro opinabilibus, & verisimilioribus. Nam dogma, verbi gratia, de libertate indifferentiæ etiam circa opera gratiæ in hoc statu naturæ lapsæ, quod præcipuè impugnat Iansenius veluti Pelagianum, & cuius oppositum est ferè totum eius doctrinæ fundamentum, adeò fuit ab Ecclesiâ receptum tanquam de fide, vt pro hæreticis semper habuerit Priscillianistas, Manichæos, Planetarios, Wicleffistas, Lutheranos, Caluinistas, & quotquot alij asserere contrarium ausi sunt: vt testantur Scriptores Ecclesiastici, & nos infrà ostendemus disput. 30. sect. 4. & 5. Quare sicut de Cassiano, & aliis Semipelagianis dixit Prosper initio libri contra Collatorem; moliri eos *in eum statum deducere causam Ecclesiæ, vt dum nostros affirmant non veraciter pro gratia loquutos, inimicos gratiæ persuadeant iniustè damnatos esse:* sic isti cùm affirmant Theologos iamdiu malè sensisse de libero arbitrio, & aliis plerisque dogmatibus; nihil aliud moliuntur, quàm vt persuadeant, iniustè Lutheranos, & Caluinistas, aliósque hæreticos fuisse ab Ecclesia damnatos: & istos quidem rectè sensisse, Ecclesiam verò multis sæculis in errore versatam fuisse, deceptam à Theologis veræ doctrinæ corruptoribus. Certè totus Iansenij conatus in opere suo de gratia, totáque eius industria eò manifestè collimat, vt probet propositiones de gratia, & libero arbitrio, Michaëlis Baij (cuius doctrinam sequitur, & illustrat) fuisse iniustè proscriptas à summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. cùm nihil aliud contineant, vt ipse putat, quàm puram, & germanam D. Augustini doctrinam: & tota doctrina D. Augustini de gratia, & libero arbitrio, sit ipsamet doctrina Ecclesiæ à multis Romanis Pontificibus olim approbata, & Conciliorum canonibus sæpè sancita contra Pelagium, & Semipelagianos. Quod posterius toto ferè libro proœmiali persuadere conatur: prius verò, omnibus libris sequẽtibus. Hoc autem moliri quid aliud est, nisi Michaëlem Baium velut iniustè damnatum absoluendo, summos ipsos Pontifices, & totam Ecclesiam eos secutam (exceptis paucis Louaniensibus Baio pertinaciter adhærentibus) erroris, & Pelagianismi damnare velle.

SECTIO IV.

Quid sentiant noui Dogmatistæ de auctoritate D. Augustini in materiâ de gratia?

PARI studio, quo nous Dogmatistæ conantur Theologos in inuidiam, & contemptum adducere; D. Augustini auctoritatem supra modum extollunt: vt eam sibi falsò arrogatam, veluti murum inexpugnabilem, doctrinæ suæ impugnatoribus opponant. Quâ in parte iisdem ferè vtuntur fraudibus, & artificiis, quibus hæretici huius temporis, vt patebit ex sequentibus.

Primùm igitur, vt quidquid noui dogmatis proferunt, lectoribus minùs eruditis, & nimis credulis acceptabile reddant, iactant identidem, & certò certiùs affirmant Augustinum totum suum esse; nihilque aliud à se, nisi puram putam illius doctrinam proponi. Sed hoc non minùs importunè, & æquè falsò iactarunt Lutherus in lib. de seruo arbitrio contra Erasmum, cuius hæc sunt verba: *Quanquam quem prateris, Augustinus totus meus est:* Et Caluinus lib. 2. Instit. cap. 2. num. 9. & cap. 3. num. 5. vbi dicit se nihil afferre, quàm quod olim ex piorum omnium consensu prodidit Augustinus. Et libro tertio contra Pighium pag. 170. *Gloriatus sum*, inquit, *de Augustino, illum prorsus nostrum esse:* & post multa, *Nos nihil quàm Augustinum loquimur:* Et tandem quasi re apertè demonstratâ, sic concludit: *Ergo etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus sit noster.* Et lib. de æternâ Dei Prædest. *Augustinus ipse*, inquit, *adeò totus noster est, vt si mihi confessio scribenda sit, ex eius scriptis contextam proferre, abundè mihi sufficiat.* Et Melancthon in Apologia pro Luthero contra Sorbonicos, *An non*, inquit, *Lutheri de libero arbitrio, & gratia (si rectè rem æstimes) sententia, tota Augustini est?* Et vniuersim de Lutheranis, & Caluinistis affirmat Barthol. Camerar. libro 1. de libero arbit. cap. 3. *Hanc sanè magnam esse illorum versutiam, vt palàm coram miseranda plebe, Augustinum tanquam pallium errorum suorum præferant.* Et Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicensis, Repetitione 6. cap. nono, initio, *Obseruare licet*, inquit, *aduersarios siue nostra destruendo, siue sua asserendo, solidis, & certis scripturis carere: atque in omni controuersia ad vnum Augustinum tanquam ad sacram anchoram refugere: non quòd ab eorum partibus stet: sed quoniam tam multa ac tam variè scripsit pro re nata; vt facile fuerit omnibus post illum hæreticis, aliquid de ipso contorquere, atque aliorsum quàm esse dixerit auertere.*

22. *Iactant Augustinum totum suum esse.* — *Iansen. in lib. proœm. cap. 19. & alibi passim.*

Secundò, profitentur noui Dogmatistæ se diutissimè in Augustino legendo, & intelligendo versatos esse; verúmque illius sensum, magno, & diligenti studio assecutos: aliis autem eius legendi incuriam peruersámque intelligentiam exprobrant. Quod etiam faciunt exemplo Caluini, qui libro quinto in Pighium pag. 199. sic loquitur: *Vtinam tantâ, & attentione, & di-*

23. *De assiduâ eius lectione gloriantur.*

In eodem lib. cap. 10. *ligentia versatus in scripturis Pighius foret, támque familiariter notum haberet earum sensum: quàm & diligenter legisse me Augustinum, & familiariter cognitam habere eius mentem iactare mihi liceat.* Et Melanchthon loco suprà citato, postquam dixit neminem esse in totâ Sorbonicâ facultate, qui Augustinum attigerit, neminem qui viderit; & indignabundus exclamauit, *O Theologos! ò Sorbonam!* velut eorum vicem miseratus, sic eos alloquitur: *Sinite*, inquit, *impetrari à vobis, vt Augustinum non dico relegatis, sed aspiciatis tantùm. Nam errorem vestrum* (de libertate indifferentiæ) *nulla pagina est, qua non coarguat.* Et paulò pòst: *Ego hîc nihil sic miror, atque in tota Sorbonica facultate neminem fuisse, cui Augustini sententia comperta fuerit.* Speciatim verò, quod de Iansenio dicunt eius Apologistæ, sancti Augustini sententiam densissimis tenebris diu sepultam, fuisse ab illo instauratam, & nouâ luce illustratam speciali Dei prouidentiâ, Ecclesiæ suæ vtilitati perpetuò inuigilantis. Hoc ipsum de Caluino dixit Beza, vt refert Bolsec. c. 2. de eius vitâ, & de Luthero Melanchthon in declamatione de S. Augustino; vbi sic ait: *In hac Schola Witembergensi præcipuè gratam Augustini mentionem esse decet, in qua Augustinus quasi renatus est,* (operâ Lutheri) *& eius doctrina, quæ iacuit obruta densissimis tenebris, non solùm restituta est, sed etiam lumen accepit.*

D. Augustini auctoritatem supra modum exaggerant.

24. Tertiò, tametsi fingunt, sæpéque profitentur, se in suis dogmatibus proponendis non disputare de rei veritate, sed de mente S. Augustini, an scilicet ille sic docuerit: aliis tamen locis apertè contendunt, quidquid Augustinus absolutè docuit, verum, & tenendū esse: Augustinum limites veræ Theologiæ in se fixisse; Patrem esse Patrū, Doctorem Doctorum: primum post Scriptores canonicos: inter omnes verè solidum & irrefragabilem: eius doctrinam à Summis Pontificibus, Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, Sixto, Leone, Gregorio Magno, Ioanne, & Hormisdâ, mirificè laudatam, & approbatam fuisse: præcipuè verò quidquid scripsit de gratia, & libero arbitrio contra Pelagianos, esse ipsam doctrinam Ecclesiæ, Euangelicam, Apostolicam, Catholicam, & irrefragabilis auctoritatis; ita vt nefas sit illi contradicere: & vbi aliquid tanquam verum, siue hæreticos refellendo, siue Catholicos instruendo, incunctanter affirmat; de perspectâ ei veritate, quamuis nobis fortè ignotâ, nec satis intellectâ, securos esse debere. Ad quod persuadēdum proferunt aliquot Augustini elogia, quæ plerisque suorum librorum ambitiosè præfigunt, aut inserunt. Simili artificio vsi sunt Lutherani, & Caluinistæ, qui vt ait Hieronymus Torrensis in præfatione Confessionis Augustinianæ, *Cùm honorem nullum, aut certè perexiguum Patribus deferant, eosdémque vno nomine omnes nihil esse, nisi homines, fallacésque sæpe homines, videri velint; vnum ferè semper Augustinum excipiunt, & honorant maximè: hunc tanquam piæ doctrinæ fidelem magistrum colunt obseruántque: eundem Apostolo Paulo vel proximum faciunt, & nunquam non suis partibus conantur adiungere.* Idémque agnoscit ipse nouorum dogmatum præcipuus artifex cap. 23. libri procemialis, in fine, vbi dicit omnes etiam in Sathanæ Synagogâ Augustinum arbitrum deposcere, Augustini armis, atque auctoritate sese munire, ac tueri: omnes Augustinianos aut esse, aut videri velle.

Iansen. lib. procem. c. 29. Ibidem c. 28. propè finem. Ibid. c. 23. Ibid. c. 24. Ibid. c. 25. Ibid. c. 14. Ibid. c. 28. in fine. Ibid. c. 14. 15. & 18.

25. Quartò, ex dictis inferunt doctrinam suam iam à nemine damnari posse: cùm sit ipsamet Augustini doctrina: & doctrina Augustini sit ipsamet doctrina Ecclesiæ, à multis Romanis Pontificibus approbata; neque verò posse ipsos dānari erroris, nisi simul damnetur Augustinus, atque ipsa Ecclesia. Si quæ sint eorum dogmata similia, vel eadem cum dogmatibus Caluini: ea, cùm Augustini sint, errores esse non posse. Ac si aliquando expressa definitio summorum Pontificum, vel Concilij Tridentini illis opponatur, támque manifesta, vt tenebras illi offundere nequeant: non verentur respondere: *Quid hoc ad doctrinam Augustini clarissimam, constantissimámque?* Et vt anathema opponant anathemati, *Qui non senserit cum Augustino*, inquiunt, *anathema sit.* Quasi verò Augustinus, siue per se, siue per approbationem aliquot summorum Pontificū, aut ipsius Ecclesiæ, maiorem habeat auctoritatem, & infallibilitatem, quàm ipsi summi Pontifices, vel tota Ecclesia in Concilium generale coacta? Quasi verò etiam Ecclesia, & summi Pontifices, quorum est de vero sensu Scripturæ iudicare, non possint, ac debeant verum Augustini sensum à falso discernere; & controuersias, quæ circa illum oriuntur, decidere: sed ipsi soli possint de vero sensu illius pronunciare? Denique eò progrediuntur, vt Augustinum suo ipsorum iudicio intellectum, supremum nunc iudicem controuersiarum, & infallibilem fidei regulam esse velint. Atque ita seipsos potiùs supremos earum iudices constituunt: Simili modo, quo hæretici huius temporis spiritum suum priuatum dant pro supremâ regulâ fidei, & iudice controuersiarum: cùm omnia ex Scripturâ suo ipsorum sensu explicatâ definiri volunt.

Suam doctrinam damnari posse negant.

Iansen. tom. 3. in præfat. lib. 6.

Idem tom. 2. lib. 3. de statu puræ naturæ, cap. 22.

26. Hæreticos etiam in eo imitantur, quòd sicut isti clara Scripturæ loca pro fidei dogmatibus explicanda esse contendunt per alia quædam subobscura, quibus errores suos prætexunt: sic isti, quæ v. g. clarissimè scripsit Augustinus pluribus locis pro indifferentia liberi arbitrij, explicari debere contendunt per alia obscuriora, eorúmque dogmatibus apparenter fauentia, quibus videtur significare illam amissam fuisse per peccatum primi parentis. Et vereor ne si scripsissent de veritate, & reali præsentiâ corporis Christi in Eucharistiâ, æque ac de gratiâ, & libero arbitrio; idem fecissent, quod Caluinistæ, qui Augustini præcipuè auctoritate illam destruere moliuntur. Præsertim cùm pro reali præsentiâ corporis, & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, duo vel tria tantùm suppetant Augustini loca illustria, & multò plura occurrant specie tenus aduersa: Contrà verò, pro libertate indifferentiæ plurima sint illustrissima; pro amissione non nisi pauca, & obscura. Idem esto iudicium de aliis dogmatibus fidei, de quibus non scripserunt. Hoc eorum artificium facilè aduertunt, quicunque Augustinum cum scriptis nouorum Dogmatistarum conferunt. De quorum Antesignano Illustrissimus Lexouiensis Episcopus Philippus Cospeanus, concionandi laude totâ Galliâ clarissimus, & in huius S. Doctoris lectione optimè versatus, dixisse fertur, lecto eius lib. quem Augustinū inscripsit: *Non est Augustinus, sed pestilētissimus Augustini corruptor.* Nimirum, quia suo artificio Augustinum de-

Peruersissimè Augustinum exponunt.

Idem lib. 3. de statu naturæ lapsæ, c. 2. & seqq.

torquet in sensus deprauatissimos, & falsorum dogmatum Lutheri, & Caluini ab Ecclesiâ damnatorum, patronum, & auctorem facit.

27. *Fingunt nonnisi cum Theologis Scholast. sibi rem esse.* Est & aliud artificium commune illis cum hæreticis: quòd sicut Caluinus, ad vitandam inuidiam, siue potiùs iustum odium, & execrationem Catholicorum, fingit sibi rem tantùm esse cum Doctoribus Scholasticis, velut Euangelicæ doctrinæ corruptoribus, quos passim sophistas Sorbonicos, Romanenses rabulas, cornutas bestias, & aliis similibus honoris titulis appellat: sic Iansenius simulat non alios se habere doctrinæ suæ aduersarios, nisi recentiores Theologos, quos Aristoteleos per contemptum sæpè vocat, & philosophicis principiis nimis assuetos esse, passim affirmat, doctrinæque D. Augustini prorsus ignaros, & ratione naturali, non fide, & Patrum traditione, verbique diuini regulis omnia metiétes; ac denique veluti Neopelagianos, & Semipelagianis deteriores traducit: præsertim verò Societatis IESV scriptores, contra quos odium capitale, & homine Christiano prorsus indignum præ se fert. Et sanè decebat Episcopum modestiùs, & religiosiùs scribere: déque aliis paulò meliùs, de se verò demissiùs sentire: constantíque doctrinæ Theologorum, imò Conciliorum, & totius Ecclesiæ magis acquiescere: ac denique Augustinum in Catholicum sensum explicare potiùs, quàm ad partes hæreticorum, vel obtorto collo trahere.

Vide indices Operis Iansenij, verbo Bellarminus, Lessius, Molina, Suarez, & Vasques.

28. *Episcopali auctoritate abutuntur.* Verùm, vt rectè dixit Hieronymus epist. 1. *Non omnes Episcopi, Episcopi sunt.* Et, quod valdè dolendum est, inter eos, qui Episcopali nomine ac dignitate insigniti sunt, quíque omnes modestiâ, pietate, religione, sinceritate fidei, obseruantiâ erga summum Pontificem, vitæque sanctitate anteire deberent, reperti sunt olim (vt Iudas inter Apostolos) Nouatus, Marcellus Ancyranus, Macedonius, Paulus Samosatenus, Meletius, Eusebius Cæsariensis, Eusebius Nicomediæ, Donatus, Ioannes Antiochenus, Iulianus, Nestorius, Photius, & plerique alij, partim hæresiarchæ, aut principes Schismaticorum; partim hæresiarcharum præcipui fautores, & sectatores: & quod consequens est, Catholicorum Doctorum, veræque fidei defensorum hostes infensi. Vt taceam recentis memoriæ Marcum Antonium de Dominis, Spalatensem Archiepiscopum suâ ad hæreticos defectione infamem, pœnâque meritâ Romæ affectum anno 1622. & plerosque alios, qui hoc etiam tempore in Angliâ, Germaniâ, Transyluaniâ, Græciâ, aliísque locis, Episcopale nomen, hæresi manifestâ, & fœdo schismate dehonestant. Taceam quoque, non singulos tantùm, & seorsim; sed plures etiam simul sumptos, diuisim à summo Pontifice, tum in ipsis Conciliis tum extra, vel ab hæreticis deceptos fuisse, vel quod peius est, scienter hæresibus subscripsisse: aut nouos errores contra fidem inducere voluisse. Cuius rei multa exempla videri possunt apud Baronium ad annum Christi 359. de Synodo Ariminensi, & de Nicæna Arrianorum eodem anno. Et de Concilio Schismatico Donatistarum Carthagine celebrato anno 306. & de pseudo-Synodo Ephesina Ioannis Antiocheni anno 431. Et de Nouato, Meletio, Macedonio, Eusebio, Vrsacio, Valente, Donato, Nestorio, & pluribus aliis. Ex quibus liqueat esse prorsus ignaros historiæ Ecclesiasticæ eos omnes, qui existimant sufficere ad vitandam suspicionem hæresis, aut erroris in fide, auctorem libri alicuius esse Episcopum, vel aliquot Episcoporum suffragium obtinuisse, quorum elogia, & approbationes operi suo ambitiosè præfixerit.

Illud quoque prætereundum non est, quod sicut Caluinus, cùm dissimulare non posset Patres vnanimiter aduersari errori suo de amissâ libertate indifferentiæ per peccatum Adæ, qui error illi cum Iansenio communis est: vt vno verbo auctoritatem illorum eleuaret, & testimonia reiiceret, scripsit lib. 2. Inst. c. 2. n. 4. *Tametsi Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollendâ humanæ voluntatis facultate modum excesserunt; veteres tamen omnes excepto Augustino, sic in hac re variant, aut vacillant, vt certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat.* Et paulò superiùs, id illis contigisse dicit, quia Scripturæ doctrinam cum philosophiæ dogmatibus dimidiâ ex parte conciliare studium illis fuit. Eodem planè artificio Iansenius, sciens illam suam, & Caluinianam de amissâ libertate indifferentiæ doctrinam, & pleraque alia dogmata, quæ pro Catholicis obtrudit, auctoritate SS. Patrum posse facilè conuinci falsitatis; vt eorum testimonia vno verbo suspecta redderet, non est veritus hæreseos Semipelagianæ eos insimulare, sic scribens tom. 1. lib. 7. cap. 17. *Scriptores inter Origenis, & Augustini ætatem interiecti plerique Semipelagianâ labe infecti fuerunt, quam in Oriente ab ipso Origene (quem in Scripturarum explicatione sectabantur) traxerunt præcipuè Græci.* Quod nihil aliud est, quàm affirmare Ecclesiam toto illo tempore inter Origenem, & Augustinum interiecto, id est, tribus circiter sæculis, in hæresi Semipelagianâ versatam esse. Nam aliud est dicere Patres singillatim hunc in vno, alterum in alio quodam puncto errasse: quod fieri potuisse videbimus paulò pòst, neque præiudicat infallibilitati Ecclesiæ; & aliud, dicere omnes, aut plerosque, & communiter in aliquâ hæresi versatos esse, in eundémque errorem conuenisse: quod certè dici nequit, ne de Patribus quidem vnius, aut alterius sæculi, nisi hæresim aut errorem tribuendo ipsi Ecclesiæ, quæ singulis sæculis non aliud credidit, quàm quod Patres illius temporis communiter tenuerunt, & docuerunt. 29. *Dicunt Patres communiter in hæresin Semipelag. incidisse.*

SECTIO V.

Statuitur quid de auctoritate D. Augustini sentiendum sit?

CONTRA prædictas Iansenistarum exaggerationes, & artificia calliditatis plena, Dico primò, tametsi D. Augustinus est summus Ecclesiæ Doctor, eiúsque auctoritas magna sit, & semper fuerit apud omnes Catholicos; non tamen esse habendam pro infallibili, & irrefragabili; nisi in iis, quæ speciatim Ecclesia approbauit, & ab omnibus fidelibus teneri voluit. 30.

Prima pars huius assertionis est extra controuersiam. Secunda probatur, quia auctoritas D. Augustini, æquè ac aliorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, singillatim sumptorum, est humana per se, adeóque fallibilis, vt ipsemet af- *Neque D. Augustinus, neque alij Patres sunt infallibiles singillatim.*

firmat in epistola 19. ad Hieronymum his verbis: *Ego solis eis scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam, &c. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Et epistola 111. ad Fortunatianum Episcopum. *Neque enim,* inquit, *quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus: vt nobis non liceat, saluâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.* Et lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. loquens de S. Cypriano, *Quapropter,* inquit, *reddens debitam reuerentiam, dignúmque honorem, quantum valeo, persoluens pacifico Episcopo, & glorioso Martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de Schismaticis, vel hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit.* Et lib. 11. contra Faustum cap. 5. de quorumcunque aliorum scriptis non canonicis, dicit liberum esse lectoris iudicium, *quo vel approbet, quod placuerit; vel improbet, quod offenderit.*

32. *Probatur inductione.* Confirmatur, quia nulli eorum promissa fuit infallibilitas; & singuli ferè in quibusdam errauerunt; vt Cyprianus in rebaptizandis hæreticis: Hieronymus in aliquâ parte Danielis reiiciendâ, & duriùs loquendo de secundis nuptiis; multóque duriùs locuti sunt Basilius, & Nazianzenus de tertiis & vlterioribus: Hilarius, & Ambrosius in asserendâ Angelorum corporeitate: & alij in aliis. *Et speciatim de Augustino.* Et vt plura dicamus speciatim de Augustino, de quo nunc est cum aduersariis contentio: sensit ille mundum in instanti creatum fuisse libro 4. de Genesi ad lit. à cap. 21. vsque ad finem libri, & lib. 5. cap. 1. & seqq. Quod non conuenit cum scriptis à Moyse cap. 1. Geneseos, vt ostendunt accuratiores Theologi, speciatimque Suares, lib. 1. de opere sex dierum, cap. 10. Molina ibidem disp. 1. Martinon. tom. 1. disput. 33. sect. 2. & 3. communitérque reiicitur à Doctoribus Catholicis. Sensit etiam Angelos, & dæmones esse corporeos concione in Psal. 85. & 145. & epist. 115. aliísque locis, vbi affirmat, aut supponit habere corpora quædam subtiliora, secutus in eo sententiam Platonicorum, vt notauit Abulensis in cap. 25. Matthæi, quæst. 621. Quod repugnat cum definitione Concilij Lateranensis sub Innocentio III. cap. *Firmiter, de summa Trinitate,* vt probat auctor postremò citatus eodem tom. disput. 36. sect. 1. num. 2. Item dubitauit num sol & luna, aliáque sidera, quæ oculis conspicimus, sint Angeli. Nam in Enchiridio c. 58. dicit se ignorare, vtrum ad Principatus, & Potestates, de quibus loquitur Apostolus Coloss. 1. pertineant sol & luna, & cuncta sidera; quamuis aliis hæc sensu, & intelligentiâ carere videantur. Dubitauit etiam de origine animarum, vtrum creentur de nouo (quod certissimum est,) an ex Adamo propagentur: vt videre est epist. 29. ad Hieronymum, & epist. 157. & in lib. de origine animæ. Item dubitauit num baptismus sine intentione dantis, per iocum, & irrisoriè, validus sit, lib. 7. de baptismo cap. 53. censétque expectandam esse reuelationem, antequam talis rebaptizetur. Cuius oppositum est de fide, definitum à Florentino in decreto Eugenij 4. *Hæc omnia,* & à Tridentino sess. 7. can. 11. de Sacramentis in genere, certissimúmque habetur apud omnes Catholicos.

Perperam quoque exponit pluribus locis id, quod ait Apostolus Rom. 14. vers. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est;* quasi velit dicere Apost. omnia opera infidelium esse peccata, & sine verâ fide nullum posse fieri bonum opus. 33.
Cùm tamen ibi sermo sit de eo, quod non fit ex dictamine conscientiæ, iudicantis bonâ fide, licitum esse id, quod fit: vt ex textu ipso liquet; & communis interpretatio Doctorum contradicit Augustino, qui etiam aliquot locis, vt alibi notauimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus vtile vitæ æternæ consequendæ: quando affirmat nullum opus bonũ fieri posse ab infideli. Et quod ait, omne, quod non est ex fide, peccatum esse; exponit interdum de eo omni, quod fit ab infideli, vt tali: id est, *infideli, & stulta voluntate.* Vtrumque tamen à vero sensu Apostoli loco citato planè alienum est. Norunt etiam quicunque in eius lectione versati sunt: non adeò felicem in indagando literali sensu Scripturæ interdum fuisse: ex quo tamen potissimè argumentandum est: longéque illi hac in parte præferendum esse Hieronymum & Chrysostomum. Duriùs quoque loquitur pluribus locis de veritate Corporis Christi in Eucharistiâ, vt suprà indicauimus, quâ de causâ suum planè illum esse gloriantur, sed falsò Caluinistæ: & Eminentissimus doctrina, æquè ac dignitate Cardinalis Perronius in libro singulari, cuius titulus est, *Refutatio obiectionum ex D. Augustino contra S. Eucharistiæ Sacramentum,* cap. 1. ipso initio, idcirco vocat S. Augustinum *Magnum prætensum Sacramentariorum patronum.* Item libro 1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 20. & lib. de Prædest. Sanct. cap. 13. & lib. 2. Operis imperfecti contra Iulian. cap. 29. docere videtur, Sacramentum Eucharistiæ non minùs esse necessarium paruulis ad salutem, quàm Baptismum; neque minùs ad eos pertinere quod dicitur Ioan. 6. vers. 5. *Amen, amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quàm istud Ioan. 3. v. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Indéque disputans contra Pelagianos, probat infantes sine Eucharistiæ sumptione, non posse vitam æternam consequi: quam sumptionem distinguit à baptismo: quasi velit debere infantes necessariò esse reipsa, & distinctè vtriusq; Sacramenti participes, baptismi & Eucharistiæ, vt vitam æternam obtineant. Sic enim loquitur cap. illo 20. lib. 1. de Peccat. merit. *Auferatur ergo iam dubitatio. Dominum audiamus, non suspiciones coniecturásque mortalium. Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento sancti lauacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ; quò nemo ritè nisi baptizatus accedit: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non*

habebitis vitam in vobis &c. An verò quisquam etiam hoc dicere audebit, quòd ad paruulos hæc sententia non pertineat; possintque sine participatione corporis huius, & sanguinis, in se habere vitam? &c. Quæ verba sunt adeò manifesta, vt difficillimè patiantur benignam interpretationem, quâ plerique Theologorum, Augustinum ab errore excusare conantur. Error enim est, notatus & damnatus sub anathemate à Concilio Tridentino sess. 21. cap. 4. & canone 4. Dicere *Paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem.* Eundémque errorem tota Ecclesia, vsu contrario, à multis sæculis recepto condemnat.

Præterea libro secundo contra Iulian. cap. 10. docet cogitationes morosas, siue delectationes voluntarias de rebus venereis esse duntaxat peccatum veniale, modò absit consensus in opus, seu malum desiderium, vel illius periculum: *Quando*, inquit, *in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis, non sicut oportet ne illo incidat, inde auertentes, aut si incidere, inde rapientes.* Quæ doctrina ab omnibus Doctoribus Catholicis iampridem reiicitur, nec sine scandalo à quoquam obtruderetur. Ad hæc, lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 9. & lib. 1. de nuptiis, & concupisc. cap. 24. & lib. 3. in Iulianum cap. 26. videtur affirmare non generationem, sed libidinem esse, quæ propriè peccatum originale traducit: & ideo carnem corruptam ab Adamo trahi, quia cum libidine generatur. Illumque sic interpretantur Magister sententiarum in 2. dist. 31. & Gregorius Ariminensis, & Gabriel Biel ibidem. Hanc etiam esse genuinam eius doctrinam persuadere conatur Iansen. lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 6. & seqq. Quam tamen sententiam non esse ferendam affirmat Bellarmin. lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati capite 12. multísque de causis reiiciendam esse constabit ex dicendis disput. 15. sect. 2. & 5. vbi tamen cum eodem Bellarmino, illam a Diuo Augustino repellemus. Videtur etiam nonnullis, & præcipuè Iansenio libro no..o & decimo de gratia Christi Saluatoris, sensisse peccatum originale, quamuis remissum, esse causam reprobationis: sícque illum docuisse affirmant, præter Iansenium loco cit. Bannez, & Cumel ad 1. p. D. Thomæ quæst. 23. articulo quinto, addúntq; nihilominus hanc sententiam non esse tutam, & esse errorem in fide. Nec immeritò; quia de fide est, remisso peccato mortali, siue originali, siue personali, remitti simul reatum pœnæ æternæ. Sed vtrum ita senserit, dicemus alio loco, vbi doctrinam, Iansenij de prædest. & reprobat. refutabimus.

34. *Plures affirmant excessiuè loquutum esse.* Huc etiam pertinet, quod plerique dicunt, excessiuè interdum eum locutum esse: & fugiendo vnum extremum, declinasse ad alterum: vt de illo speciatim affirmant S. Bonauentura, S. Thomas, Scotus, Aureolus, Ricardus de Media-Villa, Gabriel, Maior, & Abulensis, quorum verba referemus disput. 40. sect. 6. numero 59. & seqq. Quibus adde, quod de eodem ait Sixtus Senensis Præfatione in librum 5. Bibliothecæ: *Diuus Augustinus*, inquit, *dum toto spiritus, ac verborum ardore pro defensione diuinæ gratiæ pugnat aduersus Pelagianos, liberum arbitrium cum iniuria gratiæ extollentes, in alteram quasi foueam delabi videtur; minúsque tribuere, quàm par sit, liberæ hominis voluntati.* Idémque planè scripsit Cornelius canone primo in epistolas Diui Pauli, dicens: Ingenium acre & vehemens Augustini, totum incumbere in partem, ad quam inclinat: & quando verbi gratia disputat de libero arbitrio contra Manichæos, adeò illud extollere, vt totum illi, nihil gratiæ tribuere videatur. Postea verò exortâ hæresi Pelagianorum, gratiam ita commendare, & exaggerare, vt aliquando totum illi, nihílque libero arbitrio videatur tribuere. Quibus planè similia scribit Gabriel Pennotus Abbas & Clericus regularis ordinis sancti Augustini, libro tertio Propugnaculi, capite decimo-quarto numero quinto. Et Gilbertus Genebrardus insignis Doctor Parisiensis, posteáque Archiepiscopus Aquensis in epist. ad Carolum IX. præfixâ editioni Origenis anni 1574. *Augustinus*, inquit, *fuit iniquior interdum libero arbitrio, quòd Pelagianos haberet in procinctu, nihil aliud extollentes, quàm vires liberi arbitrij, Dei autem gratiæ minimum tribuentes.*

Et Nicolaus Romæus in libro de libero arbitrio contra Caluinum pag. 689. *Quod ad S. Augustinum attinet*, inquit, *habet aliquando (fatendum est) sententias aliquas difficiles: sed mentem eius potiùs, quàm verba spectare oportet, ne alioquin manifestè sibi contradicat. Agebat cum Pelagianis, qui liberum arbitrium, non sine gratiæ iniuriâ, nimium extollebant. Et cùm in lubrico loco versaretur, in alteram partem iuxta Aristotelis præceptum inclinauit, vt medium faciliùs obtineret.* Idémque de Augustino notarunt plures alij, vt Albertus Pighius libro tertio de libero arbitrio, Cardinalis Sadolet. libro tertio epist. 5. Claudius de Sainctes Doctor Parisiensis, & Episcopus Ebroïcensis, in libello Atheismorum Caluini, & illi alij Doctores Parisienses, qui opera Diui Augustini apud Merlinum, & Niuellium edi curauerunt anno 1571. Itémque Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus in cap. 5. epistolæ ad Romanos, Hieronymus Osorius Episcopus Syluensis libro nono de Iustitiâ. 35.

Quibus non obest, quod Cœlestinus I. in epistola ad Episcopos Galliæ capite tertio reprehendit eos, qui Diuo Augustino, tanquam modum necessarium excessisset, obloquebantur. Nam Cœlestinus ibi loquitur de Semipelagianis, qui tametsi Pelagium, & Celestium damnarent; aliquos tamen eorum errores sequebantur, & circa illos etiam reiiciendos excessisse dicebant Augustinum. Quæ causa fuit cur prædictus Pontifex in eâdem epistolâ determinauerit quid circa totam illam controuersiam Diui Augustini cum Pelagio de gratiâ, & libero arbitrio, tenendum esset indubitanter ab omnibus Catholicis. De aliis verò profundioribus quæstionibus circa eandem materiam ab eo tractatis pronunciauit, *Se neque eas contemnere, neque habere necessarium approbare.* Quibus verbis indecisum relinquit, vtrum in illis pertractandis excesserit Augustinus: eiúsque rei iudicium, saluâ reuerentiâ tanto Doctori debitâ, permittit eruditis prudentibúsque lectoribus. 36.

37. Plures alios eius næuos variis locis notat Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus Scripturæ interpres celeberrimus, vt videre est in indice omnium eius Operum tom. 13. verbo *Augustinus*. Et tom. 12. in Defensorio capite decimo-octauo, post multa de eius auctoritate dicta, concludit, Non esse necesse quicquid ille dixerit, credere: cùm in multis errauerit, & se ipse errasse cognouerit in libris Retract. vbi nec omnia sua errata retractasse credendus est. Quis enim existimet Deum ei reuelasse omnia in quibus errauit, vt ea emendaret? Quod certè de nullo alio viro sancto asseritur; neque specialiter de sancto Augustino sine grauissimo fundamento asseri debet. Denique ipsemet in lib. de dono perseuerantiæ cap. 21. de se ita scribit: *Quamuis neminem velim sic amplecti omnia mea, vt me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit.* Et in procemio libri tertij de Trinitate petit ab aliis corrigi, liberúmque correctorem desiderare se dicit, & eandem libertatem in aliis corrigendis sibi tribuit libro secundo de baptismo capite 3. & epist. 111. verbis suprà relatis num. 30.

38. *Approbatio generalis quid valeat.*

Dixi in conclusione, *nisi in iis, quæ speciatim Ecclesia approbauit &c.* quia ad conciliandam scriptis eius infallibilitatem, vel irrefragabilem auctoritatem, non sufficit commendatio, & approbatio generalis, quâ dicatur scripsisse Catholicè, vacare suspicione sinistrâ hæresis, doctrinam Ecclesiæ in eius scriptis videri posse, Ecclesiam sequi eius doctrinam, & iure velut hæreditario possessam retinere, & similia, quæ dicuntur de Augustino in elogiis relatis ab aduersariis, & quorum similia dicuntur de aliis Patribus. Nam vt rectè ait Abulensis capite 82. Defensorij, *Quando Ecclesia approbat* generaliter tantùm *opera alicuius Doctoris, non approbat singillatim omnia dicta in illis operibus; imo quod plus est, nullum dictum approbatur: nec per hoc obligat nos ad credendum illa necessariò esse vera: nec etiam asserit illa esse vera: quia ad hoc oporteret, quòd Ecclesia discuteret singula dicta illorum librorum, vt videret an continerent veritatem: & tamen Ecclesia nunquam hoc fecit circa scripta alicuius Doctoris propter multa:* nimirum propter difficultates, & sumptus infinitos, & longitudinem temporis necessariam in tot scriptis examinandis Augustini, aut Hieronymi, vel Chrysostomi, & similium; & propter plures alias rationes, quas ibidem addit, fusiúsque prosequitur auctor citatus.

Vide elogia data S. Hieronymo ab aliis SS. Patribus apud Baronium anno 420. & Athanasio an. 372. & Basilio an. 377. & Gregorio Nazian. an. 389. & Chrysostomo an. 407. & Gregorio Magno an. 604. & D. Thomæ apud Aluarem disp. 5. de auxiliis num. 6. & seqq. & S. Bonauenturæ initio tomi 1. in eius vita & elogiis illi subiunctis.

Hoc ipsum etiam fatentur noui Dogmatistæ, quorum vnus non ignobilis, Florentius Contius Archiepiscopus Thuamensis, in tractatu de statu paruulorum sine baptismo dece-
39. dentium, qui habetur in fine operis Iansenij de gratiâ, velut ab ipso adoptatus, ab eodémque alibi laudatus, sic ait capite decimo-nono numero sexto. *Nullo modo intendit Ecclesia alicuius Scriptoris doctrinam tantùm laudando, ac generaliter extra iudicium approbando, sic firmare, vt de illâ omnino dubitari, aut disceptari non possit: aut vt nemini liceat eam expendere per diligentem inquisitionem; vt si fortè in aliquo à vero deuiasse dignoscatur, in hoc reiiciatur: sed intendit suis encomiis Scriptorem honorare, quia fortè eruditionem Catholicam suis scriptis innuat; aut declarare ipsa scripta, (si præcipuè cum submissione ad Ecclesiam, vel à personâ Catholicâ, & non suspectâ in lucem exeant) ex voluntate, & intentione Catholici pectoris esse edita, quantum ex verbis submissionis, aut ex ipso scripti contextu, non minutiùs, sed secundùm probabilem modum discusso, colligere licet; aut esse omnino erudita, simúlque acceptabilia, quandiu certius aliquid, vel saltem certum ex documento certæ auctoritatis, aut perspicuæ rationis non elucescit.*

Nec obest, quod Concilium Lateranense sub Martino I. consultat. 5. post enumeratos multos Patres, sic dicit: *Suscipimus omnia, quæ ab eis pro rectâ fide, & in condemnatione hæreticorum exposita sunt, & alios sanctos Patres &c.* Quæ verba referuntur ex V. Synodo generali. Ibidémque paulò pòst Martinus I condemnat eos, qui non admittunt cuncta, quæ à venerabilibus Patribus pro fide orthodoxâ sunt exposita. Respondeo enim hanc approbationem intelligendam esse de Patribus, non seorsim sumptis, sed quando simul omnes consentiunt, vt docent Theologi in tractatu de fide: & patet ex conglobatione plurimorum testimoniorum ex sanctis Patribus, quæ post prædicta verba subiiciuntur. Idque clariùs expressit Vincentius Lyrinensis in libello contra profanas hæresum nouitates: vbi postquam dixit sequendam esse ad vitandos errores, vniuersitatem, antiquitatem, consensionem: & sequi nos vniuersitatem, si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos maiores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem, si in ipsâ vetustate, *omnium, vel certè penè omnium sacerdotum pariter, ac magistrorum definitiones sententiásque sectemur:* addit paulò pòst: Cùm aliqua incidit fidei quæstio, curandum esse veritatis indagatori, *vt collatas inter se Maiorum consulat, interrogétque sententias; eorum duntaxat, qui diuersis licèt temporibus, & locis, in vnius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt. Et quidquid non vnus, aut duo tantùm, sed omnes pariter vno eodémque consensu, apertè, frequenter, perseueranter, tenuisse, sensisse, docuisse cognouerit; id sibi quoque intelligat absque vllâ dubitatione tenendum.* 40.

Patres quatenus omnino sequendi.

Non obest etiam, quòd Gelasius Papa distinctione decima-quinta capite tertio approbat Pontificiè opera Cypriani, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & similium: reprobat autem opera Origenis, Tertulliani, Eusebij Chronicon, & quædam alia: Vnde Glossa ad caput *Noli* dist. 9. dicit, post hanc definitionem Gelasij, verba Augustini, & similium vsque ad minimum iota esse recipienda. Nam, vt paulò superiùs indicauit Abulensis, Approbatio scriptorum alicuius Doctoris, siue vnius, siue plurium, duplex est: generalis scilicet, & specialis in aliquo dicto. Generalis, qualis illa Gelasij, tantùm vult communiter talem Doctorem non aberrasse à fide, nec in re iam tum certâ, & expresè definitâ contradixisse Ecclesiæ, sed illi adhæsisse. At non ideo approbat specialiter singula dicta. Alioquin approbasset Gelasius, quod dixit Cyprianus de rebaptizandis hæreticis; & quod 41

Quomodo approbatur à Gelasio.

de corporeitate Angelorum scripserunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alios quosdam errores Patrum ibi nominatorum: Cúmque plures alij ex Patribus ibi nominatis contrarium docuerint, sequeretur Pontificem approbasse duo contradictoria. Sicut etiam cùm damnat ibidem Gelasius scripta Origenis, Tertulliani, Eusebij Chronicon &c. non damnat dicta singula, quæ multa sunt Catholica: sed generaliter iudicat multos in eis errores contineri, etiam contra sensum, & definitionem expressam Ecclesiæ. Glossa verò malè transfert ad scripta singulorum Doctorum à Gelasio nominatorum, id, quod ipse dixit de solâ Epistolâ Leonis Magni ad Flauianum, vsque ad vnum iota, recipiendâ. Plura hac de re videri possunt loco citato apud Abulensem cap. 81. 82. & 83. Defensorij.

SECTIO VI.

Quosnam articulos doctrinæ D. Augustini de gratia approbauit Ecclesia?

42. DIco secundò, non omnia, quæ scripsit D. Augustinus de gratia, & lib. arb. contra Pelagianos, fuisse approbata specialiter à Sede Apostolicâ: sed tantùm certa quædam puncta de quibus nulla est hoc tempore inter Catholicos controuersia: quippe quæ certò ab omnibus tenentur, ac sine vlla contentione admittuntur. Ad hoc probandum sufficiet referre definitionem, seu declarationem Cœlestini I. in epistolâ ad Episcopos Galliæ, quæ habetur in fine tom. 7. Operum D. Augustini, & inter Opera Prosperi.

43. *Epistola Cœlestini.* Nam sanctus ille Pontifex, motus querelis & dissensionibus occasione doctrinæ D. Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos exortis, vt ait cap. 1. illius epistolæ: collaudato deinde Augustino cap. 2. velut sanctæ recordationis viro, Catholicæ communionis semper habito, nullo sinistræ suspicionis rumore asperso, & inter magistros optimos à Summis Pontificibus agnito, qui vbicunque cunctis, & amori fuerit, & honori: capite tertio ita dicere pergit: *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu prauitate, siue imperitiâ demorantes, piissimis disputationibus obuiare præsumunt: & cùm Pelagium, atque Celestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur; eáque tantummodo sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit: Necessarium fuit diligenter inquirere quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint; & contra nocentissimos liberi arbitrij defensores quid de gratiâ sentiendum esse censuerint.*

44. *Articuli ab illo approbati.* Tum subiungit capita illa à Sede Apostolicâ approbata, & ab omnibus Catholicis tenenda, quæ alibi retulimus, & hîc iterum referre necessarium est. Primum est: *In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.* In quibus verbis, per *naturalem possibilitatem*, intelligit Cœlestinus facultatem expeditam, & instructam omnibus necessariis ad bene operandum, Adamo datam in ipsâ eius creatione, eóque sensu naturalem, id est, congenitam: sicut eamdem ob causam Apostolus statum peccati originalis, naturalem vocat, id est nobis congenitum, dicens: *Eramus naturâ filij iræ*, Ephes. 2. ver. 3. & fatetur ipse Iansenius libro de gratiâ primi hominis capite nono paulò post initium, peculiarem esse Augustini, & discipulorum eius phrasin, & Concilij Arausic. vt sub *naturali possibilitate* comprehendatur totum illud, quod naturæ in ipsâ primâ conditione collatum est, etiam ipsa rectitudo voluntatis, quæ sine vitio & culpa adhærebat Deo, & ipsa iustitia originalis, quâ pars inferior hominis, superiori perfectè subdebatur, & superior Deo. Ad quod confirmandum plura Augustini testimonia proferemus alibi. Eodem verò sensu loquitur sine dubio Cœlestinus, doctrinam D. Augustini approbans hac in parte.

Secundum est, *Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus.* Tertium, *Neminem, etiam baptismatis gratiâ renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.* Quartum: *Quòd nemo, nisi per Christum, libero bene vtatur arbitrio.* Quintum: *Quòd omnia studia, & omnia opera, ac merita sanctorum, ad Dei gloriam, laudémque referenda sint: quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quod ipse donauerit.* Sextum: *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio; vt sancta cogitatio, pium consilium, omnésque motus bonæ voluntatis ex Deo sint: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Septimum: *Anathemati subesse quisquis dixerit, gratiam Dei, quâ iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt: non etiam ad adiutorium, vt non committantur.* Octauum *Anathemati quoque subiici quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsum nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus: non autem per illum nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Nonum: *Anathema item illi, qui dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam: tanquam si gratia non daretur; non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illâ implere diuina mandata.* 45.

Post quæ addit cap. 11. *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex diuinâ sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino confirmati sumus, vt omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratiâ omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere: quo vtique au-* 46.

xilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de improuidente sit prouidum. Ac tandem ita concludit paulò pòst. *Profundiores verò difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt,* qui hæreticis restiterunt (Pelagianis scilicet, præcipuéque D. Augustinus) *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi, nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundùm prædictas regulas, Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: vt prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

47\. Hæc sunt igitur, quæ specialiter approbantur ab Ecclesia de doctrinâ sancti Augustini contra Pelagianos circa controuersiam de gratia & libero arbitrio. In quibus nullum est eorum capitum, de quibus nobis cum nouis Dogmatistis existit controuersia: nullum, quod non libenter profiteantur omnes Doctores Catholici, doceántque in Scholis quotidie Theologi. Alia verò, quæ noui Dogmatistæ tribuunt Augustino, tametsi illius essent (quod falsò asseri demonstrabimus) non sunt approbata, neque necessariò adstruenda forent, sed possent citra contemptum relinqui, vt ait summus Pontifex verbis proximè relatis. Et hæc de illius auctoritate, in præsenti materiâ, non ideò dicta sunt, quòd illi quidquam derogatum velimus: absit: vel aliquod præiudicium in dogmatibus de gratia, & libero arbitrio controuersis, ab eo timeamus: iam enim euidenter ostendimus disput. 3. & fusiùs ostendemus disput. 31. planè nostrum esse Diuum Augustinum in adstruendâ libertatis indifferentiâ, in hoc etiam statu naturæ lapsæ: longéque abhorrere ab eo, quod contendunt, illique perperam tribuunt aduersarij; *restare* solùm *libertatem spontaneitatis, solutam quidem à coactione, sed non à necessitate antecedenti:* & de aliis dogmatibus ad gratiam pertinentibus non minùs euidenter id demonstrabimus suis locis, Deo auxiliante. Sed cùm tota eorum doctrina ad hunc syllogismum reduci possit: Omnis doctrina Diui Augustini de gratia & libero arbitrio est doctrina Ecclesiæ; adeóque irrefragabilis, & certò tenenda ab omnibus verè Catholicis. Atqui nostra doctrina de gratia, & libero arbitrio est ipsamet doctrina D. Augustini de iisdem. Ergo nostra doctrina de gratia & libero arbitrio, est ipsamet doctrina Ecclesiæ; adeóque irrefragabilis, & certò tenenda ab omnibus verè Catholicis: ita scilicet, vt qui contrarium asserunt, debeant hæresis Pelagianæ esse suspecti: nisi potiùs iudicandi sunt esse illâ manifestè infecti. Cùm inquam, tota doctrina aduersariorum hoc syllogismo comprehendatur: examinanda fuit à nobis vtraque illius propositio. Et maioris quidem propositionis falsitas demonstrata fuit præsenti sectione. Minoris verò falsitas & impostura inductione probanda est per singula dogmata de gratia & libero arbitrio ab ipsis proposita: ostendendo quàm longè absint à vero sensu Diui Augustini. Quod suis locis, eodem ferè ordine, quo à Iansenio proponuntur, auxiliante Deo præstabimus in sequentibus disputationibus.

Obiicies 1. Concilium Arausic. II. contra Semipelagianos celebratum, multò plura de doctrina Beati Augustini approbasse, vt patet ex viginti quinque ipsius canonibus. Respondeo nihil ab illo approbari de gratia, & libero arbitrio, quod non contineatur formaliter, aut æquiualenter in supradictis capitibus à Cœlestino approbatis: tametsi quædam paulò fusiùs, & explicatiùs ibi proponuntur, ad occludenda Semipelagianorum effugia: adduntúrque nonnulla ad peccatum originale pertinentia, ibidem contra Pelagianos definita: quædam etiam can. 25. statuuntur de gratia sufficiente omnibus baptizatis data ad perseuerandum; ita vt *omnes baptizati*, inquit, *Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:* déque voluntate Dei neminem ad malum prædestinante: quæ intentioni aduersariorum potiùs repugnant, & doctrinæ Diui Augustini, si talis esset, qualem ipsi fingunt: quippe qui illi adscribunt suam sententiam de antecedenti reprobatione positiua, & negatione gratiæ sufficientis, atque impossibilitate seruandi mandata, & perseuerandi, respectu omnium reprobatorum antecedenter (id est eorum omnium, qui in hoc statu naturæ lapsæ pereunt:) tametsi beneficium, & gratiam baptismi perceperint eorum non pauci. 48. *Pluráne approbauerit Arausicanum.*

Opponit 2. Iansenius cap. 15. libri proœmialis, Innocentium I. approbasse literas Synodicas nomine Synodi Carthagin. & Mileuitanæ scriptas ab Augustino, & prolixam eius epistolam 95. librúmque de natura & gratia: quibus omnia, aut penè omnia capita doctrinæ ipsius de gratia aut breuiter perstringuntur, aut latiùs pertractantur. Respondeo in Epistola illa Synodica Concilij Carthagin. quæ est 90. inter epistolas Diui Augustini, duos tantùm errores Pelagij proponi, & impugnari; quòd scilicet homines sine gratia, sibi sufficiant ad seruanda Dei mandata, & peccata vitanda: quódque paruuli non egeant baptismo, vt consequantur vitam æternam. Quem duplicem errorem damnat, & doctrinam oppositam Concilij approbat Innocentius sequenti epistolâ 91. ad eandem Synodum scriptâ. Idémque faciunt Patres Concilij Mileuitani, proximè subiunctâ epist. 92. & responsio eiusdem Pontificis epist. 93. In epistola verò 95. quæ est Augustini, & aliorum quorundam Episcoporum ad eundem Innocentium, fit tantùm mentio primi erroris; rogatúrque Pontifex, vt iubeat Pelagium explicare de qua gratia loquatur, quando fingit se dicere illam esse necessariam ad seruanda Dei mandata, & vincenda peccata. Cui respondens Innocentius sequenti epistola 96. nullam facit mentionem aliorum errorum Pelagij, neque libri de natura, & gratia Diui Augustini: sed tantùm laudat præcedentem epistolam ab illis ad se scriptam: de quibus sic ait ipso initio; *Fraternitatis vestræ lineas plenas fidei, totóque religionis Catholicæ vigore firmatas à duobus missas Conciliis, per fratrem, & Coëpiscopum nostrum Iulium pergrato suscepimus animo: quòd earum tenor, omnisque connexio est in consideratione quotidiana gratia Dei, & in eorum correctione, qui contrà sentiunt, integra ratione consistit: vt & illis omnem tollere possit errorem: & idoneum, dato cui-* 49. *Vel Innocentius I.*

nis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possit præbere Doctorem. Ex hac autem approbatione huiusmodi literarum de vno aut altero tãtùm errore loquentium, inferre velle totam D. Augustini doctrinam de gratiâ fuisse specialiter ab Innocentio approbatam, est malitiosè simplicibus illudere, & eruditorum patientiâ intolerabiliter abuti. Dicere quoque, omnia, vel penè omnia capita doctrinæ D. Augustini, de gratiâ, aut breuiter perstringi, aut latiùs pertractari in prædictis epistolis, & in libro de naturâ & gratia, est vel nũquam eos legisse, vel contra mentem loqui, & scienter imponere. Nihil enim aliud in illis epistolis, siue breuiter perstrictum, siue latè diffusum continetur, prçter duos errores supradictos, eorúmque refutationem. In libro autẽ de naturâ & gratiâ, solùm agitur de peccato originali, eiúsque pœna, ignorantiâ scilicet, & infirmitate. Déque necessitate gratiæ propter illud, vt peccatum vitemus, bonúmque faciamus: & eorum occasione pauca quædam alia exponit Augustinus, omissis permultis, quæ alibi de gratiâ disputat.

50. *Augustini elogia.* Opponit 3. Iansenius cap. cit. alia quædam summorum Pontificum testimonia, quæ partim ad rem non pertinent: partim generalem tantùm Scriptorum D. August. approbationem continẽt. Nam quod ait; Zozimum Papam Carthaginensem Synodum Augustini tempore celebratam approbasse, omnésque eius canones doctrinales ex Augustini libris depromptos: & quod refert ex Cœlestino in epist. ad Episcopos Galliæ, *Africanorum Conciliorum quasdam sententias vtique suas fecerunt Apostolici Antistites, dum illas comprobarunt:* planè impertinens est ad probandum, omnia, & singula, quæ de gratiâ scripsit Augustinus, fuisse approbata ab Ecclesiâ, vel à summis Pontificibus. Elogia verò eiusdem Cœlestini & Hormisdæ Papæ, quæ subiungit, nihil aliud dicunt quàm Augustinum, sanctæ recordationis virum, pro vitâ suâ atque meritis in Ecclesiæ communione semper fuisse habitum, nec vnquam sinistræ suspicionis saltem rumore aspersum: tantęque scientiæ fuisse, vt etiam inter magistros optimos à summis Pontificibus haberetur. Et licèt ex variis eius libris cognosci possit, quid de libero arbitrio, & gratia Dei, Romana, hoc est, Catholica sequatur & asseueret Ecclesia: tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula contineri, illa scilicet, quæ vel à Cœlestino P. in epist. suprà cit. definita sunt, vel à Leone, aut Felice III. ad Synodum Arausic. transmissa fuisse dicuntur, in quibus determinatur, quid de gratiâ certò tenendum sit. Quod non est dicere, omnia eius dogmata esse specialiter approbata; tametsi quęcunque approbauit Ecclesia, in eius scriptis reperiri possint: sed tantùm generaliter doctrinam eius laudare, & probare. Quæ addit ex Ioanne II. & Clemente VIII. præcedentibus similia sunt, nihilque ampliùs probant. Tantùm enim affirmant Ecclesiam Romanam seruare, & sequi doctrinam Augustini, sibi quasi dotem relictam. Quam tamen non in omnibus sequitur, vt patet ex dictis num. 32. & 33.





DISPVTATIO XIII.

De variis statibus naturæ humanæ: & primò de statu puræ naturæ.

SECTIO I.

Quid de illo sentiant communiter Theologi?



TAMETSI de puræ naturæ statu postremo loco tractat Iansenius, posteaquam de statu innocentiæ, déque statu naturæ lapsæ disputauit: quia tamen naturalis ordo postulare videtur, vt de illo tanquam simpliciori primo loco differamus, idque etiam magis doctrinæ ordini consentaneum est, vt patebit ex sequentibus: idcirco hunc tractatum de variis statibus naturæ humanæ in ordine ad gratiam consideratis, ab illo auspicabimur. De his autem breuissimè agit S. Thomas prima secundæ quæst. 109. articulo secundo, vbi docet naturam hominis posse dupliciter considerari: Vno modo in sua integritate: sicut fuit in primo parente ante peccatum. Alio modo, secundùm quod est corrupta in nobis post peccatum primi parentis. Et secundùm vtrumque statum, naturam humanam indigere auxilio diuino: sed diuersimodè, & inæqualiter: quam diuersitatem, & inæqualitatem deinceps exponit eodem articulo & sequentibus. Fusiùs verò de his statibus tractant recentiores eius interpretes: præcipuéque Suares tom. 1. de gratia, Prolegom. 4. vbi rectè notat statum hîc sumi pro conditione seu modo se habendi totius naturæ humanæ in ordine ad suum vltimum finem secundùm legem diuinæ prouidentiæ: Duplicémque distingui à Theologis: statum scilicet viæ, seu vitæ præsentis, quæ est via ad beatitudinem acquirendam: & statum patriæ, qui est beatitudinis iam acquisitæ, & possessæ. De posteriori agunt Theologi cum Diuo Thoma prima secundæ in tractatu de beatitudine. Prior verò, de quo nunc disputamus, diuiditur iterum à D. Thoma ibidem tota quæst. 109. & ab aliis antiquioribus Theologis, in statum naturæ integræ, qualis fuit tempore innocentiæ; & in statum naturæ lapsæ, cuiusmodi fuit post peccatum primi parentis. Verùm licèt natura humana hos solùm status habuerit reipsa, neque vllus alius futurus sit secundùm ordinem diuinæ prouidentiæ: plures tamen esse & concipi possunt, quos accuratè distinguunt recentiores Theologi: nimirum status naturæ puræ, status naturæ integræ, status naturæ innocentis, & gratiæ sanctificantis, status denique naturæ lapsæ, & reparatæ per Christum: de quibus omnibus in præsenti tractatu differemus. 1.

Multiplex status naturæ humanæ.

Primus igitur est status naturæ puræ, qui vt rectè ait Suares Prolegom. 4. de gratia capite 1. 2.

Status naturæ puræ quid sit?

numero 3. duo requirit: alterum positiuum; nimirum vt in eo habeat natura humana cum perfectione essentiali omnes facultates naturales, & concursum, atque prouidentiam Dei sibi naturaliter debitam: alterum negatiuum; videlicet vt nihil habeat naturæ superadditum, ei non debitum, aut naturaliter conueniens, vel naturæ viribus possibile, siue malum, siue bonum: hoc est, vt neque peccatum habeat originaliter sibi annexum, pœnæque reatum ex illo sequentem: neque etiam affecta sit aliquibus gratiæ donis, aut perfectionibus naturæ non debitis. Et ab hac negatione peccati originalis, & gratiæ cuiuslibet, natura pura denominatur. Puritas enim in præsenti, solam negationem denotat.

3. *Nunquam fuit reipsâ: potuit tamen esse.*

Talis autem status reipsa nunquam fuit, nec est, vel erit. Primi enim parentes immediatè à Deo conditi, simul gratiâ, & aliis donis supernaturalibus ornati fuerunt in ordine ad finem supernaturalem, ad quem à Deo destinabantur. Deinceps verò tum ipsi, tum reliqui omnes eorum posteri ad eundem finem supernaturalem ordinati sunt: & vel in statu peccati originalis concipiuntur, vel in statu gratiæ sanctificantis, vt Beata Virgo speciali priuilegio à peccato exempta. Reipsâ tamen possibilem fuisse probatur. quia clarum est hominem cum omni perfectione naturæ suæ debitâ, creari posse. Neque minùs euidens est posse creari purum ab omni peccato. Quod vtrumque de facto contigisse certum est. Nam primi parentes, & naturaliter perfecti, & peccati expertes, creati fuerunt. Dona verò gratiæ cùm ex merâ Dei libertate, & liberalitate pendeant, possunt non superaddi, non modò secundùm potentiam absolutam, quod manifestum est, nullam enim inuoluit contradictionem: verùm etiam secundùm potestatem ordinatam, & prouidentem naturæ humanæ quantum ipsa naturaliter exigit.

4. *Probatur fuisse possibilem.*

Cùm enim dona gratiæ duplicia distingui possint: alia, quæ perficiunt hominem in ordine ad finem connaturalem, & ad operationes ordinis naturalis: alia, quæ in ordine ad finem supernaturalem, & ad operationes illi proportionatas: De prioribus, quòd possint à Deo nullum naturæ debitum violando negari, probatur, quia in rigore Physico solùm debentur naturæ facultates eius intrinsecæ, cum generali concursu causæ primæ influentis iuxta exigentiam causarum secundarum, & generalis ordinis vniuersi: auxiliáque sufficientia, fini naturali consequendo satis proportionata. Sed non est debitum vt Deus specialiter tollat omnia impedimenta, quæ ab extrinseco, vel ex aliarum causarum communi cursu accidere possunt, plurimósque reipsa impediunt ab assecutione finis, nisi Deus adiuuet speciali auxilio: vel vt suppeditet adiumenta extraordinaria, & causarum communem cursum superantia, quibus vincantur impedimenta finis consecutioni opposita.

5. De posterioribus verò, clarius est potuisse Deum illis hominem destituere, eúmque condere in puris naturalibus, respectu finis vltimi naturalis tantùm, non immutando naturam eius, vel aliquid ei negando naturaliter debitum. Nam quòd homo ordinetur ad finem supernaturalem, pendet ex actu libero diuinæ voluntatis, quo vult naturæ finem illum, mediáque idonea ad vitæ æternæ consecutionem. At neque ille finis, neque talia media sunt debita naturæ, sed sunt purè gratia. Alioqui comprehenderentur sub beneficio creationis; contra doctrinam D. Augustini aliorúmque Patrum, & Concil. Afric. apud Augustinum epistola 95. & contra illud Apostoli ad Romanos 5. *Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro:* aliáque multa Scripturæ & Conciliorum testimonia, quæ absolutè gratiæ tribuunt ordinationem ad finē illum supernaturalem. Et verò si vita æterna nobis esset connaturaliter debita: cùm peccatum non destruxerit naturam, sed tantùm debilitauerit: possemus vnum aliquem actum, saltem remissum, disponentem ad vitam æternam, solis naturæ viribus producere: quod est Pelagianum, damnatum à Diuo Augustino aliísque Patribus Synodi Africanæ epistola citata, & à Conciliis Arausicano II. passim, Mileuitano canone 5. & Tridentino sess. 6. can. 2. & 3.

Dubitari verò potest, vtrum status naturæ puræ non modò excludat peccatum originale, vt suprà diximus: verùm etiam actuale? videntur aliqui id affirmare. Veruntamen sicut infirmitas corporis, & morbi, qui sequuntur ex naturali conditione non excluduntur à statu naturæ puræ: ita neque morbi animi, qui propter naturalem fragilitatem, aut libertatis vsum contrahuntur, ab eodem statu excludendi sunt. Et confirmatur, quia alioqui status naturæ puræ non posset esse diuturnus, cùm non possit homo sine valde speciali gratia, diu abstinere ab omni peccato tam veniali, quàm mortali. Atqui de ratione status cuiuslibet est, vt possit esse diuturnus: ergo &c. 6.

Status ille non excludit peccatum actuale.

SECTIO II.

Quid sentiant noui Dogmatistæ de statu naturæ puræ.

CONTRA id, quod diximus, statum puræ naturæ possibilem fuisse, opinantur noui Dogmatistæ: quorum Antistes tom. 2. tribus libris integris contendit statum illum esse impossibilem: & homines ita in iustitia originali fuisse creatos, vt aliter à Deo creari nequiuerint, neque ad supernaturalem beatitudinem non ordinari, id est, ad Dei visionem beatificam; illáque donari, si, quod facillimè poterant, sine peccato perseuerassent in statu innocentiæ: & fore contra Dei iustitiam, si crearentur homines sine gratia, & aliis donis supernaturalibus in statu naturæ puræ, obnoxij ignorantiæ, concupiscentiæ, morti, & aliis vitæ humanæ miseriis. Atque hoc tanquam vnum de præcipuis suæ doctrinæ capitibus, omni quo potest modo, stabilire conatur: contrariúmque dicit fuisse vnum de capitalibus erroribus Pelagij, atque ad Manichæismum pertinere. 7.

Falsa doctrina Iansenij in libris de statu naturæ puræ.

Sic enim ait lib. 1. cap. 1. in fine, postquam hunc statum descripsit, qualem Theologi possibilem esse affirmant: Videamus nunc quid certi ex Augustini doctrina de puræ naturæ statu 8.

Docet hunc statum esse impossibilem, & repugnare Augustino.

ſtatu iuxta mentem eius colligi poſſit. Nam quidquid alij minùs excuſſis eius principiis de illius mente ſuſpicentur, nos poſt longum operoſúmque illius difficultatis examen, & principiorum Auguſtini colliſionem, non dubitamus pleroſque Scholaſticæ doctrinæ profeſſores, quemadmodum in explicando naturæ lapſæ ſtatu longiſſimè ab eius mente deflexerunt, ità in aſſerendo puræ naturæ ſtatu procul à principiis eius immobilibus, quibus tota doctrina eius aduerſus Pelagianos, & Manichæos incumbit, filum humanæ rationis potiùs quàm Eccleſiaſticæ traditionis conſectando, receſſiſſe. Exiſtimamus enim ſtatum illum, prout in eo à Scholaſticis hominem ſine peccato præcedente à Deo condi poſſe ſtatuitur, principiis Auguſtini penè omnibus ex diametro repugnare.

9. *Et non poſſe condi naturam ſine iuſtitia, & amore Dei.* Et capite 5. contendit, ſine Dei amore, & iuſtitiæ, creaturam rationalem nec rectam eſſe, nec condi poſſe: illúmque amorem debere per veram gratiam inſpirari probat capite quarto, & ſequentibus, quia non poteſt aliter haberi, cùm ſit amor veritatis, & iuſtitiæ, id eſt, ipſius Dei, qui eſt iuſtitia, & veritas, & bonitas, & lex æterna. Cauſam verò cur rationalis creatura condi non poſſit ſine dilectione Dei, vel certè ſine diligendi Deum, & ſapienter viuendi poteſtate, hanc eſſe dicit: quia alioquin mala crearetur à Deo, & ſtulta: hoc enim ipſo, quod non eſt bona, & ſapiens, eſt mala, & ſtulta, vt ait capite decimo-nono eiuſdem libri, multiſque Auguſtini teſtimoniis confirmat. Pertinet autem ad errorem Manichæorum dicere, quòd Deus ſit auctor alicuius naturæ malæ.

10. *Nec ſine dono gratiæ ſupernaturali.* Et eodem cap. 4. addit, Perſpicuum eſſe naturam rationalem non poſſe ſine dono gratiæ ſupernaturali inſtitui: quia non poteſt diſtorta, & peruerſa creari: eſſet autem ſine illo diſtorta, & peruerſa. Cùm enim, inquit, non poſſit vlla naturalior, vlla inferior, vlla dilutior dilectio Dei in purâ naturâ viribus cogitationis fingi, vt animus rectus fiat, quàm illa quâ diligitur ipſa virtutis cuiuſque rectitudo, hoc eſt, veritas incommutabilium luminum vniuſcuiuſque virtutis, quâ facienda præſcribuntur, nec illa viribus humanis haberi queat, ſed dono Dei, nec ſine illâ rectus, ſed tantùm à veritate ac Deo diſtortus, ac peruerſus eſſe poſſit, perſpicuum eſt non poſſe naturam rationalem ſine dono gratiæ ſupernaturalis inſtitui.

11. *Et alioqui peccata eſſe Deo tribuenda.* Addit capite quinto & ſeqq. eiuſdem libri: Si crearetur pura natura, omnia eius peccata Deo auctori, non creaturæ, imputari deberent: quia ſcilicet creatura illa neque bonum agere poſſet, neque malum vitare: cùm vtrumque fieri nequeat ſine caritate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, quâ carere ſupponitur, qui in ſtatu puræ naturæ crearetur. quare ex vi ſuæ creationis in eo ſtatu eſſet, quo nec iuſtitiam boni operis diligere, nec mali iniuſtitiam auerſari poſſit. Status animi, inquit, ſine bona voluntate, ſine caritate, ſine ſapientia conditi, non poteſt auctorem habere Deum: Deo enim eſſet voluntarius, non creaturæ: vnde Deo, non creaturæ imputari deberet peruerſitas eius; & quidquid ſcelerum ex illa creatæ voluntatis inſtitutione naſceretur: Quæ quidem eſſent materialiter ſcelera creaturæ: vera tamen ſcelera, ac peccata Dei: Item concupiſcentia, quæ tunc eadem eſſet, & æquè traheret ad peccandum, atque nunc in naturâ lapſâ, imponeret homini neceſſitatem peccandi: quæ neceſſitas, quia non eſſet orta ex culpa, non ipſi homini, ſed Deo naturæ auctori tribuenda eſſet: adeóque peccata vi illius ſecuta, Deo eſſent adſcribenda. Eâdémque de cauſâ dicit cap. 18. Gratiam dilectionis non poſſe ſine culpâ ſubtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquo modo debitam eſſe: & alioqui vanam fore diſputationem Auguſtini contra Pelag. de neceſſitate Baptiſmi. Atque in eo probando totum illum librum inſumit.

12. *Nec ſine culpa priuari beatitudine.* Tum lib. 2. quatuor primis capitibus contendit beatitudinem veram, ſiue regnum cœlorum, quod ſupernaturalis ordinis eſt, non poſſe à pura natura ſeparari ſine iniuſtitia, neque poſſe eo priuari ſine culpâ: quia non poteſt creatura innocens, qualis eſſet natura pura, ſubiici vllis miſeriis animi vel corporis ſine iniuſtitiâ Dei. Si autem regno illo priuata eſſet, in quo ſolo conſiſtit vera beatitudo, & quies animi habentis id, quod vult, & volentis, quod velle debet, ſubiecta foret, & obnoxia multis miſeriis, nempe cupiditatibus, & perturbationibus animi, doloribus, morbis, ærumnis, morti, aliiſque incommodis, quibus nunc ſubeſt: cùm iuxta ſententiam Theologorum, homo in ſtatu naturæ lapſę non aliter differat ab homine creato in ſtatu naturæ puræ; niſi vt differt ſpoliatus à nudo: quia ſcilicet in naturâ purâ nunquam habuiſſet ea beneficia gratuita, quæ accepimus in Adamo, & per eius peccatum amiſimus. Et eandem ob cauſam, inquit, capite decimo & ſeqq. homo in ſtatu puræ naturæ foret priuatus libertate indifferentiæ circa bonum, & malum, & obnoxius concupiſcentiæ, & ignorantiæ, ſicut nunc eſt. Quæ omnia non poſſunt niſi propter peccatum, rationali creaturæ ineſſe.

13. *Neque ſubiici miſeriis corporis.* Denique toto lib. 3. conatur eiuſdem ſtatûs naturæ puræ impoſſibilitatem deducere ex miſeriis corporis, quibus iniuſtè natura innocens affligeretur. Iniuſtus enim eſſet Deus, ſi eas innocenti creaturæ imponeret, eiúſque omnipotentia, vel ſcientia, vel iuſtitia neceſſariò læderetur, vt fusè diſſerit cap. 6. & ſeqq. Et cap. 13. affirmat per ſtatum puræ naturæ, tribui Deo crudelitatem improbatam in Manichæis, & Pelagianis. Eodémque argumẽto palpabilium malorum, inquit cap. 15. ſi puræ naturæ inſint, cogimur ad diuerſas impietates, ad blaſphemiam in Deum, & ad Manichæiſmum. Sublato enim peccato nullum ſupereſt effugium, quo prædicta vitia à Deo remoueantur, niſi per Manichæi præcipitium, duo prima principia bonum, & malum, duáſque in homine naturas vnam bonam, & alteram malam conſtituentis, miſeriáſque huius vitæ naturæ illi malæ, & malo eius principio attribuentis.

14 *Prædamnatur in Michaële Baio, & conſentit hæreticis.* Hanc autem doctrinam accepit à Michaële Baio, damnatam à tribus ſummis Pontificibus, quorum cenſuram paulò pòſt referemus: eandémque tradiderant Lutherus in caput 3. Geneſis, Caluinus lib. 1. Inſtitut. cap. 15. numero 1. & libro ſecundo capite primo numero ſexto,

Chamier. tom. 3. libro 10. capite 7. & 10. & alij Nouatores. Lutheri verba loco citato hæc sunt: *Statuamus iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis: sed fuisse verè naturalem: ita vt natura Adæ esset, diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quàm naturale est, quòd oculi lumen recipiant.* Et inferiùs: *Porro*, inquit, *hæc probant originalem iustitiam fuisse de natura hominis; eâ tamen per peccatum amissâ, manifestum est naturalia non mansisse integra, vt Scholastici delirant.* Et Caluinus capite primùm citato numero primo dicit, In contumeliam Dei recidere, si quid vitij naturæ à Deo creatæ inesse probaretur, miniméque decere Deum esse mortis auctorem, vt addit libro 2. capite 1. numero sexto. Denique Chamierius suprà citatus affirmat contrariam doctrinam ex Manichæi fontibus haustam esse: & per creationem non habêri concupiscentiam &c. alioqui Deum fore auctorem mali.

SECTIO III.

Refellitur doctrina proposita.

15. *Impugnatur auctoritate Theologorum.* SED huic sententiæ oppono 1. communem consensum Theologorum veterum, æquè ac recentium, quibus Iansenius adhærere potiùs debebat, quàm Baio, & Luthero, aliísque hæreticis suprà nominatis. Nam statum puræ naturæ possibilem esse docent expresè Diuus Thomas in 2. distinctione 30. quæst. 1. articulo primo. & distinct. 31. quæst. 1. articulo primo, & 1. p. quæst. 95. articulo primo c. & prima secundæ quæst. 82. articulo primo ad tertium, & quæst. 87. articulo septimo, & quæst. 4. de malo, articulo primo ad 14. Scot. in 2. distinct. 28. quæst. vnicâ, & distinct. 29. q. 1. §. *Ad primum argumentum*, & amplissima vtriusque familia Scotist. & Thomist. speciatímque Caietanus prima secundæ quæst. 85. articulo 3. & quæst. 109. articulo secundo, Medina ibidem in præfatione ad Tractatum de gratia, Soto libro primo de natura & gratia capite 11. §. *Hæc imprimis*, Conradus ad primam secundæ quæst. 85. articulo tertio, Suarez Prolegom 4. de gratiâ capite primo, Vasques in 1. 2. disputat. 185. capite duo-decimo, Mærat. disputat. 1. de gratia sect. 1. & alij Theologi Societatis. Verba Scoti loco citato hæc sunt: *Potuit aliquis esse in puris naturalibus tam sine gratia, quàm sine culpâ.* Et D. Thomas, quæst. 4. de malo, articulo primo ad 14. *Carentia diuinæ visionis*, inquit, *dupliciter competit alicui. Vno modo sic, quòd non habeat in se, vnde possit ad diuinam visionem peruenire: & sic carentia diuinæ visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset absque peccato. Sic enim carentia diuinæ visionis non esset pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam.* Et libro primo contra Gentes capite 52. dicit perfectam subiectionem partis inferioris ad superiorem in primo homine, fuisse gratiæ beneficium, supplentis id, quod deerat per naturam. Et 1. p. quæst. 95. articulo 1. c. addit manifestum esse, quòd illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationalem, non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset: cùm etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum manserint. Et in 2. distinct. 30. quæstione 1. c. dicit humanæ naturæ defectus, qui nunc sunt, posse dupliciter ad illam comparari. Nimirum, vel ad eam prout in principiis suis naturalibus consideratur: & sic proculdubio non sunt pœnæ eius, sed naturales defectus: vel ad eam prout spoliatam contrariis perfectionibus, quas in primo parente acceperat: & ita sunt pœna peccati ab eo commissi, & transfusi ad posteros. Hæc Diuus Thomas, quibus conformiter Dominicus Sotus loco suprà citato, *Iustitia originalis*, inquit, *rebellionem concupiscentiæ prohibebat: & tamen si homo crearetur in puris naturalibus, esset mera natura.* Nimirum, quia vt ibidem affirmat, *Concupiscentia carnis naturalis nobis est: vtpote, quæ licèt nulla præcessisset culpa, vel gratia, ex principiis naturæ existeret in homine.* Idem etiam docent Scriptores controuersiarum Ruardus Tapper in defensione articulo secundo contra Lutherum, propositione secundâ, Bellarminus de gratia primi hominis capite primo & seqq. Driedo libro primo de gratia, & libero arbitrio, capite tertio, & alij vnanimiter.

Oppono secundò communem consensum Sanctorum Patrum, præcipuéque Diui Augustini, cuius auctoritate maximè abutuntur aduersarij. Nam libro tertio contra Maximinum, capite decimo-quinto, affirmat hominem ad similitudinem Dei formatum: *ideo fieri gratiâ filium, quia non est naturâ.* Si autem gratiâ fit Dei filius, non naturâ: ergo non est hoc illi connaturale, seu naturaliter debitum: nam implicat in terminis esse aliquid gratuitum, & esse naturæ debitum. Et libro sexto de Genesi ad literam capite vicesimo-quinto, dicit posse non mori præstandum fuisse Adamo *de ligno vitæ, non de constitutione naturæ.* Et libro quarto contra Iulianum capite decimo-sexto ait, *gratiam Dei magnam ibi fuisse, vbi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Et libro 12. de Ciuitate, capite nono, affirmat Deum in Angelis simul & condidisse *naturam*, & largitum esse *gratiam*. Itaque est aliquod Dei beneficium præter, & supra naturam Angelorum, æquè ac hominum. Idémque docet Basilius libro primo de Spiritu sancto ad Amphiloch. capite decimo-sexto, dicens Angelos non esse sanctos naturâ, sed gratiâ. Et Cyrillus libro primo in Ioannem capite decimo-tertio, affirmans creaturam *cùm serua sit, nutu solùm, & voluntate Patris ad supernaturalia vocari*, id est, ad gratiam, & gloriam. Et capite decimo-quinto dicit primum hominem immortalitatis donum supra naturam suam consecutum esse. Et Chrysost. hom. 19. ad populum, asserit *concupiscentiæ radicem habere à natura principium. Concupiscere enim, naturale: malè verò concupiscere, iam est voluntatis.* 16. *Et SS. Patrum.*

Oppono tertiò, expressam definitionem trium Summorum Pontificum, Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. in Bullis contra Michaëlem Baium, & Iansenium, quibus damnantur hæ propositiones: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*; id est, destitutum naturæ integritate, seu iustitiâ originali, & gratiâ sanctificante. *Huma-* 17. *Et summorum Pontificum.*

næ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium diuinæ naturæ (per gratiam sanctificantem) *debita fuit integritati primæ conditionis: ac proinde naturalis dicenda est; & non supernaturalis. Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis eius conditio. Immortalitas primi hominis non est gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitiâ naturali.* Quæ omnes propositiones sunt ipsamet doctrina aduersariorum errores Baij damnatos renouantium non sine magno fidelium scandalo, hæreticorum applausu, & intolerabili Sedis Apostolicæ contemptu. Quæ autem parum feliciter excogitauit Iansenius libro tertio de statu naturæ puræ capite vicesimo-secundo, ad eludendam prædictorum Pontificum Censuram, refutabuntur inferiùs sect. vlt. postquam præcipuis eius argumentis contra statum naturæ puræ responsum fuerit eodem ordine quo ab ipso proponuntur.

18. *Repugnat etiam rationi.* Præcedentibus argumentis ab auctoritate sumptis accedit ratio manifesta. Cùm enim creari in statu naturæ puræ, nihil sit aliud, quàm creari cum perfectione sua essentiali, omnibúsque facultatibus, & accidentibus connaturalibus, & concursu diuinæ prouidentiæ naturaliter illis debito; ac sine bono, vel malo naturæ superaddito, id est, sine donis supernaturalibus, & sine peccato originali, vel alio, pœnísque ei debitis, & præternaturalibus: manifestum est Deum potuisse creare hominem perfectum essentialiter; & cum omnibus suis facultatibus, & accidentibus connaturalibus; illíque non negare concursum proportionatum: neque minùs euidens est potuisse eum creare absque peccato, sicut reipsâ creauit primos parentes, & Angelos: præsertim cùm peccati auctor ipse esse non possit. Ac denique cùm dona supernaturalia sint naturæ indebita, sítque diuinæ voluntatis, & gratuitæ liberalitatis naturam humanam, æquè ac Angelicam, illis ornare: manifestum est potuisse Deum ab illis tribuendis abstinere: vt sæpius Scriptura significat, adscribens liberali beneficio Dei, quòd in filios suos homines adoptauerit, & ad æternam hæreditatem, clarámque sui visionem eos ordinauerit: cùm alioqui *lucem habitet inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, neque videre potest* solis viribus naturalibus: ac denique ad finem illum supernaturalem consequendum media idonea suppeditauerit: Roman. sexto versu vltimo, 1. Timoth. 6. versu decimo-sexto, Ephes. 1. versu tertio, aliísque locis. Manifestum, inquam, est potuisse Deum sic hominem creare non solùm de potentia absoluta, sed etiam de potentia per sapientiam ordinata: cùm nihil in eo indignum Deo, vel indecens rationabiliter præsumi possit, vt sequentibus sectionibus patebit respondendo argumentis aduersariorum.



SECTIO IV.

Soluitur primum & præcipuum argumentum Iansenij contra possibilitatem status naturæ puræ.

NIMIS prolixum & molestum foret ea omnia persequi, quæ Iansenius tribus integris libris contra statum puræ naturæ proposuit. Quare sat erit præcipuis eius argumentis respondere, ex quorum solutione lector facilè iudicabit quid de aliis sentiendum sit. 19.

Primùm igitur toto cap. 1. libri primi exponit quid intelligant Theologi per statum naturæ puræ, quem possibilem esse adstruunt. Qua de re sufficiunt quæ diximus sect. 1. huius disputationis. Deinde c. 2. supponit omnes homines naturaliter appetere beatitudinem: vt enim ait Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 8. *Omnes beatos esse velle veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus & immutabiliter beatus Creator hoc indidit.* Indéque nascitur vt omnis creatura rationalis miseriam fugiat: &, vt ait idem sanctus Doctor in Enchirid. capite 104. *Ita beati esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam velle possimus.* Esset autem vanum hoc naturale desiderium, nisi esset aliquid quo beari & satiari possit. Et istud est beatitudo, & finis vltimus, propter quem condita est, non autem propter seipsam. *Rationalis enim creatura siue in Angelico spiritu, siue in anima humana ita facta est, vt sibi ipsa bonum quo beata fiat esse non possit:* inquit idem S. Doctor epistola 112. capite vicesimo-tertio. Non potest autem esse beata, nisi diligat & appetat quod conuenienter appetendum & diligendum est: & nisi fruatur bono illo quod appetit & diligit: vt affirmat idem Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 5. 6 & 7. & libro de vita beata, in disput. primæ diei, & epist. 121. cap. 5. & lib. de moribus Ecclesiæ cap. 3. Hoc vtrumque si non habet, misera est: id est, si non diligit & desiderat quod appetendum est, & desiderato non fruitur. Neque enim datur medium inter esse beatum, & esse miserum: sed, vt ait August. lib. 9. de Ciuit. cap. 12. *Quorum ratio mentibus inest, aut miseros esse, aut beatos esse necesse est.* Indéque fit vt natura humana creetur misera sine sua culpa, si absque illa creetur in statu, in quo nec verum suum bonum & finem vltimum diligere, nec assequi possit; quorum neutrum facere potest sine auxilio gratiæ supernaturali. Quare cùm non possit à Deo creari misera sine culpa, non potest creari in statu puræ naturæ, in quo esset destituta omni auxilio gratiæ. Ad quod probandum duo præcipuè argumenta proponit: vnum ex parte appetitus, siue dilectionis vltimi finis: alterum ex ratione fruitionis eius. 20. *Omnes appetunt naturaliter beatitudinem.*

21. *Primum argumentum sumptum ex fine hominis.* Primum argumentum ita proponit cap. 3. Non potuit Deus creare homines connaturali modo, nisi propter vltimum finem ei connaturalem, cui vero sinceróque amore adhæreat, vel saltem iis subsidiis instructus sit, quibus illi adhærere possit. Hoc enim postulat & ratio diuinę prouidentię, quę cùm perfecto operetur modo, cuncta ordinat in aliquę finem vltimum: & ipse

ordo rerum connaturalis, quæ sicut ab aliquo primo principio egredi debent, ita ad aliquid velut vltimum terminari. Hic autem connaturalis creaturæ rationalis finis vltimus, nec est, nec esse potest alius, quàm vnus & verus Deus, vt vero amore diligendus. Ergo &c. Confirmatur: quia vt ait eodem capite tertio, non potest creatura rationalis creari & recta esse, sine amore Dei, & iustitiæ; qui amor debet per gratiam, & Spiritum sanctum inspirari, cùm sit supernaturalis, & amor ipsius Dei, qui est iustitia, & veritas, & lex æterna in omni actu virtutis diligenda; vt affirmat Augustinus pluribus locis ab eo relatis cap. 4. & pluribus sequentibus.

22. *Duplex esse potest finis vltimus hominis: naturalis, & supernat.* Respondeo: verum quidem est non potuisse sapienter, & ordinatè creari hominem sine ordine ad aliquem finem vltimum: sed ille duplex esse potest: naturalis scilicet, consistens præcipuè in adhæsione ad Deum per cognitionem, & amorem viribus naturæ possibilem: & supernaturalis, consistens in clara Dei visione, cum amore, & gaudio beatifico. Ad priorem tantùm ordinaretur homo, si crearetur in puris naturalibus. Quod verò nunc ad posteriorem sit ordinatus, eximiæ fuit gratiæ, & liberalitatis diuinæ, iuxta illud Apostoli Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Similiter amor iustitiæ, & veritatis & legis æternæ duplex est. Vnus imperfectior, ad quem natura rationalis potest cum Dei concursu, & prouidentia connaturali assurgere, quémve in statu naturæ puræ posset exercere. Alter perfectior, sublimior, constantior, vniuersalior, ad quem exercendum non sufficiunt vires naturæ, sed opus habent auxilio Spiritus sancti. Et huiusmodi sunt omnes actus virtutis, quibus ad salutem, & beatitudinem supernaturalem disponimur, & promouemur. Nam actus prioris generis non satis habent cum illa proportionis, neque fiunt sicut oportet ad iustificationem, & salutem vitæ æternæ obtinendam, vt loquuntur Concilia Arausicanum canone sexto, septimo, & vicesimo-quinto, & Tridentinum sessione 6. canone 3. Quo autem sensu intelligenda sint Augustini testimonia, quæ huic doctrinæ contraria videntur, exponemus inferiùs sect. seqq. & disputatione decima-nona, vbi de necessitate gratiæ in hoc statu naturæ lapsę ad bonum exercendum sermo erit.

23. *Amor Dei duplex similiter.* Perperam verò instat aduersarius in fine capitis tertij, hanc distinctionem duplicis amoris Dei, naturalis, & supernaturalis, neque haberi in sacris literis, aut in Conciliis, neque in sancto Augustino, aliisque Patribus, in quibus nullum est illius vestigium: sed philosophiæ humanæ viribus excogitatam esse. Nam quod ad Scripturam attinet, magnum illius distinctionis vestigium habetur Rom. 1. versu 20. vbi Apostolus satis clarè docet Gentiles naturali lumine rationis Deum cognouisse: & capite 2. ver. 14. affirmat Gentes, quæ legem non habebant, naturaliter fecisse ea, quæ legis erant. Itaque præter legis obseruationem perfectam, quæ eget Dei gratiâ, dari potest alia minùs perfecta; vt illa, quâ Gentiles fecerunt naturaliter ea, quæ legis sunt. Neque dicas, posse quidem naturaliter fieri aliqua per legem præcepta: sed inter illa non esse amorem Dei. Nam si possunt homines naturaliter cognoscere, Deum rerum omnium creatorem, auctorem sui esse, parentémque optimum, & benefactorem liberalissimum: valdè connaturale est quòd possint illum amare vt talem. Adeo enim natura inclinat ad parentes, & benefactores diligendos; vt inhumani apud omnes, & barbari habeantur, qui secus faciunt: & vel ipsæ brutæ animantes diligant eos, à quibus bene afficiuntur. Quare sensum communem exuisse, naturale rationis lumen extinxisse mihi videntur, qui negant vllum amorem Dei esse hominibus naturaliter possibilem. Adde quod Paulus citato capite primo versu 21. & quatuor sequentibus, dicit Gentiles illos esse inexcusabiles, eo quòd cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium: & commutauerunt veritatem Dei in mendacium: *& coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori.* Cultus autem Dei præcipuè in eius amore consistit: & si credimus Augustino epistola 120. capite decimo-octauo: *Pietas, cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.*

Quod verò attinet ad Concilia: magnum illius distinctionis fundamentum præbent Arausic. II. canone vicesimo-quinto, & Trident. sess. 6. canone tertio, quando definiunt auxilium Spiritus sancti necessarium esse ad diligendum Deum, non quomodocunque, sed *sicut oportet ad salutem*: vel *sicut oportet vt iustificationis gratia conferatur*: quæ limitatio frustra poneretur à Conciliis, si nullus alius amor Dei esset possibilis, nisi ille perfectus, ad salutem, & iustificationem conducens: vel si ad quemuis alium amorem Dei possibilem necessarium esset auxilium Spiritus sancti, siue gratiæ adiutorium. 24. *Et ex Conciliis.*

Adde quod in Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. contra Baium, & Iansenium, damnatur hæc propositio numero 32. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur vt Beatificator; vana est, & commentitia, ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Et ista numero 35. *Amor naturalis, Dei scilicet, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum iniuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

Quoad Patres denique, Augustinus ipse magnum huius distinctionis fundamentum præbet libro sexto contra Iulianum, capite 10. prope finem, vbi sic loquitur de paruulis sine baptismo morientibus: *Si hoc eis non erit malum,* (excludi scilicet à regno cœlorum) *non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantùm amabunt, quantùm innocentes amare debent regnum eius, à quo ad ipsius imaginem creantur: nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* Quibus verbis significat infantes illos, à gloria licèt, & gratia exclusos, solísque viribus naturalibus relictos, non caritu- 25. *Et ex Augustino.*

Probatur ex Scriptura.

ros amore erga Dei visionem; & consequenter erga ipsum vt videndum, eiúsq; pulchritudinem visu & amore dignissimã; & dolorem connaturaliter habituros, quòd in perpetuum illâ priuati sint. Neque potest sine absurditate responderi, Diuum Augustinum ibi loqui de amore Dei supernaturali. Quis enim non videat absurdum esse dicere, infantes mortuos sine baptismo, & damnatos pœnâ damni, & sensus, iuxta Iansenium, & Augustinum, atque in statu dæmonum constitutos, diligere Deum amore supernaturali, id est, tam excellenti, & perfecto; atque ad illum eleuari, seu iuuari diuinitùs per Spiritus sancti illustrationem, & piam motionem voluntatis? Naturalem verò aliquem Dei amorem tribuit ipsis etiam dæmonibus S. Thomas 1. p. quæst. 60. art. 5. ad 4. & 5. argumentum. Qui etiam in 2. distinctione 33. quæst. 2. articulo secundo ad quintum, insistens (vt solet) D. Augustini vestigiis, disertè affirmat paruulos decedentes sine baptismo, quamuis sint separati à Deo quantùm ad coniunctionem gloriæ, (atque etiam gratiæ) non tamen esse penitus separatos, quia sunt ei coniuncti per participationem bonorum naturalium. *Et ita*, inquit, *de illo gaudere poterunt naturali cognitione & dilectione.* Basilius quoque in regulis fusiùs disputatis responsione ad secundam interrogationem, agnoscit in homine appetitum naturalem circa Deum, & naturali sponte elicitum. Et Bernardus in libro *de diligendo Deo*, dicit infideles esse inexcusabiles si Deum non diligant: quia *clamat intus innatâ, & non ignotâ ratione iustitia, diligendum esse illum, cuius nos totos esse, & cui totum debere non ignoramus.* Ex his constat quàm falsò dixerit aduersarius distinctionem illam duplicis amoris Dei, naturalis, & supernaturalis, neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in S. Augustino, aliísque Patribus vestigium vllum habere.

Et ex aliis Patribus.

SECTIO V.

Respondetur iis quæ proponit Iansenius in confirmationem præcedentis argumenti.

26. *Obiectio prima de notitia & amore virtutis.*

VT probet nullum Dei amorem haberi posse naturæ viribus, & amorem illum sine quo creatura rationalis condi nequit, per veram gratiam inspirari debere, multa opponit Iansenius cap. 4. & sequentibus. Primò scilicet, quòd creatura rationalis condi non possit sine casto amore veritatis, quem si habere nequit, nihil boni naturaliter diligere potest. Hæc autem ipsa casta dilectio veritatis est effectus gratiæ Dei, nec humanis viribus obtineri potest. Nam regulæ cuiusque virtutis in Deo existunt, in quo cernendum est quidquid verum de virtutibus cernitur, vt docet Augustinus lib. 2. de lib. arbit. cap. 5. 10. 12. 13. & 14. Et animus esse non potest sapiens, iustus, bonus, sed tantummodo distortus ac prauus, nisi incommutabiles illas regulas sapientiæ iustitiæque diligat, vt ait idem S. Doctor capite 19. libri citati, & libro de vtilitate credendi capite decimoquinto, & lib. 8. de Trinitate cap. 7. Et denique istam dilectionem esse effectum veræ & supernaturalis gratiæ Dei, idem affirmat libro primo Retract. capite nono, vbi refert & approbat quod scripserat libro secundo de libero arbitrio. *Non solùm magna, sed etiam minima bona esse non posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona: hoc est, à Deo*, & per donum gratiæ, vt significat verbis immediatè præcedentibus, quibus dicit se quamuis hæc scripserit contra Manichæos, mentionem tamen fecisse gratiæ, quam postea negarunt Pelagiani. Eodémque sensu addit paulò pòst: *Virtutes quibus rectè viuitur, magna bona sunt: species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè viui potest, minima bona sunt. Potentiæ verò animi, sine quibus rectè viui non potest, media bona sunt &c. Quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei non solùm magna, sed etiam media & minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas eius in magnis* (id est, virtutibus illis) *quàm in mediis*, qualis est voluntas, & omnes animi potentiæ. Quibus verbis veram se Dei gratiam prædicasse in virtutibus conferendis, & maiorem quàm est illa, quâ voluntas & ratio & facultates animi collatæ sunt, quæ nonnisi naturalis creationis gratia est, ipsemet disertè profitetur. Cùm ergo non possit vlla naturalior, vlla inferior, vlla dilutior dilectio Dei in pura natura viribus cogitationis fingi, vt animus rectus fiat, quàm illa quâ diligitur ipsa virtutis cuiusq; rectitudo, hoc est, veritas incommutabilium luminum vniuscuiusque virtutis, quâ facienda præscribuntur, nec illa viribus humanis haberi queat, sed dono Dei, nec sine illa rectus, sed tantùm à veritate ac Deo distortus, ac peruersus esse possit: perspicuum est non posse naturam rationalem sine dono gratiæ supernaturalis institui. Hæc Iansenius toto capite quarto.

Ad quæ respondeo primò, Diuum Augustinum in nullo ex locis à Iansenio allegatis affirmare regulas virtutum non posse nisi in Deo cognosci: licèt in illo perfectissimè eluceant, meliúsque cognoscantur, atque in tali cognitione, & adhæsione cum Deo consistat vera & perfecta beatitudo. Secundò, nullibi etiam ex locis à Iansenio relatis asserere Dei gratiam ita esse necessariam, vt sine illa regulæ virtutum nullo modo cognosci aut diligi possint: neque id bene deduci ex cap. 9. libri 1. Retract. in quo maximè vim facit Iansenius. Nam Augustinus ibi loquitur (vt solet) de virtutibus ad vitam æternam promerendam conducentibus, quas etiam solas virtutum nomine censendas esse docet, de illísque loquendum esse, quando de necessitate gratiæ ad bene operandum quæstio instituitur. Vt patet ex his eius verbis libro quarto contra Iulianum cap. 3. *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Et inferiùs. *Et quoniam* (inquit Iuliano) *concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnúmque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri;*

27. *Vnde & quomodo haberi potest?*

Exponuntur loca obiecta ex Augustino.

per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnúmque perduci. Et libro de perfectione iustitiæ capite decimo-nono, Celestio obiicienti illud Apostoli 1. Corinth. 7. versu 36. *Quod vult faciat:* id est, iungat si velit virginem suam iam adultam matrimonio: quod faciendo non peccat, sed potiùs bene facit, vt expressè ait versu 38. ex quo inferebat Celestius aliquod bonum opus fieri posse naturæ viribus sine auxilio gratiæ: respondet Augustinus, non esse huiusmodi bona opera in medium proferenda, quando de necessitate gratiæ ad bene operandum disputatio instituitur: *Quasi* (inquit) *pro magno habendum sit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosiùs disputatur.* Cetera Diui Augustini testimonia à Iansenio allegata minùs habent difficultatis, minúsque apparenter valent ad probandum quod intendit, vt ex sola eorum lectione attentâ facilè intelligitur.

28. *Obiectio secunda, non posse condi hominem sine amore iustitiæ.* Opponit secundò, capite quinto, creaturam rationalem institui non posse à Deo nisi cum voluntate aliquo modo ordinata ad Creatorem: ideóque fieri non posse vt sine dilectione iustitiæ producatur. Hoc est (inquit) voluntas eius dilectione iustitiæ & æquitatis imbuta esse debet, quando producitur: vel certè, quod in idem redit, ita robusta esse debet, siue internis facultatis ipsius viribus, siue assistente externo auxilio Dei, vt inter iustitiam & iniustitiam velut in biuio constituta, iniustitiam in omnibus operibus suis fugere, & iustitiam diligere possit. Hoc enim si virium imbecillitate non possit, nullo modo peccabit; vel certè omnia illius peccata in Deum velut auctorem recurrent: vt docet Augustinus libro tertio de libero arbitrio capite decimo-sexto & decimo-octauo, & libro de corrept. & gratia capite vndecimo. Iam verò ista dilectio iustitiæ, cuius robore peccata fugiantur, & præcepta fiant, nullo modo potest à creatura rationali obtineri, nisi per veram & propriè dictam & supernaturalem gratiam Dei: vt affirmat idem S. Doctor libro de spiritu & litera capite 10. 14. 29. 30. & 35. & libro de natura & gratia capite 57. & libro de corrept. & gratia capite 2. & serm. 15. de verbis Apostoli capite 6. & 7. aliisque pluribus locis. Confirmatur: quia non aliud per *dilectionem, & delectationem*, seu amorem iustitiæ, intelligit Augustinus, quàm quo diligitur opus iustum, & rectum, & bonum, quia iustum, quia rectum, quia bonum est. Sic enim amari non potest, nisi ipsa forma iustitiæ, ipsa rectitudo, ipsa bonitas in se diligatur. Nec hoc ipsum, iuxta S. Augustinum, fieri potest sine vera & supernaturali gratia Dei: vt patet ex eius libro de spiritu & litera, capite tertio, cuius verba sunt: *Cùm id quod agendum & quo nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et libro primo Operis imperfecti contra Iulianum fol. 40. *Vt,* inquit, *per eam* (caritatem) *id diligamus quod amandum Deo docente cognoscimus.* Et in epist. ad Galat. *Qui,* inquit, *per caritatem seruit, liberè seruit, & sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.* Et libro secundo ad Bonifac. capite nono: *Tunc bonum concupisci incipit quando dulcescere incipit. Quando autem timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum opus, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere.* Similia dicit tractatu 51. in Ioan. & libro de gratia & libero arbitrio capite decimo-octauo, aliisque locis. 29. Porro sicut Augustinus leges affirmatiuas, hoc est, opera iustitiæ quæ legibus affirmatiuis præcipiuntur, implendas esse docet dilectione iustitiæ: ita etiam negatiuas obseruandas esse præcipit, odio iniustitiæ; vt videlicet non pœna, non incómodum temporale, sed ipsa iniustitia peccandíq; iniquitas fugiatur. Vt videre est ep. 144. & lib. 2. cõtra aduersarium legis & Prophetarum cap. 7. & in cap. 5. ep. ad Galat. & lib. 1. ad Bonifacium cap. 10. Quibus duobus locis postremis affirmat id non fieri sine caritate & gratia. Idémque confirmat lib. de natura & gratia cap. 57. & lib. de spiritu & lit. cap. 19. Quæ cùm ita sint, manifestè sequitur statum naturæ puræ esse impossibilem. Absurdissimum enim esset existimare hominem à Deo in tali statu condi posse, quo nec iustitiam boni operis diligere, nec mali iniustitiam auersari possit; in quo nihil boni facere possit, nisi timore pœnæ, non amore iustitiæ; in quo nunquam libeat id quod licet; in quo denique nunquam delectet non peccare; in quo nihil possit voluntate benefaciendi benefacere. Quid enim potest esse huiusmodi, nisi reprobæ, peruersæ, distortæ, pessimæ, damnatæque naturæ status? Si enim *pessima voluntas* Augustino est; *quæ nullo modo iustitiam diligit:* quantæ peruersitatis illa est, quam nunquam non peccare delectat, aut delectare potest? Si enim quicquam eorum quæ recensuimus potest, profectò iam non est puræ naturæ, sed per Spiritus sancti gratiam, verúmque amorem supernaturalem adiutæ status. Hæc Iansenius toto capite 5.

30. *In statu puræ naturæ posset homo seruare legem naturalem.* Respondeo, malè ab eo supponi non posse homines in statu puræ naturæ vlla præcepta iustitiæ seruare, nec iustitiam boni operis diligere, nec iniustitiam mali auersari &c. Nam, vt dicemus disputatione decima-quarta, numero sexto, & seqq. & disputatione decima-quinta, numero quinto, & deinceps, possent homines in statu naturæ puræ seruare totam legem naturalem ex affectu iustitiæ, vitaréque peccata illi opposita, non modò potentiâ physicâ, verùm etiam morali. Quia in illo statu melior & fauorabilior esset Dei prouidentia erga illos, quandiu vellent à peccato abstinere, & aliunde nullo essent peccato originali infecti: neque tanta esset tunc difficultas ex parte concupiscentiæ, quanta nunc est ob naturæ corruptionem peccato inductam: neque dæmon tantopere inuideret homini non ordinato ad gratiam & gloriam, à qua ipse excidit: nec etiamsi vellet, permitteretur adeo sollicitare ad peccandum, & sæuire in homines ipsius potestati minimè subiectos; vt nunc facit erga homines ipsius seruituti obnoxios propter peccatum originale, & naturâ filios iræ, vt loquitur Apostolus.

31. *Explicantur testimonia Augustini.* Neque verò testimonia Augustini à Iansenio producta probãt satis efficaciter quod intendit. Nam quod in illis affirmat, non posse homines

diligere iustitiam, aut bonum aliquod opus facere sine auxilio gratiæ per Spiritum Sanctum, potest facilè intelligi de dilectione iustitiæ, & bono opere, non merè naturali, sed valente ad consequendam veram beatitudinem: iuxta id quod diximus, & ex ipso probauimus in solutione præcedentis obiectionis num. 27. Quod autem addit nullum esse bonum opus nisi fiat ex caritate, & alioqui non bene fieri, intelligendum est de caritate latiùs sumptâ pro amore cuiuscunque boni honesti propter se dilecti: quo pacto caritatem sumi interdum à D. Augustino ostendemus inferiùs disp. 19. sect. 4. num. 22. & disp. 29. sect. 2. num. 10. & pluribus sequentibus: vbi etiam apertis illius testimoniis constabit planè alienum esse ab eius doctrina, dicere nullum opus bonum esse nisi fiat ex caritate propriè, & strictè sumpta, neque minùs id longè abesse à doctrina aliorum Patrum, & Conciliorum, ipsiúsque Scripturæ diuinæ, perspicuè affirmantium alia multa esse bona opera præter ea quæ fiunt ex motiuo caritatis propriè dictæ, & alias esse virtutes præter caritatem, quod sine hæresi manifesta negari nequit. Quod denique ait, neque bonum bene fieri, neque malum bene vitari, & sine peccato, si bonum ex timore fiat, aut malum ex timore fugiatur; intelligendum est de timore imperfecto, & non absolutè, planéque abstrahente voluntatem ab affectu peccati, sed compatiente in voluntate affectum non faciendi bonum necessarium, aut non fugiendi malum, nisi timor obstaret. Simili modo quo mercator metu naufragij merces in mare proiicit, ægrè ferens iacturam, habénsque animum retinendi, si abesset naufragij periculum. Nam quod alioqui bonum sit bene operari, aut fugere malum ex timore absoluto, illámque esse certissimam clarissimámque Augustini doctrinam, patebit ex ipsius testimoniis, quæ referemus disput. 28. sect. 2. num 11. & seqq. & disp. 29. sect. 2. num. 13. & totâ sect. 7. & 8. vbi etiam demonstrabimus eandem esse aliorum Patrum, & Conciliorum, & Scripturæ Sacræ, totiúsque Ecclesiæ doctrinam.

32. *Instantia contra id quod diximus, nemine caritatis intelligi latè dilectionem virtutis.*

Contra hoc responsum instat Iansenius cap. 6. planè à mente Augustini alienum esse, caritatem quam ad bonum opus postulat, ad virtutis moralis dilectionem velle reuocare. Quippe qui manifestè loquitur de illa caritate, quâ diligitur Deus, & proximus, tum locis antè citatis, tum etiam libro de Gratia & libero arbitr. cap. 18. & lib. de Spiritu & lit. cap. 3. 10. 14. 29. 32. & lib. de natura & gratia cap. 15. & 57. aliisque pluribus locis: præcipuè verò quæst. 15. super Deuteron. vbi sic ait: *Cùm vero fit opus legis, caritate fit, non timore; quæ caritas gratia est Testamenti noui. Ideò in secundis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus legis per caritatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.* Addit cap. 7. & 8. in eo falli Theologos, quòd Philosophiæ principiis assueti, per veritatem intelligant conformitatem signi cum re significata; & per iustitiam amorem recti & honesti: existiméntque D. Augustinum per veritatem, & iustitiam nihil aliud intelligere: cùm tamen manifestum sit eum per veritatem intelligere regulas incommutabiles rectè agendi, quæ sunt ipse Deus: & per iustitiam, sine cuius dilectione impossibile est voluntatis opus esse iustum aut bonum, & cuius dilectio in cordibus nostris non nisi diffusâ per Spiritum sanctum caritate infunditur, intelligere legis æternæ veritatem, iustitiam, ac rectitudinem; seu quod idem est, ipsam æternam legem, sempiternâ suâ veritate, iustitiâ, & rectitudine præscribentem creaturæ rationali quidquid in rebus agendis verum & iustum, & rectum est. Quæ lex iustitiæ non est aliud nisi Deus, neque Deus aliud quàm veritas, & iustitia, & rectitudo sempiterna.

Et per iustitiam, amorem honesti.

Ait denique, & toto cap. 10. probare conatur, Augustini doctrinæ ex diametro repugnare quod aiunt Theologi, amorem iustitiæ dari posse naturalem; & ideò non sequi vt propterea non possit creatura rationalis sine gratia in statu aliquo puræ naturæ condi, quamuis sine iustitiæ amore condi non posset.

Et amorem Dei dari posse naturalem.

Primò, quia sanctus ille Doctor expressissimè sæpissiméque docet sinceram iustitiæ, præcepti, legis, bonique operis dilectionem nullo modo haberi posse ab homine sine gratia Dei, dilectionem illam diffundente in cordibus nostris: contrariúmque damnat erroris in Pelagianis. Secundò, quia expressè, & sæpiùs docet, sine illo spiritu gratiæ, qui iustitiam diligi facit, non posse aliud in animo dominari nisi dilectionem peccati, quod illi iustitiæ tanquam iniustitia directè aduersatur. Vt videre est lib. de Spirit. & lit. c. 15. & lib. de natura & gratia, c. 37. & lib. 1. ad Bonifac. c. 10. Tertiò, quia illum amorem iustitiæ, quem gratia largiri debet, sexcentis locis opponit formidini pœnæ: ita videlicet vt impossibile sit, eum qui ex illo amore iustitiæ non operatur, aliter quàm ex timore pœnæ, animum sub amore peccati adhuc depressum retinente, operari: vt speciatim videre est epist. 144. Quartò, quia expressè docet dilectionem, quâ quis condelectatur legi præcipienti, non posse esse nisi Spiritus Sancti donum, fide scilicet per dilectionem operante: vt ait lib. de Spirit. & lit. c. 14. & lib. 1. ad Bonifac. c. 10. Quintò, quia remittit homines ad experientiam suam, vt si delectentur iustitiâ quando operantur, non dubitent hoc esse gratiæ donum, lib. de Corrept. & gratia c. 2. & serm. 15. de verbis Apostoli c. 7. & 9. & in Psal. 57. Sextò, quia docet non posse bonum per se appeti sine gratia Dei, lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. & lib. de Spirit. & lit. c. 32. Similitérque docet in c. 5. epist. ad Galat. non posse iniustum vitari quia iniustum est, sine auxilio eiusdem gratiæ, & sine illa caritate quam Scriptura commendat.

33. *Augustinus per amorem iustitia non semper intelligit caritatem.*

Ad primum respondeo, non esse verum quòd Augustinus quotiescunque loquitur de amore iustitiæ, sine quo ait nec legem impleri, nec vllum bonum opus fieri posse, loquatur semper de caritate propriè dictâ, sumptáque pro amore Dei & proximi. Quod ne quidem facit eo loco, quem veluti præcipuum, & summam rei complectentem allegat Iansenius ex quæst. 15. super Deuteron. Nam per caritatem, & gratiam noui Testamenti, cuius ibi mentionem facit, potest intelligi amor honesti, & recti propter se dilecti cum Dei gratia per Christum nobis acquisitâ, ideóque noui Testamenti propriâ, & per Spiritum Sanctum infusâ, sine qua non potest amari bonum, & honestum vtiliter ad vitam æternam, de quo amandi modo loqui solet Augustinus, vt probauimus num. 7. ibi-

démque ostendimus quid reprehenderit in Pelagianis, quóve sensu contra illos contenderit nullum opus bonum fieri, nullam esse virtutem sine gratia. Cùm autem (quod non negamus) interdum affirmare videtur nec legem impleri, nec opus vllum bene fieri posse sine caritate propriè, & specialiter dicta: intelligendum illud est in hunc sensum, quòd lex totaliter, & integrè impleri nequeat sine caritate quâ Deus, & proximus diliguntur: quippe quorum dilectio in lege præcipuè commendatur, vt Christus ipse docet Matth. 22. Quódque etiam sine caritate erga Deum nullum opus bene fieri possit, non qualicunque bonitate, sed excellenti, & eò vsque perfecta, vt sit æternæ vitæ meritoria. Nam quòd aliquâ inferiori bonitate possit aliquid bene fieri, tametsi non fiat ex caritate, docet perspicuè idem S. Doctor tractat. 9. in epist. Ioan. & concione in Psal. 127. circa illud, *Beati omnes qui timent Dominum*, & serm. 214. de tempore, aliísque locis, quæ referemus, & expendemus disput. 28. sect. 2. Satius autem est Augustinum sic exponere, & loca eius varia specie tenus dissonantia inter se conciliare, quàm manifestam contradictionem illi imponere.

34. *Quis intelligat per veritatem?* Ad secundum respondeo, interdum quidem D. Augustinum per veritatem intelligere regulas illas incommutabiles, & diuinas, in quibus virtutum præcepta præcipuè resplendent: sed quòd etiam eo nomine intelligat alibi conformitatem signi cum re significata, & iudicij intellectus cum obiecto, patet euidenter ex lib. 12. Confessionum c. 30. 31. & lib. de mendacio ad Consentium c. 16. & 18. & lib. de dono Perseuerant. c. 15. & Enarrat. in Psal. 5. circa illa verba, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, aliísque plurimis locis quæ vel recensere longum esset. Verba illius postremo loco cit. hæc sunt: *Mendacium veritati contrarium est: & ad id quod non est pertinet: non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verum dicitur: si autem hoc dicitur quod non est, mendacium est.*

35. Similiter quòd nomine iustitiæ, sine cuius dilectione, vel odio iniustitiæ ipsi contrariæ non fit bonum opus, nec fit vtiliter ad vitam æternam sine auxilio gratiæ, non intelligat solùm Augustinus iustitiam æternam, & incommutabilem, quæ Deus ipse est, vt contendit Iansenius; verùm etiam generaliter illam quæ per legem naturalem dictatur de faciendo bono, & abstinendo à malo, patet ex serm. 59. de tempore, qui est in appendice 35. vbi sic habet: *Iustitia non aliud est, quàm non peccare: non peccare autem, legis præcepta seruare. Præceptorum autem obseruatio duplici genere continetur, vt nihil eorum quæ prohibentur facias, & omnia quæ iubentur implere contendas.* Et Enarrat. in Psal. 57. ipso initio: *Omnibus* (inquit) *tanquam in concione generis humani veritas clamat: Si vtique verè iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum. Cui enim iniquo nondum facile est loqui iustitiam? Aut quis de iustitia interrogatus, quando non habet causam, non facile respondeat quid sit iustum? Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri? Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est: vt esset vnde iudicarentur & quibus lex non esset data.* Et paulò inferiùs: *Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad vxorem tuam? Quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit, nolle iniuriam pati, & quidquid aliud vel vniuersaliter, vel particulariter dici potest? Multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clarâ voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? Nonne in societate viuis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est: & omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formauit. Quod tibi non vis fieri, noli alteri facere. Iudicas enim malum esse in eo quod pati non vis: & hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta.* Hæc Augustinus: quibus etiam confirmatur quod paulò antè diximus, quódque malè negauit Iansenius, regulas virtutum, earúmque veritatem posse aliter quàm in solo Deo cognosci, iuxta doctrinam B. Augustini. Denique cùm iustitia dupliciter sumatur à Philosophis, & Theologis: nimirum, & pro generali, consistente generaliter in faciendo bono, & vitando malo: & pro speciali, cuius obiectum, & officium est ius suum cuique tribuere: vtramque acceptionem nouit, & expressit Augustinus: priorem quidem locis proximè relatis: posteriorem verò lib. 19. de Ciuit. c. 21. & lib. 83. quæst. q. 31. & in Psal. 83. circa illa verba, *Ibunt de virtute in virtutem*, vel, vt ipse legit, *Ambulabunt de virtutibus in virtutem.*

Ad tertium respondeo, constare ex dictis num. 25. D. Augustinum satis expresè affirmare aliquem Dei amorem naturalem esse posse: adeóque falsum esse quod ait Iansenius, talem amorem repugnare ex diametro ipsius doctrinæ. 36. *Augustinus agnoscit amorem Dei naturalem.* Neque id euincunt argumenta, quibus id demonstrari putat aduersarius. Ad primum enim dico iam suprà ostensum fuisse num. 27. quo sensu dicat Augustinus sinceram iustitiæ, legis, præcepti, bonique operis dilectionem non posse haberi sine Dei gratia: vtiliter scilicet ad consequendam vitam æternam. Secundò, quod ait, sine illo spiritu gratiæ, qui iustitiam diligi facit, non posse aliud in animo dominari nisi dilectionem peccati; intelligendum est de eo quod communiter fit, quia solent homines gratiâ destituti seruire peccato, & concupiscentiæ: sed non quòd semper, & in quolibet actu peccent, planéque nihil boni vnquam faciant. Contrarium enim docet idem S. Doctor lib. de Spirit. & lit. c. 28. sic dicens: *Impiorum quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus; verùm etiam meritò, rectéque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem, defensionémve mereantur.* Vix (inquit) id est, raro, & difficilè inueniuntur: loquitúrque de infidelibus quos gratiâ Dei carere affirmat Iansenius, quippe quam vult incipere à fide, illámque esse doctrinam Augustini contendit. Et epist. 5. ad Marcel. dicit in Romanis ethnicis fuisse aliquas ciuiles sine vera religione virtutes. Et epist. 130. de Polemone Gentili, sic ait: *Si ex luxurioso continens factus, ita sciret cuius hoc esset donum, vt eum abiectis superstitionibus Gentium piè coleret; non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret.*

37. Tertiò, constat etiam ex dictis quo sensu

Quo sensu nihil bene agi ex timore pœnæ. amorem illum iustitiæ, quem gratia largitur, opponat Augustinus formidini pœnæ; asserátque non posse operari sine peccato eum, qui non ex amore iustitiæ, sed ex timore pœnæ operatur: timore scilicet imperfecto, & compatiente affectum contrarium malè agendi, nisi pœnæ timor obstaret. Quartò, quod idem Sanctus Doctor ait verbis à Iansenio relatis ex lib. de Spirit. & lit. c. 14. *Porro si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei, quæ delectatio non literæ, sed spiritus donum est:* intelligendum est de delectatione, quâ quis condelectatur legi præcipienti, vtiliter ad promerendam vitam æternam. De eadémque, & de timore imperfecto interpretandum est quod addit aduersarius ex lib. 1. ad Bonifac. c. 10. *Non video quomodo diceret homo sub lege, condelector legi Dei, &c. cùm ipsa delectatio boni, quâ etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore iustitiæ, (hoc est enim condelectari) non nisi gratiæ deputanda sit.* Quintò, de eadem quoque delectatione loquitur, quando remittit homines ad propriam experientiam, monétque lib. de Corrept. & Grat. c. 2. *Vt quando agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ, suauitatem quam dedit Dominus, accepisse se gaudeant.* Loquitur enim de fidelibus, & vt fideles decet operantibus, id est, ad æternam salutem per opera sua bona tendentibus, fideique ductum sequentibus. Sextò denique, liquet ex dictis num. 27. & 36. quo sensu accipiendum sit quod ait Augustinus, non posse bonum per se appeti, neque vitari malum quia iniustum est, sine gratia, & caritate quam Scriptura commendat. Viderit autem Iansenius quomodo eius doctrina differat à propositione decima-septima ex damnatis in Michaële Baïo, *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine caritate.* Et ab ista numero trigesimâ quintâ, *Amor naturalis* (bonus scilicet, adeóque ipsius Dei propter se dilecti, iuxta doctrinam Baij, & Iansenij, qui nullum alium amorem bonum admittunt) *qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum iniuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.* Itémque ab ista numero trigesima sexta, *Cum Pelagio consentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Viderit etiam vtrum bene conueniat cum Tridentino id quod videtur affirmare toto c. 9. iustitiam quâ viuificamur, & constituimur formaliter Dei participes, non esse caritatem, vel alium habitum infusum, sed iustitiam diuinam, & Deum ipsum caritate veluti glutino animæ nostræ coniunctum. Cùm è contrario Tridentinum sess. 6. c. 7. affirmet iustitiam, quâ formaliter iusti constituimur, esse iustitiam Dei, *non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit*; adeóque non esse ipsammet iustitiam diuinam & increatam, quâ Deus ipse iustus est; sed creatam, & habitualem, quam paulò pòst in fide, spe, & caritate consistere dicit. Quare licèt verum sit Deum in iustis inhabitare speciali modo, ipsísque vniri per caritatem, quasi gluten, & vinculum quo ipsi adhærent, vt affirmat Augustinus locis à Iansenio relatis toto illo c. 9. falsum tamen est, & contra Tridentinum, Deum ipsum, eiúsque iustitiam intrinsecam quæ Deus ipse est, esse formam qua viuificamur, iustíque apud Deum efficimur.

SECTIO VI.

Perstringuntur cetera quæ opponit Iansenius in confirmationem eiusdem primi argumenti.

OPPONIT tertiò Iansenius c. 11. eiusdem lib. 1. de statu puræ naturæ, amorem Dei, sine quo creatura rationalis condi nequit quin eum habeat saltem in potestate sua, non posse esse alium, quàm quo Deus amatur propter Deum: si enim propter aliud quippiam Deus diligatur, non est ille verus, & castus amor Dei, sed illius rei quam per Deum assequi cupit: nam vt ait Augustinus in Psal. 77. *Qui propter beneficia terrena Deum quærunt, non vtique Deum, sed illa quærunt; quia eo modo timore seruili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur quod diligitur.* Similia dicit in Psal. 79. circa finem, & lib. 11. de Ciuit. c. 25. aliísque locis. Atqui talis amor Dei castus, & rectus, non potest haberi sine vera, & magna, & propriè dicta gratia Dei, vt affirmat idem S. Doctor concione 11. in Psal. 118. circa illa verba, *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam,* & serm. 3. in appendice, & serm. 15. de verbis Apostoli c. 11. & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. 38. *Tertia obiectio de puro amore Dei propter se.*

Respondeo, neque impossibilem fore naturæ puræ aliqualem Dei amorem propter se, qualem nunc etiam in statu naturæ corruptæ possibilem esse viribus liberi arbitrij, ostendemus inferiùs disp. 19. sect. 8. & 9. iunctis iis quæ diximus præcedenti sect. 4. Neque etiam omnem amorem Dei, qui non est purè propter ipsum, esse impurum, vitiosum, & inordinatum, vt probabimus tota ferè disp. 29. tum ex Scriptura quæ sæpiùs hortatur homines ad Deum amandum, & colendum propter ipsius erga nos beneficia, præcipuéque propter æternam retributionem; non hortatur autem ad amorem vitiosum, & impurum: tum ex Conciliis, & Patribus qui talem etiam Dei amorem commendant: tum demum quia si non potest rectè amari Deus nisi propter se, nihílque aliud bene fieri nisi ex tali amore procedat, vt vult Iansenius, sequeretur nullam aliam esse virtutem præter caritatem, quod hæreticum est, & apertè repugnat Scripturæ 1. Corinth. 13. vers. vlt. & Psal. 83. vers. 8. & Sapient. 8. vers. 7. Quæ autem in contrarium producuntur ex Augustino in Psal. 77. & 79. aliísque locis suprà relatis, intelligenda sunt de illo, qui sic affectus est in præsens formaliter, aut virtualiter, vt Deum non amaret si abessent illa eius beneficia, propter quæ ipsum amat: quasi Deus indignus foret amore nisi esset beneficus: quæ æstimatio, & affectio voluntatis illi conformis, est sine dubio vitiosa, & inordinata. Vel etiam de illo, qui Deum sic amat propter eius beneficia, vt potiorem habeat rationem beneficiorum, quàm ipsius Dei, quem illis quodammodo postponat: iuxta id quod ait Augustinus in eundem Psal. 77. *Rectum cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum, &c. In corde autem non recto cum Deo est, vbi ea potiùs diligit, propter quæ Dei adiutorium requirit.* 39. *Non esset planè impossibilis naturæ puræ.*

Nota quod ait, *vbi ea potiùs diligit.* Contra hoc responsum non faciunt ea, quę duobus aliis sibimetipsi propositis reponit Iansenius eodem c.11.

40. *Quarta obiectio de contentione Augustini, & Pelag. circa talem amorem.* Opponit quartò cap. 12. capitalem errorem Pelagij fuisse, quòd diceret aliquem purum, & castum Dei amorem haberi posse naturæ viribus: déque illo errore grauem inter ipsum, & Catholicos fuisse concertationem: vt testatur Augustinus lib. de Gratia, & libero arb. cap. 18. sic dicens: *Vnde est in hominibus caritas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Et lib. de Natur. & Grat. cap. 2. dicit eos qui de Christo nihil audiuerunt, quibúsve non restat nisi vt credendo in Deum, qui fecit cœlum & terram, à quo se factos naturaliter sentiunt, & rectè viuendo, eius impleant voluntatem, ne hoc quidem facere posse sine gratia Christi. *Si enim* (inquit) *hoc fieri potuit, aut potest; hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: ergo gratis Christus mortuus est.*

41. *Augustinus loquitur de amore ad salutem valente.* Respondeo D. Augustinum verbis relatis loqui de dilectione, & fide, bonísque operibus, ad salutem valentibus, & sufficientibus, iuxta sententiam Pelagianorum contra quos ibi disputat: vt patet ex præcedentibus, & consequentibus. Nam in loco postremùm citato, postquam dixit Augustinus Christum gratis esse mortuum, si hæc naturæ viribus fieri possunt: subiungit, *Si enim hoc ille* (Paulus scilicet) *dixit de lege, quam accepit gens vna Iudæorum; quantò iustius dicitur de lege naturæ, quam accepit vniuersum genus humanum? Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari, & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est, vindictâ, nullo modo potest, nisi per fidem, & Sacramentum Sanguinis Christi.* Vbi perspicuè loquitur Augustinus, post Apostolum, de iustitia supernaturali, & liberatione à peccato, atque à morte æterna, quam liberationem per eiusmodi fidem, & opera assequamur. Et initio eiusdem capitis dixerat, *Natura humani generis, ex illius vnius præuaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendámque iustitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna; etiamsi in aliqua gente, aut aliquo superiore tempore, fides eam latuit sanguinis Christi.* Capite autem 18. libri de Gratia, & libero arbitrio, postquam dixit caritatem ex Deo esse, vt ostendat de qua dilectione loquatur, subiungit aliquantò pòst, non posse homines eligere Deum, nisi ipse priùs eos eligat, id est, gratiâ suâ præueniat: atque idcirco nec posse illum diligere, nisi eius gratiâ præueniantur: *Quomodo enim eum eligerent, quem non diligerent? Sed quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt. Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei preueniret.* Quibus postremis verbis manifestè indicat se loqui de electione, & dilectione meritoria. Quæ autem contra hoc responsum dicet Iansenius lib. 5. de Gratia Christi Saluatoris cap. 11. & 12. quò lectorem remittit, refutabuntur inferiùs disp. 29. vbi doctrina eiusdem libri examinabitur.

42. *Quinta obiectio ex sensu Ethnicorum philosophorum petita.* Opponit quintò cap. 13. ipsos gentiles philosophos agnouisse amorem, quo naturæ lumine Deum auctorem omnium diligendum esse cernebant, non posse nasci in homine, sine magno beneficio, & gratia eiusdem Dei: ac proinde nec amorem Dei naturalem, de quo sine dubio loquebantur, posse sine gratia concipi: atque hanc illorum sententiam approbari à D. Augustino pluribus locis: vt lib. 10. de Ciuit. cap. 1. & 11. & lib. 8. cap. 5. 9. & 10. & libro 4. contra Iulian. cap. 3. iunctis iis quæ dicit libro 11. de Ciuit. cap. 25. & lib. 22. de Ciuit. cap. 22.

Respondeo admiratione dignum esse, Iansenium, qui eodem cap. 13. in fine §. 1. expressè dicit philosophos ethnicos, *nihil omnino de eleuatione naturæ ad statum supernaturalem disseruisse, aut cognouisse;* simul affirmare eosdem philosophos agnouisse, & asseruisse amorem Dei naturalem, sibi notum ex aspectu, & consideratione creaturarum, vt Deo conuenientem ac debitum, quemadmodum ait paulò pòst §. *Nec verò,* illum, inquam, amorem non posse haberi sine gratia propriè dicta, quæ sine dubio pertinet ad eleuationem naturæ, statúmque supernaturalem. Hæc duo certè nequeunt inter se conciliari. Quódque de illis refert Augustinus locis suprà citatis, debet potiùs iuxta illorum philosophorum sensum ita intelligi, vt voluerint amorem illum, & philosophiam, ac sapientiam, aliáque id genus, non posse haberi sine Dei beneficio intra ordinem naturalem contento, vel etiam sine aliqua prouidentia speciali, quæ tamen non excedat eiusdem ordinis limites: quippe quos non transcendit ethnicorum philosophorum cognitio, vt fatetur aduersarius verbis suprà relatis. Hoc igitur sensu dixerunt apud Augustinum libro 8. de Ciuitate cap. 5. *Verum Deum, & rerum auctorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem esse:* & ab illo nobis esse, & *principium naturæ, & veritatem doctrinæ, & felicitatem vitæ,* quæ in eius cognitione, & amore præcipuè consistit: & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Veras virtutes non esse, nisi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilísque substantiæ, quæ est Deus:* & libro 11. de Ciuit. cap. 25. Deum esse *naturarum omnium auctorem, & intelligentiæ datorem, & amoris, quo bene beatéque viuatur, inspiratorem.* In quo postremo verbo frustra vim facit Iansenius; quasi verò non possit etiam de beneficiis naturalibus intelligi, sicut de dono creationis animæ intelligitur Genes. 1. cùm dicitur Deus inspirasse in faciem Adami spiraculum vitæ, id est, animam rationalem, vt alibi teste ipsomet Augustino probauimus. Quando autem idem S. Doctor ibidem, alibique sæpiùs, ait gratiam, eiúsque suauitatem dari nobis debere, vt Deum diligamus: intelligit, vt diligamus perfectiùs quàm philosophia doceat, & solæ vires naturales præstare possint: sicut etiam requiritur vt patientiam, aliásque virtutes perfectiùs exerceamus: iuxta id quod ait verbis relatis à Iansenio ex lib. 22. de Ciuit. cap. 22. *Ad hoc meliores quosque in his malis adiuuat gratia, vt quanto fideliore, tantò fortiori corde tolerentur: ad quam rem etiam philosophiam prodesse dicunt docti huius sæculi, quam Dij quibusdam paucis, vt ait Tullius, veram dederunt. Nec hominibus ab his aut datum est donum maius, aut potuit dari.* 43. *Falsum est eos sensisse amorem Dei naturalem esse à gratia.*

44. *Sexta obiectio, quòd omnis amor vel est caritas, vel cupiditas.* Opponit 6. cap. 14. Augustinum multis in locis docere omnem amorem creaturæ rationalis esse *caritatem*, vel *cupiditatem*. Quia nimirum necessarium est creaturam rationalem in

omni actione voluntaria, vel in Deo, vel in creatura vltimò conquiescere. Si in Deo, caritas est: si in creatura, cupiditas. In hac autem diuisione caritatem nullam Augustinus agnoscit aliam, nisi quæ inspiratur ac diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: neque aliam cupiditatem, nisi quæ corrumpit ac vitiat creaturam rationalem. Hæc autem doctrina falsa est, & erronea, si datur alius amor Dei naturalis, qui non sub illa caritate diuinitùs infusâ comprehenditur. Est enim certissimum talem amorem non esse cupiditatem. Addit, quamuis aliquis amor Dei esset possibilis in statu naturæ puræ, ille tamen non sufficeret ad assequendam naturalem beatitudinem: quia non faceret adhærere Deo immobiliter, neque purgaret animum vitiis, & cupiditatibus, neque satis resisteret passionum insultibus, quibus natura illa fragilis, & infirma frequenter cederet; adeóque totam legem naturalem seruare non posset, quod ad honestè beatéque viuendum necessarium est.

Et amor Dei naturalis non sufficeret ad naturalem beatitudinem.

45. Ad priorem partem huius obiectionis respondeo, manifestè erroneum esse contra Scripturam, Concilia, Patres, & euidentem rationem, dicere omnem amorem creaturæ rationalis qui non est affectus caritatis propriè dictæ, id est, amoris Dei, esse vitiosam cupiditatem: vt ostendemus disp. 19. sect. 4. & seqq. vbi etiam exponemus Augustini testimonia, quibus ad contrarium probandum abutitur Iansenius libro 3. de statu naturæ lapsæ cap. 19. quò lectorem remittit. Summa responsi est, Augustinum iis locis quibus videtur id affirmare, sumere caritatem non strictè & propriè, pro amore Dei propter se, & super omnia dilecti, sed latè pro amore boni, & honesti vt talis, siue iustitiæ sumptæ generaliter pro omni virtute: quo sensu dicit lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi caritas?* Cùm autem ibidem ait immediatè antea, *Cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè, & incommutabiliter bonus est:* eodémque capite, & alibi sæpissimè docet omne opus bonum fieri ex Dei gratia, loquitur de boni cupiditate, déque bonis operibus ad salutem æternam pertinentibus, iuxta id quod suprà diximus numero 27. quæ opera quia fieri nequeunt sine auxilio gratiæ, & inspiratione Spiritus Sancti, ideo dicuntur ab Augustino non posse fieri sine caritate per Spiritum Sanctum infusâ. Denique non obstantibus testimoniis à Iansenio, & diu antè à Michaële Baio productis, damnata fuit à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. hæc illius propositio numero 37. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Quam eandem propositionem iisdem terminis, aut æquiualentibus, instaurare conatur Iansenius non sine magno supremæ potestatis Ecclesiæ contemptu. Neque magni momenti est ratio quam subiungit. Tametsi enim vitiosum est conquiescere in creatura aliqua, tanquam in fine simpliciter vltimo ipsius operantis: secus tamen velut in fine vltimo alicuius operis, secundùm quid, & in aliquo ordine: putà amare parentes, aut colere benefactores vt tales, quia id per se honestum est, etiamsi non vlteriùs referatur in Deum, quod pertinet ad caritatem, non autem ad pietatem erga parentes, vel ad gratitudinem erga benefactores.

Erroneum est dicere omnem affectum qui non est caritatis, esse vitiosam cupiditatem.

Ad posteriorē dico, naturalem beatitudinem hominis, id est, quam potest viribus, & subsidiis naturalibus assequi, non esse summam, neque perfectam, sed qualem, & quantam obtinere potest, incumbendo pro facultate contemplationi & amori Dei, aliisque virtutibus quarum naturaliter capax est, & alia assequendo quæ ex parte corporis, & bonorum externorum ad statum illum beatitudinis naturalis requiruntur, & sufficiunt iuxta prudentem æstimationem. Sufficit enim homini si sit beatus vt homo, vt rectè ait Aristoteles 10. Ethicorum. Quomodo autem posset homo in statu naturæ puræ seruare legem naturalem, honestéque viuere, atque ex hac parte naturalem beatitudinem assequi, dicemus inferiùs disp. 14. num. 6. & seqq. & disp. 15. num. 5. & deinceps. 46.

Naturalis beatitudo qualis esse debeat

SECTIO VII.

Refutantur aliqua Iansenij effugia.

QVIA verò Iansenius in perpetua contradictione versatur, dum contendit creaturam rationalem non posse creari sine casto amore Dei, aut sine viribus ad illum sufficientibus: & simul affirmat amorem illum haberi non posse naturæ viribus, sine gratia Christi propriè dicta, & sine caritate per Spiritum Sanctum infusâ: ex quo sequitur amorem illum esse naturalem, quippe naturæ debitum vi suæ creationis; & simul esse supernaturalem, quippe qui haberi nequit solis naturæ viribus, & sine auxilio supernaturali: sequitur præterea amorem illum esse gratiam, quia est donum supra naturam; & non esse gratiam, quia est naturæ debitus vi suæ creationis. Hanc contradictionem vitare nititur Iansenius cap. 15. 16. 17. & 20. 47.

Iansenij contradictio.

Ac primò respondet cap. 15. & 16. amorem illum sine vlla contradictione dici posse naturalem esse, & supernaturalem. Et quidem esse ac verè dici supernaturalem nemo ambigit, quia naturæ vires excedit. Nam vti beatitudo sempiterna, ita & via ad illam caritas Dei omnes naturæ vires superat, non modò in statu naturæ lapsæ, verùm etiam integræ, vt docet Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. Naturalis verò dici potest ex duplici capite: nimirum ex parte rationis, quia ratio naturali lumine dictat Deum solum super omnia creata esse diligendum, idque naturalissimâ, arctissimâ, vniuersalissimâ, seuerissimâque obligatione: ideóque præceptum diligendi Deum est maximè de lege naturæ. Et ex parte appetitus, quia Deus est finis hominis naturalis, quantumuis eum non nisi per auxilium supernaturale sequi diligendo, vel consequi fruendo possimus. Vt docent Scotus in prolog. q. 1. num. 12. & 25. & D. Thom. in lib. Boëtij de Trinitate quæst. vlt. ad 5. & lib. 3. contra Gentes, cap. 50. 51. & 57. Idémque confirmat Aug. in Sentent. 139. apud Prosperum ex lib. 11. de Ciuit. cap. 17. vbi dicit *non fore vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cuius hoc vitium est, potiùs competeret esse cum Deo:* id est, nisi hoc esset illi naturale modo iam explicato. Et lib. 12. 48.

Primum eius effugium.

de Ciuit. cap. 1. dicit eidem naturæ vitium esse, non adhærere Deo: *Omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* Et lib. 3. de libero arbit. cap. 13. ait, Non posse nos vituperari, quia in Deo non manemus, scilicet diligendo, nisi quia magnum, & summum, & primum nostrum bonum est manere in illo. Et lib. 12. de Ciuit. cap. 1. itémque lib. 22. cap. primo, dicit hoc vitium naturæ rationalis simile esse cæcitati, quæ non esset vitium oculo, nisi oculus de se capax esset videndi, & ad illum finem naturaliter conditus. Additque lib. de vera relig. capite 18. & 19. & lib. 3. de libero arbit. cap. 14. & libro duodecimo de Ciuit. cap. primo, & libro primò contra aduersarium legis, & prophetarum cap. 5. vitium naturæ integritati aduersari, eámque minuere, & contra naturam esse, quia naturæ nocet, *nec noceret, nisi bonum eius minueret. Non est ergo malum, nisi priuatio boni,* naturalis scilicet. Eadémque de causa lib. contra epistolam fundamenti cap. 35. & in Enchirid. capite vndecimo dicit corruptionem *labefacere naturalem statum: & animorum quæcunque sunt vitia, naturalium esse priuationes bonorum.* Et lib. 4. contra Iulian. cap. primo. *Vitia quoque ipsa bonitatis naturalis testimonium perhibere:* ideóque vitium rectè displicere, quia *detrahit, vel minuit quod in natura placet.* Et denique speciatim, & expressè affirmat vitium non adhærendi Deo, esse contra integritatem naturæ, eámque minuere, lib. 3. de lib. arb. cap. 13. 14. & 15.

49. *Altera euasio.* Respondet secundò cap. 17. & 20. non repugnare amorem illum esse gratię beneficium, donúmque supernaturale, & simul esse debitum naturæ innocenti, ita vt non possit à Deo condi sine illo, aut sine viribus ad illum sufficientibus. Nam ipsi etiam Scholastici gratuitæ gratiæ præcipui assertores docent gratiam sufficientem esse debitam creaturæ rationali, etiam in hoc statu naturæ lapsæ; nec ei posse, quamdiu sit libera voluntate, denegari: alioquin impossibilia iubere Deum, & nulla fore peccata, aut nos peccaturos in eo quod vitare non possumus: vt videre est apud Lessium disp. de prædestinat. & reprob. sect. 6. Bellarminum lib. 2. de Gratia, & libero arbit. cap. 7. & 8. Suarem in Breui resolutione de auxiliis num. 39. & lib. 2. de Prædestinat. cap. 2. num. 5. & Vasquem in 1. 2. disp. 193. cap. 4. num. 38. 39. 41. 42. & dispur. 194. cap. 4. num. 36. & disp. 193. c. 3. Sicut ergo Scholastici dicunt gratiam sufficientem esse gratiam absolutè, & nihilominus esse debitam naturæ ordinatæ ad statum supernaturalem cum debito illum procurandi: hoc est, esse gratiam præueniendo voluntatem ordinandi creaturam ad finem supernaturalem, debitum verò illam supponendo, ne alioquin videlicet voluntas illa Dei ratione careat: Sic (inquit Iansenius) dici potest amorem illum, sine quo rationalis creatura condi non potest, esse gratiam præueniendo voluntatem condendi creaturam in tanta dignitate, vt nullâ omnino re nisi solo Deo satiari ac beari possit: quod cùm sine gratia obtineri neque perfectè, neque imperfectè, neque amando, neque fruendo queat; illâ voluntate suppositâ esse debitum, ne voluntas Dei ratione careat.

50. *Quid gratia repugnet recensetur* Addit, gratiæ propriissimè dictæ non repugnare debita quælibet, seu connaturalitates, decentias, & congruentias, & æquitates, quæ oriuntur ex aliis capitibus, quàm iure creaturæ: nihil namque connaturalius innocenti imagini Dei, cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quam gratia. Et quamuis Deus gratiam negans non faceret contra ius iustitiæ, quod sit in creatura: faceret tamen contra sapientiam suam, quam non minùs ac iustitiam præterire non potest. Et denique gratiæ propriissimè dictæ repugnare tantummodo opus creaturæ, cui illa debeatur: iuxta illud Apostoli Rom. 11. vers. 6. *Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Et cap. 4. vers. 4. *Et qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Idémque docet Augustinus epist. 105. & serm. 11. de verbis Apost. cap. 13. & lib. 4. de Trinit. c. 2. & enarrat. in Psal. 67. & lib. 4. contra Iulian. cap. 3. aliisque locis. Huc vsque Iansenius.

51. *Impugnatur prim. effugium* Sed neutrum ex his responsis satisfacit. Non primum: quia nullius momenti sunt duæ rationes, propter quas dicit Iansenius amorem Dei supernaturalem posse dici naturalem, seu connaturalem homini: nimirum, & quia ratio naturali lumine dictat Deum solum super omnia creata esse diligendum, idque naturalissimâ, arctissimâ, vniuersalissimâ, seuerissimâque obligatione: & quia Deus est finis hominis naturalis, & naturalis appetitus fertur in eum amandum, quantumuis eum non nisi per auxilium supernaturale assequi possit. Nã quod ad priorem rationem attinet: ratio naturalis solùm dictat Deum esse amandum ex obligatione modo sibi possibili: adeóque amore tantùm naturali, & minùs perfecto, si natura humana solis suis viribus relinquatur, vt fieret in statu naturæ puræ. Si autem supponatur eius eleuatio ad statum gratiæ, habeatúrque huius eleuationis notitia, & auxiliorum gratiæ ad Deum perfectiùs, & supernaturali modo diligendum; dictat etiam lumen naturale Deum sic esse diligendum, præsertim adiunctâ, & cognitâ obligatione præcepti, quo Deus vult, & præcipit vt sic ametur. Sed non propterea dici potest amor ille esse naturalis: quia non est naturale quidquid cognosci potest actu naturali, vel ad quod extenditur obligatio naturalis faciendi quidquid Deus præcipit, siue per solas naturæ vires, siue per auxilium gratiæ fiat possibile. Quoad posteriorem: si loquitur de appetitu naturali innato, erga Deum supernaturaliter diligendum; supponit falsum. Si de elicito; nihil probat: possumus enim actu naturali appetere vtcunque supernaturalia.

52. *Abutitur testimoniis Scoti & D. Thomæ.* Neque Iansenium iuuant quæ profert cap. 15. ex Scoto, & D. Thoma, vt probet amorem supernaturalem Dei dici posse connaturalem homini. Nam vterque locis ab eo relatis tantùm affirmat hominem naturaliter inclinari in finem vltimum, licèt per gratiam consequendum: & hunc vltimum finem terminare naturalem eius appetitum. Loquitúrque D. Thomas, & similiter Scotus, de appetitu elicito: vt de D. Thoma fatetur Iansenius citato cap. 15. §. *Secundò naturalis dici potest:* & de Scoto liquet ex argumentis quibus responder, & aliis quæ ibidem adiungit. Quare non plus affirmant, quàm posse hominem naturali quodam actu expetere Dei visionem beatificam, suppositâ aliquâ eius cognitione. Ex quo inferre talem visionem esse naturalem, aut naturaliter debitam, valde ineptum est.

est. Multóque magis, inferre amorem Dei supernaturalem, esse aut dici posse verè naturalem. Quod verò idem Scotus ait quæstione citatâ, esse posse potentiam passiuam naturaliter, cui non respondet in ipsa, vel in tota natura principium actiuum naturaliter, duplicem habet sensum, vt manifestè liquet ex verbis ipsis Scoti loco citato, §. *Ad argumenta pro opinione Aristotelis*. Vnus est, quòd detur potentia passiua naturaliter, id est, potentia interna ipsi patienti (iuxta id quod natura ab Aristotele 2. Physic. dicitur esse principium motus, & quietis eius in quo est, &c.) absque eo quòd illi respondeat principium actiuum naturaliter, id est, intrinsecum eidem subiecto, per quod possit agere id quod potest recipere. Alter sensus est, quòd detur aliqua potentia passiua naturaliter (id est, per propriam naturam, & entitatem) alicuius effectus, cui in toto ordine agentium naturalium non respondet principium actiuum, quíque non potest fieri nisi ab aliquo agente supernaturali. Cuiusmodi est potentia obedientialis Angeli, vel animæ rationalis, ad formas supernaturales, quæ potentia est ipsamet natura, seu entitas Angeli, vel animæ, capax à Deo eleuari ad eiusmodi formas, quas tamen non potest habere nisi ab aliquo agente supernaturali. Neuter sensus prodest aduersario ad probandum quod intendit, vt per se manifestum est.

53. *Et D. Augustini.* Nihilo magis eum iuuant quæ refert ex Augustino, eodem cap. 15. Nam quod ait sentent. 139. & lib. 12. de Ciuit. cap. 1. aliísque locis à Iansenio relatis, Non fore vitium recedere à Deo, nisi naturæ potiùs competeret esse cum Deo: & omne vitium naturæ nocere, ac per hoc contra naturam esse: & cuius vituperatur vitium, proculdubio naturam laudari: & vitium non adhærendi Deo esse simile cæcitati, connotanti capacitatem oppositi in eodem subiecto: & vitium naturæ integritati aduersari, eámque minuere, & quæcunque animorum sunt vitia, naturalium esse priuationes bonorum: & vitium rectè displicere, quia detrahit, aut minuit quod in natura placet: & vitium non adhærendi Deo esse contra integritatem naturæ. Hæc, inquam, in hunc sensum intelligenda sunt, quod nisi naturæ rationali conueniens esset & consentaneum esse cum Deo, non foret vitium illi non adhærere: quia non esset naturæ rationali vt tali dissentaneum: & non est vitium morale, ac vituperabile (de quo loquitur Augustinus) nisi quod rectæ rationi, seu naturæ rationali vt tali dissentaneum est: sicut è contrario, non est honestum moraliter, & opus virtutis, nisi id quod rectæ rationi, seu naturæ rationali vt tali consentaneum est. Et quia omne vitium naturæ rationali disconuenit, eámque dehonestat; ideo dicitur ab Augustino contra naturam esse, illíque nocere, & meritò vituperari, & naturam cui inest, esse de se laudabilem, quia congruit illi oppositum, eiúsque de se capax est, sicut oculus est capax videndi, ideóque vitium simile esse cæcitati. Quanquam non est idem modus capacitatis in vtroque, (quod neque Augustinus affirmat) nam oculus est capax videndi solis naturæ viribus: creatura verò rationalis est capax adhærendi Deo, non sine auxilio gratiæ, si loquamur de adhæsione consistente in clara Dei visione, & fruitione beatifica, de qua loquitur Augustinus. Eodémque sensu dicit vitium esse priuationem bonorum naturalium, id est, quorum natura capax est, siue naturali capacitate, siue tantùm obedientiali: & eatenus naturæ integritati aduersari, eámque minuere, id est, priuare aliquo illi congruente: ideóque rectè displicere, quia detrahit, aut minuit quod in natura placet, tanquam illam honestans si adsit: quod specialiter de vitio non adhærendi Deo æquè verum est.

Contra secundum responsum dico primò, Doctores Scholasticos non dicere, neque verum esse, auxilium gratiæ sufficiens ad seruanda præcepta non posse à Deo negari absolutè. Sed tantùm ex suppositione, quòd Deus dederit, & seruari velit præcepta quæ sine tali auxilio seruari nequeant. Quam suppositionem dicunt Deo liberam fuisse. Quare hæc elusio friuola est, & comparatio doctrinæ Iansenij, cum doctrina Theologorum valde inepta: cùm ipse è contrario velit non potuisse Deum abstinere à collatione gratiæ, & ab ordinatione naturæ humanæ in Dei fruitionem, atque à mediis, siue auxiliis ad hoc necessariis, nisi in pœnam peccati. Hunc autem esse sensum Scholasticorum agnoscit ipse Iansenius capite 20. §. *Iam verò*, vbi sic habet: *Iam verò nemini non facile est debitum illud gratiæ cum ratione gratiæ, eodem vt Scholastici solent modo, adaptare. Dicunt enim esse gratiam absolutè; sed debitam naturæ ordinatæ ad finem supernaturalem cum debito illum procurandi. Hoc est, esse gratiam præueniendo voluntatem ordinandi creaturam ad finem supernaturalem; debitum verò, illam supponendo, ne alioqui videlicet voluntas illa Dei ratione careat, &c.* Quæ comparatio ineptissima est: cùm, vt iam dixi, affirment Scholastici ordinationem illam ad finem supernaturalem fuisse indebitam naturæ humanæ, Deóque planè liberam, ita vt potuerit ab illa abstinere: contrà verò contendit Iansenius fuisse planè necessariam, ita vt natura nequiuerit sine illa creari. 54. *Refellitur altera euasio.*

Dico secundò, Iansenium sibi apertè contradicere (vt sæpissimè facit) quando affirmat gratiam non deberi naturæ iure ipso, seu debito naturali illam exigente; neque contra ius illius futurum si Deus eam negaret: sed deberi solùm ex ordine suæ sapientiæ, contra quam Deus non magis facere potest, quàm cõtra iustitiam. Nam si, vt eodem c. 20. insinuat, fusiúsque probat c. 2. & seqq. eiusdem lib. 1. natura humana ex se ordinatur ad Dei visionem, & fruitionem, velut ad finem connaturalem, nihílque est illi connaturalius, vt disertè asserit: non oritur hoc debitum ex sola Dei sapientia, vel aliqua congruitate; sed ex ipso iure naturæ exigentis ab intrinseco hunc finem, & media necessaria. 55. *Altera Iansenij contradictio.*

Dico tertiò, falsum esse quod ait Iansenius, gratiæ propriissimè dictæ tantummodo repugnare opus creaturæ cui illa debeatur: ineptéque ad id probandum adduci Paulum, & Augustinum locis ab eo relatis. Nam in illis affirmant quidem repugnare gratiæ quòd debeatur propter aliquod opus, & non esse gratiam, si reddatur operibus propter quæ debeatur: sed non dicunt hoc solum ei repugnare, esséque verè ac 56. *Quid gratia repugnet?*

S

propriè gratiam quidquid non ita debetur, neque desinere esse ac verè dici propriissimè gratiam, etiamsi naturæ ipsi debeatur, dummodo non præcesserit aliquod opus propter quod illi debita sit. Et quidem si gratię propriissimè sumptæ repugnaret tantùm quòd non debeatur nostris operibus; sequeretur corpus nostrum, & animam, & vtriusque vires naturales vegetandi, sentiendi, appetendi, intelligendi, volendi, liberéque agendi, esse gratiam propriissimè dictam: nullum enim opus feceramus antequam essemus, propter quod nobis hæc deberentur. Quo quid potest dici absurdius? Admittit hanc sequelam Iansenius, abutens ineptissimè quibusdam locis D. Augustini loquentis de gratia impropriè sumpta pro quouis beneficio gratuito. Quo sensu Pelagius non negabat gratiam esse donum creationis, & liberum arbitrium: fraudis idcirco reprehensus ab eodem Augustino aliisque eius impugnatoribus, vt videre est apud eundem epist. 90. & 91. aliisque locis. Qua de re plura dicemus disp. 20. sect. 1. Et hactenus de primo argumento Iansenij, quod fusissimè toto lib. 1. de statu puræ naturæ prosequutus est. Nam quod addit cap. 18. ex concertatione D. Augustini contra Pelagianos liquere quod intendit, recurret inferiùs, & refutabitur sect. seq. Quod verò ait c. 19. de causis cur creatura rationalis condi non posset sine bona voluntate, & sapientia, &c. nihil ferè aliud est, quàm repetitio eorũ quæ huc vsq; refutauimus.

Repugnat etiam illi quod naturæ debeatur.

SECTIO VIII.

Soluuntur alia duo argumenta Iansenij contra statum naturæ puræ.

57. *Secundum argumentum ex adeptione beatitudinis.*

SECVNDVM argumentum principale contra possibilitatem status naturæ puræ, sumptum ex adeptione, & fruitione Dei, tanquam beatifici boni, proponit Iansenius lib. 2. c. 1. & 2. in hunc modum. Creatura rationalis, non solùm recta & bona esse non potest sine dilectione Dei: sed neque beari sine contẽplatione velut comprehensione eiusdem Dei. Est enim anima rationalis naturaliter, hoc ipso quo rationalis, & imago Dei est, tam immensæ capacitatis, vt nullâ re aliâ satietur, & per hoc neque beetur, nisi solâ immensitate Dei: vt docet Augustinus lib. de nat. boni c. 7. & lib. 14. de Trin. c. 8. & lib. 12. de Ciu. c. 1. Est autem impossibile vt vlla creatura quoquo modo fruatur Deo, in quo eius beatitudo sita est, nisi hoc ei per magnam gratiam Deus ipse largiatur: quia omnis omnino vera, & sincera dilectio Dei, etiam vt auctoris naturæ, puræ naturæ vires multùm superat. Impossibile est autem beatam esse creaturam, nisi summum illud bonum diligat, quo beanda est: vt rectè idem S. Doctor affirmat lib. de moribus Ecclesiæ c. 3. & lib. 8. de Ciu. c. 3. & 9. Ideóque nec illa ipsa beatitudo naturalis, quam Philosophi Platonici in contemplatione, & fruitione Dei sitam esse constituebant, (vt testatur Augustinus lib. 10. de Ciu. c. 2. & 11. & ep. 56.) posset homini obtingere sine gratia Dei, vt ipse quoque affirmat lib. 14. de Trin. c. 9. & 19. & lib. 10. de Ciu. c. 29. Si autem beatitudo naturalis creaturæ rationalis in Dei contemplatione sita, non nisi per Dei gratiam, propter infirmitatem humanarum virium comparari potest, vt docet Augustinus, & ipsi etiam Platonici agnouerunt locis proximè relatis: nec alia inferior beatitudo, quæ vera naturæ rationalis beatitudo sit, dari queat: manifestum profectò est naturam rationalem sine Dei gratia non posse condi: ac proinde statum naturæ puræ esse impossibilem.

Respondeo non posse quidem naturam humanam beari sine aliqua contemplatione, & dilectione Dei, in quo vera eius beatitudo consistit. Sed illa contemplatio, & dilectio Dei, illáque beatitudo duplex esse potest. Vna naturalis, quæ cuiusmodi sit, & in quo consistat, explicant Theologi 1. 2. in Tractatu de Beatitudine. Altera est supernaturalis, consistens in clara Dei visione, & fruitione, vt ibidem exponunt. Priorem appetit homo naturali, & innato appetitu. Ad posteriorem habet solùm capacitatem obedientialem: ideóque non illam naturaliter appetit innato appetitu. Appetitu verò elicito, siue actuali desiderio rectè ordinato debet appetere efficaciter illam, ad quam reipsa ordinatus est. Item prior coincidit cum fine vltimo naturali hominis: posterior est idem quod finis eius vltimus supernaturalis. Ad quem cùm Deus purè gratuitâ liberalitate supra naturæ debitum, & exigentiam, supráque naturalem capacitatem homines ordinauerit, vt Scriptura significat pluribus locis, & Concilia generalia, Sanctíque Patres affirmant, quorum testimonia legi possunt apud interpretes D. Thomæ 1. p. q. 12. potuit Deus ab illa ordinatione sibi liberâ abstinere, & ad beatitudinem naturalem duntaxat ordinare homines, eos creando in statu naturæ puræ. In quo statu possent homines cum Dei prouidentia fauorabiliori, qualis statum illum deceret, naturalem illam beatitudinem assequi, non tot impedimentis obnoxij, & difficultatibus, quibus nunc subiacemus propter peccatum originale, vt dicemus inferiùs disput. 14. sect. 1. num. 6. & seqq. & disp. 15. sect. 1. num. 5. & 6. 58.

Beatitudo duplex: naturalis, & supernat.

Neque contrarium bene probat Iansenius, ex eo quòd omnis vera, & sincera dilectio Dei, etiam vt auctoris naturæ, nequit haberi sine auxilio gratiæ: contrarium enim satis patet ex dictis tota sect. 4. vel ipsis etiam Diui Augustini testimoniis quæ ibidem protulimus. Cùm autem idem S. Doctor affirmat naturalem illam beatitudinem, qualem Plato eiúsque discipuli asserebant, non posse obtineri sine Dei gratia; loquitur de hominibus in hoc statu naturæ corruptæ versantibus: quo in statu ne tantam quidem adhæsionem cum Deo assequi possent sine auxilio gratiæ: quantam neque illi philosophi obtineri posse existimabant, sine aliquo speciali Dei beneficio, sed (vt credebant) intra ordinem prouidentiæ naturalis contento: cùm, vt alibi fatetur Iansenius, non cognoscerent ordinationem ad gratiam, & statum prouidentiæ supernaturalis sola fide cognitum. 59.

Naturalis quomodo haberi potest.

Cùm autem eodem cap. 2. declamat Iansenius contra philosophiam Aristotelis, ægerriméque fert, ac seuerissimè reprehendit quòd in scholis Christianis doceatur, & Platonicæ præferatur: non aduertit hunc docendi morem toto orbe Christiano iampridem receptum esse: & D. Augustinum epistola 118. ad Ianuarium ita 60.

Iansenius temere generalem vsum Ecclesiæ reprehendit.

scribere occasione alterius generalis consuetudinis Ecclesiæ: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est.* Neque verò Theologi, Aristotelis doctrinæ assueti, eiúsque sectatores in rebus philosophicis, duos propterea hómines in vno condiderunt, vt perperam ait ibidem aduersarius, vnum philosophum, alterum Christianum: vnum qui cum Pelagianis crederet, speraret, diligeret ex natura; alterum qui ex gratia, &c. Sed naturam, & gratiam in vno eodémque homine distinxerunt; quídve possint naturæ vires per seipsas, quid sine auxilio gratiæ præstare nequeant, subtiliter, & accuratè inuestigarunt, non ex sola ratione naturali, & Philosophiæ subsidio, sed & præcipuè ex Scripturæ, Patrum, & Conciliorum doctrina. Quod cùm Iansenius facere nescit, aut negligit, in Lutheranos, & Caluinianos errores frequenter impingit; & pro vero Augustino Catholicorum Doctorum coryphæo, pseudo-Augustinum Lutheranæ, & Caluinianæ hæreseos recoctorem substituit.

Et philosophiam Aristotelis instatur.

61. *Tertium argumentum, regnum cœlorum deberi naturæ.*

Tertium argumentum est, ipsam quoque claræ visionis beatitudinem, quam Christiani regnum cœlorum appellant, non posse negari creaturæ innocenti sine iniustitia. Qua de causa D. Augustinus frequenter reprehendit Pelagianos, quòd dicerent infantes nasci in statu naturæ puræ, & tamen excludi à regno cœlorum, si morerentur sine baptismo: vt videre est lib. 1. contra Iulianum, cap. 3. & 7. & lib. 6. cap. 4. & lib. 1. ad Bonifac. cap. 22. & lib. 2. c. 2. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 30. & lib. 1. Operis imperfecti, folio 22. aliísque pluribus locis, quæ refert Iansenius toto c. 3. addens c. 4. causam illius rei esse, quia creatura rationalis misera est, si beatitudinem illam, quam naturaliter desiderat, non assequitur: & Deus non potest sine iniustitia facere creaturam miseram, nisi præsupposito illius peccato originali, aut personali: vt probat ibidem ex Augustino serm. 14. de verbis Apostoli cap. 6. & lib. 3. contra Iulianum cap. 3. & lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 10. Eódem pertinet quod dixit lib. 1. c. 18. Augustinum sæpiùs contra Pelagianos contendere, non posse Deum sine iniustitia negare paruulis adoptionem filiorum, si absque peccato nascerentur, vt ipsi affirmabant: neque baptismi Sacramentum, quo in Christi membra transferantur: & frustra eos baptizari, frustra fieri Christianos, si vera est Pelagiana sententia, quòd sine peccato nascerentur: ipsósque Pelagianos hoc in conscientia vidisse, quidquid exteriùs dissimularent: solum denique peccatum esse quod à Deo creaturam rationalem separet: ac proinde statum puræ naturæ, in quo volebant nasci infantes sine peccato, & sine gratia, esse impossibilem.

62. *Visio Dei non debetur naturaliter creaturæ.*

Respondeo primò, Scripturæ, & Conciliis repugnare, quod ait Iansenius, Dei visionem esse connaturaliter debitam creaturæ rationali, illique negari non posse sine Dei iniustitia, nisi præsupposito aliquo eius peccato. Nam Scriptura 1. Timoth. 6. non dicit Deum habitare lucem inaccessibilem peccatoribus duntaxat, sed absolutè pronunciat, *Qui lucem habitat inaccessibilem*, viribus scilicet naturalibus creaturæ, siue Angelicæ, siue humanæ, vt exponit Concilium Viennense definiens contra Beguardos, creaturam intellectualem, humanam, æquè ac Angelicam quæ non peccauit, non esse naturaliter beatam, sed indigere lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Et in Bullis Summorum Pontificum contra Baium, & Iansenium, damnantur hæ duæ propositiones: *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti* (gratiæ & gloriæ, seu vitæ æternæ) *vt homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.* Et, *Quòd piè, & iustè in hac vita mortali vsque ad finem conuersati vitam consequamur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, iusto Dei iudicio, deputandum est.*

Ad idem probandum valent efficaciter alia multa Scripturæ loca: vt quod ait Christus Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare:* itaque illum nosse siue per fidem, siue per claram visionem, non est naturæ, sed reuelationis diuinæ beneficium. Ideóque vates regius non naturæ, sed gratiæ illam tribuit, cùm sic ait Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et Paulus absolutè pronunciat Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Gratia, inquit, absolutè, & propriè, id est, donum supernaturale, vt indicant verba immediatè sequentia, *in Christo Iesu Domino nostro*, id est, gratia per Christum collata. 63. *Probatur ex Scriptura.*

Idem quoque docent, & in eundem sensum exponunt Scripturæ loca iam citata, Gregorius, Nazianzenus, Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Dionysius, & alij, quorum aliquot testimonia videri possunt apud Suarem lib. 2. de Deo c. 8. & 9. & Petauium tom. 1. Dogm. lib. 7. c. 8. Verba Epiphanij hæresi 70. hæc sunt: *Deum videre est impossibile, præsertim natura hominis; neque ei quod aspectabile est, id quod videri omnino non potest, intueri licet. Verùm inuisibilis Deus pro sua benignitate, ac potentia, imbecillitatem vi suâ corroborare dignatus est, vt quod inuisibile est cerneret.* Simili modo Dionysius, cap. 1. de diuinis nominibus, tribuit eleuationi supra naturam quòd beatæ mentes Deum videant, quando ait mentes cælestes *constanter, & immobiliter ad illucentem sibi radium attolli, & congruo permissarum sibi illuminationum amore cum sacra quadam reuerentia, temperanter, & sanctè, quibusdam velut in altum pennis subleuari.* Ibidémque addit, mentes illas vt Deum videant, intelligibilis illuminationis à Deo sibi immissæ participes fieri, *necnon coniunctionis eius, quæ mentem excedit.* 64. *Et ex Patribus.*

Neque contrarium sentit Augustinus: quin potiùs pluribus locis non obscurè docet visionem Dei esse quippiam supernaturale, id est, supra naturæ debitum, etiam innocentis: vt libro primo de Trinit. capite sexto, vbi alludens ad locum Pauli suprà relatum ex 1. Timoth. 6. vers. 16. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest,* sic ait: *videri diuinitas humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur, quo iam qui vident, non homines, sed vltra homines sunt:* id est, sunt in statu naturam humanam excedente. Et libro 12. de Ciuit. capite nono dicit ea, quæ habentur in Scripturis de caritate, & adhæsione cum Deo, quòd sint à Spiritu Sancto, id est, quòd sint supernaturalia dona Dei, non minùs de Angelis vera esse, quàm de hominibus, quibus caritas Dei infunditur per 65. *Speciatimque ex D. Augustino.*

Spiritum Sanctum. Et lib.19.c.25.verbis relatis à Prospero sententia 167. *Sicut*, inquit, *non est à carne, sed supra carnem, quod eam facit viuere: sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beatè viuere: quia vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.* Et tractat. 23. in Ioannem: *Quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, id est corpus, facit viuere: sic eandem animam non facit beatè viuere, nisi quod ipsâ animâ est superius:* Deus scilicet: idque non solùm obiectiuè, quatenus est obiectum nostræ beatitudinis: verùm etiam effectiuè, quatenus vires suppeditat animæ ad id, quod sola, & sine auxilij supernaturalis eleuatione præstare non posset. Nimirum quia, vt idem rectè ait lib. 12. de Ciuit.cap. 1. rationalis anima, & quæuis alia mens creata, *quia creatura est, hoc non ex se potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo à quo creata est.*

66. *Exponuntur loca Augustini obiecta.* Cùm autem reprehendit Pelagianos quòd dicerent infantes nasci sine peccato, & tamen regno cœlorum priuari, affirmátque id non posse sine iniustitia fieri, neque opus illis fore baptismo, vt adoptentur in filios Dei, hæredes regni cœlestis, &c. loquitur suppositâ veritate Catholica à Pelagianis concessa, quòd homines neque iam sint, neque vnquam fuerint in statu puræ naturæ, sed ordinati ad aliqua beneficia gratiæ, æternámque beatitudinem, à qua (vt aliunde constat) non nisi per peccatum mortale excluduntur. *Beati* enim *mundo corde,* (id est, puri à peccato) *quoniam ipsi Deum videbunt:* vt Christus ipse pronunciat Matth.5. Quo supposito, rectè infert Augustinus baptismum non fore paruulis necessarium ad adoptionem, & hæreditatem regni cœlestis obtinendam, si, vt volebant Pelagiani, nullo peccato essent infecti; quia non erat propter quid illâ priuarentur, & non essent cum Deo coniuncti per gratiam hac in vita, & per gloriam in altera, à quo solum peccatum mortale nos separat, vt rectè idé affirmat lib. de Spirit.& lit.cap.25.& lib.2.de peccat.merit.c.18. & 24. & lib: de fide contra Manichæos cap. 44.

67. *Repellitur instantia.* Contrà quàm solutionem malè opponit Iansenius, Augustinum perpetuò petere principium, si ex tali suppositione argumentetur: quia Pelagianorum doctrina erat, Adamum non fuisse creatum in statu supernaturali cum donis gratiæ sanctificantis, &c. sed in eo fuisse statu ante præuaricationem, in quo paruuli nascuntur. Respondeo enim, tametsi negarent Pelagiani Adamum fuisse creatum in statu gratiæ: affirmâsse tamen fuisse ordinatum ad illum statum, & ad Dei visionem, ac fruitionem: quâ, vt ex Scriptura constat, nemo priuatur nisi ob peccatum mortale: ac proinde neque infantes eâ priuari possunt, nisi peccatum originale contraxerint; vt rectè contra illos arguit D. Augustinus. Qui etiam sentire videtur, & supponere, baptismum non esse necessarium nisi peccatoribus: indéque infert non esse necessarium infantibus, si non peccarunt in Adamo. *Quid necessarium ergo*, inquit, *opus habuit infans Christo, si non ægrotat? Si sanus est, quare per eos, qui eum diligunt, medicum quærit? Si quando portantur infantes, dicuntur omnino nullum propaginis habere peccatum, & veniunt ad Christum: quare non eis dicitur in Ecclesia, qui eos portant ad Ecclesiam, Auferte hinc innocentes istos; non est opus sanis medicus, sed male habentibus: Non venit Christus vocare iustos, sed peccatores?*

Serm.10. de verbis Apost. cap.2.

68. *Quo sensu dicat Augustinus non esse cur paruulis negetur baptismus, &c.* Cùm autem ait lib.1.Operis imperfecti, fol.26. 34.& 59.& lib. 2.ad Bonif.c.7. aliísque locis à Iansenio relatis citato c. 18. non posse reddi causam à Pelagianis negantibus peccatum originale, cur è duobus infantibus vnus baptizetur, alius sine baptismo mori sinatur: argumentatur contra illos suppositâ eorum sententiâ, quâ asserebant gratiam, qualemcunque ac quantamcunque admittebant, siue internam, siue externam, non posse sine iniustitia, & sine acceptione personarum vnis concedi, & aliis negari, nisi propter aliquod ipsorum meritum, aut demeritum: vt ostendimus disp. 7. agendo de dogmatibus Pelagianorum circa gratiam. Hunc autem esse sensum D. Augustini liquet ex ipsis verbis ab aduersario relatis ex lib. 1. Operis imperfecti, fol. 34. *Dic, si potes, cur ambos adoptare nolueris, qui certè ambos ad imaginem suam condidit? An ita iustus est, vt non sit omnipotens, si voluit, & non potuit, vbi certè nullus eorum noluit, ne impedimentum potestatis diuinæ referatur ad meritum voluntatis humanæ. Sic certè nulli eorum dicere potest Deus, Volui & noluisti, &c.* Et lib. 2.ad Bonif.c.7. *Redit ad vos frater ille geminus baptizati non baptizatus, & tacitus quærit à vobis, vnde fuerit à fraterna felicitate discretus, cur illâ infelicitate punitus, vt illo in Dei filium adoptato, ipse non acciperet omnibus ætatibus necessarium, sicut fatemini, Sacramentum; si quemadmodum nulla est fortuna, vel fatum, vel apud Deum acceptio personarum, ita nullum est gratiæ sine meritis donum, nullum originale peccatum? Huic prorsus infanti linguam vestram, vocémque submittitis; huic non loquenti quid loquamini non habetis.* Similia sunt quæ refert ex aliis locis suprà indicatis. Quod denique additur in confirmationem eiusdem argumenti, creaturam innocentem non posse priuari beatitudine, quia non potest subiici vlli miseriæ, & misera esset si non esset beata, diluetur paulò pòst, & fusiùs tota sect. 12.

SECTIO IX.

Respondetur duobus aliis argumentis Iansenij, & proponitur tertium.

69. *Refellitur 4. argum.* QVARTVM argumentum Iansenij cap.5.& quatuor sequentibus eiusdem lib. 2. duobus nititur principiis incertis, & falsis: quòd scilicet par foret ignorantia, & concupiscentia in statu puræ naturæ, illi quæ nunc est in statu naturæ lapsæ: quódque nulla possit esse naturalis beatitudo hominis, nisi planè careat errore, & pugna concupiscentiæ, aliísque incommodis, quibus nunc subiacemus, & nisi denique vel sit immortalis, ac de viuendi perpetuitate securus, vel saltem mereatur vt resoluto, & resumpto corpore beatitudo naturalis vt merces illi donetur. Quorum primum refellemus disp. sequenti sect.1. num. 6. & seqq. Posterius æquè falsum est, vt breuiter suprà indicauimus, & fusiùs docent Theologi ad 1. 2. D.Thom.q.5. Quasi verò non sufficiat homini naturaliter spectato, si sit beatus vt homo, id est, fruatur iis bonis externis, & internis, præcipuéque ipsius animæ, quibus rationabiliter contentus esse debeat,

pro statu naturalis suæ conditionis: fruatur, inquam, ad tempus hac in vita; & perpetuò in altera, secúdùm animam quæ immortalis est.

70. *Non negat Augustinus naturalem beatitudinem esse possibilem.* Neque contrarium docet Augustinus locis relatis ab aduersario: quippe qui non loquitur de naturali beatitudine, & statu hominis qui foret in natura pura; sed de præsenti statu, déque perfecta beatitudine, ad quam per Dei gratiam ordinati sumus, & sine qua verè beati esse non possumus, sed manemus obstricti peccato, grauibúsque incómodis, & pœnis illi adiunctis. Quòd enim ille sit sensus Augustini patet ex l. 4. de Trinit. c. 1. verbis à Iansenio relatis c. 5. *Exulauimus ab incōmutabili gaudio: nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, vt non etiam in istis mutabilibus, & temporalibus, æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus: nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus, &c.* Et ex istis ab eodem relatis c. 7. ex lib. 14. de Ciu. c. 25. *Iustus non viuit vt vult, nisi eò peruenerit, vbi mori, falli, offendi, omnino non possit: eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit, neque planè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit.* Et ex istis relatis c. 8. ex ep. 52. *Quanta est vanitas, quanta insania, quantùmque mendacium, hominem mortalem, ærumnosam vitam mutabili spiritu, & carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus subditum, tot corruptionibus obnoxium, in seipso fidere vt beatus sit; quando ne illud quod habet in natura sua dignitate præcipuum, id est, mentem atque rationem, potest vendicare ab erroribus, nisi Deus adsit lux mentium. Abiiciamus itaque, obsecro te, falsorum philosophorum vanitates, & insanias mendaces; quia nec virtus nobis erit, nisi adsit ipse quo iuuemur; nec beatitudo, nisi adsit ipse quo fruamur; & totum mutabile atque corruptibile nostrum, quod per seipsum imbecille, & quædam materies miseriarum est, dono immortalitatis atque incorruptionis absorbeat.*

71. *Quo sensu neget illam esse beatitudinem?* Quod si interdum negare videtur Augustinus solam illam esse beatitudinem, & præter illam non esse posse nisi miseriam: loquitur eo sensu, quod id, quod summum & perfectum est, dicitur solum esse tale; & cetera quæ longè inferiora sunt, præ illo nihil esse. Quo sensu dicitur in Scriptura Deus solus esse, *Nonne tu qui solus es?* Iob. 14. & reliqua entia præ illo nihil esse, *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Isaiæ 40. verùm sicut entia creata participant nihilominus pro suo modulo rationem entis; sic illa beatitudo naturalis, quam possent hómines assequi in statu puræ naturæ, participaret pro suo modulo rationem beatitudinis, proportionatam scilicet homini in tali statu existenti, & volenti quod rationabiliter volendum esset, illúdque obtinenti.

72. *Quintum arg. de impotentia bene agendi, & non peccandi.* Quintum argumentum à Iansenio propositum cap. 10. eiusdem lib. 2. est, quia diuinæ bonitati, & Christianæ pietati contrarium est dicere Deum talem posse instituere creaturam rationalem, quæ nihil omnino libertatis habeat vt faciat vllum bonum opus, sed perpetuò, & in singulis peccandi necessitate teneatur. Sic enim peccatorum turpitudo in Deum refunderetur, & voluntas creaturæ culpæ rea non foret. Atqui in statu naturæ puræ talis esset omnis creatura rationalis. Nam par esset in illo statu impotentia bene faciendi, & peccandi necessitas, quæ est in statu naturæ lapsæ. Sed in statu naturæ lapsæ est impotentia bonum vllum faciendi, & necessitas peccandi semper quando abest gratia. Ergo, &c. Cur autem in statu naturæ lapsæ peccata non sint in Deum referenda, neque creatura rationalis sit excusanda à culpa, non obstante prædictâ impotentiâ bene faciendi, & necessitate peccandi, absque gratia quæ deest illis omnibus, qui abstinent à bono faciendo, quandocunque abstinent, & iis qui malè operantur, quotiescunque peccant, rationem esse dicit, quia hæc impotentia, & necessitas orta est à culpa primi parentis, & in illo fuit nobis voluntaria & imputabilis.

Respondeo, falsò supponi, & nunquam bene probatum fuisse ab aduersario naturam humanam per peccatum Adæ priuatam esse libertate indifferentiæ, & ita premi concupiscentia, vt nullum opus bonum facere, nullum peccatum vitare possit absque auxilio gratiæ. Contrarium enim quoad primam partem de libertate indifferentiæ abundè patet ex dictis tota ferè disp. 3. & 18. iunctis iis quæ dicemus disp. 30. & quinque sequentibus. Posteriorem falsam esse constabit ex dicendis disp. 19. 21. & pluribus sequentibus, vbi etiam præcipuis testimoniis D. Augustini ab eo allatis satisfaciemus. Quare licèt par foret infirmitas naturæ puræ, quæ nunc est naturæ lapsæ, quod falsum esse ostendemus inferiùs disput. 15. sect. 1. numero quinto, non sequeretur eam peccare necessariò. Patet etiam ex dictis alibi, ne nunc quidem in statu naturæ lapsæ peccatum fore imputabile voluntati creatæ, si antecedenti necessitate concupiscentiæ adigeretur ad peccandum, essétque per peccatum Adæ spoliata libertate indifferentiæ: illámque esse manifestè sacræ Scripturæ doctrinam, & concordem sententiam omnium Sanctorum Patrum, sensúmque communem totius humani generis, cui nec ipse Augustinus contradixit, sed pluribus locis disertè expressit ante, & post exortam hæresim Pelagij. 73. *Male supponit vtramque fore in natura pura.* *Vide disp. 3. sect. 4. & disp. 18. & 31.*

Quanquam, vt rectè ait Cardinalis Bellarm. in præfat. libb. de Gratia & libero arbitr. etiamsi B. Augustinus Caluino contrarium sentienti faueret; tamen neminem tam iniquum iudicem esse oporteret, qui vnum hominem, quamuis doctissimum, omnium sæculorum Patribus, & Doctoribus, totique Ecclesiæ, atque adeò orbis terrarum consensui anteferret. Addo, eundem August. lib. 3. de lib. arb. cap. 20. & lib. 1. Retract. c. 9. disertè affirmare, *Quamuis ignorantia, & difficultas* (id est, concupiscentia) *essent hominis primordia naturalia*, id est, essent à natura ipsa, & non ex iusta damnatione descenderent, vt volebant Pelagiani negantes peccatum originale, quemadmodum idem S. Doctor eodem loco dicit; *non sic culpandus, sed laudandus esset.* Falsum ergo est ex sententia D. Augustini, quòd si homo fuisset creatus in statu naturæ puræ cum ignorantia, & concupiscentia, fuissent hominum peccata in Deum refundenda propter impotentiam bene agendi, & necessitatem semper peccandi in omnibus, & singulis actibus, quam in statu illo fore imaginatur. 74.

75. *Arg 6. de concupiscentia; quòd non possit esse à Deo* Sextum argumentum sumptum ex parte concupiscentiæ proponit Iansenius eodem lib. 2. de statu puræ naturæ cap. 11. & pluribus sequentibus. Vbi primò supponit controuersiam inter D. Augustinum, & Pelagianos circa cōcupiscen-

tiam, in eo positam fuisse, quòd isti vellent concupiscentiam esse naturaliter bonam, seu naturale bonum, & à Deo profectam: contrà verò Augustinus assereret concupiscentiam esse malam, & non potuisse à Deo ipso ortum habere, sed ex peccato natam esse: vt patet, inquit, ex lib. 3. contra Iulianum cap. 21. & lib. 4. cap. 12. & lib. 5. c. 7. & lib. 6. cap. 18. aliísque locis quæ refert toto cap. 11. & 12. Tum sequenti cap. 13. argumentatur in hunc modum, iuxta veram Augustini sententiam: impossibile est vt hoc sit naturaliter bonum, & consequenter à Deo profectum, quod pugnat contra spiritum, siue contra rectam rationē. Concupiscentia autem, & motus eius, siue in hoc statu qui naturæ lapsæ est, siue in statu puræ naturæ, qualem Iulianus, & alij Pelagiani istum præsentem statum esse iudicabant, grauissimè pugnat contra spiritum & rationem. Ergo impossibile est ipsam, vel motus eius esse naturaliter bonos, vel à Creatore proficisci: & consequenter status puræ naturæ impossibilis est. Cuius argumenti minorem propositionem notam, & certam esse dicit, tum ex Scriptura Romanorum 7. & Galatarum 5. tum etiam ex propria cuiusque experientia. Maiorem verò tradi ab Augustino lib. 4. contra Iulianum, cap. 2. 13. 14. 15. & lib. 5. cap. 7. 16. & vlt. & lib. 3. cap. 23.

76 *Neque illius motus; quippe mali.* Eandem propositionem confirmat cap. 14. hoc altero argumento, sumpto ex motibus concupiscentiæ: fieri non potest vt desideria peccandi in creatura rationali sint bona, vel licita, sed omnium hominum iudicio turpia & mala. Motus porro concupiscentiæ non sunt aliud quàm quædam desideria peccatorum. Non possunt igitur esse boni, vel liciti creaturæ rationali, sed potiùs mali, & illiciti: quòd si illiciti sunt, & turpes, & mali, non possunt etiam habere auctorem Deum, sicut hoc in pura natura necessarium esset: & consequenter status ille est impossibilis. Vtramque syllogismi huius propositionem haberi ait apud Augustinum lib. 4. contra Iulianum cap. 2. & lib. 6. cap. 15. & 16. & lib. 1. Operis imperfecti fol. 102. Neque respondeas, motus illos, seu praua desideria cohiberi posse. Quia non possunt cohiberi sine auxilio gratiæ, quo careret natura pura, adeóque non posset eos cohibere. Deinde licèt cohibeantur, non desinunt esse per se mali, & turpes: quin potiùs ideò bonum est eos cohibere, quia turpes, & mali sunt: vt rectè ait idem S. Doctor lib. 1. Operis imperfecti fol. 159. & lib. 2. contra Iulian. cap. 5. & lib. 3. cap. 20. & libro 4. cap. 1. 2. 8. & 14. & lib. 5. cap. 7.

77. *Alioqui liceret eos sequi.* Addit tertiò ad idem confirmandum, quòd si concupiscentia ex Dei primæua institutione puram naturam condentis profluxisset, licitum esset quibuslibet eius desideriis consentire, quidquid appetiuerit dare, quodcunque flagitium libuerit perpetrare. Quia impossibile est vt hoc sit malum, quod naturaliter libet. Certa enim regula est, naturam bonam non posse naturaliter declinare in malum. Quin potiùs illa est omnium actionum bonarum norma securissima, naturam nullo adhuc vitio vitiatam, sed ex Dei manibus talem, qualis naturaliter esse debet, prodeuntem sequi. Hoc est enim ipsam Dei artem, & sapientiam naturæ conditricem sequi. Vt probat ex Augustino lib. 3. de libero arbit. cap. 15. & lib. 4. contra Iulian. cap. 14. & 26. & libro 5. cap. 7. & pluribus aliis locis quæ refert toto cap. 15.

Addit quartò sequenti cap. 16. Si in puris naturalibus illa membrorum rebellio ac libidinis fœditas fuisset naturalis, recta ratio, hoc est veritas, dissuasisset matrimonium, & ad perpetuam continentiam incitasset. Recta enim ratio suadet, vt mens rationalis nullo pacto sub libidine deprimatur; sed vt serenitatem eius tuendo, id quod apertè est laudabilius meliúsque sectemur. Continentiam autem esse meliorem, neminem Christianum fides Catholica dubitare sinit. Dissuadere autem connubium rectam rationem in puris naturalibus vehementer absurdum est. Dissuasisset enim opus maximè naturale, & ad illud incitasset quod naturæ propagationi est contrarium: atque ita recta ratio quodammodo cum naturæ conseruatione pugnasset. Item, ex opposito sequeretur morbum concupiscentiæ esse homini naturalem: & matrimonium etiam ante peccatum indigere excusatione, esséque primitus institutum in remedium concupiscentiæ. Nam concupiscentiam esse morbum sæpiùs docet Augustinus ex Apostolo: vt lib. 2. de nupt. cap. 8. & lib. 3. contra Iulianum cap. 15. & 25. & lib. 4. cap. 2. 78. *Et recta ratio matrimonium dissuaderet.*

Addit præterea quintò, idem efficacissimè probari ex pudore illo naturali, qui sequitur concupiscentiam inordinatis motibus æstuantem. Nam, inquit, illa pudendi necessitas propter turpes motus libidinis, seu concupiscentiæ tumultuantis, & rationi voluntatísque dominio resistentis, non minùs esset in illo statu naturæ puræ, si possibilis est, quàm in præsenti statu naturæ lapsæ. Oritur enim ex illa concupiscentiæ rebellione aduersus animum, cui naturaliter pudendum est non posse motus corporis, quod ei naturali ordine seruire debet, imperio suæ voluntatis, siue excitando, siue sedando moderari: quæ rebellio non esset minor in puris naturalibus, sicut Scholastici vltro profitentur. Non igitur minor esset etiam illius inobedientiæ, & indecentiæ verecundia. Iam verò, secundùm Augustinum, impossibile est vt homo à Deo cum illa erubescendi necessitate condatur. Si enim de illis motibus erubuerit, quid illo ingratius, qui de Creatoris sui operibus erubescit? An fortè creatura honestior est Creatore suo, vt quod Creatorem non puduit instituere, hoc creaturam perferre pudeat? Si autem non erubuerit: quid illo impudentius, qui bonus, & innocens non erubescat, quod nunc erubescunt laudabiliter boni & mali? Hæc ille, qui deinceps vtramque partem huius dilemmatis confirmat multis Augustini testimoniis ex lib. 1. ad Bonifac. cap. 16. 17. & lib. de peccat. origin. cap. 34. & serm. 31. de verbis Domini cap. 1. & lib. 2. de nupt. cap. 9. & lib. 3. contra Iulian. cap. 10. & lib. 4. cap. 15. 16. & lib. 5. cap. 2. 79. *Arg. 5. ex pudore concupiscentiæ.*

Atque hinc nasci ait cap. 20. libri cit. duplex aliud argumentum contra possibilitatem status puræ naturæ. Primum, quia impossibile est, vt carnem spiritui repugnare sit ordo naturalis: Caro enim inferioris ordinis est, quàm animus naturali ei lege superior. Ex quo fit vt ordo naturæ concordiam eorum postulet, vt videlicet animo tanquam domino, à corpore 80. *Arg. 6. ex pugna inter carnem, & spiritum.*

naturaliter seruo, sine rebellione pareatur: vt docet Aug. l. 14. de Ciu. c. 23. Secundum, quia impossibile est ordinem naturalem postulare vt animus repugnet sibi, & quidem vt superiori pars inferior non modò repugnet, sed etiam dominetur: vt fieret in statu naturæ puræ, cùm sine gratia, quæ tunc abesset, voluntas sub concupiscentia captiua teneatur, careátque libertate inde euadendi, & assurgendi ad amorem boni. Cùm enim nulla differentia sit inter concupiscentiam naturæ lapsæ, & puræ; eadem esset tyrannis eius in vtroque statu, eadem arbitrij sub eius dominatione captiuitas.

81. *Et ex conflictu Augustini cum Pelag. de traduce peccati orig.* Denique, vt hoc argumentum principale ex concupiscentia rebellante rationi petitum tandem aliquando concludat, addit conflictum Ecclesiæ & Augustini cum Pelagianis inuictè probare eam à Deo puram naturam instituente esse non posse. Cùm enim inter eos esset contentio, quodnam illud sit tam magnum in hominibus etiam sanctificatis malum, quod peccatum iam etiam remissione deletum, in innocentem, si Dei opus spectes, prolem ex parente transfundat: constantissimè docet Augustinus, & per ipsum Ecclesia multis annorum centuriis docuit, hoc non aliud esse nisi concupiscentiam illam carnis, quæ fœdissimas aduersus spiritum pugnas concitat. Id enim totâ mole argumentorum probat in suis contra Pelagianos lucubrationibus: vt videre est lib. 6. contra Iulianum cap. 5. & 8. & lib. 2. de nupt. cap. 5. 21. 22. aliísque locis. Quis autem non videt vniuersum hunc Augustini laborem, & Ecclesiæ per illam doctrinam triumphantis plausum in fumos euanescere, si concupiscentia naturale bonum est, quod Adamo in ipsa eius creatione à Deo insitum fuerit, vt volebant Pelagiani; vel homini in pura natura condito inseri possit, vt volunt Doctores Scholastici. Quare alterutrum necessarium est: vel falsum esse quod aiebant Pelagiani, concupiscentiam in illo statu non fore malam, sed naturaliter bonam, & per hoc nec esse causam vt peccatum parentis in prolem transeat: vel certè hypothesin purorum naturalium ex parte concupiscentiæ spiritui repugnantis esse impossibilem. Eligat lector id quod credibilius esse arbitratur. Huc vsque Iansenius.

SECTIO X.

Soluuntur obiecta de concupiscentia.

82. *Concupiscentia sumitur multipliciter.* Ad cuius primum argumentum respondeo, concupiscentiam sumi dupliciter, vt iam alibi diximus disput. 5. sect. 3. fusiúsque dicemus disput. 17. sect. 2. nimirum pro potentia concupiscendi, & motu siue actu illius potentiæ: & tam potentiam, quàm actum rursus dupliciter accipi. Primò latè, pro potentia vel actu appetendi quodcunque bonum, siue spiritale, siue sensibile & materiale: quo sensu est idem ac voluntas, vel actus volendi. Secundò strictiùs, pro potentia vel actu appetendi bona tantùm sensibilia: & sic est idem ac appetitus sensitiuus, vel actus eiusdem facultatis. *Non omnes illius motus sunt mali.* Tertiò motus illius potentiæ vtrouis modo sumptæ non omnes esse malos, rectæque rationi rebelles; sed aliquos esse bonos, quales illi qui fuerunt in Christo, & in B. Virgine, & illi qui exercebuntur à beatis; qualis etiam in nobis est concupiscentia spiritus aduersus carnem: de qua loquitur Apostolus ad Gal. 5. ver. 16. & 17. & concupiscentia sapientiæ quæ ad regnum perducit, Sap. 6. & concupiscentia iustificationum, seu mandatorum Dei, Psal. 118. ver. 20. & concupiscentia bonorum sensibilium naturæ conuenientium aut necessariorum, & honesto minimè repugnantium. Si ergo sumatur concupiscentia pro potentia appetendi, dubitari non potest quin illa sit naturalis quædam perfectio nobis à Deo insita: cùm, si priori modo sumatur, sit ipsamet voluntas, id est, sit ipsamet anima rationalis, vel naturalis eius proprietas, posteriori autem sit ipsum cópositum ex corpore & anima rationali, aut qualitas ex ipso naturaliter & necessariò profluens. Est, inquam, perfectio naturalis, & bonum naturæ, quatenus est principium bonorum actuum, seu naturæ rationali conuenientium: prout verò potest etiam erumpere in actus malos & turpes, non est perfectio naturalis, sed defectus perfectionis. Quemadmodum quòd intellectus possit ad falsum declinare, & sensus possint deludi circa obiecta sensibilia, defectus perfectionis est in eo quòd sunt capaces falsitatis & deceptionis. Quemadmodum etiam quòd viuamus, perfectio naturalis est: sed quòd mori possumus, est imperfectio huius vitæ mortalis. Sicut tamen absurdum esset existimare vitam, & sensus, & intellectum, non esse naturales perfectiones nobis à Deo concreatas, propterea quòd possunt deficere: ita pariter absurdum esset negare potentiam appetendi esse naturalem perfectionem à Deo datam, eò quòd possit in motus vitiosos & rationi rebelles prorumpere. Qui motus vitiosi non sunt Deo tribuendi velut auctori: cùm neque illos intendat, sed potiùs velit per rationem impediri, neque ad illos concurrat aliter, quàm ad entitatem actus peccati, ad quem solùm præstat concursum generalem ex officio causæ primæ, & prouidentiæ vniuersalis: quem concursum generalem ad omnes actus causarum secundarum admittit Iansenius, & à Pelagianis admissum fuisse contendit libro 5. de hæresi Pelagiana capite 20. & 21.

Potentia concupiscentiæ est naturalis.

Prout ad malum inclinat, est defectus perfectionis.

83. *Idem probatur ex August. & aliis Patribus.* Hoc sensu intelligendus est Augustinus, quando affirmat motus illos concupiscentiæ non esse à Deo, locis à Iansenio relatis cap. 13. Sed non negat concupiscentiam, etiam prout est principium talium motuum, esse per se naturalem homini, non quidem vt bonum aliquod naturæ, sed vt defectum & imperfectionem quandam naturæ, sequentem ex naturali conditione materiæ. Quod ipsum docet expressè lib. 5. contra Iulianum cap. 7. vbi consentit Iuliano in eo quod dicebat concupiscentiam esse naturalem. *Cùm igitur*, inquit, *libidinem & naturalem esse, & vinci posse ambo dicamus: vtrum bonum vincamus, an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio.* Et tum ibi, tum pluribus aliis locis solùm cum illo contendit concupiscentiam istam non esse bonum, id est, perfectionem naturæ, bene illam & conuenienter afficientem. Idémque docet Basilius libro de virginit. vbi sic ait: *Naturalis appetitus ad gulam,*

aut luxuriam, corpus titillat. Et Chrysostom. homil. 19. ad populum Antiochenum, post medium, *Nisi consuetudinem vincamus*, inquit, *quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à natura principium? Concupiscere enim, naturale: at malè concupiscere, iam est voluntatis.*

84. *Mali eius motus sint ne à Deo.* Ad secundum, patet ex proximè dictis motus illos inordinatos & turpes non esse à Deo, nisi vt permittente, & concurrente generaliter ex officio causæ primæ: simili modo quo concurrit ad entitatem actus peccati: ideóque non magis possunt Deo tribui vt auctori, quàm ipsa peccata. Sed neque etiam ea, quæ malè fiunt & culpabiliter, occasione illorum motuum ad peccandum impellentium debent in Deum velut auctorem refundi, vt malè prætendit sæpiúsque affirmat aduersarius. Falsò enim supponit concupiscentiam inferre voluntati necessitatem ad peccandum, quotiescunque abest gratia efficax, per quam illi resistatur: & peccari culpabiliter quandocunque illi non resistitur, quamuis non possit resisti: indéque malè colligit non potuisse hominem cum illa creari in statu puræ naturæ, ne in Deum refundantur peccata, quæ ex illa sequerentur. Nam è contrario, quia non sequerentur, nisi libera voluntate hominis non resistentis, cùm possit resistere, sine qua potentia nemo culpabiliter peccat, vt alibi ostendimus: non in Deum, sed in voluntatem hominis suâ libertate abutentis referri deberent.

85. *Natura bona potest ad malum deficere.* Ad tertium, dico sequelam esse ineptam. Ad cuius probationem respondeo naturam bonam, agendo prout bona est, non posse naturaliter declinare in malum: simili modo quo Christus ait Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere,* quatenus scilicet est bona: *neque arbor mala bonos fructus facere*, quatenus scilicet est mala. Sed euidenter falsum est non posse naturam bonam quæ defectibilis est, cuiusmodi est humana, facere aliquid malum; & licitum esse quidquid libitum illi est. Neque illa quomodocunque est regula actuum humanorum; ita vt eam sequi sit sequi artem & sapientiam Dei eam condentis: seu spectata vt rationalis est, & prout dictat id quod ipsi quâ rationali consentaneum est, seu quod rectæ rationi conuenit, quódque à Deo eius conditore intenditur & approbatur. Et quidem natura primorum parentum, & Angelorum qui peccarunt, bona erat, & à Deo condita, nullóque vitio deprauata antequam peccarent. Quomodo ergo peccatum ab illa prodiit, si à natura bona, & tali à Deo condita, non potest aliquid mali prodire antequam vitio deformetur; & motum eius sequi, est artem diuinam & sapientiam naturæ conditricem sequi? Per hæc explicari debent testimonia Augustini, quæ opponit aduersarius cap. 15.

86. *Recta ratio non dissuadet matrimonium.* Ad quartum respondeo, quamuis defectus ille sit naturalis aliquo sensu, id est. proueniens ex conditione & imperfectione naturæ; non propterea recta ratio dissuaderet matrimonium in statu naturæ puræ, sed dictaret motibus illis modum esse adhibendum in vsu coniugij; sicut nunc etiam adhiberi debet; & quia potest adhiberi, idcirco vsus matrimonij non est illicitus; quod sine errore & Manichæismo negari nequit. Perperam autem affirmat Iansenius ne quidem in natura pura modum illis adhiberi posse sine auxilio gratiæ; parémque fore corruptionem naturæ & impotentiam resistendi, illi quam in hoc statu naturæ lapsæ patimur: vt ostendemus sequenti disputatione sect. 1.

Ad quintum respondeo, in statu puræ naturæ fore quidem reluctantiam partis inferioris contra superiorem (minorem tamen, vt alibi dicemus) propter naturalem illius inclinationem ad sensibilia bona, quæ sæpissimè repugnant honestati; & propter carentiam iustitiæ originalis, quâ pars inferior cohiberetur, & rationi perfectè subiiceretur. Ideóque tunc etiam foret erubescentia, quæ oritur ex tali repugnantia, & inobedientia partis sensitiuæ, siue ex motibus libidinosis contra imperium rationis tumultuantibus. Erubescentia, inquam, non de ipsis operibus Dei, seu membris à Deo formatis, per se, & propter se, sed propter motus illos inordinatos, qui sunt actus eiusmodi membrorum, & non sunt magis opus Dei, quàm entitas actus peccati: cùm Deus solùm ad illos concurrat vt causa prima, ad exigentiam causarum secundarum, velitque, & iubeat vt eos compescamus, & ab illis abstineamus quoad fieri potest. Quare de illis erubescere, non est erga Deum ingratum esse, sed nostrum defectum in eiusmodi motibus regendis, & imperfectionem naturalem agnoscere. Sique plus voluit Diuus Augustinus, vt eius verba præ se ferunt: applicandum est hîc, quod aliàs retulimus de eo dixisse grauissimos, sapientissimósque Theologos, D. Bonauenturam, D. Thomam, Scotum, & plures alios, excessisse illum nonnunquam æstu disputationis; & in odium hæresis, quam impugnabat, interdum ad extrema disputando inclinâsse. 87. *Soluitur argumen. de pudore concupiscentiæ.* *Disput. 12. sect. 5. & disputat. 40. sect. 6.*

Neque satis conuenit hæc eius ratiocinatio cum eo, quod scripsit libro 1. Retract. capite 9. vbi postquam dixit, *Ad miseriam iusta damnationis pertinere ignorantiam, & difficultatem* (id est concupiscentiam) *quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ; nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratia: quam miseriam nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum:* addit immediatè pòst: *Quamuis ignorantia, & difficultas, etiamsi essent primordia hominis naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus: sicut in eodem lib. 3. de libero arbitrio disputauimus.* Nam sicut in eo casu, quo concupiscentia, seu difficultas illa impediendi, aut cohibendi libidinosos motus inordinatos, fuisset naturale primordium hominis cum illa conditi, Deus tamen culpandus non fuisset, quasi aliquid pudendum fecisset: ita neque si hominem in statu naturæ puræ creasset eidem difficultati obnoxium. Plura circa hæc Augustini verba dicemus inferiùs sect. 14. numero 120. & seqq. Adde non esse credibile homines in statu innocentiæ palam & publicè, belluarum more, coniugalem actum exercituros fuisse: & quædam esse alia, propter quæ agenda latebras quærimus, quæ tamen à peccato originali non fluxerunt, & in eodem statu naturæ puræ fuissent necessaria: cuiusmodi est ver. gr. ventrem exonerare, quod sine dubio naturale est homini, etiam non peccanti. Neque propterea de illo actu erubescere, 88. *Quid de illo senserit Augustinus.*

est erga Deum ingratum esse: aut eum, quasi pudendum quidpiam fecerit, reprehendere.

89. Addde præterea, ne in Conciliis quidem generalibus omnia argumenta definitionibus præuia, vel subiuncta, haberi pro certis & irrefragabilibus. Quantò igitur minùs argumenta omnia vnius priuati Doctoris, magni licèt nominis, contra hæreticos, vel alios disputantis, & quidquid suæ causæ fauere putat, vndequaque producentis. Certè D. ipse Augustinus non tantam sibi fidem haberi vult, cùm de se ipso ita scribit libro de Dono Perseuerant. capite 21. *Quamuis neminem velim sic amplecti omnia mea, vt me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit.* Et alibi non semel petit ab aliis moneri, & corrigi, si quid minùs rectè dixerit: vultque à lectoribus sua examinari, sicut ipse aliorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum dicta expendit: de quibus generaliter sic pronunciat in epist. 19. ad Hieronymum: *Ego solis eis Scripturarum libris, qui canonici iam appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam &c. Alios autem ita lego, vt quantàlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Neque Augustinum excipiebat Hieronymus, quando scribens ad Theophilum aduersus Ioannem Hierosolymitanum, sic aiebat: *Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: illos semper vera dicere; istos in quibusdam, vt homines aberrare.*

Non omnia argumenta Patrũ sunt infallibilia.

90. Ad sextum & septimum respondeo non esse ordinem naturalem, id est, naturæ rationali consentaneum, vt pars inferior pugnet & rebellet contra superiorem: multóque minùs vt ei dominetur: sed huiusmodi pugnam oriri ex imperfectione naturæ, & defectum quendam illius esse, vt paulò antè diximus: dominatum verò, quando contingit, oriri ex vitio & defectu voluntatis illi succumbentis, & minùs efficaciter vtentis iure & potestate quam habet cohibendi motus appetitus inferioris, aut saltem non illis consentiendi: quam potestatem haberet in natura pura per peccatum minimè corrupta, & nunc etiam in hoc statu naturæ lapsæ habet interdũ sine auxilio gratiæ propriè dictæ, quando motus illi non sunt adeo vehementes & importuni. Neque enim verum est quod affirmat aduersarius, nullam fore potestatem illis resistendi in statu naturæ puræ, nullámque libertatem indifferentiæ fugiendi malum, & assurgendi ad bonum, emergendique ex captiuitate concupiscentiæ: sicut nunc, inquit, absente gratiâ mera est necessitas succumbendi motibus eius ad peccandum inducentibus, nulláque libertas indifferentiæ, quippe amissa per peccatum Adæ. Quod vtrumque falsum esse ostendemus disp. sequenti sect. 1. & tota disput. 18. & 19. quò malo lectorem remittere, quàm multoties idem repetere.

Vnde oriatur pugna, & dominatus concupiscentiæ.

91. Quod denique ait cap. 22. de conflictu inter Augustinum & Pelagianos circa veram causam traductionis peccati originalis, quam ex mente D. Augustini vult esse concupiscentiam, refutabitur inferiùs disput. 15. sect. 3. & tribus sequentibus: ibidémque exponemus testimonia, quibus hoc etiam loco abutitur Iansenius post Caluinum, & alios nouatores eiusdem cum illo sententiæ.

SECTIO XI.

Refellitur alterum argumentum contra statum naturæ puræ, sumptum ex parte ignorantiæ.

SEPTIMVM argumentum à Iansenio propositum cap. 22. & vltimo libri 1. sumitur ex parte ignorantiæ inuincibilis iuris naturalis, & sic ab illo formatur: Ignorantia inuincibilis iuris naturalis, ex qua, vt docet S. Augustinus, infinita ab hominibus etiam subinde sanctis peccata proficiscuntur, & cum qua nunc damnata hominis natura nascitur, tam est contraria naturæ rationali, & ita mala; vt quidquid inde nascitur, hominem culpæ reum faciat. Non potest ergo fieri vt homo in illis horrendis tenebris à Deo condatur, antequam eas aliquâ iniquitate promeruerit. Nam alioqui nulla est ratio, cur non ipsi Deo tota illa iniquitas, quæ ex tenebris illis nascitur ac nasci debet, optimo iure transcribatur. Ergo non potuit homo creari in statu puræ naturæ, in quo esset talis ignorantia, quæ tolli nequit nisi per illustrationem gratiæ; sicut non potest vinci concupiscentia, nisi per eius auxilium efficax. 92.

Arg. 7. de ignorantia.

Confirmatur ex Augustino sæpius affirmante contra Manichæos, & Pelagianos, ignorantiam non esse comitem ipsius naturæ, sed pœnam peccati: vt videre est lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. & libro 1. de Peccat. merit. cap. 36. & alioquin non fuisse causam cur Adam sine illa crearetur. *Si natura est hominis* (inquit eodem cap. 36.) *sic incipere, & non iam vitiosa est ista natura: cur non talis creatus est Adam? Cur ille capax præcepti, & valens vxori & omnibus animalibus nomina imponere?* Et sequenti cap. 37. dicit hanc differentiam inter Adamum, eiúsque posteros, ex peccato nasci. *Huic* (inquit) *propositioni respondemus, Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, non est creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato nati sumus in carne peccati.* 93.

Sitne comes naturæ?

Confirmatur 2. quia eadem est causa cur idem S. Doctor lib. 2. de Peccat. merit. cap. 49. non solùm concupiscentiam, sed etiam ignorantiam paruulorum à Christo longè submoueat, quia sine peccato præcedente in creatura rationali esse non potest: *Quam planè ignorantiam* (paruulorum) *nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.* Ex qua doctrina sumit Iansenius nouum argumentum contra puræ naturæ statum. Christus enim (inquit) naturam humanam in puris naturalibus assumere potuit. Horret autem animus cogitare quòd rebellionem contra spiritum, pronitatem peccandi, peccandi desideria, difficultatem operis boni, pudoris necessitatem, profundámque illam ignorantiam assumere potuerit. Cùm ergo Christus 94.

Cur in Christo non fuit?

plagas illas assumere non potuerit cum illis pudendis effectibus, signum euidens est eas non se humanæ conditioni naturales.

95. *Error & insipientia sunt fructus peccati orig.* Confirmatur 3. quia error, & insipientia, qui sunt fructus ignorantiæ, & mala quædam naturæ disconuenientia, non possunt esse nisi pœnæ peccati. Vt enim ait Augustinus in Enchirid. cap. 19. *Ipse per se ipsum error, aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget, approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Et libro quinto contra Iulianum cap. 4. *Quis* (inquit) *non quotidie probet, testibus rebus humanis, paruulum priùs nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, & postea si ad sapientiæ sortem pertinet, recta sapere; atque ita ab infantia ad sapientiam per insipientiam mediam peruenire? Quapropter humana natura quæ tacet in paruulis, cui laudibus vestris Saluatorem tanquam sana sit inuidetis, quemadmodum priùs proferat insipientiæ quàm sapientiæ fructus videtis, & radicis eius vitium videre non vultis; aut videtis, quod peius est, & negatis* peccatum scilicet originale, cuius pœnam esse vult ignorantiam paruulorum, illiúsque fructus, errorem & insipientiam: vt disertiùs affirmat ibidem, cùm addit: *Vnde potuerunt in tantum malum ruere, si diuino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ?* Et libro tertio de libero arbitrio capite 18. *Pœnam esse nemo ambigit: pœnam esse quis dubitet? Quia de omnipotentia Dei, & iustitia, dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Relinquitur ergo, vt hæc iusta pœna de damnatione hominis veniat. Nam sunt reuerâ omni peccanti animæ duo illa pœnalia, ignorantia & difficultas.* Hæc Iansenius.

96. *Ignorantia inuinc. excusat à peccato.* Ad quæ respondeo primò, malè supponi ab aduersario, quæcunque fiunt inordinatè ex ignorantia inuincibili iuris naturalis, esse peccata propriè dicta, id est, culpabilia. Contrarium enim patebit ex dicendis disp. 16. sect. 1. & tribus sequentibus, vbi ostendemus, quamcunque ignorantiam totalem, & inuincibilem, siue iuris naturalis, siue positiui, aut etiam facti, excusare à peccato. Quare licèt homo crearetur in statu puræ naturæ cum ignorantia sibi connaturali, æquè ac cum naturali concupiscentia; non sequeretur eum peccare, agendo ignoranter aliquid contra ius naturale; & huiusmodi peccatum debere ipsi Deo, vt auctori adscribi: sicut non peccat per motus indeliberatos, ortos ex concupiscentia, iuri licèt naturali oppositos.

97. *Ignorantia est defectus naturæ.* Deinde ad primam confirmationem dico, ignorantiam esse per se defectum connaturalem homini, cuius intellectus pendet à sensuum cognitione, & spiritualia non intelligit nisi valde imperfectè, & analogicè ad modum sensibilium; rerúmque essentias, & veras rationes, seu speculatiuas, seu practicas, sine magno labore & studio, aut disciplina non assequitur, paucis exceptis naturali lumine per se notis, aut sensibus obuiis; atque in multis caligat, & deficit, propter exiguitatem, & imperfectionem luminis naturalis. Quare quod ait Augustinus, ignorantiam paruulorum esse pœnam peccati, intelligendum est, vt verum sit, de præsenti statu naturæ lapsæ, in quo propter peccatum originale carent paruuli illâ etiam cognitione ætati suæ proportionatâ, quam habuissent in statu innocentiæ; & brutis animantibus quodammodo deteriores, nesciunt vbi sint, quid sint, à quo creati, & à quibus geniti: neque matres ipsas agnoscunt, & nisi operâ nutrientis admotis labiis papillæ vberis ingerantur, nec vbi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quàm sugere: cùm tamen vel ipsi pulli minutissimi animalium & currant, & matres agnoscant, nec sugendis vberibus curâ & ope admoueantur alienâ, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita, mirabili facilitate nouerint: vt ait idem S. Doctor lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 36. & 38. Intelligendum etiam est de difficultate, quam cùm adolescunt, & deinceps, experiuntur in assequenda cognitione speculatiua & practica rerum etiam illarum, quæ suo statui & conditioni conueniunt: quæ difficultas & indocilitas tanta in quibusdam est, vt vix à pecoribus differre videantur, vt idem affirmat lib. 5. contra Iulianum cap. 4. quam etiam fatemur esse pœnam peccati originalis: nam in statu innocentiæ magna fuisset scientiam assequendi facilitas, vt diximus disput. 5. sect. 4. num. 35. Quod si plus asseruit interdum Augustinus, applicandum hîc erit quod paulò antè diximus num. 87. Cum hac autem ignorantia & difficultate non fuit creatus Adam: tum quia *Cur Adam sine illa creatus?* nullum in eo peccatum præcesserat propter quod illi subiiceretur, & priuaretur generali Dei beneficio, parato omnibus eius posteris, si ipse non peccasset: tum etiam quia constitutus à Deo fuit ipso initio suæ creationis rector & gubernator totius vniuersi: ideóque fuit creandus in ætate adulta, & instruendus scientiâ ad hoc munus necessariâ.

Ad secundam respondeo, Christum similiter non fuisse illi defectui obnoxium: tum quia 98. *Et in Christo non fuit.* nullum in ipso erat peccatum, nec esse poterat, propter quod tali defectui subiiceretur: tum, & multò magis, quia indecens erat dignitati Verbi incarnati, & officio regis hominum & Angelorum, & rectoris ac mediatoris nostræ salutis, & iudicis supremi omnium, quam dignitatem & officium ab ipso principio suæ conceptionis accepit; indecens, inquam, illi erat similem esse nobis in ignorantia, æquè ac in peccato. Nec verum est assumi potuisse à persona diuina naturam humanam, etiam puram, cum omnibus defectibus ei connaturalibus.

Ad tertiam dico, errorem quidem & insipientiam esse naturæ dissentanea, atque etiam 99. *Quomodo error, & insipientia sunt pœnæ peccati orig.* esse reipsâ pœnam peccati originalis, amisso propter illud statu innocentiæ, in quo non solùm magna fuisset facilitas scientiam & sapientiam comparandi, vt paulò antè dixi, & fusiùs exposui citata disp. 5. sect. 4. verùm etiã, vt probabilius est, fuissent omnes Adæ posteri confirmati in gratia, si ipse non peccasset, & deinceps specialiori Dei prouidentia ab omni errore & insipientia, æquè ac à peccato, præseruati. Qua de re videri possunt Scotus in 2. distinct. 20. quæst. 1. Gabriel & Maior ibidem, Suarez libro quinto de Opere sex dierum capite nono numero primo & secundo, Martinonus Tom. 1. disputat. 45. sect. 3. numero 48. Eidémque sententiæ fauent Anselmus libro 1.

Cur Deus homo, capite 18. post medium, & Gregorius libro 4. Moral. cap. 26. aliique à Suare relati.

SECTIO XII.

Diluuntur alia argumenta contra puræ naturæ statum, ex miseriis corporis desumpta.

100. *Iansenius grauiter carpit Theologos.* OCTAVVM argumentum sumptum ex miseriis corporis fusè explicatur à Iansenio libro tertio de statu puræ naturæ. Vbi capite 1. grauiter inuehitur in aliquos Theologos, qui (vt ait) non solùm affirmant Deum posse non punire peccata, verùm etiam absolutâ suâ potentiâ efficere posse vt homo iustus nunquam beetur, nec fruatur æternâ gloriâ; & peccator non puniatur æterno supplicio, quin imò ei detur æterna beatitudo: & (quod, inquit, omnem horrorem superat) Deum sine iniustitia posse hominem voluntate suâ æternis cruciatibus mancipare: posse homini peccatori sine iniustitia quodcunque malum inferre, vel vltra meritum culpæ vel sine culpa: Deum, quidlibet de nobis statuat, iure facere suo, etiam si perdat, damnet, in nihilum redigat: Denique si Deus beatos omnes, nullo excepto, aut ad æternas deiiceret pœnas, aut redigeret in nihilum, nullam eis iniuriam faceret: propterea quòd dominium absolutum habet, supremus omnium Dominus est, auctor est vitæ & mortis.

101. *Deus non potest non punire peccata.* Tum capite secundo, probat Deum non posse peccata impunita relinquere: quia hoc repugnat ipsius iustitiæ, vt docet Augustinus libro 8. de Genesi ad lit. capite 14. & Concione in Psalm. 41. 44. 58. & 80. & libro de duodecim chordis capite octauo, aliisque locis, quibus affirmat esse iniquum, esse iniustum, esse impossibile non punire peccatum; Deum fore iniustum nisi puniret; & peccatum non esse peccatum nisi puniretur. Idque non solùm quia Deus suâ voluntate punire constituit; sed ex ipsa legis æternæ sanctione, quæ lex est Deus ipse, & contra quam Deus non magis quàm contra seipsum facere potest. Hæc enim lex nihil inordinatum fieri permittit: & non est aliud, iuxta Augustinum libro 22. contra Faustum capite 27. quàm *ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans:* qui ordo sine dubio per peccatum violatur. Nihil autem ordinatius in vniuerso esse potest, quàm vt violatus ordo restauretur: & pœna est quâ perturbatus ordo restituitur, iuxta illud Augustini libro tertio de libero arbitrio capite nono. *Corruptio voluntaria quæ in peccato fit, turpis affectio est: cui propterea pœnalis adhibetur, vt ordinet eam, vbi talem esse non turpe sit, & decori vniuersitatis congruere cogat, vt peccati dedecus emendet pœna peccati.* Et inferiùs: *Nec fieri vllo modo potest, vt Dei summi & veri perfecta iustitia, quæ vsquequaque pertenditur, deserat etiam ordinandas ruinas peccantium.* Idémque docet libro de naturâ boni capite septimo, & libro 26. contra Faustum capite tertio, & libro tertio de libero arbitrio cap. 7. alibique sæpius.

Addit tertiò, tametsi aliquæ pœnæ differuntur in aliud tempus, atque etiam post hanc vitam: nihilominus peccatum semper esse coniunctum cum aliqua pœna, illo ipso momento quo committitur: imò licèt misericorditer à Deo remittatur, non tamen sine aliqua pœna remitti, quamuis mitiori, quàm delicta merenatur, vt rectè ait Augustinus libro de Continentia capite sexto. Huiusmodi pœnæ sunt horror ac tortura conscientiæ, inquietudo animi, dolor de peccatis & amaritudo mentis, vel è contrario cæcitas, stupor & obstinatio, iactura summi boni: vt docet Augustinus in Psal. 45. & lib. 26. contra Faustum cap. 3. & in Psalmum 55. & libro 1. Confession. cap. 1. & lib. 6. cap. 16. & lib. de continentia capite 6. & lib. 12. de Ciuit. cap. 1. 102. *Pœna semper est comes peccati.*

Hinc sequi ait cap. 4. sicut peccatum sine comite supplicio esse non potest: multò minùs peccatorem manentem in peccato posse esse felicem: ac proinde absurdam esse illorum sententiam, qui dicunt peccatorem manentem in peccato, posse esse beatum. nimirum quia iustitiæ id contrarium est, vt affirmat Augustinus in Psal. 78. & qui hoc putat Deum facit iniustum, vt idem ait in Psal. 60. est etiam contra honestatem, contra pulchritudinem, contra ordinem vniuersi, qui tali difformitate turpatur, vt ait lib. 3. de lib. arbit. cap. 9. tollit prætcrea diuinam prouidentiam & consequenter ipsum Deum, vt ait lib. 83. qq. quæst. 24. & tract. 28. in Ioannem, & in Psal. 72. 103. *Manens in peccato non potest esse beatus.*

Addit cap. 5. multò magis absurdam & horrendam esse opinionem eorum, qui putant omnes beatos pro sola Dei voluntate, citra iniustitiam damnari posse ad æternas pœnas: eo quòd quidlibet de nobis statuat, perdat, damnet, redigat in nihilum, iure hoc faceret suo. Quam sententiam tantopere abhorret Augustinus, vt nihil absurdius, nihil iniustius, nihil crudelius aduersus Deum dici posse existimet, vt videre est de pœna damni seu priuatione visionis Dei in libris contra Iulianum, aliisque locis, quibus contra Pelagianos contendit, Deum fore iniustum, si priuaret regno cœlorum paruulos, sine baptismo decedentes, & peccato originali minimè infectos, vt ipsi asserebant: lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 17. & lib. 3. de peccator. meritis cap. 5. & libro de duabus animabus capite 12. & lib. 12. de Genesi capite 21. & libro de peccat. origin. cap. 20. & lib. 1. operis imperfecti fol. 64. & epist. 105. & serm. 110. de diuers. cap. 4. 104. *Possitne Deus Beatos damnare vel annihilare.*

Denique cap. 6. & pluribus sequentibus propiùs accedens ad scopum sibi propositum, contendit non potuisse naturam humanam affligi miseriis corporis, quibus nunc affligimur, quibúsve in statu puræ naturæ affligeremur, antequam peccatum id promeruerit: adeóque non potuisse hominem creari in puris naturalibus, obnoxium morti, & morbis, laboribus, doloribus, aliisq; vitæ huius incommodis. Quod tam certum esse dicit in doctrinâ Augustini, vt eo nitatur tota illius disputatio aduersus Manichæos, & Pelagianos, tanquam basi capitali, & præcipuâ: quæ si subtrahitur, doctrinam quam aduersus illas pestes tradidit, tueri ab ineptiis, absurditatibus, paralogismis, apertissimísque falsitatibus impossibile sit. 105. *Possitne homo sine peccato subiici naturæ miseriis?*

106. *Quid hac de re sentiat Augustinus?* Sed quæ ad hoc probandum adducit ex Augustino, vel affirmant duntaxat miserias, & calamitates, quas nunc patimur, pœnas esse peccati originalis, & sine illo futuras non fuisse: quia Deus primum hominem ab illis immunem creauerat, cum iure transmittendi eandem immunitatem ad posteros, si non peccasset. Vel loquuntur de miseriis & calamitatibus, quæ non sint defectus naturales ex ipsa hominis natura consequentes, sed sint præternaturales, quas affirmant non posse iustè sine peccato infligi. Vel si quid amplius asseruit voluitque Deum ne ipsos quidem naturales defectus corporis permittere potuisse sine peccato præuio, vt pluribus locis affirmare videtur: hic rursus applicandum erit, quod paulò antè diximus obseruatum fuisse à grauibus, & antiquis Theologis, quorum verba retulimus suprà disput. 12. sect. 5. numero 34. & inferiùs plura referemus disputat. 40. sect. 6. excessisse videlicet feruore disputationis abreptum, & odio hæresis Pelagianæ ad contrarium extremum declinasse. Neque hac in parte doctrinam eius approbauit Ecclesia, vt patet ex cit. disputat. 12. sect. 6. cuius etiam contrarium tenent communiter Theologi, vt fatetur aduersarius. Loquor autem de miseriis, quæ sunt purè naturales defectus: non de omnibus vitæ præsentis incommodis in hoc statu naturæ lapsæ contingentibus, quorum multa sunt præternaturalia, nec nisi propter peccatum à Deo inflicta, aut permissa: quæque nec infligeret ipse, neque tot accidere permitteret in statu puræ naturæ, quandiu illa à peccato abstineret.

107. *Quædam repugnant ex parte sapientiæ &c. quæ non repugnant ex parte potentiæ absolutæ.* Ad illud verò quod primo loco proposuit, respondeo Theologos varia distinguere in Deo attributa, vt etiam Scriptura, & Sancti Patres distinguunt: potentiam, iustitiam, sapientiam, bonitatem seu benignitatem misericordiam, fidelitatem, dominium &c. affirmaréque nonnulla repugnare ex parte vnius attributi, quæ non repugnant ex parte alterius: & quidquid posset fieri, si vnum ex illis spectaretur absolutè, non posse tamen fieri ratione alterius cum illo coniuncti. Atque ita verbi gratia quicunque inter illos rectè sentiunt, dicunt non repugnare ratione potentiæ absolutè consideratæ, Deum non punire peccata, nunquam beare iustos, nec damnare peccatores, quinimò illis dare æternam beatitudinem, non quidem simul manente peccato (implicat enim esse peccatum cum æterna beatitudine, id est, cum remotione omnium malorum, & omnium bonorum aggregatione) sed illo remisso, & misericorditer condonato. At non affirmant hæc non repugnare aliunde, nimirum ex parte sapientiæ, & prouidentiæ bene ordinatæ, quòd Deus peccata omnino impunita sinat; aut non repugnare ex parte fidelitatis, & ordinis prouidentiæ à se constituti, quòd iustos nunquam perducat ad æternam beatitudinem, vel peccatoribus in peccato mortali decedentibus non irroget pœnam æternæ damnationis, vel etiam det illis æternam beatitudinem. Qui autem dicunt Deum sine iniustitia posse hominem voluntate suâ æternis cruciatibus mancipare; posse homini sine iniustitia quodcumque malum inferre &c. & iure facere suo quidquid de nobis statuat, & denique nullam Beatis iniuriam facturum, etiamsi omnes in nihilum redigeret, vel ad pœnas æternas, id est, cruciatus æternos amandaret: hoc ideo dicunt, partim quia putant nullam esse iustitiam propriè dictam inter Deum & creaturas, vt neque inter patrem & filium, vel dominum & seruum: partim etiam quia loquuntur spectando duntaxat supremum & absolutum Dei dominium supra res omnes creatas, non habitâ ratione sapientiæ, bonitatis, fidelitatis, & aliorum attributorum, ratione quorum id fieri non potest: ideóque simpliciter loquendo est impossibile à Deo fieri, quia Deus non potest quidquam agere contra suam sapientiam, bonitatem, fidelitatem, aliáque attributa, quibus eius potentia in agendo quodammodo subordinatur & regitur.

Ad secundum: Non negant Theologi supradicti id quod ait Augustinus, repugnare ex parte iustitiæ Dei, vt peccata omnino sine vlla pœna relinquat: imò etiam ex parte prouidentiæ, & bonæ gubernationis vniuersi, ad quam pertinet, vt pœnarum metu libidinem peccandi coërceat, malósque supplicio, bonos præmio conuenienti afficiat: idque etiam legem æternam exigere, quæ omnia vult esse ordinata in regimine vniuersi, præcipuéque in iis, quæ ad bonos mores, æternámque salutem pertinent. Et licèt peccatum non desineret esse id quod est, quamuis non puniretur à Deo: impossibile tamen est Deum permittere, vt sint peccata, & nullas de illis pœnas exigere; quia non potest contra iustitiam, rectúmque ordinem prouidentiæ quidquam agere. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi Deus semper debeat, & erga omnes peccatores, ac circa omnia peccata seueritatem iustitiæ exercere: quod certè minimè facit, sed propter Christi merita, per Sacramenta vel aliter nobis applicata, misericordiam suam in peccatis remittendis, eorúmque pœnis relaxandis plurimùm exercet. Non est quoque sic intelligendum, quasi peccata damnatorum quæ post hanc vitam committunt, debeat punire sicut ea quæ hac in vita commiserunt. Nam potiùs conueniens est constitui certum terminum merendi bene vel malè: alioqui pœnæ damnatorum crescerent intensiuè in infinitum, quod est impossibile: at damnati iam sunt in illo termino. Alia quoque est ratio eorum qui sunt in via ad assequendam beatitudinem bene viuendo, vel incurrendam æternam miseriam malè agendo; qui præmij spe ad bonum excitandi, & metu pœnæ à malo deterrendi sunt: alia eorum, qui extra viam positi, & in statu beatitudinis vel damnationis constituti iam sunt. 108. *Possitne Deus non punire peccata?*

Ad tertium, & quartum: non negant etiam Theologi, pœnas ibi recensitas, esse peccato actuali seu personali (de quo loquitur Augustinus) statim adiunctas. Falsum verò est quòd dicant peccatorem in peccato manentem posse esse fœlicem, seu frui verâ & æterna beatitudine. Nullus enim eorum est, qui non certò affirmet, statum peccati siue actualis, siue habitualis, & siue originalis, siue personalis, repugnare incompatibiliter veræ & æternæ beatitudini, quæ (vt suprà dixi) est omnium malorum remotio, & omnium bonorum ad satiandum appetitum necessariorum complexio. 109. *Status peccati repugnat beatitudini.*

Sed

Sed tantùm affirmant non repugnare, saltem ex parte potentiæ Dei absolutæ, vt peccatori, etiamsi in statu peccati decesserit, illud gratis condonet, & loco æterni supplicij quod ille promeruerat, donet æternam beatitudinem. Nullus etiam eorum est, qui dicat peccatores in peccato manentes esse verè felices in hoc mundo, id est, temporali illâ felicitate, quantam & qualem hac in vita possumus assequi: de quo genere felicitatis loquitur Augustinus aliquot locis, à Iansenio allegatis, & ad æternam beatitudinem malè detortis.

110. *Quo sensu possit Deus quidlibet in creaturas?* Ad quintum: Patet ex dictis num. 107. quo sensu dicant aliqui Theologi, omnes beatos pro sola Dei voluntate citra iniustitiam damnari posse ad pœnas æternas, id est, æternis cruciatibus addici; qui in hoc casu non essent propriè pœna, quæ ad culpam respectum habet necessarium. Nimirum quia putant nullam esse iustitiam verè & propriè dictam, seu commutatiuam, seu distributiuam, siue etiam vindicatiuam, inter Deum & creaturas: ideóque Deus id agendo nihil faceret contra iustitiam, siue ius veræ iustitiæ quod in illis existat. Loquuntur etiam spectato solùm dominio Dei absoluto, & non ordinato per attributum sapientiæ, & bonitatis, ac fidelitatis diuinæ. Eodémque sensu dicunt, (si rectè loquuntur & sentiunt) Deum, quidlibet de nobis statuat, perdat, damnet, in nihilum redigat, iure hoc facere suo, id est, pro suo absoluto & supremo dominio, & pro potestate, quam habet in res à se creatas, absolutè considerata. Cui sententiæ sic explicatæ neutra ex parte repugnat Augustinus locis à Iansenio relatis citato capite quinto.

111. *Vltimum argum de morte.* Nonum & vltimum argumentum sumitur ex Scriptura, quæ specialiter affirmat mortem non esse à Deo, sed à peccato: ac proinde non esse ex pura hominis natura. *Deus mortem non fecit.* Sapient. 1. ver. 13. idémque dicitur de concupiscentia Iacob. 1. vers. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Quæ oppositio non esset bona, si concupiscentia esset à Deo. Atqui si mors & concupiscentia sunt homini naturales, Deus qui est auctor naturæ, erit etiam mortis auctor, & concupiscentiæ, & affectuum, seu motuum, qui ex illa sequuntur naturaliter: veréque dici poterit fecisse mortem, & tentare, accenderéque voluntatem ad bona sensibilia per concupiscentiam rationi repugnantem.

112. *Quo sensu Deus mortem non fecit.* Respondeo, verè dici Deum non fecisse mortem, quia vt additur capite sequenti ver. 23. *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidiâ autem Diaboli mors intrauit in orbem terrarum:* id est, cùm Deus hominem immortalitatis beneficio donasset, si à peccato, vt facillimè poterat, abstinuisset; ipsiúsque intentio esset, vt non peccaret, & semper viueret: mors contra ipsius intentionem ex hominis peccato, & inuidiâ diaboli inducta est, illo gratuito beneficio in pœnam peccati subtracto. Similíque modo rebellio concupiscentiæ per peccatum inducta fuit. Quanquam est alia ratio, propter quam Deus non dicatur tentare nos per illam, tentatione seductionis: quia non est eius intentio inducere nos ad peccandum, sed potiùs vt viriliter resistamus: ad quod gratiam necessariam suppeditat. Loquitur autem Iacobus de tentatione seductionis, quando ait Deum neminem tentare: non autem de tentatione probationis ad experimentum virtutis: de qua Genes. 22. ver. 1. dicitur Deus tentasse Abraham, ei præcipiens vt filium immolaret: & Sapient. 3. ver. 5. dicitur Deus tentasse iustos, & inuenisse illos dignos se.

SECTIO XIII.

Referuntur quæ respondet aduersarius argumento ex verbis Augustini desumpto.

Qvatvor sibi argumenta contra suam sententiam opponit, & soluere conatur Iansenius eodem lib. 3. de statu puræ naturæ cap. 16. & sex consequẽtibus: quorum primum sumitur ex his Augustini verbis Conc. 1. in Psal. 70. *Multum mouet*, inquit, *Dei amor, & timor. Timor Dei, quia iustus est; amor, quia misericors est. Quis enim diceret quid fecisti, si damnaret iustum? Quanta ergo misericordia eius vt iustificet iniustum?* Quibus verbis Augustinus significat nihil Deo responderi posse, si damnaret etiam iustum. Ergo multò minùs, si hominem in statu naturæ puræ cum miseriis mortalitatis conderet. Secundum petitur ex lib. 3. de libero arbit. cap. 24. vbi dicit Deum fore laudabilem, *quamuis ignorantia veri, & difficultas recti* (id est concupiscentia) *esset naturalis homini.* Idémque intelligit de morte, & aliis corporis miseriis: vt patet ex cap. 23. Neque sententiam istam suam in libris Retractationum reuocauit: sed potiùs confirmauit; quando loquens de iisdem miseriis, quas Pelagiani nolebant ex iusta damnatione (ob peccatum originale) descendere, sic ait: *Quamuis ignorantia, & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem lib. 3.* (de lib. arbit.) *disputauimus.* Ergo sine Dei iniustitia, secundùm Augustinum, possent ignorantia & concupiscentia, quæ durissima mala sunt, multóque magis ceteræ mortalitatis miseriæ, esse in statu puræ naturæ primordia hominis naturalia. Tertium petitur ex absoluto Dei dominio super creaturam: ex quo colligunt assertores status naturæ puræ, Deum de hominibus, & Angelis, tanquam de re sua libertimè disponere posse; eóque sine vlla culpa, & iniustitia malis afficere, affligere, cruciare, damnare. Quartum denique sumitur ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. damnante hanc propositionem Michaëlis Baij, *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.* Nunc autem nascitur cum ignorantia, concupiscentia, mortis & omnium earum quas experimur miseriarum, necessitate: ergo ab initio, nullo peccato præcedente, talem Deus creare potuisset. Non igitur hoc repugnat iustitiæ Dei. 113. *Argumenta à Iansenio sibi opposita.*

Sed quod attinet ad postremum argumentum, sufficiũt quæ de illo diximus sect. 3. n. 17. & seqq. vbi demonstrauimus quàm miserabiliter à Ian- 114.

fenio eludatur. Primum & tertium ad nos minimè pertinent: quippe qui illis vsi non sumus ad asserendam possibilitatem status naturæ puræ; sed aliis clarioribus & efficacioribus, minúsque obnoxiis elusioni. Superest ergo secundum: cuius solutio fusè tradita ab aduersario cap. 17. & tribus sequentibus, expendenda nobis incumbit.

115. *Eiusdem responsio.* Summa illius est: Hypothesim Augustini, quâ ponit ignorantiam & concupiscentiam esse primordia hominis naturalia, longissimè differre à statu naturæ puræ. Tum quia D. Augustinus in illa hypothesi supponit peccatum præcessisse, quod ignorantiam, ac difficultatem, totámque corporis mortalitatem promeruerit, atque integritatem primi hominis violauerit: vt patet ex cap. 19. & 20. eiusdem libri tertij de lib. arbit. Supponit enim primum parentem peccâsse, & miserias illas promeruisse sibi & posteris, etiam supposito quòd peccatum illius non communicetur posteris, sed pœna tantùm ad illos extendatur: idque non vt pœna ipsius prolis, quasi peccato infectæ; sed vt incommodum ex peccato solius primi parentis redundans in posteros, ob naturæ corruptionem ab illo causatam. Tum etiam quia hypothesis Augustini, in quâ ignorantia & concupiscentia essent primordia naturalia, id est, non essent pœna peccati ipsorum posterorum, sed miseria naturæ tractæ ex Adamo peccante, supponit Deum dare auxilia gratiæ, quibus ignorantiæ & concupiscentiæ morbo subueniatur: vt patet ex eodem libro tertio cap. 20. & 22. Vtrumque autem repugnat statui naturæ puræ, vt fatentur illius assertores, & liquet ex dictis sect. 1.

116. *Instantia contra responsum suprà datum.* Quia verò instari potest, hoc saltem colligi ex verbis Augustini suprà relatis, quòd ignorantia, & difficultas, aliæque miseriæ illis adiunctæ, possint esse homini naturales, nullo in anima prolis, quæ illo iugo premitur, præcedente peccato; & consequenter falsum esse quod dixit Iansenius, pudorem non posse esse naturalem, eò quòd hominem sui puderet auctoris: quódque dixit, ignorantiam ac libidinem non posse à Deo concreari, eò quòd sint mala peccandi desideria, quæ libertatem boni operis tollant, peccandi necessitatem, & consentiendi licentiam affetant: & quod denique dixit non posse sine iniustitia creaturam rationalem tot miseriis premi absque peccato. Si enim naturalis ponatur esse ignorantia, difficultas, ac mortalitas, animâ pœnam parentis, non peccatum subeunte: profectò iam pœnam, hoc est, pœnales afflictiones sine afflicti culpa cernimus: atque ita ruit fundamentum, quo tota eius

Solutio Iansenij. doctrina nititur. Respondet primò, quod ad pudorem attinet, fore vt in eo casu prolem puderet, non de eo quod Deus creauit, sed de vitio parentis, quo natura corrupta fuit. Secundò, quod attinet ad ignorantiam, & concupiscentiam, respondet instantiam de illis propositam tunc inexcusabiliter locum habere, quando sic sunt naturales, vt homo melior quàm factus sit esse non possit; hoc est, quando illi deest adiutorium gratiæ, per quam solam & vnicam vitiis istis naturalibus homo & resistere & mederi potest. Deesset autem in statu naturæ puræ: quippe cuius puritas excludit admixtionem gratiæ: ideóque ex illa hypothesi admissa ab Augustino, non sequitur statum naturæ puræ esse possibilem: nam Augustinus clarè asserit, & supponit non defuturum in tali hypothesi auxilium gratiæ, quo ignorantia, & concupiscentia vinci posset: vt patet ex lib. 3. de lib. arbit. capite 19. & 20. additque fore alioqui vt non peccaret, sed inculpabilis, imò etiam bonus esset, qui concupiscentiæ obsequeretur: quia *bonum est quod naturaliter libet: nec potest natura, quæ bona est, desiderare quod malum est:* vt ait Augustinus libro quinto contra Iulianum, capite septimo. Tertiò denique, quod attinet ad afflictiones & miserias, respondet Iansenius instantiam sibi propositam intelligi posse vel de adultis, vel de paruulis. Et de adultis affirmat posse sine Dei iniustitia talibus molestiis affligi, licèt nullius culpæ, ac ne quidem originalis reos; ad promouendam propriam eorum vtilitatem: magnos enim & vtilissimos fructus talium perpessio miseriarum parit: siue vt exerceantur in iustitia: siue vt profectum suum agnoscant in dilectione iustitiæ: siue denique vt per malorum tolerantiam maioris gloriæ præmium consequantur. De paruulis autem aliquid simile docuisse Augustinum libro illo 3. de lib. arbit. cap. 24. posse nimirum in supradicta hypothesi subiici vitæ præsentis incommodis, propter maioris alicuius boni compensationem, quam Deus illis reseruet. Nam vt ait epist. 28. ad Hieronymum, *Firmamentum eius quod ibi dixi* (lib. & cap. cit.) *illud est: Quis autem nouit quid paruulis in secreto iudiciorum suorum bonæ compensationis reseruet Deus? Quoniam quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid, ista* mala *perpessi sunt.* Sed huius fundamenti debilitatem ibidem agnouisse: & somniando magis, ac quoquo modo se contra Manichæos iuuare satagendo dixisse, *Quis nouit quid paruulis reseruet?* &c. licèt enim paruulis, si martyrium patiantur, aut si baptizentur, Deus vitam æternam tribuat: ignotum tamen est, & planè fictitium, quòd Deus aliquid siue illis, siue aliis quicquam retribuat pro communibus naturæ incommodis, & infantiæ miseriis. Qua de causa D. Augustinus nusquam alibi deinceps talis compensationis meminit, sed doctior factus & senior sententiam hac in parte mutauit.

Addit Iansenius: ei quod proximè dixit non esse contraria verba illa capitis noni libri primi Retractationum: (quem librum senex & morti vicinus exarauit) *Quamuis ignorantia, & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset: sicut in eodem libro tertio* (de libero arbitrio) *disputauimus.* Non enim illa verba significant Deum iustum fore, si paruuli tanta mala sine peccato paterentur: sed significant Deum, etiam illo casu posito, in peccatis creaturæ suæ culpari non posse, sed adhuc meritò debere laudari. Hoc enim dixerat in libris de libero arbitrio disputans contra Manichæos, vt ostenderet peccata hominum non posse in Deum refundi, quocunque modo censeatur anima corpori aduenire: id est, siue anima prolis ex anima primi parentis propagetur; siue in corpore iam corrupto noua creetur; siue antè creata ad il- 117. *Occurritur alteri instantiæ.*

lud mittatur à Deo; siue denique eò sponte labatur: vt apertè docet in epist. citata ad Hieronymum, & libro de dono perseuerantiæ capite 11. & 12. & eodem libro 1. Retractat. capite nono, non autem ad ostendendum Deum non fore iniustum, si paruulos grauissimo miseriarum vitæ præsentis iugo premeret sine vllo eorum peccati merito: quod esse falsum & impossibile docuit in libris contra Pelagianos: adeóque hypothesin illam esse falsam & impossibilem, quâ veluti argumento ad hominem contra Manichæos vsus erat. Nam Pelagianos frequenter vrget, & fateri cogit ex miseriis paruulorum, Deum esse iniustum, vel dari peccatum originale, propter quod illis subiaceant. Huc vsque Iansenius.

SECTIO XIV.

Ostenditur prædictum responsum non satisfacere.

118. *Iansenij inconstantia.* SED vt ab hoc postremo incipiam: satis mirari nequeo inconstantiam aduersarij, in eo quòd pro libitu suo, modò irrefragabilem Doctorem Augustinum esse vult, atque in ipso baptismo altissimam Theologiam sibi diuinitus inspiratam accepisse affirmat: modò vacillantem, somniantem, errantem quædam scripsisse dicit: & seniorem, iámque aduersus Pelagianos scribentem, correxisse quæ iunior scripserat, disputans contra Manichæos. Cuiusmodi vult esse istud de miseriis paruulorum: quod tamen nunquam sanctus ille Doctor retractauit, sed in extrema senectute confirmauit libro primo Retractat. capite nono, vt ostendemus paulò pòst. Item, ferre non potest aliquos Doctores Scholasticos, minùs (vt ipse ait) reuerenter, imò insolenter de Augustino locutos esse, cùm aliqua eius argumenta non tanti faciunt, aut aliquibus eius sententiis ad normam veritatis expensis contradicunt: speciatímque grauiter carpit Ludouicum Molinam, eò quòd in Concordia ad quæstionem vicesimam-tertiam, articulo quarto & quinto, disputatione prima, membro sexto & vltimo, scripserit Diuum Augustinum obscuriùs quædam tractâsse, & veluti caligine obuolutâ reliquisse: & si ea quæ eo tempore magis innotuerunt de modo conciliandi præscientiam Dei, gratiæque auxilia cum nostra libertate, fuissent tunc ab illo explanata; fortè neque Pelagiana hæresis esset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes, cum diuina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione, certationibúsque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianósque defecissent; faciléque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quorum in epistolis Prosperi & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ.

Vide librum procemialem cap. 14.

Ibidem cap. 16.

119. Quasi verò modestiùs, & reuerentiùs loquatur ipsemet, cùm ait Augustinum somniando scripsisse libro tertio de libero arbitrio capite vicesimo-quarto, Deum non esse culpandum, sed laudandum, licèt ignorantia, & concupiscentia non essent peccati supplicia, sed naturæ primordia; intelligendo etiam de paruulis: quia eorum miseriæ maioribus bonis à Deo fortè compensantur: *Quis enim nouit quid paruulis in secreto iudiciorum suorum bonæ compensationis reseruet Deus?* Et hæc dixisse, *vt quoquo modo* (per fas & nefas, verum aut falsum) *contra Manichæos se iuuare satageret.* Egregiam sanè laudem magni & sinceri Doctoris contra hæreticos disputantis, & Catholicam veritatem hoc modo propugnantis! Quasi verò etiam non sæpius ipse affirmet doctrinam Diui Augustini esse profundissimam: glorietúrque se duorum & viginti annorum labore assiduo & indefesso, diligentíque attentione, & antecedentium ac consequentium comparatione, eam velut in fundo putei latentem, & abditam, Theologísque incognitam eruisse, & in lucem apertam eduxisse. Et certè, nisi obscurior illa fuisset; neque tunc temporis tot extitissent inter Catholicos magni nominis de illa controuersiæ: neque etiam nunc existerent inter Theologos: ac neque etiam hæretici tot illius testimoniis tam apparenter errores suos confirmarent.

Euidenter autem falsum est quod asserit, Diuum Augustinum iam seniorem, & exortâ hæresi Pelagianâ scribentem, retractâsse quod scripserat Presbyter libro tertio de libero arbitrio capite vicesimo, disputans contra Manichæos: Deum non fore culpandum, sed laudandum, licèt ignorantia & concupiscentia essent concreatæ paruulis, in ea hypothesi quòd non essent infecti peccato originali. Nusquam enim id correxit, & falsum esse asseruit Augustinus: sed è contrario approbauit, & confirmauit libro primo Retractat. capite nono. Nam quod ait Iansenius, Augustinum hoc loco dicere se eatenus tantùm hoc dictum approbare, quatenus valebat & sufficiebat ad refellendos Manichæos, volentes Deum fore culpandum propter peccata hominum, si illa procederent à libero arbitrio, & non à malo principio, maláque animâ ex illo deriuatâ, velut illius particulâ: non autem ad affirmandum Deum non fore iniustum, licèt paruulos sine peccati merito, id est, culpæ originalis minimè reos, talibus miseriis sibi concreatis, obnoxios faceret. Falsum, inquam, euidenter istud est; cùm Diuus Augustinus citato capite nono libri primi Retractationum absolutè affirmet & approbet Deum non fore culpandum, sed laudandum, licèt ignorantia & concupiscentia, aliæque miseriæ illis concrearentur in prædicta hypothesi. At hoc absolutè affirmare non potuit, si tunc existimabat (vt vult Iansenius) Deum in eo casu fore iniustum, licèt peccata hominum non essent ipsi, sed libero arbitrio tribuenda. Quamuis enim ex isto capite Deus non esset culpandus, quasi auctor vel particeps peccati hominum: euidenter tamen culpandus esset ex alio capite, si in eo casu esset iniustus: & sine falsitate dici non potuit, Deum non fore culpandum, sed laudandum, si ignorantia & concupiscentia non essent peccati supplicia, sed

120. *Imponit Augustino.*

naturæ primordia, non sine iniustitia illis à Deo concreata.

121. Ad priorem verò partem Ianſenianæ elusionis, Dico ipsum non satis attendisse, aut potiùs dissimulare se aduertisse, quo fine vtantur verbis Augustini relatis Theologi, qui ex illis bene ratiocinantur. Non enim illa proferunt eo fine, vt probent Diuum Augustinum ibi loquutum esse de statu naturæ puræ: cùm ex ipso textu contrarium satis apertè liqueat: sed vt ostendant argumenta, quibus Ianſenius impugnat possibilitatem illius status, quibúsve Diuus Augustinus videtur illam impugnare, non esse efficacia, posséque ex illis eiusdem sancti Doctoris testimoniis infirmari. Quod ita esse demonstrari potest per tria illa capita à Ianſenio proposita. Nam primò quod attinet ad pudorem, quem de motibus concupiscentiæ & libidinis concipimus; illo non vacarent homines in eo casu, quo, vt supponit Augustinus, subessent æquè ac nunc iisdem motibus, licèt culpam primi parentis non contraxissent, sed corruptioni naturæ per peccatum illius inductæ tantùm subessent. Falsúmque est quod respondet Ianſenius, fore vt tunc puderet homines non de huiusmodi motibus, sed de peccato primi parentis. Nam cùm non essent tunc minùs inordinati per se, & turpes moraliter, rectæque rationi difformes: non minùs essent digni pudore, quàm nunc sint: pudorémque meritò afferrent illis etiam, qui non cogitarent de peccato primi parentis, imò prorsus nescirent ipsum peccasse, sicut nunc maxima pars hominum hoc ignorat, imò etiam nescit dari peccatum originale: hoc enim non norunt infideles, quos tamen pudet rationabiliter huiusmodi motuum. Quare similiter in statu naturæ puræ, à quo licèt abesset peccatum, non abessent huiusmodi motus, possent homines pudorem de illis concipere, tanquam rationi naturali repugnantibus, eiúsque fræno compescendis.

122. *In statu natura pura possent homines fieri meliores.* Deinde quod attinet ad ignorantiam & concupiscentiam: si verum est, vt fatetur Ianſenius, potuisse hominibus concreari, licèt innocentibus, dummodo possent ipsi fieri meliores quàm fuerint creati: non repugnat ex eo capite posse dari statum naturæ puræ. Nam in illo quoque possent homines fieri meliores, acquirendo multiplicem notitiam de rebus naturalibus, & virtutes naturales, exercendo bona opera naturalia, & resistendo motibus concupiscentiæ, cum auxilio Dei connaturaliter debito illi statui, & prouidentiâ illi conueniente. Falsò enim supponit Ianſenius nullum opus moraliter bonum fieri posse sine gratia, nullámque tentationem vinci, nulli motui concupiscentiæ inordinato sine illa resisti posse. Cuius oppositum ostendemus inferiùs disputatione decima-nona, sectione tertia, & sequentibus, vbi ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, ipsóque Diuo Augustino demonstrabimus etiam nunc aliqua huiusmodi fieri posse sine auxilio gratiæ: quódque in contrarium dicere viderur Augustinus, ab ipsomet explicari de operibus quæ valeant ad vitam æternam consequendam: quæ sola etiam vocat antonomasticè opera bona, & opera virtutum. Si autem in hoc statu naturæ lapsæ possunt illa fieri sine gratia: multo magis in statu naturæ puræ, in quo nec tanta esset difficultas bene operandi, non adeò vigente & impediente concupiscentiâ; nec tanta esset ad peccandum propensio, & morum corruptio ex parentibus tracta: & Dei prouidentia, debita illi statui, fauorabilior esset: neque dæmones permitterentur tantopere sæuire in homines, ipsis non subditos per peccatum originale, neque tot tantorúmque peccatorum actualium reos, vt sunt in præsenti statu. Qua de re plura dicemus disputatione decima-quarta, sectione prima, numero sexto, & sequentibus, & disputatione decima-quinta, sectione prima, numero quinto, vbi hæc omnia confirmabimus, & ostendemus malè supponi à Ianſenio, posse nunc homines in hoc statu naturæ lapsæ, quidquid possent in illo: maléque id colligi ex eo quòd eædem sunt nunc vires naturales, quæ essent in statu naturæ puræ. Quia licèt sint eædem substantialiter vires intellectus, & voluntatis: sunt tamen nunc magis impeditæ, siue ab intrinseco per concupiscentiam magis accensam, & malos habitus acquisitos; siue ab extrinseco per maiorem impugnationem dæmonum, & peiora aliorum exempla, pluráque ad malum incitamenta, minorémque Dei prouidentiam dæmoni plus permittentis, & minùs auxiliantis intra ordinem naturalem, propter peccatum originale & alia actualia, vt fusè dicemus loco posteriùs citato.

Quod denique spectat ad miserias corporis: si possunt adulti subiici illis sine proprio peccati merito, propter maius aliquod bonum, quo à Deo compensentur; vt fatetur Ianſenius, & doctrinam Augustini esse tradit: possent quoque in statu puræ naturæ illis esse obnoxij propter eandem rationem. Nam vt dicemus locis suprà citatis, possent homines in illo statu cum auxilio naturali, & prouidentiâ illius status propriâ, assequi per patientiam, aliáque virtutum naturalium opera moraliter bona, naturalem beatitudinem: atque ita non repugnat ex eo capite statum naturæ puræ esse possibilem respectu adultorum, quasi non possint sine peccati merito subiici illis miseriis. Sed neque etiam repugnat respectu paruulorum: quippe in quibus etiam compensarentur naturali beatitudine, quam in statu separationis assequerentur eorum animæ, nullo peccato infectæ, propter quod priuandæ essent fauorabili Dei prouidentia ad illam assequendam iuuante, ad eámque perducente. Præterquàm quòd ætas illa infantilis per se tendit ad adultam, cuius præcipuè habenda est ratio, & quam præcipuè spectat ordo diuinæ prouidentiæ: ideóque non debet immunis esse à miseriis, quæ illi proderunt ad maius bonum, si ad ætatem adultam perueniat, & per accidens est quòd aliquando non perueniat, impedientibus aliis causis naturalibus, aut liberis, quas Deus non tenetur impedire. 123. *Et esse obnoxij miseriis corporis.*

Adde quòd Diuus Augustinus affirmauit libro tertio de libero arbitrio tam de paruulis, quàm de adultis, Deum sine iniustitia 124.

ex parte sua, & sine peccato ex parte ipsorum, posse illos subiicere communibus vitæ miseriis, ignorantiæ, concupiscentiæ, mortalitati, & aliis: neque in epistola vicesima-octaua ad Hieronymum id retractauit, vt malè affirmat Iansenius: sed tantummodo firmamentum, quo id stabiliuerat, infirmum esse dixit, minúsque sibi placere, si extendatur etiam ad paruulos, qui neque mortem pro Christo patiuntur, vt innocentes martyres ab Herode occisi: neque baptismi lauacro potiuntur: quippe quos cum originali peccato decedentes non excipit vllius maioris boni compensatio, sed æterna damnatio. Quæ sanè ratio locum non haberet in infantibus, in statu puræ naturæ decedentibus, omníque peccato carentibus: nihílque habentibus propter quod, tanquam malum meritum, impediantur ab assequenda naturali beatitudine, & æternæ damnationi subiiciantur. Quòd si Diuus Augustinus in libris contra Pelagianos, adigit eos fateri vel Deum esse iniustum, vel paruulos esse infectos peccato originali, propter quod miseriis huius vitæ afficiantur: id facit æstu quodam disputationis abreptus: non autem quòd hæc veritas fidei tali firmamento egeat, quæ aliunde constat expressis Scripturæ testimoniis, Rom. 5. aliísque locis, quæ proferemus disputat. 15. sect. 3. quæque Pelagiani vera & diuina esse oracula non dubitabant. Et non solùm ante exortum hæresis Pelagianæ, verùm etiam post longam viginti circiter annorum cum illa concertationem, libro primo Retractat. cap. 9. confirmauit quod antea dixerat contra Manichæos, Deum non fore culpandum, (adeóque non fore iniustum) sed laudandum licèt ignorantia, & concupiscentia, aliæque huius vitæ miseriæ non essent peccati supplicia, sed naturæ primordia: vt diximus numero 62.

125. *Iansenius malè detorquet Augustinum.* Nec obest quod Diuus Augustinus eodem loco addit, *Hanc suam disputationem contra Manichæos habendam* (hoc est intelligendam) *esse, qui non accipiunt Scripturas sanctas noui testamenti, in quibus originale peccatum narratur &c. Contra Pelagianos autem hoc defendendum esse, quod vtraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur.* Non enim his verbis affirmat quod vult Iansenius, se refellisse Manichæos *ex hypothesi falsâ & impossibili, sed qua sufficeret ad eorum insanias reuincendas:* Falsâ, inquam, & impossibili, quatenus supponebat ignorantiam & concupiscentiam esse posse, sine Dei culpa & iniustitia, imò cum eius laude, primordia hominis naturalia: sed tantùm ait se noluisse tunc vti contra Manichæos iis Scripturæ testimoniis, quibus docetur dari peccatum originale, & miserias istas animi, & corporis, ab illo proficisci: propterea quòd Manichæi, contra quos tunc disputabat, non admittebant Scripturas illas diuinas; quibus postea contra Pelagianos vsus est ad probandum peccatum originale, quia Pelagiani negantes peccatum originale, non negabant Scripturas illas esse verè diuinas.

126. *Refellitur alia eius instantia.* Non obest etiam quod addit Iansenius ex libro de dono perseuerantiæ, capite vndecimo, & duodecimo, vbi S. Doctor recognoscit loca suprà citata ex libro tertio de libero arbitrio capite vicesimo, & libro primo Retractat. capite nono. Nam similiter ibi solùm affirmat se à quæstione de peccato originali, & quibusdam aliis, quæ longam sermocinationem requirebant, abstinuisse: quia solùm intendebat probare contra Manichæos, Deum non esse culpandum sed laudandum; licèt ignorantia, & concupiscentia, aliaque miseriæ non essent peccati supplicia, sed naturæ primordia: siue reipsa ita sit, siue non sit. *Vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non ita apparebat quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus:* inquit capite vndecimo libri citati. Et capite 12. posteaquam probauit contra Pelagianos, gratiam dari non secundùm merita accipientium, sed secundùm placitum voluntatis Dei: ídque verum esse siue detur peccatum originale, vt docet fides Catholica; siue non detur, vt ipsi volebant; affirmat se eodem modo libro tertio de libero arbitrio probâsse contra Manichæos Deum non esse culpandum, sed laudandum, siue ignorantia & concupiscentia sint peccati supplicia, (de quo ipse minimè dubitabat, sed pro dogmate Catholico habebat) siue essent naturæ primordia, vt perperam hæreticis illis visum est. Verba Diui Augustini hæc sunt: *Sicut autem nunc vt ostenderem gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, secundùm vtrumque sensum hoc defendere malui: & secundùm nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato paruulos dicimus: & secundùm Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum: nec tamen ideo mihi est ambigendum habere paruulos quod eis dimittat, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Ita & in tertio libro de libero arbitrio secundùm vtrumque sensum restiti Manichæis: siue supplicia, siue primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur: & tamen vnum horum teneo.* Quare vtroque loco non negat Augustinus hypothesin, ex qua argumentabatur contra Manichæos, esse possibilem: sed tantùm negat esse reipsa id quod in ea supponitur, ignorantiam & concupiscentiam hominibus inesse ex ipsa naturali conditione, absque peccati originalis merito. 127.

Viderit autem aduersarius quàm bene conueniat quod ait libro secundo de statu puræ naturæ, capite decimo-quarto prope finem, Deum non posse esse auctorem concupiscentiæ: alioquin creando concupiscentiam, quæ est causa omnis mali, *Ipse esset qui creaturam suam aduersus honestatem & veritatem impelleret: ipse qui eam, quantum in se est, in peccandi desideria præcipitaret.* Quàm bene inquam, id conueniat cum eo quod non diffitetur aduersarius affirmari ab Augustino libro 3. de libero arbitrio cap. 24. & confirmari libro 1. Retract. cap. 9. tametsi ignorantia, & concupiscentia non essent peccati supplicia, sed naturæ primordia, ac proinde à Deo concreata, non propterea fore Deum culpandum, quasi peccata hominum essent in Deum referenda. Nam manifestè referri possent, ac deberent in 128. *Augustino contradicit.*

Deum, si, vt ait Iansenius, Deus hoc ipso quod crearet concupiscentiam, creaturam suam aduersus honestatem & veritatem impelleret: & eam, quantum in se est, in peccati desideria præcipitaret.

129. Viderit etiam quomodo cum eiusdem sancti Doctoris sententia cohæreat quod ipse docet lib. 3. de statu naturæ lapsæ pluribus locis, concupiscentiam necessitare ad peccandū, quando abest gratia efficax, quâ vincatur, quæ semper abest quotiescunque peccatur: & nihilominus peccata ex illius necessitate facta ideo nobis imputari, quia concupiscentia, & necessitas illa, orta est ex peccato originali. Ex quo sequitur non fore illa imputanda, si hæc ex peccato originali non esset orta. Quomodo, inquam, hoc bene cohæreat cum eo quod supponit August. libro primo Retract. capite nono, & probauit libro 3. de libero arbitrio, Peccare homines, & iustè puniri à Deo, datâ licèt hypothesi quòd ignorantia & concupiscentia sint naturæ primordia, non peccati supplicia: falli que Manichæos, qui cùm vellent illas esse naturæ primordia, putabant ex eo sequi peccata hominum esse Deo tribuenda, vel admittendas esse duas animas in quolibet homine, bonam à bono principio creatam, alteram malam à malo principio deriuatam.

130. Viderit denique, vtrum consentiat quod ipse docet toto lib. 3. de Gratia Christi Saluatoris, non dari omnibus gratiam sufficientem, qua Dei mandata seruare, & concupiscentiæ resistere, peccatúmque vitare possint; atque ita propter illius defectum peccare necessariò, quotiescunque peccant: quomodo, inquam, id consentiat cum doctrina Augustini, affirmantis, Deum non esse culpandum propter peccata hominum, siue ignorantia & concupiscentia sint peccati supplicia, siue naturæ primordia; quia, inquit eodem libro 3. de lib. arbit. cap. 20. *Anima facultatem habet, vt adiuuante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia excæcante liberetur: quod si agere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tanquam quæ non bene vsa sit ea facultate, quam accepit. Dedit enim ille & facultatem bene operandi in laboriosis, & viam fidei in obliuionis cæcitate*; cuius rei indicium esse mox ait, *quòd anima omnis & quærendum esse concedit, & perseueranter in officiosis laboribus enitendum ad euincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à Creatore implorandam, vt conantem adiuuet, qui vel extrinsecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit*: & denique, vt addit paulò pòst, *Deus etiam in ipsa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, quærendi, & conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus.* Et cap. 22. *Quòd ergo ignorat quid sibi agendum sit, ex eo est, quòd nondum accepit; sed hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit, bene vsa fuerit: accepit autem vt piè & diligenter quærat si volet.*



SECTIO XV.

Refutantur effugia, quibus Censuram Sedis Apostolicæ vitare, & eludere conatur Iansenius.

VNVM ex præcipuis argumentis, quibus sententiam Iansenij de impossibilitate status naturæ puræ impugnauimus sect. 3. sumitur ex Censura Pij V. & Gregorij XIII. quâ pleræque illius propositiones, prorsus eædem sensu, & penè verbis cum doctrina Iansenij, proscriptæ fuerunt. Nimirum ista numero vigesima prima, *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium diuinæ naturæ* (per gratiam sanctificantem) *debita fuit integritati primæ conditionis: ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Et ista numero vigesima sexta, *Integritas prima creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.* Et ista numero quinquagesima secunda, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Et ista numero septuagesima quarta, *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Et denique ista numero septuagesima quinta, *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine iustitia naturali.* 131. *Censura contra Iansenium de natura pura.*

Ex his quinque propositionibus tertiam duntaxat opponit sibi Iansenius cap. vlt. libri 3. de statu naturæ puræ, cuius initio sic ait: Superest obiectio, quæ ex Bulla duorum Pontificum sumitur. Nam ibi damnatur iste articulus, *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.* Nunc autem nascitur cum ignorantia, concupiscentia, mortis & omnium earum, quas experimur, miseriarum necessitate; ergo ab initio nullo peccato præcedente talem Deus creare potuisset. Non igitur hoc repugnat iustitiæ Dei.

Respondet ibidem primò, totam huius argumenti vim ex Apostolicæ Sedis auctoritate peti, quæ Catholicis omnibus tanquam obedientiæ filiis veneranda est. Verùm, sicuti nos verendum illi esse volumus, ne doctrinam supradictam velut Augustini asserendo, in duorum Pontificum decretum impegisse videatur: ita multò magis nobis formidandum esse, ne eam negando, Sedem Apostolicam longè præsentiùs & periculosiùs in nouem Pontificibus lædamus, illi scilicet, à quibus Augustini doctrina contra Pelagianos laudata, commendata, & approbata iam olim fuit: in qua nihil frequentius est, quàm Deum fore iniustum, aut impotentem, si creaturam innocentem conderet subiectam miseriis, quibus nunc subiacet propter peccatum originale. Quod negare nihil est aliud, quàm Pelagianos cineres suscitare rediuiuos, Ecclesiæ victoriam redarguere, tot summos Pontifices temerariæ credulitatis & ignorantiæ condemnare, fidem denique ipsam, Augustini eruditione stabilitam, nouitate concutere. 132. *Prima eius responsio.*

Respondet 2. quia verum vero non est contrarium, nec sibi ipsi sancta Pontificia Romana Sedes; omnino satagendum esse vt ne posteriores à prioribus Pontificibus recessisse videantur. 133. *Secunda responsio.*

Itaque Censuram propositionis quæ obiicitur, necessarium habere interpretationis beneficiū. Si quis enim, quemadmodū sonat, accipiendam velit; profectò peccatorem hominem ab initio Deus creare potuisset: talis enim nunc, nemine Catholico dubitante, nascitur. Quod si peccatum meritò excipitur, quamuis nullo modo hoc sonet propositio: eodem iure pietatis erga Deum excipi debet quidquid sine peccato esse non potest: cuiusmodi sunt concupiscentia, ignorantia iuris naturalis, necessitas moriendi, & aliæ miseriæ corporis & animæ, per originale peccatum inuectæ, quæ creaturæ innocenti non possunt à Deo concreari sine indecentia, imò & sine iniustitia ex parte ipsius Dei.

134. *Tertia responsio, & elusio censuræ.* Sed quia dissimulare non potuit Baium, illius propositionis auctorem, de his miseriis loquutum esse, voluisséque (sicut & ipse vult, acritérque contendit) non potuisse Deum ab initio creare homines illis obnoxios, quales nunc nascimur, atque eam ob causam notatum fuisse censurâ Pontificiâ: respondet tertiò aquam hîc sibi hærere. *Quid ergo, inquit, ad propositionem quam proscripsit Apostolica Sedes? Hæreo, fateor. Sed quid ad doctrinam Augustini clarissimam, constantissimámque, quam toties probauit, & sequitur, sequendámque monuit Apostolica Sedes? Nam si fundamentales illæ contra Pelagium doctrinæ proscribendæ sunt: non inter magistros optimos semper haberi à summis Pontificibus, sed inter ignauissimos haberi debuit; non cunctis venerationi, & amori esse, sed contemptui, &c.* Deinde addit Pontifices illam propositionem damnasse non vt falsam, sed vt pacis perturbatiuam. Multæ quippe doctrinæ, inquit, subinde magis suâ nouitate, quàm falsitate perturbant. Cùm ergo cernerent hanc propositionem, *Deus ab initio talem potuit creare hominem, qualis nunc nascitur,* communi Scholasticorum consensu, certo sensu receptam esse in Scholis; ne contraria lites, offensiones, & scandala generaret, sicut iam ipsâ Bullâ teste generare cœperat; eam tantisper vitandam censuerunt, non tanquam falsam, sed tanquam pacis inimicam. Nunc autem tam apertè à se demonstratum fuisse dicit illam esse D. Augustini sententiam, vt offensionis periculum nullum ampliùs sit. Quòd autem sufficiat dicere damnatam solùm fuisse vt pacis inimicam, probat, quia, cùm Bulla proscribat simul multas Baij propositiones vt hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè: sufficit vnam Censuræ huius partem in hanc propositionem cadere: illam scilicet, quâ dicitur scandalum peperisse, vel pias aures offendisse. Ita denique sartam tectámque tuendam esse dicit recentiorum Præsulum Apostolicæ Sedis auctoritatem, vt ne veterum ac plurium, qui doctrinam Augustini approbarunt, perniciosiùs lædatur auctoritas. Hæc ille.

135. *Refellitur prima responsio.* Contra quæ dico primò, constare ex dictis disp. 12. sect. 6. quænam in doctrina D. Augustini contra Pelagianos approbauerint Cœlestinus I. & alij Pontifices; in quibus neque est dogma de impossibilitate status naturæ puræ, neque vllum aliud eorum, de quibus cum Iansenio nobis controuersia est, vt ibidem ostendimus, & fusiùs totâ disp. 2. Quare licèt illa fuisset Augustini sententia, quam tanto molimine persuadere ille conatur; necessarium non foret illi adhærere, & eam præferre tum aliorum Patrum sententiæ, quos retulimus sect. 3. huius disputationis; tum etiam doctrinæ communissimæ Theologorum (vt ipsemet fatetur) adeóque ipsius Ecclesiæ à quinque sæculis, cuius Antistites, & Concionatores docent id quod in Scholis Theologicis audiuerunt, & reliqui fideles tenent, id quod docentur per Antistites suos, & Concionatores. Prorsus autem ineptum, & absurdum est, quod ait Iansenius, victoriam Ecclesiæ de Pelagianis stare non posse, si admittatur status naturæ puræ esse possibilis; & Catholicam certissimámque veritatem de peccato originali, & necessitate gratiæ, tam instabili fundamento innixam esse.

Dico secundò, planè indignum esse homine Catholico hærere dubium inter definitionem Summorum Pontificum, & auctoritatem vnius priuati Doctoris, qualis est Augustinus: quasi illa eius doctrinæ non modò præferenda non sit, sed ne quidem comparanda. Hoc autem facit Iansenius verbis suprà relatis, quibus satis apertè innuit definitionem Sedis Apostolicæ, non modò præferendam non esse, sed ne quidem conferendam doctrinæ traditæ (vt ipse putat) à D. Augustino. Quâ ratione poterat Caluinus eludere omnes definitiones Concilij Tridentini suis dogmatibus oppositas, quæ non minùs ipse iactat esse doctrinam D. Augustini, ex cuius verbis poterat facilè, si voluisset, confessionem fidei suæ conficere, vt inquit in libro de æterna Dei prædestinatione: & quiuis alius hæreticus poterit simili responso, quascunque alias Sedis Apostolicæ, hoc est, supremi Ecclesiæ tribunalis decisiones contemnere, veluti posthabendas doctrinæ S. Augustini, vel etiam Scripturæ, cui se mordicùs adhærere prætendit. Quare hæc euasio viam aperit omnibus hæresibus, & Summorum Pontificum auctoritati supra modum iniuriosa est: præcipuúmque vnitatis fidei Catholicæ firmamentum subuertere molitur. Certè licèt D. Augustinus in ea sententia fuisset, (quod tamen falsum esse, suprà ostensum fuit) nullus est verè Catholicus, cui non longè potior esse debeat auctoritas Summorum Pontificum Petri Successorum, quibus à Christo promissa fuit infallibilitas in fidei definitionibus; & totius Ecclesiæ, quæ illis adhærere debet; quàm vnius Doctoris, quicunque ille sit. Ac si licuit Augustino dicere libro contra epistolam fundamenti, cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret auctoritas:* potiori iure dicere quisque potest, Augustino non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret auctoritas. Sed falsum est doctrinam illam à D. Augustino traditam esse, vt patet ex sectionibus præcedentibus. Falsum etiam est fuisse ab antiquis Summis Pontificibus Augustini laudatoribus approbatam: cùm nulla fiat illius mentio in capitibus specialiter approbatis à Cœlestino Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, vel in Canonibus Concilij Arausicani, vt vidimus disputatione præcedenti, sect. 6. neque in Mileuitano, aut aliis contra Pelagianos, aut Semipelagianos specialiter celebratis, vel eorum errores damnantibus ex occasione. 136. *Ineptè committit inter se Pontifices, & illorum definitionem postponit Augustino.*

Dico tertiò, non vacare temeritate, quòd 137.

Censuram temerè interpretatur Iansenius priuato suo sensu, & pro arbitrio, applicet partem censuræ leniorem illi damnatæ propositioni, *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur:* & viam aperiat eludendi notam cuiuscunque alterius propositionis per Bullas supradictas reiectæ, & proscriptæ: de qua similiter dici poterit fuisse reprobatam, & prohibitam, non vt falsam, sed vt offensiuam, & pacis perturbatiuam, defectu sufficientis probationis. Quamuis autem summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. non determinauerint quænam illarum propositionum essent hæreticæ, quænam erroneæ, &c. non propterea liberum reliquerunt cuilibet priuato leniorem Censuræ notam applicare pro libito: quod manifestè contra rationem est, & totam ferè vim Bullæ eneruaret.

138. *Sentit Pontifices damnasse propositionem de fide.* Deinde non vacat errore contra fidem dicere, Summos Pontifices damnâsse vt scandalosam, & in Ecclesia non tolerandam, propositionem de fide, & doctrinam fundamentalem contra hæresim Pelagij, qualis est supradicta propositio, iuxta aduersarium capite citato, & illius contradictoriam, quia in Scholis communiter recepta erat, approbasse. Hoc enim est æquiualenter dicere Summos Pontifices, & Ecclesiam errare posse in fide, approbando doctrinam hæreticam, & prohibendo Catholicam. Falsum pariter est, quod ait aduersarius, propositionem illam non fuisse damnatam vt falsam, & erroneam, vel hæreticam, temerariam, aut suspectam; sed tantùm vt offensiuam, & pacis perturbatiuam. *Censura damnat erroris Baium, & Iansenium.* Nam cùm illa sit fundamentum aliarum fere omnium ibi damnatarum, & vt ipse loquitur, sit fundamentalis contra Pelagij hæresim doctrina: si quæ inter illas sunt hæreticæ, & erroneæ, vt multas esse affirmat Censura: certè ista præcipuè, quæ cæterarum basis est. Dici etiam nequit damnatam fuisse tantùm vt offensiuam, & pacis perturbatiuam defectu probationum. Nam & multas eius probationes attulerat Michaël Baius, quibus licèt stricto examine ponderatis coram ipso Summo Pontifice, vt affirmatur in Bulla Pij V. fuit nihilominus ab eo damnata: & plures sine dubio adhibuerunt eius defensores, qui vt dicitur in Bulla Gregorij XIII. & Vrbani VIII. *Articulos in prædicta constitutione Pij V. damnatos, asserere, & pertinaciter defendere perrexerunt, insigni temeritate, & audaciâ, ad totius Ecclesiæ periculum pertinente:* quibus tamen non obstantibus illam iterum damnauit Gregorius XIII. Et denique post illas ipsas, quas tanto numero, tantóque studio, & artificio adhibuit aduersarius, támque, vt ipsi quidem videtur, efficaces & demonstratiuas, eandem Censuram renouauit, & confirmauit Vrbanus VIII. & seruari curat, qui nunc Sedem Apostolicam tenet, Innocentius X. sexdecim Breuibus Apostolicis in eum finem datis, quorum aliqua retulimus disput. 11. sect. vlt. Quare dici non potest damnatam solùm fuisse vt offensiuam, defectu probationum: & ostendit euentus nimiâ sui opinione deceptum fuisse aduersarium, quando de suis probationibus tam bene sensit, vt existimauerit nullum ampliùs esse offensionis, & turbarum periculum.

139. *Repellitur instantia.* Neque obiicias idem dici posse de quacunque alia propositione per Bullam damnatâ: adeóque nullam fore, cui nota *scandalosæ* applicari possit. Respondeo enim primò, non omnes Baij propositiones fuisse, pariter vt istam, confirmatas à Iansenio, qui aliquas earum intactas reliquit. Intelligit autem ipse fuisse hanc scandalosam defectu probationum sufficientiū tunc adhibitarum: quas nunc se tantâ copiâ, & efficaciâ adhibuisse putat, vt nullum deinceps scandali periculum sit: quemadmodum patet ex eius verbis suprà relatis. Respondeo secundò, ex hac obiectione, in maiori rigore, & amplitudine sumptâ, nihil aliud posse inferri, quàm nullam ex Baij propositionibus censurâ *scandalosæ* notatam fuisse defectu probationum: quod non obstat, quo minùs aliquæ ex alio capite, & per seipsas possint esse scandalosæ, quæcunque probatio, aut color illis adhibeatur. Denique quod ait Iansenius, propositionem illam fuisse tantùm ad tempus prohibitam, repugnat apertè verbis Bullæ Pij V. affirmantis se illas omnes propositiones ad perpetuum silentium damnare.

Dico quartò non esse hominis verè Catholici, déque suprema auctoritate, & infallibilitate Sedis Apostolicæ sentientis sicut oportet, committere inter se Summorum Pontificum veterum, & recentium definitiones de rebus fidei, déque hæresum proscriptionibus, velut inter se contrarias: dicerèque ita in illis acceptandis, & explicandis tuendam esse auctoritatem recentiorum Pontificum, vt ne veterum, ac plurium perniciosiùs lædatur auctoritas. 140. *Postponit recentiores Summos Pontifices antiquioribus quoad infallibilitatem.* Quasi in omnibus, & singulis supremæ Sedis rectoribus, & Petri Successoribus, non sit æqualis auctoritas, & eorum vnicuique definienti res fidei non sit promissa diuinitus infallibilitas: liceátque à recentioribus prouocare ad antiquiores, quasi contrarium circa illas statuerint. Omnino autem negari nequit, aut dissimulari, Iansenium verbis à me postremò relatis committere inter se Pontifices nouos, & veteres. Cùm enim velit, & falsò contendat veteres Pontifices approbasse doctrinam manifestè damnatam à Pio V. & Gregorio XIII. post futilem prorsus elusionem à se propositam, dicit aliam solutionem esse quærendam, cui ista non sufficit: sed ita vt meminerit recentiorum Præsulum Romanæ Sedis auctoritatem sic tueri, vt veterum, ac plurium perniciosiùs non lædat: id est, si melior solutio non occurrat, & via eos conciliandi: stet potiùs veterum definitioni à se falsò prætentæ; quidquid sit de istorum Censura: quia perniciosius est lædere illorum, quàm istorum auctoritatem. Certè hæc particula *perniciosiùs*, manifestè significat comparationem inter illos Pontifices, quorum tamen auctoritas in definiendo par esse debet apud omnes Catholicos, & æquè sarta, tectáque tuenda est. Et hactenus de statu naturæ puræ.





DISPVTATIO XIV.

De statu naturæ integræ, & innocentis, seu de gratia primi hominis.

SECTIO I.

Quid sentiant Theologi de statu naturæ integræ?

1. *Quid sit ille status.* Vc vsque diximus de primo statu naturæ humanæ. Iam de tribus aliis, secundùm quos in ordine ad gratiam considerari potest, dicendum superest: quíque non modò possibiles sunt; vt primus ille status naturæ puræ: sed reipsa extiterunt, aut existunt.

Secundus ergo est status naturæ integræ: qui vltra naturales omnes perfectiones, & potentias, atque concursum illis debitum, addit specialem quandam perfectionem, quæ consistit in carentia fomitis, & effrænatæ concupiscentiæ: siue in perfectâ subiectione appetitus sensitiui ad rationalem: ita vt caro non concupiscat aduersus spiritum per motus aliquos vehementes, qui præueniant rationem, aut ei repugnent. Quam perfectionem non esse naturalem, sed supra debitum, & exigentiam naturæ, ideóque statum naturæ integræ diuersum esse à statu naturæ puræ, & in hoc statu potuisse hominem sine naturæ integritate creari, docent communiter Theologi contra Durandum, & Michaëlem Baium, cuius hæc propositio numero 26. damnatur in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ; sed naturalis eius conditio.* Ratio est, quia connaturale est homini, vt constet diuersis partibus substantialibus, diuersisque earum facultatibus; voluntate scilicet, & appetitu sensitiuo; vtque eius cognitio à sensibus incipiat, & appetitus sensitiuus moueatur naturaliter ab obiectis sensu perceptis: nec quicquam illi debetur quod impediat appetitum sensitiuum, ne præueniat vsum rationis, aut ne vehementer accendatur erga bona sensibilia. Quin potiùs ordo naturalis postulat, vt Deus suum concursum generalem illis appetitibus non deneget, suósque motus illos agere sinat. Vnde oritur repugnantia inter appetitum sensitiuum, & rationalem: cùm plerumque vtilia, vel delectabilia, sensui grata, sint honestis opposita.

2. *Non est homini naturalis.* Et sicut ex contrarietate qualitatum, & humorum, quibus homo naturaliter constat, sequitur pugna, corruptio, & interitus: cuius immunitas in primis parentibus non naturæ debitum, sed Dei beneficium erat: mortales enim erant conditione corporis animalis, sed immortales beneficio Conditoris, vt ait D. August. lib. 6. de Genesi ad literam, cap. 25. & in Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. damnatur illa propositio Michaëlis Baij, *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis eius conditio.* Sicut, inquam, ex naturali hominis compositione sequitur naturaliter pugna, & corruptio; & difficultas; atque lassitudo in motu progressiuo naturaliter oritur ex corporis grauitate: sic ex compositione naturali partium, & facultatum tam diuersarum, & ex contrarietate inclinationum naturæ humanæ nudè spectatæ, oritur, naturali quadam necessitate, illa difficultas in operatione virtutis, quæ ex rebellione appetitus inferioris, & ex corporis infirmitate nascitur: quam vulgò vocant concupiscentiam, quámque non esse à Deo specialiter procuratam satis apertè docet Scriptura Iacobi 1. vers. 13. dicens, neminem à Deo tentari, vnumquemque verò tentari à concupiscentia sua abstractum, & illectum. Quæ oppositio non esset bona, si concupiscentia esset specialiter à Deo procurata. Nam tentatio in illum velut in primam eius causam refunderetur. Idem etiam docent S. Thomas 1. p. quæst. 95. art. 1. & lib. 4. contra Gentes cap. 52. & Augustinus libro 13. de Ciuit. cap. 13. & lib. 11. de Gen. cap. 31. & lib. 4. in Iulian. cap. vltimo, aliique Patres.

3. *Argumenta contraria.* Obiicies primò: Natura pura includit omnia connaturalia. Ergo est integra naturaliter. Ergo status naturæ puræ non differt à statu naturæ integræ. Secundò, Sine prædicta integritate non potest homo totam legem naturalem seruare, & naturalem suam beatitudinem assequi. Ergo non potest connaturaliter sine illâ creari: Tum quia naturæ debetur illa integritas, quæ ad finem, & ad actus sibi connaturales necessaria est: Tum etiam, quia alioqui peccandi necessitas, quæ ex tali defectu oritur, in Deum ipsum naturæ auctorem refunderetur, quod est absurdum.

4. *Natura pura quomodo est integra?* Ad primum respondeo, licèt natura pura, constans omnibus partibus, & facultatibus, ac perfectionibus sibi debitis, absque vllo defectu, integra dici possit vno sensu, id est, non imperfecta priuatiuè, neque diminuta per carentiam perfectionis naturaliter debitæ: non tamen alio sensu, de quo hîc sermo est. Quia natura humana est adhuc imperfecta negatiuè, carens ordine perfecto, & concordiâ potentiarum, & appetituum, cuius natura illa est capax, licèt ei non sit debita. Atque ita est veluti diuisa in suis naturalibus affectibus ad diuersa tendentibus, dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: id est, dum pars rationalis, & inferior appetitus inuicem aduersantur. Ex quo etiam fit, vt natura sic diuisa, sæpè deficiat in operando, quasi manca ad rectè ambulandum in suis motibus. Cúmque in suis propriis facultatibus internam pacem, & concordiam recipit, quasi integrari censetur, & vniri, atque ita perfici, vt conuenienter in suis motibus progredi possit. Ideóque vox illa, *status naturæ integræ*, visa est Theologis accommodata ad illam perfectionem significandam, & à priori statu naturæ puræ distinguendam. Ita Suares prolegom. 4. cap. 2. post Caietanum, Conradum, Medinam, ad initium quæstionis 109. & Dominic. Sot. lib. 1. de gratia, cap. 5.

5. Ad secundum respondent aliqui, hominem quamuis destitutum naturæ integritate, aliis-

Possitne legem naturalem seruare? que donis gratuitis, posse physicè seruare totam legem naturalem, quam seruare tenetur. Posse, inquam, physicè: alioquin non obligaretur, neque peccaret non seruando, defectu libertatis, quæ est potentia ad opposita: Non posse tamen moraliter, ita vt longo tempore reipsâ in nullo deficiat, vincátque omnes difficultates, quæ occurrere solent, præsertim ex pugnâ, & naturali repugnantia inter appetitum rationalem & sensitiuum, quam propterea Deus non tenetur impedire, & naturales illas inclinationes, atque imperfectiones auferre: sed potiùs ordo naturalis postulat vt illi præstet suum concursum: sicut facit in pugna humorum, & qualitatum, corruptionem, & mortem afferente. Quare concesso antecedente, negant consequentiam argumenti propositi: ad cuius confirmationem respondent, debitum quidem esse vnicuique naturæ principium, & concursum consentaneum fini, & actibus naturalibus: non tamen esse debitum vt tollantur omnia impedimenta, quæ ex causarum aliarum communi cursu possunt contingere. Et licèt ex illo defectu intrinseco naturæ contingat sequi peccatum, non tamen id Deo tribui: quia illa occasio merè naturalis est, vi causarum naturalium: consummatio autem culpæ semper est voluntaria, & libera creaturæ operanti contra debitum: à Deo autem non est intenta, sed iustè permissa: quia non tenetur omnes defectus creaturarum supplere, aut impedire, vel concursum suum illis exigentibus negare. Hæc illi cum Suarez prolegom. 4. c. 2. num. 14.

6. *Impugnatur sententia negans.* Quorum responsum meo iudicio non satisfacit difficultati. Admittit enim homini in natura pura esse moraliter impossibile assequi naturalem beatitudinem: & hominem in puris naturalibus, antecedenter ad omne peccatum, & ad illius pœnam, ita esse à Deo ipso constitutum, atque ita ab ipso regi, vt sit illi moraliter impossibile vitare diu peccatum mortale: adeóque illam ipsam necessitatem moralem peccandi mortaliter, esse à Deo. Quod non puto esse verum. Est enim improbabile hominem ex natura sua ordinari ad finem beatitudinis naturalis: & tamen ex natura sua esse illi moraliter impossibile ipsum attingere. Itémque hominem ex natura sua ordinari, & obligari ad rectè operandum, viuendúmque secundùm rectam rationem; & tamen esse illi moraliter impossibile viuere secundùm rectam rationem, & vitare diu peccatum, ex quo infallibiliter secutura est damnatio, & carentia beatitudinis naturalis, quæ cum æternâ damnatione stare nequit.

7. Sanè ex eo, quòd homines sint à Deo destinati ad beatitudinem supernaturalem, quódque illius spe vrgeantur à Deo ad bene viuendum, colligunt Theologi, & meritò, beatitudinem illam esse homini possibilem, non physicè tantùm, sed etiam moraliter, alioqui enim propositio beatitudinis moraliter impossibilis non satis haberet momenti ad permouendos homines ad virtutem: & frustra Deus finem illum proponeret hominibus, si vellet dare media tam parum vtilia ad illum assequendum, vt moraliter impossibile sit assequi, sitque infallibile neminem assecuturum. Ergo pari ratione, ex eo quòd naturalis beatitudo sit finis vltimus naturaliter homini propositus in puris naturalibus, cuius spe debet allici, & vrgeri ad benè operandum, colligere debemus illius assecutionem, non modò physicè, sed etiam moraliter esse illi possibilem: alioqui frustra esset propositus, & Dei prouidentia non satis homines præmij spe vrgeret ad bene operandum. Neque enim homines efficaciter desiderarent, aut sperarent finem illum, quem scirent esse sibi moraliter impossibilem, etiam antecedenter ad omnem suam culpam, ex solâ ipsâ naturali sua constitutione, & modo prouidentiæ sibi connaturaliter debito. Denique incredibile est hominem ex natura sua exigere talem statum, ex quo eius damnatio infallibiliter secutura sit. Sic enim ex naturâ suâ exigeret tendere ineuitabiliter ad æternam miseriam, & esset infelicissimus omnium creaturarum: cùm tamen nemine refragante censeatur esse princeps omnium creaturarum visibilium.

Quare potiùs dicendum est hominem in puris naturalibus, tametsi non exigat integritatem naturæ suprà descriptam tanquam sibi debitam connaturaliter; exigere tamen eiusce modi prouidentiæ modum, vt possit moraliter vitare peccata mortalia, & naturalem suam beatitudinem assequi: siue confortando vires intellectus, & voluntatis contra rebellionem carnis: siue tempus vitæ breuius constituendo, sicut breuissimum Angelis constitutum fuit: siue aliter iuuando homines in puris naturalibus conditos, quamdiu abstinerent à peccato mortali. Quod addo, quia qui laberentur in peccatum mortale, possent meritò priuari tali prouidentiâ: sicut nunc illâ priuamur in natura lapsa. Atque ita sentit inter recentiores Benedictus Iustinianus in caput primum epist. 1. Ioan. vers. octauo num. 9. vbi addit hominem conditum in pura natura posse totâ vitâ esse sine peccato etiam veniali: quia non haberet rebellionem carnis adeò contrariam ac nunc habet. Fauet etiam D. August. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. in fine, vbi sic ait: *Non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Quibus verbis vt minimum affirmare videtur, in pœnam solam peccati permitti rebellionem partis sensitiuæ nos tantopere vrgere, támque importunè, & vehementer ad peccandum impellere. 8. *Quomodo regeretur diuinâ prouidentiâ status naturæ puræ?*

Neque sufficit quod respondent aduersarij, naturam humanam assecuturam esse beatitudinem naturalem in infantibus, decedentibus ante vsum rationis, & ante omne peccatum, quorum animæ separatæ à corpore, & exemptæ à rebellione partis sensitiuæ, possent facilè incumbere cognitioni, & amori Dei, cæterarúmque virtutum exercitio. Respondeo enim, hoc esse per accidens: & naturam humanam, debitámque illi prouidentiam, spectandam esse in adultis, ad quos solùm pertinet vrgeri præmij spe, vel timore pœnæ ad bene operandum. Quare si adulti omnes essent damnandi infallibiliter vi naturalis suæ conditionis, essent miserrimi omnium creaturarum: & humanæ reipublicæ gubernatio non esset bene instituta, quæ cùm adultos, solos capaces moralis regiminis, continere debeat in officio, partim præmij spe, & partim timore pœnæ: pœnam quidem certissimam, & ineuitabilem proponeret: præmium autem moraliter impossibile, & in- 9.

fallibiliter à nullo eorum consequendum. Alia, quæ contra nostram sententiam obiici possunt, diluentur inferiùs disput. sequenti sect. 1.

SECTIO II.

De statu innocentiæ, siue de gratia primi hominis.

10. *Status innocentia quid sit?* TERTIVS est status innocentiæ, seu iustitiæ originalis: qui iuxta vsum Theologorum significat statum complectentem præter omnia naturalia, quæ essent in statu naturæ puræ, & præter integritatem præcedenti sectione explicatam, alia multa priuilegia, quæ fuerunt in primo parente, (fuissentque in aliis, si status ille perseuerasset) atque etiam gratiam sanctificantem, & ordinem ad supernaturalem beatitudinem. Cuiusmodi priuilegia sunt, mortis immunitas, iuxta illud Sapient. 2. vers. 23. *Deus creauit hominem inexterminabilem: inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: immunitas etiam dolorum, & incommodorum, quæ in natura pura & integra esse possent: fueruntque in Christo, & in Beata Virgine, quibus integritas naturæ non deerat, perfectáque subiectio corporis ad animam, & animæ ad Deum. Sicut vice versa poterat esse naturæ integritas, absolutè loquendo, sine gratia sanctificante, & sine ordine ad beatitudinem supernaturalem. Status enim naturæ integræ neque ista beneficia includit, neque ad illa ordinat per se. Neque enim hominem euehit supra finem naturalem: sed tantùm addit dona quædam liberaliter collata vltra naturæ debitum, præbentia modum se habendi meliorem, in ordine ad rectitudinem, & honestatem, & consummatam perfectionem naturalem: per quæ dona subuenitur illi imperfectioni, & infirmitati, quæ ex naturali hominis compositione, & conditione oritur: quæ tota imperfectio, & infirmitas tolli, aut sanari potest sine ordinatione ad finem supernaturalem. Ideóque status gratiæ sanctificantis non est debitus statui integritatis naturæ suprà descripto: sed est planè gratuitus, & supernaturalis: vt declaratum fuit à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, renouatâ ab Vrbano VIII. contra Iansenium: cuius damnatur hic articulus num. 21. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.*

11. *Gratia non debetur naturæ licèt integra.* Confirmatur: quia si homini in statu integritatis esset connaturalis, & debita gratia sanctificãs: essent quoque illi cõnaturales actus fidei, spei, & caritatis, qui sunt eiusdem ordinis cum illâ. Ergo posset homo naturaliter in illo statu exercere actus fidei, spei, & caritatis sicut oportet ad sanctificationẽ. Ergo posset etiam in statu naturæ corruptę aliquãdo illos exercere naturaliter: quod est falsum, & contra Trid. sess. 6. can. 3. & Arausi. can. 7. & 25. Probatur sequela; quia naturæ integritas sanat tantùm rebellionem partis inferioris contra superiorem. Igitur quando illa non viget, possent etiam nunc exerceri naturaliter actus fidei, spei, & caritatis, sicut oportet ad consequendam iustificationem. Est autem experientiâ manifestum quòd non semper vigeat, quotiescunque illos actus exercere volumus.

Hinc collige integritatem naturæ non esse fundamentum, vel causam, physicè loquendo, & ex natura rei, status gratiæ sanctificantis, nec contrà: sed rem ex Dei libertate omnino pendere, qui potest status illos coniungere, vel separare, vt libuerit. Quamuis reipsa naturæ integritas in nullo vnquam fuerit, in quo non esset gratia sanctificans: neque scilicet in primis parentibus, neque in Christo, & beatâ Virgine: qui omnes ab initio primæ conditionis suæ sanctificati fuerunt. 12.

Collige 2. statum innocentiæ, & iustitiæ originalis in qua creati fuerunt primi parentes, non fuisse simplicem qualitatem, sed collectionem multorum beneficiorum Dei, partim ad corpus, partim ad animam pertinentium, cum speciali Dei prouidentia circa vtrumque. Quibus beneficiis & donis, modóque prouidentiæ, fiebat, vt pars inferior perfectè superiori subderetur, & pars superior perfectè rationi obediret: corpus à doloribus, aliisque incommodis atque à morte eximeretur, & anima sine reluctantia passionum, aut cupiditatum absque vllâ difficultate, Deo perfectè adhæreret, si vellet, æternámque beatitudinem facillimè consequeretur. De quo statu qualis fuerit initio, & qualis fuisset perseueraturus, si Adam non peccasset, videri potest Martinon. 1. p. disp. 45. sect. 1. num. 11. & sequentib. & tota sect. 3. & qui fusiùs de illo disserunt, Pererius lib. 5. in Genesim, qui totus est de statu innocentiæ, Suares lib. 3. & 5. de Opere sex dierum, Bellarminus tom. 2. lib. de gratia primi hominis, Sallianus in Annalibus ad annum mundi 1. Petauius tom. 3. Dogmatum, libro secundo de Opificio sex dierum, & alij recentiores. 13. *Status ille erat collectio multorum beneficiorum.*

Summa doctrinæ communis Theologorum est, 1. Adamum quoad animam, fuisse instructum scientiâ rerum naturalium, ætati, & statui suo conueniente: vt Scriptura significat Eccles. 17. cùm de primis parentibus sic ait, *Disciplinâ intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit eis, posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum, &c.* 2. Instructum etiam fuisse fide, & notitiâ rerum supernaturalium, præcipuéque ipsius Dei, vt finis vltimi, & mediorum, per quæ ad beatificam illius visionem, & fruitionem tendendum est, iuxta illud Apostoli Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* 3. Ornatam quoque fuisse ipsius voluntatem virtutibus tam naturalibus, quales industriâ cuiusque propriâ acquiri possunt, quæ æquè ac scientiæ naturales, fuerunt illi infusæ per accidens, vt ab ipso initio creationis promptus esset, & expeditus ad exercendos actus illi proportionatos: tum etiam supernaturalibus, spe, caritate, religione, & aliis, per quarum actus ad finem supernaturalem consequendum disponimur, atque etiam gratiâ sanctificante, si à virtutibus supernaturalibus distinguitur. Nam quòd fuerit in sanctitate supernaturali creatus, significat Apostolus Ephes. 4. vers. 24. cùm sic ait, *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis*, id est, verâ. His enim verbis, iuxta literalem interpretationem, 14. *Beneficia quoad animam.*

hortatur Apostolus, vt conemur per Christi merita renouari, & sanctitatem recuperare, in quâ creatus fuit Adamus, quámve ad posteros transmittendam acceperat, si non peccasset. Nam vt rectè ait Cornelius in eundem locum, per *nouum hominem* intelligit Paulus Adamum nouè, & recenter à Deo creatum in gratia, innocentia, & iustitia, quem per peccatum veterascentem renouauit Christus, & in primum nouum hominem, vti à Deo creatus erat, restituit, nósque in baptismo, & pœnitentia, quasi veterem Adamum exuit, & nouum rursum induit, cùm primi, & noui Adæ nouam gratiam, innocentiam, & sanctitatem nobis reddit. 4. Harum omnium virtutum beneficio, & speciali Dei prouidentia totam illam partem superiorem animæ ita dispositam, & affectam fuisse, vt careret motibus, seu cupiditatibus, & affectibus inordinatis, qui rationi resisterent, virtutúmque exercitium impedirent, aut difficile redderent. 5. Appetitum quoque inferiorem fuisse superiori perfectè subiectum, eiúsque motus ita illius imperio, regiminíque subditos, vt neque contra ipsius voluntatem insurgerent, neque illius nutibus obsisterent: & neque à bono vllatenus auerterent, neque ad malum sollicitarent.

15. *Alia beneficia quoad corpus.* Sextò, Quod ad corpus attinet, fuisse illud non modò naturaliter perfectum, sed etiam Dei beneficio immortale futurum, si Adam Dei præcepto obtemperasset, & nisi, inuidiâ diaboli, peccatum intrasset in orbem terrarum, & per peccatum mors, vt ait Sapiens cap. 2. vers. 23. Idque partim beneficio ligni vitæ, partim, & multò magis speciali Dei prouidentiâ, Adamum perpetuò conseruantis, quamdiu ipse in acceptæ iustitiæ statu perseuraret, & præseruantis ab iis omnibus, quæ poterant illi mortem consciscere. 7. Eiusmodi quoque Dei beneficio futurum fuisse Adamum, quoad corpus, & animam, expertem dolorum, ægritudinum, perturbationum, & quarumcunque aliarum miseriarum, quibus in hoc statu naturæ lapsæ affligimur, quæque sensim ad mortem disponunt. Nam istas quoque à peccato ortum habuisse significauit Deus Genesis 2. quando primis parentibus in peccatum prolapsis dixit, *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo, &c. multiplicabo ærumnas tuas; in dolore paries, &c.* Idémque affirmant SS. Patres, & speciatim D. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 26. vbi de Adamo sic loquitur, *Viuebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat; viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine vllâ egestate, ita semper viuere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senectus dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllius molestiæ vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus, aut frigus; sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

16. *Fuitne A.* Atque in his cum doctrina communi Theologorum consentit Iansenius cap. 1. & aliquot sequentibus libri de gratia primi hominis. Sed *An in creatione sanctificatus?* in eo fallitur, quod contendit esse dogma fidei Adamum in ipso creationis suæ puncto sanctificatum fuisse: non efficaciùs id probans, nisi quia D. Augustinus lib. 1. de lib. arbit. cap. 11. in fine affirmat se credere, firmissimáque fide tenere, hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, vt ad ærumnas mortalis vitæ, ipse inde propriâ voluntate delapsus sit. Quasi verò solius D. Augustini auctoritas, & assertio sufficiat ad aliquid tanquam dogma fidei constituendum. Quasi verò etiam, quod ait D. Augustinus, debeat necessariò intelligi mathematicè, & præcisè de ipso instanti creationis; ac non possit moraliter accipi, quòd vel in ipso puncto creationis, vel paulò pòst antequam peccaret, in tali statu constitutus fuerit. Quod ipsemet Augustinus alibi significat lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 8. vbi exponens illum Scripturæ locum, *Insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ*, Genes. 1. dicit eo significari Deum flatu suo animum hominis operatum esse: posteáque adiungit, *Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viuentem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, cùm in paradiso, hoc est in beatâ vitâ constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, vt verbo Dei consummaretur.* Quibus verbis perspicuè docet hominem priùs creatum fuisse, paulóque pòst in paradiso terrestri positum, gratiæ donis fuisse perfectum. Neque satisfacit, quod respondet Iansenius cap. 1. lib. cit. non loqui D. Augustinum de ordine temporis, sed de ordine narrationis: id est, non dicere vnum ex his duobus post aliud factum esse, sed vnum post aliud narrari. Nam S. ille Doctor nullam facit ibi mentionem methodi, & ordinis seruati à Mose; sed de rebus ipsis loquitur, absolutéque affirmat primum hominem, priusquam in paradiso collocaretur, accepisse vitam animalem, posteáque spiritalem per gratiam: alludens ad illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Prius quod animale est, deinde, quod spiritale.* Quòd verò etiam de ordine temporis loquatur D. Augustinus, satis perspicuè indicant hæc eius verba paulò pòst adiuncta, quibus dicit nos simili modo, & ad instar primi parentis animalem vitam priùs agere, deinde spiritalem. *Et ideo,* inquit, *animalem hominem priùs agimus omnes, qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritalem Adam, id est, Dominum nostrum Iesum Christum, qui peccatum non fecit, & ab illo recreati, & viuificati, &c. Sic enim Apostolus dicit, sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale.* Sanè Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali can. 1. definit quidem Adamum sanctitatem, & iustitiam in quâ constitutus fuerat, amisisse per peccatum: sed vtens consultò hac voce *constitutus*, non determinat vtrum sanctitatem in ipso puncto creationis acceperit. Neque id etiam satis expressit Arausicanum can. 19. sic dicens, *Natura humana etiam si in illâ integritate, in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Quare licèt probabilius sit Adamum præcisè in ipsamet creatione sanctificatum fuisse: non

non tamen satis efficaciter probatur id esse de fide.

17. *Potuitne creari sine gratia & immortalitate?* Fallitur quoque Iansenius in eo quod identidem insinuat eodem cap. & sequentibus non modò Adamum fuisse in gratia constitutum ipso instanti creationis, & immortalitate, aliisque priuilegiis supradictis ornatum: sed neque aliter creari potuisse: eò quòd creatura rationalis non potest nisi in pœnam peccati esse sine gratiâ sanctificante, & obnoxia morti, doloribus, ærumnis, aut aliis quibuscunque miseriis animæ vel corporis. Quod quàm sit à veritate alienum, satis constat ex dictis præcedenti disputatione, vbi contrarias Summorum Pontificum definitiones, & SS. Patrum testimonia protulimus, eáque omnia refutauimus, quibus ille præcipuè hanc assertionem, & status puræ naturæ impossibilitatem adstruere conatus est.

SECTIO III.

Fuerintne auxilia gratiæ naturæ integræ, & innocenti necessaria?

18. *Non fuère necessaria ad cognoscendam quamcunque veritatem.* RESPONDEO, & dico primò, auxilium gratiæ illi non fuisse necessarium ad cognoscendas veritates naturales satis proportionatas humano intellectui: cuiusmodi sunt illæ quæ per sensus habentur, aut ex rebus sensibilibus non adeo difficulter eruuntur: secus autem ad veritates supernaturales: aut etiam ad naturales valde obscuras, non solùm ad omnes collectiuè sumptas; sed etiam ad permultas singillatim: quippe quæ tales sunt, vt earum veritatem intellectus humanus solis viribus naturalibus assequi non possit.

19. Prima pars huius conclusionis traditur à D. Thoma quæst. 109. art. 1. Nam de natura etiam integra & innocente, verum est, quod ibi docet, intellectum humanum habere quidem naturaliter lumen sufficiens cum motione Dei vt primæ causæ, & concursu generali, ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus deuenire. Alia verò non posse cognosci ab intellectu humano, nisi altiori lumine perficiatur, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est naturæ superadditum. Ad ea enim, quæ excedunt naturalem cognitionem, indiget nouâ illustratione supperaddita lumini naturali. Huc vsque D. Thomas.

20. *Sed ad aliquas, etiam naturales.* Dixi in secunda parte conclusionis, gratiam fuisse necessariam non solùm ad intelligendas veritates supernaturales, (quod manifestum est) sed etiam ad multas naturales, non modò collectiuè sumptas, sed etiam seorsim, & singillatim: quia multæ sunt veritates naturales, id est, de rebus naturalibus adeo abstrusę, vt exacta & certa earũ notitia naturale lumen intellectus excedat: cùm neque in seipsis, & per se attingi possint, & perspici; neque aliunde certò deprehendi. Huiusmodi sunt compositio continui, natura infiniti, & æternæ durationis, aliæque id genus. Ipsæ quoque substãtiæ materiales, quæ sub accidentibus sensibilibus latent, multóque magis spirituales, non nisi valde obscurè, imperfectè, impropriè, & analogicè, solo naturali lumine intellectus humani attingi possunt: quare ad exactam, & germanam earum cognitionem, opus foret altiori lumine, & speciali auxilio.

Neque his obest, quod diximus alibi de scientia primo parenti infusâ in statu innocentiæ. 21. Non enim asserimus infusam illi fuisse veritatum omnium naturalium notitiam: sed solùm quoad opus erat ad conuenietem eruditionem, vel ad corporis vsum, & necessitatem, vel ad vniuersi regimen. Posteris autem ne ista quidem infusa fuisset: sed potiùs rerum notitiam per experientiam propriam, vel aliorum instructionem paulatim acquisiuissent; faciliùs tamen quàm nunc fiat in statu naturæ corruptæ: vt fusiùs docent auctores paulò antè citati.

Dico secundò gratiam non fuisse naturæ integræ, & innocenti necessariam ad seruandam totam legem naturalem, etiam perseueranter toto vitæ tempore. 22. *Non fuerunt necessaria ad seruandam legem naturalem.* Ita D. Thom 1. 2. quæst 109. art. 2. 3. 4. & 8. Caiet. Medina, Conradus, aliique interpretes ibidẽ: Magist. in 2. dist. 24. c. 4. D. Thom. iterum ad eandem distinct. q. 1. art. 4. ad 1. D. Bonauent. ibidem art. 1. q. 2. Durand. q. 3. Ricard. art. 1. q. 1. aliique plures eius expositores. Vega lib. 12. in Trident. cap. 21. Bellarm. lib. de gratia primi hominis cap. 4. Suares lib. 1. de gratia cap. 25. Ratio præcipua est, quam tradit, & fusiùs exponit auctor proximè citatus num. 8. & seqq. quia in natura integra & innocente non deerat principium naturale de se necessarium, & sufficiens ad seruandam totam legem naturalem: intellectus scilicet instructus scientiâ sufficienti & carens ignorantiâ propriè dictâ, eorum videlicet, quæ potest homo, & tenetur scire; & voluntas de se propensa in bonum, naturæ suæ, rectæque rationi consentaneum. Neque aliunde erant impedimenta, quæ legis naturalis obseruationem difficilem ei redderent, cùm pars inferior esset perfectè subiecta superiori, sine rebellione, & motibus concupiscentiæ inordinatis, seu fomite ad peccandum importunè sollicitante: & sine corruptione carnis, atque infirmitate illâ, quę nunc honestè operandi difficultatem ingerit. Neque in eo statu permitteretur dæmon sæuire, & perturbare phãtasiam, vel appetitum vehemẽter incitare ad malè agendum, sine consensu hominis voluntario; aut etiam decipere, ante culpam, & occasionem illi datam: vel considerationem intellectus impedire, si homo vellet attendere, vti facilè poterat, intereáque consensum voluntatis suspendere. Confirmatur, quia difficultas seruandi legem naturalem orta est ex peccato, sicut & moriendi necessitas. Ergo non erat ante peccatum in statu naturæ integræ, & innocentis.

Obiicies 1. Sicut aliquæ sunt veritates speculatiuæ de rebus naturalibus adeo abstrusæ, vt in eo statu non possent detegi sine auxilio gratiæ: 23. *Soluitur obiectio.* ita & aliquæ morales, & practicæ: sunt enim iura quædam naturalia valde abstrusa. Ergo vt seruaretur lex naturalis circa illa, opus erat auxilio gratiæ: neque enim poterat seruari sine illorum cognitione.

Respondeo primò, ad perfectionem illius status pertinuisse, & ad bonum regimen conscientiæ, vt in omnibus, & singulis occasionibus agnoscere possent homines quid vi legis naturalis tenebantur facere, vel omittere. 24. Secundò, Nos hîc loqui de obseruantia totius legis naturalis sine vllo defectu culpabili. Si quæ

V

autem sunt veritates naturales practicæ & morales, incognoscibiles naturæ integræ & innocenti, viribus naturalibus: non peccassent culpabiliter, qui eas inuincibiliter ignorassent, & secundùm illas operari prætermisissent.

25. *Quale fuit præceptum violatum à primis parentibus.* Obiicies secundò, præceptum datum primis parentibus, fuisse de actu purè naturali, seu potiùs de omissione actus naturalis, abstinendo ab esu cibi prohibiti. Et tamen non potuerunt illud seruare sine auxilio gratiæ, vt docent August. lib. de corrept. & gratia capite vndecimo & duodecimo, aliísque locis, Prosper libro contra Collatorem capite decimo-octauo & 19. & Gelasius Papa in scripto contra Pelagianam hæresim, cuius verba hæc sunt, *In ipsis primis hominibus, dum sua nimiùm felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod vtique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec vt eadem intemerata durarent, sufficienter implorando, incolumes constare nequiuerunt.* Et August. capite citato: *Si hoc adiutorium*, inquit, *vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet; non vtique suâ culpâ cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.*

26. Respondeo cum Suare capite suprà citato, præceptum illud non fuisse legis naturalis, sed diuinæ, purè positiuæ: & non fuisse de actu, seu potiùs omissione merè naturali formaliter spectatâ, sed pendente ex fide, & obedientia Deo debitâ, vt gubernanti prouidentia supernaturali, contra quam etiam directè pugnauit tentatio dæmonis, ingerens præterea appetentiam diuinæ similitudinis in scientia boni, & mali.

27. *Gratia erat necessaria ad seruandam legem supernaturalem.* Dico tertiò, auxilium gratiæ fuisse necessarium in statu naturæ integræ, & innocentis ad seruandam legem supernaturalem, perseuerandúmque in integritate, & sanctitate accepta. Probatur ex Arausic. II. canone 19. cuius verba paulo antè retulimus numero 16. Idémque docet Augustinus pluribus locis; præcipuè libro de Corrept. & gratia capite vndecimo, cuius verba sunt: *Istam gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet esse malus;* (id est quâ reipsâ perseueraret) *sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset.* Et inferiùs: *Nec ipsum ergo Deus sine suâ gratiâ esse voluit, quam reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Quod tamen iuxta phrasim Augustini, intelligendum est de bono vndequaque, & ad salutem æternam pertinente, quod solum boni & virtutis nomine intelligere solet Augustinus, vt ostendemus inferiùs disp. 19. sect. 5. num. 33. Et in Enchirid. cap. 106. de Adamo sic ait: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum: non tamen iustitia retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium probaretur.* Et inferiùs: *Vt ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adiuuaret.* Et cap. 107. *Sic factus est homo rectus*, inquit, *vt & manere in ea rectitudine posset non sine adiutorio diuino.*

Probatur 2. quia obseruantia legis supernaturalis includit actus supernaturales fidei, spei, caritatis, aliarúmque virtutum infusarum: quorum nullus exerceri potest sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, & concursu supernaturali, eleuante naturam ad nobiliores operationes, quàm possit ipsa viribus solis naturalibus exercere: vt vel ex ipsâ terminorum notione clarum est, & affirmatur à D. Thoma quæst. 109. articulo 2. vbi hanc assertionem nostram simul cum præcedenti confirmat: & hæc quatuor documenta notatu digna tradit. Primum est: Tam in statu naturæ integræ, qualis fuit in primo parente ante peccatum, quàm in statu naturæ lapsæ, qualis est noster, indiguisse hominem auxilio Dei, vt primi motoris, & causæ vniuersalis rerum omnium, ad volendum, vel faciendum quodcunque bonum. Quia nimirum causæ secundæ nihil possunt operari sine generali concursu primæ. Secundum est: in statu naturæ integræ potuisse hominem per sua naturalia sine supernaturali Dei auxilio, velle, & operari bonum naturæ suæ proportionatum: cuiusmodi est bonum virtutis acquisitæ. Nimirum quia non erat tunc rebellio carnis, siue fomes peccati: neque etiam erant alia impedimenta adeò grauia: & aliunde suppetebant plurima adiumenta, & subsidia naturalia. Non tamen potuisse bonum virtutum infusarum, & supernaturalium, vt fidei, spei, & caritatis: quia hoc bonum excedit vires naturæ, etiam integræ. Tertium est: In statu naturæ corruptæ posse quidem per virtutem naturæ suæ bonum aliquod particulare, naturæ suæ consentaneum agere; sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia huiusmodi: non tamen totum bonum sibi connaturale; ita vt in nullo deficiat. Probat, quia natura humana non est totaliter corrupta per peccatum, vt toto bono naturæ priuetur: sed est infirmata. Sicut ergo homo infirmus potest per seipsum aliquem actum habere, non tamen potest perfectè moueri quouis motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ: sic homo, animo infirmus propter peccatum originale, potest quidem per se bonum aliquod connaturale facere, non tamen omne, nisi sanetur, vel adiuuetur auxilio gratiæ. Vnde quartò concludit hanc esse differentiam inter hominem in statu naturæ integræ, & in statu naturæ corruptæ: quòd in statu naturæ integræ, homo virtute gratuitâ superadditâ virtuti naturæ, indigeret tantùm ad vnum, nempe ad volendum & operandum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ eget quantùm ad duo: scilicet vt sanetur, & ita sanus velle possit, & operari quodcunque bonum naturæ suæ proportionatum: & vlteriùs, vt bonum virtutis supernaturalis operetur. Huc vsque D. Thomas. 28. *Differentia inter statum naturæ integræ & lapsæ.*

SECTIO IV.

Quid sentiant noui Dogmatistæ de quæstione proposita?

CONTRA doctrinam præcedenti sectione propositam sentit Iansenius libro de 29.

Prima illorum propositio de statu innocentiæ. gratia primi hominis, & Angelorum, vbi docet primò, & identidem inculcat (magis tamen supponendo, quàm id probando) quinque primis capitibus libri citati, felicem illum statum, in quo Adam creatus fuit, connaturalem illi fuisse, ita vt aliter creari nequiuerit, neque subiici morti, & aliis miseriis corporis; aut pati in animo ignorantiam, & difficultatem ex concupiscentia ortam: nec denique carere potuerit habitibus, & auxiliis necessariis ad Deum cognoscendum, & amandum hac in vita, sicut oportet ad fruendum in altera per claram eius visionem. Ex quo sequitur gratiam propriè dictam non fuisse illi ad hoc necessariam. Quia non est gratia id, quod naturæ debetur, quodque iure creationis nobis competit: vt contra Pelagium argumentantur Patres Africani apud Augustinum epist. 95. & ex ipsa definitione gratiæ notum est. Hanc autem doctrinam esse prorsus à veritate alienam, & expressè damnatam à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, satis patet ex dictis disput. præcedenti sect. 3. & seqq. vbi etiam præcipua eius fundamenta ex S. Augustino desumpta refutauimus.

30. *Altera de libero arbitrio.* Docet secundò, accepisse Adamum in suâ creatione arbitrium dupliciter liberum: nimirum & per indifferentiam ad bene, vel malè agendum; ad agendúmque, vel non agendum vt lubet: & per libertatem oppositam seruituti peccati: quatenus per amorem Deo summo bono perfectè adhærebat, nec vllis creaturarum affectibus inordinatis subiacebat. Quod quidem verum est, & à nobis alibi probatum. Sed perperam addit sub finem capitis 6. post fusiorem huius secundæ libertatis explicationem, quam discutere longum esset, non pertinere ad rationem libertatis, quod quis ita sit indifferens, vt possit bene vel malè agere: quia (inquit) cùm libertas Augustino nota, per amorem alicuius vltimi finis, siue Dei, siue creaturæ conferatur: perabsurdum est ad eius rationem pertinere; vt arbitrium in istô amore dilecti finis ita mobile, & instabile maneat, vt illum semper possit abrumpere, vel amorem aliquem oppositi finis assumere. Hoc enim commentum, inquit, fides destruit, quæ docet tam Beatos, quàm damnatos immobiliter in semel electi, ac dilecti finis amore permanere: sed ista liberi arbitrij mutabilitas solis Angelis, & homini primo viatori peculiaris fuit: in statu scilicet innocentiæ: nam (inquit) etiam lapsus homo in amore dilectæ semel creaturæ persisteret immutabilis, nisi mutatio per dexteram Excelsi fieret, qui potentissimâ gratiâ lapsi hominis voluntatem à rebus creatis in se retorquet.

31. *Sitne de ratione libertatis posse peccare.* Verùm quamuis non sit de ratione libertatis abstractè sumptæ prout à Deo, & à creaturis, atque à Beatis, vel à viatoribus præscinditur, posse bene, vel malè agere: sed sufficiat indifferentia ad agendum, vel non agendum; aut ad agendum hoc vel illud bonum, aut saltem non malum, neque indecens: tamen quòd eiusmodi potestas bene vel malè agendi pertineat ad rationé propriam, & specificam libertatis in iis, quibus competit, docet non obscurè Scriptura pluribus locis, explicans hominum viatorum libertatem per hoc, quòd possint appetitui peccati dominari, Gen. 4. ver. 7. id est, ita peccare eum sequendo, vt possint non peccare si velint, ei resistendo: quódq; possint eligere vitam, aut mortem: seruare mandata, aut nón seruare; & ad aquam, vel ignem, ad bonum, vel ad malum extendere manum suam. Deuteron. 30. ver. 19. & Ecclesi. 15. ver. 14. hominémque iustum ideò laude dignum esse, quia potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit, Ecclesi. 31. ver. 10. Idémque docent SS. Patres, Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 9. Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. prope medium, Origenes 1. Periarch. capite primo Basilius hom. 9. *Quòd Deus non sit auctor malorum*, & lib. 7. contra Euuom. prope medium, Hieron. lib. 3. dialogi contra Pelag. in fine, Optat. Mileuit. lib. 7. contra Parmen. ipso ferè initio, & D. August. lib. 2. contra Faustum cap. 5. & lib. de vera religione cap. 14. & passim lib. 3. de libero arbitrio. Quorum omnium testimonia retulimus disput. 3. sect. 2. & 3. plurúmque aliorum referunt Didacus Ruis disp. 42. & 43. de Scientia Dei, & Petauius lib. 3. 4. & 5. de Opificio sex dierum.

Verba D. Augustini capite primùm citato hæc sunt: *Et nos sub fato stellarum, nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene, vel malè viuitur, ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Tridentinum quoque manifestè idem affirmat sessione sexta capite quinto, vbi libertatem nostram in assentiendo vocationi diuinæ ad conuersionem excitanti, per hoc exponit, quòd inspirationem illam ita recipiamus, vt possimus eam abiicere. Et canone quarto sic pronunciat: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, meréque passiuè se habere, anathema sit.* Quibus verbis similiter explicat libertatem arbitrij in assentiendo Deo excitanti, per hoc, quod ita assentiatur, vt possit dissentire, si velit. Eandem esse, sempérque fuisse vnanimem Theologorum doctrinam ostendemus disput. 34. 32.

33. *Resolutio quæstionis.* Sicut igitur vegetare, aut sentire non est de ratione vitæ abstractè sumptæ, prout à Deo, & ab Angelis, atque à plantis, & ab animalibus abstrahit: sed tamen est de ratione propriâ, & specifica eorum viuentium, quorum vita in vegetando, & in sentiendo consistit, id est plantarum & animalium, quæ hoc ipso formaliter, & propriè viuunt, quòd animâ vegetante, & sentiente prædita sunt, eiúsque operationes exercent. Ita quamuis potestas bene, vel malè agendi non sit de ratione libertatis abstractissimè sumptæ, prout à Deo, & à creaturis, vel à beatis, & viatoribus abstrahit; tamen est de propriâ & specifica ratione libertatis eorum, qui ad vtrumque indifferentes sunt: ita vt etiam in hoc ipso liberi sint, exerceántque libertatem suam, quòd ad bonum, vel ad malum, prout lubet, feruntur. Item quamuis non sit necesse, vt principium liberum sit indifferens ad omnia: tamen non est liberum nisi circa ea, ad quæ se habet indifferenter: neque liberè operatur, nisi cùm illam indifferentiam exercet,

sese liberè determinando, prout vult, ad agendum, vel non agendum, vel ad hoc aut illud volendum, aut nolendum. Circa ea verò, quæ necessariò vult, & quotiescunque necessariò operatur, non agit vt principium liberum, sed vt agens naturale, & necessarium: siue vt loquitur Diuus Thomas, non agit vt voluntas, sed vt natura est. *Voluntas enim, & natura.* (inquit 1. p. quæst. 41. art. secundo in c.) *secundùm hoc differunt in causando; quia natura determinata est ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum, &c. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse: eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est.* Quem vtrumque modum agendi voluntati etiam diuinæ conuenire affirmat ibid. ad 3. sic dicens: *Voluntas in quantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult: sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult, & amat seipsum; sed circa alia à se, voluntas Dei se habet ad vtrumque quodammodo.* Et q. 2. de potentia art. 3. *Voluntas, in quantum voluntas, cùm sit libera, ad vtrumlibet se habet: potest enim voluntas agere, vel non agere; sic vel sic facere; velle & non velle. Et si respectu alicuius hoc voluntati non conueniat, hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid, sicut ad finem vltimum, quem non potest non velle; sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem, nec potest velle miseriam.*

34. *Consentit D. Augustinus.* Eandem esse doctrinam D. Augustini, cuius D. Thomas studiosissimus fuit, patet ex eius verbis suprà relatis, quibus liberum arbitrium, quo bene vel malè viuitur, nulli vinculo necessitatis adstrictum esse vult. Eandémque necessitatem à libertate remouet pluribus aliis locis, vt lib. de verâ religione cap. 14. sic dicens: *Et quoniam peccari non est dubium; nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter; Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Et lib. 3. de libero arbit. cap. 1. initio. *Nulla culpa*, inquit, *deprehendi potest, vbi natura necessitásque dominatur.* Et lib. de duab. animab. cap. 11. dicit hoc adeo notum esse, vt id cantent in montibus pastores, & in theatris poëtæ, &c.

35. *Repugnat illi Iansenius.* Quare falsum est, quod ait Iansenius, non aliam D. Augustino notam esse libertatem, nisi quæ confertur per amorem alicuius finis vltimi, siue Dei, siue creaturæ; cui libertati sit impertinens, quòd arbitrium possit amorem illum abrumpere, aut in affectum contrarium mutare. Id enim repugnat eius verbis modò relatis, quibus affirmat non esse libertatem vbi necessitas dominatur, & vbi necessitate seruitur. Estque impertinens ad id probandum, quod Iansenius profert ex Augustino libro de gratia, & lib. arb. cap. 15. *Semper est autem voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: Aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ: & tunc est bona.* Et ex lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. vbi relatis his Apostoli verbis Rom. 6. *Cùm essetis serui peccati, liberi fuistis iustitiæ:* subiungit, *Ecce ostenditur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate, seruire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non sunt, nisi gratiâ Saluatoris.*

Nam, vt dicemus disput. 31. sect. 2. num. 16. libertas tripliciter sumitur: nimirum pro libertate vel à seruitute, siue subiectione; vel à coactione; vel à necessitate. D. Augustinus locis citatis loquitur de libertate iuxta primam acceptionem, non iuxta postremam, quam pluribus aliis locis admittit, & in indifferentiâ, seu exemptione à necessitate constituit: vt videre est, tum locis antea relatis, tum etiam eodem libro de gratia, & libero arbitrio capite secundo, vbi adductis hisce verbis Eccles. 15. *Apponet tibi ignem, & aquam ad quodcunque volueris extendere manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcunque placuerit, dabitur ei* subiungit: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* In illa scilicet potestate eligendi indifferenter, quod libuerit. Quo etiam genere libertatis, neque beati, neque damnati, neque homines viatores liberi sunt in eo, cui adhærent immobiliter. Sed falsum est, quod ait Iansenius, illos sic adhærere immobiliter fini semel amato, siue Deo, siue creaturæ, vt amorem illum retractare non possint. Id enim, quoad viatores repugnat experientiæ: & de damnatis contrarium satis apertè Scriptura docet Sapient. 5. vers. 2. & seqq. *Videntes turbabuntur timore horribili, &c. dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c.* Quamuis hæc illorum pœnitentia, siue dolor, & retractatio sit inutilis ad obtinendam remissionem peccatorum: sicut & illa, quam viatores possunt similiter concipere viribus naturalibus detestando, quod malè dilexerunt. De eadem quoque libertate indifferentiæ contentio fuit inter Catholicos, & Manichæos: non autem de potentia volendi simpliciter, vt subdolè videtur significare Iansenius initio eiusdem capitis 6. Hanc enim potentiam non negarunt Manichæi, neque vlli alij libertatis euersores ab Ecclesiâ damnati: sed indifferentiam ad volendum aut nolendum pro libito; vt ostendemus inferiùs disp. 30. sect. 4. & 5.

36. *Libertas tripliciter sumitur.*

Docet tertiò, cap. septimo & octauo eiusdem libri *de gratia primi hominis*, omnia illa opera, quæ in statu naturæ lapsæ non possunt fieri ab homine sine gratia, adeòque ipsam fidem, & dilectionem Dei sicut oportet ad salutem, potuisse fieri ab Adamo in statu innocentiæ per arbitrij libertatem, sic, vt ea non donaret illi gratia Dei. Potuisse quoque per liberi sui arbitrij vires, perseuerare, seu permanere in iustitia: & sanctos Angelos reipsâ permansisse. Ad quod probandum adducit pleraque testimonia D. Augustini, præcipuè ex lib. 3. de lib. arb. c. 16. & lib. 11. de Genesi ad lit. c. 4. & lib. de natur. & grat. cap. 37. & lib. de peccat. merit. c. 37. & epist. 107. & libro de Correptione & gratia cap. 10. 11. & 12. & lib. de Dono perseuer. cap. 7. & alia nonnulla discipulorum eius, Prosperi, Fulgentij, Petri Diaconi, & Gregorij Magni, quibus affirmatur plenam, perfectámque Adamo collatam esse bene viuendi potestatē, quæ iam peccato amissa est, nec potest nisi Christi gratiâ reparari. Neque fore opus eiusmodi gratiâ ad bene viuendum, si natura esset sana, quemadmodum primùm condita est, vt volebat Pelagius: quia natura

37. *Tertia propositio falsa Iansenij de viribus liberi arbitrij naturæ innocentis.*

sana ad hoc sufficeret, seu possibilitas naturalis, quo nomine, inquit, non aliud significant prædicti Patres, & Concilium Arausic. quàm naturalem potestatem liberi arbitrij; quâ stare potuit, si voluisset, & perseuerare in iustitia: sicut Angeli boni reipsâ steterunt, & perseuerauerunt.

38. Verùm totam huius probationis vim elidit ipsemet sequenti capite nono, cùm ait, rationem, seu causam, cur tantæ fuerint vires liberi arbitrij in statu innocentiæ, fuisse sanitatem voluntatis, seu integritatem primæ libertatis. Eóque nomine duo comprehendi, quantum ad libertatem arbitrij pertinet, nimirum quòd homo careret ignorantiâ, & concupiscentiâ ad peccatum trahente, benéque agendi difficultatem ingerente: quódque liberum arbitrium esset in gratia, hoc est, in bona voluntate, siue in amore Creatoris sui conditum: atque ita omni prorsus peccato carens. Peculiaris est enim (inquit) Augustini ac discipulorum eius phrasis, adeóque Concilij Arausic. quod penè totum ex verbis eius, totum verò omnino ex eius doctrina contextum est, vt sub libertate naturali, & possibilitate naturali, ipsâque natura, totum illud comprehendatur, quod naturæ in ipsa prima conditione collatum est, etiam ipsa rectitudo voluntatis, quæ sine vitio, & culpa adhærebat Deo. Idque deinceps confirmat Iansenius verbis eius relatis ex lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. & lib. 1. Retractationum cap. 10. & lib. 12. de Ciuit. cap. 1. Tum sic addit: *Iuxta istam ergo naturæ acceptionem Augustinus cum discipulis, & Concilium Arausic. loquuntur, quando tantam naturalem libertatem, vel possibilitatem, vel vires naturales arbitrij libertati tribuunt. Ipsum enim amorem Dei, quo liberum fulgebat, & ardebat arbitrium, siue vt nos loquimur, ipsam gratiam habitualem simul cum natura intelligebant.*

39. *Fatetur eguisse auxilio gratiæ.* Et sequenti cap. 10. & 11. multis Augustini testimoniis confirmat, neque Angelos, neque primum hominem in statu innocentiæ vllo modo potuisse sine gratiæ iuuantis adiutorio in veritate stare, hoc est, in acceptâ iustitiâ perseuerare: vt præcipuè probat ex cap. 106. & 107. Enchirid. & lib. de Corr. & grat. cap. 11. & lib. 14. de Ciuit. cap. 27. & ex Fulgentio lib. 2. ad Thrasimundum. Additque cap. 11. non solùm ad perseuerandum, id est, diu permanendum in iustitia; sed ad singulas etiam voluntates bonas, seu opera bona, seu tentationum victorias, per quas fit vt in iustitia perseueretur, necessariam fuisse gratiam Angelis, & hominibus in statu innocentiæ, iuxta doctrinam Augustini lib. 14. de Ciuit. cap. 27. & lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 4. vbi auxilio gratiæ Dei tribuit, quòd potuerit Adam vincere primam illam tentationem serpentis: & c. 106. Enchirid. vbi dicit, sine gratiâ nec tunc (in statu innocentiæ) vllum meritum esse potuisse. Quia nimirum, vt ait cap. cit. ex lib. 14. de Ciuit. *Meritum bonum habebat (homo etiam tunc) in adiutu diuinitus voluntate recta.* Et lib. de Corrept. & grat. cap. 12. sic loquitur: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset: quoniam non talis natura facta erat, vt sine adiutorio posset manere, si vellet, non vtique suâ culpâ cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Huius autem necessitatis gratiæ auxiliantis rationem generalem esse dicit ibidem Iansenius: quoniam vt ait Augustinus lib. de Corrept. & grat. cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum quidem sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.*

SECTIO V.

Eorundem sententia de auxiliis datis in statu innocentiæ.

QVIA verò hæ duæ assertiones, quas Augustino tribuit Iansenius, videntur sibi inuicem aduersari: nimirum, quòd nunc ita extollat vires naturales integræ libertatis, vt non modò perseuerandi potestatem, sed & ipsam in bono perseuerantiam eis, non gratiæ adiutorio, tribuat: nunc ita vicissim eas deprimat, vt nihil omnino sine gratiæ adiutorio, nisi peccare posse fateatur: quod adiutorium non gratiam solùm habitualem, sed actuale aliquod auxilium esse vult, ipsam potentiam corroborans, siue influxum gratuitum distinctum ab habitu, atque ab ipso concursu Dei, sine cooperatione simultaneâ: vt liquet ex lib. 14. de Ciuit. c. 13. & epist. 106. & cap. 106. Enchirid. & lib. de natura & gratia cap. 27. & libro secundo de peccatorum meritis capite 8. & libro de gestis Pelagij cap. 3. & libro de Correptione & gratia cap. 11. & 12. Hanc apparentem contradictionem tollere conatur cap. 15. eiusdem libri de gratia primi hominis, supponendo ex eodem Augustino libro de Correptione & gratia cap. 12. duplex esse adiutorium: nimirum adiutorium sine quo aliquid non fit, & adiutorium, quo aliquid fit: siue vt alibi loquitur idem Sanctus Doctor, vnum est adiutorium possibilitatis, hoc est, potentiæ, seu dans tantùm posse: alterum voluntatis, & actionis, seu dans ipsum velle, & agere. Hoc est, vt exponit Iansenius, vnum dans quidem posse, sed aliunde expectans impulsum, aut applicationem, & determinationem ad operationem: alterum ita iuuans facultatem operandi, vt hoc ipso quòd datur, ex potentia in actum extrahat, ipsúmque effectum reipsâ ponat. Siue (vt clariùs Iansenij mentem exponam quantum ad propositum attinet) vnum est auxilium gratiæ ita voluntati exhibitum, vt illam relinquat indifferentem ad operandum, ciúsque determinationem expectet. Alterum eam determinans, & necessitans ad operandum: ita vt posito quòd detur, necessariò ponatur operatio. 40. *Auxilium quo, & sine quo non.*

Primi generis auxilium Adamo datum esse vult in statu innocentiæ: auxilium verò secundi generis dari per Christum in statu naturæ lapsæ. Illámque esse differentiam generalem inter auxilia naturæ innocentis, & naturæ lapsæ: quòd illa omnia essent auxilium sine quo non: ista sint auxilium quo: vt aliquot eiusdem Augustini testimoniis suprà citatis affirmari putat, præcipuè capite vndecimo, & duodecimo libri de Correptione & gratia. Quia verò vsus primi illius adiutorij non ab ipso illo eodem adiutorio, sed à libero primi hominis arbitrio pendebat, ita vt posset vti vel non vti pro libito: acceptare aut repellere, consentire aut dissentire, stare aut cadere, perseuerare aut non perseuerare; idcirco, inquit, acceptatio, consensus, & operatio, ipsáque perseuerantia tribuenda erat non ipsi auxilio, sed libertati, à cuius arbitrio pende- 41. *Differentia auxiliorum vtriusque status iuxta Iansenium*

bat vt esset, vel non esset. Quando enim liberum arbitrium cum alterius causæ adiutorio actum aliquem facit, & oritur disceptatio vtri actus illius exercitium, siue quòd fiat actus ille, tribuendum sit: nunquam illi causæ actus solet, vel debet tribui, sine quâ non potest fieri; sed quæ suo imperio, quamuis non sine alterius adiutorio, facit vt fiat. Sic v.g. quando liberè videmus, aut nauigamus; quamuis id non faciamus sine auxilio luminis, aut nauigij: non ipsis tamen, sed libero arbitrio tribuitur, quòd videamus, aut nauigemus. Hæc igitur causa est, inquit, cur D. Augustinus affirmet Adamum non per gratiam, sed *per liberum arbitrium*, & *per libertatem voluntatis* in veritate stare potuisse, & reipsâ Angelos perstitisse: tales fuisse vires voluntatis, vt ei dignè perseuerandi committeretur arbitrium: perseuerare in eius relictum esse arbitrio: Deum fortissimo dimisisse; atque permisisse facere quod vellet. Simúlque doceat non sine gratiæ adiutorio Adamum, & Angelos permanere potuisse, vel permansisse in iustitia. Contrà verò, quia adiutorium *quo*, datum lapsis hominibus, talis est naturæ, atque ita libero dominatur arbitrio, vt illud secum in actum rapiat, & in eo victrici quadam delectatione operetur vt velit, id est, vt clariùs Iansenij mentem exprimam, non relinquat voluntatem indifferentem, sed determinet, & necessitet ad operandum: iam influxus potentiæ, & actio, non est ipsi arbitrio, sed dominantis istius virtutis efficaciæ tribuenda: tametsi hæc non operetur sine illius concursu, seu cooperatione ipsius voluntatis, non dominantis, aut applicantis, & determinantis auxilium ad operandum, sed necessariò sequentis eius dominatum, & ductum. Quam ob causam idem Augustinus, vt capitalem Christi iniuriam exhorret dicere de hominibus lapsis, id, quod de stante, & de Angelis suprà dixit: posse videlicèt illos stare in iustitia per liberum arbitrium, &c.

42. Eandémque ob causam (inquit Iansenius cap. 16.) perseuerantia, & merita, in statu innocentiæ, naturæ humanæ, & Angelicæ non erant specialia Dei dona; quia non fiebant per auxilium *quo*, sed per auxilium *sine quo non*; vt probare conatur ex Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 12. vbi dicit Adamum in illo statu habuisse *virtutem liberi arbitrij*, ad perseuerandum, *quamuis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non possit perseuerare si vellet: non tamen tali, quo in illo Deus operaretur vt vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis*, (id est, lapsis hominibus) *seruauit, vt ipso donante inuictissimè, quod bonum est, vellent; & hoc deserere inuictissimè nollent.* Cuius discriminis auxiliorum rationem hanc assignat D. Augustinus ibidem, paulò superiùs: quia *Tales vires habebat voluntas primi hominis, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi facilitati, perseuerandi committeretur arbitrium.* Eodémque cap. 12. non obscurè docet, Adami merita fuisse per liberum eius arbitrium, sic dicens: *Vnde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis, nisi gratia Saluatoris.* Vbi notandum quod ait, Adamum per idem liberum arbitrium, per quod perdidit, meritum illud habere potuisse: & idem illud meritum, quod antea per liberum arbitrium habere potuit, nunc per gratiam liberantis esse largiendum. Idcirco etiam meritum illud Adami vocat *suum* ipsius meritum, id est, viribus sui arbitrij factum, non à gratia datum. Et alibi libro de Præd. Sanct. cap. 15. vocat *meritum humanum*, & lib. 3. de libero arbitrio cap. 20. *meritum naturæ*, quia per naturam haberi poterat, seu per naturalem in creatione datam arbitrij libertatem, gratiâ non dante illud vt fieret, sed tantummodo adiuuante, vt sine illa non fieret.

Dicit perseuerantiam, & merita in eo statu non fuisse specialia Dei dona.

Idcirco denique (inquit) Augustinus c. 106. Enchirid. aliísque locis, dicit meritum illius status fuisse propriè meritum; quia ex nutu liberi arbitrij dominantis, & gratiam applicãtis, exercitum. Nunc autem esse potiùs gratuitum donum; quia scilicet à gratia dominante, & necessitante voluntati datum per auxilium *quo*. Similitérque vitam æternam tunc propriè futuram fuisse mercedem reddendã bonis operibus, cum auxilio *sine quo non* exercitis: nunc esse potiùs gratiam; quia merita quibus illa nunc redditur, gratuita dona sunt, quippe quæ dantur ab ipsâ gratia rapiente voluntatem ad consensum. Vnde, vt inquit August. lib. de Corr. & grat. cap. 11. *Quæ futura erat homini, sicut facta est, & Angelis sanctis, merces meriti: nunc per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Et cap. 106. Enchirid. *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamuis sine gratia nec tunc vllum meritum esse potuisset.* 43.

Illa: i fuisse propriè merita: nūc autem potius gratiam.

SECTIO VI.

Refutatur doctrina proposita.

Verum hæc distinctio auxiliorum gratiæ in auxilium *sine quo non*, & auxilium *quo*, prout exponitur à Iansenio, id est, in auxilium ita iuuans, & præueniens voluntatem, vt non eam necessitet ad operandum; & in auxilium, quod vi suâ necessitatem antecedentem infert: illáque differentia inter auxilia collata in statu innocentiæ primis parentibus & Angelis, & ea, quæ in statu naturæ lapsæ conferuntur, cõmentitia prorsus est, & aliena à mente D. Augustini, vt fusè ostendemus disp. 22. sect. 2. & seqq. vbi etiam præcipua D. Augustini testimonia, quibus aduersarius abutitur, exponemus. Hoc autem fundamento euerso tota moles doctrinę Iansenij ei superextructa funditus corruit. Ostendemus inquam, 1. expositionem illam huiusmodi auxiliorum, & generalem distinctionem inter gratias datas in statu naturæ integræ, & datas in statu naturæ lapsæ, non esse ex mente D. Augustini, sed Caluini, & aliorum hęreticorum huius temporis. 2. eandem apertè repugnare Scripturæ, Conciliis, & sanctis Patribus, nominatímque ipsimet Augustino, qui expressè pluribus locis docet, etiam nunc tale esse auxilium gratiæ, vt voluntatem non necessariò rapiat ad consensum: & naturam quidem lapsam maiore auxilio indigere, quàm cùm sana esset, propter in- 44.

Impugnatur illud discrimen.

firmatas vires liberi arbitrij, & resistentiam concupiscentiæ, seu difficultatem bene operandi: pendere tamen à libertate vt consentiat, vel non consentiat: & in hominis arbitrio situm esse, vt arbor bona, vel mala fiat. Tertiò, causam cur Augustinus locis cit. num. 42. dicat primum hominem in statu innocentiæ potuisse per vires liberi arbitrij bene agere, & perseuerare, nunc autem minimè nos id posse in statu naturæ lapsæ, non illam esse, quam fingit aduersarius: sed quia iuxta doctrinam D. Augustini homo in statu illo non indigebat motione voluntatis ad bene agendum: sed sufficiebant illi habitus supernaturales, quos in creatione acceperat, & illustratio intellectus proponens quid agendum esset: cùm de cetero posset velle, & agere facillimè, nullâ difficultate concupiscentiæ reluctantis, vel alio graui impedimento retardatus. Quartò, causam cur eadem S. Doctor merita illius status vocet sua ipsius Adami, & humana merita, vel etiam merita naturæ, esse quia iuxta ipsius doctrinam fiebant viribus liberi arbitrij, & gratiæ habitualis, illustrationísque diuinæ, sine illa motione voluntatis, quâ nunc egemus in naturâ lapsâ, propter concupiscentiam, & alias bene volendi, & operandi difficultates: quæque si tunc aliquando dabatur, non tamen erat necessaria ex mente D. Augustini: qui etiam per naturam, & per vires liberi arbitrij, quales tunc erant sanæ, & integræ, tam potentes ad bene operandum, non intelligit solùm facultatem naturalem, & accidentia connaturalia: sed etiam gratiæ ornamenta, & adiumenta Adamo in instanti creationis collata, ipsáque auxilia actualia: iuxta phrasim, quam D. Augustino, eiúsque discipulis familiarem fuisse agnoscit ipse Iansenius loco suprà relato. Quintò, rationem cur idem S. Doctor velit opera bona illius status magis propriè dici merita, quàm nunc: & quod pro illis retribuendum erat, magis habuisse rationem mercedis; esse quia tunc, cùm non egerent piâ motione voluntatis vt fierent, minùs erant à gratiâ, & magis à viribus voluntatis, liberíque arbitrij. Sextò, D. Augustinum pluribus locis tribuere gratiæ, opera etiam bona facta ab Angelis, & ab homine in statu innocentiæ: quamuis, vt fatetur aduersarius, fierent tunc ex nutu libertatis, siue ex potentia indifferente, & non necessitatâ antecedenter per gratiam. Nimirum quia gratia verè in illa influebat, & quidem magis, ac principaliùs, quàm voluntas ipsa liberè cum illa concurrens.

v. suprà n. 38.

45. *Deo tribui possunt & debent, quæ fiunt liberè cum auxilio repudiabili.*

Estque falsum euidenter quod ait Iansenius, Quando liberum arbitrium, cùm alterius causæ adiutorio actum aliquem facit, & quæritur vtri actus illius exercitium, siue quòd fiat actus ille, tribuendum sit: nunquam illi causæ actum solere, vel debere tribui, sine quâ non potest fieri: sed quæ suo imperio, id est arbitrio, & determinatione, quamuis non sine alterius adiutorio facit vt fiat. Enimuerò quis nescit ea, quæ fiunt liberè ab aliquo, consilio, inductione, sollicitatione, impulsu, aut præcepto alterius, solere tribui, & quidem sæpe magis principaliter consulenti, inducenti, sollicitanti, impellenti, aut præcipienti? Gratia autem inducit, impellit, sollicitat, mouet, vrget, & iuuat multipliciter voluntatem ad consensum, qui ei datur, & ad bonum opus, quod fit per liberû arbitrium, quamuis ex eius nutu, & flexibili potestate ad oppositum fiat. Septimò, eundem S. Doctorem non ita distinguere auxilium *quo*, id est, reipsâ habens effectum; & auxilium *sine quo non*, id est dans quidem posse operari, sed non obtinens consensum; vt velit omnia auxilia data in statu naturæ lapsæ, prioris esse generis: posterioris autem, omnia data in statu naturæ innocentis: sed tantùm affirmare, auxilium datum Adamo ad perseuerandum, fuisse duntaxat auxilium *sine quo non*; quia non habuit reipsa coniunctum actum perseuerandi: & non fuisse quale datur Sanctis, & in regnum Dei electis efficaciter: quo non datur tantùm vt possint perseuerare, sed reipsâ fit vt perseuerent. Quorum omnium fusiorem expositionem, & confirmationem ipsismet D. Augustini testimoniis nolo præuertere hoc loco, ne cogar sæpius idem inutiliter, & importunè repetere.

Addam duntaxat illustria quædam loca, quibus sole clariùs liqueat totam hanc doctrinam Iansenij de discrimine inter gratiam naturæ innocentis, & gratiam naturæ lapsæ, à mente S. Doctoris alienam esse. Ac primò quidem, fundamentum huius differentiæ, quòd scilicet per peccatum Adæ amissa fuerit libertas indifferentiæ: ideóque nunc inutile foret auxilium gratiæ permittens indifferentiam, & expectans determinationem voluntatis, quale fuit auxilium datum in statu innocentiæ: hoc, inquam, esse contra doctrinam Augustini, patet ex lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. vbi contra huiusmodi errorem sic pronunciat: *Quis nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium?* Ibidémque significat quo sensu accipiendum sit, quod dixerat in Enchir. c. 30. primum hominem peccando, & se & liberum perdidisse arbitrium: videlicet non quoad substantiã, sed quoad accidentalem illam perfectionem, quâ per naturæ integritatem, & alia gratiæ dona eximia, & priuilegia status innocentiæ, erat perfectè instructus, & expeditus ad operandum omne bonum, facillimèque perseuerandum in eo statu. *Libertas quidem periit per peccatum*, inquit, *sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam*, &c. 46. *Illius differentiæ fundamentum repugnat Augustino*

Et lib. 2. cap. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus: sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem piéque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum adiuta*: id est, egere Dei gratiâ, & quidem ampliori, & fortiori quàm antea, siue vt bene operetur, siue vt malum vitet. Alibíque docet sine eiusmodi libertate indifferentiæ neminem peccare culpabiliter, vel speciali laude, vel præmio dignum esse: vt videre est locis suprà relatis num. 34. Et lib. de verâ religione capite 14. Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium: tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent. Et lib. 3. de libero arbitrio capite 1. postquam dixit, Nullam culpam deprehendi posse, vbi natura necessitásque domi- 47. *August. docet non periisse liberum arb.*

V iiij

natur, subiungit paulò pòst: *Si natura, vel necessitate motus iste existit,* (quo ab incommutabili bono ad mutabilia conuertimur) *culpabilis esse nullo pacto potest.* Et inferiùs: *Motus quo huc, aut illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostrâ positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset cùm ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, vt istis neglectis aeterna vellet adipisci, atque vt malè nollet viuere, vellet autem bene.* Et denique lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. obiicienti Iuliano, quòd negaret inesse hominibus liberum arbitrium, ita respondet: *Liberum in hominibus esse arbitrium: & Deum esse nascentium Conditorem, vtrique dicimus:* (Pelagiani scilicet & Catholici) *Non hinc estis Celestiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei, & non erui paruulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis: hinc estis Celestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, vt operias proprium crimen, vnde vobis inditum est nomen?* Quibus verbis perspicuè significat suam & Ecclesiae contentionem cum Pelagianis non fuisse, vtrum maneret in hominibus liberum arbitrium, in quo vtrique conueniebant: sed vtrum indigeret gratiae auxilio ad bene operandum, quod negabant Pelagiani. Estque manifestum & extra controuersiam, Pelagianos per liberum arbitrium intellexisse potestatem indifferentiae: adeóque idem intellexisse Augustinum, ceterósque Catholicos. Nam alioquin falsum esset, quod ait Augustinus, *Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen* &c. Neque enim dogma commune fuisset, si nomine liberi arbitrij diuersa intellexissent. Verum etiam non esset, quod initio dicit Augustinus *liberum in hominibus esse arbitrium vtrique dicimus:* neque minùs detexisset aequiuocationem, si quae sub illo nomine latuisset, quàm aequiuocationem nominis *gratia*, quâ Pelagiani suum errorem occultare solebant.

48. *Et auxilium naturae lapsae non tollere indifferentiam.*

Secundò, quòd auxilium gratiae datum in statu naturae lapsae non sit eiusmodi, vt necessitatem inferat voluntati, sed compatiatur indifferentiam ad consentiendum, aut dissentiendum, sicut auxilium datum Angelis, & hominibus in statu innocentiae, perspicuè liquet ex eodem Augustino lib. de spirit. & lit. scripto contra Pelagianos cap. 34. *Misericordia Dei praeuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire nostrae voluntatis est.* Quorum verborum sensus non est, nos consentire per voluntatem simpliciter sumptam pro potentia volendi, si consentimus: aut dissentire per eandem, si dissentimus; de quo nulla potest esse dubitatio: sed nos consentire, aut dissentire, quia volumus, & quia sic eligimus, non autem quia non aliter possumus. Quod expressiùs dixit idem S. Doctor lib. 2. contra literas Petiliani capite 84. vbi sic habet: *Si tibi proponam quaestionem, quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos cum libero dimisit arbitrio? Fortasse eam difficilè soluturus es, Quomodo enim attrahit, si dimittit, vt quis, quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum est: sed intellectu, hoc penetrare pauci valent. Si ergo fieri potest, vt quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad filium Pater: sic fieri potest, vt ea, quae legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Quibus verbis duo perspicuè docet, 1. gratiam non solùm externam, sed & internam, quâ trahimur ad Patrem, non inferre necessitatem ei, qui trahitur; alioquin non eum dimitteret eligere quod vult: nam qui ad vnum necessitatur, non dimittitur eligere alterutrum. 2. gratiam illam non magis tollere indifferentiam ad consensum & dissensum, quàm leges humanae tollant potestatem obediendi, aut non obediendi, prout quisque maluerit. Et sicut leges poenales, latae contra Donatistas (de quibus ibi loquitur) non adimebant eis liberam potestatem vel resipiscendi, vt poenas euaderent, vel persistendi in suo errore si eas pati mallent: ita neque gratiam adimere nobis potestatem, quâ vel nos trahi sinamus, vel trahenti resistamus. Et lib. de natura & gratia, cap. 65. approbat dictum illud Hieronymi à Pelagianis sibi obiectum, *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Quâ sententiâ relatâ, subiungit tanquam de re notissimâ certissimâque, *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* &c. Itaque neque gratia ad virtutes seu bona opera necessariò trahit, neque concupiscentia ad vitia seu peccata, vt perperam affirmat Iansenius contra sententiam, quam notissimam esse, certissimámque pronunciat Augustinus.

49. *Et hominem in hoc statu liberè bene, vel malè operari.*

Idem S. Doctor lib. 50. homil. hom. 16. aliísque locis, disertissimè docet, homines in hoc statu naturae lapsae habere in suâ potestate, & electione bene vel malè operari, adeóque non necessitari ad bonum per gratiam, neque ad malum per concupiscentiam: *In tuo*, inquit, *arbitrio posuit Deus, cui pares locum, Deo, an diabolo.* Et lib. 2. de gestis cum Foelice Manichaeo cap. 4. dicit hominem habere in suâ voluntate, aut eligere, quae bona sunt, & esse arborem bonam; aut eligere, quae mala sunt, & esse arborem malam: ideóque Christum dixisse, *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum* &c. Et lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. dicit Esau non cucurrisse, quia noluit: *sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset; qui ei etiam velle, & currere vocando praestaret, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Idémque generaliùs affirmat lib. 83. quaest. q. 68. de quibusuis ad coenam Euangelicam vocatis, & venire nolentibus: quos ait ideo non venisse, quia noluerunt: *Neque debere alteri tribuere; sed tantùm sibi; quoniam, vt venirent vocati, erat in liberâ voluntate.* Estque notandum, sermonem vtrobique esse non solùm de vocatione externâ, cum quâ solâ nemo potest currere, & venire; sed etiam de internâ, ita vt nihil illis defuerit necessarium, vt possent currere, & venire: alioquin non verè diceret Augustinus potuisse eos currere, & venire; ideóque non cucurrisse, & non venisse, quia noluerunt. Notandum etiam D. Augustinum non aliter loqui de auxilio gratiae dato Angelis, & primis parentibus in statu innocentiae, illis ipsis in locis, ex quibus probat aduersarius gratiam illam talem fuisse, vt relinqueret voluntati indifferentiam, neque ageret sine ipsius determi-

natione: nihil enim expressius dicit quàm Adamum fuisse dimissum libero suo arbitrio, potuisse eligere, quod vellet; fuisse in ipsius potestate & optione vt perseueraret si vellet, & alia his similia.

50. Tertiò, quòd merita Angelorum & hominum in statu innocentiæ, iuxta Augustinum, essent Deo tribuenda vt specialia eius dona, licèt fierent ex auxilio gratiæ compatiente indifferentiam voluntatis, & potestatem ad vtrumlibet, constat ex lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi quærit à quo bona Angelorum voluntas facta sit, ab ipsis, an à Deo? & concludit à Deo factam esse, ne Angeli à seipsis meliores effecti sint, quàm à Deo facti erant: posteàque addit, *Cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad seipsos, qui minùs erant, sed ad illum, qui summè est, converterentur, eique adhærentes magis essent, eiúsque participatione sapienter, beatéque viuerent; quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret, implendo, meliorem, priùs faciens, excitando, auidiorem.* Et inferiùs dicit, æquè de Angelis, ac de hominibus verum esse quod dicitur Rom. 5. Caritatem Dei in eis diffundi per Spiritum sanctum: & bonam voluntatem, quâ Deo castè adhærent, ab ipso factam, & datam illis fuisse. Quod magis exprimit, & confirmat conc. 2. in Psalm. 70. vbi sic ait: *In altis cœli sunt, in altis Angeli sunt &c. Tibi debent quod sunt, tibi debent, quod viuunt, tibi debent, quod iustè viuunt, tibi debent quod beatè viuunt, potentiam tuam & iustitiam tuam vsquequo? Vsque in altissima quæ fecisti magnalia. Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei, quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat, qui creauit?* Et lib. 12. de Ciuit. cap. 9. tribuit speciali Dei gratiæ, quod Angeli boni perseuerauerint malis deficientibus: sic enim ait de malis Angelis, *Aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam, quàm illi, qui in eadem perstiterunt; aut si vtrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad illam beatitudinis plenitudinem peruenerunt.* Et lib. de Corrept. & gratia cap. 10. sic ait de Adamo in statu innocentiæ, *Non habuit perseuerantiam: & si non habuit, non vtique accepit:* à Deo scilicet, vt patet ex verbis ibidem adiunctis. Quare ex mente D. Augustini si Adam perseuerasset in innocentia, debebat in Deum referre quod perseueraret.

51. *Et merita Angelorum fuisse specialia Dei dona.* Ex quibus & similibus Augustini locis perspicuum est, alienum esse ab eius mente, quod ait Iansenius, bona opera Angelorũ & perseuerantiam, hominísque in statu innocentiæ merita, non fuisse specialia Dei dona, neque in Deum referenda, quia fiebant ex potestate indifferente cum auxilio repudiabili: & non dicitur nobis ab alio dari id, quod ex tali potestate facimus: Contrà verò opera bona, quæ fiunt ab hominibus in statu naturæ lapsæ non ipsis, sed Deo tribuenda esse: quia non procedunt à libero eorum arbitrio cum potestate indifferentiæ, sed dantur illis per gratiam necessitantem, seu per auxilium quo fit, vt bene operentur. Neque minùs alienum est hoc gratiæ in vtroque statu discrimen, à doctrina discipulorum Augustini, & fidelium mentis eius interpretum: inter quos Fulgentius lib. 2. ad Thrasimundum cap. 3. sic habet: *Non alia stantem Angelum à ruinâ potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in vtroque gratia operata: in hoc vt surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto vt sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit; illius escâ, istius medicinâ.*

52. *Et auxilium nunc datum ad perseuerandum, non esse necessitans.* Denique præcipuum aduersarij fundamentum, quo discrimen illud stabilire conatur, sumptum ex Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 12. euertitur ab ipsomet Augustino lib. de bono perseuerantiæ cap. 6. nam quod ille dixerant Adamo datum fuisse auxilium, non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo perseuerare non posset: nunc verò Sanctis in regnum Dei electis tale auxilium dari, non modò sine quo perseuerare non possint, sed quo non nisi perseuerantes sint, quódque non potest contumaciter amitti: &c. exponit de necessitate perseuerandi non antecedente, & orta ex vi ipsius auxilij dati ad perseuerandum: sed tantùm consequente ex hypothesi, quod reipsâ perseueratum sit: nam antequam actu perseuerauerit, potest amittere quicquid habet, vt ait ibidem Augustinus, nimirum quia auxilium illud ita perseuerantiam dat, vt non tollat potestatem non perseuerandi: quemadmodum rectè Augustinum intellexit Prosper, alter insignis eius discipulus lib. 2. de vocat. Gent. cap. 28. vbi ait Deum *ad obediendum sibi, ipsum velle sic donare, vt etiam à perseueraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat.* Quibus verbis non significat remotam solùm nolendi potestatem, & in sensu diuiso, id est, ipsam voluntatem non tolli per auxilium perseuerandi, quam manifestum est sub quocunque auxilio remanere, neque potest nisi ineptissimè de eo dubitari: sed neque tolli potentiam proximam, & expeditam ad non perseuerandum. de quo solo dubitari poterat: quia videlicet auxilium non est huiusmodi vt tollat potestatem indifferentiæ, & necessitet voluntatem ad perseuerandum. *Idémque docent Prosper & Trident.* Quam doctrinam Augustini & Prosperi confirmauit Trident. sess. 6. cap. 13. cùm de dono perseuerantiæ, & de iustificatis sic ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere:* apertè significans eos, qui perseuerant, posse deesse Dei gratiæ, & non perseuerare: nam alioquin frustra adderet, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint.* Non est igitur tale discrimen inter gratiam datam in statu innocentiæ ad bene operandum & perseuerandum, & illam, quæ datur in statu naturæ lapsæ; quale vult esse Iansenius: quòd scilicet ista necessitet voluntatem: illa indifferentiam relinqueret: sed verum inter eas discrimen est, quòd in hoc statu naturæ lapsæ sit opus maioribus, & frequentioribus auxiliis, neque solùm ex parte intellectus, verùm etiam ex parte voluntatis, & magis speciali Dei protectione, propter difficultatem bene operandi, quæ nunc est, amissâ integritate, & aliis priuilegiis status innocentiæ, & propter continua, grauiáque peccandi pericula, quæ à concupiscentia, & à dæmone perpetuò imminent, quæque in statu innocentiæ non fuissent. Eóque sensu intelli-

Disp. 12. sect. 2. & seqq. gendus est Augustinus capite 12. & 13. lib. de Corrept. & gratia. Vt ostendemus alio loco, vbi de differentia inter gratiam primi hominis, & Angelorum, & gratiam naturæ lapsæ dicere iterum nos coget aduersarius: sæpius enim inculcat differentiam modò refutatam, quâ vnâ euersâ corruit simul tota moles nouæ illius Theologiæ.

SECTIO VII.

Examinantur aduersariorum effugia.

52. SVPEREST vt examinemus, quæ aduersarius cap. 17. 18. & 19. eiusdem libri *de gratia primi hominis, & Angelorum*, reponit tribus argumentis contra suam sententiam obiectis, vt eorum vim eludat, & lectoris inerudit simplicitati illudat.

Iansenij euasiones. Ad primum, sumptum ex D. Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 10. vbi de Adamo in statu innocentiæ dicitur, *Non habuit perseuerantiam: & si non habuit, non vtique accepit:* Respondet Suarem, & alios à quibus hoc testimonium profertur, accepisse obiectionem Pelagianam, pro solutione D. Augustini, & errorem ab ipso impugnatum ibidem, pro veritate ab ipso tradita. Ad secundum petitum ex lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi de Angelis bonis & malis ita dicit August. *Istis malâ voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt:* Respondet Iansenius Augustinum loqui non de auxilio, cuius ope assecuti sint beatitudinem: sed de collato per ipsammet beatitudinem, per quam facti sunt stabiles in æternum, & certi de suâ stabilitate & felicitate sempiterna. Ad tertiũ desumptum ex Censura Pij V. & Gregorij XIII. in Bullâ contra Michaëlem Baium, quâ damnatur hæc eius propositio: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.* Itémque ista: *Et bonis Angelis, & primo homini si in statu illo perseuerasset vsque ad vltimum vitæ, felicitas esset merces non gratia:* Respondet, non ideo Angelorum, & Adami merita non esse gratiam, quia non supremo modo sunt gratia. Sunt enim gratia, & quia liberum arbitrium, à quo fiunt, gratis datum illis est in creatione, sicut & tota natura: & quia Deus ad illa incitabat præmio immortalitatis, & supplicio mortis proposito: & quia bonam voluntatem hominibus & Angelis dedit Deus, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam: & denique quia gratiam non solùm habitualem, sed etiam actualem, & supernaturalis ordinis adiutorium ad operandum iustitiam, illis dedit.

53. *Imponit Doctoribus Catholicis.* Sed ad primum dico primò, verba illa D. Augustini non immeritò à Suare lib. 10. de grat. c. 9. num. 6. Vasq. 1. p. disp. 98. cap. 2. & ab aliis afferri tãquam ipsius Augustini: quia licèt ab ipso proponantur in obiectione aduersariorum, admittuntur postea ab eodem in eo sensu, quo ab illis auctoribus accipiuntur pro confirmanda sua sententia. Nam ex verbis sequentibus eodem capite decimo, vndecimo & 12. libri de Correptione & gratia, manifestum est admittere Augustinum, & apertè docere Adamum non accepisse ad perseuerandum auxilium quo fieret, vt actu perseueraret: id est, vt ipsi loquuntur auxilium congruum, sicut accipiunt nunc, quicunque perseuerant: sed habuisse tamen auxilium, quo posset perseuerare, si vellet, & sine quo non posset, id est, auxilium sufficiens: ac proinde culpabilem esse in eo, quòd non perseuerauit, cùm posset perseuerare, si voluisset.

Sic enim sibi obiicit August. cit. cap. 10. *Sed illud magis quærendum, operosiùsque tractandum est, quomodo respondeamus iis, qui dicunt, Si in illâ rectitudine in qua sine vitio factus est* Adam, *habuit perseuerantiam, proculdubio perseuerauit in ea: Et si perseuerauit, vtique peccauit &c. Eum autem peccâsse veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseuerantiam: & si non habuit, non vtique accepit, &c. Porro si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseuerando peccauit, qui perseuerantiam non accepit?* Cui dilemmati vt respondeat Augustinus, & ostendat Adamum, qui non perseuerauit, ac proinde perseuerantiam aliquo pacto non habuit, peccasse nihilominus non perseuerando: distinguit duplex auxilium datum ad perseuerandum: vnum quod dat posse perseuerare, sed non facit vt actu perseueretur: & hoc auxilium dicit habuisse Adamum: ideóque peccâsse non perseuerando; quia poterat perseuerare si vellet. Alterum, quod dat perseuerare reipsa, id est, cum quo coniuncta est actualis perseuerantia, & non sola possibilitas perseuerandi: Quale auxilium habent nunc omnes, qui ad regnum cœleste efficaciter prædestinati sunt. Et hoc auxilium dicit non habuisse Adamum ad perseuerandum in statu innocentiæ: ac proinde non accepisse à Deo, à quo venit omne auxilium gratiæ. *Primo homini* (inquit capite duodecimo) *datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret: sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseuerantiæ datur: sed tale vt eis perseuerantia ipsa* (actualis) *donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* 54.

Ineptè exponit Augustinum. Ad secundum dico secundò, ineptum esse, & à mente Augustini prorsus alienum, quod respondet Iansenius, cum loqui de adiutorio, quod per ipsam Beatitudinem iam adeptam collatum fuit bonis Angelis: non de illo, quod fecit eos perseuerare, & ad illam Beatitudinis plenitudinem peruenire. Nam Augustinus disertè affirmat Angelos bonos *ampliùs adiutos ad illam Beatitudinis plenitudinem peruenisse.* Ergo loquitur de auxilio, quo adiuti peruenerunt: non autem de accepto postquam peruenerunt: Quapropter Esthius (quem velut egregium Scriptorem non semel commendat Iansenius) in 1. Sentent. distinct. 41. §. 13. hanc euasionem, à nescio quo alio priùs excogitatam, meritò velut absonam ineptámque contemnit, & reiicit, his verbis: *Si hoc adiutorium, quo beati Angeli dicuntur adiuti, esset ipsa Beatitudo, sensus redderetur ineptus: scilicet Angelis collatam esse Beatitudinem, quâ ad Beatitudinem peruenirent.* Additque ex præcedentibus, & se- 55.

quentibus toto illo capite, constare Augustinum ibi loqui de causâ efficiente bonæ, melioris, & perseuerantis voluntatis in rationali creatura; maximè in Angelis; quam dicit esse Deum ampliùs iuuantem, per gratiam scilicet congruam, id est præuisam habituram effectum: & per gratiam concomitantem, vel actualem concursum.

56. *Dissimulat errorem Baij.* Ad tertium, dico tertiò, Si Iansenius sincerè agere voluisset, miniméque lectori fucum facere, vt solet; debebat primùm ostendere, quis fuerit sensus Michaëlis Baij in duabus illis propositionibus à Sede Apostolicâ damnatis secundùm sensum, quo ab illo Doctore assertæ fuerant, post diligentem, & attentam Scriptorum illius considerationem, vt affirmat Pius Quintus in Bullâ citatâ. Tum deinde demonstrare suam sententiam diuersam esse, si non quoad modum loquendi, saltem quoad sensum, ab illius doctrinâ meritò proscriptâ. Sed hoc minimè fecit Iansenius, quia sibi conscius erat non aliud sensisse, & asseruisse Baium, quàm quod ipse affirmat, & D. Augustini auctoritate, perinde atque Baius, stabilire nititur: quippe cuius propositiones toto suo Commentario de gratia, illustrare conatus est, & ab illa Censura Sedis Apostolicæ, velut iniustâ vindicare.

57. *I ... itur, & sentit idem cum illo.* Addo, quamuis aliud sensisset Iansenius, non debuisse tamen propositiones illas assertiuè pronunciare iisdem terminis, aut æquiualentibus, quibus proscriptæ fuerunt. Vt facit eodem lib. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 16. §. *Quod si perseuerantiam:* affirmans neque bonos Angelos peculiari dono gratiæ accepisse perseuerantiam: neque Adam accepturum fuisse, si in iustitia permansisset: idémque de singulis meritis longè potiori ratione sentiendum esse. Et in fine §. sequentis dicit, *Primi status*, innocentiæ scilicet, *meritum, esse propriè meritum: secundi status, esse gratuitum donum:* id est, vt bona sit oppositio, primi status meritum non esse propriè gratiam: ideóque non rectè vocari gratiam: quod est dicere cum Baio, *Nec boni Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* Et lib. 9. de gratia Christi Saluatoris cap. 10. postquam dixit §. *Hinc tertiò nascebatur, Neque volitiones, neque actiones Angelorum, hoc est, neque merita, neque perseuerantia meritorum, erant specialia Dei dona, hoc est non eis Deus speciali donatione seu gratia largiebatur:* addit paulò pòst §. *Hinc nascebatur sextò*, quòd *neque vita æterna erat Angelis* stantibus *gratia specialis; sed merces* meriti. Et paulò inferiùs prope finem capitis: *Ita prorsus*, inquit, *de donatione, ac prædestinatione gratuita meriti, & perseuerantiæ hominum innocentium, Angelorúmque statuendum est: nempe ea non fuisse gratuitò Angelis prædestinata: quia non gratuitò donata.* Quæ duæ propositiones sunt eædem in terminis æquiualentibus cum priori propositione Baij à Pontificibus suprà nominatis damnatâ; & cum posteriori, quâ sic ait: *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseuerasset, felicitas esset merces, non gratia.* Et hactenùs de natura integra, & statu innocentiæ, seu gratia primi hominis.



DISPVTATIO XV.

De statu naturæ lapsæ, & reparatæ per Christum.

SECTIO I.

Quid de illo sentiant Theologi?



SVPEREST quartus, & vltimus status, qui est naturæ lapsæ per peccatum Adami: lapsæ inquam, à supradictâ integritate, & à iustitia originali. Quæ integritas, aliáque priuilegia iustitiæ originalis, licèt cum peccato mortali esse potuerint, absolutè loquendo: reipsâ tamen non manserunt, sed conuenienter à Deo in pœnam statutum est, vt qui per peccatum à Deo se auerterat, eiúsque legi inobediens extiterat, pateretur rebellionem partis sensitiuæ, & morbis, mortalitati, aliísque incommodis subiiceretur. Hic autem status duplex iterum distingui potest. Alter naturæ lapsæ, non sanatæ, quoad culpæ infirmitatem, vt est in nondum baptizatis; & mundatis à peccato originali; vel in iis, qui actuali peccato mortali contaminati sunt. Alter est naturæ per gratiam sanctificantem reparatæ, ac sanatæ quoad prædictam infirmitatem culpæ, licèt non quoad læsionem naturæ, quæ consistit in rebellione partis sensitiuæ, mortalitate, aliísque incommodis naturalibus, à quibus non liberamur per iustificationem. Vnde collige parem esse infirmitatem naturalem in vtroque statu quoad actiones morales, per se loquendo, & ex natura rei, semotis auxiliis specialibus, & naturæ non debitis; quandoquidem gratia sanctificans naturalem difficultatem, & infirmitatem potentiarum, vel inclinationem non tollit. Comparando verò naturam lapsam cum natura pura, controuersia est, num sit maior infirmitas in natura lapsa, quàm esset in natura pura. Qua de re duæ sunt sententiæ. 1. *Quid & quotuplex ille sit?*

Prima affirmat parem esse vtriusque status infirmitatem. Fundamentum eius præcipuum est, quia in homine, post peccatum originale, naturalia omnia manserunt integra, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 95. artic. 1. vbi in hoc æquiparat hominem Angelis, in quibus omnia naturalia mansisse integra post peccatum, affirmat S. Dionysius cap. 4. de diuinis nom. Si autem per peccatum originale nihil homini ablatum est de naturalibus; ergo tota infirmitas, quam nunc habet ad bene operandum, est illi naturalis. Ergo eadem fuisset in statu naturæ puræ. Vires enim, quibus nunc caret, sunt illi gratuitæ. Ergo illis etiam caruisset in statu naturæ puræ non eleuatæ ad dona gratuita: Ita Bellarmin. lib. de statu primi hominis cap. 5. Valentia tom. 2. disput. 6. qu. 15. Suares prolegom. 4. de gratia cap. 8. num. 5. & alij plures, quos isti citant. 2. *Fuissetne par infirmitas in statu naturæ puræ? Prima sententia affirmans.*

3. *Altera sententia negans.* Secunda sententia affirmat maiorem esse infirmitatem naturæ lapsæ, quàm esset naturæ puræ. Ita docent Gregorius Ariminensis in 2. distinct. 30. q. 1. art. 2. ad 3. Didacus Aluares de auxiliis disput. 45. & 47. qui præterea affirmat quamplurimos è Thomistis ita sentire, & Benedictus Iustinianus in cap. 1. epist. 1. Ioan. ver. 9. num. 8. Fundamentum huius sententiæ præcipuum est, quia homo per peccatum originale vulneratus est in naturalibus, & relictus semiuiuus, iuxta parabolam, quæ habetur Lucæ 10. & expositionem Ambrosij, Augustini, Bedæ, aliorúmque sanctorum Patrum. Tridentinum quoque sess. 5. can. 1. dicit hominem per peccatum originale secundùm animam, & corpus fuisse in deterius mutatum: Quod non potest intelligi de solâ priuatione status integritatis & innocentiæ, aliorúmque donorum supernaturalium. Nam sancti Patres aiunt hominem fuisse non tantùm gratuitis priuatum, sed etiam in naturalibus vulneratum. Et Arausic. II. can. 1. dicit errore Pelagij deceptos eos esse, qui dixerint per offensam præuaricationis Adæ, non totum, id est, secundùm corpus, & animam, in deterius hominem commutatum; sed animæ illæsâ libertate durante corpus tantummodo corruptioni factum esse obnoxium. Cuius Concilij sententiam Synodus Tridentina secuta dicit anathema his, qui non confitentur totum Adam per illam præuaricationis offensam, secundùm corpus, & animam, in deterius mutatum fuisse, sess. 5. can. 1. de peccato originali. Idémque Arausic. can. 13. asserit, arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam, non posse reparari. can. autem 15. *Ab eo*, inquit, *quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius, per iniquitatem suam.* Et tandem canone 25. decernit iuxta SS. Scripturarum sententias, & antiquorum Patrum definitiones prædicandum, & credendum, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea, aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, posset, nisi gratia eum, & misericordia præuenerit.

4. Ne verò effugiat quis explicando Concilium de libertate quoad actus supernaturales duntaxat; occurrit Cœlestinus I. in epist. ad Episcopos Galliæ, vbi determinans quid contra hæreticos à Catholicis tenendum sit, affirmat in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere. Certè termini illi, ***naturalem possibilitatem*** manifestè indicant libertatem humanam, per Adami peccatum læsam fuisse, etiam in naturalibus. Deinde idem Arausic. satis inculcat sibi sermonem esse de vtraque læsione, naturali scilicet, & supernaturali, dum ait: *Ab eo, quod formauit Deus, mutatum Adam, sed in peius, per iniquitatem.* Formauit quippe Deus in Adamo libertatem non modò quoad supernaturalia, sed etiam quoad naturalia. Cùm igitur Concilium damnet erroris Pelagij eos qui negant totum hominem, per Adami peccatum fuisse commutatum; asserátque ipsum arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, & Adamum ab eo quod formauit Deus, per iniquitatem suam in peius esse mutatum; liberum denique arbitrium per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuisse: & Cœlestinus affirmet omnes homines naturalem possibilitatem in præuaricatione Adæ perdidisse: dici non potest libertatem non fuisse læsam in naturalibus per Adami peccatum. Alia quædam addit Aluares, quæ minùs roboris habent.

Existimò distinctione vtendum esse, quâ fortè possunt duæ illæ sententiæ conciliari. Si enim sermo sit de viribus intrinsecis animæ rationalis, quà rationalis est, intellectu scilicet, & voluntate: censeo illas easdem esse secundùm se in vtroque statu. Nam anima rationalis est simplex & indiuisibilis, & secundùm se diminui non potest. Vires autem naturales propriæ illius, nempe intellectus, & voluntas, vel non differunt realiter ab illa, vel saltem naturaliter sequuntur ex illâ secundùm substantialem illius perfectionem: habéntque vim operandi iuxta eandem mensuram, modò Deus non deneget suum concursum, neque producat in illis aliquid malæ qualitatis, quo reddantur debiliores. At Deo, qui vt ait Iacobus cap. 1. ver. 13. *intentator malorum est*, indignum videtur, vt in intellectu immediatè per se producat prauam qualitatem ad malè sentiendum; aut in voluntate ad turpiter operandum. Non negat etiam Deus concursum suum naturali facultati animæ, neque impedit, vt si vires animæ oriuntur ab anima tanquam qualitates ab ea distinctæ, vt multi putant; non oriantur secundùm illius perfectionem integrè, & adæquatè. Corporis etiam complexio, per se loquendo, eadem esset, remotis extrinsecis perturbantibus, aut impedientibus: quæ tamen eadem, vel paria esse non puto in vtroque statu. Nam dæmones magis sæuiunt in naturâ lapsâ; inuidentes magis homini ordinato, & tendenti ad gloriam supernaturalem à quâ ipsi exciderunt. Atque hinc prima ruinæ occasio per peccatum originale, vt communiter affirmant sancti Patres, & Scripturæ interpretes ad caput tertium Geneseos. Hinc continuus maior conatus ad pertrahendos homines in peccata actualia. 5. *Resolutio difficultatis.*

Nam quòd corruerit proditor Angelus,
Concessis meritò pulsus honoribus,
Ardens inuidiâ pellere nititur
Quos cœlo Deus aduocat:

vt Ecclesia canit in officio S. Custodis Angeli. Deinde quia in pœnam peccati originalis subiecti sumus potestati dæmonis, vt ex Concilijs & Patribus, alibi ostendimus, id est, permissi liberiùs ab eo tentari; & in pœnam eiusdem peccati permittitur magis sæuire rebellio partis sensitiuæ, destituimúrque illâ prouidentiâ quæ naturæ puræ deberetur, cuius ope possent homines in illo statu non modò physicè, sed etiam moraliter, seruare totam legem naturalem, & assequi naturalem beatitudinem, vt ostendimus disputatione præcedenti sect. 1. numero 6. & seqq. reipsáque non pauci illam adepti essent: Inde fit vt dæmones iusto Dei permissu magis sæuiant in natura lapsa, & plura in cursu rerum naturalium turbent, siue in ipsâ hominum generatio-

neratione, siue extra. Vnde maior naturæ corruptio quoad temperiem corporum, quæ à causis naturalibus pendet. Multa etiam vitia corporis ex peccatis contracta, vt ex nimiâ libidine, intemperantiâ, & similibus vitiis, in prolem redundant, & propagantur ad posteros. Quæ vitia eò plura sunt & maiora, quòd homines illâ prouidentiâ destituti in pœnam peccati, nisi gratuitò propter Christum hæc pœna remittatur; & alioquin æquè ac magis infirmi, sæpius succumbunt pluribus, & grauioribus dæmonum tentationibus. Vnde etiam plures, & maiores habitus vitiosi, quibus & vires liberi arbitrij eneruantur, & mala corporis complexio crescit.

6. Ex his autem omnibus fit, vt etiam intrinsecè maior sit infirmitas, & homo iure dicatur læsus in naturalibus; quatenus fomes peccati maior est, seu repugnãtia appetitus inferioris cum superiore, ob maiorem intemperiem qualitatum vitiis auctam & corroboratam: & arbitrij vires debiliores sunt, quia maior ignorantia ex parte intellectus passionibus excæcati, & impediti ne verum discernat; & voluntas, quæ naturaliter cum appetitu sensitiuo conspirat, & ad illum valde afficitur, debilior est ad honesta, sensui repugnantia. Cùmque anima pendeat aliquatenus à corporeis organis, & dispositionibus in suis operationibus; eóque meliùs, aut deteriùs operetur, quò hæc meliùs, aut deteriùs se habent: infirmitas corporis maior, orta ex causarum naturalium, & dæmonum, & vitiorum nostrorum perturbatione, maiorem quandam infirmitatem, siue imbecillitatem in operando inducit. Fortassis etiam Deus, ob maiorem ingratitudinem Adami, post tot accepta bona supernaturalia, deteriorem cursum, & coincidentias cælorum, & astrorum, & aliarum causarum naturalium, instituit, quàm in statu puræ naturæ fuissent. Ac certè eidem primo parenti post peccatum, Deus ita denunciauit Genes. 3. ver. 17. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.*

7. *Soluuntur argumenta contraria.* Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondeo, sensum illius axiomatis, sumpti ex Diuo Thoma, & sancto Dionysio, esse, quòd vires, & potentiæ naturales Angeli, & hominis manserint integræ: quódque homo vel Angelus per peccatum nihil perdiderit de bonis naturalibus intrinsecis. At non est sensus quòd habeant bene operandi facilitatem, quam haberent in naturâ purâ, si non peccarent: quódque nullum impedimentum aut difficultas occasione peccati superuenerit. Tum quia iustè in pœnam peccati destituuntur illâ prouidentiâ, quæ naturæ puræ non deesset, vt possent, etiam moraliter, totam legem naturalem seruare, & naturalem beatitudinem assequi. Tum etiam quia per peccata contrahuntur habitus vitiosi, & iustè à Deo permittuntur multa, ex quibus in natura lapsa difficilius est, & moraliter impossibile, diu legem naturalem seruare absque peccato mortali sine auxilio gratiæ. Et quidem euidens est dæmones nunc non habere tantam facilitatem bene operandi, & abstinendi à peccato, quantam habuissent, si non peccassent; etiamsi in natura purâ creati fuissent. Sicut non habent naturalem libertatem, & facilitatem mouendi se quocunque volunt, sed multi eorum certo loco alligati sunt, ex quo se dimouere nequeunt; & omnes tandem ad inferni carcerem amandandi sunt. Fuit etiam vel ipsis philosophis gentilibus notum, Deum specialiori prouidentiâ regere bonos, & virtutis amantes, quàm homines vitiis deditos. Quare in naturâ purâ in quâ non pauci rectè viuerent, Deúmque auctorem naturæ non offenderent, specialiùs à Deo regerentur, & iuuarentur ad bene operandum velut amici; quàm in naturâ lapsâ, in quâ omnes nascuntur inimici, & sæpe labuntur in peccata mortalia, ob moralem impotentiam, nisi propter Christi merita præseruentur, & auxiliis gratiæ instruantur.

Alia argumenta in fauorem secundæ sententiæ allata non egent refutatione, cùm nostram potiùs confirment. Fatemur enim hominem in deterius fuisse mutatum per peccatum Adami: non modò quoad animam per priuationem gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium; sed etiam secundùm corpus, & secundùm liberum arbitrium, infirmatum, & attenuatum, etiam quoad actus naturales, modo superiùs explicato. Quanquam quod obiicitur ex Cœlestino in Epistola ad Episcopos Galliæ, *In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse*, non aliud sibi vult, quàm perdidisse voluntatem sanam, id est iustitiâ originali, & virtutum supernaturalium habitibus instructam, expeditámque ad bene operandum: quam Diuus Augustinus libro primo de peccatorum meritis capite trigesimo septimo vocat *mentis valentiam*: & libro vndecimo de Genesi ad lit. *posse naturæ*, & *possibilitatem naturalem*. Quem loquendi modum Cœlestinus Papa vsurpauit capite tertio epistolæ citatæ: illo autem non significatur iustitiam originalem, statúmque supradictum esse voluntari naturalem, & ab illâ necessariò exigi: sed tantùm fuisse illi ab origine insitum, seu congenitum. Eodémque sensu idem sanctus Augustinus sermone decimo-quarto de verbis Apostoli, peccatum originale vocat peccatum naturæ; & à plerisque Theologorum vocatur peccatum naturale. Et Paulus Ephes. secundo versu tertio: *Eramus*, inquit, *naturâ filij iræ*: id est ab origine, propter illud peccatum nobis congenitum. Et denique, vt alibi notauimus, Iansenius ipse, quamuis sæpius hâc loquendi formulâ abutatur ad suum errorem de amissa libertate indifferentiæ confirmandum; fatetur tamen libro de Gratia primi hominis capite nono, aliquantò post initium, peculiarem esse Augustini ac discipulorum eius phrasim, & Concilij Arausic. vt sub libertate naturali, & possibilitate naturali, ipsâque naturâ totum illud comprehendatur, quod naturæ in ipsa prima conditione collatum est, etiam ipsa gratia habitualis, & alia dona supernaturalia tunc Adamo infusa.

8.

Quo sensu Adam naturalem possibilitatem perdidit?



SECTIO II.

Quid sentiant noui Dogmatistæ de statu naturæ lapsæ: & primò quoad peccatum originale?

9. QVIA natura lapsa idem est, ac natura læsa & corrupta per peccatum originale; idcirco ab istius peccati consideratione tractatum suum de statu naturæ lapsæ exorditur Iansenius, docétque 1. peccatum originale, iuxta doctrinam Augustini, materialiter sumptum, esse ipsam concupiscentiam; vt præcipuè probat ex lib. 3. contra Iulianum cap. 21. vbi sic habet Augustinus, *Malum originale dixi, cuius motibus mecum repugnas, & cuius contra me laudibus pugnas &c.* & lib. 6. contra eundem cap. 16. *Hoc ergo vitium* (quod suscitat desideria mala) *non potest nisi reatu tenere hominem, quamuis eiusdem mali bono vsu de castis coniugibus procreatum.* Et in libro 2. Operis imperfecti aduersus eundem, *Vtrum peccatum, an mors, an vtrumque per omnes homines pertransisse dictum sit, videtur ambiguum: Sed quid horum sit, res ipsa iam apertè demonstrat. Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est, nasceretur: si mors non pertransisset, non omnes homines &c. morerentur.* Nomine autem concupiscentiæ (inquit) non intelligit Augustinus solam libidinem illam, qua vel obscænæ corporis partes excitantur, vel intus ipse animus ad concubitum accensus inhiat, sed omnino omnes cupiditates animi; quibus homo ad peccata propellitur, & prouocatur, siue illa, carne, siue solo animo peragantur. Quo etiam sensu Iacobus cap. 1. idem nomen accipit dicens, vnumquemque tentari à concupiscentia sua abstractum & illectum. Eâdémque amplitudine exponit Augustinus quod ait Apostolus Rom. 7. *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces;* quem locum sic interpretatur: *Apertissimum, celeberrimúmque præceptum est, quod si quis impleuerit, nullum habebit omninò peccatum. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est &c. neque enim vllum peccatum nisi concupiscendo committitur.*

Doctrina Iansenij cap. 1. Concupiscentiam esse peccatum originale.

Quid eo nomine intelligat?

Lib. de perfect. Iust. cap. 6.

10. Docet secundò peccatum originale formaliter sumptum, iuxta doctrinam D. Augustini, esse reatum culpæ, quo anima verè coram Deo rea est: qui reatus per peccati remissionem tollitur, quamuis ipsa concupiscentia remaneat: atque ita peccatum originale integrè sumptum & adæquatè, esse concupiscentiam cum reatu. *Huius concupiscentiæ reatum* (inquit) lib. 1. de nuptiis cap. 19. *sola regeneratio dimittit, quem generatio trahit.* Et lib. 2. contra Iulianum cap. 3. *Sciens eius gratiâ nos sanari ab isto concupiscentiali motu, qui nos ab eius originali reatu, spiritali regeneratione sanarit.* Et paulò pòst, *Iam proculdubio cernis, atque concedis esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus, qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo.* Eodémque sensu lib. primùm cit. cap. 27. alibique sæpius, dicit concupiscentiam in renatis manere actu, & transire reatu: sicut è contrariò, quando aliquis peccauit actualiter, peccatum transit actu, & manet reatu, donec remittatur: id est, manet reus peccati apud Deum, quamuis actus, quo peccauit, physicè esse desierit.

Vult idem peccatum, formaliter esse reatum.

Per hunc autem culpæ reatum intelligit aliquid distinctum à reatu pœnæ; vt clarè docet lib. 1. Retract. cap. 15. *Quasi verò*, inquit, *peccatum quod eos ex Adamo dicimus originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vsquam esse potuerit, nisi in voluntate, quâ voluntate commissum est, quando diuini præcepti est facta transgressio.* Quibus verbis reatum culpæ in peccato originali distinguit à reatu pœnæ, & vnum esse causam alterius affirmat, cùm ait *Reatu peccati implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios.* Et lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum, dicit, non mortem solùm, sed & peccatum originale transisse ad posteros, neque sine malo merito trâsiuisse supplicium. Et in Psal. 50. *Nemo*, inquit, *nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.* Eundémque reatum culpæ vocat *immunditiam, & iniquitatem*, lib. 1. de peccatorum meritis cap. 24. & *mortem*, spiritalem scilicet, quâ mortuos dicit esse paruulos, lib. 6. contra Iulianum cap. 9. & 15. & *pollutionem*, lib. 4. contra eundem cap. 8. itémque lib. 10. de Ciuitate cap. 22. & *auersionem à Deo* lib. 1. de peccatorum meritis cap. 34. iisdem scilicet vtens loquendi modis, quibus Scholastici reatum culpæ siue peccati originalis, siue personalis exprimere solent. 11.

Quid sit ille reatus?

Docet 3. peccatum originale desumere rationem voluntarij ex peccato Adami. Fatetur enim Augustinus, sicut omnino fatendum est (inquit) peccatum etiam originale esse volũtarium, non voluntate propriâ paruulorum, sed primi hominis, vnde sumpsit exordium. Ideóque Iuliano obiicienti, non posse in paruulis esse peccatum, in quibus non est voluntarium: ita respondet lib. 1. contra Iulianum cap. 10. *Ea commemoras, quæ penè omnia prædicamus & nos, & de quibus nullo modo dubitandum esse censemus; vsque adeò, vt etiam illud, quod dicis, sine opere liberi arbitrij nullum hominis esse posse peccatũ, verum esse fateamur. Non enim & hoc esset peccatum, quod originale traheretur sine opere liberi arbitrij, quo primus homo peccauit.* Et lib. 1. Retract. cap. 15. *Quasi verò peccatum*, inquit, *quod eos* (paruulos) *ex Adam dicimus trahere originaliter, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vsquam esse potuerit, nisi in voluntate, quâ voluntate commissum est, quando diuini præcepti est facta transgressio.* In eadémque voluntate Adami liberum illud fuisse, & vitari potuisse affirmat lib. 2. Operis imperfecti folio 284. & lib. 3. contra Iulianum cap. 18. & lib. 1. Retract. cap. 15. Idque sufficere ad rationem omnis illius peccati, quod ita peccatum est, vt simul etiam sit pœna peccati: ideóque non esse necesse, vt sit ipsimet contrahenti voluntarium, quemadmodum ait lib. 1. Operis imperfecti folio 57. & lib. 1. Retract. cap. 13. 15. & 16. 12.

Dicit esse voluntarium in Adamo.

Docet 4. peccatum originale propagari ab Adamo ad posteros, non vt existimant Theologi, ratione pacti alicuius, quo Deus omnes posterorum voluntates in primi parentis voluntate collocauerit; ita videlicet, vt quemadmodum voluntas eius esset futura voluntas omnium in custodienda ac transfundenda iustitia, ita quoque præuaricatio eius, omnium 13.

Vult propagari ex natura rei.

esse censeretur: quapropter nihil aliud isti ad peccati transfusionem postulant, nisi vt natura humana, ex Adam vera generatione descenderit: quam doctrinam dicit à mente Augustini esse alienissimam, & in eius opinione absurdissimam, vniuersámque eius doctrinam de peccato originali subuertere: sed transfundi per libidinem, seu concupiscentiam, non tanquam argumentum corruptionis, sed tanquam veram causam transfusionis: atque ita ex ipsâ naturâ rei propagari. Quod probat primò multis Augustini testimoniis, quibus af-
Iansenius lib.1.cap.6. firmat magnitudinem peccati Adæ totam naturam vitiantis, & inficientis concupiscentiâ, esse primam radicem transfusionis, libro primo de nuptiis capite 32. & libro secundo, capite penult. & libro 13. de Ciuitate Dei capite 3. & 15. & libro 14. capite 20. & libro 2. Operis imperfecti fol. 37. Verba illius loco primùm citato hæc sunt: *Ex quo enim Adam ex olea tali, in qua nec semen erat huiusmodi, vnde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conuersus est; quia tam magnum peccatum fuit vbi magna in deterius fieret mutatio naturæ; totum genus humanum fecit oleastrum: ita vt (quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus) si quid inde in oleam gratia diuina conuertit, ibi vitium primæ natiuitatis, quod erat originale peccatum, de carnali concupiscentia traductum & attractum remittatur, tegatur, non imputetur: inde tamen oleaster nascatur, nisi & ipse in oleam eâdem gratiâ renascatur.*

14
Ibidem capite 7. Probat 2. ex aliis locis, quibus exprimit concupiscentiam esse propinquam causam transfusionis, vt libro primo de peccatorum meritis capite nono. *Occultâ etiam*, inquit, *tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes*, & libro primo de nuptiis & concupiscentiâ capite vicesimo-tertio. *Hæc, inquam, concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione traiicit in posteros.* Et libro secundo Operis imperfecti contra Iulianum fol. 250. *Ecce de qua trahitur originale peccatum*, (scilicet de pudenda libidine) *ecce per quam nasci noluit, qui venit non suum ferre, sed nostrum auferre peccatum.*

15.
Ibidem capite 8. Probat 3. ex eo quòd Augustinus Pelagianis quærentibus, & veluti inuictum argumentum obiicientibus, quomodo possint parentes regenerati transmittere peccatum originale in filios: nunquam recurrit ad pactum aliquod à Deo initum cum Adamo; vel ad id, quòd ab ipso per naturalem generationem propagentur, idque sufficiat, vt peccatum originale contrahant, qualescunque sint parentes, à quibus proximè generantur: sed semper eò, tanquam ad firmissimum illius Catholicæ veritatis firmamentum fugit, quòd quamuis in parentibus expiatum sit baptismi regeneratione peccatum concupiscentiæ, tamen infirmitas post baptismum in eorum membris non extinguitur: per cuius inobedientiam cùm filij generentur, necesse est, vt ex ea peccatum contrahant. Vt videre est epist. 105. in fine, vbi sic ait: *Quasi verò in baptismo, concupiscentiæ carnis infirmitas continuò sanetur, sicut continuò reatus eius aboletur: sed gratiâ renascendi, non conditione nascendi. Vnde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur.* Et libro secundo de peccatorum meritis capite 27. *Quamdiu ergo*, inquit, *manet lex concupiscentialis in membris, manente ipsâ, reatus eius soluitur &c. ex illâ autem manente concupiscentiæ vetustate, qui nascitur, renasci indiget, vt sanetur.* Et alibi docet, si filij ex Adam sola spirituali voluntate gignerentur, nullum ex eis delictum esse tracturos, nimirum quia deesset causa, per quam ex parente in prolem traiici posset, origo scilicet ex carnali concupiscentia. *Proinde isti*, inquit epist. 89. *si quem fortè inuenerint infantem non ex illius vnius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium; nec per gratiam Christi ab illa damnatione esse liberandum.* Et libro secundo de nuptiis & concupiscentia, capite 34. *Proles vero eorum* (renatorum parentum) *quia non per spiritalem sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illâ oliuâ quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit.*

Probat 4. ex eo quòd Augustinus causam cur Christus noluerit naturali via generari dicit esse, ne per concupiscentiam genitus, concupiscentiæ vitium seu peccatum originale ex Adamo traheret: sic enim ait lib. 1. de nuptiis cap. 12. *Solus ibi* (in beata Virgine) *nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine carnis pudenda concupiscentia, quæ accedit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato; non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: vt hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Et lib. 2. de nuptiis cap. 15. *Qui eam* (diabolus concupiscentiam) *in Domino non inuenit, quia Dominus homo, non per ipsam ad homines venit.* Similia dicit lib. 5. contra Iulianum cap. 15. aliisque locis. 16. Ibidem capite 9.

Probat 5. quia ipsimet Pelagiani intellexerunt talem esse Augustini sententiam de concupiscentia, propagante peccatum originale: neque abnuit Augustinus, sed veram esse, libris contra eos editis, vbique confirmauit: vt videre est lib. 2. contra Iulianum cap. 1. & lib. 2. Operis imperfecti folio 238. & libro 2. de nuptiis capite 10. & libro 1. ad Bonifacium cap. 17. alibique sæpius. Et verò nisi ita esset, vana foret illius disputatio contra Pelagianos tredecim præcipuè libris, quos contra Iulianum & alios eiusdem sectæ hac intentione exarauit: nimirum duos libros de nuptiis & concupiscentia, sex alios contra Iulianum, & alios quinque, quorum duo tantùm extant, nuper in lucem editi sub titulo *Operis imperfecti*. Nam in illis omnibus in id vnum probandum incumbit, concupiscentiam non esse à Deo, sed ex Adami peccato: per eandémque peccatum originale ab Adamo ad posteros transfundi. Vana quoque foret & fallax Ecclesiæ de Pelagianis victoria: quippe quæ de illis per vnum Augustinum triumphauit, silentibus ceteris omnibus Catholicis, quamdiu cum illis conflixit. 17. Ibidem capite 10. Ibidem capite 11. Ibidem capite 12.

Docet denique 5. modum, quo transfunditur peccatum originale, similem esse modo, quo vitia siue animorum, siue corporum transmittuntur à parentibus ad liberos ex ipsa rei natura. Nam, inquit, ex natura rei, & non ex vlla posi- 18. *Quomodo velit transfundi.*

Iansen. ibidem cap. 16.

tiua Dei, vel Adami voluntate, posterorum voluntates in suâ positas continente, iuxta Augustini doctrinam, factum fuit, vt primum illud magnum delictum vnà cum natura in prolem transeunte, transiret; non secus ac subinde cæcitas, podagra, aliáque parentum vitia, cùm affectuum, tum corporum transfunduntur. Atque hoc significari ait, quando Augustinus affirmat, naturam esse in primo parente vitiatam, & radicem corruptam, & fontem in amaritudinem versum, *Omnes* (inquit in sermone de nuptiis filij regis, qui habetur in appendice) *de vno fonte manauimus. Et quia ille vnus in amaritudinem versus est, omnes ex oliua oleaster facti sumus*; morbum scilicet trahendo de morbo, malum de malo; vitio propagante vitium, Deo creante naturam; vt idem ait aliis locis. Siue hoc fiat quia concupiscentialis affectus ardentissimus, qui non solùm in membris corporis, sed in ipso quoque appetitu sensitiuo, voluptati corporis inobedienter, & citra, imò contra imperium voluntatis inhiante, percipitur, efficacissimam habet potestatem, quâ similis qualitas in fœtum à generantibus traducatur: siue potiùs, quia concupiscentia, naturæ vitium, peccato primi parentis inductum, ita intimis medullis eius conspersa & innata est, vt non solum hominem primum, seu naturam peccantem, sed & totam naturam, adeóque ipsum carnale semen vitiauerit, quo natura in posteros traducenda est.

SECTIO III.

Refutatur doctrina proposita.

19. AD quæ respondeo, & dico primò, tametsi D. Augustinus in ea sententia fuisset de essentia peccati originalis, & modo quo traducitur ab Adamo ad posteros, necessarium tamen non fore illi adhærere, cùm nihil tale ab Ecclesia definitũ fuerit: quamuis enim per Cœlestinum I. aliósque Pontifices, & per Concilia, contra Pelagianos, & Semipelagianos celebrata, definierit peccatum Adæ propagari ad posteros, & debere per lauacrum regenerationis in illis expiari: nusquam tamen affirmauit peccatum illud consistere in concupiscentia cum reatu, vel traduci per ipsam concupiscentiam, & ex ipsa rei naturâ, vt docet, & tribuit Augustino Iansenius. Nec vnquam talem eius doctrinam approbauit, vt patet ex dictis disp. 12. sect. 6. Sed neque S. ille Doctor tantum sibi tribuit auctoritatis, vt velit teneri ab omnibus quidquid ipse affirmat; sed potiùs optat examinari quæ scripsit, & corrigi, sicubi minùs veritatem assecutus fuerit: quemadmodum liquet ex eius verbis relatis disput. cit. sect. 5. Sæpius etiam fatetur, certum quidem ac notissimum esse dari peccatum originale, sed eius naturam obscurissimam esse, ita vt *Hoc peccato antiquo nihil sit ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*, vt ait lib. de moribus Ecclesiæ cap. 22. Et lib. 3. de peccatorum meritis cap. 3. propositis argumentis Pelagij contra ipsammet peccati originalis existentiam & traductionem, fatetur cap. 4. tantam in illis esse difficultatem, vt soluendæ non sufficiat. *Ego autem*, inquit, *etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in Scripturis sunt apertissima, vt ex his reuelentur obscura.* Et epist. 27. ad Hieronymum, sincerè profitetur suam anxietatem circa propagationem peccati originalis ex Adamo ad posteros, præsertim iuxta sententiam illam, circa quam ipse fluctuat, licèt nunc certissimam, & apud omnes Catholicos indubitatam, quòd animæ posterorum non traducantur ex Adamo, sed immediatè creentur à Deo, illo ipso instanti quo infunduntur corporibus.

Ecclesia nihil tale definiuit.

Quare fallitur, aut potiùs fallere meditatur Iansenius, quando cap. 14. & 15. eiusdem libri 1. de statu naturæ lapsæ dicit Augustinum dubitasse quidem de duobus ad peccatum originale pertinentibus: nimirum quomodo traduci posset à parentibus baptizatis ad liberos, post baptismum & iustificationem ab ipsis progenitos: & quomodo iustè puniatur non solùm pœnis huius vitæ, sed & multò magis futuræ damnationis in paruulis sine baptismo morientibus, antequam quidquam mali fecerint: at verò tanquam veritatem Catholicam, & sententiam Ecclesiæ constanter ab initio vsque ad mortem docuisse, peccatum originale cõsistere in concupiscentia cum reatu, atque per ipsammet concupiscentiam, & ex ipsa rei natura, propagari. Nam ex locis citatis, manifestum est legentibus, dubitationem, & difficultatem quam circa peccatum originale patiebatur Augustinus, ad ipsam etiam peccati existentiam & traductionem generaliter sumptam pertinuisse. Neque satis probat Iansenius id quod affirmat ex his Augustini verbis libro quinto contra Iulianum cap. 12. *Vtrum malum non sit* (concupiscentia) *cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum: & vtrum non ex ipsa & cum ipsa concupiscentia nascatur, cui malum vllum inesse negas: & vtrum ab ingenerato malo possit hominum quisquam sine regeneratione liberari, hoc inter nos disseritur; In his quæstionibus, Catholicâ veritate antiquitus traditâ, vestra impia nouitas suffocatur.* Nam hæc facilè possunt in hunc sensum intelligi, quòd concupiscentia sumpta pro habituali inclinatione vitiosa & effræni ad bona commoda, vel delectabilia, honesto repugnantia, sit malum quoddam, & defectus naturæ, cum quo nascimur omnes, & à quo liberamur quodammodo per baptismum, quatenus vi illius accipimus gratiam habitualem, & ius ad auxilia quibus illius motibus resistamus, & rectæ rationi eam subiiciamus: quæ omnia vera sunt in quacunque Catholicorum sententia, sed nullo modo probant peccatum originale consistere in ipsa concupiscentia, & ex natura rei per eandem transmitti ab Adamo in posteros. Alia verò quæ refert ex Augustino eodem capite, Iansenius, non plus habent roboris ad idem persuadendum. 20.

Qualis fuerit dubitatio sancti Augustini circa peccatum originale?

Dico 2. dupliciter intelligi posse concupiscentiam esse materiale peccati originalis, seu originale peccatum consistere materialiter in concupiscentia. Prior sensus est, quòd concupiscentia sit propriè peccatum, aut illius pars, seu quòd peccati propriè dicti rationem habeat; & hic sensus est falsus, & hæreticus, 21.

Concupiscentia non est propriè & per se peccatum.

intentus à Luthero & Caluino aliísque sectariis huius temporis, vt videre est apud Bellarminum libro quinto de amissione gratiæ & statu peccati capite quinto. Eidémque fauet Iansenius citato capite 14. vbi postquam dixit, certum fuisse Augustino, tanquam dogma fidei, peccatum originale esse concupiscentiam, addit causam illius certitudinis habere potuisse, ex eo quòd Apostolus Rom. 5. ita docuisse videatur. Nam cùm dixisset capite 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors &c.* quod iuxta Catholicam fidem de peccato originali intelligendum est, consequenter sæpius peccati mentionem faciens, non aliud peccatum intelligit, nisi concupiscentiam. Nam in consequentibus istius discursus, id quod ait, *qui enim mortui sumus peccato:* intelligitur in baptismo, sicut verba immediatè subiuncta probant, *An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c.* ergo & de originali istud intelligitur, &c. & in sequentibus reliqua parte capitis, atque etiam capite 6. docet concupiscentiam, quam sæpius peccatum vocat, esse illud ipsum, à quo per mortem Christi in baptismo liberantur quicunque renascuntur & peccato moriuntur per baptismum. Hæc Iansenius.

22. Quæ si vera sunt: consequens est concupiscentiam esse mortem illam animæ, de qua ibi loquitur Apostolus, & à qua Christus per baptismum nos liberat, illámque in vitam spiritalem iustitiæ supernaturalis commutat. Hæc autem mors, verè & propriè peccatum est: cóque nomine exprimitur ab omnibus Catholicis, cum Tridentino sess. 5. can. 2. affirmante Adamum *non solùm mortem & pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, sed etiam & peccatum, quod mors est animæ.* Quare si concupiscentia est mors illa animæ, de qua loquitur Apostolus, vt eam interpretatur Iansenius: consequens est illam esse verè, & propriè peccatum: hic autem sensus cuiuscunque sit, hæreticus est. Nam ab eodem Concilio, eadémque sessione canone 5. definitum est, manere concupiscentiam in renatis, idémque sæpius affirmat Augustinus post Apostolum Rom. 7. qui licèt baptizatus, & renatus in Christo, de concupiscentiâ, & carnis rebellione conqueritur: quódque in aliis similiter remaneat notissimum facit ipsa experientia; nec minùs certum est ex eodem Tridentino loco citato, per Iesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, non solùm reatum peccati originalis remitti, sed etiam tolli *totum id quod verum, & propriam rationem peccati habet. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem:* quibus verbis alludit ad id quod ait Apostolus Rom. 8. ver. 1. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu &c.* Quare certum est, & definitum à Concilio, concupiscentiam non esse verè & propriè peccatum.

Probatur ex Tridentino.

23. Alter sensus est, quòd concupiscentia sit materiale peccati originalis, non tanquam propriam rationem peccati continens, sed tanquam aliquid specialiter adiunctum auersioni à Deo, vel priuationi gratiæ, aut iustitiæ originalis, aut cuius alteri, in quo consistat propria & tota ratio formalis peccati originalis: quo sensu D. Augustinum interpretatur & sequitur D. Thomas 1. 2. quæst. 82. art. 1. & 3. eidémque adhærent quidam alij Theologi: in eundémque sensum potiùs, quàm in Lutheranum, & Caluinisticum debebat Augustinum interpretari Iansenius: cùm nullum eius proferat testimonium, quod hanc explicationem admittere non possit. Præsertim cùm idem S. Doctor libro primo de nuptiis & concupiscentia cap. 23. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10 & lib. 1. Retract. cap. 15. aliísque locis, affirmet concupiscentiam non esse propriè peccatum, sed ita vocari metonymicè, tum quia est effectus peccati primi parentis, tum etiam quia est causa peccati, quando illi ad peccandum sollicitanti consentitur: sicut scriptura cuiusque, vocatur manus quia manu fit, & frigus vocatur pigrum quia pigros facit. *Hoc peccatum de quo sic est loquutus Apostolus, ideo peccatum vocatur quia peccato factum est, & pœna peccati est. Quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur;* inquit cit. cap. lib. 1. Retract. Et lib. 1. de nuptiis cap. 23. dicit concupiscentiam vocari peccatum, *quia peccato facta est, cum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itémque sic vocatur peccatum, quia peccatũ, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat.* Similíque modo Trident. cit. can. 5. ait: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quod ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Quo sensu dici possit esse materiale peccati orig.

Adde quod idem S. Doctor sæpius docet, in 24.
baptismo fieri remissionem omnium peccatorum, & tamen non tolli concupiscentiam, sed ad agonem relinqui: ergo censet illam non esse per se & verè ac propriè peccatum. Et libro de continentia cap. 7. *Languorem istum* (inquit de concupiscentia) *culpa meruit, natura non habuit: quam sanè culpam per lauacrum regenerationis Dei gratia fidelibus iam remisit, sed sub eiusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Et inferiùs, *Propitius fit iniquitatibus, cùm peccata dimittit; sanat languores cùm desideria praua compescit; propitius fit iniquitatibus dando indulgentiam; sanat languores dando continentiam. Illud factum est in baptismo confitentibus, hoc fit in agone certantibus.* Et libro sexto contra Iulianum capite decimo-sexto. *Omni peccato caret* iustificatus, *sed non omni malo:* quia scilicet non caret concupiscentia, & aliis naturæ defectibus. Et lib. 14. de Trinitate cap. 17. dicit in baptismo remitti omnia peccata, non tamen extingui concupiscentiam, quia aliud est causam remouere languoris, aliud ipsum curare languorem.

Dico tertiò, dupliciter quoque intelligi posse formale peccati originalis consistere in reatu, & auersione à Deo. Primò scilicet, quòd concupiscentia per se ipsam reum peccati faciat, & auertat à Deo: ita vt reatus culpæ, qui formaliter constituit peccatum originale, sit ipsa concupiscentia reum per se consti- 25.

Concupiscentia non est per se reatus peccati originalis.

tuens, & auertēs à Deo: sicut furtum per se constituit reum furti: & homicidium vel adulterium constituit reum homicidij, vel adulterij: & sicut eo ipso quòd quis furtum aut homicidium committit, dicitur reus peccati furti, aut culpæ homicidij: sic eo ipso quòd quis habet concupiscentiam, fit reus culpæ originalis, & peccati propriè dicti. Atque hic sensus hæreticus est, à Luthero, & Caluino aliisque sectariis intentus, qui idcirco volunt concupiscentiam esse per se verè, & propriè peccatum. Eidémque adhærere, & in hunc sensum intelligere Augustinum videtur Iansenius lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap. 3. cùm ait causam cur D. Augustinus toties inculcet, nihil aliud esse originale peccatum nisi concupiscentiam, quatenus animam reatui suo obnoxiam tenet, esse, quia solitâ suâ profunditate ipsam primam radicem tangere voluit. Ex quo nascitur, vt anima paruulorum, quamuis à Deo bono condita, ab eodem tamen Deo suo auersa, & per hoc iniqua, iniusta, mortua, & consequenter immunda, & polluta proferatur. Quam auersionem postea exponens dicit illam in eo consistere, quòd concupiscentia sit habitualis quædam conuersio ad bona creata, & consequenter auersio à Deo, transfusa ab Adamo in paruulos, & sananda per gratiam Christi Saluatoris. Quæ gratia si defuerit (inquit) animum à Deo auersum esse necessarium est, & si auersus est à Deo, conuersus igitur est, & pronus in creaturam. Quæ pronitas, & conuersio non alio ex capite in paruulis est, nisi per istud concupiscentiæ pondus, quod in eorum membra atque animos transfusum est. Hoc enim libidinosum animi vinculum talis naturæ est, vt nisi gratiæ cælestis, hoc est, diuinæ caritatis habitualis infusione ab eo animus liberetur, & conuertatur in Deum, eundem animum necessariò in creaturam depressum teneat. Et paulò pòst: Et hæc possessio, & subiectio mentis sub pondere, & iugo concupiscentiæ per quod à Deo auersa est, est ipse reatus concupiscentiæ quem Augustinus prædicat. Ista est enim tota malitia, ratione cuius paruulus, quatenus ex parentum peccato talis nascitur, sub diaboli potestate vinculo peccati, ac damnationis obstrictus est. Sub illo quippe libidinis iugo ex parentum delicto positus, non potest esse nisi auersus à Deo; & auersus non potest esse nisi peccati

Contrarium docet Iansenius cum Hæreticis. reus. Huc vsque Iansenius. Ex quibus omnibus facile est colligere concupiscentiam, iuxta doctrinam Iansenij, esse per seipsam reatum peccati originalis, & auersionem, in qua formaliter consistit. Nam, iuxta illius doctrinam, reatus ille, & auersio in eo consistit quòd concupiscentia conuertat habitualiter ad bona temporalia, & consequenter auertat à Deo, quæ auersio non potest esse sine peccato. Atqui concupiscentia est per se ipsam conuersio habitualis ad bona temporalia: quippe quæ suo pondere ad illa inclinat: sicut etiam per seipsam est causa actualis conuersionis ad eadem bona temporalia, per motus inordinatos, quibus ad illa voluntatem trahit. Ergo concupiscentia est per seipsam propria, & formalis ratio peccati originalis. Quod est falsum, & hæreticum, damnatum à Tridentino, canone suprà citato. Estque notandum, concupiscentiam esse talem conuersionem non modò in non baptizatis, aut quibusuis aliis carentibus gratiâ sanctificante seu caritate: sed etiam in baptizatis, & iustificatis, vt patet experientiâ, & confirmat Apostolus Rom. 7. Qui de seipso quamuis baptizato, & iustificato sic ait: *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati*, id est, sub concupiscentiâ. Quare hæc conuersio non tollitur per gratiam & caritatem: & si in illa conuersione habituali consistit peccatum originale formaliter, vt docet Iansenius, consequens est illud non remitti per baptismum & iustificationem, sed tantùm non imputari, vt volunt hæretici.

Posterior sensus est, reatum illum & auersionem esse aliquid distinctum à concupiscentia: *Qui[illegible] reatus.* & consistere vel in priuatione gratiæ aut iustitiæ originalis, vt multi volunt: vel potiùs, vt dicunt alij, in morali participatione peccati Adæ, in quo omnes peccauimus, & rei facti sumus eiusdem præuaricationis, eo quòd omnes in illo eramus moraliter, & nostræ omnium voluntates in illo vno cōtinebantur. Quo sensu potest, ac debet intelligi Augustinus, vt ipsemet variis locis significat, cùm reatum illum petit ex peccato Adæ, vt libro 1. Retract. capite 15. dicens homines nasci implicatos reatu Adæ, & ob id, pœnæ obnoxios, illámque pœnam esse concupiscentiam. Quare, iuxta Augustinum, reatus peccati originalis, qui per baptismum tollitur, non est ipsa concupiscentia, sed reatus peccati Adæ, cuius effectus est concupiscentia. Verba illius hæc sunt, *Quod dixi: Nusquam scilicet nisi in voluntate esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare, propter paruulos, quos ideo negant habere peccatum quod eis in baptismate remittatur, quia nondum arbitrio volūtatis vtuntur. Quasi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vsquam esse potuerit nisi in voluntate, quâ voluntate commissum est, quando diuini præcepti est facta transgressio.* Tum immediatè pòst addit: *Potest etiam putari falsa esse ista sententia, qua diximus, Nusquam nisi in voluntate esse peccatum, quia dixit Apostolus: Si autem quod nolo, hoc facio, iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vsque adeo non est in voluntate: vt dicat: Quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nusquam est nisi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo sic est loquutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur.* Et libro 14. de Trinitate capite 17. dicit in baptismo remitti omnia peccata, non tamen extingui concupiscentiam: quia aliud est causam remouere languoris, aliud ipsum curare languorem. *Quemadmodum*, inquit, *aliud est carere febribus, aliud, ab infirmitate quæ febribus facta est reualescere: itémque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud, vulnus, quod eo factum est, secunda curatione sanare: ita prima curatio est, causam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis: Quæ duo demonstrantur in Psalmo, vbi legitur: Qui propitius fit omnibus ini-*

quitatibus tuis, quod fit in baptismo. Deinde sequitur: Qui sanat omnes languores tuos; quod fit quotidianis accessibus, cùm hæc imago renouatur. Quibus verbis manifestè significat concupiscētiam non esse ipsum peccatum, quod remittitur in baptismo, sed esse illius effectum, quia inducta est per peccatum Adami, quod participamus, & cuius reatus per baptisma tollitur.

27. Eòdem pertinet quod idem S. Doctor cùm scripsisset libro de verâ religione capite 14. Vsque adeo peccatum esse malum voluntarium, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc tam manifestum esse, vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat: idque Pelagiani contra peccatum originale intorquerent: respondet Augustinus peccatum etiam originale esse voluntarium, non voluntate propriâ paruulorum, sed primi hominis, vnde sumpsit exordium: vt retulimus suprà numero 26. Quibus locis, & pluribus aliis similibus, rationem voluntarij, & liberi in peccato originali, id est, rationem peccati propriè dicti, quæ consistit in eo quod sit voluntarium, petit ex eo quod fuerit voluntarium, & liberum Adamo, à quo moraliter illud participamus. Eòdem etiam pertinet, quod retulimus in fine secundæ assertionis ex libro de continentia capite septimo. Vbi de concupiscentia sic ait Augustinus: *Languorem istum culpa meruit,* (Adami scilicet) *natura non habuit, quam sanè culpam* (moraliter nobis communicatam) *per lauacrum regenerationis Dei gratia fidelibus iam remisit, sed sub eiusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.*

28. *Quo sensu dici possit peccatum originale traduci per concupiscentiam.* Dico 4. duobus etiam modis intelligi posse peccatum originale traduci per concupiscentiam. 1. scilicet in sensu concomitante ex necessariâ quâdam connexione, quæ reipsa est in hoc statu naturæ lapsæ: ita vt huius transfusionis argumentum sit concupiscentia, quia traducitur per naturalem generationem ex Adamo, quæ non fit sine motu, & ardore concupiscentiæ: vel etiam in sensu causali, sed morali & congruo, quia videlicet conueniens est, vt qui generantur ex natura per peccatum corrupta, & concupiscentiæ obnoxiâ, patiantur eandem corruptionem. Quo pacto dicit Augustinus libro tertio de libero arbitrio capite vicesimo non decuisse, vt Adamus filios gigneret meliores, quàm ipse esset; *Vt meliores gigneret quàm ipse esset, non erat æquitatis.* 2. intelligi potest in sensu causali physico, & ex natura rei: qui sensus intenditur, & Augustino tribuitur à Iansenio libro primo de statu naturæ lapsæ capite quinto, & sequentibus, præcinente Luthero in Psalm. 50. ad versum illum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,* & Caluino lib. 2. Institut. cap. 1. §. 7. 8. & 9. *An etiam ex natura rei?*

29. *Itáne sentiat S. Augustinus.* Sed quæ opponit ex Augustino, benignè possunt, ac debent in alium sensum intelligi, vt ostendemus sect. 5. & dicere concupiscentiam parentum in generando transmittere physicè peccatum originale ex sola rei natura, nec aliter transmitti posse, absurdissimum est. Nam peccatum formaliter sumptum, est in anima quæ spiritalis est. Ille autem motus concupiscentiæ carnalis est, & materialis. Quomodo ergo potest physicè, & ex natura rei, peccatum in illam transfundere? Quomodo potest physicè agere, & effectum illum causare ex natura rei in omnibus Adæ posteris, qui tanto numero, & post tot sæcula, & locis adeo dissitis ab illo propagantur? Et verò si concupiscentia habet vim ex natura rei transfundendi peccatum Adæ in omnes posteros, par est ratio vt transfundat peccata aliorum parentum in filios. Nam, quod ait Iansenius, differentiam esse, quia peccatum Adæ fuit peccatum naturæ, peccata verò aliorum parentum sunt peccatum indiuidui; nullius est momenti. Nam peccatum Adæ physicè loquendo, & ex sola rei natura, æquè fuit peccatum indiuidui, & vnius singularis personæ, neque potest alio sensu vero dici peccatum naturæ, (semotâ omni constitutione positiuâ) nisi quia ceteri homines ex Adamo propagati sunt: quæ denominatio extrinseca, sumpta ab eius posteritate, non auget vim physicam, neque immutat naturam peccati ab eo commissi: & quilibet alius progenitor non minùs est origo physica ceterorum omnium, qui ab illo descendunt: eodémque sensu peccatum illius potest dici peccatum totius generis seu posteritatis ab illo descendentis, quo peccatum Adæ dicitur peccatum totius naturæ, secundùm physicam duntaxat considerationem. Quare par esset ratio, vt peccatum cuiuslibet alterius progenitoris propagaretur ad omnes eius posteros. *Impugnatur sententia affirmans.*

30. *Refutantur illius effugia.* Quod verò addit Iansenius peccatum Adæ fuisse ab illo commissum cum summa libertate: peccata verò aliorum committi ex necessitate, quia libertas indifferentiæ amissa fuit per peccatum Adæ, & cetera peccata deinceps fiunt necessitante concupiscentiâ, & absente gratiâ medicinali, sine qua non possunt vitari, quæque si adest, vitantur necessariò: ideóque peccatum Adæ propagari ad posteros, secus autem peccata aliorum parentum. Hoc inquam falsum & erroneum est, nam, vt alibi ostendimus, de fide est non esse extinctā per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ, neminémque sine illa peccare culpabiliter: & vel ipsâ experientiâ manifestum est, plurimos, & frequenter cum summa libertate peccare, id est, neque ex ignorantia, neque ex passione aliqua ad peccatum impellente, sed sponte omninò, & ex malitia: & quòd actus liberè aut necessariò fiat, est tantùm extrinseca denominatio ipsius actus à principio liberè vel necessariò illum eliciente: quæ denominatio non auget, neque mutat ipsius entitatem, & vim siue actiuitatem physicam. Quod denique ait, peccatum illud Adæ fuisse cum magno & vehementi affectu commissum, ideóque tam altum vulnus naturæ inflixisse, támque latè patens; fictitium est: cùm (vt fatetur Iansenius lib. de gratia primi hominis cap. 3.) Adam ante peccatum caruerit motibus & affectibus inordinatis, interiùs ad peccandum sollicitantibus; & ex Scriptura & traditione Patrum habeamus Adamum non fuisse deceptum in præuaricatione, & potiùs ex quadam complacentia, & condescendentia erga Euam peccasse, quàm ex vehementi affectu vel erga cibum vetitum, in tanta aliorum copia: vel erga scientiam boni & mali, & similitudinem cum Deo, quam sciebat à dæmone falsò promitti. Neque dubitandum est plurimos

Vide disp. 3. 18. & 30.

1. Tim. 2. v. 4.

aliorum progenitorum peccate sæpissimè cum longè maiori affectu, siue libidinis carnalis, siue ambitionis, aut auaritiæ: quorum tamen peccata non infligunt altum illud vulnus originale toti eorum posteritati. Magnam certè iniuriam faciunt rebus fidei, qui ad eas explicandas recurrunt ad similia commenta, planè incredibilia, & vel ipsi experimento repugnantia.

31. *Vera causa transfusionis.* Et quidem Apostolus Rom. 7. non illam causam assignat trasfusionis peccati originalis cùm ait, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt.* Sed è contrario significat causam cur peccatum & mors ab Adamo in omnes homines pertranseant, esse, quia omnes in eo peccauerunt: id est, vt exponunt & affirmant Anselmus libro de conceptu Virginali cap. 7. & 10. D. Thom. 1. 2. q. 81. art. 1. & 3. & quæst. 4. de malo, art. 1. aliique Theologi communiter, quia omnes moraliter in Adamo continebantur, & eius voluntas siue bene, siue malè operans, communis omnium posterorum esse censebatur, cùm ipse caput morale omnium esset à Deo constitutus. Ideóque ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiritur, nisi vt aliquis viâ naturali generationis ab Adamo descendat, & inter eius posteros censeatur. Hoc enim ipso quòd aliquis in lumbis Adæ fuit, quando peccauit, naturali via generationis ab eo propagandus, moraliter eius peccato participauit, illóque infectus nasci debuit, nisi speciali priuilegio ab hac obligatione eximatur. Eandémque causam transfusionis assignat Trident. sess. 6. capite 3. *Confirmatur ex Tridentino.* cùm ait: *Sicut homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cùm ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur nunquam iustificarentur, cùm eâ renascentiâ per meritum passionis eius gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur.* Quibus verbis Concilium perspicuè significat veram causam cur posteri Adæ contrahant iniustitiam peccati originalis, esse quia propagantur ex eius semine, sicut causa cur ab illo mundentur, & iustificentur, est quia renascuntur in Christo per baptismum, & hâc renascentiâ gratiam quâ iustificantur accipiunt. *Genitus sine concupiscentia contraheret peccatum originale.* Ex his etiam Tridentini, & Apostoli verbis liquet falsum esse quod ait Iansenius, non contracturum peccatum originale eum, qui sine motu concupiscentiæ generaretur, Deo miraculosè illum impediente in congressu maris, & feminæ. Nam cùm, eo non obstante, ille foret ex posteris Adæ, verum de illo esset quod ait Apostolus, *in quo omnes peccauerunt*: neque id impediret quo minùs ex semine Adæ propagaretur: atque ideo vt ait Tridentinum, eâ propagatione, per ipsum dum conciperetur, propriam iniustitiam contraheret: sicut è contrariò, si mas, & femina immediatè à Deo crearentur, illique generarent, non transmitterent peccatum originale in posteros, tametsi non carerent concupiscentiâ, eiúsque motu in generando, quam esse homini naturalem, sicut & aliis animalibus ostendimus disp. 4. sect. 3.

SECTIO IV.

Exponuntur loca D. Augustini, quibus dicere videtur concupiscentiam esse per se, & propriè peccatum originale.

DIXIMVS sectione præcedenti conclusione 2. numero 23. testimonia D. Augustini à Iansenio prolata posse facilè in hunc sensum intelligi, quod velit concupiscentiam non esse per seipsam, & propriè peccatum originale, sed tantùm aliquid specialiter ad illud pertinens, veluti illius materiale, vt etiam voluit D. Thomas 1. 2. q. 82. art. 1. & 3. Id in præsenti demonstrandum est, percurrendo omnia ab illo relata. Primum sumitur ex libro secundo contra Iulianum capite decimo. *Non est hoc malum nuptiarum,* (concupiscentia) *sed primorum hominum peccatum in posteros propagatione traiectum.* Secundum sumitur ex libro tertio capite 21. vbi sic ait de eadem concupiscentia: *Malum originale dixi, cuius motibus mecum repugnas; & cuius contra me laudibus pugnas. Quod natus es, pertinet ad Dei conditionem, & parentum fœcunditatem: contra quod autem dimicas, quia renatus es, pertinet ad prænaricationem, quam diaboli astutia seminauit, vnde te Christi gratia liberauit, &c. non iam reus ex illo sicut eras natus.* Tertium refertur ex lib. 4. cap. 1. vbi loquens etiam de concupiscentia, sic ait: *Si autem hoc malum, quod in seipsis parentes sentiunt, cui malo, vt tuis verbis vtar, Apostolorum legio repugnauit, non pertineret ad filios, sine illo vtique nascerentur. Nunc verò quandoquidem cum hoc nascuntur, quid miraris, quia propter hoc renascuntur, vt ab eius obligatione soluantur?* Et inferiùs: *Nec libidinis tabe polluuntur, qui libidine bene vtuntur, quamuis generent libidinis tabe pollutos, & ideo regenerandos.* Quartum habetur lib. 6. aduersus eundem Iulianum cap. 15. vbi sic ait: *Tale porrò, ac tam magnum malum* (concupiscentiæ) *tantùm quia inest, quomodò non teneret in morte, & pertraheret in vltimam mortem, nisi & eius vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium, solueretur?* Et paulò pòst: *Hoc ergo vitium* (quod suscitat desideria mala) *non potest nisi reatu tenere hominem, quamuis eiusdem mali bono vsu, de castis coniugibus procreatum.* Quintum petitur ex libro 2. Operis imperfecti contra Iulianum folio 273. *Vtrum peccatum, an mors, an vtrumque per omnes homines pertransisse dictum sit, videtur ambiguum. Sed quid horum sit, res ipsa iam apertè demonstrat. Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est, nasceretur: si mors non pertransisset, non omnes homines &c. morerentur.* Hæc omnia Augustini testimonia proponit Iansenius cap. 1. lib. 1. de statu naturæ lapsæ.

Sed ad primum respódeo, Augustinum, quando ibi vocat concupiscẽtiam peccatum primorum hominum in posteros propagatione transfusum, sumere peccatum metonymicè pro causa peccati, quatenus ad peccandum impellit, & reipsa peccare facit, nisi ei resistatur: per eámque fit vt quotidie labamur in peccata venialia. Hunc enim esse verum illius sensum, patet ex 33. *Exponitur primum testimonium.*

32.

vel bis paulò antè præcedentibus: *In hoc bello*, inquit, *laborantes, quandiu vita humana tentatio est super terram, non ideò sine peccato non sumus, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam non sibi ad illicita consentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei nunquam consentiremus ad malum. Sed quibus, ab illo rebellante, etsi non lethaliter, sed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, vnde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra.* Quod autem addit immediatè post verba in obiectione relata, *Etiam huius mali reatus, baptismi sanctificatione remittitur:* intelligendum est iuxta id quod diximus, sectione præcedenti, conclusione 2. de reatu adiuncto concupiscentiæ, & tracto simul ab Adamo, qui est auersio à Deo vel priuatio gratiæ, vel participatio moralis inobedientiæ Adami.

34. *Exponitur secundum.* Ad secundum respondeo, non omne malum esse peccatum, nam dæmones & homines nefarij, & habitus vitiosi, sunt quidem mali, sed tamen non sunt peccata: & vt ait idem Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 16. baptismus liberat ab omni peccato, sed non ab omni malo: *Omni peccato*, inquit, *baptizati carent, sed non omni malo:* quia scilicet non carent concupiscentiâ, & aliis defectibus. Itaque concupiscentia licèt per se ipsam sit malum quoddam originale, vt ait Augustinus, non est proptereà per se ipsam peccatum propriè dictum. Hoc autem malum, contra cuius motus inordinatos pugnamus, pertinere dicitur ad præuaricationem Adæ tanquam illius causam, & tanquam meritum malum, in cuius pœnam dono integritatis naturæ priuati sumus, factique obnoxij concupiscentiæ. Ad eandémque præuaricationem, astutiâ diaboli seminatam, & moraliter à posteris Adæ participatam, referendum est, quod ait August. extremis verbis in obiectione relatis, *Vnde te Christi gratia liberauit, &c.* vel potiùs ad liberationē à dominatu concupiscentiæ per gratiā, & auxilia, vi baptismi, accepta, quorum ope resistimus prauis illius motibus, neque, vt antea, rei sumus peccatorum, quæ illi consentiendo, contraximus, quæque deinceps consentiendo similiter contraheremus.

35. *Explicatur tertium.* Ad tertium respondeo similiter, concupiscentiam ibi vocari malum ab Augustino, eodem sensu, quo diximus in solutione præcedentis argumenti: & per obligationem eius, à qua renascendo liberamur, intelligi reatum culpæ annexum concupiscentiæ, id est simul cum illo tractum ab Adamo, & consistentem in priuatione gratiæ, vel potiùs in morali participatione præuaricationis Adæ. Quod verò Augustinus addit inferiùs, non pollui tabe libidinis, qui libidine bene vtūtur; nocet potiùs aduersario: quia si concupiscentia esset per se propriè peccatum, per illam formaliter polluerentur coniuges, tametsi illâ bene vterentur: Si autem non est per se peccatum in parentibus, non est etiam in paruulis, cùm in vtrisque sit eiusdem rationis, & naturæ: cum hac solùm differentia, quòd in parentibus renatis non habet adiunctum reatum culpæ primi parentis, sicut habet in paruulis nondum regeneratis, quos idcirco dicit nasci libidinis tabe pollutos, ideóque regenerandos, quamuis generentur à parentibus libidine bene vtentibus: ac ne causaliter quidem per eam pollutis, patiendo scilicet voluntariè aliquem eius motum inordinatum, & illi consentiendo.

Ad quartum respondeo, Augustinum ibi quoque per *tale ac tantum malum*, non intelligere solam concupiscentiam nudè sumptam, sed cum reatu culpæ deriuato simul ab Adamo, id est, peccatum originale integrè, & adæquatè sumptum, quod iuxta illius sententiam, habet concupiscentiam pro materiali, & auersionem à Deo, seu communicationem peccati Adæ, pro formali: de quo peccato ratione formalis, verissimum est quod ait, *Tale ac tam magnum malum, tantùm, quia inest, tenere hominem in morte, & pertrahere in vltimam mortem, nisi & eius vinculum in illa, quæ fit in baptismo, remissione peccatorum omnium, solueretur.* Quod autem additur in eodem argumento, hoc vitium non posse, nisi reatu, tenere hominem quamuis eiusdem mali bono vsu de castis coniugibus procreatum; solutum manet ex dictis in responsione ad tertium argumentum. 36. *Explicatur quartum.*

Ad quintum respondeo, quod ibi ait Augustinus, *Si peccatum (Adæ) non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est nasceretur*, vel hoc sibi velle, quod nisi ipsummet peccatum Adæ propriè sumptum, idest, culpabilis eius transgressio pertransiret ad posteros, non etiam lex peccati, id est, concupiscentia, & priuatio integritatis naturæ, quæ est pœna illius culpæ, ad eos pertransiret: vel sermo est de peccato sumpto impropriè, & metonymicè, pro ipsa concupiscentia, quæ quia ab Adamo transit ad posteros, idcircò omnis homo cum lege peccati, quæ in membris est, nascitur, sicut omnes homines moriuntur: quia mors ab illo ad ceteros omnes pertransiit. 37. *Exponitur quintum.*

Præcedentibus similia sunt quæ profert cap. 3. ex lib. de peccato originali cap. 39. vbi sic loquitur Augustinus: *Obesset ista carnalis concupiscentia, etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset &c. Manet quippe in prole, ita vt reatum faciat originis vitium.* Et libro sexto contra Iulianum capite quinto. *Numquid vel tibi, vel quibuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris, si quantum sit (vt ex ea natum necesse sit renasci, non renatum sit necesse damnari) malum concupiscentia carnis, sanctitate mentis cogitare possetis?* 38. *Referuntur alia eius loca.*

Sed prioris loci sensus est, concupiscentiam, eo ipso quòd inest, obfuturam esse parentibus, nisi renascantur, & nimirum per gratiam in baptismo acceptam, & auxilia illi annexa resistant illius motibus, ad peccandum sollicitantibus. Neque enim desinit per baptismum, & regenerationem, neque desinet, nisi quando hæc vita mortalis cum immortali commutabitur. Obesse quoque paruulis, qui de parentibus renatis nascuntur, quia eo non obstante manet in prole concupiscentia, & simul reatus culpæ originalis inductus per originis vitium, id est per propagationem ex Adamo viâ naturali generationis factam. Atque hunc esse verum sensum D. Augustini patet ex eius verbis integrè relatis, quæ sic habent: *Obesset ista carnalis concupiscentia etiam tantummodo quòd inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, vt quæ* 39. *Verus illorum sensus.*

in eis est, & nato, & renato: nato quidem & inesse, & obesse, renato autem inesse quidem, sed non obesse possit: in tantum enim obest natis, vt nisi renascantur, nihil possit prodesse, si nati sunt de renatis. Manet quippe in prole, ita vt reatum faciat originis vitium, etiamsi in parente reatus eiusdem vitij remissione ablutus est peccatorum, donec omne vitium, cui consentiendo peccatur, regeneratione nouissima consumatur: id est, ipsius etiam renouatione carnis, quæ in eius resurrectione futura promittitur, vbi non solùm nulla peccata faciamus, sed nec habeamus vlla desideria vitiosa, quibus consentiendo peccemus.

40. In posteriori, quando dicit Augustinus malum concupiscentiæ carnis esse huiusmodi, vt ex ea natum, necesse sit renasci; non renatum, sit necesse damnari; hoc dicit propter reatum peccati originalis, qui per eam quodammodo transfunditur, quémve ibidem manifestè distinguit à concupiscentia carnis, dicens reatum in baptismo remitti, licèt concupiscentia remaneat, quæ malum quidem, & vitium, & defectus quidam naturæ est, sed non propriè & per se peccatum, vt paulò antè diximus; & confirmat ibidem Augustinus verbis immediatè sequentibus: sic enim ait immediatè post verba suprà relata: *Et quid conferat gratia cùm reatum eius absoluit, quo faciebat originaliter hominem reum, quando fit in illo plena remissio peccatorum; quamuis ipsa remaneat, contra quam regenerati spiritus concupiscat, aut bene vsurus hoc malo in minori certamine:* (id est in statu coniugij,) *aut omninò non vsurus in maiori certamine:* (id est in statu cœlibatus.) *Inest enim sensus huius mali dum reluctatur atque cohibetur. Reatus autem ille, qui sola regeneratione dimittitur, quemadmodum, cùm inesset, non sentiebatur; ita eius ablatio fide creditur, non carne vel mente sentitur.* Alia multa his similia opponunt Lutherani & Caluinistæ, à quibus etiam nonnulla ex præcedentibus iampridem obiecta fuerant: sed in illis referendis, & explicandis non est necesse immorari, cùm id iam satis accuratè præstiterint Bellarmin. lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 13. & alij controuersiarum Scriptores accurati.

SECTIO V.

Explicantur alia testimonia, quibus dici videtur peccatum originale transfundi per concupiscentiam ex natura rei.

41. *Quo sensu peccatum originale transfunditur per concupiscentiam, iuxta August.*

AD primum genus eiusmodi testimoniorum quæ profert Iansenius capite quinto & pluribus sequentibus, quæque breuiter retulimus sect. 2. num. 13. Respondeo, sensum D. Augustini esse, quòd peccatum illud Adæ totam naturam in deterius secundùm corpus, & animam mutauerit, & corpus quidem concupiscentiæ vitio infecerit, animam autem reatu eiusdem peccati: causámque cur vtrumque vitium traducatur ad posteros, esse naturalem generationem, quæ sine motu concupiscentiæ non fit, ne in viris quidem sanctissimis. Et vt rectè ait Bellarm. libro quarto de amissione gratiæ, & statu peccati capite 12. respondens iisdem, aut similibus argumentis propositis à Luthero & Caluino, eorúmque sectatiis: quando S. Augustinus tam sæpe repetit, non generationem, sed libidinem esse, quæ peccatum traducit, non vult significare ipsam libidinem actualem esse causam originalis peccati, quod absurdum esse anteà demonstrauimus: sed indicare voluit causam peccati originalis non esse simpliciter propagationem, nam etiam in paradiso propagatio fuisset, vbi tamen peccatum non fuisset, sed propagationem ex natura corrupta; cuius argumentum certissimum est ardor libidinis, sine quo ardore, ne sanctissimi quidem coniuges generare solent. Eadémque est causa cur quicunque oriuntur ex huiusmodi oleastro: id est, naturâ per Adam corruptâ, idem vitium, & conditionem oleastri sortiantur, licèt à parentibus proximè generentur, qui, per regenerationem iustificationis, in oleam quodammodo versi fuerint: id est remissionem peccati originalis obtinuerint.

Ad secundum. Respondeo, patere ex dictis, 42.
quo sensu velit Augustinus concupiscentiam esse causam transfusionis peccati: nimirum intelligendo per concupiscentiam, naturalem generationem, quæ sine illius motu non fit.

Quomodo traducitur ex parentibus baptizatis.

Ad tertium. Respondeo primò, quæstionem illam, quomodo à parentibus regeneratis peccatum originale traijcitur in posteros, semper Augustino difficilem visam fuisse, vt fatetur epist. 28. ad Hieronymum, alijsque locis, & agnoscit Iansenius cap. 15. libri 1. de statu naturæ lapsæ. Secundò, quæstionem illam clariùs, & faciliùs solui, si dicatur cum Apostolo, ideò peccatum, & mortem pertransire in omnes Adæ posteros, etiamsi natos ex parentibus regeneratis, quia omnes in eo peccauerunt: siue vt ait Augustinus, quia nos omnes vnus ille eramus, quando mandatum Dei transgressus est. Vel vt ait Tridentinum sess. 6. cap. 3. quia eo ipso, quòd ex semine Adæ propagati nascuntur ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahunt. Tertiò, pactum seu constitutionem Dei, qua voluit Adamum esse caput morale omnium posterorum, vt illorum omnium censeretur esse, quod ille bene vel malè ageret, non fuisse prætermissum à D. Augustino, vt ostendemus sect. sequenti. Quartò, quando respondet Pelagianis, filios ex parentibus renatis genitos trahere nihilominus peccatum originale, quia reatus ita fuit illis remissus, vt tamen remanserit concupiscentia: potest ita benignè intelligi, vt velit ideo infantes illos trahere peccatum originale, quia nascuntur ex natura corrupta, & concupiscentiæ obnoxia, cuius etiam motu generantur: & quicunque generantur ex natura Adami corrupta, trahunt simul reatum peccati Adæ cum naturæ corruptione, quam sæpius dicit Augustinus esse vinculum huiusmodi reatus, & mortis spiritalis. Eodémque pertinet quod idem ait, parentes per baptismum renatos transfundere nihilominus peccatum originale, quia non generant vt renati, sed vt obnoxij concupiscentiæ, & per concupiscentiam carnis. Nam si filij ex Adam non hâc viâ naturali carnalis generationis, sed solâ spirituali voluntate gignerentur, nullum ex eis delictum traherent, vt ait Augustinus verbis in hac eadem obiectione relatis.

43. Ad quartum. Respondeo, absurdum esse existimare Christum fuisse contracturum peccatum originale, si ex nuptiali concubitu conceptus esset. Quasi verò hypostatica vnio non sit incompatibilis cum quocunque peccato siue personali, siue originali: vel non potuisse concipi ex nuptiali concubitu sine pudenda concupiscentia; simili modo quo in statu innocentiæ concepti omnes fuissent. Nec quidquam horum affirmat Augustinus loco citato ex lib. 1. de nuptiis cap. 12. sed tantùm ait Christum concipi noluisse ex nuptiali concubitu, qui naturaliter fieri nequit in carne corrupta sine motu concupiscentiæ, quia noluit venire in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: indéque simul docere voluit omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Tametsi verũ etiam est, quòd licèt Christus fuisset aliunde capax peccati originalis, non tamen illud contraxisset, quia non fuit propagatus ex semine Adæ per naturalem viam generationis, & concupiscentiæ carnalis: quod certissimum est, nihilque ampliùs probant cetera testimonia à Iansenio producta.

44 *Victoria de Pelagianis vnde petenda?* Ad quintum. Respondeo patere ex dictis in solutione primi argumenti, quo sensu possit, ac debeat intelligi idem S. Doctor, cùm dicit peccatum originale propagari per concupiscentiam, videlicet per naturalem generationem, quæ fit cum motu concupiscentiæ. Neque verò in hac vnicâ probatione stetit victoria ab Augustino reportata de Pelagianis: sed multò magis in Scripturæ testimoniis, quibus solidè probauit omnes Adæ posteros in eo peccauisse, & ab illo peccatum, & mortem in omnes pertransisse, & vnius delicto mortuos esse multos: & per inobedientiam vnius hominis peccatores constitutos esse multos: id est, ceteros homines ab illo propagatos: vt dicitur Rom. 5. Estque notandum errorem Pelagianorum circa peccatum originale damnatum ab Innocentio, Zozimo, & Cœlestino, aliisque Pontificibus, & à Conciliis contra eos celebratis, in hoc vno consistere, quòd negarent peccatum originale; id est peccatum Adæ transmitti ad posteros: non autem in eo, quòd hoc, aut illo modo transmittatur per concupiscentiam scilicet, an per aliquid aliud, de quo nihil ab Ecclesia expresè, & clarè definitum est ante Tridentinum, quod nobis fauere, suprà ostendimus.

45 *Quid sentserint alij Patres?* Addit Iansenius cap. 13. aliorum Patrum testimonia, quos omnes ante & post Augustinum, idem cum illo sensisse affirmat, videlicet peccatum originale traduci per concupiscentiam ex sola rei natura. Sed quæ refert ex Origene in caput 5. epist. ad Rom. & ex Ambrosio, & Olimpio apud Augustinum libro primo contra Iulianum capite 3. & 4 possunt in hunc sensum intelligi æquè, ac pleraque loca D. Augustini suprà relata, quòd commixtio carnalis, quæ sine motu concupiscentiæ non fit, sit conditio sine qua paruuli non contraherent peccatum originale: quia scilicet alioqui non descenderent ab Adamo naturali viâ generationis, *qui mortiferâ transgressione vitium sparsit in semine vt peccatum cum homine nasceretur:* idcóque Christum sine originali peccato conceptum fuisse, quia sine originali illâ commixtione, de Spiritu sancto conceptus est. Similíque modo explicari possunt cetera ferè omnia quæ refert ex Leone, Chrysologo, Fulgentio, Bernardo, & aliis Patribus Augustino posterioribus, qui eodem sensu, & iisdem ipsis ferè verbis Diui Augustini locuti sunt in locis ab aduersario productis.

SECTIO VI.

Respondetur aliis aduersariorum argumentis.

FALSVM verò est quod ait capite 5. & 15. neque Augustinum, neque vllum alium Sanctorum Patrum, aut veterum Scriptorum ante Doctores Scholasticos mentionem fecisse pacti, siue diuinæ constitutionis, ad quam recurrunt Theologi, cùm assignant causam transfusionis peccati originalis. Nam Diuus Augustinus libro 16. de Ciuit. capite 27. apertam illius mentionem fecit, de illo exponens quod dicitur Genesis 17. ver. 14. *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Potest,* inquit, *mouere, quomodo intelligi oporteat quod hîc dictum est: Masculus qui non circumcidetur carne præputij sui octauo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipauit: cùm hæc nulla culpa sit paruuli, cuius dixit animam perituram: nec ipse dissipauerit testamentum Dei, sed maiores, qui eum circumcidere non curarunt: nisi quia etiam paruuli, non secundùm vitæ suæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo vno testamentum Dei dissipauerunt, in quo omnes peccauerunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis, vetere & nouo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profectò illud est: Qua die ederitis morte moriemini.* Hæc Augustinus: ex quibus perspicuum est eum non tantopere ab isto pacto abhorruisse, quàm affirmat Iansenius: cùm illud primum à Deo cum hominibus initum fuisse affirmet. Nec obest quod testamenti nomine vtitur. Nam pro pacto hîc vsurpari ab Augustino, sicut & frequenter in Scriptura, manifestum est. 46 *Augustinus meminit pacti cum Adamo initi.*

Eiusdem quoque mentionem fecit Hieronymus in caput 6. Oseæ circa illa verba: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi præuaricati sunt in me.* Sic enim Deum loquentem inducit paraphrasticè: *Ipsi autem imitati sunt Adam, vt quod ille in paradisò fecerat, pactum meum legemque præteriens, isti in terra facerent. Et ibi, hoc est, in paradisò omnes præuaricati sunt in me, in similitudinem præuaricationis Adam. Non enim mirum si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur.* Quibus verbis non affirmat solùm Adæ posteros imitari parentem, quando peccant, & eatenus solummodò peccatum Adæ illis nocuisse, vt volebant Pelagiani: sed in ipso Adam quoque, & similiter, id est, pariter cum ipso in paradiso fuisse præuaricatos, moraliter scilicet faciendo, quod ille omnium personam sustinens faciebat: atque ideo meritò propter illud peccatum condemnari. Et Chrysost. hom. 6. in epist. ad Coloss. de eodem pacto explicat id quod dicitur Coloss. 2. 47 *Eiusdem meminit Hieronymus.*

Itémque Chrysostomus, Ambrosius, & alij. ver. 14. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti. Quodnam*, inquit, *chirographum auctor intelligit? Quod ad Moisen dixerant, Quacunque dixit Deus, faciemus: aut id quod fecerat ad Adamum, dicens, Quacunque die comederis ex hoc ligno, morte morieris.* Similia dicunt, & eodem sensu locum illum interpretantur Ambrosius & Theophylactus in caput 2. epist. ad Coloss. ver. 14. Rupertus lib. 5. in Genesim capite 33. & alij: de pacto scilicet à Deo inito cum Adamo, *In quacunque die comederis morte morieris:* quod pactum, eiúsque transgressionem ad posteros Adæ pertinuisse æquè ac mortem, iure dubitari nequit. Nam mors Adæ per comminationem prænunciata, non erat sola mors corporis, sed & ipsius animæ. Cúmque mors corporalis & spiritalis, vi peccati Adami in sobolem transiuerit, præsuppositâ illâ Dei ordinatione & comminatione: sic ex eiusdem constitutione, non minùs in bonum fauorabili, iustitia originalis, & gratia, fuisset in eandem transfusa, si ipse Dei mandato obtemperasset: quod est pactum à Theologis communi consensu receptum, & à sanctis Patribus, atque ipsâ Scripturâ diuinâ, locis suprà relatis, traditum, contra quod tantopere exardescit Iansenius.

48. *Et Apostolus pluribus locis.* Illud quoque insinuat Apostolus Rom. 5. dicens mortem ab Adamo in omnes pertransiisse, quia omnes in eo peccauerunt. Dicuntur enim omnes in eo peccâsse, non ex eo solo, quòd ille fuerit aliorum omnium progenitor: sic enim quilibet alius est caput physicum, seu radix & origo, & parens eorum omnium, qui ab ipso descendunt, qui non propterea dicuntur in eo peccauisse, neque ipsius peccato inficiuntur: sed quia vlteriùs Adam erat caput morale omnium posterorum, per Dei constitutionem: ita vt omnes repræsentaret, & quod bene vel malè ageret circa Dei præceptum, omnium esse censeretur. Sine qua Dei ordinatione, peccatum Adæ non magis posteros eius inficeret, quàm peccatum aliorum parentum.

49. Illud etiam insinuat idem Apostolus ver. 18. & 19. capitis citati comparans Christum & Adamum in eo, quòd sicut Adamus per suam inobedientiam posteris nocuit: ita Christus è contrario per suam obedientiam illis profuit. *Sicut*, inquit, per *vnius delictum in omnes homines in condemnationem:* sic & *per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim* per *inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita &* per vnius *obeditionem iusti constituentur multi.* Certum est autem obedientiam Christi non prodesse hominibus sine Dei ordinatione: neque id potest diffiteri Iansenius, cùm sæpius doceat lib. 9. & 10. de gratia Christi Saluatoris, causam cur his & non aliis prosit, esse, quia omnes per peccatum Adæ includerentur in eadem massâ damnationis, Deus aliquos selegit, quibus merita Christi applicari, & ad vitam æternam efficaciter prodesse voluit, potiùs quàm aliis, quos reliquit in massa perditionis, & ne auxiliis quidem sufficientibus præuenire dignatur, neque pro eorum salute Christus mortuus est, vt ipse persuadere conatur lib. 3. eiusdem tituli cap. 21.

50. Opponit præterea cap. 12. intelligi non posse, si nihil penitùs, siue peccati, siue vitij in parentum animabus, aut carnibus hæreat, inde quidquam contagij in proles posse transire, nisi quis Deum potiùs eius causam, quàm homines constituere velit? Sicut enim impossibile est, vt defectus aliquis corporis à parentibus in filios generando fundatur, nisi defectuosum aliquid in aliquo generationis principio antecedat: ita multo magis impossibile est, vt defectus animæ, qui peccatum est, in prolem à parente transeat, nisi similis vitiositas in generante reperiri queat, vnde culpa propagetur. Nam pactum hîc affingere non est aliud, quàm purgare parentes & culpare Deum, qui peccatores propriâ voluntate constituat.

Respondeo non difficilè intelligi quòd Adami culpa moraliter ad omnes eius posteros transeat, eo ipso quòd naturali via generationis ab illo propagantur, supposito pacto illo diuino paulò antè dicto, & Scripturæ ipsius, Patrúmque testimoniis, nominatimque Augustini, confirmato: quo scilicet Deus statuerat vt Adami obedientia, vel transgressio tanquam capitis moralis totius generis humani, ad omnes posteros pertineret, & omnes in illo vel obedire, vel transgredi censerentur; atque ipsius merito vel præmio, si obediret; vel si contrà, demerito, & pœnis participarent. Neque propterea fit Deus auctor peccati originalis. Nam culpandus non est velut causa peccati, qui fert præceptum commune omnibus, siue immediatè ipsi toti communitati, siue capiti moraliter omnes repræsentanti, cum sincerâ intentione, vt non peccetur, sed vt præceptum seruetur. Deus autem sine dubio tali intentione cum Adamo se gessit. Ac neque etiam alij progenitores, seu proximi parentes sunt causa peccati originalis: Nam eius transfusio sequitur per accidens ex actu coniugali, qui per se tendit ad procreationem sobolis: illi autem procreatæ accidit peccatum, ex eo quòd voluntas Adæ præuaricans, fuerit moraliter voluntas omnium posterorum. 51. *Quomodo peccatum Adæ transit ad posteros?* *Deus non est auctor peccati originalis.*

Itaque sola vera causa peccati originalis est voluntas Adæ præuaricans, seu transgrediens præceptum sibi datum, Genesis. 2. ver. 17. velut capiti morali omnium posterorum: ita vt illius præuaricantis delictum, omnes infecerit, & illius delicto multi mortui sint: & Per illius inobedientiam peccatores constituti, vt ait Apost. Rom. 5. ver. 15. & 19. Fuit autem voluntas Adæ præuaricans causa transfusionis peccati originalis, non physica sed moralis: quatenus erat moraliter communis omnium, & ab illa pendebat fortuna posterorum, id est vel transfusio iustitiæ originalis, si obediret: vel peccati, si secus faceret. 52. *Vera illius causa.*

Opponit tertiò capite decimo-quinto, Non posse intelligi, eiusmodi pacta iniri, quibus voluntas prolis ita ponatur in voluntate parentis, vt quamuis nihil penitus inquinationis generando in prolem transeat, hoc solo quia voluntas vnius, ex pacto est alterius, patre peccante, filius quoque peccator esse censeatur, ac sit. Sic enim nulla ratio est, cur non etiam paruuli qui iam nati sunt, simili pacto inito, ex patris peccantis iniquitate reatum contrahant: imò cur non paruuli, quolibet in Europa peccante, fiant in India, & in vniuerso terrarum orbe peccatores; quandoquidem non minùs 53.

minùs nati, quàm nasciturí propria voluntate careant, alienâ voluntate gubernentur: ac Deus in omnium voluntatem siue paruulorum, siue maiorum, siue nati, siue nascituri sint, supremum dominium teneat, & quamlibet voluntatem posset in qualibet collocare &c. Quis non videt (inquit paulò pòst) in istâ recentiorum opinione, non parentem, non paruulum; sed solum Deum esse originalis iniquitatis auctorem, vt qui solâ suâ voluntate velit atque efficiat, vt paruulus ex parentis voluntate, cum qua alioquin nihil commune habet, & ex qua nihil iniquitatis ei per se communicari potest, peccati suppliciíque reus fiat?

54. *Quanta sit difficultas in contraria sententia.* Respondeo primò, multo minus intelligi posse, peccatum Adæ siue quoad actum internum; id est volitionem vescendi fructu prohibito, siue quoad externum, qui fuit eiusdem fructus comestio, de se indifferens, & tantùm mala, quia prohibita, habuisse vim physicam, & ex sola sui natura constituendi peccatores omnes eius posteros, quocunque loco & tempore vsque ad mundi finem ab illo propagantur, & totum genus humanum corrumpendi, atque ita iugo concupiscentiæ subiiciendi, vt careat libertate indifferentiæ, & quotiescunque peccant homines, siue agendo quod prohibitum est, siue non agendo quod præceptum est, peccent ex necessitate ab Adamo sibi iniectâ, & impotentiâ faciendi oppositum: ac nihilominus à Deo puniantur æternis ignibus, propterea quòd non faciunt id, quod propter eiusmodi impotentiam ab Adamo sibi inductam facere non possunt. Perinde ac si cuipiam in infantia, pater, suâ culpâ, vtrumque pedem amputasset: illéque postea iuberetur currere, & puniretur grauissimè eo quòd non curreret ob impotentiam, parentis culpâ contractam. Quod certè nullum tyrannorum fecisse vnquam legimus. Neque Manichæi, vel alij hæretici peius quidquam de Deo senserunt: ac si credimus Augustino, insanos esse oportet, qui sic sentiunt. Nam vt ait libro de duabus animabus capite duodecimo: *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit* quod *facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ.* Et omninò sensum communem exuisse oportet, qui negant id quod doctis, & indoctis, totique generi humano notum, & decantatum est, Neminem esse vituperatione, supplicióve dignum, qui id non faciat quod facere non potest: vt ait idem sanctus Doctor capite vndecimo eiusdem libri.

55. *Posset Deus similia pacta cum aliis inire.* Respondeo secundò, non esse adeo difficile intelligere Deum vel Adamum, vel quemlibet alium constituere caput morale suorum posterorum, eorúmque sortem & salutem illi committere eximiis gratiæ, & virtutum omnium donis priùs ornato, facillimóque præcepto illi imposito, quod si seruet, prosit eius obedientia toti posteritati, quam moraliter repræsentat, ad illámque ex Dei constitutione, eadem gratiæ beneficia transmittat. Sin autem violet eiusmodi præceptum, obsit hæc eius ingratitudo, & inobedientia toti eius soboli, quæ propter illud peccatum moraliter ad se pertinens, tanquam à suo capite morali commissum, reddatur odiosa Deo, priuetúrque beneficiis gratuitis, quæ in Adamo acceperat sibi communicanda, ipsáque Dei visione, quam post hanc vitam adeptura erat: quamuis non sit pœnam sensus passura: id est ignis æterni, propter solum peccatum originale, vt falsò affirmat Iansenius, & nos alibi refutabimus disput. 40.

Respondeo tertiò, neque ex parte potentiæ, neque ex parte sapientiæ Dei, aut æquitatis, repugnare, vt Deus quemlibet alium parentem simili modo, quo Adamum, gratiæ donis eximiis præueniat, & caput morale constituat eorum omnium infantium, qui vel ex eo nati iam sunt, vel deinceps nascituri. Aut etiam vnum aliquem hominem simili sapientia, pietate, caritate, & aliis omnibus virtutibus excellenter præmunitum, præficere omnibus siue paruulis siue adultis, in quauis mundi parte existentibus, veluti Regem spiritalem, & caput morale ad eum finem, vt si Deo obtemperet, vel non obtemperet in aliquo facili mandato, id agat tanquam publica persona omnes repræsentans, & omnium voluntates in sua moraliter continens: adeóque ad omnes moraliter pertineat id quod bene vel malè facit. Neque ad hoc absolutè requiritur, vt ceteri omnes in talem Dei constitutionem actu proprio consenserint: Nam Deus qui omnium iura habet in sua potestate, & supremo dominio, potest illos subiicere cui volet, tanquam capiti & domino spiritali, aut temporali, non minùs efficaciter quàm se illi ipsi propriâ voluntate subiicerent. Cur autem peccatum in Deum ita constituentem non sit reiiciendum, diximus num. 51. 56.

Cetera quæ addit capite decimo-nono & sequentibus, de modo, quo ex natura rei propagari posse dicit peccatum Adæ in posteros per concupiscentiam, refutata fuerunt numero vicesimo-nono & sequentibus, vbi ostendimus parem fore rationem, vt peccata aliorum parentum propagarentur in liberos, & vanas esse rationes differentiæ, ab aduersario allatas. 57.



DISPVTATIO XVI.

Vtrum in statu naturæ lapsæ omnis ignorantia inuincibilis excuset à peccato: etiam illa, quæ versatur circa ius naturale?

SECTIO I.

Quid de proposita quæstione sentiant Theologi?



1. *Conclusio affirmans probatur ex Scriptura.* VERA, & communis sententia Theologorum est, omnem eiusmodi ignorantiam excusare à peccato. Sic enim docent D. Thomas, eiúsque interpretes communiter 1. 2. q. 76. art. 3. & Scholastici cum Magistro in 2. dist. 22. Probatur 1. ex Scriptura Ioan. 9. ver. 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Vbi Christus alloquitur Pharisæos recusantes ipsum agnoscere

vt filium Dei, propter miraculum cæci illuminati, aliáque plurima ad id persuadendum frequenter edita: & affirmat fore excusabiles, si cæci essent, id est, ignari suæ obligationis, ignorantiâ planè inuoluntariâ, seu inuincibili. Et capite decimo-quinto, versu vicesimo-secundo: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Et paulò pòst, versu vicesimo-quarto: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: id est, si Iudæis non patefecissem obligationem, quam habent, me acceptandi, vt Messiam, & argumentis sufficientibus eam comprobassem, non peccarent, cùm me reiiciunt: nam inuincibilis ignorantia suæ obligationis eos excusaret. Si autem (vt rectè expendunt eruditi quidam recentiores) ignorantia inuincibilis obligationis excusat à culpa eos, qui reiiciunt Deum, in Christo personaliter loquentem, & ore proprio præcipientem; par aut maior est ratio vt excuset eos, qui non minùs inuincibiliter ignorant Deum loquentem, & præcipientem ore alieno, per rationem naturalem. Quare ignorantia inuincibilis, iuris etiam naturalis, excusat à peccato: neque magis culpabiles sunt, qui non audiunt Deum loquentem per lumen naturale rationis, ignorando penitus eum loqui, & obligare: quàm qui Deum non audirent loquentem per Christum, ignorando inuincibiliter, quòd Deus per eum loqueretur, obligarétque ad ipsum agnoscendum. Item, si Christi Domini adoratio, debita licèt iure naturali, æquè, ac multò magis, quàm parentum veneratio, fuisset tamen à Iudæis denegata sine peccato, si Iudæi ignorassent inuincibiliter obligationem ipsum adorandi, vt Christus significat verbis suprà relatis: par est ratio, vt ignorantia inuincibilis excuset ab aliis obligationibus, iure licèt naturali impositis. Cúmque Christus totam excusationem Iudæorum fundet in ignorantia; par omnino debet esse excusatio, vbicumque par est ignorantia. Par autem est, vbicumque est inuincibilis, & totalis ignorantia, de qua nunc disputamus. Item, adoratio Dei debita est, sine dubio iure naturali, & tamen Paulus Roman. primo, versu vicesimo, & vicesimo-primo, dicit Gentiles ideo esse inexcusabiles, quia cùm Deum cognouissent per eius opera visibilia, non sicut Deum glorificauerunt. Si ergo inuincibilis ignorantia Dei, excusaret ab eius cultu, & adoratione: par est ratio vt excuset quæcunque alia iuris, etiam naturalis, ignoratio pariter inuincibilis. Huc pertinet quòd Deo mortem minanti dixit Abimelech Genes. 20. versu quarto, *Domine num gentem ignorantem, & iustam interficies?* Prætendens (vt solent omnes facere ductu, & instinctu luminis naturalis) excusandum esse à culpa, & à pœna, quòd ignorans fecisset: & non desinere iustum esse eum, qui facit aliquid iniustum, planè ignorans esse tale. Quam eius existimationem confirmauit Deus ita respondens versu sexto, *Et ego scio, quòd simplici corde feceris: & ideo custodiui te, ne peccares in me.* Quo autem sensu factum Abimelech vocetur postea peccatum versu nono, dicemus paulò pòst.

2. Probatur secundò, ex sanctis Patribus, generaliter affirmantibus non esse peccatum culpabile, neque meritum bonum aut malum, quod non fit voluntariè: id est, scienter & liberè. Vt patet ex plurimis eorum testimoniis suprà relatis disputatione tertia de libero arbitrio, sectione secunda & sequentibus. Specialiter verò, & magis expressè, quòd nemo peccet cum totali, & inuincibili ignorantia, affirmat Chrysostomus homilia decima-tertia in epist. ad Romanos his verbis: *Nemo vnquam ignoranter peccauit, &c. si enim ignoranter peccauerunt, indigni vtique erant qui pœnas darent.* Et Bernardus epist. 77. ad Hugonem de sancto Victore, vbi dicit, Multa scienda nesciri, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi: & huiusmodi ignorantiam non habere excusationem. Secus verò alteram inuincibilem, quam dicit excusare culpam inobedientiæ: probátque ex illis Christi verbis, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Et Diuus Augustinus (cuius tamen præcipuè, ac fere solius, auctoritate nituntur aduersarij) libro tertio de libero arbitrio, capite decimo-nono: *Non tibi deputatur ad culpam*, inquit, *quòd inuitus ignoras: sed quòd negligis quærere quod ignoras.* Quam sententiam repetit in libro de natura, & gratia, contra Pelagianos scripto, capite 67. & libro primo Retractat. capite nono, loquitúrque (vt ex antecedentibus capite illo decimo-nono manifestum est) de hominibus in statu præsenti naturæ lapsæ existentibus, quærentibúsque de cæcitate, siue ignorantia, & de infirmitate, quam per peccatum Adæ contraximus. De iisdémque addit sequenti capite vicesimo, Deum negligentibus, & peccata sua de infirmitate defendentibus, non ipsam ignorantiam, difficultatémque pro crimine obiicere: sed quia in eis potiùs permanere, quàm studio quærendi, atque discendi, & humiliter confitendi, atque orandi, ad veritatem, ac facilitatem peruenire voluerunt, iusto supplicio vindicare. Et capite præcedenti affirmat generaliter ea quæ fiunt ex ignorantia inuincibili, non esse peccata, nisi impropriè & metonymicè, quia sunt effectus peccati originalis: sicut locutio dicitur lingua, quia linguâ fit: & scriptura vocatur manus, quia manu fit. *Illud*, inquit, *quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens, facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis* (primi parentis) *originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solùm membrum, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud, quod membri huius motum consequitur: id est formam, tenorémque verborum, &c. sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum: liberâ enim voluntate, & ab sciente committitur: sed etiam illud, quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.* Et libro vicesimo-secundo contra Faustum, capite 44. dicit, incestum Loth ebrij, non ei fuisse culpabilem, & imputabilem; quia ignorans fecit: sed solam ebrietatem, quam scienter admisit: ideóque non fuisse puniendum, nisi quantùm merebatur ebrietas. Et denique epist. 105. scriptâ aduersus Pelagianos, peccatum propriè dictum diuidit in hæc tria membra: originale contra-

Probatur ex Patribus.

ctum ab Adamo: & ea quæ vnusquisque propriâ voluntate committit, vel intelligendo; id est ex certa scientia: vel etiam, nolendo intelligere; id est, ex culpabili ignorantia; aliorum verò, quæ fiant ex ignorantia inuincibili, non meminit: quia nimirum esse propriè peccata non existimauit.

3. *Probatur 3. ex definit. summorum Pontificum.* Probatur tertiò, ex definitione trium summorum Pontificum, Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. in Bullis contra Baium, & Iansenium: in quibus damnatur hæc propositio, *Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium.* Cùm enim nihil sit voluntarium, nisi cognitum, iuxta receptam ab omnibus definitionem Aristot. *Voluntarium est, quod est à principio cognoscente &c.* Si est de ratione, & definitione peccati, quòd sit voluntarium, vt docent, & determinant supradicti Pontifices: est quoque de illius ratione quòd sit cognitum: ac proinde quod fit ex ignorantia inuincibili, siue iuris naturalis siue positiui, non est peccatum. Ibidem damnatur quoque hæc propositio: *Infidelitas purè negatiua in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Cuius damnandæ fundamentum non aliud est, nisi quia infidelitas purè negatiua est ex inuincibili ignorantia. Quare sicut illa excusat à peccato infidelitatis, debet pariter excusare ab aliis, etiam ab iis quæ fiunt contra ius naturale. Et quidem infideles multa faciunt iuri naturali contraria, vel multa omittunt iure naturali debita; ex. gratia, adorationem sanctissimæ Trinitatis, quæ sicut non existit iure positiuo, ita neque ab illo solo habet, quòd adorari debeat. Si ergo huius adorationis omissio non est culpabilis, laborantibus infidelitate purè negatiua, & inuincibiliter ignorantibus obligationem illam adorandi: debet pariter omissio rerum aliarum, quamuis debitarum iure naturali, excusari à peccato culpabili, per ignorantiam inuincibilem.

Probatur 4. ratione. Probatur quartò ratione naturali: quia nemo est culpabilis, & reprehensione suppliciòve dignus, propter id quod non liberè facit: vt notum esse omnibus lumine naturali affirmat sanctus Augustinus libro de duabus animabus capite vndecimo: ita vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat, vt addit libro de vera Religione capite decimoquarto. Non potest autem quidquam fieri liberè sine cognitione; quia omne liberum est voluntarium; & omne voluntarium est cognitum. Quare nemo potest culpabiliter malum acceptare sine aliqua eius cognitione. Qui autem totaliter, & inuincibiliter ignorat id quod facit & acceptat, esse malum; nullam habet cognitionem mali in eo quod facit. Ergo non peccat in eo culpabiliter. Adde quòd ex opposito sequeretur conscientiæ perplexitas, & peccandi hîc, & nunc necessitas ineuitabilis, quotiescunque aliquis iudicat bonâ fide aliquid sibi agendum esse, neque posse omitti sine peccato, & tamen illud de se, naturali iure illicitum est. Peccabit enim id faciendo iuxta aduersarios; quia non excusat ignorantia inuincibilis iuris naturalis. Peccabit etiam non agendo: quia *Omne, quod non est ex fide*, id est, secundùm dictamen conscientiæ, *peccatum est*, Rom. 14. versu vicesimo-tertio Peccabit igitur faciendo quidquid in ipso est. At hoc est absurdum: & propositio ista, *Homo faciendo quod in se est, peccat: & non potest non peccare faciendo quod in se est*, damnata fuit tanquam hæretica, in Censura Sorbonæ anni 1560. die 27. Iunij. Cui similis est ista, damnata à tribus Pontificibus suprà nominatis, in Bullis contra Baium, & Iansenium, *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.* Denique si ignorantia inuincibilis iuris etiam naturalis, non excusaret à peccato; plerumque fortunæ esset, & non voluntatis, quod homines bene, vel malè agerent: prout videlicet id quod agunt, est conforme, vel dissentaneum iuri naturali inuincibiliter ignorato.

SECTIO II.

Refertur, & refellitur contraria sententia.

CONTRARIVM sentiunt Luther. tom. 6. in caput duo-decimum Genes. Zanchius in Tractat. Theolog. libro primo capite duo-decimo de ignoratione Dei thesi prima, & alij Nouatores, nouique Dogmatistæ eos secuti: quorum antesignanus tom. 2. libro secundo de statu naturæ lapsæ, capite secundo affirmat, *Ignorantiam, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, inuincibilem, non carere peccato: idque vt dogma fidei ab antiquis traditum, & contrarium, solemne Pelagianorum dogma fuisse:* quod partim eodem capite, cuius ille est titulus, partim duobus sequentibus, auctoritate Augustini & Hieronymi probare conatur. Deinde verò capite quinto, vt clariùs mentem suam exponat, dicit ignorantiam inuincibilem duplicem esse posse: vnam facti, alteram iuris: quæ rursus duplex est: vna iuris positiui, altera iuris naturalis. Et ignorantiam quidem facti, atque etiam iuris positiui fatetur excusare à peccato, ex doctrina B. Augustini, secus autem ignorantiam iuris naturalis. 4. *Contraria sententia.*

Cuius differentiæ rationem hanc reddit capite sexto, tanquam *radicem arcanæ huius doctrinæ:* quia scientia iuris naturalis, humanæ naturæ connaturalis est, eíque debita naturaliter, & illâ fuissent omnes præditi in statu innocentiæ: ideóque eius ignoratio est vitiosa, nec potuit nisi in pœnam peccati infligi. Secus autem cognitio factorum, aut iuris positiui, etiam diuini. Lex enim Dei positiua ab ipsius liberâ voluntate pendet, quæ tot, ac tales leges, eóque tempore, & loco, & occasione ferre potest, quot abscondita ipsius prouidentiæ, & consilio visum fuerit. Et idcirco eius scientia, neque humanæ, neque Angelicæ naturæ connaturalis est: sed sicut eius legis latio, ita & eius reuelatio à Dei libertate pendet: facta verò, quia singularia sunt, sine fine variari possunt: neque naturam rationalem eorum cognitio ita naturaliter perficit; sicut veritatum illarum generalium practicarum, quæ iure naturæ continentur. Vnde nec in statu innocentiæ, factorum omnium, & accidentium singularium primi homines cognitio- 5.

nem habuerunt: vt ex colloquio serpentis cum muliere, & mulieris cum marito satis euidenter colligi potest. Hæc ille, qui totam hanc doctrinam non tam, vt ipse vocat, *arcanam*, quàm Lutheranam, eiúsque radicem accepit à Zanchio, Lutheri partim, & Caluini sectatore, loco suprà citato: vbi simili ignorantiæ diuisione præsuppositâ in eam quæ est earum rerum quas iure naturæ scire tenemur, & alteram earum quas scire non tenemur; concedit hanc secundam excusare à peccato; secus verò primam. Et post longam hac de re disputationem ita concludit: *Summa: Omnis ignorantia eorum quæ quis scire tenetur, peccatum est; quia pugnat cum lege, quâ iubemur illa cognoscere: siue ea cognoscere iam possis, siue non possis. Quòd enim iam non possis, peccato Adæ, quod & tuum est, quia in eo omnes peccauerunt, factum est. Quare falluntur Scholastici, cùm talem ignorantiam, quam inuincibilem vocant, ideò à peccato excusant, quia inuincibilis est, vt loquuntur: quanquam euincere etiam possumus, eam non esse simpliciter inuincibilem, cùm voluntarium Adæ peccatum sit consecuta.*

6. *Argumenta ex Scriptura.* Ad hunc errorem confirmandum adduci possunt primò varia Scripturæ loca, quibus peccata vocantur nonnulla facta ex ignorantia inuincibili. Vt Genes. 20. ver. 9. Peccatum vocatur actio Regis Abimelech, accipientis in vxorem Saram, quam inuincibiliter ignorabat esse coniugem Abrahæ. Et Leuit. 4. versu secundo, & capite quinto versu decimo-septimo, statuuntur sacrificia offerenda pro illis qui peccauerint ex ignorantia. Et 1. Reg. 14. versu 44. damnatur morte Ionathas, eo quòd mel gustasset contra patris imperium, ipsi ignotum. Et Dauid Psalmo vicesimo-quarto, inter peccata sua commemorat ignorantias, sic orans, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et Lucæ duo-decimo, versu 47. dicitur seruus ignorans voluntatem domini, & non faciens, dignus esse, qui vapulet paucis, præ illo qui sciens non fecit. Et Actorum tertio, versu decimo-quinto, Petrus Apostolus reprehendit Iudæos, eò quòd auctorem vitæ interfecissent: cùm tamen ignoranter id fecerint: *Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent,* 1. Corinth. 2. versu octauo. Christus etiam Lucæ vicesimo-tertio, versu trigesimo-quarto postulat, vt hoc peccatum illis ignoscatur, *quia nesciunt quid faciunt.*

7. *Retorquentur in aduersarios.* Ad quæ respondeo 1. generatim, obesse magis quàm prodesse aduersariis: cùm fere omnibus illis in locis sermo sit de ignorantia facti, vel iuris positiui, quam si est inuincibilis, fatentur illi excusare à peccato culpabili. Nam in primo loco sermo est de ignorantia, quòd Sara esset vxor Abrahæ: quæ est ignorantia facti, vt per se patet, & fatetur præcipuus aduersariorum loco infrà citando, vbi, vt probet ignorantiam inuincibilem facti excusare à peccato, adducit hæc verba sancti Augustini libro secundo contra Cresconium, capite vicesimo-sexto: *Qui nesciens vxorem duxerit alienam; ex illo fit adulter, ex quo didicerit, nisi discesserit.* In secundo, & tertio, sermo est de ignorantia præceptorum, etiam ceremonialium, quæ iuris erant positiui. In quarto, de ignorantia præcepti positiui Saülis. Quintus loquitur generaliter de ignorantiis, & non distinguit (vt volunt aduersarij) ea quæ sunt circa ius naturale, ab aliis. In sexto, sermo est de præceptis herilibus, quæ sunt etiam iuris positiui. In septimo, & octauo, sermo est de ignorantia, quòd Christus esset Deus, non inuincibili, sed affectatâ, vel supinâ, & voluntariâ: iuxta illud Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Fuit autem modestiæ Diui Pauli, & mansuetudinis eximiæ Christi, minuere vtcunque peccatum Iudæorum, propter illam qualemcunque ignorantiam, & defectum perfectæ cognitionis.

Deinde dico, eadem Scripturæ loca esse cum aliqua interpretatione rationabili accipienda, iuxta verum illorum sensum. Vt enim rectè ait Chrysostomus homilia decima-tertia in epist. ad Romanos: *innumera sequerentur absurda, nisi dicta* in Scriptura de ignorantia peccatorum, *competenti religione legeremus.* Primo igitur loco, actio regis Abimelech, vxorem Abrahæ ignoranter accipere volentis ad coniugium, tanquam eius sororem, vocatur peccatum materialiter, quia erat illicita ex natura rei; quamuis inuincibiliter ignorata vt talis, ideóque non formaliter mala, seu culpabilis, vt indicant verba eiusdem capitis ver. 4. & 6. superiùs relata, & expensa. In secundo, & tertio sermo est de ignorantia facti, vt videbimus paulò pòst: & aliis similibus locis, vel de illa loquitur Scriptura, vel etiam de peccatis ex ignorantia vincibili factis, pro quibus offerri iubentur eiusmodi sacrificia. Quanquam etiam præcipi poterant pro peccatis materialiter ex ignorantia inculpabili factis, vt populus Iudaïcus solicitior redderetur in addiscendis legis suæ præceptis, cautiórque in vitandis eiusmodi peccatis. 8. *Explicantur eadem loca Scripturæ.*

In quarto, illa Ionathæ condemnatio non fuit iusta: sed potiùs peccauit Saül, præceptum illud tam seueri ieiunij sub interminatione mortis statuens, posteáque cum iuramento Ionatham morti addicens, eò quòd in graui necessitate paululum mellis gustasset, prorsus ignorans patris sui præceptum: quod tametsi non ignorasset; exigua tamen, aut nulla fuisset eius culpa, ob materiæ paruitatem, & grauem edendi necessitatem, quâ ille premebatur, viribus iam præ lassitudine deficientibus; vt rectè ait Cornelius à lapide, & alij quos citat in Comment. huius loci. Nec obest, quòd, vt dicitur eodem capite, noluit Deus respondere, velut iratus propter factum Ionathæ, fecítque eâ occasione vt per sortes deprehenderetur. Nam, vt Cornelius ibidem ait, post Abulensem, Caietanum, Serarium, & alios: licèt Ionathas sanctionem patris ignorasset, ideóque non violasset eam formaliter, sed tantùm materialiter: tamen multi de populo hoc nesciebant, qui potuissent scandalizari. Idcirco Deus voluit hoc silentio inquiri, prodique Ionatham; vt ipse palam omnibus patefaciendo suam præcepti ignorationem, se excusaret: ne videretur Deus, vel Saül esse personarum acceptor. Vel etiam, vt ait Caietanus, vo- 9. *Ionathas an, & quomodo culpabilis.*

luit Deus Ionatham hâc notâ humiliare, non propter factum: id est, propter violatum ieiunium; sed tantùm propter facti sui defensionem, quæ ad factum erat impertinens; quâ scilicet patris, in lege ieiunij sancienda, indiscretionem culpauit publicè; vt deinceps in loquendo de edictis regis cautior esset, & modestior. Quamquam propter leuitatem culpæ non permisit eum pœnâ grauiore mulctari, sed per populum morti eum eripuit.

10. *Ignorantia Pauli & Iudæorum, qualis.* In quinto loquitur Dauid de ignorantiis aliquo modo voluntariis, & vincibilibus. In sexto, sermo etiam est de seruo, non penitùs ignorante præceptum domini, sed non æquè cognoscente, neque peccante ex certa scientia, plenáque aduertentia: vt exponit Maldonatus ibidem. In septimo sensus est, quòd si Iudæi Christo credidissent, illiúsque maiestatem, & diuinitatem meliùs agnouissent, non consensissent tanto facinori. Quòd tamen non penitus, & inuincibiliter ignorauerint, patet ex verbis ipsius Christi suprà relatis Ioan. 9. ver. 41. & capite 15. ver. 22. Eodémque sensu intelligendum est quod Paulus de seipso dicit 1. Timoth. 1. ver. 13. *Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Nam quòd eius ignorantia vincibilis esset, quódque non planè ignoraret se malè agere, sed conscientiæ stimulis pungeretur, significauit Christus his verbis Actorum nono versu quinto, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Eodem denique sensu intelligendum est illud Sapientiæ quinto versu quarto, *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam &c. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis.* Nam vt rectè ait Chrysostomus homilia decima-tertia in epistolas ad Rom. indigni essent, qui torquerentur apud inferos, qui sic loquuntur, si planè ignorarent peccassent, & prorsus nescientes aberrassent à recto tramite. Sed, vt ait alibi Scriptura, *excæcauit eos malitia eorum; & noluerunt intelligere vt bene agerent*, meliúsque attendere ad rationes superiores, quibus ab amore nimio rerum sensibilium auerti possent, & ad studium virtutis accendi.

SECTIO III.

Refelluntur alia nouorum Dogmatistarum argumenta.

11. *Prima obiectio Iansenij.* Opponit præterea nouorum dogmatum artifex libro secundo de statu naturæ lapsæ capite secundo, solemne Pelagianorum dogma fuisse obliuionem, & ignorantiam non subiacere peccato, vt patet ex libro D. August. de Gestis Pelag. capite 18. Hoc autem, inquit, eos de inuincibili ignorantia intellexisse certissimum est: Cùm Iulianus, & Pelagius ex professo docuerint ignorantiam illam, quæ ex negligentia voluntatis nascitur, esse culpabilem, vt refert August. libro 6. contra Iulianum cap. 1. & libro de natura & gratia cap. 17. Addit hoc eorum dogma damnatum fuisse à Synodo Palæstina, acritérque oppugnatum à Catholicis defensoribus. Damnauit enim Synodus hanc eorum propositionem, *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem*: iustámque fuisse illius condemnationem docet S. Augustinus libro de Gestis Pelag. cap. 21. 25. 33. & vlt. Et Hieronymus qui post illam Synodum scripsit dialogos Attici, & Critobuli contra Pelag. multis Scripturæ testimoniis eius æquitatem, veritatémque ostendit, & querentibus Pelagianis in persona Critobuli, Accusari per hoc naturam, & inuidiam referri in Deum, qui tales homines condiderit, vt obliuione, & ignorantiæ peccato carere non possint: ac nullam esse iustitiam vt in peccato teneatur quisquam erroris; cuius reatum non habet conscientia: Respondet scriptum esse: *Altiora te ne quæsieris*, Eccles. 3. ver. 22. & Rom. 11. ver. 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei?* &c. & Ecclesiastis septimo: Profunda profunditas: quis eam inueniet? *Hieron. lib. 1. & 2. aduersus Pelag.*

12. *Pessimè doctrinam Pelagij & Augustini intelligit.* Respondeo primò; vt hoc argumentum aduersario prosit, supponendum illi est, Pelagium locutum fuisse de sola ignorantia inuincibili iuris naturalis, & non de ignorantia facti, vel iuris positiui, (quippe quæ excusat à peccato, iuxta doctrinam aduersarij capite sexto libri citati) & errorem Pelagij eodem sensu damnatum fuisse à Synodo Palæstina, impugnatúmque ab Augustino, Hieronymo, & aliis fidei defensoribus. At hoc nisi falsò, & ineptè supponi nequit. Primò, quia Pelagius sine dubio loquebatur eo sensu, quo subtiles, & accurati eius hæresis indagatores Augustin. & Hieronymus illum intelligunt, & impugnant, probántque è contrario ignorantiam esse peccatum. Atqui manifestum est Augustinum, & Hieronymum loqui etiam de ignorantia facti, & iuris positiui, vt patebit ex eorum testimoniis referendis paulò pòst. Secundò, propositio Pelagij damnata in Synodo Palæstina, generalis erat, & ex eius mente, comprehendebat omnem ignorantiam, & obliuionem inuincibilem: vt ostendunt hæc eius verba, *Quoniam non secundùm voluntatem eueniunt, sed secundùm necessitatem.* Nam etiam obliuio, & ignorantia inuincibilis facti, aut iuris positiui, non eueniunt secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem. Tertiò, cùm Synodus Palæstina hanc Pelagij propositionem, statim atque audita fuit, non expectatâ illius responsione, damnauerit, vt testatur Augustinus libro de Gestis Pelagij capite 17. & vt dicunt Apologistæ Iansenij Apolog. 2. parte 3. capite 11. damnata fuerit eo sensu, quem præ se fert: & illa præ se ferat sensum absolutum, & vniuersalem: Ergo illam absolutè damnauit, & vniuersaliter.

13. *Et definitionê Concilij Palæstini.* Quartò, dato & non concesso quòd loqueretur solummodo Pelagius de ignorantia inuincibili; cùm tamen illa triplex esse possit: vna facti, altera iuris positiui, tertia iuris naturalis: quomodo absolutè, & nulla adhibita distinctione damnauit Synodus propositionem, quæ quoad primam & secundam ignorantiam, vera erat, consensu aduersarij; & falsa tantùm quoad tertiam? Cur Augustinus Acta illius Synodi describens in lib. de Gestis Pelagij, subtili-

térque fraudes omnes, quibus illusit Synodo, exponens, nusquam monet propositionem illam Pelagij admitti ab illis potuisse, vt veram, & catholicam, si de ignorantia facti, aut iuris positiui loquebatur Pelagius? Sed & ratio, quam suæ condemnationi subiunxit Synodus, apertè ostendit eam intellexisse propositionem Pelagij de ignorantia etiam facti, & iuris positiui. *Cùm*, inquit, *in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.* Nam ex Leuit. 5. & 22. aliisque locis, manifestum est offerri debuisse in lege sacrificia pro ignorantia facti etiam, & iuris positiui; vt videbimus paulò pòst.

14 *Et malè sibi constat.* Quintò, aduersarius ipse affirmat cap. cit. & lib. 3. de hæresi Pelag. cap. 13. idem Pelagij pronunciatum fuisse acriter oppugnatum à Catholicis defensoribus, & à iudicibus in Palæstina Synodo condemnatum: ac proinde eodem sensu impugnatum postea, quo priùs fuerat damnatum: & expressè fatetur de eadem ignorantia vtrobique agi. At hi catholici defensores, qui præcipuè fuerunt Hieron. & August. quósque solos aduersarius citat, manifestè loquuntur de ignorantia etiam facti, & legis positiuæ: & quod amplius est, euidenter testantur de eadem, suum illud dogma intellexisse Pelagianos. Nam D. August. lib. 3. contra Iulianum cap. 19. refutans Iulianum, affirmantem, ignorantiam, quam culpâ nostrâ, seu negligentiâ, vel affectatione non contraximus, non modò peccatum non esse, verùm etiam esse bonam: refert illum id confirmasse ex eo, quod dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd vxor esset aliena: *Et ego scio quia in corde mundo fecisti hoc.* Vbi de ignorantia facti sermonem esse ostendimus suprà, ex ipsa confessione aduersarij, & testimonio D. Augustini lib. 2. contra Cresconium cap. 26. & idem S. Doctor loco priùs citato, non respondet Iulianum falli, proferendo ineptè testimonium Scripturæ loquentis de ignorantia facti, cùm tamen de sola ignorantia iuris naturalis tota esset ipsorum concertatio: vt certè, iuxta doctrinam nouorum Dogmatistarum, respondere debebat: sed ostendit factum illud Abimelech fuisse aliquo modo peccatum, materialiter scilicet, quamuis ex huiusmodi ignorantia inuincibili profectum. *Non attendisti*, inquit, *homo qui non vis diuino iudicio quemquam non suis, sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit vt Abimelech peccaret, quamuis nec ipse adulterino corde peccauerit, & Deus quantulumcunque peccatum eius in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret.* Et Hieronymus libro 1. aduersus Pelagianos conuincens falsitatis dogma illud Pelagij, sententiámque Synodi Palæstinæ confirmans multis Scripturæ testimoniis, non alia ferè profert, nisi ea, quæ loquuntur de ignorantia facti, aut iuris positiui: vt illud Numer. 35. ver. 22. vbi qui fortuitò occiderit, putà qui hominem interfecerit credens esse feram, (quæ est ignorantia facti) iubetur recurrere ad ciuitates refugij, ibíque manere, donec summus Sacerdos moriatur. Et illud Leuit. 5. ver. 2. vbi qui tetigerit aliquid immundum, quod non liceat tangere, & fecerit per ignorantiam (nesciens scilicet immundum esse, quæ ignorantia facti est: aut ignarus legis positiuæ de non tangendo) & postea didicerit, pronunciabit peccatum suum, in quo peccasse se perspicit. Et quod addit ex cap. 22. Leuit. quod de simili ignorantia manifestè intelligendum est, *Si comederit homo de sanctificatis per ignorantiam, imputatur ei iniquitas atque delictum.* Et ex 1. Reg. 12. refert ad eundem finem quæ dicuntur de Ionatha, vbi de ignorantia iuris positiui, regij scilicet præcepti, sermo est.

Sextò denique, ipsa Pelagianorum querela relata ab aduersario verbis Critobuli Pelagiani apud Hieronymum, *Rogo quæ est ista iustitia, vt in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & eius rei, quam nescio pœnas luo. Et quid plus faciam, si sponte peccauero?* Hæc, inquam, querimonia Pelagianorum non minùs pertinet ad ea quæ fiunt ex ignorantia inuincibili facti, aut iuris positiui. Nam similiter eorum reatum non habet conscientia: & æquè nesciunt homines se peccasse, quando aliquid mali faciunt ex ignorantia inuincibili facti, vel iuris positiui. Liquet igitur ex dictis, aduersarium neque errorem Pelagij intellexisse, neque mentem Synodi Palæstinæ, eiúsque defensorum Hieronymi, & Augustini, in quo legendo, & tam malè intelligendo, si, vt ait viginti annos, & ampliùs insumpsit, parùm vtiliter tempus, & operam suam posuit. 15. *Et sententiam Pelagianorum non intelligit.* *Lib. 1. aduersus Pelagium.*

Respondeo 2. directè, Pelagium generaliter locutum esse de ignorantia inuincibili, & negauisse illam esse peccatum, non modò propriè dictum, sed illo etiam sensu, quo peccatum vocatur concupiscentia inuoluntaria cum suis motibus inordinatis, quia peccati pœna est, & per peccatum primi parentis inuecta. Volebant enim Pelagiani, ignorantiam & concupiscentiam non esse pœnam peccati, sed naturæ primordia: vt testatur S. August. libro de dono perseuerantiæ capite vndecimo. *Dicunt*, inquit, *Pelagiani, ignorantiam & difficultatem:* (id est, concupiscentiam) *sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ.* Quin etiam asserebant perfectam ignorantiam: id est totalem, & inuincibilem, bonam esse, iustitiámque appellari: vt de Iuliano videre est apud Augustinum lib. 3. contra eundem cap. 19. qui ad id probandum adducebat illud Genes. 20. ver. 4. *Domine num gentem ignorantem, & iustam interficies?* Et paulò pòst ver. 6. *Ego scio, quòd simplici corde feceris: & ideo custodiui te, ne peccares in me.* Addebátque, *Ex hoc intelligi debere perfectam ignorantiam, iustitiam nominari; quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd vxor esset aliena: Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc.* Et cap. 21. eiusdem libri, refert Iulianum existimasse concupiscentiam naturale bonum esse: & hæc eius esse verba; *Concupiscentia naturalis qui modum tenet, bono bene vtitur: qui modum non tenet, bono malè vtitur.* Quæ tum eodem libro refutat Augustinus, tum pluribus aliis locis probans ignorantiam, & concupiscentiam esse peccati supplicia: neque sufficere quod dicebant Pelagiani, Meritò esse reprehendendos, qui supersederunt scienda cognoscere: vt de Iuliano refert lib. 6. contra eundem capite 1. & quod libro de natura & gratia capite 17. refert Pelagium dixisse, *Hominem præuigilare debere, ne ignoret; ideóque esse culpandam ignoran-* 16. *Quænam illa fuerit.*

tiam: quia id homo nescit negligentiâ suâ quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset: sed insuper fatendum esse quòd ignorantia, æquè ac concupiscentia, sit peccatum, modò supradicto.

17. *Augustini mentem non assequitur.* Perperam verò inde colligit aduersarius libro secundo de statu naturæ lapsæ capite secundo, Augustinum contra illos contendere, ignorantiam inuincibilem, si sit iuris naturalis, esse peccatum verè ac propriè dictum: id est, culpabile. Quod ab ipsius mente planè alienum est. Tantùm enim vult, ignorantiam inuincibilem, illam etiam quam ab vtero materno trahimus, siue circa ius naturale, siue circa alia, pœnam esse peccati primi parentis, & malum, diuinæ gratiæ illustratione purgandum: vt liquet ex libro tertio de lib. arbit. cap. 19. & lib. 1. de peccatorum meritis capite 36. & libro 6. contra Iulianum capite 1. vbi enim sic alloquitur: *Ecce meritò reprehendisti eos, & grauiter, qui supersederunt scienda cognoscere. Numquid hoc de his qui excordes nati sunt, potes dicere? Nec tamen eis sub Deo iusto, vnde hoc accidere potuerit, inuenturus es, si nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum.* Plura eius loca ad idem confirmandum adducit, & expendit Antonius Ricardus libro 2. Disputat. de libero arbitrio capite secundo sect. 3. §. 3. aliquantò ante finem.

SECTIO IV.

Continuatur suscepta refutatio.

18. *Altera pars doctrinæ Pelagij, de ignorantia.* ADDO præterea, & respondeo tertiò, quamuis Pelagiani affirmarent voluntariam negligentiam sciendi id, quod scire tenemur, peccatum esse, vt patet ex verbis modò relatis lib. 6. contra Iulianum cap. 1. & lib. de natura, & grat. cap. 17. negabant tamen ea, quę postea fiunt ex tali ignorantia à non aduertentibus tunc temporis se culpabiliter ignorare, peccata esse: eóque sensu affirmabant obliuionem & ignorantiam id est, ea quæ fiunt ex ignorantia, & obliuione, non subiacere peccato, quia non eueniunt secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem, propter inaduertentiam, & ignorantiam tunc ineuitabilem, miniméque voluntariam hîc & nunc: Hoc ita esse mihi persuadet primò, ratio subiecta à Concilio Palæstino damnante supradictam propositionem Pelagij, velut hæreticam, & Scripturæ aduersam: *Cùm* inquit, *Dauid dicat, Delicta iuuentutis meæ ne memineris, & ignorantias. & cùm in lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.* Nam quòd Dauid loquatur de ignorantia vincibili, seu de peccatis per eam commissis, docet August. lib. 3. de libero arbitrio capite 18. & libro 1. Retract. cap. 9. vbi de eadem ignorantia interpretatur hunc locum Dauidis, & istum Pauli Apostoli, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Est autem manifestum, Paulum, Ecclesiam persequendo, laborasse ignorantia vincibili, vt antea probauimus ex illis Christi verbis, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, & dubitare non sinunt ingentia, & frequentia miracula, quæ à Stephano, aliísque Christi discipulis, & ab Apostolis fieri viderat in confirmationem doctrinæ Euangelicæ. Item quòd in lege sacrificia offerrentur pro peccatis ex ignorantia vincibili commissis, docet idem S. Doctor libro de natura & gratia cap. 17. *Aliud est*, inquit, *non curasse scire: quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec posse. & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* Itaque vel ratio illa Concilij Palæstini nihil faciebat ad damnandum errorem Pelagij: vel ille loquebatur etiam de peccatis commissis inaduertenter ex ignorantia vincibili. Quæ Pelagius nolebat dici, & esse peccata, per respectum ad voluntatem antecedentem, acceptantem culpabiliter ignorantiam: ne fateretur, quod vrgebat Augustinus, simili modo concupiscentiam in non baptizatis, esse peccatum originale, per respectum ad voluntatem Adami.

Secundò, id mihi persuadet, quod Hieronymus, & Augustinus, quibus sine dubio optimè notus erat error Pelagij, ad illum refellendum vtuntur plurimis Scripturæ testimoniis, quæ de peccatis ex ignorantia vincibili factis intelligenda sunt: adeóque impertinenter fuissent ab illis producta, nisi Pelagius de illis quoque sensisset, vt diximus. Hoc manifestum faciunt loca prolata ab Hieronymo libro 1. contra Pelag. de occidente per ignorantiam, Num. 25. Nam fatendum est aduersariis vel nullum illius delictum fuisse, vel ex ignorantia vincibili occidisse: cùm sermo ibi sit de ignorantia facti, quam, si est inuincibilis, fatentur ipsi à peccato excusare. Et de tangentibus ignoranter aliquid immundum, Leuit. 5. Et de comedentibus per ignorantiam de sanctificatis, Leuit. 22. vbi similiter de vincibili ignorantia sermo est: vel non fuit peccatum, iuxta ipsosmet aduersarios; qui negare non possunt ignorantiam illam fuisse facti, aut iuris positiui, ideóque excusâsse à peccato, si erat inuincibilis; vt ipsi fatentur. 19.

Eiusdem generis sunt pleraque Scripturæ loca producta à Diuo Augustino, & ab aduersario nobis inconsideranter obiecta cap. 3. libri suprà citati. Vt illud quod primò refert ex libro de natura & gratia cap. 17. vbi sermo est de peccatis ignorantiæ per sacrificia expiandis in lege Mosaica, factis licèt ex ignorantia vincibili, vt disertè ibidem affirmatur. Et quod ex eodem refert, circa finem eiusdem capitis, *An nullum est ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum? Et quid agit illa vox: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meæ ne memineris &c.* Vbi similiter sermo est de peccatis commissis ab ignorantibus, ignorantiâ vincibili, vt superiùs ex ipso Augustino demonstrauimus. Eòdem pertinet etiam, quod adducit aduersarius ex lib. 3 de libero arbitrio capite 18. & libro 1. Retract. cap. 9. de ignorantiâ Pauli Apostoli, Ecclesiam persequentis, ignorantis scilicet vincibiliter, vt antea probauimus numero 18. Et quod ibidem obiicit ex libro de gratia & lib. arbit. cap. 5. *Aliud est nescisse, aliud scire noluisse &c.* vbi similiter de ignorantia vincibili sermonem esse patet ex immediatè præcedentibus: *Dominus in Euangelio ait: Seruus, qui nescit voluntatem domini sui. & facit digna plagis, vapulabit pauca &c.* quæ cùm dicantur de ignorantia præcepti positiui, quam excusare à peccato, si est in- 20. *Exponuntur scripturæ loca malè obiecta.*

uincibilis fatetur aduersarius; debent, vel ipso assentiente, intelligi de ignorantia vincibili: vt exponuntur à Magistro in 2. dist. 22. & à D. Thoma in Catena in Lucam cap. 12. vbi hæc verba Theodoreti refert simili modo explicantis: *Hic obiiciunt aliqui: meritò punitur, qui sciens voluntatem domini non persequitur. Sed cur punitur ignorans? Quia cùm ipse scire potuisset, noluit, sed pigritans, ipse fuit ignorantiæ suæ causa.* Patet etiam ex iis, quæ subiungit Augustinus loco citato: *Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat,* (ob peccatum scilicet originale iuxta Augustinum, & personalia, cum quibus decedit) *si propterea non credidit, quia non audiuit omnino, quod crederet: sed fortassis vt mitiùs ardeat &c.* Nam particula *tanquam*, significat non omninò ignorasse: & cùm loquatur de iis, qui non credunt Euangelio, vt rectè notat Bannes, 2. 2. q. 10. art. 1. id est, de ignorantia iuris positiui; fateri debet aduersarius eum loqui de ignorantia vincibili: sentit enim vt iam sæpiùs monui, ignorantiam inuincibilem iuris positiui, & facti, excusare à peccato, & consequenter à pœna.

21. *Et Augustini testimonia.* Eiusmodi etiam est quod refert ex enarrat. in Psal. 35. vbi S. August. hæc Dauidis verba, *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius*, sic exponit: *Non vnum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi aduersantur, non intelligendo vt bene viuant: non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim, quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis, non potest, sicut dicit quodam loco Scriptura, Quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem.* Nam quòd etiam ibi loquatur de ignorantia Euangelij, & iuris positiui, liquet ex sequentibus exemplis quibus id confirmat: *Fac*, inquit, *hominem quærere, quomodo sit æqualis Filius Patri? credidit. Quærit intelligere: nondum potest. Magna enim res est, & vires maiores desiderat vt possit capi* &c. *vt possit intelligere, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nec obest, quod ibidem addit, loquens de ignorantia iuris naturalis: cum sincerè quærere nosse iniquitatem, vt eam non admittat, qui *cùm viderit* quia *peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum: quod* ideò *faciebat, quia ignorabat*; verè *sic voluit nosse iniquitatem, vt inueniret, & odisset.* Nam peccatum ibi sumitur materialiter pro actu inordinato, non scienter, & liberè admisso vt tali: à quo statim desistit, qui sincerè odit iniquitatem, postquam malum, & inordinatum esse cognouit.

22. Eiusmodi denique, vt alia minoris momenti ab aduersario obiecta prætercam, est illud quod opponit ex tract. 89. in Ioan. vbi Augustinus exponens verba illa, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent:* dicit hoc esse intelligendum de peccato, quo in Christum non crediderunt; non de aliis, pro quibus non possunt effugere damnationem, quia qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: propter peccata scilicet contra legem naturæ facta, quamuis lex Mosaïca fuerit illis inuinciibiliter ignota. Nam Augustinus non dicit illos esse puniendos pro peccatis contra legem naturæ factis ex ignorantia inuincibili: sed pro peccato originali, & pro personalibus cum aliqua cognitione legis naturalis admissis: de quibus dicere non possint, vt de Euangelio, *Non audiuimus: ideo non credidimus, aut non cognouimus*, vt significat idem sanctus Doctor epistola 105. ad Sixtum, vbi idem, & iisdem ferè verbis repetit. Deinde Augustinus non loquitur ibi specialiter de solis peccatis contra legem naturalem, sed generaliter de quibuscunque, propter quæ iudicandi & damnandi sunt, qui non audierunt Euangelium, illúdque inuinciibiliter ignorauerunt. Atqui sunt etiam iudicandi, & damnandi propter peccata contra ius positiuum admissa: peccant enim, teste Apostolo Rom. 13. aliisque locis, qui Principum, & Dominorum præceptis legitimis non obediunt: quippe quibus parendum est non tantùm propter iram, sed & propter conscientiam: quíque illis resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, vt affirmat capite citato. Plura circa expositionem huiusmodi locorum D. August. videri possunt apud Ricardum sect. cit. §. 4. & sequentibus.

SECTIO V.

Ostenditur doctrinam aduersariorum malè cohærentem esse.

Ex his patet quanta sit leuitas, & inconstantia doctrinæ aduersariorum, qui cùm doceat solam ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excusare à peccato, secùs ac ignorantiam facti, & iuris positiui: ídque putent se colligere ex D. Augustino, & aliis Patribus, Pelagianos impugnantibus: tamen ad id probandum producunt loca, quibus ipsi manifestè loquuntur de ignorantia vincibili, vel de ignorantia facti, aut iuris positiui. Ideóque vel impertinenter adducuntur ab aduersariis ad probandum quod intendunt: vel probant eius oppositum. Neque minor est eorum leuitas, & inconstantia in eo, quod dicunt ignorantiam iuris naturalis non esse verè & propriè peccatum; sed ea quæ fiunt ex tali ignorantia esse peccata: vt videre est libro secundo de statu naturæ lapsæ capite sexto, vbi Iansenius sic affirmat: *Quamuis huiusmodi ignorantia propriè peccatum non sit: quantumuis etiam humanæ potestati inuincibilis &c. quia tamen pœna peccati est, quidquid ex illa cæcitate perperam fit sine peccato non fit.* Conqueruntúrque grauiter eius defensores Apolog. 2. parte 3. capite nono, imponere illi, quicunque asserunt eum dixisse: *ignorantiam inuincibilem subiacere peccato:* cùm solùm dixerit, id quod fit ex ignorantia inuincibili, subiacere peccato, vt probant ex eius verbis proximè relatis. Et tamen ad id confirmandum, adducit Synodum Palæstinam, damnantem hanc propositionem Celestij & Pelagij, *Obliuionem & ignorantiam non subiacere peccato:* vbi, quemadmodum verba sonant, & nos suprà ostendimus, de ipsa quoque ignorantia secundùm seipsam, est sermo, & non tantùm de iis quæ malè fiunt ex ignorantia. Nam de vtrisque malè sentiebant Pe-

23. *Defectus iudicij aduersariorum.*

Cōtradictio Iansenij.

lagius, & Celestius. Eodem sensu debet loqui, nisi velit sibi contradicere Iansen. cap. 2. eiusdem libri, quod sic inscribit: *Ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntaris, hoc est, inuincibilis, non caret peccato: vt dogma fidei ab antiquis traditum.* Nam inter Augustini testimonia, quibus abutitur ad id confirmandum, nonnulla profert, quæ loquuntur manifestè de ignorantia, quam trahimus ab vtero materno, quáve laborat infans recèns natus, *Nesciens vbi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, iam reus delicti, necdum capax præcepti: tam profunda ignorantiæ caligine inuolutus & pressus, vt neque tanquam de somno excitari possit, &c.* vt ait libro de peccatorum meritis cap. 36. vbi certè sermo est de ignorantia secundùm se, non de peccatis quæ ex illa fiunt: cùm infantes sint peccati actualis incapaces, æquè ac præcepti.

24. *Altera contradictio.* Parùm etiam constanter loquitur, quando docet generaliter motus concupiscentiæ materialiter turpes & malos non esse peccatum culpabile, donec voluntas illis consentiat pòst sufficientem deliberationem: vt significat lib. 2. de statu naturæ puræ cap. 14. §. *Ex quibus etiam.* Et tamen lib. 2. de statu naturæ lapsæ, cap. 2. & sequentibus contendit ea omnia, quæ fiunt inuoluntariè, & per ignorantiam inuincibilem, contra ius naturale, esse peccata imputabilia. Nam par est ratio, vt motus inuoluntarij concupiscentiæ, contra ius naturale, erumpentes, sint peccata imputabilia, æquè ac ea, quæ fiunt contra idem ius inuoluntariè, & cum totali, inuincibilique ignorantia. Vel potiùs, sicut huiusmodi motus concupiscentiæ non sunt peccata propriè, quia indeliberati; ita nec ea, quæ fiunt omnino ignoranter, & inuoluntariè contra ius naturale.

25. *Tertia contradictio.* Neque minùs inconstanter dicit, ignorantiam inuincibilem iuris naturalis excusare à peccato; secus autem ignorantiam iuris positiui, etiam diuini; eò quòd illa à peccato primi parentis orta est, non ista. Nam etiam ignorantia legis positiuæ diuinæ, orta est à peccato originali, vt docet ipse lib. 3. de statu naturæ puræ cap. 10. & 11. vbi affirmat nullam miseriam, nullúmque malum reperiri in homine, quod non sit pœna peccati. Atqui ignorantia Euangelij, & legis positiuæ diuinæ, ad salutem necessariæ, est magnum malum, & miseria: & iuxta eundem lib. 10. de gratia Christi cap. 3. est effectus reprobationis, cuius causa originale peccatum est, vt asserit ibidem. Item cùm phrenesis & insania, & cæcitas corporalis, aliæque generis humani miseriæ, sint effectus, & pœna peccati originalis, vt ipse ait lib. 3. de statu naturæ puræ cap. 11. 14. & 15. sequeretur, quidquid malè faciunt insani, & phrenetici, esse peccata, & culpabiliter agere cæcum, qui v. gr. volens canem abigere, hominem percutit, ignorans inuincibiliter eum adesse: pari ratione, quâ dicit aduersarius, licèt ignorantia inuincibilis iuris naturalis non sit propriè peccatum; quia tamen pœna peccati est, quidquid ex illa malè fit, sine peccato non fieri.

26. *Eiusdem hallucinatio.* Manifestè verò hallucinatur cap. 6. lib. 2. de statu naturæ lapsæ, cùm radicem arcanæ, vt ait, istius doctrinæ exponens, dicit ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, idcirco pœnam esse peccati Adæ, quia iuris naturalis cognitio non defuisset in statu innocentiæ, secus verò ignorantiam iuris positiui diuini: quia quòd feratur lex diuina positiua, vel non feratur, pendet à libera Dei voluntate: quare sicut potuit non esse illius latio, ita potuit non esse illius reuelatio: *Vnde,* inquit, *videtur fieri, vt illius legis ignorantia inuincibilis non sit vitiosa: & consequenter neque peccato deputandum id, quod ex ea fit: quandoquidem & in illa primæ conditionis præstantia, sine vllo peccato, aut vitio præcedente, cuius pœna esset, potuit ignorari.*

Sed contrà: quia, vel loquitur de lege, quæ reipsa lata fuerit, vel quæ tantùm ferri potuerit, reipsa verò lata non sit. Si primum; fallitur, & sibi contradicit. Nam cùm, vt ait alibi, locis suprà citatis, ab illo statu primæ conditionis debuerit abesse omne malum, omnísque miseria: & non exiguum malum, & miseria fuisset ignorantia inuincibilis legis diuinæ reipsa latæ, & ad salutem necessariæ toti humano generi, si quæ huiusmodi lata fuisset in illo statu, non potuisset esse talis ignorantia: & contra illum possum sic retorquere ipsius argumentum: Non potuit in statu innocentiæ esse ignorantia legis positiuæ diuinæ ad salutem necessariæ, & obligantis totum genus humanum. Ergo quòd nunc sit talis ignorantia, pœna peccati est. Si autem secundum eligat aduersarius, non loquitur ad propositum. Quando enim quæritur, vtrum ignorantia inuincibilis legis positiuæ excuset à peccato? sermo est de lege, quæ reipsâ lata sit: non autem quæ tantùm possibilis sit. Similíque argumentandi modo probaret aliquis transgressionem legis positiuæ non esse peccatum; quia potuit lex illa non ferri: & si lata non fuisset, peccatum non esset facere contrarium eius, quod præcipit: nam si non esset, nulla pariter esset illius obligatio. Hinc etiam simili argumentandi modo deduci posset, non esse nunc peccatum, non seruare legem positiuam diuinam: quia, vt ait aduersarius, vitiosum non est, & peccatum, id quod potuit esse in statu innocentiæ. Sed in illo statu potuit esse inobseruantia legis diuinæ positiuæ, quia potuit lex illa non esse. Ergo nunc vitium, & peccatum non est inobseruantia legis diuinæ positiuæ. Sicut autem in hoc argumento æquiuocè sumitur inobseruantia legis, modò pro merè negatiua; id est legis, quæ non est, neque debet seruari, quia non obligat; vnde eius inobseruantia non est peccatum: modò pro priuatiua, id est legis, quæ actu posita est, & obligat: & ex eo quòd prior inobseruantia non sit peccatum, perperam infertur istam quoque non esse vitium & peccatum: sic in argumento aduersarij æquiuocè sumitur ignorantia legis positiuæ, modò pro ignorantia negatiua, id est, pro nescientia eius, quod non tenemur scire, cuiusmodi est ignorantia legis positiuæ non latæ: modò pro ignorantia priuatiua, id est, eius quod tenemur scire, cuiusmodi est ignorantia legis positiuæ reipsâ latæ. Et ex eo quòd illa potuerit esse in statu innocentiæ, adeóque non est vitium, & peccatum: perperam infertur istam quoque potuisse in eo reperiri, & peccatum non esse.

27. *Quarta eiusdem contradictio, vel exceptio.* (margin note beside preceding paragraph)

28. *Libro 2. de statu naturæ lapsæ. Aliæ eiusdem hallucinationes.* Eodem vitio laborant alia quæ opponit cap. 3. 5. & 6. lib. cit. Nam vel loquuntur de ignorantia legis positiuæ, quam dicunt esse peccatum: contrà quàm velit aduersarius, vt illud

quod affert initio cap. 3. ex D. Augustino libro de natura & gratia cap. 17. vel generaliter affirmant ignorantiam legis esse peccatum, non distinguendo inter legem naturalem & positiuam: & quod dicunt, potest manifestè de vtraque intelligi: vt v. g. quod ait D. Augustinus in Psal. 35. *Sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt: sunt autem homines qui nolunt intelligere, & ideo non intelligunt, &c.* Nam similiter de Euangelio, eiúsque præceptis positiuis dici potest, *Sunt homines qui volunt intelligere, & non possunt, &c.* Et quod ait lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. *Nolle homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat, &c. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates.* Enimuero simili modo, & æquè verè dici potest, nolle homines credere Euangelio, & facere, quod præcipit iure positiuo, siue quia latet, siue quia non delectat, &c. esséque Dei gratiæ quòd innotescat, & delectet. Et idem est de pluribus aliis, æquè impertinenter ab aduersario productis: possumúsque certò affirmare, nusquam à Diuo Augustino traditam fuisse differentiam illam, quam arcanæ suæ doctrinæ radicem esse vult. Vel denique alia, quæ producit, affirmant quidem specialiter ignorantiam iuris naturalis esse peccatum; sed non id negant de ignorantia iuris positiui. Cuiusmodi sunt quæ profert cap. 5. ex serm. 4. de verbis Apost. cap. 5. & ex libro de continentia cap. 3. & ex serm. 49. de tempore cap. 2. Quæ autem affert toto cap. 4. vt probet Augustinum restrinxisse ad peccatum primi parentis, definitionem peccati à se traditam in libris contra Manichæos scriptis, refutabuntur disp. 18. sect. 7. num. 71. & seqq. Atque ita omnibus eius argumentis abundè satisfactum est.



DISPVTATIO XVII.

De Concupiscentia.

SECTIO I.

Sitne omnis concupiscentia vitiosa, & naturæ lapsæ propria?

1. *Sententia Iansenij affirmans.*



VIDETVR id affirmare Iansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 7. & quatuor sequentibus, vbi absolutè, & absque vlla distinctione docet primò concupiscentiam esse pœnam, quâ peccatum primi parentis nostri punitum fuit, & vniuersum genus humanum atteritur; illámque definit, esse pondus quoddam habituale, quo anima inclinatur ad fruendum creaturis, id est ad res creatas propter se amandas, vt alibi exponit, sæpiúsque repetit: eandémque, & difficultatem ab illa ortam habere se dicit instar consuetudinis pertinacissimè propellentis ad fruendum voluptatibus. Quapropter Augustinus sæpius eam vocat naturalem consuetudinem, aitque consuetudine actuum augeri, roborari, & penè inuictam fieri.

2. *Concupiscentia motus, & obiectum iuxta eundem.*

Docet 2. illius motus, siue actus, non esse alios nisi quasdam inclinationes, impetus, concupiscentias, appetentias, appetitus, cupiditates, amores, ac desideria. Obiectum verò eius esse, quicquid non est Deus, qui creaturæ rationali verum, & vnicum bonum est; hoc est, quamlibet creaturam. Omnis enim creatura vitiosè amari potest, & ex illo amore nascitur cupiditas, qua in eundem amorem iterandum, animus postea, etiam inuitus vrgetur, inquit cap. 7. § *Maior difficultas.* Et paulò pòst addit, motuum istorum obiectum esse quamlibet creaturam, in quam carnaliter exardescere, etiam contra propositum hominis, potest & solet, siue per carnem, & appetitum sensitiuum, siue etiam per spiritum, seu partem animæ superiorem, sic enim vocem *carnaliter, & carnem.* Apostolicâ phrasi, & Augustinianâ intelligendam esse monet: carnalia quoque bona, esse bona creata, Scripturæ phrasi, siue secundùm animam, siue secundùm corpus, siue secundùm vtramque partem hominis appetantur, & carnales affectiones esse eas, quibus in bona creata ferimur, nullâ habitâ ratione Creatoris; id est non propter Deum. Quæ omnia bona solet Augustinus vocare bona temporalia, bona inferiora, id est quæcunque sunt infra spiritum rationalem, vel etiam quæcunque sunt infra Deum; & carnalia bona, & denique sæcularia.

3. *Ad quid tendat?*

Docet 3. concupiscentiæ motus semper ad fruitionem tendere, nam motus illi sunt desideria, quæ ad possessionem rei naturaliter tendunt; fruitio autem est boni, quod desiderauimus, iam obtenti, vt cum quâdam voluptate percipiatur, possessio. Concupiscentia quippe, tanquam irrationalis, & ad simplicem apprehensionem rerum nata sequi, non ad vsum rerum, sed ad fruitionem tantùm inhiat; vsus enim est rationis, quæ vnum ad alterum referre nouit, & solet. Et hinc fit vt bruta per concupiscentias libidinibus humanis similes, tantùm ad fruendum, non ad vtendum, impellantur.

4. *Concupiscentia triplex.*

Docet 4. concupiscentiam diuidi tripliciter, nimirum in concupiscentiam carnis, oculorum, & superbię vitæ, id est in libidinem sentiendi, seu voluptatem aliquam percipiendi per sensus qui in carne sunt; in libidinem sciendi, seu curiositatem: & libidinem excellendi. Quæ tria dicit esse fontes omnium peccatorum, ita vt sicut omnes cupiditates particulares ad illa tria capita generalia reuocantur, sic omnes peccatorum species ad illa eadem pertineant, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo* (hoc est, vt exponit Augustinus in Commentario huius loci, in dilectoribus mundi) *concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Nam vt ait ibidem Augustinus: *Tria sunt ista, & nihil inuenis, vnde tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi.*

5.

Docet 5. nulli omnino concupiscentiæ, siue

Licitúmne illi consentire. libidini propter ipsam explendam, licitum esse adhibere consensum. Probátque 1. ex Scriptura Ecclesiast. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere; si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, facient te in gaudium inimicis tuis.* & Rom. 7. vocatur concupiscentia, *lex peccati*, quia peccatum suadet, & quodammodo iubet. Quis verò dixerit, ipsi legi peccati, & peccatum iubenti, obedire licere? Et cap. 6. eandem ob causam vocatur *peccatum*, iubetúrque, vt ei resistamus, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Probat 2. multis Augustini testimoniis, quibus Scripturæ loca iam citata illustrat, & aliis quibus concupiscentiam vocat amorem peruersum: amorem rerum vanarum & noxiarum: motúsque libidinis appellat desideria peccati: motus improbos; delectationem peccandi; desiderium mali, & prouocationem ad malum. Quis autem non videat illicitum esse consentire huiusmodi motibus? Affirmat præterea idem S. Doctor, nihil omnino propter concupiscentiam titillantem posse licitè fieri, etiamtum, cùm per illam aliquid boni, quod nobis ad vitam transigendam vtile vel necessarium est, obtinere contendimus, vt videre est lib. 4. contra Iulianum cap. 2. & 14. & lib. 5. cap. 9. & lib. 10. Confess. cap. 31. & 33.

Lib. 21. de Ciuit. c. 22. Ibidem. Lib. de perfect. iustit. cap. 6. Lib. 4. contra Iulia. c. 1. & lib. 6. c. 15. Lib. 1. Operis imperfecti, fol. 102. Libro 1. ad Bonifac. c. 13. Lib. 1. Operis imperfecti, fol. 102.

6. *Quid sentiat de vsu matrimonij.* Docet 6. & infert ex prædictis, voluptatis causâ misceri coniugi, peccatum esse: & iuxta Augustini doctrinam, concubitus illos omnes qui non suscipiendæ prolis, sed voluptatis solius causâ, aut in solum remedium concupiscentiæ fiunt, venialia quidem, sed tamen vera esse peccata. *Concupiscentia non nocebit* (baptizatis) inquit lib. de peccat. origin. cap. 38. *nisi cùm eâ malè vtuntur, non solùm in omnibus illicitis corruptelis, verùm etiam in ipsis coniugibus, quando non propagandi voluntate, operam creandis filiis impendunt, sed lasciuiendi voluptate, exsaturandæ cupidini inseruiunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis, & vxoribus ne defraudent inuicem nisi ex consensu ad tempus, vt orationibus vacent, secundùm veniam, non secundùm imperium concedit Apostolus. Euidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et libro 4. contra Iulianum cap. 3. scopum Christiani coniugis in carnali commixtione definit: *Vt sit eius intentio, quando vtitur coniugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis. Si autem vicerit, & propter seipsam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorserit voluptas, veniale peccatum fit propter nuptias Christianas.* Ex quibus, & aliis similibus Augustini locis, infert Iansenius cap. 10. veniale saltem peccatum esse, & sine dubitatione illicitum misceri coniugi sterili, vel grauidæ, vel eo tempore, aut eâ ætate, quâ non potest prolem suscipere, & si proles ipsa propter quam miscentur coniuges, aliter quàm commixtione libidinis suscipi posset, etiam concumbendo delinquerent.

SECTIO II.

Refutatur doctrina proposita.

7. *Non omnis* IN hac doctrina Iansenij multa reprehendenda sunt: atque illud imprimis quod absolutè pronunciat, concupiscentiam esse malam, & ortam ex peccato primi parentis. Neque enim omnis concupiscentia mala est, & fœtus illius peccati: sed vt alibi diximus, & nunc distinctiùs explicandum est, nomen concupiscentiæ multipliciter sumitur, significat enim vel potentiam, vel actum concupiscendi: & tam potentia quàm actus multiplex est. *concupiscentia est mala.*

8. *Generaliter sumitur pro potentia, & actu appetendi boni.* Primò enim significat generaliter potentiam concupiscendi, siue amandi, & desiderandi quodcunque bonum siue creatum, siue increatum; spiritale, aut corporale; sensibile, aut insensibile. Quæ potentia est ipsamet voluntas, siue anima ipsa, prout apta per se in eiusmodi bona tendere affectiuè, & prosecutiuè: fuítque in statu innocentiæ in primis hominibus, & in Christo atque in beatis est, in quibus tamen nihil malum, & vitiosum existit. Quare absurdum, & erroneum esset dicere concupiscentiam hoc modo sumptam, esse malam, & effectum peccati originalis. Similitérque actus qui tali potentiæ respondent, non sunt mali generaliter. Euidens enim est, multa eiusmodi bona rectè amari, & desiderari: atque vt rectè ait Augustinus concione 8. in Psal. 118. bona erat illa concupiscentia, de qua dicebat Dauid Psal. citat. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Bona etiam erat illa, de qua dicebat Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua? concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Bona etiam est concupiscentia sapientiæ, quæ dicitur ad regnum perpetuum deducere Sapient. 6. Bona denique est concupiscentia, quâ spiritus concupiscit aduersus carnem, quámve commendat Apostolus, & sequi iubet ad Galat. 5. vers. 16. & 17. sic dicens, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcunque vultis illa faciatis.*

9. *Et strictiùs pro appetitu circa bonum facile.* Secundò, sumitur strictiùs concupiscentia, pro potentia appetendi bonum facilè comparabile, id est carens difficultate, & auersandi malum oppositum: quæ communiter appellatur appetitus concupiscibilis, triáque actuum genera exercet circa bonum facile: videlicet amoris circa illud absolutè spectatum; desiderij, circa illud vt absens; & gaudij, circa præsens: totidémque circa malum oppositum: videlicet odij, circa malum absolutè consideratum; timoris, circa malum absens, & imminens; tristitiæ, circa præsens. Circa bonum autem, & malum arduum, & difficile, versari dicitur appetitus irascibilis per spem, audaciam, metum, desperationem, & iram. Atque hoc etiam modo sumpta concupiscentia non est mala generaliter, & effectus peccati originalis: sed vterque appetitus est de natura ipsa hominis, fuítque in Christo, & in primis parentibus ante peccatum, & Christus motus aliquos vtriusque exercuit, vt patet ex historia Euangelica.

10. *Et pro appetitu circa bonum proprium.* Tertiò, sumitur etiam appetitus, & amor concupiscentiæ pro tendentia circa bonum proprium ipsius amantis prout illius bonum est: qui specialiter vocatur amor concupiscentiæ, distinguitúrque ab amore amicitiæ, qui est affectus amoris tendens ad alteram personam, & ad bonum illius quà tale. Atque illa tendentia

circa bonum proprium tam in actu primo, quàm in actu secundo, non est mala vniuersaliter, potest enim creatura rationalis conuenienter, & honestè bonum suum amare, præsertim supremum & beatificum, siue summum suum bonum, vt tale: & media ad illud consequendum vtilia: quem in finem infunditur spes secunda virtus Theologica. Est etiam rectus aliquis amor hominis erga seipsum: alioqui Deus non præciperet, vt quisque diligat proximum sicut diligit seipsum. Erga seipsum, inquam, & propter seipsum, sicut caritas erga proximum tendit in illum propter se, vt ostendemus sectione sexta.

11. *Et pro solo appetitu inordinato.* Quartò, sumitur frequenter concupiscentia pro inordinata inclinatione appetendi bona, præsertim sensibilia, quæ rectæ rationi resistit, & voluntatem ad peccandum allicit: aut pro vitiosa illorum appetitione, præueniente voluntatem, & contra rectam rationem luctante. Est enim duplex huiusmodi inclinatio vitiosa. Vna potentialis, seu quasi habitualis, quæ est ipsemet appetitus vt pronus ad eiusmodi bona, contra ordinem rationis, & carens fræno integritatis naturæ, per peccatum primi parentis amissæ. Altera actualis, consistens in ipsis motibus concupiscentiæ rationi rebellibus. Et hanc vtroque modo sumptam fatemur esse malam, & effectum peccati primi parentis. Déque illa intelligendum est quod dicitur Iacobi 1. vers. 14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Et quod dicitur 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo*, id est, in mundi amatoribus, *aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Et quod dicitur Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere; si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, facient te in gaudium inimicis tuis.* Et quod ait Apostolus Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius, &c.* cap. 7. vers. 22. & 23. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* *Pugnat contra spiritũ.* Vbi concupiscentiam, legem peccati vocat,

12. propterea quòd sicut lex vrget obligando ad faciendum id, quod præcipit: ita concupiscentia vrget, & quodammodo iubet, ac cogit vehementi inclinatione, & importunâ sollicitatione ad peccandum. *Lex peccati dicitur*, inquit August. libro 1. Operis imperfecti in Iulian. *quia suadet peccata, atque, vt ita dixerim, iubet.* Eandémque pugnam inter legem spiritus, & legem concupiscentiæ describit idem Apost. eodem cap. 7. vers. 15. & sequentibus, & ad Galat. 5. vers. 16. & 17. Ipsámque concupiscentiam vocat etiam peccatum, locis priùs relatis, non quòd verè, & propriè peccatum sit, sed quia est effectus peccati originalis, & causa peccatorum actualium, ideóque vocatur metonymicè peccatum, vt ait Augustinus libro 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 23. & confirmat Tridentinum sess. 5. can. 5. Vocat præterea legem membrorum, & legem carnis, & habitans in carne peccatum, eo quòd præcipuè in membris, & in carne resideat concupiscentia; vel etiam, per carnem, intelligit totum hominem prout carnaliter viuit, secundùm seipsum, & non secundùm Deum, vt ait August. lib. 14. de Ciuit. cap. 2. 3. & 4. *Solúmne in carne resideat?* Non autem quòd in membris solùm, vel in carne, prout distinguitur à spiritu, sedem habeat: nam etiam pars animæ superior, seu voluntas, vitiosè prona est ad bona vtilia, & commoda, vel delectabilia, vt ad honores, diuitias, dominationem, &c. & Paulus cap. 5. ad Galat. postquam dixit vers. 17. carnem concupiscere aduersus spiritum, inter opera carnis quæ malè concupiscit, non solùm ponit ea quæ pertinent ad sensualitatem, vt fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam, ebrietates, comessationes: verùm etiam alia, quæ ad partem superiorem, vel ad vtramque spectant, vt idolorum seruitutem, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, inuidias. Ideóque D. August. lib. de continentia cap. 13. *Cupiditas*, inquit, *in vitio ponitur, nec tantùm est corporis, verùm & animi: etenim si cupiditas corporis est in fornicationibus, & ebrietatibus, numquid inimicitiæ, contentiones, æmulationes, postremò animositas in corporis voluptatibus, ac non potiùs in animi motibus, & perturbationibus exercentur? carnis tamen opera hæc omnia nuncupauit Apostolus, siue quæ ad animum, siue quæ ad carnem propriè pertinent, ipsum scilicet hominem, nomine carnis appellans. Opera quippe hominis sunt, quæ non dicuntur Dei, quoniam homo, qui hæc agit secundùm seipsum viuit, non secundùm Deum, in quantum hæc agit.*

Ob eandem causam dixi num. 11. concupiscentiam isto modo sumptam versari præcipuè (sed non solùm) circa bona sensibilia. Dixi præterea illam in actu primo sumptam, esse ipsum appetitum sensitiuum, atque etiam rationalem, prout sublato beneficio integritatis naturæ, fertur inordinatè, & contra præscriptum rectæ rationis in bona commoda, vel delectabilia. Quia falsum est, quod ait Iansenius tanquam doctrinam Augustini lib. 1. de statu naturæ lapsæ c. 18. concupiscentiam non esse ipsum appetitum supradicto beneficio destitutum, sed qualitatem aliquam morbidam animæ superadditam, per peccatum primi parentis inductam, atque ad posteros propagatam. Quam sententiam non minùs à mente D. Augustini, quàm à veritate, & ratione alienam esse, fusè & eruditè ostendit Bellarm. libro 5. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15. vbi etiam testimonia à Iansenio præcipuè obiecta, & malè detorta, in verum, & rectum sensum exponit. 13. *Quidnam propriè sit.*

De eadem concupiscentia, intelligendus est idem S. Doctor, cùm ait lib. de perfectione iustitiæ cap. vltimo: *Concupiscentia alio modo peccati nomen accepit, quòd ei consentire peccare sit, nobisque moueatur inuitis*: & quando concupiscentiam vocat radicem peruersi amoris, lib. 22. de Ciuit. cap. 22. & amorem rerum vanarum atque noxiarum, & vanam, prauámque cupiditatem, ibidem: desiderium peccati, lib. de perfectione iustitiæ cap. 6. delectationem peccandi, lib. 1. Operis imperfecti, fol. 102. desiderium mali, lib. 1. ad Bonifac. c. 13. prouocationem ad malum, lib. 4. contra Iulianum c. 2. Quæ omnia, & similia Augustini verba, & Scripturæ loca superiùs relata ex lib. Ecclesiast. c. 18. Rom. 6. & 7. Galat. 5. Iacob. 1. vers. 14. & 1. Ioan. 2. dicta de concupiscentiâ, postremo isto modo sumptâ, *De illâ loquitur Scriptura, & August. locis obiectis.* *Quæ perperam Iansenius generaliter intelligit.*

velle

velle generaliter accipi, & ad quamcunque aliam pertinere, supra modum ineptum est. Quasi verò illa etiam concupiscentia, quam Scriptura commendat, & sequendam esse prædicat locis relatis numero 8. sit peccatum, & lex peccati, & habitans in carne peccatum, & origo tentationum ad peccandum inducentium, & radix peruersi amoris, & alia quæ dicit Augustinus locis ab aduersario relatis capite nono, qui etiam, vt rectè notauit Bellarm. capite suprà citato, quotiescunque de concupiscentia loquitur in libris contra Pelagianos scriptis, solet in malam partem accipere: atque id etiam frequenter, & disertè significat: vt lib. 6. contra Iulian. cap. 23. vbi sic ait: *Concupiscentias malas, quibus si bene viuimus non consentimus, tamen esse non negamus in nobis, castiganda sunt, frænanda sunt.* Et libro 4. cap. 5. *Quando malè vtitur homo membris bonis, nisi quando consentit eis, quæ in nobis habitant, cupiditatibus malis?* Et lib. de perfectione iustitiæ cap. 6. *Concupiscentia carnis vtique culpabilis, atque vitiosa est, nihilque est aliud, quàm desiderium peccati.*

14. *Non omnis amor creaturæ est malus.* Dicere quoque pondus amoris, erga quascunque res creatas propter se dilectas, & illarum amorem propter seipsas, & non propter Deum, esse carnalem cupiditatem, & vitiosam concupiscentiam, nihilque præter Deum posse licitè, & per se amari, omnino falsum, & erroneum est. Hoc enim est dicere nullam esse virtutem præter caritatem, ad quam pertinet diligere Deum propter se, & cetera propter Deum. Hoc etiam est dicere omnem amorem creaturæ rationalis, aut vitiosam esse cupiditatem, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilem illam caritatem, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur. Quam propositionem in Michaële Baio damnarunt Pius V. & Gregorius XIII. illam tamen in terminis æquiualentibus renouare, cum magno Sedis Apostolicæ contemptu, ausus est Iansenius lib. de statu nat. lap. cap. 13. dicens Augustini doctrinam constantem esse, nihil inter caritatem, & cupiditatem medium esse in hoc rerum statu. Plura aduersus hunc errorem dicemus sect. 5.

SECTIO III.

Continuatur suscepta refutatio.

15. *Possitne licitè amari creatura propter se?* Fallitur quoque Iansenius, quando confidenter affirmat, veluti certum, & exploratum, nulli concupiscentiæ, id est amori vllius rei creatæ propter se consentiri posse sine peccato: esséque pariter illicitum frui quacunque delectatione, per sensus, aut aliter perceptâ ex rebus creatis, nisi aliò referatur, nimirum ad aliquem finem honestum, seu potiùs ad Deum, iuxta eius doctrinam paulò antè refutatam, quâ dixit nihil aliud amari posse licitè nisi propter Deum, verum & vnicum hominis bonum. Et denique peccatum esse misceri coniuges propter delectationem, vel aliter quàm ex intentione procreandæ sobolis, vel cum coniuge sterili, aut eo tempore, & statu, quo non potest concipi: atque hæc omnia ad vitiosam concupiscentiam pertinere.

Enimuerò licèt valde conueniens sit, & magnæ perfectionis, omnes, & singulos actus nostros ad Deum referre, nihílque aliud amare nisi propter Deum quolibet actu nostro intentum, & dilectum: nullo tamen certo argumento ostenditur id esse necessarium ex præcepto: & tamen grauis, támque generalis obligatio, plurimorúmque actuum humanorum condemnatio, non est recipienda sine certo argumento. Nam quod ait Apostolus 1. Corinth. 11. vers. 31. *Omnia ad Dei gloriam facite*, consilium est, non præceptum: & non solùm plures grauissimi Theologi, verùm etiam Sancti Patres affirmant dari actus indifferentes, non solùm quoad speciem; sed etiam in indiuiduo: id est, neque bonos, neque malos, sed tantùm licitos: adeóque non propter Deum exercitos: imò neque ad vllum finem honestum relatos, sed versantes duntaxat circa aliquod obiectum indifferens: hoc est, neque habens bonitatem honestatis, neque malitiam turpitudinis moralis: cuiusmodi sunt actus qui versantur circa commoda quædam, aut delectabilia, naturæ conuenientia, & non indecentia; naturali tantùm, aut animali modo quæsita, quia naturæ, modo illo conueniunt, & non quia decent specialiter creaturam rationalem vt talem, aut propter Deum, vel alium finem honestum. Speciatim autem dari aliquos eiusmodi actus indifferentes in indiuiduo docent è Theologis D. Bonauentura, Alexander Alensis, Scotus, Ocamus, & alij quos refert, & sequitur Vasques 1. 2. dispu. 52. capite secundo & tertio, & ex Patribus Hieronymus epistola 89. ad Augustinum, vbi sic ait: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter vtrumque indifferens, ambulare, &c. Hoc nec bonum, nec malum est. Siue enim feceris, siue non feceris, nec iustitiam, nec iniustitiam habebis.* Quod falsum esset, nisi actus illi essent purè indifferentes; id est neque boni, neque mali, sed liciti tantùm, & medij inter vtrumque per negationem vtriusque extremi. Neque id potest conciliari cum sententia aduersariorum, nam si actus illi propter Deum, aut finem honestum exercerentur, essent boni; ac proinde iustitiam, seu virtutem haberemus, illos exercendo. Sin autem ad Deum, vel ad alium finem honestum non referuntur, hoc ipso mali sunt iuxta sententiam aduersariorum, atque adeò iniustum, seu vitiosum, & vituperabilem reddunt operantem. Et Gregorius Nazianzenus oratione 3. in Iulianum: vbi affirmat, *Non continuò sequi pœnâ dignum esse eum, qui laudem non meretur: vel contrà, laude dignum esse eum qui non est dignus supplicio.* Nimirum, quia potest aliquis ita operari, vt neque bene, & dignè laude; neque malè, & dignè pœnâ operetur: adeóque neque propter Deum agat, aut alium finem, ex quo actus reddatur bonus, & laudabilis; neque etiam, quia talem finem non intendit, sit malus, & pœnâ dignus. Idem quoque affirmat Gregorius Magnus homil. 27. in Euangelia, initio, dicens aliquem esse amorem, quo aliqui amant suos propinquos, qui non est obedientiæ, & præceptus à Deo; sed qui sponte impenditur naturæ; cui tamen sacra eloquia non contradicunt: id est qui naturali quodam, seu animali modo exercetur, & non illo altio-

16. *Dentúrne actus indifferentes in indiuiduo?*

Pars affirmans probatur.

ri quo honestas aliqua in obiecto, vel in circumstantiis, aut fine intenditur: neque tamen propterea malus est, & illicitus: nam alioqui sacra eloquia illi contradicerent. At neque etiam bonus est: alioquin esset generaliter, saltem in specie, præceptus vt aliquando exhibendus, sicut & alia virtutum officia positiua.

17. *Soluuntur argumenta contraria.* Neque contrarium satis probat ratio, qua præcipuè nituntur aduersarij, actum illum, & similes, eo ipso quòd non ordinentur ad finem bonum, & honestum, esse malos & turpes: quia cùm, vt ait Diuus Thomas prima secundæ quæstione decima octaua, artic. nono in c. rationis sit ordinare; actus à ratione deliberatiua procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, conuenit cum ordine rationis, vnde habet rationem boni. Necesse est autem quòd ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Vnde necesse est omnem actum hominis à deliberatiua ratione procedentem, in indiuiduo consideratum (id est in omnibus circumstantiis) esse bonũ, vel malum. Hoc inquam, non satis probat, quod intendunt aduersarij. Nam facilè responderi potest non repugnare rationi, quòd aliqui actus humani, naturali tantùm modo exerceantur circa bona naturalia, & humanæ vitę commoda vel delectabilia, non spectato altiori fine honestatis, aut etiam quòd deceat naturam rationalem vitæ suæ conseruationi prouidere per media conuenientia. Et quamuis homo teneatur frequenter operationes honestas exercere, & operari, quia sic decet naturam rationalem: quòd tamen id debeat in omnibus, & singulis actibus, neque possit aliter sine peccato se gerere; atque eo sensu debeat ratio omnes actus humanos ordinare; neque per se notum est, neque aliunde satis probandum: & tam generalis condemnatio actuum humanorum, támque grauis obligatio non est admittenda sine magno illius fundamento, certáque probatione. Similique modo dici posset teneri hominem in singulis actibus intendere vltimum finem, & propter Deum operari, quia rationis officium est omnia ad illum ordinare. Hęc tamen obligatio communiter reiicitur. Sufficit enim quòd frequenter finem illum intendamus, & nos nostráque omnia ad illum referamus, nihilque illi contrarium admittamus: quamuis in multis actibus sistamus in obiectis inferioribus non malis, aut etiam bonis & honestis, vt iusto, forti, temperato, & similibus in quibus consistunt virtutes morales iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ, & similes. Neque verum est, quod ait aduersarius, Deum esse verum & vnicum bonum hominis, eo sensu quem ipse intendit, quòd scilicet nihil aliud sit verè bonum homini, & per se dignum illius amore, ita vt licitè amari nequeat nisi per relationem ad Deum. Nam iustum, forte, temperatum, & similia virtutum officia, sunt per se amabilia, quia talia sunt; benéque, & decenter afficiunt naturam rationalem, quamuis vlteriùs ad Deum non referantur, vt fit per caritatem virtutibus illis moralibus superiorem, quas tamen veras virtutes esse, & vera quædam hominis bona, sicut & caritatem, aliasque virtutes Theologicas, non potest sine errore negari.

18. Similiter quod attinet ad delectationes per sensus, aut aliter ex rebus creatis perceptas; licèt conueniens sit, & maioris virtutis honestum aliquem finem, aut etiam Deum ipsum in omnibus illis intendere: nullo tamen certo argumento probatur illud esse moraliter necessarium: ita vt vitiosa, & illicita sit quæcunque delectatio, non eo fine quæsita, vel percepta: neque vlla sit, in qua sisti licitè possit: id est, quæ possit absque peccato propter seipsam expeti. Sed potiùs, cùm, vt rectè ait Diuus Thomas 1. 2. quæst. 34. articulo primo in c. aliquæ sint delectationes bonæ, aliquæ malæ: est enim delectatio quies appetitiuæ virtutis in aliquo bono amato, & consequens aliquam operationem: sicut aliquæ sunt operationes bonæ, & aliquæ malæ: ita concupiscentiæ bonarum operationum sunt bonæ, malarum verò malæ. *Multóque magis* (inquit) *delectationes bonarum operationum sunt bonæ, malarum vero malæ.* Et sicut aliquæ sunt operationes bonæ, quamuis ad Deum non tendant, vt paulò antè ostendimus: ita delectationes ex illis operationibus secutæ sunt bonæ. Sicut etiam aliquæ sunt operationes licitæ tantùm, & indifferentes: id est, neque bonæ, neque malæ, iuxta doctrinam SS. Patrum, quorum testimonia paulò antè retulimus: ita delectationes de illis captæ, sunt tantùm licitæ, & indifferentes, ita vt nihil bonitatis moralis, neque malitiæ habeant. *Quæ delectationes de rebus creatis sint licitæ*

19. *Actus coniugalis quomodo licitus* Denique quod attinet ad actum coniugalem: licèt optimum sit præcipuum semper in illo matrimonij finem intendere, qui est susceptio prolis: nihil tamen ab aduersario, vel vllo alio profertur, quod certò probet, aut satis efficaciter, non esse licitum absque tali intentione: & saltem veniale peccatum esse si exerceatur propter delectationem, in remedium concupiscentiæ, vel à coniugibus sterilibus, aut eo tempore, vel statu, quo non sunt apti ad generationem, puta si coniux est grauida, vel ætate prouecta, &c. cúmque ex omnium consensu plures sint fines matrimonij, inter quos vnus est remedium concupiscentiæ: non ostenditur esse illicitum hunc solum finem aliquando intendere, de se bonum, & conuenientem: esséque necessarium illum alium meliorem semper habere propositum. Quasi verò non possimus absque peccato operari, nisi intendendo in vnoquoque opere, & in quolibet actu, id quod optimum est: & non potiùs liceat quemcunque finem bonum, aut licitum expetere; ac propter illum operari, non incluso, neque etiam excluso positiuè, aut posthabito per vitiosam æstimationem alio fine præstantiori: atque ita nequeant coniuges intendere moderatam delectationem in actu coniugij, tanquam medium vtile ad vitandam fornicationem, vel tanquam illi adiunctam naturaliter, vt per eam alliciantur coniuges ad vsum matrimonij de se licitum, atque vtilem ad finem supradictum, aliósque plures.

20. *Satisfit argumento contrario.* Neque huic sententiæ, quæ grauium Theologorum est, Almaini, Basilij, Pontij, & aliorum quos refert Diana 3. parte tractat. 4. de Sacramentis resolutione 216. probabilitatem adimit quod Diuus Augustinus pluribus locis ab aduersario relatis toto capite decimo, affirmat esse veniale peccatum misceri

coniuges propter delectationem, aut alio fine quàm prolis suscipiendæ causâ: idque præcipuè probat ex eo quòd Apostolus 1. Corinth. 7. vers. 6. exhortans coniuges, vt post aliquod tempus abstinentiæ, orationi impensum, reuertantur ad vsum coniugij, ad vitandam fornicationem, addit: *Hoc autem dico secundùm veniam:* ex quo infert culpam aliquam in eo esse, quandoquidem opus habet veniâ; *Euidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam:* inquit, libro de peccato origin. cap. 38. & libro de bono coniugali, cap. 10. *Quis ambigat absurdissimè dici non eos peccâsse, quibus venia datur?* Nam potiùs contrarium ex his verbis Apostoli colligi debet. Neque enim eos adhortaretur ad vsum coniugij propter vitandam fornicationem, si hoc ipsum esset peccatum veniale, vt supponit contraria sententia. Absit enim vt existimemus hortatum esse Apostolum ad peccandum. Neque dicas, licitum esse suadere minus malum parato facere maius. Hoc enim solummodo verum est, quando ille non potest aliter auerti à maiori malo. Quis autem credat non potuisse plerosque Corinthiorum aliter auerti ab incontinentia: aut etiam nunc fideles non posse? Deinde versio vulgata, quæ sola est authentica, & omnibus alijs præferenda, vt statuit Tridentinum sess. 4. Decreto 2. non habet, *secundùm veniam:* sed, *secundùm indulgentiam:* id est, permissionem & licentiam, vt exponunt communiter interpretes Catholici ad eum Pauli locum. Adde quòd nomen veniæ non tantùm culpæ alicuius condonationem, verùm etiam simplicem licentiam aliquando significat, vt notum est omnibus Latinæ linguæ peritis. Frustra verò Iansenius cap. cit. vim facit in Græca voce συγγνώμη, quâ Paulus vsus est. Nam & illa pariter vtramque habet significationem, vt notarunt Henricus Stephanus in Thesauro, & alij Græcæ linguæ periti.

SECTIO IV.

Satisfit argumentis aduersariorum.

21. *Quæ delectatio de creaturis sit illicita, iuxta Augustinum?* AD alia verò argumenta, quibus præcipuè contendit Iansenius, omnem delectationē de rebus creatis illicitā esse, nisi ad finem honestum, vel ad Deum referatur. Respondeo 1. pleraque loca D. Augustini, quæ ad id probandum afferuntur, intelligi posse hoc sensu, quando delectatio ita intenditur, vt in ea finis vltimus constituatur; vltimus, inquam, non solùm ipsius operis, sed etiam operantis. Quo sensu ait sæpius, Deo solo fruendum esse, ceteris autem rebus vtendum: id est, non esse in illis sistendum tanquam in fine simpliciter vltimo, & beatifico. Et lib. 1. de doct. Christ. c. 4. postquam dixit frui aliquo, esse diligere illud propter se: addit cap. 22. *Quod propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata:* & lib. 12. de Trin. c. 13. *Non vt conformemur huic sæculo,* inquit, *finem constituendo in bonis talibus, & ad ea detorquendo beatitudinis appetitum: sed vt quidquid in vsu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhærentes.* Vel 2. loquitur Augustinus de delectatione, quâ id quod minus est, vitiosè præfertur maiori bono. Vt quando dicit lib. 10. Confess. c. 33. *Cùm mihi accidit, vt me ampliùs cantus, quàm res quæ canitur, moueat; pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Vel 3. loquitur de eo, quod perfectius est, quando dicit delectationem ad finem alium honestum, aut necessarium referendam esse: vt cùm sic ait lib. 4. contra Iulian. c. 2. *Non importunè in coniugatis esse dicatur* (concupiscentia, seu libido.) *Si enim summum culmen obtinent pudicitia coniugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamuis nihil faciant propter illam.* Vel 4. loquitur de excessu: id est, de delectatione immoderata, & nimio illius affectu: quo vtroque vitio peccare solent, qui delectationem ad alium finem honestum non referunt, neque ab illo mensuram eius accipiunt. Quo sensu D. Augustinus ait lib. 10. Conf. c. 31. *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam:* id est, quantum necessitas exigit, & causa valetudinis, quæ illorum mensura esse debet, non autem delectatio: nam, vt addit ibidem, *Non idem vtriusque modus est* (iucunditatis scilicet, seu delectationis: & necessitatis.) *Nam quod saluti satis est, delectationi parum est.* Atque inde est quòd idem S. Doctor, & plures alij Patres damnant peccati coniuges, qui prolem non intendunt in vsu coniugij, sed delectationem: quia solent excedere medium rationis, in quo tenendo consistit officium virtutis castitatis: quando finem prædictum, vel alium honestum sibi præfixum non habent, neque delectationem ex illo moderantur. Vel 5. per finem, ad quem referri vult delectationem vt sit licita, intelligit aliquam corporis necessitatem, aut commoditatem non aliunde malam, vel relaxationem animi, aut doloris, aut molestię euitationem; solúmque prohibet, ne studiosiùs, curiosiùs, aut sollicitiùs inquiratur. Vt quando lib. 4. contra Iulian. cap. 14. dicit de sensuum delectationibus: *In his omnibus quando molesta vitantur, vt putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera, & dura, & grauia, commoditatis prouisio, non libido est voluptatis. Ea verò, quæ his incommodis obiectis contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutem* (corporis) *vel ad declinandam doloris, laborisue molestiam, etiamsi cum aliqua sumūtur delectatione, cùm præsto sunt: tamen cùm absunt, nulla sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum. In quibuslibet enim rebus talis domandus, & sanandus est appetitus.* Et paulò pòst: *Non solùm ergo cibo, sed etiam cibi sapore, indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cùm ergo natura quodam modo poscit supplementa quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis. Cùm verò suppletâ necessitate, amor edendi animum solicitat, iam libido est, iam malum est, cui credendum non est, sed resistendum.*

Vel denique, si aliquot locis plus intendit Augustinus: applicandum illis erit quod in eo notarunt plures, & graues Doctores Catholici, excessisse interdum æstu disputationis abreptum, & in odium hæresis quam impugnabat, ad contrarium extremum declinasse. 22. *Vide disp. 12. sect. 5. & dispur. 40. sect. 6.*

23. Perperam verò opponit 2. Iansenius c. 7. prope finem, motus concupiscentiæ semper tendere ad fruitionem: Concupiscentia, inquit, tanquam irrationalis, & ad simplicem apprehensionem rerum nata sequi, non ad vsum rerum, sed ad fruitionem tantùm inhiat; vsus enim est rationis, quæ vnum ad alterum referre nouit, & solet:

& hinc fit vt bruta per concupiscentias libidinibus humanis similes, tantùm ad fruendum, non ad vtendum impellantur. Respondeo enim primò, id non cohærere cum eo quod affirmat eodem capite, probátque ex Augustino, concupiscentiam non pertinere solùm ad partem hominis inferiorem, siue animalem; sed etiam ad rationalem, seu spiritalem; versarique circa obiecta, quæ ad illam pertinent: vt etiam docet Apostolus ad Galat. 5. vers. 17. 19. & seqq. Quare ratio allata non probat concupiscentiam, quatenus ad partem spiritalem attinet, non posse aliò motus suos referre. Deinde fruitio est quidem delectatio, & quies appetitus animalis, aut rationalis, in fine iam obtento. Sed quemadmodum ille duplex est: vltimus simpliciter, & vltimus secundùm quid: ita fruitio duplex est, & illa quidem quæ est de fine simpliciter vltimo, non potest esse licitè nisi de Deo: secus autem illa quæ est de fine vltimo tantùm secundùm quid, siue in quem actus vltimò terminatur. Nam sicut potest actus terminari licitè ad aliquod bonum creatum, ita quies, & delectatio potest in illo sistere.

Iansenius non sibi constat.

Fruitio duplex.

24. Perperam quoque opponit 3. c. 10. §. *Itaque sententiam, &c.* Si vehementia voluptatis in actu peccatum facit, profectò semper facit, semper enim vehementissima est, & ita mentem rationalem obruit, & absorbet, vt nihil omnino eam cogitare sinat. Quapropter si semel illud Augustini principium extorqueatur, quod nihil propter illam voluptatem faciendum sit, sed concubitus voluptatis causâ coniugibus liceat; nullus omnino limes remanet, intra quem possit coniugum intemperantia coërceri, sed velut nauis amisso clauo vbique fluctuabimus. Respondeo enim sequelam illam malè deduci. Neque enim deest medium rationis, quod spectat temperantia in moderandis delectationibus siue actus coniugalis, siue cibi, & potus, & quibusuis aliis, in quibus moderandis versatur: sicut fortitudo spectat medium rationis in aggrediendis, aut tolerandis arduis & difficilibus. Quod medium si aliquando exceditur, malè ex eo colligitur semper excedi. Et si non posset actus coniugalis exerceri sine excessu, semper esset illicitus; neque moralem turpitudinem amitteret ex eo quòd ad prolem suscipiendam refertur. Actus enim malus non desinit esse talis, licèt ad bonum aliquem finem ordinetur: neque licitè potest ad illum obtinendum adhiberi; quia non sunt facienda mala vt eueniant bona.

Medium temperantiæ in actu coniugali, & aliis delectationibus non semper exceditur.

25. Frustra etiam opponit 4. cap. 10. §. *Cuius quidem doctrinæ, &c.* Rationem non debere à libidine superari, & mentem rationalem non debere immundæ cupiditati subiugari. Bestialem enim esse illum commixtionis vsum, vt non proles, sed voluptas ex concubitu, libidine dominante quæratur. Cùm enim lex æterna iubeat, vt omnia sint ordinatissima; impossibile est hoc esse ordinatum, vt ratio cui per eandem æternam legem dominatus in partes inferiores datus est, voluptatum libidini seruiat: multóque magis impossibile, vt illum ordinem naturalem perturbando non peccet, cùm lex æterna non sit alia, nisi ratio diuina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans.

26. Respondeo non propterea rationem voluptatum libidini seruire, vel dominatum mentis amitti, rectúmque rationis ordinem ab æterna Dei lege institutum peruerti: quippe cui non repugnat commoda, & delectabilia quærere non aliunde mala, & vitæ rationali, vel animali conuenientia: caperéque delectationem, quam vtriusque vitæ operationibus Deus ipse inseruit, vt ad illas obeundas homo alliceretur, & sine qua plerumque negligerentur. Vt enim rectè suprà dixit Augustinus, *Non solùm cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.* Cúmque homo quærit, aut percipit huiusmodi delectationem, non illi seruit, aut se subiicit, sed sibimet ipsi consulit, vult enim eam propter seipsum, quia sibi gratam & commodam, vel ad salutem corporis, vel ad animi relaxationem, aut molestiæ, & lassitudinis leuamentum vtilem, vel ad remedium concupiscentiæ, vt dixit idem S. Doctor locis suprà citatis.

Capere delectationem non est rationem illi subiicere.

Lib. 4. in Iulian. c. 14.

27. Perperam denique sæpe opponit aduersarius hanc sententiam nostram, delectationes moderatas in huiusmodi operationibus esse licitas, & excessum duntaxat esse vitiosum, pertinere ad hæresim Pelagianorum, qui eadem restrictione errorem suum tueri, aut tegere nitebantur, vt de Iuliano videre est apud Augustinum in libris contra eum scriptis. Nam ex eodem S. Augustino manifestum est, Iulianum cum aliis eiusdem sectæ hæreticis excessisse in illo ipso excessu assignando: atque idcirco fuisse meritò reprehensos. Volebant enim in actu coniugali, v. gr. nullum esse excessum, dummodo coniuges non se conuerterent in eum vsum qui est contra naturam, vt ait Augustinus lib. 2. de Nuptiis cap. vltimo: sed tantùm in eo quòd coniux alteruter ad alium non suum accederet. Cùm tamen euidens sit posse coniuges in vsu matrimonij peccare multipliciter per incontinentiam: vt si frequentiùs illum exerceant quàm par sit, & cum periculo valetudinis, aut alterius incommodi; vel tempore, & loco, & situ indecenti: si nimis auidè captent in eo delectationem; si eo affectu ad coniugem accedant, vt quamuis sua non esset, vellent ex ea capere delectationem veneream; aut de alia cogitent, &c. quò respiciens Ambrosius apud S. Augustinum lib. 2. contra Iulianum cap. 7. dicit *Intemperantem coniugio, adulterum quendam esse vxoris.*

Excessus in actu coniugali malè definitur à Pelagianis.

28. Porro sententiam Pelagianorum de excessu fuisse qualem diximus, constat ex eodem loco, vbi Augustinus Iulianum sic alloquitur: *Tibi autem libido non nisi præter vxorem, videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio iudicabis, qui intemperantem coniugio, &c.* vt suprà. Et mox: *Tunc meliùs nuptias honoras, in quibus libidini licentiosissimum spatium tribuisti, ne fortassis offensa defensorem sibi alium prouideret?* Et paulò pòst: *Tu ergo meliùs honoras nuptias, quarum dignitatem tanquam omnino irreprehensibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras?* Hæc de illo Augustinus; quæ certè longissimè absunt ab omnium Doctorum Catholicorum sententia.



SECTIO V.

Possitne affectus amoris hærere in creatura sine peccato, & sine vitiosa concupiscentia?

29. *Sententia negans.* NEGAT Iansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 12. & seq. vbi docet concupiscentiam vitiosam, vt in præsenti sumitur, extendendam esse ad quemcunque amorem creaturarum propter se: ita vt omnis ille amor vitiosus sit, qui non est erga bonum diuinum, & increatum: & nulli omnino rei creatæ affectus amoris tribui possit sine peccato. Sed in hoc errat cum Michaële Baio, cuius hæc propositio num. 37. damnatur in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Repugnátque rationi, & lumini naturali, dicere non posse amari virtutem propter se, eiúsque obiectum honestum quà tale; & parentes, aut benefactores prout tales sunt. Hæc enim, & similia, etiam seclusâ quâuis aliâ consideratione, sunt per se amabilia: ad eorúmque amorem generalis instinctus naturæ rationalis inclinat. Et denique contrarium asserere nihil aliud est, quàm omnes alias virtutes tollere, vel cum caritate confundere, ad quam pertinet amare Deum propter se, & quidquid ad illum refertur, vt tale.

Refutatur.

30. *Obiectio insulsa.* Frustra verò opponit Iansenius eodem cap. 12. disciplinam Christi iubere homines in ipso baptismo palam renunciare diabolo, & omnibus pompis eius: hoc est (inquit) omnium rerum visibilium illecebris, ac amoribus; vt sæpe Augustinus exponit, & docet lib. de quantitate animæ c. 3. & 33. lib. 83. quæst. q. 64. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 20. & serm. 39. de verbis Domini, aliísque locis. Respondeo enim valdè absurdum esse existimare parentes, amicos, benefactores, præsertim pios, & Deo gratos, itémque bona honesta, vt iustum, forte, temperatum, & alia virtutum caritate inferiorum, obiecta, esse pompas diaboli, quibus in baptismo renunciare iubemur. Parúmque honori, & reuerentiæ D. Augustini consulunt, qui tam crassum errorem illi impingunt.

31. *Quibusnã iubemur renunciare in baptismo?* Quare quod ait loco primùm citato, *præcipi etiam in mysteriis vt omnia corporea contemnat, vniuersóque huic mundo renunciet,* (qui vt videmus corporeus est) *quisquis se talem reddi desiderat, qualis à Deo factus est, id est, similem Deo: Non enim alia salus animæ est, aut renouatio, aut reconciliatio auctori suo.* Hoc, inquam, & similia ex eodem relata, debent intelligi de contemptu corporeorum præ spiritualibus, & mundanorum præ cælestibus: déque renunciatione rerum omnium huius mundi, quando & quatenus aduersantur saluti nostræ, & consecutioni bonorum spiritualium, & æternorum, quæ potiora sunt. Hoc enim dicit ibi Augustinus respondens interrogationi quanta sit anima: dicítque neque longam, neque latam, aut profundam esse, quia spiritualis est: ideóque *Bene,* inquit, *præcipitur etiam in mysteriis, vt omnia corporea contemnat,* &c. tanquam se inferiora scilicet. Propter quod addit c. 33. eiusdem libri, paulò ante verba secundo loco relata ab aduersario, *animam se non solum suo, sed etiam vniuerso corpori* (id est mundo corporeo) *audere præponere, bonáque eius bona sua non putare, eáque potentiæ pulchritudinique suæ comparata discernere, atque contemnere.*

Quando verò ait lib. 11. de Trin. c. 5. *Nisi voluntas quidquid in eis* (rebus exterioribus) *capit, ad meliorem, veriorémque vitam referat, atque in eo fine, cuius intuitu hæc agẽda indicat, acquiescat: quid aliud facimus, nisi quod nos Apostolus facere prohibet dicens, nolite conformari huic sæculo.* Et lib. 12. c. 13. *Nõ vt conformemur huic sæculo, finem constituendo in bonis talibus, & in ea detorquendo beatitudinis appetitum: sed vt quidquid in vsu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhærentes.* Debet hoc intelligi de relatione partim actuali, & partim habituali ceterorum bonorum quæ appetimus, ad summum bonum, & vltimum finem nostrum: ita vt alia bona, eorúmque appetitiones, atque etiam nos ipsos, nostráque omnia identidem actu referamus ad Deum finem nostrum, & bonum supremum: omniáque semper habitualiter eodem referamus; saltem quatenus nihil vnquam amemus, quod ad illum finem vltimum dirigi non possit, & identidem ad illum dirigatur generali intentione: quódque vel nos ab eius intentione detorqueat, vel ab assecutione impediat. 32. *Quomodò omnia ad Deum referenda?*

Opponit 2. Iansen. c. 3. Peccatum iuxta doctrinam D. August. nihil esse aliud, quàm amorem rei temporalis, siue rei quæ amanti inuito auferri potest: hoc est, amorem cuiuscunque creaturæ. Quod probat adductis eius testimoniis ex lib. 1. de lib. arb. c. 3. vbi affirmat libidinem in toto malè faciendi genere dominari, quam alio nomine cupiditatem vocari dicit. Et c. 4. *Conuenit inter nos,* inquit, *omnia malefacta, non ob aliud mala esse, nisi quòd libidine, id est, improbanda cupiditate fiunt.* Et lib. 3. de doctr. Christ. c. 10. Non præcipit Scriptura nisi caritatem; neque culpat nisi cupiditatem: & eo modo informat mores hominum. Et aliis locis tradit his similia. 33. *Altera obiectio.*

Respondeo duo priora loca intelligenda esse de libidine, seu cupiditate immoderata, & inordinata, siue ratione obiecti, aut circumstantiarũ, siue ratione modi, plus aut vehementiùs, & sollicitiùs appetendo, quàm par sit. Iuxta id quod addit Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 17. *Caue putes potuisse quidquam dici veriùs, quàm id quod dictum est, radicem omnium malorum esse auaritiam, hoc est, plus velle quàm sat est:* plus scilicet quàm oportet secundùm præscriptum rectæ rationis. *Tantum autem sat est, quantum sibi exigit natura, in suo genere conseruanda, modus. Auaritia enim (quæ Græcè φιλαργυρία dicitur) non in solo argento, vel in nummis, &c. sed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda est. Vbicunque omnino plus vult quisque, quàm sat est. Hæc autem auaritia cupiditas est: cupiditas porrò improba voluntas est. Ergo improba voluntas malorum omnium causa est.* Hucusque Augustinus. Postremi verò loci sensus est, quòd quidquid in Scriptura præcipitur; pertinet, aut reducitur aliquo modo ad caritatem Dei, vel proximi: iuxta illud Apost. Rom. 13. ver. 8. & seq. *Qui diligit proximum, legem impleuit, &c. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et similiter; quidquid prohibetur in Scriptura, vel pertinet, vel reducitur ad cupiditatẽ, illi caritati oppositã. 34. *Quenam libido dicitur ab Augustino esse peccatum?*

Estque diligenter obseruandum ad explicanda plurima alia testimonia, impertinenter adducta 35. *Quid intelligat nomine cupiditatis?*

à Iansenio, D. Augustinum nomine cupiditatis non intelligere quemcunque amorem rerum creatarum; sed eum solum qui vitiosus est: quemadmodum etiam in communi loquendi vsu solet cupiditas, & concupiscentia in malam partem accipi. Quapropter lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 22. sic affirmat: *Voluntas non est nisi in bonis; nam in malis, flagitiosisque factis, cupiditas propriè dicitur, non voluntas.* Iuxta quæ restringendum est, & sanè intelligendum quod refert Iansenius paulò pòst ex Augustino lib. 1. de lib. arb. capite 4. Cupiditatem esse amorem earum rerum, quas quisque inuitus potest amittere. Et libro 83. quæst. q. 35. Nihil aliud esse cupiditatem, nisi amorem rerum transeuntium. Intelligendum, inquam, illud est de amore inordinato huiusmodi rerum, vel ex parte obiecti, quia amantur flagitiosæ & turpes, id est, honesto, & rectæ rationi aduersantes: vel ex parte modi appetendi, quia plus æquo amantur, aut desiderantur: & vel absque relatione saltem habituali, aut aptitudinali ad Deum; vel etiam, quod peius est, finis vltimus in illis constituitur; ita vt eis frui, atque vltimò in eis acquiescere velimus.

36\. Opponit tertiò capite 16. creaturam rationalem nullâ omnino re creatâ frui licitè posse, sed solo Deo: vt docet Augustinus libro 1. de doctrina Christiana capite 10. 21. 22. 31. aliisque locis. Frui autem aliquo nihil aliud est, quàm amore alicui rei inhærere propter seipsam: vt idem affirmat capite 4. eiusdem libri. Ergo creatura rationalis non potest licitè rem vllam creatam amare propter se: ac proinde omnis illius amor, seu cupiditas, vitiosa est.

37\. *Quo sensu dicit creaturas illicitè amari propter se?* Respondeo Diuum Augustinum esse intelligendum de fruitione, & amore alicuius rei, tanquam finis simpliciter vltimi, & in quo beatitudo nostra constituatur: iuxta id quod dicit capite 22. libri citati, vbi seipsum clariùs exponit: *Quod propter seipsum diligendum est, in eo constituitur vita beata.* Et capite 31. *Dicimus,* inquit, *eâ re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam: & eâ re nobis fruendum esse tantùm, quâ efficimur beati*: atque adeo eam solam hoc sensu diligendam esse propter se: Et Conc. in Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem? Vt quid vultis beati esse de infimis; Sola veritas facit beatos. Vt quid ergo temporalium rerum amore detinemini? Vt quid tanquam prima, extrema sectamini, quod est vanitas, & mendacium?* Sed & ipse Iansenius relatis istis, & aliquot aliis similibus Augustini verbis, dicit, amare, seu diligere temporalia in sensu Diui Augustini, *non esse aliud, quàm iis ad gaudium, siue ad beatitudinem velle perfrui.* Eodémque sensu rectè monet idem S. Doctor tract. 10. in epist. Ioan. non esse hærendum seu consistendum in diuitiis, neque in salute corporis, neque in laudibus, & honoribus: sed vlteriùs ad Deum finem nostrùm pergendum esse.

38\. Aduertendum verò est longè aliam esse rationem diuitiarum, & commodorum corporis, delectationúmque, vel malarum, vel indifferentium: cuiusmodi sunt sensuum voluptates nobis communes cum brutis: quorum omnium appetitus vel malus, vel indifferens est: quia hæc non decent naturam rationalem prout rationalis est: & aliam iusti, fortis, temperati, aliorúmque obiectorum virtutis, quæ cùm sint honesta, & per se deceant naturam rationalem vt talem; possunt etiam conuenienter propter seipsa expeti. Quare friuolum est quod ait aduersarius capite 14. §. *Sed quid multis: Si aliqua creatura non possunt licitè amari propter se: Ergo nulla: neque enim vlla ratio dari potest cur vnius creaturæ amor in quo sistitur, potiùs malus sit, quàm alterius.* *Inepta Iansenij ratiocinatio.* Nam euidenter falsum est parem esse rationem omnium obiectorum creatorum; quorum aliqua sunt rectæ rationi, & naturæ rationali, vt tali, dissentanea: alia consentanea: alia media per negationem vtriusque extremi, quæ vocantur adiaphora, siue indifferentia, id est, quæ neque sunt honesta, neque turpia; sed licita duntaxat. Addo etiam generaliter verum esse, nihil creatum amari posse licitè propter se, quamuis bonum & honestum, sistendo in illo, non solùm tanquam fine ipsius actus non vltrà de se tendentis; sed etiam tanquam fine ipsius operantis, qui in tali obiecto suum vltimum finem constituat. Quo sensu debent accipi alia quædam D. Augustini testimonia ab aduersario relata.

Opponit quartò hanc rationem à priori, inquit capite 19. Natura rationalis creaturæ, media est inter Deum, & alias creaturas: Deo inferior, & aliis superior. Et naturæ humanæ naturalis conditio est, vt infra Deum iuxta creaturas alias rationales, & supra corporalem collocata sit. Infra Deum quidem, tanquam naturalem Dominum & Creatorem suum: iuxta creaturas alias rationales, tanquam pares, & socias: supra corporalem, tanquam naturâ inferiorem, voluntati, necessitatique rationalis naturæ famulantem. Ergo hic ordo à creata ratione, & voluntate seruari debet; nec nisi peruersâ & peccante voluntate perturbari potest. Perturbatur autem, si natura creata rationalis amat aliquid præter Deum: quia ei se subiicit amando. Amoris enim illa natura est, vt amantem rebus amatis subiiciat, & inferiorem faciat. Quod enim amatur, dominatur animo, & imperiosâ quâdam potestate seruire, & facere amantem cogit quodammodo quidquid iubet. Hinc est quòd Augustinus lib. 6. Musicæ cap. 14. dicit amorem inferioris pulchritudinis animam polluere: quia sic diligendo amittit ordinem suum. Et libro 1. de libero arbitrio capite 16. *Peruersi animi est*, inquit, *& inordinati, eis sequendis subiici, quibus ad nutum suum ducendis potiùs diuino ordine, ac iure prælatus est.* Loquitur de bonis mutabilibus & temporalibus. Et paulò superiùs cap. 15. dixerat, *Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat: quia infra illam ordinatum est.* 39

Respondeo primò, naturam humanam non ita esse iuxta alias creaturas rationales, angelicas scilicet, vt non sit illis inferior: iuxta illud Psalmi 18. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*, dictum de homine generaliter, atque etiam de Christo ipso, secundùm naturam humanam considerato. Quare argumentum Iansenij non concludit Angelos saltem non posse amari propter se à natura humana, seruato illo naturali ordine, in quo solo vim facit. Secundò dico ordinem illum duo tantùm exigere: Nimirum vt quod inferius est, non magis ametur æstimatiuè, seu appretiatiuè: id est, non ametur vt maius & superius, id quod minus, & infe- 40. *Quomodo res alias præter Deum amare possumus?*

rius est. Neque enim impedit quin ametur vnumquodque, & æstimetur secundùm suum gradum, & Deus ipse amat creaturas rationales, & quæcumque sunt bona, non solùm existentia, sed etiam possibilia, iuxta mensuram suæ bonitatis, & amabilitatis. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti,* Sapient. 11. specialiter verò amat iustos & sanctos, quos amicorum suorum nomine dignatur, iuxta illud Psal. 140. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Præterea verò exigit ordo ille, vt quod minus, & inferius est, non ametur tanquam finis ipsius operantis, in quem seipsum suáque omnia referat, eíque subiiciat. De quo amore intelligendum est, vt verum sit, quod ait Iansenius, Amoris illam esse naturam, vt amantem rei amatæ subiiciat &c. Eóque sensu fateor creaturam rationalem non posse aliquid amare propter se, nisi Deum, propter quem, veluti finem vltimum, naturaliter condita est: ita vt hoc genere amoris nullam aliam creaturam, neque inferiorem, neque parem, imò neque superiorem, cuiusmodi est Angelica respectu humanæ, diligere possit ordinatè & licitè.

41. *Effectus amoris creaturarum iuxta Iansenium.* Opponit quintò, alteram rationem à posteriori, vt ait capite 20. sumptam ex effectibus quos parit amor creaturarum: quippe qui priuat libertate: id est, subiicit animum seruituti ipsarum, neque liberum & sui iuris esse sinit. Amor enim necessariò seruum amati amantem facit, quia propter amatum cuncta facit. Vnde etiam iudicij sinceritatem adulterat: quia subiectum reddit, & cum acceptione personarum iudicare facit. 2. Similem rebus amatis terrenis, & corruptibilibus amantem reddit. Vt enim ait Augustinus tractat. 2. in epistolam Ioan. *Talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis, terra eris.* 3. Animum rebus creatis glutino quodam alligat, & illaqueat. Ex quo fit, vt quamuis antè liberâ voluntate dilexerit, non possit se ab eius amore extricare, vt pennis liberis in Deum euolet. Vnde 4. sequitur difficultas auellendi animum, & dolor carendi: iuxta illud D. August. *Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas;* libro 3. de doctrina Christ. cap. 18. Et libro 21. de Ciuit. cap. 26. *Eorum amissione cruciamur, quibus fruendo vtique lætabamur.* 5. Hinc etiam oritur instabilitas animi, vtpote qui re instabili innititur, ex quo nascitur inquietudo. Vnde August. libro 3. de libero arbitrio, capite septimo sic monet: *Ita formari exoptabis, vt affectiones tuæ non sint temporales, de temporalium rerum amoribus inustæ & impressæ. Quæ temporalia, & antequam sint, non sunt; & cùm sunt, fugiunt; & cùm fugerint, non erunt. Itaque cùm futura sunt, nondum sunt. Cùm autem præterita sunt, iam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur vt maneant, quibus hoc est incipere vt sint, quod est pergere vt non sint? Pergendo autem vt non sint, secum amantis vires subruunt.* Exinde quoque oritur 6. immunditia, quæ ab amore cuiuscunque rei temporalis diuelli nullo modo potest. Amor enim est veluti contactus animi, imò ingressus intimus in rem amatam: quæ si fuerit ipso amante ignobilior, polluit dignitatem eius. Vnde August. libro 2. de Serm. Domini in monte, capite 13. *Sordescit aliquid, cùm inferiori miscetur naturæ &c. ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit.* 7. Denique, amor creaturarum prorsus impedit rectum vsum rerum, ad vsum tantùm concessarum. Nemo enim, vt dicit August. libro de bono coniugali capite 21. bene vtitur rebus vtendis, si eas diligit. Quia vt eis bene vtatur, oportet etiam posse non vti. Hoc autem non potest quisquis earum amore deuinctus est.

Sed ad hæc omnia vno verbo respondeo, vera esse duntaxat de amore nimio, & nimis vehementi eiusmodi rerum: non autem de recto & moderato. Nam ille est qui libertate quodammodo amantem priuat, & subiicit rebus temporalibus: non autem amor moderatus earum, præsertim honestarum. Ille etiam est, qui amantem similem reddit amato. Nam vt ait ipsemet aduersarius, *Hinc fit, vt quem vehementi amore complectimur, etiam moribus exprimamus: neque virtutes modo, sed & vitia, non animi tantùm, sed & corporis imitemur.* Quod certè amor remissus non facit, vt patet experientiâ. Ille etiam est, qui amantem rebus creatis glutino quodam alligat, & illaqueat, impeditque ne in Deum liberè volet: non autem moderatus amor, & subordinatus intentioni superiori, qua nos subinde in Deum, actúsque nostros, & cetera omnia referimus, velut in finem simpliciter vltimum. Ille etiam facit, vt difficilè auellamur à re dilecta, nec sine sensu doloris eâ careamus, maiori, quàm permittat recta ratio, vtque simus inquieti, & instabiles, affixi rebus instabilibus, aut illis supra modum addicti, & tenaciter adhærentes. Ille denique est, qui vsum liberum rerum vtendarum impedit: quatenus nimis adstringit voluntatem eiusmodi rebus, minuítque libertatem non vtendi, quando opus est. Atque insuper animum polluit, si fertur in aliquid, quod secundùm rectam rationem non sit amore dignum, id est conuenienter naturæ rationali appetibile: vel saltem licitum, & indifferens. Absurdum verò esset existimare polluere etiam tunc, cùm fertur in obiecta honesta: ita vt ceteræ virtutes, quæ Deum non habent pro obiecto, sed in iusto, temperato, forti, & similibus obiectis versantur, non sint animi ornamenta, sed sordes & immundities. Neque de illorum amore intelligendum est quod ait August. libro 2. de Serm. Domini in monte, cap. 13. sed de immoderato affectu terrenorum, quem cupiditatis, & concupiscentiæ nomine intelligere solet, vt antea notauimus numero 35. 42. *De quonam amore intelligendi sint?*

SECTIO VI.

Sítne vitiosus amor proximi, nisi ametur propter Deum?

AFFIRMAT Iansenius libro 2. de statu naturæ lapsæ capite 21. Quia, inquit, sic proximum diligere iubemur, sicut nosmetipsos: nos ipsos autem vitiosè diligimus, si propter nos diligimus; hoc enim velut radicem vitiorum taxauit Apostolus, quando dixit, *Erunt homines seipsos amantes.* Et quia talis amor sui, non est amor, sed potiùs odium sui, quia malorum omnium fons; idcirco Deus præcepit quidem, vt ipsum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex totis viribus diligamus: sed nullum dedit præceptum, vt homo sei- 43. *Sententia affirmans.*

psum diligat, sed tantùm vt sicut nos ipsos, proximum diligamus: quo præcipiendi modo nobis indicauit Spiritus Dei, nullam esse aliam veram dilectionem sui, quàm quâ Deum ex toto corde diligimus; nam diligere nihil est aliud, quàm sibi velle bonum; summo autem bono nullum est excellentius. Hoc ergo bonum, cùm Deum diligendo sibi homo velit; fingi non potest maior dilectio sui, quàm dilectio Dei. Cúmque tantò nobilior, & purgatior sit amor Dei, quantò magis homo à sui ipsius consideratione, & reflexione discedit; tanto quoque nobiliùs, perfectiúsque se diligit, quanto magis suiipsius obliuiscitur. Hæc ille, quæ deinceps adductis pluribus Augustini testimoniis illustrare & stabilire conatur, præcipuè verò ex libro de moribus Ecclesiæ capite 26. vbi sic istud præceptum dilectionis exponit. *Videtur de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum; sed parum dilucidè, qui hoc arbitratur, intelligit. Non enim fieri potest, vt seipsum, qui Deum diligit, non diligat, imò verò solus se nouit diligere, qui Deum diligit; si quidem ille satis se diligit, qui sedulò agit vt summo & vero perfruatur bono.* Et epist. 52. *Videlicet, vt intelligeretur nullam esse aliam dilectionem, quâ quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potiùs se odisse dicendus est: fit quippe iniquus, priuatúrque luce iustitiæ, qui à potiore, ac præstantiore bono auersus, atque inde vel ad seipsum conuersus, ad inferiora, & egena vtique conuertitur: fitque in ipso quod veracissimè scriptum est, Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo, nisi Deum diligendo, diligit seipsum; non opus erat, vt dato de dilectione Dei præcepto, etiam seipsum homo diligere iuberetur; cùm in eo diligat seipsum, quòd diligit Deum.* Item, cùm Deus præcipiat vt ex toto corde, tota mente, tota anima, & totis viribus illum diligamus, *Nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt aliâ re frui velit; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*, inquit idem S. Doctor libro 1. de doctrina Christiana capite 22. Sicut ergo homo seipsum diligere debet propter Deum; ita & proximum. *Quid enim aliud* per hoc *mandatur, nisi vt ei, quantum potest, commendet diligendum Deum?* vt idem ait libro 10. de Ciuit. capite quarto. Et quemadmodum nobis ipsis frui non licet; ita nec proximo: frui enim aliquo, est illud propter se diligere, iuxta Augustinum, & illi adhærere vt bono beatifico. Quare & nobis, & proximo vtendum est, nos & illum ad Deum referendo, vt simul eius bonitate perfruamur.

Probatur ex Augustino.

44. *Contraria sententia.* Contrarium docent communi consensu Theologi: nam ferè omnes in eo consentiunt, quòd possit diligi proximus etiam propter se, per aliquem actum virtutis, adeóque amorem illum esse bonum, & laudabilem: solúmque in eo dissentiunt, quòd plerique illorum censent virtutem, quâ proximus propter se amatur, non esse caritatem Theologicam, sed virtutem aliquam moralem, quæ amicitia vocari potest; siue illa sit naturalis, & tendens in proximum purè naturaliter consideratum; siue supernaturalis, in eum tendens spectatum in ordine supernaturali, id est in ordine gratiæ, & gloriæ. Alij verò docent ipsammet caritatem Theologicam non solùm amare Deum propter se, sed extendi quoque ad proximum propter se diligendum, vt consideratum in ordine supernaturali. Quæ sententia magis mihi probatur, & non leue fundamentum habet in sacris literis. Nam, vt dicitur Matth. 22. versu 37. & seqq. duo sunt præcepta caritatis; quorum primum & maximum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Hæc igitur duo præcepta pertinent ad vnam, & eandem virtutem caritatis: semper enim Scriptura de caritate loquitur tanquam de vnica virtute: 1. Corinth. 13. versu 1. & seqq. Galat. 5. versu 6. Ephes. 3. versu 17. 1. Petri 1. versu 22. Apocal. 2. versu 4. alijsque locis. Non essent autem duo præcepta caritatis diligere Deum & proximum, si per eam non posset diligi proximus, nisi propter Deum. Nam primum præceptum amandi Deum, complectitur generaliter alia omnia quæ propter Deum amanda sunt, neque multiplicantur præcepta caritatis erga Deum, propter obiecta materialia, quæ tenemur propter ipsum diligere; alioquin longè plura essent quàm duo, & penè infinita.

Probatur ex Scriptura.

Item, caritas creata est participatio quædam, & similitudo caritatis increatæ, & caritatis Christi, iuxta illud Matth. 5. versu 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est:* iunctis immediatè præcedentibus à versu 43. in quibus de dilectione proximi, & modo eum diligendi sermo est. Et Ioan. 15. ver. 12. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Caritas verò increata versatur circa proximum vt amicum, (id est, amore amicitię, quæ est amor erga aliquam personam propter se) & non tãtùm propter Deum, sed etiam propter se, iuxta illud Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Ergo caritas creata diligit proximum etiam propter se. Caritas quoque ipsius Christi versatur circa homines vt amicos, id est, propter se dilectos, iuxta illud Ioan. 15. versu 14. & 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis: quia quæcunque audiui à Patre, nota feci vobis.* Posito autem quod per caritatem diligamus proximum etiam propter se, vel admittendum est id fieri per eandem caritatem, quâ diligimus Deum, quod nos intendimus; vel fatendum erit quatuor esse virtutes theologicas, quod inauditum est, & repugnat Apostolo 1. Corinth. 13. versu vltimo, *Fides, spes, caritas, tria hæc.* Probatur sequela, quia negari non potest, quin virtus, quâ diligimus proximo Deum ipsum, vt finem supernaturalem, sit virtus theologica æquè ac spes, quâ quisque sibi eundem finem diligit. 45. *Eadem caritas amat Deum, & proximum propter se.*

46. *Confirmatur ex duobus præceptis caritatis.* Confirmatur, quia si præceptum caritatis diligendi proximum, esset tantùm de illo diligendo propter Deum, sequeretur alterum præceptum diligendi Deum, non esse primum, & maximum, contrà quàm affirmat Christus Matth. 22. Nam vt rectè ait D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 8. diligere proximum propter Deum est aliquid maius & melius, quàm solummodo diligere Deum; nimirum quia actus ille habet totam perfectionem, quæ est in amore Dei; & aliquid amplius, quatenus se extendit ad amorem proximi. Est autem sine dubio, maius & perfectius illud præceptum, cuius actus melior

& præstantior est: Ergo secundum præceptum caritatis amandi proximum, esset maius quàm alterum diligendi Deum. Verba D. Thomæ art. citato, hæc sunt. Quærit in titulo articuli vtrùm sit magis meritorium diligere proximum, quàm diligere Deum? Respondérque comparationem illam posse fieri dupliciter. *Vno modo, vt seorsim consideretur vtraque dilectio:* id est, dilectio Dei propter se amati, & dilectio proximi propter se etiam dilecti, & seorsim à Deo. *Et tunc non est dubium, quin dilectio Dei sit magis meritoria,* quàm dilectio illa proximi, quæ tamen est bona & meritoria, alioquin malè diceret S. Thomas dilectionem Dei seorsim esse magis meritoriam; Hoc enim est dicere, vtramque esse meritoriam, sed magis dilectionem Dei. Tum paulò pòst: *Alio modo,* inquit, *potest attendi ipsa comparatio, vt dilectio Dei accipiatur secundùm quod solus diligitur:* (id est quod suprà dixit, seorsim) *dilectio autem proximi accipiatur secundùm quod proximus diligitur propter Deum: & sic dilectio proximi includit dilectionem Dei, sed dilectio Dei non includit dilectionem proximi; vnde erit comparatio dilectionis Dei perfecta, quæ extendit se etiam ad proximum, ad dilectionem Dei insufficientem, & imperfectam, quia hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum; & in hoc sensu dilectio proximi præeminet.*

47. Confirmatur secundò, Quia diligere proximum propter Deum, est diligere ipsum Deum. Nam vt ait ipse aduersarius cap. 12. lib. 2. de statu naturæ lapsæ §. *Præcipua: Si res amata aliò mente referatur, iam non ipsa, sed alia quam spectamus, amabitur.* Ergo diligere proximum propter Deum, est diligere ipsum Deum, quod pertinet ad primum præceptum. Imò iuxta doctrinam aduersarij relatam, non est diligere proximum sed Deum: ac proinde si nullum aliud est præceptum diligendi proximum, nisi propter Deum, sequitur nullum esse præceptum diligendi proximum: quod est falsum, & contra expressam Christi doctrinam Matth. 22. sed neque etiam potuit tale præceptum dari, si, vt idem affirmat, & toto capite 21. persuadere contendit, vitiosa est, & illicita dilectio proximi propter se.

48. *Iansenij contradictio.* Estque hîc notanda insignis illius contradictio, cùm ait cap. 23. §. *Ex his. Duo hic esse præcepta: alterum diligendi, alterum propter vltimum finem diligendi, hoc est propter Deum. Qui primum implet sine secundo, non peccat, sed laudabiliter facit diligendo: sed vituperabiliter facit non propter vltimum finem diligendo.* Euidenter enim hæ duæ propositiones sibi contradicunt, non peccare, sed laudabiliter facere faciendo primũ sine secundo, id est, diligendo creaturam non propter Deum: Et tamen vituperabiliter facere, adeóque peccare, non propter Deum diligendo: quod idem est ac facere primum sine secundo. Quare si hæc duo simul vera sunt; non peccat, sed laudabiliter facit in eo ipso, quòd peccat & vituperabiliter facit. Quod est dicere idem, & secundum idem, esse peccatum, & non esse peccatum: laudabile, & vituperabile.



SECTIO VII.

Respondetur argumentis contrariis.

49. *Non omnis amor sui, est vitiosus.* NEQVE magni momenti sunt quæ in contrarium opponit Iansenius. Ad primum enim argumentum respondeo negando minorem propositionem, sumptam vniuersaliter, de amore nostri, non enim vitiosus est quilibet amor, quo nos ipsos diligimus, nec de quolibet loquitur Apostolus verbis ab ipso relatis ex 1. Timoth. 2. & 3. sed de amore illo vitioso, qui à Græcis φιλαυτία dicitur, nam in Græco, pro, *erunt homines sui amantes*, habetur φίλαυτοι, sui nimium amantes, suæ gloriæ, lucris, commodis supra modum studentes, & inhiantes. De quo amore sic ait Plato libro 5. de legibus, *Philautus qui se amat, cùm seipsum magis quàm veritatem honorandam putet, quid iustum, bonum, pulchrum sit, malè iudicat:* & multò magis malè obseruat, sed veritati, & virtuti amorem illum sui præponit. Atque ille amor est qui verè dicitur fons aliorum vitiorum: ídque videtur innuere Apostolus multa alia vitia enumerans, & subnectens amori de quo loquitur, tanquam ex illo pullulantia. *Erunt,* inquit, *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei.* Et vt rectè ait Tostatus in caput vicesimum-secundum Matth. q. 292. loquitur Apostolus de amore quo homo se amat secundùm appetitum sensualem, & carnalem, non secundùm rationem.

50. *Amor sui est in præcepto, æquè ac amor proximi.* Ad secundum, respondeo 1. cum auctore proximè citato ibidem, hoc ipso quod Deus præcipit homini diligere proximum sicut seipsum, simul præcipit vt diligat seipsum: ideóque rectè S. August. libro 1. de doctrina Christiana capite 27. Non est hîc, inquit, tui dilectio prætermissa, dicitur enim vt diligas proximum, sicut teipsum. Vel 2. vt rectè ait Cornelius ad locum Matth. citatum, omittit hîc Christus dilectionem sui ipsius, quia hæc omnibus insita est, & quasi naturalis; vt si habeas ad alios caritatem, illam primò in te exerceas. *Qui enim sibi nequam, cui bonus?* Vnde illam hîc Christus præsupponit: imò dilectionem sui statuit ideam, & quasi mensuram dilectionis proximi, dicens, *sicut teipsum.* Addi 3. potest, sermonem ibi esse de præceptis caritatis. Caritas autem cùm sit amor amicitiæ, est ad alterum non ad seipsum: & vt rectè ait Gregor. Magnus hom. 17. in Euangelia, *Caritas minus quàm inter duos haberi non potest.*

51. *Amor ille est verus & bonus, licèt non perfectissimus.* Ad tertium respondeo, falsum esse quod assumit, Spiritum Dei, eo præcipiendi modo indicare voluisse nullam veram esse dilectionem sui, nisi dilectionem Dei ex toto corde: maléque id ab illo probari, ex eo quòd diligere, nihil sit aliud, quàm sibi velle bonum: summo autem bono nullum est excellentius: quare cùm Deum diligendo, hoc bonum sibi homo velit, fingi non potest maior dilectio sui, quàm dilectio Dei. Nam, vt omittam, aliquem esse amo-

rem simplicis complacentiæ, qui non est velle alicui bonum, sed de eo delectari, & gratum habere; quo genere amoris Deus amat etiam bona merè possibilia, & sibi complacet in bonis, quæ iam antea voluit, & præstitit creaturis, iuxta illud Genes. 1. *Vidit Deus* (visione approbationis, & complacentiæ) *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Vt hoc, inquam, omittam, manifestum est hoc argumentum nullo modo probare quod intendit Iansenius. Nam probandum suscepit, nullum amorem hominis erga se esse licitum & bonum, nisi quo se amat propter Deum. Ratio autem à Iansenio allata nihil aliud probat, quàm non posse hominem meliùs se diligere, nisi cùm sibi amat Deum summum bonum. Manifestè autem aliud est dicere hominem non posse licitè amare seipsum, nisi propter Deum; & dicere non posse meliùs se amare, quàm amando sibi Deum. Quæstio autem nostra est, non vtrum homo meliùs se diligat, amando se propter Deum, quàm si propter seipsum: sed vtrum possit bene aut licitè se diligere propter seipsum: quod verum esse potest, & reipsa est: quamuis melius sit si diligat se propter Deum. Addo hæc etiam diuersa esse, amare sibi Deum, & amare se propter Deum. Primum pertinet ad virtutem spei, quâ quisque sibi amat, & desiderat summum bonum, eiúsque fruitionem beatificam. Secundum pertinet ad caritatem erga Deum, quæ Deum amat propter se, & cetera propter Deum. Cùm autem addit: *Tantò nobiliùs perfectiúsque hominem se diligere, quantò magis sui obliuiscitur, quia tantò nobilior & purgatior est amor Dei, quantò magis homo à sui ipsius consideratione, & reflexione discedit.* Populariter magis, & amplificatoriè, quàm exactè ad normam veritatis, loquitur: & vel solùm dicere vult, hominem tantò perfectiùs Deum diligere, quò magis per affectum ipsi vnitur, & à seipso exiens, quodammodo in illum transit, & transformatur, vt vnus spiritus cum illo fiat: quod si intendit, obscuriùs mentem suam enunciat, & intentum minimè probat: vel si vult hominem sui obliuisci quando se amat, & tantò perfectiùs se diligere, quantò magis sui obliuiscitur, perfectissiméque dilecturum, si perfectissimè obliuisceretur; id est, de seipso minimè cogitaret: fallitur, quia non potest voluntas ferri per amorem in obiectum non cognitum. Est enim omnis amor intrinsecè voluntarius. Voluntarium autem est, quod est à principio intrinseco, cognoscente singula in quibus est actio, vt ait D. Thomas 1.2. q.6. art.1. post Aristotelem, Gregorium Nyssenum, & Damascenum ibidem citatos, §. *Sed contra.* Quare nemo potest amare seipsum, nisi se cognoscat & cogitet de seipso.

52. *Quomodo verè se diligit qui Deum diligit.* Ad primum locum S. Augustini, respondeo sensum illius esse verbis istis, in quibus præcipuè vim facit aduersarius, *Solus se nouit diligere qui Deum diligit &c.* quòd ille solus se diligat, sicut oportet, qui Deum diligit ita, vt nihil faciat eius amori, & consequenter suo ipsius bono contrarium, quódque ab eius consecutione, & fruitione ipsum impediat, iuxta id quod sequitur immediatè pòst, vt *summo & vero perfruatur bono.*

53. *Quo sensu* Ad secundum respondeo primò, si sensus D. Augustini esset, vt vult, & exponit Iansenius, Deum non dedisse neque dare debuisse homini præceptum diligendi seipsum, distinctum à præcepto diligendi Deum, propterea quòd diligendo Deum; diligit seipsum; & non potest se licitè diligere nisi propter Deum: pari ratione non debuit dare præceptum diligendi proximum, distinctum à præcepto diligendi Deum; quia diligendo Deum diligit proximum, & non potest licitè diligere proximum nisi propter Deum, iuxta doctrinam Iansenij. *non fuit opus præcepto amandi seipsum iuxta August.* Respondeo secundò, mentem Augustini esse, cùm tria sint, vt ait ibidem, obiecta caritatis; & illa dilectione, quam diuina lex imperat, debeat homo diligere Deum, & seipsum, & proximum: primarium illius obiectum, & in quo amor ceterorum fundari debet, esse Deum, qui primò & præcipuè, & super omnia diligendus est, nihílque aliud amandum, quod non ad illum referatur, saltem habitualiter, atque etiam interdum actualiter; nos ipsos actu, nostráque omnia, & cetera quæ diligimus, ad ipsum ordinando; eiúsque amori & beneplacito subiiciendo, nihílque vnquam illi præponendo, aut æquando; aut etiam quicquam illi contrarium admittendo. Quod qui non facit, nescit seipsum diligere sicut oportet. Nam vt paulò antè dicit sanctus Augustinus: *In hac vita virtus non est, nisi diligere quod eligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde auerti molestiis fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nullâ superbiâ, iustitia est. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo, aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.* Hoc ergo sensu dicit, *nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quòd diligit Deum* (modo supradicto.) *Qui enim aliter se diligit, potiùs se odisse dicendus est. Fit quippe iniquus, priuatúsque luce iustitiæ, qui à potiore ac præstantiore auersus,* (actu & habitu) *atque inde vel ad seipsum conuersus, ad inferiora &c. Quia igitur nemo nisi Deum diligendo, diligit seipsum* (modo illo præstantiori, quo se actu, suáque omnia ad Deum refert, vt primum & præcipuum amoris obiectum) *non opus erat vt dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere iuberetur:* modo illo perfecto, qui ad primum præceptum diligendi Deum pertinet. At neque etiam vt se diligat altero modo, quo se amat propter seipsum: Quia nimirum ad id naturaliter satis pronus est, nec etiam opus fuisset altero præcepto diligendi proximum, si ad hoc pariter, & æquè pronus esset. Præterquam quòd, vt suprà dixi, in eo quod iubetur homo diligere proximum sicut seipsum, iubetur tacitè vel expressè diligere seipsum, aut saltem supponitur id debere.

Ad tertium respondeo, sensum illius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* non esse illum quem intendit, & malè tribuit Augustino Iansenius; quòd scilicet nihil aliud possit licitè diligi, nisi actu illo amoris referatur ad Deum, propter quem diligatur: ita vt particula, *ex toto corde,* excludat omnem cuiuscunque alterius rei amorem, qui non sit amor Dei propter se: nam per particulam illam, *ex toto corde,* præcipitur solùm vt non habeamus cor diuisum ad aliquid repugnans dilectioni Dei. Sicut Act. 8. quando Philippus dice- 54. *Quid sit diligere Deũ ex toto corde?*

bat Eunucho baptizari volenti: *Si credis ex toto corde, licet:* sensus erat, si credis purè & sincerè, sine admixtione vllius, veræ fidei repugnantis: Neque enim id intelligebat de tali actu credendi, qui excluderet omnes alios actus credendi alia; sed de actu credendi vero, excludente quidquid repugnat veræ fidei; & de totalitate cordis, excludente diuisionem cordis ad aliquid repugnans, qualis esset dubietas, aut exceptio alicuius necessarij. Similiter ergò diligere Deum *ex toto corde*, non est excludere omnem alium amorem, nihilque amare nisi Deum, aut propter Deum, sed illum tam integrè, perfectè, & absolutè amare, vt nihil admittatur eius amori aduersum. Quo etiam sensu verum est, quod ait Augustinus *per hoc præceptum nullam vitæ nostræ partem relinqui quæ vacare debeat, & quasi locum dare vt aliâ re frui velit.* Quia dilectioni Dei contrarium est velle aliquo alio, quàm Deo ipso frui, hoc est in sensu D. Augustini, non quomodocunque delectari de illo, vt bono iam possesso, sed diligere illud propter se vt bonum beatificum. Quemadmodum patet ex libro primo de doctrina Christ. cap. 22. vbi, vt refert etiam Iansenius capite vicesimo-primo, quæstione illa proposita, vtrum homines, cùm præcipitur vt se inuicem diligant, vti, an frui se inuicem, propter se, an propter aliud diligere iubeantur: *Si enim propter se*, inquit, *fruimur eo: si propter aliud, vtimur eo:* sententiam suam interponens, sic ait: Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata.

55. *Explicantur alia Augustini loca.* Eodem quoque sensu verum est quod addit Augustinus loco in obiectione citato. *Quidquid aliud diligendum veneris in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.* Quia Dei dilectioni contrarium est in aliquo alio sistere, tanquam fine vltimo ipsius operantis, quódque ad Deum non referatur, vel eodem actu, vel aliquo alio generali quem identidem tenemur exercere, eóque nos, & cetera omnia ad Deum velut finem vltimum propter se dilectum, referre: nihilque velle, aut agere ipsius amori aut assecutioni contrarium. Atque ita quidquid aliud diligendum in mentem venerit, illuc rapi debet, quò totus dilectionis impetus tandem currit. Iuxta eundem sensum, quo verba superiora, sunt intelligenda quæ addit, & refert Iansenius ex eodem capite vicesimo-secundo libri 1. de doctrina Christiana: *Tunc quippe est optimus homo*: id est, perfectissimo modo se diligit, *cùm tota sua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit* (vt finem suum vltimum) *non se refert ad Deum, sed ad seipsum conuersus, non ad incommutabile aliquid conuertitur*, (ne quidem habitualiter) *& propterea iam cum aliquo defectu se fruitur. Quia melior est cùm totus hæret, atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde, vel ad seipsum relaxatur.*



SECTIO VIII.

Nullúmne peccatum committatur in hoc statu naturæ lapsæ, nisi concupiscentiæ consentiatur?

AFFIRMAT Iansenius libro secundo de statu naturæ lapsæ capite 24. vbi docet: Nullum peccatum aliter, nisi concupiscentia voluntatem prouocante, & voluntate concupiscentiæ consentiente, perpetrari. Monet autem se loqui de peccatis quæ fiunt in hoc statu naturæ lapsæ: Nam peccatum primi hominis, sine concupiscentia incitante, commissum fuisse non negat: sed è contrario docet summam in illo fuisse, ante primum peccatum animi, & corporis tranquillitatem: ita vt nihil in eo, prorsus renitente, vel non annuente voluntate, posset exurgere, quo prouocaretur ad malum. Quòd autem nunc peccatum omne fiat prouocante, & impellente concupiscentia, probat primò auctoritate Diui Augustini, qui (inquit) frequenter docet omne peccatum, præcedente tentatione, committi: Neque tentari nos posse, nisi per partem illam animalem, quæ motibus concupiscendi subiacet. Docet prætereà nullum peccatum perpetrari, quod non præcedat aliqua delectatio: illámque delectationem nihil aliud esse sentit, quàm rerum delectabilium libidinosum desiderium: & ideo in cælo nulla fore peccata; quia nulla erit concupiscentia, cui consentiendo peccetur: Et denique absolutè, generalitérque affirmat libro de spiritu & lit. cap. 4. *Nullum peccatum, nisi concupiscendo, committi.* Probat secundò, hac præcipuè ratione: quia homo deserens Deum, eiúsque amorem per peccatum; in seipsum, & sui amorem lapsus est: & ipse sibi cœpit omnium appetitionum, & motuum suorum esse principium & finis. Ex quo prauo sui amore nascuntur omnes alij affectus vitiosi: fractóque illo amoris diuini retinaculo, appetitus eius in obiecta delectabilia, magno impetu, ferri cœpit, more brutorum animalium; præueniendo rationem, & deliberationem, statim atque illa sese offerunt sensibus, aut cogitationi; trahendóque fortiter voluntatem ad consensum. 56. *Sententia Iansenij affirmans.* *Probatur ex Augustino.* *Confirmatur ratione.*

Contraria, & vera, communísque Doctorum Catholicorum sententia est, non omne peccatum committi concupiscentiâ voluntatem prouocante: sed quædam fieri ex ignorantia; alia ex passione, siue infirmitate, & concupiscentia; alia ex malitia: id est, neque ignorantia inducente ad peccandum, seu carentia cognitionis, quæ si adesset non peccaretur: neque etiam passione seu concupiscentia solicitante ad peccandum, & voluntatem ad consensum attrahente. Tunc enim est peccatum ex malitia, quando quis scienter, nec ab aliqua passione motus, peccat; & vt rectè ait Diuus Thom. 1. 2. quæst. 78. art. 1. Peccatum ex malitia fit, non ex inordinatione intellectus, vt contingit in peccato ex ignorantia; vel appetitus sensitiui, vt fit in peccato ex passione seu concupiscentia: sed ex defectu & inordinatione ipsius voluntatis. Et quidem hæc tria pecca- 57. *Vera sententia.* *Triplex causa peccati: ignorātia, passio, & malitia.*

Probatur ex Scriptura. torum genera dari in hoc statu naturæ lapsæ, docet Scriptura pluribus locis. Nam de peccatis ex ignorantia loquitur Dauid Psal. 24. versu 7. Deum sic orans: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Et Apost. 1. Timoth. 1. ver. 13. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* De peccatis concupiscentiæ loquitur Iacobus cap. 1. versu 14. cùm ait, *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Et Daniel cap. 13. versu 56. *Species te decepit, & concupiscentia subuertit cor tuum.* De peccatis verò ex malitia sermo habetur Iob 34. ver. 26. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt.* Et Psalm. 51. versu 3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? & Sapient. 2. versu 1. Excæcauit illos malitia eorum. Et Genes. 50. versu 17. *Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & malitiæ, quam exercuerunt in te.*

58. *Et ex Patribus.* Eadem tria genera peccatorum agnoscunt SS. Patres, speciatímque D. Augustinus libro 83. quæst. q. 26. vbi sic ait, *alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ; infirmitas contraria est virtuti: imperitia contraria est sapientiæ; malitia contraria est bonitati.* Vbi per imperitiam sapientiæ oppositam, intelligit ignorantiam; de qua sic loquitur lib. de natura & gratia cap. 35. *Etiamsi non hîc viuatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde veniâ deletur, quod subinde ignorantiâ vel infirmitate committitur.* Per infirmitatem verò intelligit concupiscentiam, quo nomine passim eam appellat, vt sæpius fatetur Iansenius. Similem sententiam Gregorij Magni refert Gratianus dist. 2. de Pœnitentia cap. 22. in hæc verba: *Sciendum est quòd peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et grauiùs quidem infirmitate quàm ignorantia, sed multò grauius studio, quàm infirmitate peccatur.*

59. Idem quoque docet Aristoteles 7. Ethic. capite 4. vbi dicit intemperantem sequi voluptatem ex electione, vel vt alij vertunt, ex consilio, & non propter aliam rem, hoc est, vt addit paulò pòst, passione vel cupiditate permotum. Quod iterum docet, & confirmat sequenti cap. 8. Eandémque esse communem doctrinam Theologorum, plurimis eorum citatis testatur Cumel in 1. 2. q. 78. art. 1. conclus. 2. iuxta quam dicit, Peccatum, quod dicitur ex malitia, in eo consistere quòd voluntas ex seipsa, & ex pura libertate sua, id est, sine ignorantia, & sine passione incitante, & mouente, velit malum, & peccatum sub aliqua ratione boni vtilis aut delectabilis.

60. *Confirmatur ratione.* Ratio denique est, quia licèt intellectus sit instructus cognitione boni & mali, & voluntas non moueatur passione; sufficit eius libertas defectibilis, vt sponte & motu proprio feratur in aliquod bonum vtile aut iucundum, rectæ rationi, & honestati aduersum: neque enim habet necessitatem amplectẽdi id quod est melius, & præferendum esse iudicat intellectus; sed frequenter agit contra dictamen illius: satisque per se potens est, vt non mouente licèt & impellente concupiscentiâ relicto meliori, sequatur quod deterius est; adeóque peccare potest non solùm ex ignorantia, seu defectu cognitionis, quæ si adesset, à peccando retraheret: vel ex concupiscentia, quæ moueat & vrgeat voluntatem, vt sibi obsequatur, atque quodammodo peccare iubeat, ac nisi illa moueret, tale peccatum non admitteretur: sed etiam ex malitia, ipsâ nimirum voluntate scienter, & liberè, ac sponte sua, suóque nutu, & motu solo, in peccatum labente. Simili modo, quo peccauit Adamus, neque motus concupiscentia, qua tunc carebat, neque ignorantia vel errore inductus, quia non fuit seductus in præuaricatione, vt affirmat Apost. 1. Timoth. 2. versu 14. Scio Iansenium supponere voluntatem nostram non habere, in hoc statu naturæ lapsæ, libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, sed quotiescunque malè agit, necessitari per concupiscentiam; quotiescunque bene agit, necessitari per gratiam: sed hoc fundamentum erroneum esse, & hæreticum, patebit ex proximè sequenti disputatione, iunctis aliis quæ addemus disputatione 22. de gratia efficaci.

Ad ea verò, quæ hoc loco opponit Iansenius contra doctrinam propositam sic respondendum est. Ad primum dico D. Augustinum, ne contradicat ei quod suprà retulimus ex libro 83. quæst. q. 26. intelligendum esse, non de omnibus omnino peccatis, sine vlla exceptione, sed de illis quæ fiunt præeunte tentatione: id est, sollicitatione aliqua inducente ad peccandum; de quibus speciatim loquitur verbis à Iansenio relatis ex libro secundo de Genesi contra Manichæos capite 14. & in Psalm. 83. & 143. & libro de dono perseuer. capite 6. & libro 5. contra Iulian. capite 4. & libro 6. capite 15. & libro secundo de peccat. merit. capite 4. De iisdémque loquitur Diuus Iacobus cap. 1. versu 14. Sed non omne peccatum præcedit tentatio, siue importuna sollicitatio ad peccandum. Vel etiam intelligendus est de eo, quod frequentius fit, quando dicit, omne peccatum ex tentatione, vel ex delectatione aliqua præeunte oriri. Frequens enim est, vt à maiori parte sumatur totius denominatio; & dicatur omne, vel totum, id quod moraliter tale est, quamuis patiatur exceptionem aliquam. Sicut Genes. 6. versu 12. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam:* & tamen paulò antè præmittitur versu nono: *Noë autem vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Et Psalm. 13. ver. 4. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et tamen Dauid sine dubio, & alij quidam, non erant hac generali propositione comprehensi, ita vt ipsi quoque nihil boni facerent. In quem sensum exponi possunt quæ refert Iansenius ex libro 22. contra Faustum capite 28. Nisi potiùs ibi loquitur Augustinus de delectatione non præuia, sed inexistente ipsimet actui peccandi, cùm ait, *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Et ex serm. 6. de verbis Apostoli capite 1. Quibus similia sunt, quæ addit ex Prospero libro 3. de vita contemplatiua capite 4. & ex Cyrillo Alexandrino libro 4. in Ioan. capite 51. Vel denique quòd nunquam peccaremus si concupiscentiæ semper resisteremus: quia multò magis, faciliúsque abstineremus ab aliis peccatis, ad quæ ipsa non allicit. Quo sensu potest accipi quod refert Iansenius ex libro de spiritu & lit. 61. *Soluuntur argumenta contraria.*

cap.

capite vltimo, & ex tractat. 41. in Ioan. Interdum etiam sumit Augustinus libidinem, & concupiscentiam latissimè, pro quocunque affectu malo, siue appetitus sensitiui, siue voluntatis; & siue rationem præueniente, atque ad peccandum inducente, siue reipsa peccante; vt antea notauimus numero 35. & probauimus ex libro 2. de Serm. Domini in monte cap. 22.

62. Ad secundum respondeo, licèt homo post peccatum, & lapsum naturæ in primo parente, sit procliuis ad vitiosum amorem sui, & eius appetitus feratur magno impetu ad obiecta creata commoda, vel delectabilia, præsertim sensibilia; præueniátque deliberationem, & pertrahere conetur voluntatem ad consensum; non tamen semper amor ille sui, vel appetitio delectabilium, aut commodorum allicit, & sollicitat importunè voluntatem ad peccandum: neque omne peccatum ex tali sollicitatione committitur: sed nonnulla fiunt, à quibus erat facillimum abstinere, & in quæ homines summâ, & expeditissimâ libertate prorumpunt; quæ idcirco vocantur peccata ex malitia, & dicuntur fieri de industria. Nomine autem concupiscentiæ intelligimus nimium, & immoderatum quendam appetitum delectabilium aut vtilium, repugnantem rationi, & eius ductui resistentem, vt sect. 1. monuimus.



DISPVTATIO XVIII.

De viribus liberi arbitrij post peccatum Adæ.

SECTIO I.

Habeántne homines in statu naturæ lapsæ libertatem indifferentiæ?

1. *Summa doctrinæ Iansenij.*



NEGAT Iansenius libro tertio de statu naturæ lapsæ capite primo & pluribus sequentibus, vbi docet 1. Pelagianos solitos fuisse calumniati Augustinum, quasi negaret liberũ arbitrium: quamuis sæpius ipse contrarium profiteretur. 2. causam huius calumniæ fuisse, quòd affirmaret Augustinus libertatem indifferentiæ circa bonum & malum amissam esse per peccatum Adæ, ita vt arbitrium voluntatis post lapsum primi hominis, antequam diuinâ gratiâ visitetur, hoc est, inquit, antequam Christianam suscipiat fidem, vnde incipit gratia, sub cupiditatibus terrenis ita arctè captiuum possideatur, vt libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis astricta, nullo modo possit surgere, vt bonum velit aut faciat, sed vt tantummodò captiuo motu versetur in malo. Eáque de causa liberum arbitrium toto illo tempore non tam sit liberum, quàm seruum, id est, liberum sit iustitiæ, & seruum peccati, sublatâ funditus indifferentiâ proximâ ad bonum & malum: & vt clariùs ipse alibi explicat, vbi mentem suam apertiùs detegit, necessitetur pondere concupiscentiæ ad peccandum, nec quicquam boni possit velle aut agere, nisi per gratiam necessitetur ad bonum: nam vt addit capite nono & vndecimo, Periit non solùm libertas ad agendum bonum, sed etiam abstinendi à peccato. Et loco libertatis abstinendi à peccato, inducta est peccandi necessitas: Atque hanc esse doctrinam Diui Augustini, & veluti certum fidei dogma ab illo assertam, probare conatur à capite 3. vsque ad decimum-quintum iis testimoniis, & argumentis, quæ referemus simul & refellemus sectione 4. & seqq.

Priùs verò supponendum est, quod alibi probabimus disputatione trigesima-prima sectione secunda, numero decimo-sexto, Liberum tripliciter dici: à seruitute seu subiectione, à coactione, & à necessitate. Liberum à seruitute opponitur seruo & captiuo, atque in eo consistit, quòd quis sit exemptus à seruitute peccati, vel alia subiectione. Liberum à coactione est idem quod spontaneum, & opponitur coacto seu violento: est autem violentum, vt ait Aristoteles, quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim, imò reluctante quantùm potest; Quod genus coactionis repugnat incompatibiliter voluntati, & eius actibus intrinsecis, vt fatetur Iansenius libro sexto de gratia Christi capite quinto. Liberum à necessitate opponitur necessario, & est idem quod indifferens ad agendum, vel non agendum; aut ad agendum hoc, vel illud, prout lubet: excludítque antecedentem necessitatem, & determinationem ad vnum. Atque hoc est quod appellatur liberum arbitrium, quia per illud agimus, aut non agimus, pro arbitratu, seu prout lubet. De illóque in præsenti quæstione sermo est, quando quæritur, Vtrum homines in statu naturæ lapsæ retineant liberum arbitrium? hoc est, habeant libertatem indifferentiæ circa bonum & malum. 2. *Liberum dicitur tripliciter: A seruitute. A coactione. A necessitate.*

Et quidem pars affirmans tam certa, & expressa est in sacris literis, & traditione Patrum, ac definitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum; vt sine errore in fide hæresique manifesta negari non possit. Nam de statu naturæ lapsæ loquebatur Deus Genes. 4. Caino dicens: *Nónne si bene egeris, recipies: Sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:* id est, appetitus seu voluntas peccandi erit in tuo dominio, & sub tua potestate: illique poteris resistere, si volueris. De eodem quoque statu naturæ lapsæ loquebatur Moyses Deuteron. trigesimo, versu decimo-quarto, dicens Israëlitis, quibus Dei mandata proponebat: *Testes inuoco cælum & terram, quòd proposuerim vobis hodie vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas.* Certè frustra hortaretur vt eligeret vnum præ alio, nisi haberent potestatem indifferentiæ ad vtrumque, sed ad vnum antecedenti necessitate determinati essent, ita vt non possent hoc non velle, & haberent impotentiam volendi aliud. De eodem statu lo- 3. *Libertas à necessitate probatur ex Scrip.*

quebatur Iosue, dicens iisdem Israëlitis capite vicesimo-quarto versu 14. *Timete Dominum, & seruite illi perfecto corde &c. Sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis; vtrum Diis quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia &c. Ego autem & domus mea seruiemus Domino.* Frustra esset hæc admonitio, & exhortatio, nisi haberent potestatem eligendi vnum præ alio, & seruiendi aut idolis, aut vero Deo. Non haberent autem, si ad vnum illorum determinati essent antecedente necessitate.

4. Rursus de eodem statu loquebatur Ecclesiasticus capite decimo-quinto, versu decimo-sexto, dicens hominibus in statu naturæ lapsæ existentibus, & post legem Moysi datam: *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors; bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus loquendi modis nihil expressius dici potest, ad significandum habere homines libertatem indifferentiæ circa mandatorum diuinorum obseruationem. Iisdémque loquendi modis probare solet Iansenius habuisse primum hominem ante peccatum libertatem indifferentiæ circa bonum & malum; vt videre est toto ferè libro quem scripsit de gratia primi hominis & Angelorum. De eodem statu naturæ lapsæ loquebatur idem Ecclesiasticus capite trigesimo-primo, versu decimo laudans hominem, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit:* adéoque non fecit bonum, neque abstinuit à malo ex necessitate, cùm potuerit facere oppositum. Et Isaias capite primo versu 19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Qui loquendi modus apertè significat vtrumque fuisse in eorum potestate. Neque enim dicimus seriò loquendo, homini cæco, si videris: vel surdo, si audieris, hoc aut illud bonum pro mercede consequeris; sin minùs, tali pœnâ mulctaberis. Et vt rectè ait Chrysostomus sermone in eundem locum Isaiæ, *Si velle aut nolle nostrum non esset, hoc est, si viuendi rectè, an secus libertas nobis adempta fuisset, nec bonus vnquam cælestia munus perciperet, nec malus supplicium competens inueniret?*

5. Denique de eodem statu naturæ lapsæ loquebatur Apostolus 1. Corinth. 7. versu trigesimo-septimo, vbi sic ait: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benefacit.* Et 2. Corinth. 9. versu 7. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ad Philemonem versu 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Quibus verbis (vt alibi notauimus) Apostolus non solùm excludit ab huiusmodi bonis operibus, physicam necessitatem antecedentem, siue impotentiam aliter agendi; sed etiam moralem, ortam ex aliquo præcepto, vel ex reuerentia erga Paulum, corrogantem eleemosynas illas, de quibus est sermo 2. Corinth. 9. & volentem liberare Onesimum à seruitute Philemonis.

Denique de eodem statu naturæ lapsæ loquebatur Ignatius Martyr in epist. ad Magnesianos, quam verè illius esse testantur Hieronymus, & Eusebius. *Quandoquidem actiones ipsa sua habent præmia*, inquit, *& obedientiæ proponitur vita: mors autem inobedientiæ, & singuli qui hoc aut illud elegerunt, in eius quod elegerunt locum abituri sunt; fugiamus mortem, & eligamus vitam, &c. Si quis pietati studet, Dei homo est: si impiè agat, diaboli est: non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.* Item Iustinus Martyr in Apologia ad Imperatorem Antoninum sic scribens, *Nisi libero arbitrio genus humanum, & res turpes fugere posset, & pulchras, ac bonas sequi; extra causam, culpámque est eorum, quæ quoquo modo aguntur: sed ipsum libero arbitrio liberâque voluntate & rectè facere, & peccare docemus, &c. Neque ille remuneratione aut laude dignus esset, si per seipsum bonum non eligeret.* Et in Apologia ad Senatum, *Neque quidquam horum laude dignum esset, nisi illi vtramque in partem conuertere, & quasi flectere se possent.* Et Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 9. *Homo rationabilis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iustè condemnabitur.* Et Origenes hom. 20. in Numeros: *Sui arbitrij est anima, & in quam voluerit partem est ei liberum declinare; & ideo iustum Dei iudicium est, quia sponte sua seu bonis seu pessimis monitoribus paret.* Et Athanasius, oratione contra idola, vbi dicit, *Hominis mentem liberam esse & sui arbitrij. Potest enim vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Et Basilius libro tertio contra Eunomium, vbi docet: *Hominem naturâ vti liberâ, vt ad vtrumlibet possit inclinari, ad electionem scilicet boni, & peioris.* 6.

Hieronym. lib. de Scriptor. Eccles. Eusebius lib. 3. hist. cap. 30.

Cõfirmatur ex Patribus Græcis.

Et Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. de anima, *Liberum arbitrium habet anima, & potest quidem diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem omnino non potest: subiicit tibi scortationis cogitationes: si vis, probas: si non vis, improbas: si enim ex necessitate scortareris, cuius gratiâ gehennam Deus parasset?* Et Epiphanius hæresi 16. *Omnibus manifestum est, clarúmque ac minimè ambiguum, quòd liberum arbitrium exhibuit nobis Deus, per seipsum locutus, si volueritis, & nolueritis &c. Quare circa hominem est bona operari, aut malas res appetere.* Et Gregorius Nyssenus oratione Catechetica capite trigesimo: *Dimisit aliquid in nostra potestate, cuius est solus Dominus. Hoc autem est liberi arbitrij libera electio, res quædam minimè redacta in seruitutem, & quæ est sui iuris, sita in libertate mentis, ac cogitationis.* Et Chrysostomus homilia 22. in Genesim. *Nónne manifestum, sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & natura nostra prauitas insita esset; neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat: verum quia in nostra potestate totum post Dei gratiam relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Et Cyrillus Alexandrinus libro nono in Ioannem cap. 10. *Rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas vnicuique commisit, vt* 7.

in eo sit, quicquid probauerit, eligere. *Qui ergo ad meliora flexi sunt, hi gloriam atque retributionem electioni suæ consentaneam inuenient: qui verò improbis cogitationibus seipsos deprauarunt cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non iniuriâ vt ingrati, & improbi, æternis vexabuntur suppliciis.* Et Theodoretus quæst. 36. in Genesim. *Cùm voluntas habeat optionem bonorum, & malorum; hi meritò victoriæ coronam consequuntur, illi verò pœnas luunt pro iis, quæ volentes admiserunt.* Et Damasc. libro 2. de fide orthodoxa cap. 25. 26. & 27. quæ tota in hanc veritatem asserendam impendit.

8. *Idem docent Patres Latini.* Neque minùs perspicuè loquuntur de eodem statu naturæ lapsæ, & libertatem indifferentiæ in illo agnoscunt vnanimiter Patres Latini: vt Tertullianus libro de exhortatione ad castitatem capite secundo, vbi sic habet: *Cùm vtrumque ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit: iam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est; Ecce posui ante te bonum & malum.* Et Cyprianus epist. 55. vbi sic loquitur, *Homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Et Hilarius in Psalm. 2. *Vnicuique nostrûm libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens &c. Quid enim honoris ac præmij, bonitatis necessitas mereretur: cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret?* Et Ambrosius libro 1. de Iacob, & vita beata cap. 1. cuius verba hæc sunt: *Non seruili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, siue ad virtutem propendemus, siue ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas reuocat rationem secuta.* Et Hieronymus libro 2. contra Iouinianum, vbi sic affirmat: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.*

9. Idem non minùs disertè pluribus locis affirmasse D. Augustinum in libris etiam post exortam hęresim Pelagianorum scriptis, ostendemus sectione sequenti. Et de Prospero insigni eius discipulo, hæresisque Semipelagianæ acerrimo impugnatore idem liquet ex libro primo de vocat Gent. capite octauo, vbi de homine in hoc statu naturæ lapsæ considerato sic loquitur: *Nec quia Spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura remouetur.* Et libro secundo capite duodecimo dicit, *Multis* (nempe adultis) *iudicio rationis vtentibus ideo liberum esse discedere à Deo, vt non discessisse sit præmium; & vt quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Et sanctus Gregorius Magnus libro trigesimotertio Moralium, capite vicesimo: *Idcirco nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Et Beda in caput 6. Ioan. circa illa verba, *Omnis qui audiuit à Patre, &c. Quomodo trahit Pater?* inquit. *Nemo necessitate credit, sed voluntate:* liberâ scilicet, libertate indifferentiæ, oppositâ necessitati. De eadémque loquitur Anselmus libro de concordia præscientiæ, & prædestinationis, qui totus in eo versatur, vt probet necessitatem antecedentem repugnare libertati, idémque docet in dialogo de libero arbitrio, præsertim capite secundo & quinto. Et Bernardus in Cantic. serm. 81. vbi sic ait: *Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem, & malum, nec non inter vitam & mortem; sed & nihilo minùs inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi &c. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis.* Et libro de gratia & libero arbitrio dicit rationem datam esse voluntati, *vt instruat illam, non destruat: destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quò minus liberè pro arbitrio se se volueret, siue in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui &c. siue ad bonum, gratiam sequens &c. Vbi quippe necessitas, iam non voluntas.*

Hæc ex præcipuis Patribus, Græcis & Latinis relata, satis supérque sufficiunt æquo lectori, vt persuadeatur istam fuisse vnanimem à primis vsque sæculis Ecclesiæ, illorum sententiam. Quod vsque adeo manifestum est, vt id fateri coacti fuerint hæretici huius temporis: vt de Lutheranis videre est apud Centuriatores Magdeburgenses Centuria 2. cap. 4. colum. 59. & de Caluinistis apud Caluinum ipsum lib. 2. Institut. capite 2. num. 4. tametsi pari studio quo Iansenius, libertatem indifferentiæ ab hoc statu naturæ lapsæ abesse, & per peccatum Adæ periisse contendunt. Contra quos Tridentinum ita pronunciauit sess. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.* In quo autem consistat liberum arbitrium, quæve sit eius cooperatio in operibus gratiæ, declarat canone quarto dicens, Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, ita cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti, vt possit dissentire, si velit. Et capite 5. affirmat hominem gratiæ liberè assentiri, & cooperari, *ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Quibus verbis *quippe qui* &c. reddit rationem cur liberè agat, vel exponit modum quo liberè cooperatur, in eo consistentem quòd inspirationem diuinam ita recipiat, vt abiicere quoque possit. Similia dicunt Concilium Senonense celebratum Parisiis contra Lutherum, annò 1528. Decreto 15. & Concilium Coloniense contra eundem Lutherum anno 1536. in Enchiridio doctrinæ Christianæ capite de Sacramento Pœnitentiæ: quorum verba referemus, & expendemus disp. 30. sect. 3. & seqq. 10. *Et Trident.*

Denique eundem errorem in Michaële Baio Iansenij Præcursore damnarunt Pius V. & Gregorius XIII. in Bullis contra eundem datis, quibus proscribunt has duas propositiones. *Quod voluntariè fit, etsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Et, *Homo peccat damnabiliter etiam in eo quod necessariò facit.* Addo errorem illum toties damnatum fuisse, quoties Ecclesia proscripsit velut hæreticos, & 11. *Et Bulla Summorum Pontificum.*

libertatis euersores Manichæos, Stoicos, Planetarios, Priscillianistas, Wicleffistas, Lutheranos, & Caluinistas: quos omnes eam ob causam damnauit, quòd humanam voluntatem necessitati astringerent: siue ortæ à duabus animabus, vt volebant Manichæi: siue à fato, vt Stoici: siue ab astris, vt Planetarij & Priscillianistæ: siue à præscientia Dei, vt Wicleffistæ: siue à gratia in bonis operibus, vel à concupiscentia, & peccato originali in malis, vt Lutherani, & Caluinistæ, quibus se adiunxit Iansenius.

SECTIO II.

Ostenditur Diuum Augustinum agnouisse libertatem indifferentiæ in hoc statu naturæ lapsæ.

12. EX dictis perspicuum manet, tametsi (vt Iansenius vult) D. Augustinus negaret hominibus, in statu naturæ lapsæ, libertatem indifferentiæ: vnius illius sententiam non fore præferendam vnanimi Patrum aliorum consensui, iunctis præsertim certis, & apertis Scripturæ testimoniis, nec non Conciliorum, & Summorum Pontificum determinatione. Sed quàm sit falsum ita sensisse Diuum Augustinum, quámque iniustè & calumniosè tam fœdum errorem impingat illi Iansenius, patebit euidenter ex sequentibus testimoniis, quibus sole clariùs apparebit eum constanter asseruisse, homines in præsenti statu, bene vel malè operari ex libertate indifferentiæ; non solùm in libris quos scripsit ante natam hæresim Pelagij, sed etiam in aliis, quibus illam vsque ad mortem impugnauit.

13. *Probatur ex libris ante hæresim Pelagij scriptis.* Vt igitur à prioribus incipiamus: clarissimè hanc veritatem Catholicam profitetur in libro de Actis cum Fœlice Manichæo, capite quarto, vbi sic ait: *Habet vnusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala; &c. Hoc ergo Dominus dicens* (aut facite hoc, aut facite illud) *ostendit esse in potestate, quod facerent, & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent; si malum eligerent, pœnam illius sentirent.* Et libro secundo contra Faustum capite quinto. *Et nos quidem,* inquit, *sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Et libro de duabus animabus cap. 11. *Peccatum est,* inquit, *voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere:* libertate scilicet indifferentiæ, per quam possit à peccato abstinere si velit, atque ita peccet, vt possit non peccare: iuxta ea quæ addit paulò pòst: *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, vt discerem neminem vituperatione, supplicióve dignum, qui aut id velit quod iustitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest. Nónne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poëtæ &c.* Et lib. de vera relig. cap. 14. dicit *hoc adeo notum esse, vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Ibidémque addit, quo nihil clariùs & expressiùs dici potest, *Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse iudicauit Deus, si ei seruirent liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Et libro tertio de libero arbitrio, capite primo: *Si naturâ vel necessitate iste motus existit: culpabilis esse nullo pacto potest:* nimirum quia, vt ibidem addit, *Motus quo huc aut illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis; neque omnino monendus esset, vt istis neglectis æterna vellet adipisci, atque vt malè nollet viuere, vellet autem bene.* Et capite decimo-octauo eiusdem libri: *Hoc breuissimum tene,* inquit, *Quæcunque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem resisti potest; non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Igitur caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caueri non potest?*

Pari euidentiâ idem profitetur in libris contra Pelagianos editis, vt libro de spiritu & litera cap. 34. vbi postquam dixit neminem posse credere: nisi Deus gratia sua eum præueniat, hæc addit: *In omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est* Et libro de natura & gratia capite 65. approbat dictum illud Hieronymi suprà relatum: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, &c.* Additque tanquam de re notissima certissimáque, *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* Et libro secundo de gratia & libero arbitrio, capite secundo, docet voluntatem non necessitari per gratiam ad bene agendum, vt malè putabant Adrumetini, sed manere indifferentem ad agendum, vel non agendum: idque confirmat iisdem Scripturæ verbis quæ nos antea in eundem finem retulimus numero quarto. Quibus relatis subiicit: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium:* illis scilicèt verbis Ecclesiastici: *Apposuit tibi ignem, & aquam: ad quodcunque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors: & quodcunque placuerit ei, dabitur illi.* Quæ manifestè exprimunt libertatem indifferentiæ, seu potestatem ad vtrumlibet. Et paulò pòst relatis aliis Scripturæ locis, quibus monentur homines, vt nolint thesaurizare in terra, neque timeant eos qui occidunt corpus, & vt abnegent semetipsos, & quod ait Apostolus, Quod vult faciat: non peccat si nubat: &, *Noli negligere gratiam quæ in te est: & Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate:* His, inquam, & pluribus aliis ex vtroque testamento relatis, ex eis colligens libertatem indifferentiæ, ita concludit: *Nempe vbi dicitur, noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis, opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et initio eiusdem capitis eandem indifferentiam deducit ex præceptis diuinis, sic dicens: *Reuelauit nobis Deus per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem reuelauerit, com-*

14 *Et ex aliis contra Pelag. scriptis*

memoro vos, non humano eloquio, sed diuino. Primum, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret: &c.

15. His accedit quod cùm Pelagiani affirmarent liberum arbitrium non periisse per peccatum Adæ, eóque nomine intelligerent liberum à necessitate, seu potens ad vtrumlibet; illúdque definirent per potestatem indifferentiæ ad agendum, & non agendum, & ad bene & malè agendum: affirmat Augustinus se cum illis conuenire in eo quod dicunt manere in hominibus liberum arbitrium; duóque tantùm in illis reprehendit: quòd videlicet liberum arbitrium malè restringerent ad indifferentiam circa bonum & malum: cùm ad illam sufficiat indifferentia circa hoc aut illud bonum; qualis est libertas Dei & Beatorum, peccandi incapax. Secundum, quòd vellent liberum arbitrium non egere gratiâ propriè dictâ, vt velit bonum, & abstineat à malo. Quemadmodum videre est libro 2. de nuptiis, & concupiscentia capite tertio, & libro 1. Operis imperfecti pag. 118. 121. 122. 146. & 150. Et libro de natura & gratia capite 64. & libro primo de gratia Christi capite septimo, 31. & 33. quæ testimonia referemus & expendemus alio loco.

16. Rursus idem perspicuè liquet ex eo quòd sanctus ille Doctor expressissimè docet Adamum ante peccatum habuisse libertatem indifferentiæ, vt fatentur aduersarij, & constat ex libro vicesimo-secundo de Ciuitate capite 30. vbi sic habet: *Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare: sed & potuit peccare.* Et lib. de Correpț. & gratia, capite decimo, dicit hominem factum cum libero arbitrio, potuisse in statu recto, & sine vitio manere, si voluisset: & merito huius permansionis accipere Beatitudinis plenitudinem. Et capite sequenti: *Istam gratiam*, inquit, *non habuit primus homo quâ nunquam vellet esse malus: sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset.* Ex quibus & similibus Augustini locis colligit aduersariorum Antistes libro de gratia primi hominis, capite octauo, Adamum in sua creatione tale recepisse liberum arbitrium, vt bene velle posset, & malè: posséque non peccare, si vellet. At enimuerò idem Augustinus alibi disertè affirmat non periisse per peccatum primi parentis huiusmodi arbitrium, sed tantùm fuisse vulneratum, sauciatum, debilitatum, vt ait libro de natura & gratia capite decimo-nono, ita vt per se solum sine medicinali gratia Christi nullum opus bonum velle & operari possit, quod saltem ad vitam æternam consequendam pertineat. Id constat ex eius epistola 47. ad Valentinum, vbi sic habet: *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat; neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid.* Quam propositionem fusè probat toto libro de gratia & libero arbitrio ad eundem Valentinum scripto, cuius ferè initio sic ait: *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, &c.* Estque notandum quòd sicut Augustinus ibi sumit gratiam eodem sensu, quo illi à quibus negabatur pro tuendo libero arbitrio: ita sine dubio sumit liberum arbitrium eodem sensu, quo illi, qui putabant gratiæ necessitatem ei repugnare. Quare sicut quando cap. 4. probare incipit gratiam à se non negari, planè illam intelligit, quam Pelagiani necessariam esse negabant: ita quando capite secundo & tertio, probat esse in hominibus liberum arbitrium, neque se illud inficiari; eodem sensu id intelligit, quo Pelagiani dicebant ipsum inficiari. Et libro primo ad Bonifacium Papam contra duas epistolas Pelag. capite secundo: *Quis nostrûm dicat*, inquit, *quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana diuinâ indiget gratiâ.* Et lib. 2. capite 15. *Peccato Adæ liberum arbitrium de natura hominum periisse non dicimus; sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem piéque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cogitationis, sermonis adiuta.*

Quæ vt meliùs intelligantur, & concilientur inter se quædam Augustini loca specie tenus aduersa, notandum est id quod rectè obseruauit Ricard. lib. 2. cap. 3. sect. 3. §. 2. vocem liberi arbitrij dupliciter ab illo sumi. Primò scilicet, pro ipsa naturali facultate voluntatis, quæ talis est, vt positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit agere & non agere vt libuerit: adeóque posito gratiæ auxilio ad bene agendum, & ad non peccandum, possit illi consentire, aut dissentire, vt voluerit, & peccare vel non peccare. Secundò, pro eadem facultate, prout ad bene agendum expedita, & instructa est omnibus necessariis. Sicut enim oculus, quamuis ex se sit naturalis facultas videndi, tamen non potest videre sine lumine: & aliud est habere oculum aptum de se ad videndum, vt habent illi etiam qui versantur in tenebris: &, habere simul lumen, & si quid aliud ad visionem eliciendam necessarium est. Ita hæc duo sunt diuersa, habere naturalem facultatem de se capacem eligendi, & bene vel malè agendi, vt libuerit, positis omnibus aliis ad agendum necessariis: & habere cum tali facultate auxilium gratiæ ad bene agendum peccatúmque vitandum necessariæ. De primo non erat contentio Diui Augustini cum Pelagio: sed de secundo, vt dicemus paulò pòst. Nec vnquam primum illud affirmat Augustinus periisse per peccatum Adami; sed secundum duntaxat, quatenus originali iustitiâ spoliati, non possumus eniti ad bonum, vel à malo abstinere, sine auxilio medicinalis gratiæ Christi. Quo sensu scripsit epistolam 107. ad Vitalem, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Et in Enchirid. capite trigesimo: *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit & ipsum.* Et libro de perfectione iustitiæ capite 4. *victâ vitio in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura.* Quibus omnibus locis non intelligit perditam fuisse naturalem & natiuam hominis libertatem, vt per-

17. *Liberum arbitrium dupliciter sumitur ab August.*

Quo sensu dicat amissum esse?

peram contendunt Caluinus & Iansenius: sed facultatem ad bene agendum expeditam, seu completam bene agendi, & peccati vitandi possibilitatem: quam etiam Cœlestinus I. in epistola ad Episcopos Galliæ cap. 4. dicit fuisse per peccatum originale amissam, cùm ait, *In preuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere.*

18. *Et quo sensu remanere.* Quòd autem liberum arbitrium priori modo sumptum remanserit, egeátque solùm auxilio gratiæ medicinalis iuuari, & sanari ab infirmitate per peccatum originale contractâ, docet alibi sæpius idem sanctus Doctor: vt in libro de natura & gratia capite trigesimo-secundo. *Non enim*, inquit, *arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosunt ista nisi volenti? Sed humiliter volenti, non se de voluntatis viribus, tanquam ad perfectionem iustitiæ sola sufficiat, extollenti.* Et epistola 89. *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur: sed ideo iuuatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit, Adiutor meus esto: confitetur se velle implere quod iussit: sed ab eo qui iussit adiutorium poscere, vt possit.* Et libro primo Operis imperfecti contra Iulianum, *Ex quo autem homo*, inquit, *incipit vti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest. Sed alterum horum non facit, nisi adiutus ab eo, qui dixit, Sine me nihil potestis facere: alterum verò propria voluntas &c.* Quod alibi illustrat oculi similitudine, qui solus non potest videre nisi à lumine adiuuetur, libro de natura & gratia capite vicesimo-sexto, & libro secundo de peccatorum meritis capite 5. & libro de Gestis Pelagij cap. 3. aliàs 2. vbi relatis huiusmodi Scripturæ verbis, *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod vis porrige manum tuam: Ante hominem bonum & malum, vita & mors: quod placuerit ei, dabitur illi:* Addit manifestum esse, *quòd si ad ignem manum mittit, & malum ac mors ei placet; id voluntas*, hoc est, libertas *hominis operatur. Si autem bonum, & vitam diligit; non solum voluntas id agit, sed diuinitus adiuuatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras: ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecùs adiutorium clari luminis præbeatur.*

19. *Liberum arbitrium agit liberè cum gratia.* Sicut igitur oculus corporeus, quando à lumine adiuuatur ad videndum, videt nihilominus, & agit iuxta naturam oculi, seu prout est principium, & facultas videndi: & alioqui non verè diceretur iuuari ad videndum: sic liberum arbitrium, quando à gratia iuuatur ad bene operandum; agit nihilominus vt liberum arbitrium, id est, vt principium electionis liberæ: hanc enim esse illius naturam ostendimus alibi ex Scriptura & Diuo Augustino, aliísque Patribus. Idque satis indicant verba modò relata: *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod vis porrige manum tuam &c.* & alia quibus fusissimè inculcat sanctus ille Doctor, etiam nunc liberi arbitrij naturam propriámque rationem consistere in potestate indifferenti ad opposita: idque probat ex pluribus Scripturæ locis, Ecclesiast. decimo-quinto, versu decimo-septimo, Deuteron. 30. versu 19. priorís ad Corinth. 7. ver. 36. & aliis: vt videre est præcipuè in libro de gratia, & libero arbitrio, capite 2. & sequentibus. Quare ex sententia Diui Augustini liberum arbitrium sic agitur gratiâ, & spiritu Dei, vt tamen simul agat. *Nec quia spiritu Dei agitur homo; ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit: à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem:* Vt rectè ait sanctus Prosper sancti Augustini contemporaneus, & discipulus, eximiúsque eius doctrinæ defensor, libro primo de vocat. Gent. capite octauo. Similíque modo Concilium Arausic. II. canone 25. & Trident sess. 6. capite primo & canone quinto definiunt liberum arbitrium peccato primi parentis minimè extinctum fuisse, sed viribus licèt attenuatum, & inclinatum, manere in posteris.

SECTIO III.

Probatur ampliùs Diuum Augustinum ita sensisse.

Confirmatur: quia Diuus Augustinus loquens de libero arbitrio quod in hominibus lapsis remansit, siue in libris ante exortum Pelagianæ hæresis, siue post scriptis, iisdem verbis illud describit, quibus liberum Adami arbitrium ante lapsum, quod non dubitant aduersarij iuxta sententiam Diui Augustini, & iuxta rei veritatem, liberum à necessitate fuisse, indifferénsque ad peccandum vel non peccandum. Ergo falsum est sensisse Augustinum periisse illam libertatem indifferentiæ per peccatum Adami, vt volunt aduersarij: sed potiùs ex illius sententia manet in hominibus lapsis idem liberum arbitrium, licèt debilius quàm fuerit in Adamo. Consequentia est euidens. Antecedens non minùs euidenter patebit, comparando loca in quibus sanctus ille Doctor de vtroque statu loquitur. 20. *Agnoscit idem liberum arbitrium ante & post lapsum.*

Et de priore quidem sic ait in lib. de Corrept. & gratia cap. 10. *Hominem fecit cum libero arbitrio; & quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri in sua potestate sentiebat. In quo statu recto, ac sine vitio si per liberum arbitrium manere voluisset: profectò sine vllo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito huius permansionis, beatitudinis plenitudinem.* Et cap. 11. *Vt autem vellet* permanere, *in eius libero reliquit arbitrio.* Et capite 12. Quæ quidem (merita sua) *potuit habere, sed perdidit, hoc est, per liberum arbitrium:* quo scilicet ita perdidit vt potuerit non perdere, sed adhuc habere, & conseruare, si voluisset. Ex quibus verbis colligit aduersarius tom. 2. libro de gratia primi hominis capite octauo, aliísque locis, Adamum habuisse potestatem indifferentem ad non peccandum, iuxta doctrinam Diui Augustini. Atqui simili modo loquitur idem sanctus Doctor de hominibus lapsis libro secundo de Actis cum Fœlice Manichæo capite tertio, vbi sic habet: *Esse autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque, si velit, non peccare si nolit, non solùm in diuinis Scripturis, sed etiam in verbis ipsis Ma-* 21. *Et in vtroque statu, posse peccare & non peccare.*

nichæi tibi probo, &c. Vt autem id probet ex Scripturis, adducit cap. 4. illud Matth. 12. vers. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum:* Subiungens, *Cùm ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus, facere arborem potest: sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala, &c. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite hoc, aut facite illud, ostendit esse in potestate quid facerent.* Ad probandum verò Manichæum idem asserere, profert hæc illius verba cap. 5. *Hi verò qui sibi legem à Deo liberatore datam plenius seruare noluerint, &c.* Quibus relatis, sic exclamat: *Vides confirmatum esse etiam à nesciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim legem seruare non vult, in potestate eius est, si velit.* Itaque hi etiam qui fiunt mali, & miseri per peccatum, possunt hoc vitare, si velint, & à peccato abstinere: quique legem non seruant, possunt eam seruare. Et lib. de gratia & libero arbit. cap. 2. idem colligit ex diuinis præceptis, sic dicens: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli illud; & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur; satis liberum demonstratur arbitrium.* Nimirum quia, vt addit ibid. *Diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium:* quo vtique possit ea seruare, tametsi quandoque non seruat: adeóque habet potestatem seruandi, & non seruandi. Et lib. de fide contra Manich. c. 10. *Quis enim,* inquit, *non clamat stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse damnare eum, cui non fuit potestas iussa complere?* Itaque ex mente Diui Augustini possumus non peccare, quando peccamus: & abstinere à bonis operibus, quando illa operamur, nullâ scilicet ad id necessitate adstricti.

22. *Et posse perseuerare, & non perseuerare.* Præterea, idem sanctus Doctor lib. de Corrept. & gratia cap. 12. de libero arbitrio Adami ante lapsum, ita loquitur: *Potuit non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere*, id est, perseuerare in bono. *Numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? aut non potuit mori, cui dictum est, si peccaueris, morte morieris? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit?* Ex quibus verbis colligit aduersarius lib. de gratia primi hominis cap. 8. habuisse ad id Adamum libertatem indifferentiæ, ex mente D. Augustini. At idem affirmat Augustinus de hominibus lapsis in lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 17. vbi dicit eorum voluntatem, seu libertatem esse causam cur non perseuerent, sicuti possent cum Dei gratia. *Cùm voluntate humana,* inquit, *gratiâ adiuuante diuinâ, sine peccato hac in vita possit esse homo: cur non sit, possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* Et serm. 5. de diuersis, postquam dixit homines alios fieri paleas æterno igne comburendas: alios frumentum in horrea cælestia importandum: addit hoc interesse *inter veras paleas, & istos carnales homines: quia paleæ illæ non habent liberum arbitrium: homini autem Deus dedit liberum arbitrium. Et si vult homo, heri fuit palea, hodie fit frumentum.*

23. Nec obstat quod addit cap. 12. libri de Corrept. & gratia. *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare; nouissima erit multò maior, non posse peccare.* Nam per hanc *nouissimam,* non intelligit libertatem huius vitæ, sed Beatorum, quæ tametsi versatur indifferenter circa ea bona, quorum liberam habet electionem; non est tamen ad peccandum indifferens, neque enim peccare possunt, vt neque mori. Propter quod addit consequenter: *Prima immortalitas erat, posse non mori: secunda erit multo maior, non posse mori.* Sed neque etiam ad peccandum sunt magis liberi, quàm ad moriendum. Quo autem sensu dicat Augustinus libertatem illam fore maiorem, exponemus alibi. Et quod addit ibidem de differentia inter adiutorium *quo,* & adiutorium *sine quo non*, explicabitur inferiùs disput. 22. sect. 2. & sequentibus. *Soluuntur obiectiones.* *Vide infrà disp. 31. sect. 7.*

24. Non obest etiam quod lib. 6. contra Iulianum cap. 21. ait, *Non autem ita esset, si natura humana per liberum arbitrium, in quo statu primùm condita est, perstitisset.* Nam ibi tantùm asserit futuras non fuisse miserias per peccatum Adæ inductas, si in iustitia perseuerasset. Cùm autem in lib. de dono perseuerantiæ, cap. 7. sic ait: *Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet:* Non aliud sibi vult, quàm hominem, antequam caderet, habuisse vi gratiæ, & iustitiæ originalis, facultatem expeditam, & completam ad abstinendum à peccato, & resistendum tentationibus. Quod nunc non habet tali gratiâ spoliatus, nisi reparetur, & iuuetur medicinali gratiâ Christi. Ideóque addit paulò inferiùs: *Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad Deum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo.* Similíque modo intelligi debent alia loca D. Augustini, quibus distinguit duos illos status liberi arbitrij.

25. *Augustinus diuersimodè propugnat liberum arbitrium, cõtra Manich. & contra Pelagian.* Cúmque, vt suprà indicauimus, vox liberi arbitrij duplici sensu ab illo sumatur: videlicet pro naturali facultate eligendi vtrumlibet, positis omnibus ad id prærequisitis: & pro eadem facultate, vt instructâ, & munitâ iisdem omnibus prærequisitis, inter quæ est Dei gratia ad abstinendum à peccato, vel ad bene operandum vtiliter ad vitam æternam: notandum est D. Augustinum in libris contra Manichæos solitum esse illud sumere priori sensu: quia de illo erat illi concertatio cum Manichæis, qui naturalem illam facultatem negabant, hominémque subiiciebant naturali necessitati bonæ, vel malæ animæ, in agendo bene, vel malè. In libris verò contra Pelagianos solere illud accipere posteriore sensu: quia non erat cum illis controuersia, vtrum maneret facultas natiua eligendi vtrumlibet, positâ gratiâ ad id necessariâ: sed vtrum vires naturales arbitrij tales essent, támque potentes, & expeditæ, vt possent sine auxilio gratiæ bene operari, & à peccando abstinere.

26. Non erat, inquam, controuersia inter D. Augustinum, aliósque Catholicos, & inter Pelagium, vtrum gratia medicinalis necessitatem inferret voluntati: siue vtrum homines in hoc statu naturæ lapsæ retinerent libertatem indifferentiæ, quâ, positis omnibus prærequisitis, possent vt libet agere, vel non agere: adeóque po-

sito gratiæ auxilio ad bene operandum necessario, possent illi consentire, vel dissentire; & peccare, vel non peccare: sed vtrum propriis liberi arbitrij viribus, sine auxilio gratiæ (nisi legis & doctrinæ) possent bene viuere, & à peccatis abstinere. Seu quod eòdem recidit: non fuit inter eos contentio, vtrum post lapsum primi parentis manserit liberum arbitrium sumptum priori modo è duobus suprà explicatis; pro naturali scilicet facultate agendi, vel non agendi, positis omnibus ad operandum prærequisitis: sed vtrum manserit liberum posteriori modo, id est, paratum, & expeditum ad bene operandum, & ad peccatum vitandum, sicut erat ante lapsum, an verò potiùs ita infirmum, vt neque rectè operari, neque peccatum vitare possit, nisi medicinali Christi gratiâ reparetur, & iuuetur: quod negabat Pelagius.

27. *Error Pelagij circa liberum arbitrium.* Hanc enim fuisse Pelagianam hæresim, docet manifestè S. Hieronymus, qui primus eam impugnauit in epist. ad Ctesiphontem, præfixâ tribus libris quos scripsit contra Pelagianos, vbi de illis sic ait: *Ita Dei gratiam ponunt, vt non per singula opera, eius nitamur, & regamur auxilio: sed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis. Vt in eo, Deo referendæ sint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus, & eligere bona, & vitare mala. Et non intelligunt ista dicentes, quòd per os eorum, intolerabilem blasphemiam diabolus sibilet.* Et D. Augustinus epist. 94. de eadem hæresi sic loquitur: *Noua quadam hæresis, inimica gratiæ, contra Ecclesiam Christi conatur exurgere: sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est: hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, vt hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quòd cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus; & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus; Ceterùm ad eadem mandata seruanda, & implenda, nullo diuino adiutorio nos egere.* Si in eo Pelagianæ hæresis virus, & summa, & caput extitisset, vt dicunt aduersarij, quòd libertatem indifferentiæ cum diuina gratia admitteret, ita vt illi consentire, & dissentire posset: non id certè prætermisisset notare Augustinus, addidissétque, tantum illos præsumere de viribus liberi arbitrij, vt existiment posse Dei gratiæ sibi oblatæ dissentire si velit. At neque hîc, neque vspiam alibi, siue in libro de hæresibus hæres. 88. siue in lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali cap. 11. siue in epist. 106. ad Paulinum, vbi Pelagij hæreses enumerat, hoc inter eius errores recenset: vt neque Synodus Palæstina, seu Diospolitana, in qua Pelagius coactus fuit errores suos damnare: neque Patres Concilij Carthaginensis, & Mileuitani, & Aurelius, aliique Episcopi, apud Augustinum epist. 90. 92. & 95. quibus Innocentium Papam monuerunt de erroribus Pelagij. Et quod amplius est, quódque rem apertè demonstrat, idem S. Doctor lib. de gratia Christi cap. 47. disertè profitetur, nihil sibi controuersiæ fore cum Pelagio circa liberum arbitrium, & necessitatem gratiæ, dummodo fateretur illam esse adeo necessariam, vt sine ipsa, neque bene velle, neque rectè agere valeamus. *Si consenserit*, inquit, *etiam ipsam voluntatem, & actionem, diuinitus adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eámque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos suâ, non nostrâ iustitiâ iustos facit; vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est: nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.* Quod verò aliqui recentiores, & noui Dogmatistæ fingunt de quadruplici statu Pelagianæ hæresis, refutabitur inferiùs disp. 22. sect. 8. num. 75. & seqq. Certè D. Thomas non aliter eum refert, quàm modo supradicto, vt videre est quæst. 24. de lib. arb. art. 12. in corp. vbi post relatam hæresim Manichæorum, libertatem indifferentiæ negantium, sic ait: *E contrario surrexit Pelagius, qui volens liberum arbitrium defendere, gratiæ Dei aduersatus est, dicens, absque Dei gratia hominem peccatum euitare.* Et lib. 3. contra Gentes, cap. 155. *Per hoc*, inquit, *excluditur error Pelagianorum, qui dixerunt, quòd ad perseuerandum in bono, sufficit homini liberum arbitrium, nec ad hoc indiget auxilio gratiæ.*

Constat igitur ex dictis, quod probandum suscepimus, neque hæresim Pelagij in eo extitisse, quod assereret libertatem indifferentiæ manere in statu naturæ lapsæ: neque D. Augustinum ea de re cum illo contendisse: alioquin non dixisset, nihil cum illo sibi fore controuersiæ, dummodo admitteret gratiam esse necessariam ad bene operandum: adhuc enim grauis, & capitalis superfuisset circa existentiam, & modum agendi liberi arbitrij cum auxilio gratiæ, si, vt dicunt aduersarij, fons, & nidus, & caput hæresis Pelagianæ in eo extitisset. Quare vel hoc vno euidenter liquet eos calumniari Caluinistarum, & Lutheranorum more, & exemplo, quando cum illis dicunt libertatem indifferentiæ capitaliter aduersari doctrinæ Augustini, & accusant Pelagianismi Doctores Catholicos, ita eam tuentes, vt disertè profiteantur gratiam esse necessariam ad omne opus bonum pertinens ad salutem. Ita scilicet, vt, iuxta Concilia Tridentinum, Senonense, & Coloniense, & iuxta Augustini, omniúmque Patrum doctrinam, liberum arbitrium possit illi dissentire, si velit: & ita vitam, bonúmque sibi propositum amplectatur, vt possit mortem, & malum eligere, quemadmodum ipsa Scriptura disertè affirmat. 28.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta, quibus Noui Dogmatistæ contendunt sententiam Diui Augustini esse, quòd per peccatum Adæ perierit libertas indifferentiæ.

SVPEREST, vt respondeamus argumentis, quibus operosè Iansenius toto ferè lib. 3. de statu naturæ lapsæ, persuadere nititur D. Augustinum affirmasse libertatem indifferentiæ periisse per peccatum Adæ; adeóque homines in hoc statu illâ priuatos esse. 29.

Opponit igitur primò D. Augustinum docere plurimis in locis, arbitrium voluntatis post peccatum, ex libero factum esse peccati seruum, atque captiuum: in eáque captiuitate, & seruitute positum, non posse vllo modo suis viribus, id est, sine auxilio gratiæ à compedibus, 30. *Iansenius lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 5.*

quibus vinctum est, exui, vt respiret in libertatem. Ad quod probandum adducit aliquot eius testimonia ex lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia cap. 3. & 8. & lib. 3. ad Bonif. cap. 8. & lib. de spirit. & lit. cap. 30. & Enchirid. cap. 30. & libro 1. Operis imperfecti contra Iulianum, fol. 147. & 153. Eodem argumento vtuntur Lutherus in lib. de seruo arbitrio, & Caluinus lib. 2. Instit. cap. 2. aliique sectarij.

31. *Qua libertas per peccatum amissa?*

Cui respondeo, aliud esse libertatem à necessitate, oppositâ indifferentiæ, de qua nunc disputamus: & aliud, libertatem à seruitute, & captiuitate peccati, de qua loquitur D. Augustinus locis citatis. Et hanc quidem per peccatum originale fuisse perditam, verum est. *A quo enim quis deuictus est, huic seruus addictus est.* Neque possumus illam, nisi per Christi gratiam, recuperare, peccatique compedes, quibus ligamur, exuere: iuxta illud Christi: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Priorem verò remansisse, & exerceri in bonis, aut malis operibus moralibus, & imputabilibus, quæ in hoc statu naturæ lapsæ fiunt, docet fides Catholica, & omnibus sæculis credidit Ecclesia; idémque affirmat D. Augustinus pluribus locis; vt ostendimus sect. 2. & 3. Nec obest, quòd non possumus sine gratia vitare malum, & resistere motibus concupiscentiæ, & infirmitati ortæ ex peccato originali, aut facere bonum sicut oportet, vt ait idem Augustinus epist. 47. ad Valentinum, & Arausic. can. 7. qua de re dicemus inferiùs, cùm de necessitate gratiæ disputabitur. Nam, vt docet ipsemet aduersarius cap. 2. libri citati, indigentia auxilij non repugnat libertati indifferentiæ: non enim facit quò minùs, illo oblato, possimus agere, vel non agere, vt libuerit. Et Adam ipse in statu innocentiæ, Angelique in statu viæ, auxilio gratiæ indigebant ad faciendum bonum; qui tamen habebant plenam, & expeditam libertatem indifferentiæ. Liber enim est respectu actus alicuius boni, qui illum habet in sua potestate, vt fiat si voluerit, non fiat si noluerit: ita videlicet, vt hoc ab ipsius nutu pendeat, præsentibus auxiliis ad agendum necessariis. Sic homo sanos habens oculos, & lumen atque obiectum debitè præsens, liber est ad videndum; quamuis videre nequeat sine lumine, & sine speciebus, aut determinatione obiecti: quia videt, si oculos aperire voluerit; & non videt, si clausos tenuerit. Nunquam autem homo peccat culpabiliter, omittendo bonum, quod facere tenetur, aut faciendo malum, quod vitare iubetur, sine auxilio necessario ad bonum faciendum, vel ad malum vitandum, ita vt possit non peccare si velit: vt disertè affirmat Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 1. & 18. & libro 2. contra Faustum, cap. 5. & libro de duab. animab. cap. 11. & 12. & libro de vera relig. cap. 14. vbi tam notum hoc esse dicit, vt neque docti, neque indocti dissentiant. Plura alia eius testimonia, quibus disertissimè id affirmat, retulimus sect. cit. Quare non ita tenetur homo captiuus sub peccato, & concupiscentia, neque adeo subiacet eius motibus, vt non sit liber libertate indifferentiæ ad malum vitandum si velit, quotiescunque illud admittit culpabiliter. Sicut è contrario, quando bene, & laudabiliter operatur cum auxilio gratiæ, potest si velit, non operari; vt idem S. Doctor perspicuè affirmat lib. de spirit. & lit. cap. 34. & lib. de Actis cum Felice Manichæo, cap. 4. cuius vtriusque loci verba, aliáque plura eiusdem testimonia retulimus num. 13. & seqq.

Opponit 2. hominem per peccatum originale, subiectum esse dominatui concupiscentiæ, & tyrannidi diaboli captiuum eum tenentis, & regentis prout vult: vt probat ex epist. 89. Diui Augustini, & ex serm. 12. de verbis Apostoli cap. 1. & 2. & cap. 106. Enchiridij, & lib. 3. de libero arbit. cap. 10. aliisque pluribus locis. Eodémque argumento vsi sunt Caluinus, & Lutherus locis suprà citatis. 32. Iansen. ib. cap. 4.

Cui respondeo similiter, dominatum illum, & captiuitatem repugnare quidem incompatibiliter libertati oppositæ huiusmodi subiectioni, & seruituti: at non libertati indifferētiæ ad bene agendum laudabiliter, aut malè operandum culpabiliter, præsente auxilio necessario ad bonum faciendum, aut peccatum vitandum; quod auxilium nunquam deest quotiescunque homo peccat imputabiliter. Vt enim ait idem August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caueri potest?* & cap. 1. eiusdem libri: *Si naturâ*, inquit, *vel necessitate, motus iste existit, culpabilis esse nullo pacto potest.* Et lib. de vera relig. cap. 14. *Si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.* Dicitur autem homo existens in statu peccati, subiectus esse dominatui concupiscentiæ, non solùm quia motus illius rebelles, & importunos, ac vehementes patitur: sed quia frequenter illis obedit destitutus maioribus, & frequentioribus auxiliis gratiæ, quæ iustis, & Dei amicis, filiisque adoptiuis communicantur, ac debentur iure quodam connaturali ipsius gratiæ sanctificantis. Vt enim ait idem S. Doctor lib. 2. Operis imperfect. contra Iulian. fol. 449. *Ista concupiscentia, quæ non potest nisi esse in carne mortali, in eis regnat qui desideriis eius ad mala perpetranda consentiunt, & ab ea, quocunque illexerit, victi pertrahuntur.* Eadémque de causa dicuntur esse sub potestate, & tyrannide diaboli, & regi ad eius arbitrium; quia ab illo regi se permittunt, eiúsque tentationibus passim turpiter cedunt, destituti speciali protectione Dei, dæmonem cohibentis, & tentationes auertentis; atque etiam maiore Dei gratiâ iustorum propriâ, quæ quando adest, magis potentem, & expeditam reddit voluntatem ad resistendum: eóque sensu facit magis liberam. Quo pacto D. Augustinus sæpiùs affirmat arbitrium per gratiam fieri liberum ad bene agendum, & declinandum à malo, ac sine illa non esse liberum: in eo scilicet gradu libertatis: quia non ita expeditum. Vt cùm sic ait epist. 107. ad Vitalem; *Responde quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberum habebamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum. Vnde nos, si quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit: ipse vtique illud liberum fecit.*

33. *Dominatus concupiscentia tollitne libertatem?*

In quo ille consistit.

Opponit 3. Augustinum disertè affirmare amissum fuisse per peccatum primi parentis liberum arbitrium, lib. de perfect. iustitiæ cap. 4. vbi sic ait: *Victâ vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura.* Et in Enchirid. capite 30. *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum, &c.* Et in epist. ad Vitalem, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Quibus similia tradit lib. 14. 34. Iansen. ib. cap. 5.

de Ciuit. cap. 11. & libro 1. Operis imperf. contra Iulian. fol. 117. aliísque locis sæpius affirmat liberum arbitrium peccato Adæ perditum, non posse nisi per Christi gratiam recuperari.

35. *Quo sensu periit libertas per peccatum?* Eodem argumento vtuntur hæresiarchæ suprà citati, de quo plura dicemus alio loco. Nunc breuiter respondeo, eundem Augustinum pluribus aliis locis, disertè affirmare non periisse per peccatum primi parentis liberum arbitrium. Vt lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. *Quis nostrûm*, inquit, *dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et lib. 2. cap. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus.* Et epist. 47. ad Valentinum, *Fides Catholica*, inquit, *neque liberum arbitrium negat, siue in vitam bonam, siue in malam. Neque tantum ei tribuit, vt sine gratia valeat aliquid.* Et lib. 2. de nupt. & concupisc. cap. 3. obiicientibus Pelagianis negari à se liberum arbitrium, ita respondet: *Liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem vtrique dicimus. Non hinc estis Celestiani, & Pelagiani.* Vbi cùm dicat se cum illis conuenire in asserendo libero arbitrio, manifestè dicit se non negare arbitrium liberum à necessitate, de quo loquebantur Pelagiani. Alioqui non veriùs diceret se cum illis consentire in asserendo libero arbitrio post lapsum Adæ; quàm dicere possit Iansenius doctrinam suam eadem de re, cum nostra consentire. Ibidémque, & pluribus aliis locis affirmat Augustinus, nullam sibi litem fore cum Pelagio, modò fateatur gratiam Christi necessariam esse ad bene operandum, & voluntatem nostram in bonis operibus debere præueniri gratiæ adiutorio.

36. *D. Augustini loca in specie pugnantia conciliantur.* Quare quod ait locis in obiectione citatis, amissum fuisse per peccatum Adæ liberum arbitrium, non est de illo intelligendum prout dicitur liberum à necessitate opposita indifferentiæ: alioquin sibi apertè contradiceret: sed prout dicitur liberum à seruitute; vel etiam secundùm illam perfectionem libertatis, quam habebat in statu innocentiæ ad operandum facillimè quodcunque bonum, & abstinendum à malo, instructum tot, & tantis gratiæ præsidiis, nullisque concupiscentiæ illecebris retardatum à bono, vel impulsum ad malum. Sic enim semetipsum exponit pluribus locis: vt quando libro 1. ad Bonifacium post verba superiùs relata. *Quis nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum eius arbitrium?* addit: *Libertas quidem periit per peccatum: sed illa, quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana diuinâ indiget gratia: dicente Domino; Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Vtique liberi ad bene iustéque viuendum: expediti videlicet ab impedimentis, & ope gratiæ potenter adiuti. Et citato cap. 30. Enchiridij, libertatem, de qua loquitur, quámve peccato primi hominis amissam esse dicit, opponit seruituti peccati: cùmque ibidem dicit, Primum hominem malè vtentem libero arbitrio, & se, & ipsum perdidisse: satis apertè significat, non perdidisse liberum arbitrium, quoad substantiam, sed quoad modum illum accidentalem perfectionis, quem habebat in statu integritatis, & innocentiæ: sicut primus homo non perdidit seipsum quoad substantiam, sed quoad dona accidentalia, & gratuita, quæ habebat in illo statu, & quibus propter peccatum spoliatus fuit. Et lib. de Correptione & gratia cap. 12. *Nunc*, inquit, *posteaquam illa magna, peccati merito, est amissa libertas,* (quanta scilicet in Adamo ante peccatum extitit) *etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.* Eodémque sensu dicit lib. 14. de Ciuit. cap. 11. *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo: quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Quibus similia sunt, quæ refert Iansenius ex lib. 1. Operis imperfecti contra Iulianum, & aliis Augustini operibus.

Confirmatur: quia idem S. Doctor libro 14. de Ciuit. cap. 15. affirmat Adamum peccando affectasse libertatem, quam perdidit. Non affectauit autem libertatem indifferentiæ, quam iam habebat, vt fatetur aduersarius: sed libertatem à seruitute, nolens subesse Deo: & illam perdidit, quia peccati, & diaboli seruus effectus est. Non video autem quo sensu verum esse possit, iuxta doctrinam huius auctoris, id quod ipse affirmat, & Augustino tribuit, libertatem indifferentiæ amissam per peccatum Adæ, recuperari per gratiam Christi. Quomodo enim recuperatur per Christi gratiam, si (quemadmodum ipse affirmat) gratia Christi necessitatem imponit ad bene operandum quotiescunque adest: & quoties abest necessitamur pondere concupiscentiæ ad malè operandum? Quomodo, inquam, nos restituit Christus in libertatem indifferentiæ, si vel nos gratiâ suâ præueniens, necessitat ad bene operandum: vel non præueniens, relinquit subiectos necessitati malè operandi? Enimuerò necessitati antecedenti gratiæ subiicere, aut subiectos necessitati concupiscentiæ relinquere, non est libertatem indifferentiæ necessitatis expertem restituere. Sed credi vix potest quàm malè sibi cohæreat doctrina huius auctoris; Philosophiæ, & Theologiæ destituti subsidio; quámque frequenter, & apertè sibi contradicat; vt pluribus locis monere cogimur. 37. *August. lib. 14. de Ciu. cap. 15.* *Aduersarius sibi contradicit.*

SECTIO V.

Diluuntur aliæ tres obiectiones Iansenij.

38. *Iansen. lib. cap. 6.* OPPONIT 4. ex doctrina D. Augustini quadruplicem esse statum hominis in particulari, atque etiam ipsius humani generis. Ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace. In quorum primo peccatum ignoratur. In secundo cognoscitur quidem, sed vincit per concupiscentiam. In tertio, resistitur illi, & vincitur concupiscentia per gratiam. In quarto, ne quidem est pugna vlla concupiscentiæ, sed plenissima pax, quâ scilicet in cælo perfruemur. Et in duobus primis statibus dicit non esse libertatem ad bonum faciendum, resistendúmque concupiscentiæ, quia non adiuuat gratia. *Quatuor istos hominis gradus distinguamus*, inquit in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Rom. *Ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis. Sub lege trahimur ab ea. Sub gratia nec sequimur eam, nec tra-* *Quatuor status hominis, & naturæ humanæ.*

himur ab ea. In pace nulla est concupiscentia carnis. Et lib. 83. quæst. q. 66. præmissâ eâdem distinctione quatuor graduum, siue actionum hominis, sic illam exponit: *Prima est actio ante legem. Secunda sub lege. Tertia sub gratia. Quarta in pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est, cùm iam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine victi peccamus. Quoniam nos nondum adiuuat fides. Tertia actio est, quando iam firmissimè credimus Liberatori nostro: nec meritis nostris aliquid tribuimus: sed eius misericordiam diligendo, iam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cùm ad peccatum nos ducere nititur, &c. In quarta non pugnamus, sed perfectâ, & æternâ pace requiescimus.* Et in Enchirid. cap. 118. ait, non singulis tantùm hominibus, sed ipsi quoque humano generi, quadruplicem hunc statum conuenire. Quippe quod fuit primò ante legem. Tum sub lege, quæ per Moysen data est. Deinde sub gratia, quæ reuelata est per primum Mediatoris aduentum. In pace autem erit in cælo. Quibus, & aliis similibus locis Augustini relatis, addit Iansenius, sensum ipsius esse, ante gratiam victricem cupiditatum, hoc est, ante infusam per Spiritum Sanctum caritatem; multóque magis ante fidem, nullam superesse in voluntate libertatem ad bonum, nullam potestatem, vt resistat concupiscentiarum carnalium desideriis: sed illis pleno iure dominantibus, miserabili seruitute subiacere captiuam.

39. *Arbitrium fuit liberum sub lege.* At hunc sensum ex suo cerebro comminiscitur Iansenius. Neque enim ille traditur ab Augustino, locis ex eo relatis; vt ex ipsa verborum inspectione manifestum est: neque eius doctrinæ consentaneus esse potest: quippe qui, vt suprà vidimus, libro de gratia, & lib. arbit. cap. 2. colligit homines habere liberum arbitrium ad faciendum bonum, & vitandum malum, ex eo quòd dentur illis præcepta bene agendi, & à malo declinandi: *Nam ipsa,* inquit, *diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perueniret.* Et relatis pluribus ex Scriptura, veteris etiam Testamenti præceptis; addit: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Et paulò pòst: *Quomodo,* inquit, *iubet Deus, si non est liberum arbitrium?* Et in fine ita concludit: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli illud: & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum, in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium:* Ergo ex Augustini doctrina, falsum est, nullum esse, aut fuisse sub lege liberum arbitrium ad bene agendum, & resistendum concupiscentiis: quandoquidem eo tempore tot sunt, & erant data hominibus à Deo præcepta. Quin etiam, quia ante legem Mosaicam suberant homines naturalibus præceptis; dicendum est, ne tunc quidem defuisse liberum arbitrium ad bene, vel malè agendum: iuxta regulam traditam à Diuo Augustino.

40. *Ante legem fuit aliqua notitia boni & mali, & gratia auxilians.* Falsò quoque supponit aduersarius, in statu ante legem, nullam fuisse, aut esse boni, vel mali cognitionem, sed omnimodam eius ignorantiam: & tum in illo, tum etiam in statu sub lege omnimodam esse, aut fuisse carentiam auxiliorum gratiæ ad bene viuendum, & resistendum concupiscentiis. Nam cùm idem affirmet homines tunc peccasse culpabiliter, & quidem multò magis, quàm sub lege gratiæ: non defuit illis auxilium necessarium ad non peccandum: alioquin ex certissima doctrina eiusdem S. Doctoris non peccassent culpabiliter, & imputabiliter: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest?* inquit lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. Et aliquantò pòst: *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras: sed quod negligis quærere quod ignoras. Neque illud, quod vulnerata membra non colligis,* (id est, concupiscentiæ morbum, & vulnus naturæ inflictum non tollis, quod non potes) *sed quod volentem sanare contemnis,* (id est, volentem iuuare ad resistendum) *ista tua propria peccata sunt.*

Sensus ergo D. Augustini locis citatis in obiectione, iste est: quòd in statu ante legem, quando minor est cognitio peccati, id est, minùs generalis, distincta, & perfecta: & in statu sub lege, quando minùs est gratiæ ad resistendum motibus concupiscentiæ; ipsa magis dominatur, & quò vult sponte ducit, aut fortiter trahit: quia vel non ei resistitur, defectu cognitionis mali: vel si resistitur, minùs tamen efficaciter, propter infirmitatem naturæ, præsertim accedente malâ consuetudine, & non affluente tantâ copiâ, & efficaciâ auxiliorum, quanta datur existentibus in statu gratiæ, qui eius ope liberantur ab hoc dominatu, & respirant in libertatem filiorum Dei. Quod autem malè supponit aduersarius, obitérque inculcat hoc loco, defuisse auxilium gratiæ sufficiens ad non peccandum, in statu ante legem, & sub lege; atque nunc etiam deesse hominibus in simili statu versantibus, refutabitur inferiùs disput. 21. & 24. vbi hac de re differendi ampliorem, & opportuniorem occasionem dabit. 41. *Concupiscentia tamen magis tunc dominabatur.*

Opponit 5. Ex ipsis Christianæ fidei principiis, & testimoniis D. Augustini passim obuiis constare, gratiam liberantem esse hoc ipsum, quod confert arbitrio libertatem ad bonum: & consequenter fieri nullo modo posse, vt arbitrium in bono liberum sit, antequam per gratiam liberetur: toto videlicet illo tempore, quo gratia liberante, præsertim ipsâ fide gratiam liberatricem impetrante caruit. Vnde præclarè August. lib. de spirit. & lit. c. 30. *Vt quid ergo miseri homines, aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur; aut de suis viribus, si iam liberati sunt? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij vtique libertatem sonare. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo serui sunt peccati,* (id est, concupiscentiæ dominantis) *quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Si autem liberati sunt, quid se iactant velut de opere proprio, & gloriantur, quasi non acceperint?* Fit autem hæc liberatio, quando voluntas, cui antea dominabatur concupiscentia, iam è contrario eam sibi subiicit, illique dominatur adiuuata Dei gratiâ; & maiori delectatione iustitiæ, delectationem vincit concupiscentiæ: vt idem S. Doctor affirmat lib. 1. ad Bonif. c. 10. & lib. 1. de nupt. & conc. c. 12. Antè verò quàm liberetur per Dei gratiam, nullas habet vires ad faciendum bonum, & resistendum concupiscentiæ: ac proinde non est ad hoc liberum. Nam iuxta D. Augustini definitionem, *liberum est, quod habet actum in sua potestate.* 42. Iansen. ibi. cap. 7.

Respondeo libertatem arbitrij quam tuemur, 43.

Simúsne liberi sine gratia? non in eo consistere, quòd possit sine auxilio gratiæ velle bonum sicut oportet, aut vincere concupiscentias: sed in eo quòd positis omnibus ad agendum necessariis, & prærequisitis, possit agere, & non agere, vt libuerit. Sicut habere potentiam videndi, non est posse videre sine lumine: sed habere oculos, quibus posito lumine, & aliis adiumentis necessariis, videamus. Contendo autem, & constanter affirmo auxilium gratiæ necessarium non deesse in quocunque statu, siue ante legem, siue sub lege, siue sub gratia, quotiescunque homo culpabiliter peccat non faciendo bonum, quod facere tenetur, aut cedendo motibus inordinatis concupiscentiæ: cùm alioquin, iuxta doctrinam certissimam ipsiusmet Augustini, non possit iure imputari, quod ex necessitate fit: id est, sine potentia ad oppositum: *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur, &c. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem. Caueri igitur potest,* inquit lib. 3. de lib. arb. cap. 18. & lib. 83. quæst. q. 24. *Nec peccatum,* inquit, *nec rectè factum imputari cuipiam iustè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur peccatum, & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* Quoniam autem liberum arbitrium non est se solo potens ad faciendum bonum, sicut oportet, & impeditur à passionibus, & concupiscentiis immodicè æstuantibus: dicitur liberari, magísque liberum fieri, quando per gratiam accipit vim completam ad faciendum bonum: vel eius ope frænatur concupiscentia, ne adeo sæuiat, & tam potenter ad peccandum trahat: vel iuuatur fortissimè voluntas, vt resistat, & vincat.

44. *Gratia dupliciter liberat.* Dupliciter enim dicimur liberari per gratiam. Primò, quatenus per eam transferimur de statu captiuitatis diaboli, & peccati, ad statum filiorum Dei. Secundò, quatenus eius auxilio iuuamur ad faciendum bonum, quod sine illa facere non possumus; & ad vincendas tentationes, quibus alioqui succumberemus: sicut passim succumbunt, qui versantur in statu peccati, destituti auxiliis gratiæ maioribus, & abundantioribus, qualia iustis conferuntur intuitu, & exigentiâ gratiæ iustificantis, vt paulò antè diximus. Hunc duplicem modum liberationis expressit D. Aug. lib. 2. Operis imperf. contra Iulian. fol. 123. his verbis: *Alia est remissio peccatorum in eis, quæ malè facta sunt: alia caritas, quæ facit liberum ad ea quæ bene facienda sunt. Vtroque modo liberat Christus: quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit caritatem.*

45. *Iansen. ib. cap. 8.* Opponit 6. conflictum Iuliani, aliorúmque Pelagianorum cum Augustino, in eo fuisse, quòd illi vellent in hoc sitam esse arbitrij libertatem, vt in vtramque partem contrarietatis, bonum videlicet, ac malum, se possit arbitrium inflectere: Augustinus è contrario mordicus hoc ipsum negaret, confidenter asserens, & ex Catholicæ fidei principiis docens, arbitrium esse liberum, etiamsi non possit facere, eligere, aut velle, nisi illorum alterum: hoc est, siue bonum, quod in Deo, Angelis, & Beatis hominibus perspicuum esse testatur: siue solum malum, quod eadem fiduciâ in dæmonibus, & infidelibus, & omnibus sub lege constitutis, hoc est, nondum arbitrium à dominante peccato, seu concupiscentia liberatum habentibus, velut manifestum, exploratúmque ex Christianæ regulæ veritate defendit.

Respondeo, ex conflictu D. Augustini cum Pelagianis euidenter potiùs colligi non negasse ipsum, remanere libertatem indifferentiæ, & in ea consistere liberum arbitrium: vt patet primò, ex eo quod affirmat se cum illis conuenire in eo quòd assererent habere nos liberum arbitrium. Nam, repellens calumniam Pelagianorum illi falsò tribuentium, quòd cum Manichæo libertatem arbitrij negaret: sic ait lib. 2. de nupt. & conc. c. 3. *Liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse omnium conditorem vtrique dicimus. Non hinc estis Celestiani, & Pelagiani.* Cùm autem Pelagiani loquerentur de libero à necessitate, illúdque nomine liberi arbitrij intelligerẽt, vt certissimum est, sæpiúsque agnoscit aduersarius: si Augustinus illud negasset, tantúmque asseruisset esse liberum à coactione non verè affirmaret, *Liberum arbitrium vtrique dicimus, &c.* Sed è contrario dicere debuisset: Nos agnoscimus tantùm esse liberum à coactione, & inde sumus Catholici. Vos dicitis esse indifferens, liberúmque à necessitate: & hinc estis Celestiani, & Pelagiani. Certè vt cum Pelagianis se conuenire in asserendo libero arbitrio verè pronunciaret Augustinus, debebat cum illis consentire, non de nomine solo liberi arbitrij, hoc est, eodem nomine cum illis vti: sed re significata. Dogmata enim Catholica, vel hæretica, non in nominibus solùm, sed in rebus per ea significatis consistunt. 46. *De quo cõtenderint Aug. & Pelag. contra libertatem.*

Patet secundò, ex eo quòd Diuus Augustinus cum Pelagianis disputans de libertate, nunquam ab eis postulat, vt fateantur extinctam esse per peccatum libertatem indifferentiæ: sed duntaxat, vt fateantur gratiam Christi ad singula bona opera necessariam esse, eámque sine merito nostro dari: quod si faciant, nullam sibi cum eis litem ampliùs fore dicit. Sufficiet ad hoc probandum aliquot eius loca illustria ex innumeris proferre. Sic igitur habet libro de gratia Christi c. 47. *Si consenserit Pelagius etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, &c. nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.* Et cap. 29. eiusdem libri, relatis Pelagij verbis, quibus dixerat suppeditari nobis à Deo auxilia gratiæ, vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam: excipit Augustinus; *Tolle faciliùs, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, &c. Cùm autem, faciliùs, additur, adimpletio boni operis, etiam sine gratia Dei posse fieri, tacita significatione suggeritur.* Sanè igitur, & Catholicè sentiebat Pelagius, dicens homines per arbitrium liberum libertate indifferentiæ, de quo sine dubio loquebatur, facere quæ iubentur: dummodo fateretur gratiam esse necessariam non vt faciliùs tantùm, sed vt simpliciter fiant. Et lib. 1. Operis imperf. fol. 118. postquam retulit definitionem Iuliani, dicentis, *Libertatem arbitrij, quâ à Deo emancipatus est homo, in admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistere, &c.* Non reprehendit D. Augustinus quòd dicat libertatem hominis hac in vita consistere in eiusmodi indifferentiâ, seu potestate peccandi, vel non peccandi: sed tantùm reprehendit hæc verba, *quâ à Deo* 47. *Ostenditur D. Augustinum non admisisse libertatem indifferentiæ.*

Deo emancipatus est homo; exigítque vt fateatur liberum arbitrium non concipere de suo iustitiam, sed egere gratiæ diuinæ auxilio.

48. *Confirmatur.* Idem tertiò patet ex eo, quòd Augustino cum Pelagianis nunquam fuit controuersia de libertatis indifferentia: sed de eo quòd Pelagius assereret hominem viribus naturalibus posse tam bonum quàm malum amplecti. Contrà verò, contenderet Augustinus hominis lapsi voluntatem sibi quidem sufficere ad malum: ad bonum autem indigere gratiæ propriè dictæ auxilio. Sic enim ipsemet Augustinus statum controuersiæ, & hæresim Pelagij proponit epistol. 94. *Noua quadam hæresis*, inquit, *inimica gratiæ Christi, contra Ecclesiam Christi conatur exurgere: sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est: hominum scilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere potestatis, vt hoc solum ad Dei gratiam pertinere contendant, quod cum libero arbitrio, & non peccandi possibilitate creati sumus, & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Ceterùm ad eadem mandata seruanda, & implenda, nullo diuino adiutorio nos egere.* Similia habet libro secundo de peccator. merito & remiss. capite secundo. Similíque modo hæresim Pelagij referunt Patres Concilij Africani in epistola ad Innocentium, quæ est 90. apud Augustinum, & Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, præfixâ Dialogis contra Pelagianos, aliíque Patres veteres. De libertate verò Dei, Angelorum, Beatorum, & dæmonum, agemus paulò pòst.

SECTIO VI.

Respondetur aliis argumentis, quibus contendunt aduersarij non solùm periisse libertatem ad agendum bonum: sed etiam abstinendi à peccato: & loco libertatis abstinendi à peccato, inductam esse peccandi necessitatem.

49. *Definitio peccati tradita ab Augustino.* AD probandum quòd per peccatum originale non modò periit libertas bene agendi, sed etiam voluntas in peccandi necessitatem viribus suis ineluctabilem præcipitata sit: quódque auxilio gratiæ destituta peccet necessariò, tametsi culpabiliter: opponit 7. Iansenius cap. 9. eiusdem libri tertij de statu naturæ lapsæ, idcirco D. Augustinum lib. 1. Operis imperfecti, fol. 37. & 38. & lib. 1. Retract. cap. 15. restrinxisse ad peccatum Adami definitionem illam à se, antea traditam in lib. de duab. animab. cap. 11. *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere*: quâ definitione Iulianus contra ipsum vtebatur, vt ex ea probaret non peccare homines sine libertate, seu potestate abstinendi à malo. Illam enim definitionem dicit Augustinus intelligendam esse de peccato primi parentis, non de aliis deinceps factis, quæ ita sunt peccata, vt simul sint pœna peccati. Nimirum, quia, vt ista committantur, non est necessaria libertas ab illis abstinendi: quæ reipsa deest omnibus illis, qui peccant, & quotiescunque peccant in hoc statu naturæ lapsæ: Necessitantur enim pondere concupiscentiæ, quotiescunque gratia resistendi non suppetit: nunquam autem suppetit quando peccatur: nam quotiescunque suppetit, necessitat ad resistendum. *Hic peccatum definitum est* (inquit loco priùs citato) *quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine ante omnes homines, malum.* Et inferiùs fol. 154. *Ista definitio*, inquit, *peccati eius est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati: quia periit libertas non peccandi: à quo malo nos liberat ille, cui non tantùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra: verùm etiam, Et ne nos inferas in tentationem: sed libera nos à malo.* Idémque docet lib. 1. Retract. cap. 15. verbis à Iansenio relatis sequenti cap. 10.

Eodem argumento vtitur Caluinus libro secundo Institut. cap. 3. num. 5. & libro 3. contra Pighium: de quo breuiter dico cum Ricardo libro secundo defensionis capite secundo, sect. 2. §. 3. Augustinum suam illam definitionem restrinxisse propter peccatum originale: quia Pelagiani ex illa inferebant paruulos, cùm propriâ voluntate non peccassent, non posse dici peccato originali esse infectos. Sic enim eum alloquitur Iulianus fol. 36. libro 1. Operis imperfecti: *In eo libro cui titulus est, De duabus animabus ita loqueris: Peccatum est voluntas amittendi, vel retinendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere.* Et hanc definitionem laudans addit: *O lucens aurum in stercore?* Quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset? Tum fol. 43. *Ostende ergo*, inquit, *hæc duo in paruulis posse constare, si nullum est sine voluntate peccatum: si nulla voluntas, vbi non est plena libertas, &c.* 50. *Cur, & quomodo ab illo restrictal*

Cui quæstioni vt satisfaciat Augustinus, dicit fol. quadragesimo, hæc tria esse discernenda, sciendúmque aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud vtrumque: & illâ quidem definitione peccatum esse definitum, non pœnam peccati, neque vtrumque. *Tria ista discernas*, inquit, *& scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud vtrumque. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, vbi voluntas est agendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non pœna peccati, non vtrumque.*

Nomine autem *peccati*, intelligit Augustinus ea, quæ libera voluntate malè fiunt. Cuiusmodi præcipuè fuit peccatum Adami: sed eiusmodi sunt etiam quæcunque culpabiliter faciunt homines, & à quibus liberum illis est abstinere: vt patet ex verbis, quæ subiungit ibidem Augustinus: *Habent autem*, inquit, *tria ista genera etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine vllo modo quæstionis occurrit. Multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo conditus erat rectus, nullo prorsus vitio deprauatus, adstabat.* Quare manifestè falsum est, quod ait Iansenius, Diuum Augustinum definitionem suam ad solum primum peccatum Adami restrinxisse: cùm expressè dicat, illud quidem præcipuè fuisse peccatum, quale à se definitur: sed aliis quoque multis definitionem eandem conuenire; quippe à quibus etiam liberum est abstinere: & pec- 51. *Quid intelligat Augustinus per peccatum?*

catum, quod ibi definitur non esse vnicum indiuiduum, sed genus multas sub se continens species. Nomine verò *pœna peccati,* intelligit ea,

52. *Quid per pœnam peccati?*

quæ purè habent rationem pœnæ, seu mali propter peccatum illati: vt mors, cruciatus, bonorum spoliatio, & alia eiusmodi supplicia, quæ nobis non agentibus, sed patientibus aliunde inferuntur. *Secundi autem generis*, inquit, *vbi tantummodò est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cùm pro suo scelere qui peccauit occiditur.*

53. *Quid per peccatum simul, & pœnam peccati?*

Per illud denique quod est simul *peccatum, & pœna peccati*, intelligit motus concupiscentiæ inuoluntarios, & peccatum originale. *Tertium verò genus*, inquit, *vbi peccatum ipsum est, & pœna peccati, potest intelligi in eo, qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago.* Et paulò pòst: *Adhuc genus tertium, vbi sic peccatum est, vt ipsum sit, & pœna peccati; quod inest quidem nascentibus: origo tamen etiam huius peccati descendit à voluntate peccantis: fuit enim Adam: & in illo fuimus omnes. Periit Adam: & in illo omnes perierunt.* Quasi dicat, neque peccatum originale habiturum esse veram, & propriam rationem peccati, nisi esset voluntarium aliquo modo, nempe voluntate capitis, seu primi parentis, in qua nostræ omnium voluntates moraliter continebantur. Qua etiam de causa motus inuoluntarij concupiscentiæ non sunt peccata nisi materialiter: sed ita nominantur, quia sunt inordinati: atque etiam quia sunt orti à peccato, & ad peccandum inducunt. De illis quoque intelligendum est, quod dicit Augustinus loco postremò citato, periisse libertatem non peccandi: id est, non esse nobis liberum impedire ne motus illi insurgant: ac ne quidem cohibere semper; quia interdum voluntati, licèt reluctanti quoad potest, non obtemperant.

54. Iansenius lib. 3. de statu naturæ lapsæ c. 11.

Opponit 8. Cùm sæpius Pelagiani constanter dicerent, necessitatem peccandi repugnare capitaliter libertati: Augustinum è contrariò sæpius affirmasse libertatem arbitrij, non solùm cum necessitate solius boni faciendi posse consistere: sed etiam cum necessitate solius mali: imò ex necessitate boni saluam relinquente libertatem, probare eam etiam nullâ mali necessitate perimi. Sic enim argumentatur contra Iulianum, lib. 1. Operis imperfecti, fol. 150. *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum:* sic enim Iulianus libertatem definierat. *Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle. De quo etiam ipse dixisti, Deus nisi iustus esse non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem? An potiùs intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iniustus non potest esse?*

55. *Libertas nō est generatim potestas bene, & male agendi.*

Respondeo, meritò Iulianum, aliósque Pelagianos reprehendi à D. Augustino, quòd liberum arbitrium generatim definirent per potestatem bene, & malè agendi. Quia libertas generaliter sumpta, prout abstrahit à Deo, & à creaturis, & à Beatis, vel à viatoribus; non id postulat: sed sufficit indifferentia ad agendum hoc, aut illud bonum, vel ad faciendum, aut omittendum bonum non necessarium moraliter, id est, quod sine indecentia omitti potest. Cuiusmodi libertas est in Deo, & in Angelis, hominibúsque beatis, malè agendi incapacibus, & beatam illam iustitiæ necessitatem habentibus. Sufficit etiam libertas abstinendi à malo, quod fit: vt in dæmonibus, qui quotiescunque peccant culpabiliter, possent si vellent abstinere ab hoc opere malo, in quo peccant: licèt non possint exercere vllum opus omni ex parte bonum, vt sentiunt plerique Theologorum. At neque Deus, neque Angeli, & homines beati, liberi sunt circa id à quo non possunt abstinere. Deus, inquam, & Beati non sunt liberi ad malè agendum: neque ad volendum illud bonum, quod volunt ex necessitate: sed tantùm circa ea, quæ sic volunt, aut nolunt, vt possint non velle, aut non nolle. Nam, vt rectè ait Diuus Thomas 1. parte, quæstione decima-nona, a. 10. c. & quæstione 41. articulo secundo ad tertium. Deus non est liber ad amandum seipsum, sed ad mundum creandum, & ad alia, quæ extra se vult, à quibus volendis abstinere potuit. Dæmones quoque non sunt liberi ad faciendum opus vndequaque bonum: supposità illâ sententiâ Theologorum, quòd nequeant, propter obstinationem in malo, vllum actum veræ virtutis exercere: sed tamen possunt abstinere, si velint, ab hoc, & illo opere malo, quod culpabiliter faciunt.

Quæ autem subiungit Iansenius eodem cap. 11. & toto cap. 12. de necessitate peccandi propter ignorantiam, & concupiscentiam, orta ex peccato primi parentis, soluta vide apud Antonium Ricardum, lib. 2. disp. de lib. arbit. cap. 2. sect. 2. §. 5. vbi rectè ostendit Augustinum, quando dicit inductam esse per peccatum Adami necessitatem peccandi, & peccata cum huiusmodi necessitate facta, esse nihilominus imputabilia; atque à Deo imputari, eorúmque remissionem ab ipso peti suppliciter debere: necessitatem sumere, non pro physica, sed pro morali, seu pro magna difficultate vitandi peccata, quâ fit, vt sæpe labamur culpabiliter. Nam quòd ea, quæ fiunt ex simplici necessitate, seu physica impotentia ad oppositum, non sint imputabilia, docet apertissimè locis suprà relatis num. 13. & speciatim lib. 3. de lib. arb. cap. 18. vbi conquerentibus de necessitate peccandi orta ex ignorantia, & ex concupiscentia; dicit non illis imputari ad culpam, quod inuiti ignorant, aut facere nequeunt: sed quod negligunt quærere id quod ignorant: vel volentem sanare contemnunt, id est iuuare volentem, gratiâque suâ munire ad resistendum motibus concupiscentiæ. 56. *Quo sensu dicat Augustinus, quæ fiunt ex necessitate concupis. esse peccata?*

Cùm autem ait lib. de perfect. iustitiæ respons. 9. ex libero Adami peccato subsecutam esse pœnalem vitiositatem, quæ ex libertate fecit necessitatem. Et capite seq. addit, *Quia peccauit voluntas, secuta est peccantem, peccatum habendi dura necessitas.* Ac denique in libro contra Fortunatum Manichæum disputatione secunda dicit, postquam peccauit Adam libera voluntate, nos qui ab eius stirpe descendimus, fuisse in necessitatem peccandi præcipitatos. His, inquam, locis, & similibus loquitur de illa morali necessitate, seu magna difficultate abstinendi à peccato, sempérque, & constanter resistendi motibus concupiscentiæ, & peccandi occasionibus tam frequentibus, & importunis, támque vehementer ad peccandum inducentibus, ex quo fit, vt non diu ab omni peccato abstineamus; indéque oritur moralis quædam necessitas contin- 57.

gentiæ, qua dicitur, necessarium esse vt eueniat id quod frequenter euenit. Quo sensu Christus aiebat Matth. 16. vers. 7. *Necesse est vt veniant scandala, &c.*

Vel etiam loquitur interdum Augustinus de physica necessitate subiacendi peccato originali, & patiendi motus inuoluntarios concupiscentiæ, amisso dono integritatis, & statu innocentiæ propter peccatum Adæ. Qui motus licèt inuoluntarij & inculpabiles, vocantur *peccata* ab Apostolo Rom. septimo, tum quia sunt inordinati, adeóque peccata materialiter: tum etiam quia sunt orti ex peccato Adæ, & ad peccandum inclinant, ideóque vocantur peccata metonymicè, quia sunt effectus, & causa peccati, vt ait Tridentinum sessione quinta can. 5. post Augustinum libro primo contra duas epistolas Pelag. capite decimo-tertio, & libro primo de nuptiis, & concupiscentia capite vicesimo tertio, aliisque locis. Porrò tam disertè, & expressè docet Augustinus loco postremùm citato in obiectione, non peccari culpabiliter sine libertate indifferentiæ, seu potentia ad oppositum, vt non nisi mala fide potuerit hoc dissimulari. Ibidémque necessitatem illam ortam ex peccato Adæ comparat malæ consuetudini, quæ partim inducit physicam necessitatem sæpè erumpendi in motus inuoluntarios, & indeliberatos: partim etiam moralem, id est, magnam difficultatem non consentiendi liberè, in id, ad quod tam frequenter vehementérque inclinat, licèt non desit potestas physica resistendi quoties illi consentitur culpabiliter.

58. Iansen. ib. cap. 15. & seqq.

Opponit nonò, legem non sufficere ad faciendum bonum, quod præcipit; vel ad vitandum malum, quod prohibet; nisi adiuuet gratia, sine qua mera sit peccandi necessitas: ita vt existentes sub lege tantùm, vel non certent cum concupiscentiis; vel si certent, succumbant: aut si vincunt interdum, non id faciant, nisi aliquâ aliâ terrenâ dominante concupiscentiâ: nimirum vel superbiâ in animo, vel timore carnali. Et nullum opus esse bonum, nisi fiat ex amore iustitiæ, non ex timore pœnæ, aut alio motiuo: id est, vt addit capite decimo septimo ex dilectione Dei, velut vltimi finis, qui in omni opere moraliter bono dominari debet. Nam omnis amor cuiuscunque creaturæ, & mundi, & cupiditatis, vitiosus est. Et, Non datur medium inter caritatem, & culpabilem cupiditatem. Et quoniam vitiosus ille amor in omnibus operibus infidelium principatum tenet: hinc fieri quòd omnia opera infidelium sint peccata; quódque sine fide, à qua incipit gratia, nullum opus moraliter bonum fieri possit. *Omne* enim *quod non est ex fide peccatum est*, vt ait Apostolus Rom. 14. Denique homines nihil habere à se nisi mendacium, & peccatum, iuxta doctrinam Diui Augustini, & Concilij Arausicani. In quibus omnibus probandis reliquam partem libri tertij de statu naturæ lapsæ, & totum librum quartum insumit.

59. *Quo sensu lex non dabat gratiā?*

Respondeo primò, legem quidem nudè sumptam quoad præcepta, & prohibitiones, non dare vi sua gratiam faciendi bonum, & resistendi malo: sed tamen existentibus sub lege non defuisse, aut deesse gratiam necessariam ad faciendum bonum, quod culpabiliter omittunt: aut vitandum malum; in quod imputabiliter consentiunt, vt fusiùs ostendemus disputatione vicesima prima, & vicesima quarta, vbi testimonia Augustini, quibus aduersarius abutitur, exponemus: & ex eius doctrina iam suprà id ostendimus.

Secundò, erroneum esse dicere nullum esse opus bonum, quod fiat ex timore pœnæ, vel alio quocumque motiuo, sine dilectione Dei tanquam vltimi finis. Id enim repugnat pluribus Scripturæ locis alia bona opera laudantibus, & commendantibus: & Sanctis Patribus, ac Tridentino sessione decima-quarta, capite quarto, definienti attritionem conceptam ex motiuo pœnarum, aut turpitudinis peccati, distinctámque à contritione, quæ peccatum detestatur propter Deum, esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, & motum bonum disponentem ad remissionem peccatorum: vt demonstrabimus inferiùs disputatione decima-nona, sectione quarta, & disputatione vicesima-nona, sectione vicesima quarta, & sequent. vbi Scripturæ, Patrum, & Concil. testimonia proferemus, & expendemus; quæque in contrarium à Iansenio proferuntur explicabimus. Interea dico, si quando Augustinus dicere videtur, non esse bonum opus, nisi fiat amore caritatis, vel amore iustitiæ: sumit caritatem, & iustitiam latè, pro amore boni honesti, vt talis: vel loquitur de opere bono, non quomodocunque, sed vtili, & conducente ad æternam salutem: vt ipsiusmet testimoniis ibidem confirmabimus. 60. *Non omne bonum opus fit ex amore Dei.*

Tertiò, quando dicit Apostolus, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: manifestè loquitur de conscientia dictante aliquid esse bonum, aut licitum: vt euidens est ex verbis præcedentibus. Loquitur enim Apostolus de iis, qui edebant cibos, quos putabant esse illicitos: dicitque eos peccare, quia non edebant ex fide, hoc est, ex dictamine conscientiæ iudicantis esse licitos. Quando autem Diuus Augustinus affirmat omnia opera infidelium esse peccata, & vitiosum quendam affectum dominari in omnibus eorum operibus: intelligendus est vel vt plurimùm, quia vix, & rarò operantur opus vndequaque bonum, & neque ex obiecto vitiosum, neque ex fine, neque ex vlla alia circumstantia: vel de operibus quæ fiunt ab illis vt infidelibus, siue ex affectu infideli, & vt idem sanctus Doctor ait, infideli, & peruersa voluntate: *Quod non fideli, sed infideli, hoc est, stultâ, & noxia fit voluntate*, inquit libro quarto contra Iulianum capite tertio. Simili sensu, quo Christus dicit Matth. 7. versu decimo-octauo: *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere:* id est, bona, quatenus bona; & mala, quatenus mala. Et 1. Ioan. 3. versu nono, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*: operans scilicet prout talis: & vt exponit Diuus Thomas libro quarto contra Gent. capite 70. *Iustus iniusta non agit, scilicet inquantum est iustus.* sicut vulgò dicimus virum nobilem non posse ignobiliter agere. Qua de re plura dicemus inferiùs disputatione decima-nona; 61. *Quo sensu peccatum est id quod non est ex fide?* *Et omnia opera infidelium dicuntur ab Augustino esse peccata?*

sectione tertia & quinta, vbi præcipuis Augustini testimoniis, ab aduersario productis respondebimus.

62. *Detúrne medium inter caritatē, & vitiosam cupiditatē?* Quartò denique dico propositionem istam Iansenij, quæ titulus est capitis decimi noni libri tertij de statu naturæ lapsæ, *Non datur medium inter caritatem, & culpabilem cupiditatem*, damnatam fuisse in Michaële Baio à Pio V. & Gregorio XIII. Eadem enim est cum ista Baij numero 37. à prædictis Pontificibus proscriptâ: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* In eadémque Bulla damnatur hæc altera eiusdem Baij propositio numero 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia.* Quâ censurâ inuoluitur Iansenius, similiter affirmans capite primo & tertio libri quarti de statu naturæ lapsæ, Quidquid non fit ex vera, & propriè dicta fide, peccatum esse: &, *Solam absentiam fidei sufficere, vt omnia opera infidelium vera peccata sint.* Et capite octauo: *Virtutes philosophorum non veras virtutes; sed vitia fuisse:* & capite decimo septimo: *Nugas, delirium, insaniam, errorem, impietatem contrariam Christianorum sensui, Scripturis, & fidei esse, quòd infidelium sit vlla vera virtus, vel opera sine peccato.* Denique in eadem Bulla damnatur etiam hæc propositio Baij numero 63. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* At hoc ipsum est, quod contendit Iansenius omnibus argumentis, quibus persuadere conatur peccare homines culpabiliter in hoc statu naturæ lapsæ, tametsi nunquam peccent, nisi destituti auxilio gratiæ, & quando illâ destituuntur, succumbant necessariò dominanti concupiscentiæ, eiúsque motibus trahantur ad peccandum sine potentia resistendi. Quare tota illa doctrina Iansenij, quam in præsenti refutamus, quámve ipso toto ferme libro tertio & quarto suprà citatis prosequitur, hâc vnâ Sedis Apostolicæ Censurâ proscripta est.

SECTIO VII.

Refutantur effugia aduersariorum.

63. CETERA quæ scripsit Iansenius à capite decimo septimo vsque ad finem eiusdem libri tertij, de impossibilitate faciendi vllum bonum opus morale sine auxilio gratiæ, & sine fide, imò etiam sine dilectione Dei propter se amati, examinabuntur disputatione decima nona sectione secunda, & quatuor sequentibus. Nunc refellenda sunt effugia, quibus vitare, aut dissimulare conatur libro quarto, capite decimo nono, & duobus sequentibus, absurditatem illius sententiæ, quam huc vsque impugnauimus: hominem scilicet in hoc statu naturæ lapsæ non habere libertatem indifferentiæ ad peccandum vel non peccandum, sed loco huius libertatis inductam esse per peccatum Adæ necessitatem peccandi.

64. *Lib. de vera relig. c. 14.* Sic igitur sibimet ipsi opponit capite decimo nono: Si non est libertas abstinendi à peccato, sed peccandi necessitas in voluntate, iam peccatum non erit peccatum. Quod enim necessarium est, hoc ipso non est peccatum, vtpote quod voluntarium esse debet. Vnde Augustinus, *Vsque adeò peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: vbi per voluntarium non aliud quàm liberum intelligi debere, videtur manifestum. Ergo nec ex mente Augustini per peccatum peccandi necessitas adducta dici debet, vtpote quæ repugnet voluntario, siue libero.

Cui argumento respondet, si illud intelligatur, vt à Scholasticis intelligitur de necessitate peccandi, & libertate abstinendi, nullam omnino vim habere aduersus Augustini sententiam. Ipsi enim peccandi necessitatem vocant, quâ quis ad hoc peccatum quod hîc & nunc perpetratur, ita determinatur, vt ab eo abstinere non possit: libertatem autem dicunt, quâ istud potest facere, & à faciendo abstinere. Huiusmodi autem faciendi necessitatem, neque tribuit libero arbitrio Augustinus, neque ab eo tollit huiusmodi libertatem abstinendi: sed hæc est necessitas, quam Augustinus peccato aduectam esse profitetur, quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captiuum sit, antequam fide Creatoris, caritatéque liberetur, vt quoquo versum sese verterit, in genere necesse sit illud malè agere: sic tamen, vt in singulari nullum peccatum ita necessariò perpetret, quin ab eo possit abstinere, sed ab illo abstinendo in aliud incidat, quod similiter aliud faciendo cauere potuisset. Quæ necessitas peccatum in genere duntaxat, non singula peccata in particulari respicit: nec illam liberæ voluntatis indifferentiam tollit, quam Scholastici recentiores postulant. Similem enim necessitatem omnes ponunt in Deo, Angelis, ac Beatis hominibus respectu boni, & saniores etiam in dæmonibus damnatísque hominibus respectu mali: cùm tamen singulos actus bonos, Deus, Angeli, Beatíque libera faciant voluntate, ac dæmones, damnatíque malos. Huc vsque Iansenius. 65. *Primum effugium.*

Sed præterquàm quòd absurdissimum est, homines in hoc statu naturæ lapsæ æquiparare dæmonibus quoad impotentiam abstinendi à peccato, seu necessitatem peccandi quotiescunque peccant: Dico primò, responsum illud non cohærere cum doctrina eiusdem auctoris, quam Diuo Augustino tribuit, libro quarto de gratia Christi Saluatoris, capite septimo, & nono, & libro octauo capite tertio. Voluntatem nihil boni (veri, aut apparentis) amplecti posse per consensum deliberatum, nihílque velle, nisi aliquâ delectatione indeliberatâ præueniatur, vel solâ, vel coniunctâ desiderio; quæ delectatio si contrariam non habet simul occurrentem voluntati, consensum obtinet necessariò: sin autem alia delectatio contraria simul occurrit, sequitur voluntas necessariò illam quæ maior est. Quia vt dicit Augustinus enarratione in epistolam ad Galatas, *Quod ampliùs nos delectat, secundum hoc velimus necesse est.* Quam necessitatem præuiæ delectationis necessitantis ad consensum, tametsi libro quarto de gratia Christi Saluatoris capite 66. *Iansenij cōtradictio.*

septimo & 9. velit esse propriam status naturæ lapsæ, ortámque ex peccato originali; alibi tamen tum eodem capite septimo, tum libro octauo de gratia Christi capite tertio, disertè affirmat illam oriri ex ipsa conditione volendi, & naturâ voluntatis: quia *voluntas sine delectatione velle, aut moueri nullo pacto potest. Quod sanè respectu cuiuslibet operationis locum habet*, vt ait loco priùs citato. Eandémque ob causam posteriori loco dicit id etiam esse verum de Beatis (in quibus certè nullus est defectus per peccatum originale inductus) quos ait necessariò amare, id quod magis eos delectat: & causam cur Deum ament necessariò, non esse quia ipsum clarè intuentur, sed quia præit delectatio circa tale obiectum, & abest omnis contraria delectatio concupiscentiæ, quæ nimirum si adesset, & maior esset, impediret amorem. Ex qua doctrina manifestè sequitur, Hominem, quotiescunque peccat, obstringi necessitate ad peccandum hîc & nunc in tali actione particulari; & non solùm generali peccandi necessitate teneri, ita vt quocunque se verterit, in genere necesse sit illum malè agere, sic tamen vt in singulari nullum peccatum necessariò perpetret, quemadmodum ait hoc loco aduersarius. Probatur sequela: Nam iuxta doctrinam relatam, voluntas nunquam malè vult per consensum deliberatum, id est, nunquam peccat, nisi præuiâ aliquâ delectatione indeliberatâ, quę vel sola sit, vel præualeat cuicunque alteri simul occurrenti, & voluntatem necessitet ad consensum. Quod enim magis delectat, illud voluntas sequitur necessariò. Quando igitur voluntas peccat peccato consensus in adulterium hîc & nunc; hoc facit, quia præit delectatio indeliberata circa talem consensum, quæ vel sola est, vel maior est, & magis eam mouet, quàm delectatio circa furtum, aut circa homicidium, aut quæcunque alia simul occurrens. Nam si delectatio circa furtum maior esset, voluntas necessariò eam sequeretur, & non peccaret per consensum in adulterium, sed per consensum in furtum, vel si vtraque æqualis esset, & moueret æqualiter, neutra præualeret, sed altera alteram impediret: adeóque voluntas neutram sequeretur, quia non potest velle, nisi sequendo necessariò id quod magis delectat. Quare voluntas nunquam peccat nisi priùs necessitata per præuiam delectationem indeliberatam, circa illud ipsum peccatum, quod committit hîc & nunc in tali specie. Neque habet libertatem indifferentiæ ad aliam speciem peccati, loco istius: quippe quam velle nequit sine maiori delectatione præuiâ circa illam, quam non habet. Neque etiam ad abstinendum à tali peccato, per libertatem exercitij, seu contradictionis: quia ne illud quidem velle potest sine præuia maiori delectatione circa abstinentiam à peccato, quam non habet; nam si haberet, necessariò abstineret ab hoc peccato.

67. *Effugium illud non est ad mentem Augustini.* Dico secundò, responsum illud aduersarij non esse ad mentem Augustini: nec vllo modo satisfacere testimonijs ex eo relatis pro libertate indifferentiæ ad non peccandum in hoc statu naturæ lapsæ. Prima pars probatur, quia vt fatetur ipsemet aduersarius lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 20. Augustinus de hoc genere libertatis minimè loquitur. *Ingenuè fateor*, inquit, *me in vniuersis Augustini monumentis nondum inuenisse, quòd peccata, quæ ante gratiam per concupiscentiæ nobis inspersa, conspersaque necessitatem committuntur, idcirco nobis libera sint, quia possumus vnum peccatum alterius cupiditate superare: aut hoc vel illud quâdam indifferentiâ contradictionis omittere, & aliud facere.* Et vt addit capite vicesimo secundo, nihil omnino curat Augustinus ad expendendam peccati rationem, vtrum vnum peccatum alterum incurrendo caueri possit, vnáque cupiditas peccandi alterâ cupiditate superetur. Quare vel ipso iudice non satisfacit hæc euasio locis D. Augustini suprà relatis, quibus affirmat neminem peccare nisi liberè, & cum potentia resistendi.

Altera pars probatur; quia idem S. Doctor affirmat, Homines sic esse liberos ad non peccandum, vt loco peccati possint bene agere, & Dei mandata seruare quando illa transgrediuntur. Ergo ex eius mente non sunt tantùm liberi in peccando, quia loco istius peccati possent aliud committere; sed quia possunt è contrario rectè agere. Antecedens patet ex istis eius verbis suprà relatis ex libro de Actis cum Fœlice Manichæo cap. 4. *Habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Et paulò pòst: *Hoc ergo Dominus dicens, aut facite hoc, aut facite illud, ostendit esse in potestate quod facerent: & quia si bonum eligerent, premium illius acciperent; si malum eligerent, pœnam illius sentirent.* Et lib. quinquaginta homil. hom. decima-sexta. *In tuo arbitrio Deus posuit cui pares locum, Deo an diabolo*; bene scilicet, aut malè agendo. Et libro de gratia, & libero arbitrio capite secundo: *Nemo*, inquit, *Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat. Neque cùm aliquid secundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate*: Nimirum quia vtrumque liberè facit: & quando malè operatur, potest bene agere si velit: si verò bene operatur cum auxilio gratiæ, potest illi dissentire; & ita Dei mandata seruat, vt possit non seruare, ac loco boni & vitæ, malum & mortem eligere: vt præcedentibus verbis docet ibidem Augustinus. Et libro tertio de libero arbitrio capite primo dicit, *Motum quo voluntas huc aut illuc* (id est ad bonum vel ad malum) *conuertitur, esse voluntarium atque in nostra positum potestate; & alioqui neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis; neque omnino monendus esset, vt istis neglectis æterna vellet adipisci, atque vt malè nollet viuere, vellet autem bene.*

68. *Homo potest non peccare & bene agere, quando peccat.*

Respondet secundò, id quod suprà retulit ex Augustino, libro de vera religione cap. decimo-quatto. *Vsque adeò peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; intelligendum hoc non esse generaliter de omni peccato, sed de peccato primi parentis, quod ab illo voluntariè, id est, nullâ cogente cupiditate commissum fuit. Nam sanctus ille Doctor per voluntarium, & liberum, intelligit motum voluntatis spontaneum, id est, qui ab ipsa nullo cogente profluit. Tale autem fuit peccatum Adami; cetera verò quæ post illius lapsum committuntur, 69. *Alterum effugium.* Iansenius cap. 21.

fiunt cogente, id est, necessitante concupiscentiâ: ideóque non sunt propriè voluntaria in sensu Augustini, nec adeo propriè ac purè peccata, sed simul sunt pœna peccati, illius scilicet primi peccati Adæ. Eodémque sensu, & eâdem restrictione intelligendam esse dicit definitionem peccati traditam ab Augustino libro de duabus animabus capite decimo: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere:* liberum enim, inquit, in doctrina Augustini idem est ac voluntarium in sensu iam explicato: & voluntas idem ac libertas. Et quod ait ibidem, Nusquam nisi in voluntate esse peccatum: quæ verba repetit, & confirmat libro 1. Retract. capite decimo-quinto.

70. Eâdem quoque responsione conatur eludere alterum argumentum, quod cap. 22. sibi obiicit, nimirum Augustinum sæpe tradere omne peccatum posse vitari, & nisi vitari posset, iam non esse peccatum. Hoc autem directè repugnare videtur illi necessitati, quâ, iuxta eundem S. Doctorem, potestatem abstinendi à peccato sublatam esse contendit. Antecedens patet ex his Augustini locis ab eo relatis. Nam libro tertio de libero arbitrio capite decimo-octauo, generalissimè de peccati causis quibuscunque ita definit: *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo potest? Peccatur autem, caueri igitur potest.* Quæ eadem verba repetit, & confirmat libro de natura & gratia capite 67. & libro de perfectione iustitiæ, capite secundo. Celestio obiicienti quòd omne peccatum, aut vitari posset, aut peccatum non esset: respondet Augustinus, Posse vitari, fieri ergo non potest vt necessitate peccetur, aut vt à peccato non sit liberum abstinere.

71. Cui argumento respondet primò, id, quod suprà refutauimus, sufficere ad libertatem peccandi quòd ita peccent homines, vt hoc peccatum vitare possint, admittendo aliud loco istius; & exercendo libertatem contradictionis, siue exercitij circa hoc peccatum faciendum, aut non faciendum, quamuis teneantur necessitate admittendi hoc peccatum vel aliud. Secundò, respondet non esse hunc sensum Augustini, quippe qui locis relatis ita vult debere caueri posse peccatum, vt à peccatis abstinendo nullius peccati reus, bene videlicet faciendo, homo teneatur: sed cùm ait, Si causæ voluntatis resisti non potest, sine peccato ei ceditur; si caueri omnino non possit peccati fallacia, nulla ergo esse peccata: Neminem peccare in eo, quod nullo modo caueri potest: Si necessitate consensisset, nullo peccati crimine teneretur, vt ait lib. de vera relig. cap. 14. Et liberum omnino esse à peccato abstinere: Et peccatum debere esse voluntarium, hoc est, liberæ voluntatis, non necessarium; ita vt si non fuerit voluntarium, peccatum esse non possit: & alia huiusmodi: loquitur contra Manichæos de origine mali, hoc est, de peccato Adæ, vnde omnia mala in creaturam rationalem profluxerunt. Quod peccatum ex liberrima creaturæ voluntate commissum fuit, absque ignorantia, vel concupiscentia cogente: Non autem de aliis, quæ fiunt deinceps per ignorantiam, aut concupiscentiam necessitantem, à voluntate sub illis captiua in pœnam primi illius peccati; siue vt ait paulò inferiùs, loquitur de illo peccato, quod ita peccatum fuit, vt non esset etiam pœna peccati: non autem de iis quæ fiunt in statu naturæ lapsæ, quæque sunt peccata simul, & pœna peccati, iuxta doctrinam, & distinctionem traditam ab Augustino libro 1. Operis imperf. pag. 40.

Verùm ex iisdem locis quibus præcipuè aduersarius abutitur, euidenter falsum esse patet quod ait, & in quo vno tota eius euasio consistit, Augustinum in illa definitione peccati, & aliis suprà relatis, non nisi de peccato Adæ loquutum esse; quando scilicet dixit: nusquam esse peccatum nisi in voluntate, libera scilicet: & peccatum esse id, vnde liberum est abstinere. Nam iisdem verbis, & eadem definitione manifestè comprehendit omnia peccata, quæ in hoc statu naturæ corruptæ deliberatò à nobis fiunt, quæve peccati nomine simpliciter dicti intelligit, quando peccata in tria genera distinguit, nimirum in illud quod peccatum tantùm est, & illud quod pœna peccati tantùm est; & illud quod peccatum est, & simul pœna peccati. Quo postremo genere non complectitur omnia peccata, quæ in hoc statu naturæ lapsæ fiunt, sed ea solùm quæ ex receptâ ab omnibus sententiâ caueri non possunt: nimirum originale, quod propriè peccatum est; & concupiscentiam cum suis motibus indeliberatis, atque iis peccatis quæ ex ignorantia inuincibili committuntur, quæ licèt propriè, & formaliter peccata non sint, vocantur tamen peccata, eo quòd primi parentis fructus sunt, & pœnæ ipsius peccati. 72.

Augustinus ait generaliter peccatum esse liberum.

Hoc ita esse iam antè ostendimus sectione sexta, & nunc iterum ostendere cogit aduersarius, ex verbis ipsis Augustini, libri primi Operis imperfecti pagina quadragesima, vbi Iuliano sibi obiicienti, quod ipse scripserat libro de duabus animabus: Peccatum est voluntas amittendi vel retinendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere; indéque inferenti: non esse in paruulis peccatum originale; *Siquidem nullum est sine voluntate peccatum: & nulla est voluntas, vbi non est explicata libertas: & non est libertas, vbi non est facultas per rationem electionis:* quod certè in infantibus non inuenitur: Respondet hunc in modum Augustinus: *Tria ista discernas, inquit, & scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati: aliud vtrumque. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, vbi voluntas est agendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non pœna peccati, non vtrumque.* Tum explicans tria membra huius diuisionis subiungit: *Habent autem tria ista genera species suas, de quibus nunc longum esset disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine vllo modo quæstionis occurrit: multa quippe sunt, quæ agunt homines, mala, à quibus liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi* 73.

Quid intelligat per peccatum tantùm, & per peccatū quod est pœna peccati?

fuit, qui Deo suo, à quo conditus erat rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Secundi autem generis, vbi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cùm pro suo scelere, qui peccauit, occiditur. Tertium verò genus, vbi peccatum ipsum est, & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago. Ac tandem applicans hanc distinctionem argumento Iuliani dicit, peccatum originale non pertinere ad primum membrum diuisionis, sed ad tertium: ideóque mirum non esse si non comprehendatur illâ suâ definitione à Iuliano relatâ, quippe quæ solùm tradita est de peccato primo modo dicto. *Proinde*, inquit, *originale peccatum nec ad illud pertinet, quod primo loco posuimus, vbi est voluntas malum operandi, vnde est liberum abstinere: alioquin non esset in paruulis, qui nondum voluntatis vtuntur arbitrio. Nec ad illud quod secundò commemorauimus: de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quæ non est peccatum, quamuis peccati merito subsequatur: quam quidem patiuntur & paruuli, quia inest eis corpus mortuum propter peccatum: non tamen mors corporis ipsa peccatum est, aut corporalis quicunque cruciatus. Adhuc genus tertium, vbi sic peccatum est, vt ipsum sit & pœna peccati, quod inest quidem nascentibus: origo tamen etiam huius peccati descendit à voluntate peccantis. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Hæc Augustinus.

74. *Peccatum Adæ fuit maximè liberum: alia tamen liberè quoque fiunt.*

Ex quibus manifestè liquet ipsum nomine peccati primo modo sumpti, & supradictâ definitione explicati, non intelligere solum peccatum Adæ; sed illa etiam, quæ in statu naturæ lapsæ liberè fiunt, ita vt ab illis quoque liberum sit abstinere: cum hâc solùm differentia, quòd hanc definitionem peccato Adæ maximè conuenire vult, quia maximè liberè peccauit, & liberiùs quàm homines concupiscentię & ignorantiæ obnoxij, corruptæque naturæ vitiis deprauati, à quibus ille tunc immunis erat. Eodémque sensu libro 1. Retract. capite 15. explicans id, quod alibi scripserat, Nusquam esse nisi in voluntate peccatum, sic ait: *Peccatum autem, quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum, quod iusta damnatio consecuta est. Hoc enim per vnum hominem introiuit in mundum.* Præcipuè, inquit, de peccato Adami hoc intelligendum est; sed non solùm: nam & de omnibus aliis peccatis, quæ liberè admittuntur, verum est. Propter quod addit immediatè pòst: *Quanquam & hoc peccatum, quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi volútate committitur.* Propter hoc & alio loco dixi, *Non igitur nisi voluntate peccatur.* Et libro 1. Operis imperfecti, pag. 157. obiicienti sibi Iuliano. *Peccatum secundum definitiones tuas iam nec in moribus inuenitur:* Respondet post multa, quibus hanc calumniam diluit: *Cùm igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate: quæ tantummodo peccata sunt, vnde ab eis liberum est abstinere: & peccatis de ignorantiæ, & affectionum necessitate venientibus, quæ iam non solùm peccata sunt, verùm etiam pœnæ sunt peccatorum, plenum sit genus humanum: quomodo dicis definitionibus nostris peccatum nec in moribus inueniri?* Et libro 1. contra duas epist. Pelag. capite 3. refutans calumniam Iuliani obiicientis Catholicos aduersantes Pelagio dicere, quòd peccato primi hominis perierit liberum arbitrium: *Non ergo*, inquit, *sicut iste audet scribere, dicimus homines in peccatum velut inuitos, carnis suæ necessitate cogi: sed si iam in ea ætate sunt vt propriæ mentis vtantur arbitrio, in peccatum suâ voluntate præcipitantur:* libera scilicet, vt solet Augustinus nomen voluntatis accipere, & patet ex eo quod ait, *Si iam in ea ætate sunt vt propriæ mentis vtantur arbitrio.* Nam infantes, & amentes qui non propriæ voluntatis vtuntur arbitrio, volunt tamen reipsa, & sponte ac cum delectatione ea, quæ appetunt. Quare etiam ipsi voluntate appeterent, si voluntas latè hîc sumeretur, & non strictè prout est facultas liberè volendi. Omnino cæcos esse oportet, qui non vident in tanta luce testimoniorum mentem D. Augustini non fuisse loqui de solo peccato Adæ, quando dixit, peccatum non esse nisi in voluntate: illúdque definiuit esse voluntatem retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere: Sed etiam de aliis, quotquot in statu naturæ corruptæ deliberatè fiunt.

Liquet secundò, D. Augustinum per ea, *quæ ita sunt peccata, vt sint etiam pœna peccati*, quæque à supradicta definitione exclusit, non intelligere omnia peccata in statu naturæ lapsæ commissa, vt volunt aduersarij: nam illa omnia quæ deliberatè fiunt, & cum libero consensu voluntatis, dicit ad illam definitionem pertinere, & ad primum membrum diuisionis suprà traditæ: vt patet ex verbis relatis ex lib. primo Operis imperfecti: Sed intelligere solum peccatum originale, quod ab infantibus sine ipsorum voluntate, liberóque consensu contrahitur, & concupiscentiam, eiúsque prauos motus indeliberatos, atque ea quæ malè fiunt ex ignorantia inuincibili. Probatur, quia ab hoc tertio membro diuisionis excludit ea peccata quæ ita fiunt ab hominibus in hoc statu, vt ab illis abstinere possint: quæque ait *committi non necessitate, sed voluntate: quæ tantummodo peccata sunt, vnde ab eis liberum est abstinere.* Et quando tertium istud membrum diuisionis exponit, non alia profert eius exempla, nisi peccatum originale, eiúsque appendices concupiscentiam & ignorantiam; prauósque motus, vel affectus indeliberatos ex vtraque proueniętes, quales illi erant, de quibus loquebatur Apost. verbis ab Augustino relatis ex Rom. 7. *Quod nolo malum, hoc ago:* contra quos ipsa voluntas exemplo eiusdem Apostoli orare debet, inquit, & optare vt ab illis liberetur, aut iuuetur vt non consentiat. 75.

76. *Motus indeliberati quo sensu improbandi.*

Nec obest quod D. August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. dicit *quædam per ignorantiam facta improbari & corrigenda iudicari &c. sunt etiam necessitate facta, improbanda; vbi vult homo rectè facere, & non potest &c. Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium; nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Neque enim per hæc verba intelligit peccata quæ deliberatè fiunt in statu etiam naturæ lapsæ, culpæque imputantur: sed prauos actus, vel motus indeliberatos, qui fiunt ex ignorantia, vel ex concupiscentia: de quibus ibidem dicit, *Nam vnde sunt illæ voces, Non enim quod volo, facio bonum: sed quod odi malum, hoc*

ago? Et hi motus sunt improbandi, quia mali materialiter; & corrigendi quoad fieri potest, quia inordinati: vt ait idem S. Doctor libro 4. contra Iulianum capite 5. iidémque vocantur peccata, non quòd propriè & formaliter peccata sint, & ad culpam imputabiles: sed quia ex peccato originali orti sunt, & ad peccandum inclinant, vt affirmat D. August. eodem lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. vbi post verba suprà relata, sic ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis,* (hoc est, vt patet ex præcedentibus, quod renitente carnalis concupiscentiæ cupiditate non possis bene agere prout velles, aut malum vitare, quod nolles) *sed quod volentem sanare contemnis* (id est, quod negligis ab illo postulare auxilium) *ista tua propria peccata sunt. Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit, aut quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis* (Adami) *originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum illud, quod mouemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud quod membri huius motum consequitur, id est, formam, tenorémque verborum; secundùm quem modum alia dicitur lingua Græca, alia Latina: sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod iam de huius supplicio consequatur necesse est.* Impropriè scilicèt duntaxat & metonymicè, vt confirmat lib. 1. de nupt. & concupisc. capite 23. vbi dicit concupiscentiam ad illicita pertrahentem, cui non consentitur, vocari peccatum, quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut lingua vocatur locutio, quam ipsa facit; & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Quod idem repetit libro 1. contra duas epist. Pelag. capite 13. & libro 1. Retract. capite 15. addens dici peccatum ideo etiam, quia est pœna peccati. Quibus conformiter Tridentinum sess. 5. canone 5. de peccato orig. in fine, dicit concupiscentiam quam Apostolus peccatum vocat, non ita appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Eandémque ob causam addit Augustinus post verba superiùs relata: *Si non est ista pœna hominis, sed naturæ; nulla ista peccata sunt.* Quia nimirum, cùm ex mente sancti Augustini, & doctrinâ Catholicâ, ignorantia & concupiscentia, quæque ex illis fiunt indeliberatè, non sint aliter peccata, nisi quia ex peccato orta sunt, & in pœnam peccati sequuta, inclinántque ad peccandum: nullo modo peccata forent, si essent à natura, & non effectus ac pœna peccati.

Cur vocantur peccata

SECTIO VIII.

Refutantur alia duo effugia.

77. OPPONIT sibi præterea aduersarius eodem libro 4. de statu naturæ lapsæ capite 23. Diuum Augustinum non tantùm peccata propriissimè dicta, hoc est liberrimæ & indifferentis in vtrumuis contrarium voluntatis, docere posse vitari; sed etiam ea peccata, quæ ex pœnis illis ignorantiæ, & concupiscentiæ perpetrantur. Cùm enim dicit in libro de natura & gratia capite 67. *Potest planè ei causæ, quæcunque illa est, resisti:* de illis ipsis pœnalibus peccati causis loquitur, & earum peccata vitari posse ibidem expressiùs docet. Et cùm in libro de perfectione iustitiæ sæpiùs dicit, *vitari posse peccatum:* de peccatis lapsorum hominum penè solis loquitur. Et cùm in libro de gratia & libero arbitrio capite 16. neminem nescire dicit, quòd *non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri;* de peccatis loquitur quibuscunque, quæ vitari diuina lege iubentur. Ergo omnia omnino peccata vitari posse debent, non solùm iuxta sensum Scholasticorum, libertate saltem exercitij, & contradictionis, quæ ad libertatem arbitrij sufficit; sed etiam iuxta sensum Augustini, libertate contrarietatis, ita vt possit fieri oppositum bonum. Nam in libro de perfectione iustitiæ de omnibus omnino peccatis huius vitæ collectim simul vitandis agitur, ita videlicet vt aliquis dicatur hîc post lapsum, in perfectione iustitiæ, hoc est, sine omni omnino peccato viuere: quod cùm contenderet Pelagius fieri in hac vita posse, Augustinus admittit.

78. *Tertium effugium Iansenij.* Cui obiectioni respondet, negari non posse quin ista sit Augustini doctrina constantissima, sed non repugnare iis quæ suprà dixit de necessitate peccandi, quâ tenentur infideles. Duplex enim status hominis distinguendus est, vnus sine fide, à qua incipit gratia: in quo sunt infideles; & in illo, quamdiu durat, impossibile est peccatum vitari, aut vllum bonum opus fieri; quia neutrum sine gratia præstari potest. Alter est status fidei, & gratiæ, in quo nullum peccatum est, quod non possit vitari per auxilium gratiæ, vel reipsâ exhibitum, vel saltem impetrabile à fidelibus per orationem. Et de hoc statu loquitur Augustinus locis in obiectione relatis, vt patet ex his, quæ subiungit lib. de natura & gratia cap. 67. *Potest ergo ei causæ, quæcunque illa est resisti? Potest planè: nam in hoc adiutorium postulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationem &c.* Et lib. de perfectione iustitiæ cap. 2. ad ratiocinationem primam, *Respondemus,* inquit, *vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet.* Quod deinceps explicat similitudine claudicantis, qui potest non claudicare si sanetur; & si potest sanari potest non claudicare: Et capite 6. ratiocinat. 14. *Respondemus,* inquit, *& naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse, nam ideo clamamus libera nos à malo: Sed hoc agitur gratiâ per fidem &c. quoniam lex prohibendo, auget peccati cupiditatem nisi diffundat Spiritus caritatem.* Et c. 4. eandem vtramque partem vberiùs declarans: *Per arbitrij,* inquit, *libertatem factum est vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem; vnde ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me, sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere &c. victa enim vitio in quod cecidit, va-

luntate, caruit libertate natura. & capite 6. *Peccatum est*, inquit, *vel cùm non est caritas quæ esse debet; vel minor est, quàm esse debet, siue hoc voluntate vitari possit, siue non possit. Quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando superba voluntas laudatur, sed quando humilis adiuuatur.*

79. *Aberrat à proposito.* Sed hæc loca non probant quod intendit aduersarius, infideles scilicet versari in impossibilitate vitandi peccata, atque ita malè operari, vt bene non possint. Nam D. Augustinus in tribus locis primùm relatis affirmat quidem peccatum non posse vitari sine auxilio gratiæ, sanantis infirmitatem nostrã: sed non dicit infideles quando peccant culpabiliter, destitui auxilio necessario vt à peccato abstinere possint. Neque in eo constitui differentiam inter statum fidelium, & statum infidelium; quòd isti careant omni gratiâ necessariâ vt possint non peccare: illi verò vel illam habeant in præsens exhibitam, vel saltem impetrare possint. In quarto, quando dicit Augustinus, Naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse, idque fieri gratiâ per fidem; loquitur de liberatione ab omnibus malis vitæ præsentis, per adeptionem æternæ beatitudinis, quæ sine gratia per fidem obtineri nequit. Hæc ita esse manifestè liquet ex verbis quę fraudulenter suppressit aduersarius, nam locus integer sic habet: *Respondemus & naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse: nam ideo clamamus libera nos à malo, quod non perficitur quamdiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam; Sed hoc agitur gratiâ per fidem vt aliquando dicatur, Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem peccati lex, quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus caritatem, quæ plena & perfecta tunc erit, cùm videbimus facie ad faciem.* In quinto, quando dicit Augustinus, *Per liberi arbitrij libertatem factum est, vt esset homo cum peccato; sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem &c.* loquitur de necessitate morali: id est, de magna difficultate vitãdi peccatum, propter infirmitatem ex peccato Adæ secutam, propter quam etiam vitari omnino aut diù nequit sine auxilio gratiæ. Vel etiam de necessitate physica subiacendi motibus concupiscentiæ indeliberatis, & inordinatis, qui sunt peccata materialiter, & metonymicè sic appellantur, quia sunt effectus, & causa peccati, vt suprà diximus, & testimoniis Augustini confirmauimus.

80. In postremo sensus est, peccatum quod committitur ex defectu caritatis necessariæ, esse peccatum, siue vitari possit, siue non possit, id est, non nisi difficillimè possit, propter impotentiam moralem, quam fecit voluntas: id est, quam mala consuetudo induxit. Nam quòd per illa verba, *siue non possit*, non intelligat Augustinus impotentiam physicam, & omnimodam, patet ex verbis immediatè sequentibus, *& tamen vitari potest, non quando superba voluntas laudatur, sed humilis adiuuatur.*

Augustinus non dixit auxilium gratiæ deesse peccantibus. Ex quibus omnibus perspicuum est, Augustinum loqui tantùm de necessitate gratiæ omnibus necessariæ ad vitandum peccatum, siue sint fideles, siue infideles: quod vnum illi sufficiebat, vt interrogationibus à Celestio propositis satisfaceret. Nusquam verò asserere illam deesse infidelibus; ita vt semper illâ careant quotiescunque peccant imputabiliter; & illis ad culpam, & pœnam imputetur id, quod faciunt, vel omittunt, sine potentia ad oppositum; quod esse absurdissimum, & omnium hominum iudicio tale censeri, affirmat Augustinus libro de duabus animabus capite 11. & libro de vera relig. cap. 14. aliísque locis. Quod verò reponit Iansenius responsioni nostræ occurrens, non dari vllam gratiam infidelibus, siue ad peccatum vitandum, siue ad bene operandum, sed illam incipere à fide Christi, quâ solâ potest voluntas operãdi praua mutari: idque se partim ostendisse disputando superiùs de operibus infidelium, partim alibi demonstraturum certis & claris Augustini testimoniis, nempe tom. 3. libro 3. de gratia Christi Saluatoris refutabitur inferiùs disput. 19. sect. 2. & seqq. & disput. 25. sect. 3. vbi de gratia sufficiente data infidelibus disputabitur, & partim etiam refutatum iam fuit sect. 3. & seqq. impugnando quæ dixit de peccatis infidelium.

Opponit sibi quarto loco capite 24. eiusdem libri, *Si aliquod hominum genus, aut status* (nempe infidelium) *sublata benefaciendi libertate, peccandi necessitate premitur; frustra iubemus & hortamur eos à peccatis abstinere, & immeritò obiurgamus, & vituperamus eos, si non abstinuerint. Sed ex Christianæ disciplinæ regula certum est stimulos istos rectè cuiuis hominum generi admoueri. Falsum est igitur quenquam vel ante vel post fidem peccandi necessitate* detineri.

Respondet primò, hoc argumento probari quidem inuictissimè contra Manichæos, libertatem arbitrij; sed huic libertati non officere necessitatem peccandi, & sublatam libertatem benefaciendi, quam Augustinus tradit: nam illa libertas non est indifferentia circa bonum & malum, quam semper hominibus adesse mordicus asserebat Iulianus, inficiabatur Augustinus: sed est vel indifferentia circa hoc aut illud officium virtutis exercendum, cum necessitate tamen peccandi, defectu finis debiti, hoc est, defectu relationis ad Deum, propter quem omnia virtutum officia exerceri debent, & ad quem illa referri nequeunt à voluntate captiua sub concupiscentia, seu rerum creatarum cupiditate. Vel secundò, est indifferentia ad hoc peccatum committendum, aut non committendum, cum necessitate tamen admittendi aliud loco istius: propterea quòd voluntas ita captiua tenetur sub malo, & sub concupiscentia, vt nihil boni facere possit. Vel potiùs, iuxta mentem Augustini libertas illa nihil est aliud quàm volitio deliberata, quamuis necessaria, etiam quoad exercitium. Quidquid enim vult homo deliberatè, id est, cum plena cognitione, & aduertentia, liberè vult quamuis necessariò velit, non tantùm quoad specificationem, verùm etiam quoad exercitium, ita vt non possit ab hoc actu volendi abstinere. Est autem manifestum libertatem his modis sumptam non obesse necessitati peccandi, & sublatæ libertati benefaciendi. Sicut libertas bene agendi in Deo, & Angelis, hominibúsque beatis non repugnat necessitati quam habent ad bene agendum, & impotentiæ malè agendi. Dæmones quoque, & damnati liberi sunt in peccando, licèt non possint omnino abstinere à peccato propter 81. *Quartum Iansenij effugium, illúdque multiplex.*

obstinationem, nullúmque actum facere possint omni ex parte bonum. Addit necessitatem peccandi ortam esse ex actu libero, quo creatura rationalis se à Deo liberrimè auertit, eius præceptum transgrediendo; hoc est, à peccato Adæ, per quod natura humana à Deo auersa, & ad se conuersa, concupiscentiæ visco irreuocabiliter irretita manet, nisi per Dei gratiam liberetur. Hæc autem necessitas, & immutabilitas voluntatis à Deo auersæ, non obstat libertati actuum, quibus sibi ipsi, & rebus aliis creatis adhærere pergit: sicut immutabilitas actuum Dei liberorum non facit vt non sint liberi: & immutabilitas voluntatis Angelorum in eo quod semel elegerunt, non impedit quo minùs illud deinceps liberè velle pergant: mutabilitas enim voluntatis non pertinet ad libertatem, sed ad inconstantiam.

82. Respondet secundò, argumentum suprà propositum in nos retorqueri posse, qui non negamus demones esse obstinatos in malo, nihilque boni facere posse, & tamen liberè peccare, subesséque legi naturali & diuinæ, quâ iubentur non blasphemare, non superbire, non inuidere, non fallere hominem: nam quamuis nouarum pœnarum demeritum, ratio & stabilitas illius status impediat, eos tamen verè peccare & malè facere sæpius Augustinus, & ipsa veritas clamat. Sicut igitur præcepti ratio non remouet à dæmonibus peccandi necessitatem, neque tribuit eis indifferentiam ad bonum & malum; ita neque hominibus, qui peccatorum concupiscentiis captiuo voluntatis arbitrio seruiunt. Angelis quoque bonis vetantur malefacta, & benefacta nonnulla præcipiuntur; & vtrumque liberè faciunt; quamuis bene agendi, & à malo abstinendi necessitate teneantur. Hæc est breuis summa in meliorem ordinem digesta longæ & perplexæ solutionis, quam toto cap. 24. prosequitur.

83. *Quam libertatem agnoscat Augustinus?*

Sed contra primam illius partem. Dico primò, manifestum esse ex libro 2. de actis cum Fœlice Manichæo capite 4. & libro de gratia & de libero arbitrio capite secundo, aliísque locis suprà relatis numero 13. & seqq. constare libertatem arbitrij, quam hominibus viatoribus tribuit Augustinus, & ex præceptis, exhortationibus, & obiurgationibus colligit, esse libertatem indifferentiæ quâ possint eligere bonum, vel malum; seruare præcepta, vel non seruare, Deo seruire, vel diabolo; fructus bonos proferre, aut malos; ac denique ita bene vel malè operari, vt loco bonæ aut malæ operationis, possint oppositam exercere.

84. *Sitne aliquod opus bonum sine relatione in Deum?*

Dico 2. constare quoque ex dictis disput. 17. sect. 5. malè supponi ab aduersario, non esse bonum & honestum exercere virtutum officia propter se, nisi referantur ad Deum propter se dilectum: ideóque licèt homines habeant libertatem indifferentiæ circa huiusmodi officia propter se exercenda; subesse tamen necessitati peccandi, quia non possunt ad Deum illa referre. Nam, vt omittam falsum esse non posse illa naturæ viribus ad Deum aliquando referri aliquo actu imperfecto, etiam ab infidelibus, Dei notitiâ non carentibus, vt ostendemus disputat. 19. sect. 3. liquet ex dictis loco suprà citato, relationem illam ad Deum non esse necessariam, vt actus verè boni, & laudabiles sint, sed sufficere vt sint rectæ rationi conuenientes, iuxta receptissimam virtutis definitionem, quâ dicitur esse habitus cum recta ratione electiuus: id est, eligens, & agens prout rectæ rationi consentaneum est: & vt definit ipse Augustinus libro 4. contra Iulianum capite 3. & libro 83. quæst. q. 31. *Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus.* Euidenter autem modo naturæ, rectæque rationi consentaneum est, colere parentes, & amare benefactores, quia tales, reddere vnicuique suum quia id iustum est, misereri inopis & succurrere proximo necessitatem patienti, præsertim verò innocenti, quia hoc opus est officium misericordiæ, aut caritatis erga proximum; aliáque id genus, quæ sicut per se honesta sunt, quamuis non referantur vlteriùs ad alium finem nobiliorem; ita possunt honestè amari, & exerceri propter se, licèt ad Deum non referantur propter se dilectum, quod pertinet ad caritatem erga Deum, non autem ad pietatem erga parentes, vel gratitudinem erga benefactores, vel iustitiam, aut misericordiam, ceterásque virtutes caritate diuinâ inferiores. Ad quod ampliùs confirmandum, & illustrandum addi hoc loco potest quod ait S. Thom. 1. 2. q. 100. articulo 10. & in corp. & ad 2. In præcepto honorandi parentes non includi quòd honorantur propter Deum, esséque duo diuersa præcepta, amandi Deum, & colendi parentes; quæ cùm sint affirmatiua, non obligant ad semper, sed potest vnum sine altero seruari. Et lect. 7. in cap. 10. prioris epist. ad Corint. exponens illud, *Omnia in gloriam Dei facite:* dicit hanc relationem *in gloriam Dei* intelligi vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non solùm est in bonis, sed etiam in indifferentibus.

Dico 3. constare quoque ex dictis sect. 7. num. 85.
68. libertatem quam Augustinus agnoscit in seruandis præceptis, & exhortationibus, non esse solùm indifferentiam hoc peccatum admittendi aut non admittendi cum necessitate committendi aliud, si istud omittatur: sed esse indifferentiam potentem exequi id quod præceptum iniungit, aut exhortatio suadet. Indifferentiam verò illam in eo solo consistentem, quòd hoc peccatum quod hîc & nunc committitur, omitti possit, ita tamen vt si omittitur, committatur necessariò aliud, non posse stare cum doctrina aduersarij, quam Augustino acceptam refert: nimirum quòd voluntas nihil vnquam velit nisi præuenta delectatione indeliberatâ, & necessariò volens id quod magis eam delectat. Nam hâc doctrinâ suppositâ, voluntas non est indifferens ad hoc peccatum committendum, vel aliud loco istius; sed determinatur, & necessitatur ad illud quod magis delectat. Et si contingat delectationes præuenientes, ad illa duo peccata inclinantes, esse æquales; mutuò sese impediunt, & neutram sequi potest voluntas, quia non potest velle nisi id quod magis eam delectat.

Dico 4. neque doctrinæ Augustini, neque fidei Catholicæ consentaneum esse quod ait ad- 86.
uersarius, libertatem illam seruandi præcepta &c. in eo solo positam esse, quòd voluntas præuia deliberatione velit, tametsi necessariò, & sine potentia ad non volendum: nam vt

Libertas indifferentiæ dogma fidei est.

ostendemus disput. 30. Neque Augustinus, aliíque Patres, neque Concilia, & Ecclesia tale genus libertatis vnquam agnouerunt, sed tanquam hæreticos, & libertatis euersores damnauerunt Manichæos, Priscillianistas, Planetarios, Wicleffistas, Caluinistas, & si qui alij voluntatem humanam necessitati agendi adstrictam esse docuerunt; vndecunque illam necessitatem induxerint, & quacunque de causa indifferentiam ad volendum sustulerint.

87. *Circa quid liberi sint Deus, Angeli, & Dæmones?* Dico 5. Neque Deum, neque Angelos, & homines beatos, neque dæmones, liberos esse circa illud, ad quod non habent potestatem indifferentiæ, sed antecedentem necessitatem & determinationem ad vnum. Atque ita Deus, & Angeli, hominésque beati, non sunt liberi ad peccandum, quia non possunt peccare: neque dæmones ad operandum aliquem actum omni ex parte bonum, posito quòd per obstinationem in malo facti sint impotentes physicè ad talem actum eliciendum. nam vt rectè ait D. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 10. *Liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus &c. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate: respectu illorum quæ non necessariò vult, liberum arbitrium habet.* Similitérque Angeli, & homines beati non habent liberum arbitrium ad Deum amandum amore beatifico, quippe quem non possunt non amare; sed circa alia bona non necessaria quæ possunt velle, & non velle: neque dæmones ad bene operandum, si non possunt bene operari.

88. *Actus Dei quomodo liberi, quamuis immutabiles?* Dico 6. absurdissimum esse quod addit aduersarius, necessitatem peccandi ortam ex peccato liberrimo Adę, non impedire quo minùs actus nostri sint liberi quamuis peccemus necessariò, & sine vlla indifferentia, ne quidem quoad exercitium: sicuti immutabilitas voluntatis Dei, & Angelorũ non impedit quo minùs actus eorum sint liberi circa ea, quæ contingenter voluerunt, & non velle potuerunt: tametsi ex hypothesi quòd voluerint, non possint deinceps non velle. nam actus Dei contingentes ideo sunt Deo liberi, quia ab æterno liberè ad illos se determinauit, ita vt potuerit ab illis abstinere, séque determinare ad oppositos, aut diuersos. Ex. gr. ita voluit hunc mundum creare, vt potuerit nolle, aut etiam loco istius velle creare alium. Et ille actus fuit Deo liber, quatenus Deus in actu primo consideratus nullam habuit necessitatem illum exercendi: tametsi ratione immutabilitatis non possit ab illo cessare, ex suppositione quòd ad illum se determinauerit. Sed neque etiam liber est ad cessandum, si quidem non potest cessare: neque illi actus sunt dicendi liberi respectu continuationis, sed respectu liberæ susceptionis; quatenus Deus ex se indifferens ad illos habendos, aut non habendos, elegit eos habere, & ab æterno illos habere voluit. Similitérque Angeli, si, vt falsò supponit aduersarius, non habent physicam potentiam cessandi ab actu voluntatis, quem semel exercuerunt, aut illum mutandi in contrarium, non sunt liberi ad huiusmodi mutationem, aut cessationem; sed tantùm quatenus ad illum actum se determinarunt, siue in primo instanti suæ creationis, siue pòst; ita vt possent illum non exercere, aut loco istius exercere alium. At verò actus peccati, qui committuntur ab hominibus in hoc statu naturæ lapsæ, nunquam liberè ab illis exercentur, iuxta sententiam aduersarij, sed concupiscentiâ antecedenter necessitante committũtur. Quare ineptissimè comparantur cum supradictis actibus Dei, & Angelorum, liberè susceptis, quamuis non liberè continuatis.

Recurrere verò ad peccatum liberrimè commissum ab Adamo, vt ceteri actus peccati ratione illius dicantur esse liberi, veluti cum illo continuati, quia voluntas quæ tunc liberè auertit se à Deo, pergit deinceps ab eo se auertere, vel auersa manere, absurdissimum est: cùm euidens sit, voluntatem Adami, eiúsque actus distingui realiter à voluntatibus posterorum, & earum actibus; ideóque licèt voluntas Adami liberrimè peccauerit, quando nullâ necessitate antecedente compulsus, ad transgrediendum Dei præceptum se determinauit; non propterea nostræ voluntates liberrimè peccant, & absque vlla antecedenti necessitate, si, vt vult aduersarius, quotiescunque peccamus, id facimus destituti gratia sufficiente ad resistendum, & necessitati pondere concupiscentiæ. Et consequenter licèt actus ille peccati Adæ liberrimus fuerit, quia non necessitatus; non sequitur liberos esse actus peccati, ad quos antecedenter necessitamur, quíque ab actu Adæ sunt distincti realiter, neque vllam habent cum illo non modò realem identitatem, sed neque physicam continuationem, cùm tanto locorum ac temporum interuallo ab illo distent: imò neque moraliter, aut habitualiter cum illo continuantur, cùm plerique non solùm peccent in aliis speciebus planè disparatis aut repugnantibus, verùm etiam factum Adæ nunquam approbauerint, illúmque nunquam peccâsse, & tot miseriarum causam extitisse, vero sinceróque affectu, sæpe desiderauerint, atque interdum desiderent, dum actu peccant, ægrè ferentes suam propensionem ad peccandum, & naturæ corruptionem ortam ex peccato Adæ. 89. *Peccata nostra non sunt libera in Adamo.*

Ad secundam partem responsi, Dico 7. varias esse Theologorum sententias de obstinatione dæmonum, quæ videri possunt apud interpretes D. Thomæ 1. parte quæst. 64. vbi quænam illa, & quanta sit, quæque sit eius causa, exponunt. Dato autem, & non concesso, talem esse (qualem supponit aduersarius) vt sint physicè impotentes non modò ad vllum actum bonum exercendum, verùm etiam ad peccatum vitandum in omnibus, & singulis actibus, vel quoad specificationem, ita vt non possint abstinere ab hoc peccato, nisi aliud committendo; vel etiam quoad exercitium, ita vt abstinere nequeant ab hoc actu peccati, quem committunt hîc & nunc: si talis, inquam, est obstinatio dæmonum, dico inutilia iam esse, ac cessare respectu illorum, præcepta bene agendi, aut abstinendi à malè agendo quoad specificationem, vel etiam quoad exercitium circa actus à quibus non possunt abstinere. Nam pręceptum & obligatio non potest aliquem stringere circa illud quod est illi impossibile; cùm pręceptum nihil sit aliud, quàm voluntas Superioris legitimi, obligans inferiores ad exequendum id quod præcipitur: hoc autem vt legiti- 90. *Si Dæmones sunt planè necessitati ad peccandum, præcepta sunt illis inutilia.*

mè, adeóque validè fiat, supponit esse in potestate subditorum exequi id quod iubetur. Neque Superior ius habet ad exigendum impossibile, quod nihil est. Ideóque meritò D. August. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 16. Neminem nescire dicit, quòd non iuberet Deus, *quod sciret non posse ab homine fieri.* Nemo etiam non videt inutile fore hortari dæmones vt bene agant, vel vt à malè agendo quoad specificationem, vel etiam quoad exercitium abstineant, si neutrum illorum est in eorum potestate, iuxta doctrinam aduersarij.

91. *Quomodo peccant, & obligantur ad non peccandum?* Quoniam autem iuxta rei veritatem à multis explicatam, & confirmatam loco suprà citato, possunt physicè, imò etiam moraliter abstinere à singulis actibus, in quibus peccant mortaliter, non solùm ad aliud peccatum se conuertendo, sed etiam indifferenter agendo, id est, propter aliquod motiuum indifferens; (quo pacto Ecclesia per exorcismos, illos deterret, & reuocat à malè agendo, metu alicuius pœnæ, quam naturali, siue animali quodam modo refugiunt) idcirco peccant blasphemando, superbiendo, inuidendo, fallendóque homines; & subiacent adhuc legi naturali, & diuinæ, talia prohibenti. Quod verò attinet ad obiurgationem, affirmat Augustinus lib. de duabus animabus cap. 11. adeo notum esse neminem esse vituperatione dignum, qui id non faciat quod facere non potest, vt illud canteur & in montibus pastores, & in theatris poëtæ, &c. & in toto orbe genus humanum.

92. *Quid possit Angelis Beatis præcipi?* Angelis quoque bonis ea tantùm possunt præcipi, aut prohiberi, circa quæ habent potestatem indifferentiæ. Illam autem habent respectu actuum bonorum, qui non pertinent ad essentiam Beatitudinis, neque habent necessariam cum illâ connexionem: puta ad hunc vel illum precibus suis iuuandum, ad hoc aut illud beneficium à Deo petendum, ad hoc aut illud obsequium Deo præstandum, in cuius abstinentia de se nullum esset peccatum. Sed non possunt subesse præcepto, vt faciant ea quæ facere non possunt, vel abstineant ab iis à quibus non possunt abstinere. Atque ita cùm antecedenter sint impotentes ad peccandum, & ad Deum non amandum, non subsunt moraliter prohibitioni peccandi, aut præcepto amandi Deum, sed naturali necessitate præstant id, ad quod moraliter obligarentur, si adhuc essent capaces moralis obligationis circa talia obiecta. Cetera, quæ addit capite 25. & seqq. ad euadendam Censuram Pij V. & Gregorij XIII. refutabuntur disputatione sequenti sect. 7.





DISPVTATIO XIX.

De viribus liberi arbitrij ad bonum faciendum, & malum vitandum.

SECTIO I.

Quid de illis sentiant Theologi?

QVÆSTIO est de homine in hoc statu naturæ lapsæ. Nam quid posset in statu naturæ integræ, diximus suprà disput. 14. Difficultas autem in eo præcipuè consistit, vtrum in statu naturæ corruptæ, qualis nunc est, possit homo aliquod bonum morale operari, & quidem etiam tale, vt nullam habeat admixtionem mali ex obiecto, fine, aut circumstantiis, sine auxilio gratiæ propriè sumptæ pro dono superante naturæ debitum, & exigentiam, siue actuali, siue habituali. 1. *Status quæstionis.*

Qua de re communis sententia Theologorum est, & imprimis D. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 2. naturæ lapsæ vires non esse adeo debilitatas, aut fractas, vt nullum tale opus exercere valeant. Quod etiam Paulus videtur affirmare ad Rom. 2. ver. 14. vbi iuxta communiorem Doctorum interpretationem, magísque natiuum & facilem verborum sensum, docet Gentiles ductu rationis naturalis, naturæque viribus, facere aliqua bona opera legè Dei præcepta: cùm sic ait: *Gentes quæ legem non habent,* (positiuam scilicet, Mosaïcam, aut Euangelicam) *naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Vbi non loquitur Apostolus, vt malè quidam existimant, de Gentilibus ad fidem conuersis: alioqui non verè diceret, *qui legem non habent,* haberent enim legem aut Mosaïcam, aut Euangelicam, si ad Iudaïsmum, vel ad Christianam religionem conuersi essent: neque tantùm ait eiusmodi Gentiles naturaliter cognoscere ea quæ legis sunt, id est, aliqua per legem Dei positiuam iniuncta: sed & naturaliter facere, id est, per naturæ vires, cum Dei concursu & prouidentia naturaliter debita; vt rectè exponunt Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Primasius, Sedulius, Haymo, Caietanus, Dominicus Sotus, aliíque recentiores, quos citat & sequitur Cornelius à lapide ad locum Pauli citatum: aliósque addit Suarez libro 1. de gratia capite 8. vbi fusissimè locum illum exponit: & hunc illius esse verum sensum accuratè ostendit. 2. *Sententia affirmans probatur ex Scriptura.*

Augustinus quoque, licèt aliam expositionem tradat & præferat, hanc tamen probabilem esse fatetur libro de spiritu & lit. cap. 27. & 28. vbi notandum est quod ait extremis verbis cap. 27. *Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi iustificat gratia, sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum veraciter iustéque colentium, quædam tamen facta vel legi-* 3. *Confirmatur ex Augustino.*

mus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possimus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem defensionémve mereantur. Quibus extremis verbis significat eiusmodi opera non solùm esse bona ex obiecto & circumstantiis, verùm etiam ex fine; licèt vix, id est, rarò & difficulter talia in illis reperiantur opera vsquequaque bona, & debitam iustitiæ laudem promerentia. Eiúsque rei rationem reddens, sic ait immediatè pòst, ipso initio capitis 28. *Verumtamen quia non vsque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere: si hoc est, quod dictum est, quia Gentes quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quæ legis sunt faciunt: & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omnino deletum est quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est &c.* Et paulò inferiùs de iisdem Gentilibus loquens naturaliter benè operantibus, *Ipsi homines erant*, inquit, *& vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit.* Quódque loquatur de legitimo vndequaque, id est, de opere bono ex obiecto, fine, & circumstantiis, patet ex his quæ addit ibidem. *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Quæ comparatio, & oppositio eiusmodi operum cum peccatis etiam venialibus, non esset bona, si illa essent vel leuiter mala ex obiecto, aut fine, vel aliis circumstantiis.

5. Eòdem pertinet quod idem sanctus Doctor libro de perfectione iustitiæ capite decimonono, Celestio obiicienti illud Apostoli 1. Corinth. 7. *Non peccat si nubat:* respondet, velle nubere, quamuis sit bonum opus, (vt significat ibidem Apostolus, cùm ait versu trigesimooctauo, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit*) non esse de numero eorum operum, de quibus agitur, quando de necessitate gratiæ & misericordiæ diuinæ operosiùs disputatur. *Probatur ex aliis Patribus.* Quódque ait auctor Hypognostic. (quod totum opus ex sententiis Augustini confectum est) libro tertio, capite quarto, *esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis: non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent* (id est, quæ faciunt ad salutem, quæque gratiam ipsius conciliant, aut ad illam disponunt) *sine Deo inchoare aut certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quàm etiam malis: bonis dico quæ de bonis naturæ oriuntur &c.* Similia dicunt alij duo insignes Augustini discipuli, Prosper & Fulgentius, locis à Suare citatis lib. 1. de Gratia cap. 8.

6. *Et ex Conciliis.* His Scripturæ, & Patrum testimoniis accedit auctoritas Conciliorum, & Summorum Pontificum. Neque enim sine causa Concilia, dum loquuntur de necessitate gratiæ ad bene operandum, adhibent hanc restrictionem, *sicut oportet, sicut expedit ad salutem vitæ æternæ, sicut oportet vt iustificationis gratia conferatur,* vt videre est in Arausicano contra Semipelagianos celebrato canone sexto, septimo & 25. & in Tridentino sess. 6. canone 1. & 3. sed hoc loquendi modo significant posse aliquod bonum opus, non adeo perfectum, exerceri sine auxilio gratiæ. Pius verò V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, confirmatâ ab Vrbano VIII. has illius propositiones Censurâ notarunt: 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* 7. *Et ex Bullis Pontificum.* 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* 61. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus; & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit & docet.* Ibidem quoque damnatur eiusdem propositio trigesima-septima, quâ simpliciter, & sine vlla exaggeratione vel Censurâ (ne quis eam solùm damnati putet) ita pronunciauerat: 33. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.* Et 37. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.*

Accedit denique ratio breuiter insinuata à Diuo Augustino libro de spirit. & lit. capite 28. & à D. Thoma 1. 2. quæst. 109. articulo 2. in corp. quia scilicet peccatum Adæ non ita corrupit naturam humanam, vt in illa non remaneat vis intelligendi & volendi, quæ iuxta probabiliorem sententiam est realiter ipsamet substantia animæ rationalis, vel, vt alij malunt, naturaliter & necessariò ab illa fluit iuxta substantialem ipsius perfectionem. 8. *Confirmatur ratione.* Valet autem hæc vis intelligendi quantum est de se, & cum debito concursu prouidentiæ generalis, ad intelligendas multas veritates, etiam practicas & morales: neque semper & vniuersaliter impeditur aliunde ab assequendâ illarum cognitione: putà quòd parentes sint amandi, superiores colendi, benefactores grato animo recognoscendi, nemo iniustè lædendus, nihil indecenter agendum, & similia de quibus dicit Apostolus 1. Corinth. 11. versu 14. *Nec ipsa natura docet vos? &c.* Valet quoque vis illa volendi ad appetenda bona honesta, id est, rectæ rationi, adeóque naturæ hominis quà rationalis, consentanea, quantum est ex se: bona, inquam, honesta ordinis naturalis, ad quæ natura ipsa per se inclinat, vrgétque per dictamen conscientiæ: impedimentum verò ortum ex peccato Adæ, per fomitem concupiscentiæ, vel non semper vrget: id est, in quolibet opere bono; vt in eo quòd amentur parentes filiorum amantissimi, aut colantur benefactores eximij, quod non est contra inclinationem appetitus sensitiui: vel non adeo viget & resistit, vt non facilè possit à voluntate superari: præsertim cùm in malè operando maiorem sæpe difficultatem superet. Idémque dico de impedimento à tentatione dæmonum vel hominum inducto, quæ non semper occurrit, & sæpe adeo leuis est, vt turpissimum iudicetur ab omnibus tam facilè illi cedere. Pertinet etiam ad prouidentiam Dei generalem, non permittere vt dæmones

sæuiant quantùm vellent, & sollicitent homines ad peccandum: sicut ad eandem pertinet non permittere vt non inuertant & turbent pro libito naturalem rerum ordinem.

SECTIO II.

Refertur doctrina Baÿ, & Ianseniÿ de quæstione proposita.

9. *Sententia Baÿ.* CONTRARIVM sentiunt Michaël Baius, eiúsque sectator Iansenius Iprensis: quorum ille, vt iam sect. 1. retulimus, affirmauit liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere; & Pelagianum esse dicere, quòd aliquid boni solis naturæ viribus possit efficere: nec nisi Pelagiano errore admitti posse vsum aliquem liberi arbitrij bonum, siue non malum, sine auxilio gratiæ: addens præterea proposit. 34. damnatâ in eadem Bulla Pij V. & Gregorij XIII. *Omne quod agit peccator, vel seruus peccati, peccatum est.* Et proposit. 39. *In omnibus suis actibus peccator seruit dominanti cupiditati.* Ex quo sequitur non modò sine auxilio gratiæ, sed & sine gratia sanctificante neminem posse vitare peccatum, & bene operari, iuxta sententiam istius auctoris: licèt id cum quibusdam aliis eius propositionibus in eadem Bulla recensitis, & damnatis, non bene cohærere videatur.

Doctrina Ianseniÿ. Alter verò, cuius opus ferè nihil aliud est, quàm Baij propositionum priùs damnatarum fusior explicatio, amplioŕve confirmatio, pari confidentiâ, tomo primo, libro quarto capite octauo, inter errores Pelagianorum recenset, quòd dicerent fieri posse naturæ viribus, etiam ab infidelibus, aliqua opera moraliter bona, idque confirmarent verbis Apostoli Romanorum secundo: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Et libro tertio de statu naturæ lapsæ capite decimo-quarto affirmat: *Non tantùm non esse liberum arbitrium, hoc est, non habere in sua potestate & libertate, facere opus veræ pietatis, vitæque æternæ meritorium, nisi antè gratia Christi arbitrium liberauerit, & ad omnem actum & sermonem, & cogitationem adiuuerit; sed etiam non esse liberum, seu non habere in sua potestate facere opera moraliter bona; ita videlicet vt non solùm non habeat potestatem, qua vniuersam iustitiæ moralis legem impleat, sed nec illam, quâ vel vnum opus moraliter bonum operetur.* Per opus autem moraliter bonum, intelligit, vt consequenter declarat, *actum quadam honestate morali ita bonum, vt non sit peccatum; siue ad vitam æternam conferat, siue non conferat.* Et paulò pòst addit, Indubitatum esse in doctrina Christi & Ecclesiæ; *Nullum opus bonum, nequidem moraliter ab humano arbitrio posse fieri, nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei, liberetur: vt proinde ante fidem non sit ei liberum à peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abstinere; sed quocunque se verterit, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur.*

10. *Cap. 15. Præcipua eius argumenta.* Probátque primò, ex eo quòd lex sine gratia & fide non iuuat ad non peccandum; sed dando notitiam peccati, incitat potiùs ad peccandum nitentes contra vetitum. Secundò, quia sub lege, id est, ante gratiam fidei, homo concupiscentiæ semper obsequitur. Tertiò, si aliquando resistere conatur vni concupiscentiæ, alteri cedit, & peccandi solicitationem, non nisi peccando, vincit, ex motiuo superbiæ, vel alio affectu vitioso. Quartò, quia *cap. 16.* bonum opus fieri debet non timore pœnæ, sed amore iustitiæ, qui amor sine gratia fidei haberi nequit. Ipsâ enim præcepti, siue operis boni iustitiâ delectari, non est aliud quàm opus bonum ex illa cælesti caritate prosequi: Deus enim iustitia est, nec illa nisi solâ caritate diligitur. Quintò, nullum omnino fieri potest opus bonum: hoc est, sine peccato, nisi ad finem in *cap. 17.* quem referri vera sapientia præcipit, hoc est, in Deum propter se dilectum referatur; alioquin neque rectè fit, neque bonum opus est, sed veri peccati contaminatione pollutum. Sextò, *cap. 18.* quia per huiusmodi opera quæ non referuntur ad Deum in æterna vitâ possidendum, seruiunt homines creaturæ potiùs quàm Creatori; diligunt mundum, non Deum; concupiscentiæ seu cupiditati obediunt, quam diabolus in homine plantauit; non caritati, quam Deus. Nec enim inter Creatorem & creaturam, inter mundum ac Deum, aliquod medium fingi potest, quod operando sectentur; vel inter cupiditatem, & caritatem medius modus, quo in suis actionibus moraliter bonis impellantur. Creaturæ verò cupiditate seruire potiùs, quàm Creatori; mundum inter operandum diligere, non Deum, solus impius negauerit esse peccatum. Septimò, quia nullum datur medium inter caritatem & culpabilem cupiditatem. Om- *cap. 19.* nes enim affectus animi in alicuius rei amore velut cardine versantur; qui cùm non possit esse alius, nisi vel Creatoris, vel creaturæ; & ille bonus, hic culpabilis sit, vtpote amor mundi ab Apostolo vetitus, & iuxta Augustinum ipsa ratio peccati, quæ in omni malefaciendi genere dominatur; profectò liquet omnem amorem, præter istam caritatem, esse illam culpabilem cupiditatem. Ex eadémque capitali *cap. 22.* caritatis & cupiditatis contrarietate, quæ nullum omnino in actibus humanis medium suscipit, contingit nihil omnino hominem à seipso habere, præter peccatum, atque mendacium, vt ait Augustinus in Psalm. 70. & 102. & tract. vicesimo secundo in Ioannem, & sermone 151. de tempore capite quinto, & libro de perfectione iustitiæ capite duodecimo, aliísque locis. Quam doctrinam sanxit Arausicanum Concilium II. canone vicesimo-secundo, sic dicens: *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum. Si quis autem homo habet veritatem atque iustitiam, ex illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.*

Addit libro quarto capite primo aliud argumentum: quia omne quod non est ex fide, 11. peccatum est, vt post Apostolum affirmat Augustinus tract. 89. in Ioannem, & epistola 105. ad Sixtum, & epistola 107. ad Vitalem, & libro de gestis Pelagij capite decimo-quarto, & libro de gratia Christi capite vicesimo-sexto, & libro 3. ad Bonifacium capite quinto. Quibus omnibus locis constanter asseuerat omnia infidelium opera esse peccata, quia non fiunt ex fide. Quod intelligit de peccato propriè dicto, & vniuersaliter; ita

vt quidquid agant homines sine fide, peccatum sit verè & propriè: quia sola absentia fidei sufficit, vt omnia opera infidelium, vera peccata sint. Ad quod probandum adducit eius testimonia ex libro primo de nuptiis capite tertio & quarto, libro quarto contra Iulianum capite tertio, tract. vicesimo-quinto in Ioan. & libro de fide & operibus capite septimo, aliisque locis. Eandémque doctrinam secutos esse dicit Prosperum, & Fulgentium insignes Augustini discipulos; atque in eundem sensum intellectum & impugnatum fuisse Diuum Augustinum à Iuliano & Cassiano, aliisque Pelagianis & Semipelagianis.

12. Ex quibus omnibus concludit, virtutes Philosophorum Gentilium & Romanorum non veras virtutes, sed vitia fuisse. Cùm enim, inquit, virtus non sit aliud nisi principium boni operis, seu secundùm Aristotelem, quæ bonum facit habentem, & iuxta D. Thom. bonus habitus, & boni operatiuus, hoc ipso quòd infideles nullum facere posse docentur opus bonum, necessariò sequitur eos nullam etiam habere virtutem; sed si ad aliquod officium bonum propendere videantur, ea forsan consuetudo bona vocari posset, virtus tamen esse non poterit: defectu scilicet, finis boni ad quem referatur, quem Deum, vnicum verum bonum hominis esse vult. Atque hoc argumentum fusissimè prosequitur à capite octauo vsque ad 17. Cuius titulus est, *Nugæ, delirium, insania, error, impietas contraria Christianorum sensui, Scripturis, & fidei, quòd infidelium sit vlla vera virtus, vel opera sine peccato, iuxta Augustinum & Concilium Arausicanum.*

SECTIO III.

Impugnatur prima propositio aduersariorum. Quòd sine fide nullum opus bonum fieri possit.

13. *Errores doctrinæ suprà relatæ.* IN his propositionibus Baianis & Iansenianis tres continentur errores singillatim refutandi. 1. Nullum opus bonum fieri posse sine fide. 2. Neque sine gratia sanctificante. 3. Ne tunc quidem bonum esse, nisi fiat ex caritate erga Deum.

14. *Aliquod opus bonum potest fieri sine fide.* Contra primum errorem, Dico primò, repugnare Scripturæ, dicere gratiam fidei, seu fidem supernaturalẽ ita necessariam esse ad bene operandum; vt sine illa nihil boni fiat, omniáque infidelium opera esse peccata. Nam Scriptura pluribus locis aliqua infidelium bona opera commemorat: quale est beneficium præstitum Israëlitis ab obstetricibus Ægyptiis, *Probatur ex Scriptura.* quod Deus remuneratus est ædificando eis domos, quia timuerunt Deum, vt dicitur Exodi capite primo versu 21. Et gratia præstita à Rahab exploratoribus Israëlitarum, quam Iosue, iuxta Dei voluntatem sine dubio, alio beneficio compensauit, vt dicitur Iosue 2. & 6. Et Ezech. 29. versu 18. Deus sic loquitur de Nabuchodonozore: *Merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonozor Regem Babylonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius: & erit merces exercitui illius, & operi, quo seruiuit aduersus eam: dedi ei terram Ægypti pro eo, quòd laborauerit mihi, ait Dominus Deus.* Ex quibus omnibus Scripturæ locis possumus efficaciter sic argumentari: Nulla peccata remuneratur Deus mercede. Sed aliqua opera infidelium Deus mercede remuneratur. Ergo aliqua opera infidelium non sunt peccata. Ideóque meritò D. Hieronym. in caput 29. Ezech. versu decimo-octauo sic ratiocinatur: *Ex eo quòd Nabuchodonozor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque mercede, Dei iudicio præteriri.*

Item Daniel 4. versu vicesimo-quarto Propheta, sic alloquitur Nabuchodonozorem: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Certè autem peccata non redimentur peccatis apud Deum. Illæ igitur eleemosynæ, regis licèt infidelis, non erant peccata, sed opera misericordiæ, apta ad impetrandam Dei misericordiam, flectendámque ipsius iram, & vltionem imminentem auertendam: vt etiam fecerunt Niniuitæ Ionæ 2. versu 10. Et Rom. 2. versu 14. dicit Apostolus, *Gentes quæ legem scriptam non habent, facere naturaliter ea, quæ legis sunt*, id est, facere naturali instinctu & ductu, aliqua contenta in lege scripta, & vi legis ipsius naturalis necessaria, rationisque lumine satis nota. Hunc enim sensum præ se ferunt, vt sonant Pauli verba, iunctis præsertim sequentibus: *Ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum &c.* 15.

In eundémque sensum exponuntur communiter à Patribus, vt ab Origene lib. 2. in epist. ad Rom. paulò ante medium, vbi sic habet: *Sed & Græcus, id est, Gentilis, qui cùm legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, & ratione naturali motus (sicut videmus nonnullos in Gentibus) vel iustitiam teneat, vel castitatem, vel prudentiam, temperantiam, modestiámque custodiat: iste licèt à vita alienus videatur æternâ, quia non credit Christo, & intrare non possit in regnum cœlorum, quia renatus non est aquâ, & Spiritu sancto; videtur quòd per ea, quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, & honorem, & pacem perdere penitùs non posset.* Et à Tertull. libro de corona militis capite 6. vbi sic ait: *Apostolus ad Romanos dicens, Naturâ facere nationes ea, quæ legis sunt, & legem naturalem suggerit, & naturam legalem.* Et Hieronym. loco suprà citato: *Perspicuum est*, inquit, *condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus, de quo plenissimè ad Rom. Paulus Apostolus disputat.* Et D. August. libro de Spiritu & lit. capite vicesimo-octauo: *Veruntamen*, inquit, *quia non vsque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis, vel sapere. Si hoc est, quod dictum est, quia Gentes quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quæ legis sunt, faciunt, & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo de-* 16. *Et ex Patribus.*

letum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est: etiam sic illa differentia non pertubabitur, quâ distat à vetere Testamentum nouum: eò quòd per nouum scribitur Lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illic scribitur per renouationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Et vt refert ipse Iansenius libro quarto de statu naturæ lapsæ, capite secundo, idem August. libro quarto contra Iulian. capite tertio dicit, Bonum esse subuenire homini periclitanti, præsertim innocenti; & misereri per seipsum naturali compassione, esse opus bonum, etiam cùm fit ab infidelibus; & talia opera bona, quæ faciunt infideles, non infidelium esse, sed Dei. Quod verò addit esse quidem hæc officia bona, sed non bonum opus, quia non referuntur ab infidelibus ad Deum propter se dilectum, refutabitur inferiùs. Et Prosper libro contra Collatorem capite 22. affirmat, si loquitur Apostolus de illis, *qui alieni à gratia Christiana, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio iudicio sanciebant &c. quis ambigat hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem ex naturæ à Deo conditæ superesse reliquiis?* Licèt autem vterque non asserat absolutè hunc esse sensum Apostoli: clarè tamen significat posse congruè sustineri. Et denique hanc esse communem sententiam aliorum Patrum, maximè Græcorum, testatur Staplet. libro 2. de Iustific. cap. 14.

17. *Et ex Scriptura interpretibus.* Simili etiam modo eundem locum exponunt communiter veteres & recentes Scripturæ interpretes, Theodoret. Oecumen. Theophylact. Anselmus, D. Thomas, Caiet. Salmeron, Tolet. Cornel. à lapide, Benedictus Iustinian. & alij expositores epist. ad Rom. & Doctores Scholastici. Quo magis mirandum est ausum esse Iansenium loco suprà relato dicere Pelagianum esse, dissonúmque à veritate doctrinæ Ecclesiæ, fundare in hoc loco Apostoli, quòd possint fieri opera naturæ moraliter bona, præsertim verò, cùm hæc eius propositio iam anteà damnata fuisset per Censuram Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium, in hac æquiualente propositione 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Digna certè fuit hæc audacia, & contemptus intolerabilis auctoritatis Sedis Apostolicæ, vt Censurâ Vrbani VIII. comprimeretur. Cúmque addit, Nugas esse, delirium, insaniam, impietatem contrariam Christianorum sensui, Scripturis, & fidei, quòd infidelium sit vlla vera virtus, vel opera sine peccato: his atrocibus verborum aculeis pungit Summos Pontifices supradictos, qui hanc propositionem approbarunt, & oppositam Censurâ notarunt, hanc scilicet Baij 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia:* quam iisdem ipse terminis renouare ausus est libro tertio de statu naturæ lapsæ, capite decimo-septimo.

18. *Confirmatur aliis Scripturæ testimoniis.* His adde, quòd Scriptura hortatur sæpiùs peccatores, etiam infideles, ad petendam veniam peccatorum, ad peccata sua eleemosynis redimenda, ad ieiunium, orationem, & alia bona opera. Ergo supponit posse ab illis bene fieri: neque enim hortatur ad malè operandum. Item Christus Matth. 5. ver. 46. supponit bonum aliquod opus morale fieri posse ab Ethnicis, cùm sic ait: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Vbi loquitur Christus de dilectione, & salutatione moraliter bona, nemo enim adeo stultus est, vt mercedem speret à Deo pro mala. Et Lucæ 11. *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris:* ex bono scilicet affectu: nam alioqui non esset mirum, quòd donatio mala prodiret à malis hominibus.

Adde præterea, quòd homo sine fide multa cognoscit naturaliter, & practicè: vt Deum esse colendum: neminem esse iniustè lædendum: parentes esse honorandos: benefactores esse amandos. Et in plerisque huiusmodi operum per se naturalium, non magna occurrit difficultas: imò ad quædam natura per se inclinat: vt ad misericordiam erga miserrimum exhibendam, ad vitam amici innocentis tuendam, ad beneficia recognoscenda, & similia. Cur ergo necessaria est fides supernaturalis? Quæ quamuis adesset, non tolleret difficultatem bene operandi: & hæc per auxilia actualia, si opus sit, sufficienter tolli potest. Et hactenus de primo errore. 19. *Probatur ratione.*

SECTIO IV.

Refelluntur aliæ duæ eorundem assertiones. Quòd sine gratia, vel sine caritate nullum opus bonum fieri possit.

DICO secundò multò absurdius esse existimare cum Baio, nullum opus morale fieri posse sine sanctitate supernaturali: ita vt quæcunque fiunt à peccatoribus ante adeptam iustificationem, sint peccata. Probatur, quia si non requiritur fides, vt iam ostendimus; multò minùs iustitia supernaturalis, quæ vltra fidem alia multa complectitur. Et certè illi, de quibus loquuntur Scriptura, & Patres, locis antè citatis, erant etiam peccatores, vel quia culpabiliter non credebant: vel quia peccabant in nonnullis contra legem naturæ. Ergo loca citata probant, aliqua opera bona moraliter fieri posse etiam à peccatoribus. Specialiter autem probatur ampliùs ex Scriptura, hortante peccatores ad pœnitentiam, & ad alia bona opera, pluribus locis. Ergo supponit illos posse bene operari: neque enim ad malum hortatur, vel ad impossibile. Et de attritione concepta à peccatore Tridentinum sessione decima-quarta capite quarto pronunciat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, (vt faceret si ipsa quoque peccatum esset) verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat, & ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam se disponit. Quod iterum definit addito anathemate aduersus contrarium asserentes, can. 5. eiusdem sessionis. 20. *Potest aliquod bonum fieri sine gratia sanctificante.* *Probatur ex Scriptura, & Concil.*

21. *Et ex Patribus.* Probatur secundò ex Patribus, præcipuéque ex Diuo Augustino, cuius maximè auctoritate abutuntur aduersarij: Sic ergo ille ait libro de Patientia capite 26. *Si quis non habens caritatem, & in aliquo Schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem &c. nullo modo culpanda ista sunt: imò verò & hæc laudanda patientia est.* Et libro de spiritu & lit. cap. 27. & 28. dicit impios aliqua facere, quæ non solùm vituperari nequeunt, verùm etiam rectè meritóque laudantur: quamuis (vt ait paulò pòst) non prosint illis ad vitam æternam eiusmodi bona opera: sicut iustis non inferunt damnationem peccata venialia, sine quibus nullius hominis quantumlibet iusti vita peragitur. Vtriusque loci verba superiùs relata, & expensa vide num. 16. aliáque plura eiusdem testimonia referemus num. 36. Eòdem pertinet quod ait Hieronymus in caput 29. Ezechielis v. 18. de mercede à Deo reddita Nabuchodonosori propter illius obsequium: & quod ait in cap. 22. Matth. *Inter ipsos quoque Ethnicos* esse diuersitatem infinitam, *cum sciamus alios esse procliues ad vitia, & ruentes ad mala: alios ob honestatem morum, virtutibus deditos.* Et Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 26. Si infidelis, inquit, fecerit opus bonum, hîc ei prodest opus ipsius, & hîc ei reddit Deus bona pro opere suo: in illo autem sæculo (futuro) nihil ei prodest. Et Prosper, Augustini discipulus libro contra Collatorem cap. 26. *Vita*, inquit, *& sensus, & ratio, ceteráque corporis, atque animi bona etiam malis, vitiosisque non desunt: sed non in illis veri boni perceptio est: quæ mortalem vitam honestare possunt: æternam autem vitam conferre non possunt:* Certè nec vitam mortalem honestare possent, si peccata, adeóque turpia & inhonesta essent. Et Fulgentius, alter Augustini discipulus, libro de Incarnatione capite 26. ***Aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt*** (peccatoribus:) ***sed quia non caritate Dei fiunt, prodesse non possunt,*** ad salutem videlicet, & vitam æternam.

22. *Non est necesse vt fiat ex caritate.* Dico 3. falsum pariter esse, & alienum à fide Catholica quod ait Iansenius, nullum opus bonum fieri posse sine caritate, hoc est, nisi in Deum propter se dilectum referatur: & alioqui nec rectè fieri, nec bonum esse, sed veri peccati contaminatione pollutum. Ad hoc probandum efficaciter valent nonnulla in præcedenti conclusione allata: vt quod ait Fulgentius proximè citatus, Aliqua bona ad societatis humanæ æquitatem pertinentia peccatoribus inesse posse: sed quia non caritate fiunt, prodesse illis non posse ad vitam æternam: & quod Tridentinum sess. 14. cap. 4. & can. 5. definit de attritione, quam ibidem dicit esse dolorem de peccatis non conceptum ex motiuo caritatis propter Deum summè dilectum (in quo differt à contritione) sed ex turpitudinis peccati considerationе, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, esse verum Dei donum, & Spiritus sancti impulsum, qui certè non impellit ad malum, & ad verum peccatum: ac denique esse motum bonum, vt addit in fine capitis cit. & peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, quamuis sola, id est, sine Sacramento, cum solo illius voto, non possit Deo reconciliare, sicut facit contritio caritate perfecta, vt ibidem affirmat. Et canone 8. eiusdem sess. sic pronunciat: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Et sess. 6. can. 31. ita definit de operibus factis spe retributionis, *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Et in Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. contra Baium, & Iansenium, damnatur ista propositio num. 37. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.*

Probatur secundò ex Scriptura, quæ sæpiùs inducit homines ad pœnitentiam, & dolorem de peccatis ex motiuo pœnarum, vel spe æternæ remunerationis, vel ex peccati turpitudine: & ad iustitiam, temperantiam, aliarúmque virtutum opera caritate inferiorum, ac proinde non ex motiuo Dei propter se dilecti operantium, frequenter hortatur: vt Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum &c. Progenies viperarum, quis docuit vos fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Et Lucæ 12. versu quinto: *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Et Prouerb. 14. versu decimo-septimo: *Timor Domini fons vitæ vt declinent à ruina mortis.* Et Psalm 118. Vates regius hunc timorem à Deo postulat his verbis: *Confige timore tuo carnes meas à iudiciis enim tuis timui.* Ibidémque affirmat se propter motiuum retributionis mandata seruasse: dicens, *Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Eadémque spe Mosem inductum fuisse ad opes, & honores Ægypti contemnendos, docet Apostol. Hebræorum vndecimo, versu vicesimo-sexto. *Maiores*, inquit, *diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remuneratorem.* Et Christus ipse Apocal. 2. versu decimo, eiusdem spei motiuo hortatur ad perseuerantiam, dicens: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et alibi sæpiùs Scriptura præcipit seruare iustitiam, misereri pauperum, honorare parentes, obedire magistratibus, & dominis, etiam temporalibus, & similia, quæ licèt non fiant ex motiuo caritatis, sunt nihilominus honesta, & rectæ rationi consentanea; adeóque moraliter bona. 23. *Probatur ex Scriptura.*

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui eiusmodi actus laudant vt bonos, & ad eos nos sæpè hortantur: Vt Cyprian. lib. de laude martyrij, *Nos*, inquit, *ad hunc gloriæ titulum* (martyrij scilicet) *metus excitet futurorum. Etenim quibus magna promissa sunt, magis magna sunt quæ metuenda esse illis videantur.* Et Basil. in Psalm. 33. circa illa verba, *Diuites eguerunt &c. Si quando*, inquit, *te senseris ad vnum aliquod cieri, ac prosilire peccatum; ad mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium &c.* Ibidémque affirmat timorem illum salutarem esse, & sanctitatis operatorium, animámque velut frænum quoddam à peccando compescere. Et Chrys. hom. decima-quinta ad populum Antioch. *Quid gehennâ grauius?* 24. *Et ex Patribus.*

Sed huius metu nihil vtilius; gehenna namque timor, regni nobis affert coronam &c. Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones, & longos, de illa pœna & supplicio loquens. Similique modo de timore loquuntur Ambros. in Psalm. 118. versu 120. & libro secundo de vocat. Gent. capite 9. & Hieron. in caput 1. Malachiæ circa illa verba, *Si Pater ego sum, vbi est amor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus?*

Et Diuus Augustinus libro primo contra aduers. legis & Prophet. cap. 16. *Salubriter,* inquit, *non solùm bonitatem, verùm etiam seueritatem Dei sacra Scriptura commendat: quoniam & amatur Deus vtiliter, & timetur.* Et in Psal. 127. explicans versum 1. *Beati omnes qui timent Dominum,* sic ait: *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit. Non timore amittendi bonum illud: sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi: sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est.* Et libro de gratia & libero arbitrio capite decimo-octauo spiritum istum timoris sine dubio esse magnum donum Dei: non quo timore Petrus Christum negauit, sed de quo dixit Dominus Christus, *Eum timete, qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam.* Et tractat. 9. in epistolam Ioan. dicit timorem Domini priùs mentem occupare, vt postea ingrediatur caritas: & timorem esse medicamentum animæ, caritatem esse illius sanitatem.

25. *Confirmatur ratione.* Denique, ne longior sim in referendis Augustini, & aliorum Patrum testimoniis; si nullum opus est bonum, nisi quod fit ex motiuo caritatis propter Deum summè dilectum: sequeretur nullam esse virtutem præter vnam caritatem, cuius solius est operari propter tale motiuum. Consequens autem est contra Scripturam, quæ plures alias virtutes agnoscit, & commendat pluribus locis, vt spem, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, misericordiam erga indigentes, pietatem erga parentes, obedientiam erga superiores, gratitudinem erga benefactores &c. Et etiam contra sanctos Patres, rationémque manifestam. Cùm enim virtus, ex receptissima definitione sit habitus cum ratione electiuus, id est, conformiter rectæ rationi eligens, & agens: manifestum est rectæ rationi consentaneum esse confidere vt par est de Dei omnipotentia, vel eum vt summum bonum nostrum diligere, & prosequi: amare iustum & facere, quia iustum est: viuere temperatè: agere fortiter contra pericula sine temeritate, & pusillanimitate: subuenire indigentium necessitati, exhibere parentibus, superioribus, & benefactoribus, honorem, obedientiam, & gratitudinem: aliáque his similia, quæ etiam præcisâ relatione ad Deum, vt summè dilectum propter seipsum, honesta sunt, & secundùm rectam rationem appetibilia.

26. *Impostura Iansenij.* Atque ex his patet euidenter falsum esse, & ineptum, quod scribit Iansen. tom. 3. lib. 5. cap. 33. seu potiùs 25. Propositum bene viuendi ex timore pœnarum concipi, principiis Augustini solidissimis, ex quibus Pelagiana hæresis expugnata est, directè refragari. Et capite 35. seu potiùs 27. Doctrinam quam Scholastici tradunt de dolore peccatorum ex solo metu gehennæ, non solùm Augustini principiis fundatissimis, & per omnes eius lucubrationes diffusis, ex diametro repugnare: sed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proscriptam esse. Quod quàm sit à veritate alienum satis liquet ex sola inspectione cap. 4. & can. 8. sess. 14. cuius verba suprà retulimus, & fusiùs expendemus disput. 29. sect. 8.

SECTIO V.

Respondetur præcipuis argumentis aduersariorum.

QVÆ præcedentibus conclusionibus opposuit Iansenius suprà numero decimò, non magni sunt momenti. Ad primum enim respondeo, falsò eum supponere Deum ita legem ferre, vt non det gratiam necessariam, & sufficientem ad eam seruandam: & eos quibus fertur, qui ve culpabiliter eam transgrediuntur, non habere potestatem illam seruandi. Qua de re plura dicemus disputat. 24. sect. 3. vbi agemus de gratia sufficiente data hominibus sub lege existentibus. Ad secundum, & tertium: gratis & falsò sumit, hominem ante gratiam fidei, semper obsequi concupiscentiæ, ita vt neque colere parentes, neque amare benefactores, neque misereri pauperis, neque aliquid iustè, fortiter, aut temperatè agere possit sine aliquo vitioso affectu: cuius contrarium suprà ostendimus ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, & ratione manifestâ. Ad quartum & quintum: constat ex supradictis sufficere ad bonitatem actus, quòd fiat ex motiuo honesto propter se amato, quamuis non actu referatur ad Deum propter se dilectum: quæ relatio pertinet ad solam virtutem caritatis: præter quam dari alias virtutes, & consequenter alios actus bonos, illarum proprios, & honestos, docet fides Catholica. 27. *Multa supponit falsa.*

Ad sextum, & septimum: constat etiam ex dictis non omnem amorem rerum creatarum esse vitiosum: putà amorem iusti, fortis, temperati, vel parentum, aut benefactorum quà talium: nec nisi ineptissimè inter vitiosas cupiditates poni tales affectus: & in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. damnatum esse quod affirmat hoc loco Iansenius, non dari medium inter caritatem quâ Deus diligitur, & culpabilem cupiditatem quâ mundus, id est, res creatæ inordinatè & vitiosè diliguntur. Quod verò addit, Augustinum, & Arausicanum affirmare, *Hominem nihil habere de suo nisi mendacium, & peccatum:* intelligendum est de iis quæ pertinent ad salutem æternam consequendam, vel eius assecutionem impediunt. Nam in huiusmodi genere actuum, homo nihil habet de suo nisi mendacium, & peccatum: quidquid verò bene & vtiliter ad vitam æternam nouit ac facit, habet à Dei gratia. Quòd autem de huiusmodi genere loquantur Augustinus & Arausicanum, colligitur ex verbis immediatè pòst sequentibus vtroque loco citato ab aduersario: *Si quis autem homo habet veritatem atque iustitiam, ab illo fonte est, quem de-* 28. *Quo sensu homo nihil habet de suo nisi mendacium & peccatum?*

bemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via: salutis scilicet, per quam tendimus ad vitam æternam: nam vt agnoscit ipse aduersarius lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 23. phrasis ista, *ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo*, ex Psal. 62. cum quadam allusione sumpta est, vbi dicitur, *sitiuit in te anima mea: & in terra deserta*, hoc est, in eremo: de eadémque siti dicebat idem Propheta Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Idémque August. in Psal. 62. de eadem siti sic loquitur, exponens illud Matt. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Ergo*, inquit, *in hoc sæculo non debemus quasi amare saginam; hic sitiendum est, alibi saginabimur, modò autem vt non deficiamus in isto deserto, aspergit nobis rorem verbi sui, &c.* Et paulò pòst, *ipsum desiderium est sitis animæ. Quando caro sitit, aquam sitit. Quando anima sitit fontem sapientiæ sitit. De isto fonte inebriabuntur animæ nostræ*, sicut dicit alius Psal. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos, &c. Angeli non sitiunt, non esuriunt, quomodo nos; sed habent saginam veritatem lucis incommutabilis sapientiæ, & miserantur nos, vt ad illam patriam communem aliquando redeamus, & cum illis, fonte dominico veritatis, & æternitatis aliquando saturemur.* Et serm. 151. de tempore, dicens *Hominem de suo mendacium loqui, de Deo autem habere veritatem*; declarat hoc in Petro, qui non nisi Deo reuelante in confitenda de Christo veritate, verax fuit.

29. Ad vltimum, sumptum ex Apost. Rom. 14. mox dicemus, respondendo Scripturæ testimoniis. Ibidémque exponemus quo sensu intelligi debeant Augustinus, & si qui alij Patres affirmant omnia opera infidelium esse peccata: & iam ex ex dictis sect. 3. & 4. liquet eundem Augustinum, aliósque Patres, etiam eos qui in contrarium citantur à Iansenio, scilicet Prosperum, & Fulgentium, non negare absolutè aliquod opus bonum posse fieri ab infidelibus, licèt difficilè, & rarò faciant opus omni ex parte bonum, id est, ex obiecto, & fine, & ex omnibus circunstantiis.

30. *Exponuntur Scripturæ loca nobis obiecta.* Non obest etiam doctrinæ, præcedentibus sectionibus propositæ, quod ait Isa. c. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? &c. Ne offeratis sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, &c. Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Neque enim Deus verbis illis significat hæc omnia esse peccata eo solo, quòd à peccatoribus fierent: sed loquitur de Iudæis hæc omnia non ex affectu religionis, & honesti, sed profano tantùm, vel hypocritico facientibus, omnémque suam iustitiam in cultu illo externo constituentibus, contemptâ virtute, & cultu Dei interno. De quibus alibi Deus per Isaiam sic dicit cap. 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

31. *Quomodo quod non est ex fide, peccatum est?* Quod autem dicitur Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, debet intelligi non de fide habituali, aut actuali; sumptâ scilicet pro actu, vel habitu supernaturali credendi reuelationibus diuinis: sed de dictamine conscientiæ iudicantis aliquid esse rectum, aut licitum. Loquitur enim Apostolus de iis, qui per concupiscentiam erroneam iudicabant, non esse licitum vesci iam cibis lege antiquâ prohibitis. Qui cùm discernūt cibum à cibo, & eo vescuntur, quem illicitum putant, peccant: quia non ex fide, id est, ex dictamine conscientiæ iudicantis licere, eo vtuntur: Omne autem, quod non est ex tali fide, peccatum est. Similem sensum habet illud Apostoli ad Titum cap. 1. vers. 15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens, & conscientia.* Vbi Paulus de cibis quoque agit; & infideles, atque inquinatos vocat nonnullos Iudaïsantes, qui nec fidem, & conscientiam rectam habebant; nec puram, sed multis sceleribus inquinatam: quibúsve nihil in cibis erat mundum, eo quòd falsâ opinione, & superstitione delusi, vel abstinerent à cibis, vel vterentur, secundùm quod lex Mosaïca prohibebat, aut permittebat: quasi adhuc esset necessariò seruanda. Quod autem ait Apostolus Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo:* nihil aliud sibi vult, quàm non posse quenquam sine fide esse Deo gratum & iustum, iustitiâ, & sanctitate supernaturali, per quam Deo placuerunt Sancti, de quibus deinceps toto eodem cap. loquitur: consequenter ad id, quod dixerat extremis verbis capitis præcedentis, *iustus autem meus ex fide viuit.*

32. *Et arbor mala non potest benè fructum facere.* Illud denique Christi Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, intelligendum est formaliter de mala, quatenus mala. Ad intentionem verò Christi tradentis ibi modum dignoscendi falsos prophetas à veris, sufficit quòd falsi non possint sæpe non docere, & operari vt falsi, & mali prophetæ: id est, contingat infallibiliter in longo tempore eos sic loqui, & agere: quamuis aliquo bono opere possint interdum malitiam suam dissimulare. Ita vt particula illa, *non potest*, referatur ad collectionem, non ad singulos actus: vt bene exponit Suares lib. 1. de gratia cap. 4. num. 19.

33. *Quo sensu ait August. non esse opus bonum sine fide.* Cetera, quæ obiiciuntur ex Scriptura, vel ex Patribus, tantùm probant impios, & infideles plerumque non nisi malè operari: vel etiam omnia esse vana, & inutilia ad vitam æternam, nisi fide, & caritate fulciantur. Quo sensu D. August. lib. de grat. & lib. arb. cap. 18. dicit præcepta caritatis tanta, ac talia esse, vt quidquid se putauerit homo bene facere, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene. Et in Psal. 31. in præfatione enarrationis, *Nemo*, inquit, *computet opera sua bona ante fidem. Vbi enim fides non erat, bonum opus non erat.* Nam de quo genere bonitatis loquatur, explicat lib. 4. contra Iulianum cap. 3. vbi postquam longa disputatione contendit nullas esse veras virtutes in infidelibus, nulláque eorum opera esse bona: subiungit, *Si ad consequendam veram Beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes, &c. Et quoniam concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnúmque perducere: scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnúmque perduci.*

34. *Vel sine caritate.* In eundem sensum intelligenda sunt alia quædam loca difficilia eiusdem S. Doctoris, quæ refert, & fusè exponit Suares lib. 1. de grat. cap. 5. & 7. suntque ferè illa ipsa quæ obiiciuntur à

Iansenio libro 3. & 4. de statu naturæ lapsæ. In quorum aliquibus intendit solùm Augustinus affirmare opera quæ non fiunt ex caritate propter Deum, non mereri nomen virtutis, aut boni simpliciter, seu quasi antonomasticè: quamuis habeant aliquam honestatem: in aliis sensus illius est, infideles, & iniustos vix quicquam facere omni ex parte bonum, & honestum: solent enim ferè semper in aliquo deficere. In aliis asserit tantùm, quæcunque fiunt ab infidelibus vt talibus, esse peccata: quia, quod non est ex fide, peccatum est, id est, vt ipse exponit, quod ex affectu aliquo fidei contrario procedit. In aliis denique contendit homines Dei gratiâ destitutos, non posse veram virtutem attingere: per, *veram*, intelligendo, vel eam, quæ sit vtilis ad veram Beatitudinem assequendam; vel etiam virtutem moralem intra honestatem naturalem in statu perfecto: imò vix in singulis actibus carere, vel malo fine, vel malâ aliquâ circumstantiâ, quâ vitietur actio: ideóque vix vllum actum veræ virtutis exercere. Quod dicit disputando contra Pelagianos, qui cùm nimis extollerent vires naturales liberi arbitrij, affirmarentque sufficere sine gratia non modò ad virtutes naturales quascunque, sed etiam ad salutem: Augustinus vt illos ab eo errore abducat, in contrarium extremum æstu disputationis abripi interdum videtur: vt ei contigisse obseruarunt plurimi, & grauissimi Doctores alibi relati disp. 12. sect. 5. num. 34. & disp. 40. num. 59. & seqq.

35. *Explicantur varia eius loca.* Iuxta primum sensum intelligendum est, quod ait lib. 1. de gratia Christi, cap. 26. *Quid boni faceremus, nisi diligeremus?* Et paulò pòst: *Vbi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur,* ad meritum scilicet vitæ æternæ; *nec rectè bonum opus vocatur,* bonum antonomasticè, *quia quod non est ex fide, peccatum est:* id est, vt ipsemet exponit lib. 4. contra Iulianum cap. 3. quod *non fideli, sed infideli; hoc est, stultâ, & noxiâ fit voluntate.* Iuxta secundum, ait libro 1. Retract. cap. 15. *Quantum est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè, si pia est, vt oret auxilium?* Et lib. de continent. cap. 13. *Absit vt continentiam, de qua Scriptura dicit esse Dei donum, etiam eos habere dicamus qui continendo, vel erroribus seruiunt, vel aliquas minores cupiditates ideò vincunt, vt alias expleant, quarum granditate vincuntur.* Nimirum, quia vel ex aliquo errore continet, vel ex affectu vanæ gloriæ, aut alia mala intentione. Iuxta tertium sensum dicit lib. 4. contra Iulian. cap. 3. Opera bona Gentilium esse peccata: quia non ex fide: id est, quia hæc bona malè facit, *qui infideliter facit. Ex quo colligitur ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene vtitur malis: ipsorum autem esse peccata, quibus, & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stultâ, & noxiâ faciunt voluntate.* Iuxta quartum, ait in præfatione in Psal. 31. *Ea opera quæ dicuntur bona ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt,* id est, inutilia ad vitam æternam. Nomine autem fidei intelligit etiam totam præparationem, siue dispositionem ad illam, per vocationes gratuitas, & pium affectum credulitatis, &c. Et lib. 4. contra Iulianum cap. 3. affirmat virtutes, quæ non prosunt ad consequendam veram beatitudinem non posse veras esse virtutes. Ibidémque ostendit virtutes infidelium quæ prædicantur in Fabio, Fabricio, Regulo, Scipione, & similibus, malo aliquo fine turpes, atque deformes, & ideò nullo modo germanas, verásque virtutes fuisse. Et lib. de spirit. & lit. cap. 27. de bonis operibus infidelium generaliter asserit, si exactè discutiatur quo fine fiant, vix inueniri, quæ iustitiæ laudem debitam defensionémque mereantur.

Absolutè tamen posse aliquod bonum opus fieri ab infidelibus, & peccatoribus, docet idem S. Doctor citato cap. 27. cùm ait; *Vix inueniuntur, &c.* significans rarò quidem, & difficilè inueniri; sed tamen aliquando. Et cap. 28. vbi exponens illud Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt:* docet, & probat infideles aliqua facere, quæ non possunt iustè vituperari, sed meritò laudari: & pluribus aliis locis suprà relatis n. 16. Quibus adde quod in Psal. 83. explicans versum illum, *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum:* ait Paganos aliqua bona opera facere extra Ecclesiam. Et ep. 130. dicit Polemonem, adolescentem Ethnicum, à Xenocrate philosopho ad temperantiam, & continentiam fuisse conuersum. Et lib. 1. de gratia Christi cap. 24. exponens illud Hester 15. de Assuero rege gentili, *Conuertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem,* ait, Deum in cordibus infidelium operari, non solùm veras reuelationes, (vt in Pharaone, & Nabuchodonozore futura in somniis præuidentibus:) sed etiam bonas voluntates. Et lib. 5. de Ciuit. c. 15. affirmat Deum Romanis in amplificando suo imperio, fauisse propter opera bona moralia ab ipsis facta: dedisséque illis tam amplam dominationem, vt remuneraret in hac vita eorum virtutes. 36. *Contraria eiusdem testimonia.*

Alia multa ex D. Augustino speciatim contra tertiam conclusionem opponit Iansenius lib. 3. de statu naturæ lapsæ præcipuè cap. 18. & 19. Sed quæ profert ad probandum omnem rerum creatarum amorem esse vitiosum, vel loquuntur de amore quo res creata sic diligitur, vt in ea velut obiecto beatifico finis vltimus amantis constituatur: cuiusmodi est quod refert ex lib. de vera relig. cap. 38. *Seruiunt* (infideles) *cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Ita nescientes diligunt temporalia, vt inde beatitudinem expectent. His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, seruiat necesse est, velit nolit. Nam quocunque duxerint, sequitur; & quisquis eas visus fuerit auferre, metuitur.* Vel loquuntur de amore nimio, & inordinato erga res creatas, quibus amans conformari affectat, quasi nihil melius habeat: vt quod refert ex lib. de Mor. Eccl. cap. 21. *Auctoritate noui Testamenti iubemur nihil mundi huius diligere, illâ maximè sententiâ, quâ dictum est, Nolite conformari huic sæculo, &c.* Vel de amore quo creatura sic amatur, vt Deus deseratur, & illi potiùs, quàm Creatori seruiatur: vt quod refert ex lib. de patient. cap. 19. *Quasi verò non, & ipsi* (infideles) *ex mundo sint, cùm ab eis diligitur mundus. Seruiunt enim creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Vel de amore mundi sumpti in malam partem, sicut interdum sumitur in sacris litteris: vt cùm de illo dicitur 1. Ioan. 2. *Quidquid est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Vel tantùm significant amorem rerum creatarum, non esse bonum eo genere bonitatis, quę valet ad veram felicitatem assequendam: vt quod refert ex lib. 4. contra Iulian. c. 3. in fine. Interdum etiam 37.

per amorem caritatis intelligit Augustinus amorem iustitiæ: nam Deus, inquit, iustitia est: & eo sensu dicit non esse opus bonum, nisi fiat amore caritatis: id est, amore iustitiæ generaliter sumptæ pro rectitudine cuiuscunque honestatis seu virtutis: hoc est, nullum esse bonum opus nisi fiat ex amore recti, & honesti vt talis. Eodémque sensu opponit generaliter caritatem cupiditati pluribus locis à Iansenio relatis cit. cap. 19. In eúmque sensum, vel aliquem ex præcedentibus, benignè exponenda sunt alia quæ refert toto illo cap. 19. ex lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 8. & ex lib. de gratia Christi cap. 20. & 21. & ex concione in Psal. 18. & ex Enchir. cap. 117. & ex lib. de patient. cap. 22. aliísque locis: ne alioquin D. Augustinus sibimet ipsi alibi, & communi Patrum sensui, & Conciliis, ac sacris literis suprà citatis sect. 4. contradicere videatur, & ad alterum extremum nimis deflectere.

SECTIO VI.

Refutantur euasiones aduersariorum.

38. *Prima euasio.* Testimoniis quæ pro bonis operibus infidelium produximus ex Scriptura, & Augustino, duo respondet Iansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 5. & 6. Vnum est, illis tantùm probari aliqua esse bona opera infidelium ex parte obiecti, siue bona quædam officia; sed non bona omni ex parte, præsertim verò ex parte finis, defectu relationis eorundem operum in Deum. Quod responsum adhibet omnibus omnino testimoniis sibimet obiectis, excepto primo de Cornelio Centurione Act. 10. à quo proferendo abstinuimus, quia probabile est quod affirmat Augustinus pluribus locis, Cornelium non fuisse infidelem, sed fide iam diuinitus infusâ, in Deum credidisse, & ex ea fide orâsse Deum, & eleemosynas erogâsse, quamuis in Christum Iesum, sibi non annunciatum, necdum crederet.

39. Alterum quod singulariter adhibet testimonio desumpto ex libro de spirit. & lit. cap. 27. & 28. *Impiorum, nec Deum verum veraciter, iustéque colentium, quædam facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus; quæ secundùm iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò, rectéque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem, defensionémque mereantur.* Et inferiùs: *Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* *Altera euasio.* Alterum, inquam, quod his verbis respondet ad tam aperti testimonij vim elidendam, est, D. Augustinum loqui hypotheticè, id est, ex quadam suppositione, & concessione, vt inter disputandum fieri solet: in quo genere non necesse est esse verum id, quod aduersario, ex aliorum sententia, veritatis illustrandæ causâ, concedimus. Probat, quia eo loco disputat Augustinus de differentia inter vetus, & nouum testamentum, quam in eo sitam esse dicit, *Quòd lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribatur, vt quod ibi forinsecùs terrebat, hic delectet intrinsecùs:* sibíque obiiciens illud ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, &c.* Respondet primò ex proprio sensu, toto cap. 26. Gentiles de quibus loquitur Apostolus, non fuisse infideles, sed participes factos fidei, & iustitiæ Testamenti noui. Deinde cap. 27. subiicit aliam solutionem iuxta sententiam Pelagianorum, locum illum exponentium de infidelibus, quædam legis opera naturaliter facientibus: quo dato, & non concesso, ostendit non ideò perturbari differentiam veteris, ac noui Testamenti, quia opera illa infidelium perrara sunt, solúmque indicant non omnino deletum esse ex animo id, quod ibi vi creationis impressum erat, & adhuc per gratiam noui Testamenti in cordibus istarum Gentium per renouationem esse scribendum id, quod non omnino vitiorum vetustate deletum est. Tandem verò, quia hæc solutio non satis firma, & Augustino consona videri potest, neque omnibus placet; recurrit Iansenius ad priorem, & generalem responsionem de malitia ex defectu boni finis in eiusmodi operibus, tanquam constanti doctrinæ D. Augustini consonantiorem: quippe qui officia distinguit à fine, & per opera bona intelligit officia materialiter bona ex obiecto, licèt defectu relationis ad finem vltimum, nempe Deum, vitiosa sint.

Sed contra primam, & generalem illam euasionem, Dico primò, malè supponi ab aduersario vitiosum esse omne opus aliunde bonum, nisi referatur ad Deum propter se dilectum; & non sufficere quòd obiectum honestum, decénsque naturam rationalem, ametur propter suam honestatem, seu bonitatem intrinsecam: neque esse opus virtutis omnino bonum, id est, nulla peccati contaminatione pollutum, reddere vnicuique suum, quia id iustum est: vel colere parentes, & amare benefactores, aut obedire superioribus legitimè præcipientibus, quia id decet naturam rationalem, rectæque rationi consentaneum est: quod ad rationem virtutis sufficere, licèt ad vitam æternam consequendam non sufficiat, suprà ostendimus ex Augustino num. 34. & seqq. Quare perperam affirmat continentiam Polemonis, quam idem S. Doctor epist. 130. dicit fuisse donum Dei, non caruisse aliquo vitio, ac proinde fuisse peccati contaminatione pollutam, *quia defuit circumstantia finis vltimi,* hoc est, Dei: sat enim erat ad peccatum vitandum, & opus virtutis sine vitioso defectu exercendum, quòd amaret, & seruaret continentiam, quia id rectæ rationi consentaneum est, & contrarium dedecet naturam rationalem. Nec dubitandum est motiuum illud à Xenocrate propositum illi fuisse, vt à vita incontinenti eum abduceret. 40. *Refellitur prima euasio.* *Potest opus esse bonum sine relatione ad Deũ.*

Fallitur autem aduersarius cùm hæc duo non satis distinguit; referre officium de se bonum ad malum finem; &, non referre officium de se bonum ad finem vlteriorem, puta ad Deum finem vltimum: quorum primum vitiosum est, déque illo dicit Augustinus verbis à Iansenio relatis, *Bonum est, vt subueniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominis magis quàm Dei facit, non bene bonum facit.* Et quia sæpissimè infideles bona opera ex obiecto, ad finem aliquem malum referunt, ita vt non operentur propter honestatem intrinsecam talibus obiectis, sed propter vanam gloriam, aut auaritiam, aut alium finem malum; vt idem S. Doctor ait libro 4. contra Iulianum 41. *Aliud est non referre in Deum, & referre in malum finem.*

cap. 3. ex quo verba proximè relata sumpta sunt: hinc est, quod idem S. Doctor sæpe dicit huiusmodi bona opera, non bene fieri ab infidelibus; & illorum virtutes speciem tantùm, & apparentiam externam virtutum habere, vt affirmat eodem loco; nihilque bene ab illis fieri ante fidem. Sed hoc esse intelligendum non in rigore Mathematico, sed in sensu morali, quo totum sumitur pro longè maiori parte, patet ex eo quod paulò antè retulimus ex lib. de Spirit. & lit. cap. 27. quædam facta infidelium nosci, vel legi, vel audiri, *Quæ secundùm iustitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò, rectéque laudamus. Quanquam si discutiantur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem, defensionémve mereantur.* Quæ particula, *vix inueniuntur*, non affirmat nunquam penitus inueniri, nullúmque prorsus illorum opus esse bonum etiam ex fine; sed tantùm tarò, & difficilè inueniri. Quod si aliquando videtur Augustinus loqui generaliùs, & affirmare nullum prorsus esse bonum opus infidelium ante fidem: loquitur de bono, & de virtute conducente ad vitam æternam, vt seipsum exponit loco suprà citato, & nos suprà retulimus num. 33.

Augustinus non negat absolutè opera infidelium esse bona.

42. Adde quòd si continentiam Polemonis, id est, affectum efficacem continendi, in quo primò, & præcipuè virtus illa consistit, sicut aliæ virtutes primò, & præcipuè consistunt in internis affectibus, à quibus pendent, & prodeunt actus externi; si inquam, actum illum efficacem voluntatis vitiosum esse existimasset, & veri peccati sorde contaminatum defectu relationis in Deum: non dixisset Polemonis continentiam fuisse donum Dei: absurdum enim, & impium est dicere, peccatum esse donum Dei: neque vllus profertur locus ab aduersario, in quo tam absurdè loquatur Augustinus: sed tantùm quibus asserat bona etiam naturalia, ad animum, aut corpus pertinentia, esse Dei dona: pariterque Dei donum esse quòd quis à Deo impediatur, aut non permittatur incidere in peccata, quæ committeret, nisi tali prouidentiâ regeretur. Contrà verò, disertè affirmat eodem loco, Deum per malos facere bonum, & per illos bene facere, ac bene vti malis hominibus, & esse opus Dei, quod mali bene faciunt. Quare ex mente D. Augustini non tantùm bonum, sed etiam bene operantur interdum infideles, de quibus ibi loquitur.

Neque docet omnes eorũ affectus internos, esse malos.

43. Similiter, si patientia, quâ Schismaticus quispiam pericula, gladium, ipsámque crucem patitur, ne Christum neget, mala esset defectu finis debiti; non diceret Augustinus lib. de patient. c. 6. *Illam esse nullo modo culpandam:* Manifestè enim culpandum est quicquid in actibus malum moraliter, seu vitiosum est. Non diceret etiam illam esse *donum Dei*, propter rationem paulò antè allatam. Nec obest quod ex motiuo timoris oriatur, seu desiderio vitandi pœnas æternas. Nam tale motiuum esse bonum, & timorem salutarem, docent Scriptura, & Augustinus pluribus locis, quæ retulimus alibi. Nunc sufficiat dicere Christum hortari nos, vt ex tali motiuo mortem potiùs subeamus, quàm fidem negemus, aut Deum aliter offendamus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Lucæ 12. vers. 5. Et Aug. in Psal. 127. *Timet*, inquit, *ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est.* Et serm. 214. de tempore: *Cùm timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, discitur amari præmium, quod pollicetur; ac sic per timorem pœnæ, bona vita retinetur:* Certè per timorem pœnæ bona vita non retineretur, si per illum ipsum malè ageretur.

Non diceret quoque Augustinus lib. de gratia Christi cap. 24. loquens de conuersione cordis regis Assueri in fauorem Iudæorum, ex illa intelligendum & fatendum esse, *Non lege atque doctrinâ insonante forinsecùs, sed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates:* nam si voluntas, siue affectus Assueri Iudæis fauorabilis, malus fuisset, quia carens fine debito: quomodo posset colligi ex illa conuersione cordis Assueri ad talem affectum, Deum in cordibus infidelium interdum operari bonas voluntates? neque etiam fateretur nuptias esse opus quod fit sine peccato, & tamen gratiæ auxilio non indiget, Celestio sibi obiicienti quod ait Apostolus, *Non peccat si nubat.* Cúmque tota ratio imputabilitatis, & bonitatis, aut malitiæ moralis, sit formaliter in affectu voluntatis, actibus verò externis non nisi denominatiuè conueniat ratione illius: si Nabuchodonozor, & Romani nulla opera materialiter bona exercuissent nisi ex affectu vitioso, carente fine debito; nihil fecissent dignum mercede apud Deum: quia neque affectus ille internus talis fuisset, quippe intrinsecè, & per se malus; neque opera externa, quæ non potuerunt ab illo trahere rationem laudis, & meriti apud Deum. Idémque dico de Rahab Iosue 2. & de obstetricibus Ægyptiis Exodi 1.

44. Ad secundam partem responsi, Dico secundò, non ignorâsse D. Augustinum Patres illo antiquiores exposuisse communiter locum Apostoli Rom. 2. de Gentilibus infidelibus, naturali lumine, & virtute, aliqua legis opera facientibus; quorum aliquot testimonia protulimus num. 16. ineptéque facit Iansenius, & eruditorum patientiâ abutitur, quando expositionem istam, Pelagianis peculiarem fuisse, persuadere vult. Neque verò illam improbat Augustinus citato cap. 27. lib. de Spirit. & lit. tametsi aliam præferat, quam tradit cap. 26. Nam quod ex proprio sensu priorem illam, & communiorem aliorum Patrum, iudicet esse probabilem, patet, quia nihil planè dicit illam referendo, quo illam reiiciat velut improbabilem: sed è contrario multa dicit quibus significat admitti posse, imò absolutè verum esse quod asserit, aliqua bona opera fieri posse ab infidelibus, sed pauca & rara, quæ neque tollunt distinctionem noui Testamenti, & veteris; neque Gentiles illos poterant ad veram Christi iustitiam, salutémq; perducere. Huiusmodi sunt ista c. 28. assertiuè, & ex sensu proprio dicta: *Veruntamen, quia non vsque adeò in anima humana, imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere; si hoc est, quod dictum est, quia gentes quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quæ legis sunt faciunt, & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur quâ distat à vetere Testamen-*

Refutatur secunda ratio.

tum nouum, eò quòd per nouum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illic scribitur per renouationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renouatur in mente credentium per Testamentum nouum, quam non penitus impietas aboleuerat: nam remanserat vtique, id quod anima hominis nisi rationalis esse non potest: ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per iniustitiam, profectò scribitur renouata per gratiam.

45. Et paulò pòst: *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis, & sentit, & facit: sed pietas quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam, legem habet immaculatam, &c.* Et inferiùs, postquàm dixit eiusmodi opera bona non illis profutura in die iudicij vt saluentur, sed tantùm vt mitiùs puniantur, addit: *Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Ac tandem concludit hanc expositionem quadrare menti Apostoli, volentis per hæc verba cohibere iactantiam Iudæorum, & confirmare quod antea dixerat, *Deum non esse acceptatorem personarum, & non tantùm Iudæorum Deum esse, sed etiam Gentium.*

46. Recursus verò aduersarij diffidentis huic suæ responsioni, ad priorem, & generalem de malitia ex defectu finis, repugnat extremis verbis cap. 27. lib. citati de Spirit. & lit. quibus ait, *vix inueniri*, id est, rarò & difficilè, opera infidelium, quæ iustitiæ debitam laudem mereantur, si rectè inspiciatur quo fine ab illis fiant. Repugnat etiam verbis proximè relatis ex c. 28. quibus asserit opera illa bona infidelium, sine quibus vix quisquam licèt pessimus vixisse inuenitur, non prodesse illis ad salutem: sicut peccata venialia iustorum, sine quibus nullus eorum viuit, non illos impediunt à vita æterna. Nam vt alibi notauimus, hæc oppositio peccatorum venialium in iustis, & bonorum operum in infidelibus, non esset bona, si hæc opera defectu finis debiti essent peccata venialia, vel quod peius est, mortalia.

Refellitur aliud effugium. Quod autem ait postremò Iansenius, Augustinum verbis illis non significare aliqua inueniri, sed operosissimam, scrupulosissimámque quæstionem tunc aggredi nolentem, à re controuersa se abstinuisse, quam postea latissimè tractare conatus fuit: modesto tamen verbo, reíque difficultatem exprimente, satis indicâsse iis, qui doctrinam eius imbibissent, se nulla in infidelibus opera verè bona ex officio simul, & fine constituere: nam isto loquendi modo solent homines vulgò cum aduersario disputantes, de re quam probare non potest, modestè dicere, *Difficulter inuenies argumentum quo hoc probes.* Hoc, inquam, responsum planè friuolum est. Nam si hoc intendebat significare Augustinus, facile illi erat dicere, *non inueniuntur*: & non debebat verbis sequentibus confirmare quòd aliquando, quamuis rarò & difficilè, inueniantur: vt facit addens ex proprio sensu immediatè pòst, *Veruntamen, quia non vsque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est*, & cetera quæ paulò antè retulimus, & expendimus. Neque oportebat, aut verò etiam decebat dubium lectorem relinquere in tam graui quæstione ad fidem pertinente, vt vult Iansenius; & cuius nuda sinceráque expressio multum faciebat ad explicandum Pauli locum Rom. 2. magísque distinguendum nouum Testamentum à veteri: de qua expositione, & distinctione disputat eò loci. Neque etiam modus, quo S. ille Doctor agit cum Pelagianis, talis est, vt modestiæ causâ dissimulet, aut tegat verbis ambiguis quod ad eos refutandos attinet, aut mitiùs, & leniùs cum illis agat: sed è contrario seueriùs eos tractare solet post apertam eorum rebellionem, velut insignes hæreticos, versipelles, pertinaces, superbos, quorum versutias detegere, & fastum comprimere vbique solet.

Concludo itaque debuisse potiùs Iansenium alia loca D. Augustini, quibus videtur generaliter affirmare nulla esse bona opera infidelium, intelligere moraliter, & explicare per ista, quibus aliqua, licèt rara, in illis agnoscit; quàm in luce tenebras quærere, & suis cauillationibus lectori fucum facere. Cetera quæ addit cap. 19. & duobus sequentibus eiusdem lib. 4. vt eludat argumenta proposita contra id, quod ait, hominem in hoc statu naturæ lapsæ, non habere libertatem indifferentiæ ad peccandum, vel non peccandum, sed loco huius libertatis inductam esse per peccatum Adæ, necessitatem peccandi, impugnata fuerunt disp. 18. sect. 7. & 8. Nunc ad ea veniamus, quibus cap. 25. 26. & 27. euadere conatur Censuram Pij V. & Gregorij XIII. 47.

SECTIO VII.

Refelluntur alia effugia quibus Bullas Pontificias eludere conantur aduersarij.

DIXIMUS in præcedentibus sectionibus, doctrinam Iansenij de operibus infidelium, prædamnatam fuisse à Pio V. & Gregorio XIII. in Bullis contra Michaëlem Baium, proscribentibus has illius propositiones: 37. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Cui æquiualet ista Iansen. lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 19. *Non datur medium inter caritatem, & culpabilem cupiditatem.* Itémque 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia.* Cui æquiualet quod ait Iansenius cap. 1. & 3. lib. 4. Quidquid non fit ex verâ, & propriè dicta fide, peccatum esse: Et, solam absentiam fidei sufficere, vt omnia opera infidelium vera peccata sint. Et cap. 8. Virtutes philosophorum non veras virtutes, sed vitia fuisse. Et cap. 17. errorem esse, & impietatem contrariam Christianorum sensui, Scripturæ, & fidei, quòd infidelium sit vlla vera virtus, vel opera sine peccato. Et denique istam num. 63. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Quod idem docet Iansenius lib. 3. cap. 4. in fine: & lib. 4. cap. 21. 48. *Censura contra Baium, & Iansenium lata.*

Ad eludendam primæ propositionis Censuram, respondet Iansenius lib. 4. cap. 27. Baium locutum esse de caritate perfecta. Nam hac de causa, inquit, *laudabilem* vocat, vt intelligatur illa caritas, quæ inter Doctores huius temporis celeberrima, & sola caritatis nomine nota est; 49. *Elusio primæ Censuræ.*

quâ Deus diligitur super omnia: quæ omnes, secundùm Apostolum, virtutes comites habet: quæ, iuxta S. Petrum, *operit multitudinem peccatorum:* in qua qui manet, secundùm Apostolum Ioannem, *in Deo manet, & Deus in eo.* Falsum est autem, inquit, inter istam laudabilem caritatem, vitiosámque mundi cupiditatem, nullum amorem creaturæ rationalis esse medium. Datur enim & alius amor bonus, qui nec ista caritas est, nec ista cupiditas: quo videlicet incipit Deo bene peccator affici, ante iustificationem per caritatem. Ex isto enim pietatis affectu ante iustificationem, & credit peccator Deo, & sperat peccati sui remissionem, æternámque Beatitudinem, & aliquousque, licèt imperfectè, non super omnia Deum diligit.

50. Refutatur. Sed vt omittam examinare in præsenti, sitne aliquis amor Dei ex caritate talis, vt eum non diligat super omnia, & tamen illum amet propter seipsum, vt summè bonum; adeóque vt diligibilem præ aliis omnibus; & secundùm rationem excedentem omne aliud amabile: illa Iansenij coniectura sumpta ex voce *laudabilem*, planè friuola est. Quasi verò illa quoque dilectio imperfecta caritatis, quâ peccator incipit bene affici erga Deum, non sit bona, & laudabilis, iuxta ipsius doctrinam sæpius affirmantis infundi per Spiritum Sanctum, & esse cælestem quãdam suauitatem diuinitus immissam, vt ait libro 5. de gratia Christi Saluatoris cap. 1. & 2. Quasi verò etiam non idem ipse cum Baio sentiat; quando dicit ibidem, & lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 6. ante medium, nullum bonum opus fieri sine caritate infusa per Spiritum Sanctum, &, *Ante gratiam victricem cupiditatum*, inquit, citato cap. 6. *hoc est, ante infusam per Spiritum Sanctum caritatem, multóque magis ante fidem, nullam superesse in voluntate libertatem ad bonum, nullam potestatem, vt resistat concupiscentiarum carnalium desideriis.* Et lib. 5. de gratia Christi c. 1. ferè initio dicit gratiam medicinalem, esse *solam caritatis inspirationem, qua fit vt Deum verè, sincerè, & sicut oportet diligamus.* Et initio cap. 2. addit *solam inspirationem caritatis, seu solam illam gratiam, quâ infunditur caritas, esse illam gratiam quæ ad velle, & operari, ad declinandum à malo, & faciendum bonum, necessaria est.* Neque melior est altera coniectura, quam sumit ex aliis Baij propositionibus. Nam ex illis non bene colligit, neque satis apparet Baium restringere propositionem illam 37. ad caritatem perfectam, & iustificantem, vt Iansenius persuadere vult. Quin potiùs oppositum æquè probabiliter colligi potest ex eo, quod in illis distinguit caritatem, de qua loquitur, ab illa quæ necessariò coniuncta est cum remissione peccatorum.

51. Elusio secundæ Censuræ. Secundò in eodem cap. 27. ad eludendam censuram secundæ propositionis, circa quam fatetur *aquam sibi hærere*, respondet primò articulos in ea Bulla contentos damnari tantùm velut hæreticos, erroneos, suspectos, temerarios, scandalosos, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè, vt Bulla loquitur: id est, alios esse hæreticos, alios erroneos, &c. alios tantùm scandalosos, aut offensiuos, quamuis non hæreticos, aut falsos. Offensiua enim propositio, aut scandalosa, non necessariò hæretica, aut falsa est. Quantum enim scandalum, ex. grat. peperit in Hispania propositio, affirmans Beatam Virginem conceptam esse in peccato originali, tametsi eam tenere quisque sineretur? Vnde, inquit, vt Pontifex indicaret non omnes illas propositiones falsitatis esse damnatas, hanc salutarem clausulam adiecit: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Sic enim legendum est sine commate (,) & sine particula aduersatiua *(tamen)* à quibusdam malè appositâ, vt hæc verba, *in rigore, & proprio verborum sensu*, referant ad verbum *damnamus*: cùm è contrario Pontifex ad defensionem quarundam sententiarum, ea referre voluerit; & ideò neque virgulam, neque particulam aduersatiuam *tamen* addiderit. Sic autem esse legendum probat ex originali Bulla à Iacobo Iansonio publicè in Auditorio Louaniensi prolatâ, & sæpius à seipso visâ. Addítque, si vlla ex Baij propositionibus damnata fuit vt scandalosa tantùm; certè ista præcipuè, quæ falsitatis damnari nequit, nisi damnando doctrinam Augustini, à qua traditur certissimè. Atque in hunc modum solet omnes ferè propositiones damnatas, ad hanc postremam Censuræ partem referre: ita videlicet vt proscriptæ fuerint, non quia falsæ; sed quia offensiuæ, vel propter Censuras Baij, & exaggerationes immodicas; vel quòd nouæ viderentur, & communi doctrinæ Theologorum essent oppositæ.

Verùm, vt ab hoc postremo incipiam: si ita est: cur easdem propositiones innouat Iansenius, & iisdem Censuris aggrauat, Pelagianos passim, aut Semipelagianos appellans grauissimos, doctissimósque Theologos illis aduersantes? Deinde, si fuerunt offensiuæ, & scandalosæ tunc, cùm fuerunt à Baio propositæ, censurâ nondum contra illas editâ: quantò magis nunc, post tam graues prohibitiones, duplicémque Censuram, adiunctâ etiam pœnâ excommunicationis, quam quomodo vitauerit Iansenius, Deus scit. 3. Quanam auctoritate omnes ferè propositiones damnatas, ad hoc postremum membrum reuocat: eáque ratione totam ferè vim Censuræ eneruat? Quænam enim censendæ erunt proscribi vt hæreticæ, erroneæ, suspectæ, aut falsæ; si vnicuique liceat hanc postremam censuræ partem cuicunque volet propositioni applicare pro libito? 4. Quod ait de additione commatis (,) suspectum mihi reddit, tum quòd originalia Bullarum Romæ seruari solent in Archiuio Pontificio; ideóque non est credibile fuisse in Belgio originale Bullæ damnantis Baium. Tum quòd exemplaria Romana eiusdem Bullæ, in ipsa typographia Apostolicæ Cameræ impressa ann. 1579. Calendis Februarij, tam manifestum habent illud comma (,) vt vel cæcutientibus appareat. Vnum ex illis exemplaribus extare in Collegio Louaniensi Societatis Iesu, affirmant auctores Thesium Theolog. de gratia, & libero arbitrio ibidem propositarum, & propugnatarum anno 1641. qui certè id non affirmassent in facie Iansenistarum, nisi videre postulantibus, exhibere potuissent, visúque ipso vel ab ipsis aduersariis, quorum ibi non exiguus est numerus, veritatis confessionem extorquere. 52. Iansenius peccat contra Bullam Pij V.

Adde quòd, vt rectè aiunt auctores citati, verba ipsa Bullæ appositionem illam commatis (,) satis manifestè postulant: sic enim habent: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderata-* 53. Malè illam interpretatur.

deratas, quanquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent, in rigore. & proprio verborum sensu ab assertoribus intento vt hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, &c. damnamus. Nam si (vt rectè iidem argumentantur) in rigore, & proprio verborum sensu, eóque ab assertoribus intento sustineri possent: iam non tantùm aliquo pacto, vt ait Pontifex; sed simpliciter, & absolute sustineri possent. Nihil enim aliud requiri potest ad hoc, vt aliqua propositio simpliciter, & absolutè tanquam vera proferatur, & sustineatur: nisi vt sit talis in rigore, & proprio verborum sensu, illéque sensus ab assertore intendatur. Neque debebat, aut etiam poterat summus Pontifex eas iustè damnare vt hæreticas, erroneas, suspectas, &c. si erant veræ in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus propriis verbis expresso, & intento. Quanquam enim aliquas, quæ sustineri aliàs possent, ex causa prohibere possit, & interdum prohibeat: Qua tamen æquitate propositiones, quas in rigore, & proprio verborum sensu, eóque ab assertoribus intento sustineri posse dicat, easdem ipsas tamen vt hæreticas, erroneas, temerarias, suspectas, scandalosas, & offensiuas damnet, circumscribat, aboleat? Fallitur ergo Iansenius in eo quòd cùm Pontifex dicat aliquas ex illis aliquo pacto sustineri posse, id est, secundùm quid, & cum addito diminuente, atque alienante à rigore, & proprio verborum sensu: affirmat ipse è contrario eas in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri posse.

54. *Vera illius expositio.* Verus itaque sensus horum Bullæ verborum hæc tria continet, vt sapienter expendit Suares Prolegom. 6. de gratia capite secundo. Vnum est, propositiones illas in proprio verborum sensu esse tali Censurâ dignas, & in eo fuisse damnatas. Secundum est, sensum illum fuisse ab assertore intentum. Tertium est, sensum illum posse colligi sufficienter ex verbis ipsis, quibus huiusmodi propositiones in Bulla exprimuntur. Primum, & secundum probantur, quia vt rectè ait auctor citatus, nisi talis sit Bullæ sensus, quicunque alius illi affingetur, auctoritatem eius, & vtilitatem prorsus euacuabit. Nam alioqui cuique liberum erit proprium earum sensum, tanquam ab auctore intentum, illis verbis affingere, & illi accommodare iudicium Pontificis, vt propriam opinionem, verbis magis consentaneam, ab illa Censura liberet. Et ita declaratio illa Pontificis inutilis fiet: quia non ad certam doctrinam confirmandam, sed ad excitandas verborum contentiones deseruiet. Tertium verò probatur, quia (vt idem sapienter affirmat) si sensus omnium illarum propositionum ab assertore intentus non posset ex verbis ipsis à Pontifice relatis colligi, sine librorum eiusdem assertoris, ex quibus fuerunt exceptæ, integra lectione, & antecedentium ac consequentium noua collatione: consequenter etiam ipsa Pontificia decisio sine eadem diligentia certò colligi non posset. Quia nesciremus quo sensu illas sententias damnauerit. Neque enim potest ex solis Bullæ verbis colligi; vt supponit hic discursus: neque licet colligere ex lectione librorum; quippe quæ per eandem Bullam interdicitur, & seuerè prohibetur. Quare interclusa nobis esset via, & ratio assequendi proprium sensum ab illo assertore intentum, & à Pontificibus damnatum: & sic non possemus ex Bulla firmum argumentum sumere contra aliquam opinionem, licèt in illis propositionibus, & proprio earum sensu contineri videatur. Consequens autem est absurdum: vtpote scopo, & grauitati tanti decreti repugnans. Ergo & antecedens, ex quo sequitur, absurdum est.

55. *Frustra Iansenius opponit Augustinum.* Neque Iansenium iuuat quod ait, Augustinum certissimè illam propositionem tradere. Nam hoc ipsum dicebat Baius, & adductis Augustini testimoniis confirmare nitebatur, tum in libris ex quibus illæ eius sententiæ extractæ sunt: tum in Apologia, quam ad illarum defensionem, aut excusationem edidit: quæ tamen non obstitit quò minùs duodecim pòst annis rerum eadem Censura notarentur à Gregorio Decimo-tertio, vt neque illa omnia, quæ Iansenius attulit, efficere potuerunt ne rursus ab Vrbano VIII. damnarentur.

56. Respondet secundò, propositionem illam secundam ex tribus supradictis, fuisse proscriptam à summis Pontificibus, non quia falsam; sed *quòd altera sententia, isti contraria, Scholasticorum studiis humanas magis rationes, quàm Ecclesiasticam traditionem attendentium, in Scholis esset receptior, atque tritior.* Et hoc *egisse Summorum Pontificum prudentiam, vt quia Scholasticorum disputationibus Augustini doctrina ita erat obscurata, & interpretationibus plausibilibus quidem, sed ab eius mente remotissimis, quasi obruta, vt quænam esset vera illa, & ab Augustino asserta sententia difficillimè discerni posset, altera pars sine præiudicio veritatis tantisper vetaretur, tanquam quæ vetustâ quasi nouitate nostri temporis Doctores vetustatis eius inscios offenderet, scandalóque perturbaret.*

57. *Iniuriosè tractat Summos Pontifices.* Quæ responsio non Doctoribus solùm Scholasticis contumeliosa, sed ipsis quoque Summis Pontificibus supra modum iniuriosa est. Hoc enim est dicere, ipsos quoque antiquæ, & veræ doctrinæ ignaros, illam Censurâ suâ notasse, & errorem contrarium Scholasticorum, auctoritate suâ confirmasse. Illos etiam humanas magis rationes, quàm Ecclesiasticam traditionem attendisse, & errorem communem Scholasticorum secutos esse, suóque calculo comprobâsse. Quod quàm eneruet auctoritatem Sedis Apostolicæ in controuersiis de fide, & doctrina decidendis, damnandísque erroribus, aut falsis dogmatibus subinde insurgentibus, quámque præiudicet infallibilitati Ecclesiæ, quæ vocem, & sententiam supremi, & vniuersalis sui Pastoris sequi tenetur, nemo facilè non videt. Euidentérque falsum est, quod ait: propositionem illam tantisper, id est, ad tempus duntaxat fuisse prohibitam: Cùm in Bulla condemnationis præcipiat Summus Pontifex Pius V. *perpetuam dictarum sententiarum,*

& scripturarum Michaëlis Baij *abolitionem*. Omitto alia quæ contra similem elusinem diximus alio loco disputatione decima-tertia sectione 15.

58. *Elusio tertiæ Censuræ.* Tertiò denique ad Censuram tertiæ propositionis eludendam cap. 25. dixit necessitatem peccandi ab Augustino, & à se traditam, non esse illam de qua loquitur Baius, cùm dicit *Hominem peccare etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit:* sed esse necessitatem in genere, ex qua fit vt non possint homines ante gratiam agere nisi malè. Hæc autem non impedit quò minùs in peccatis singularibus perpetrandis liberam, & indifferentem ad faciendum, & abstinendum habeant voluntatem. Sic enim, & dæmones necessariò peccant, quamuis in singulis actibus peccatum non necessitate, sed voluntatis libertate committant. Addit sufficere ad Censuram vitandam, quòd tametsi peccata fierent necessariò, non solùm necessitate specificationis, sed etiam exercitij; necessitas illa non sit absoluta, de qua loquitur Baius, & Censura in eum lata: sed sit tantùm necessitas ex hypothesi antecedentis voluntatis, quæ illam peccandi necessitatem sibi imposuit. Sicut Deus liberè vult, tametsi necessariò velit ex hypothesi æternæ determinationis, quam mutare non potest: & Angeli persistunt liberè in volitione semel suscepta, licèt eam deponere, vel in contrariam mutare nequeant, ratione suæ constantiæ naturalis. Quibus exemplis innuere vult necessitatem peccandi ortam ex peccato Adæ, non obstare quò minùs liberè peccemus: quia hæc necessitas est tantùm ex hypothesi talis peccati, nobis in ipso voluntarij.

59. *Refutatur.* Sed huic euasioni iam alibi respondimus primò, absurdum esse affingere hominibus necessitatem peccandi qualem habent dæmones, & damnati. Secundò, falsum esse, quòd iuxta eius doctrinam, necessitas illa sit tantùm in genere, & quoad specificationem; non quoad exercitium, seu quoad indiuiduum in singulis actibus. Nam libro quarto de gratia Christi Saluatoris capite nono, & libro octauo capite tertio, docet voluntatem necessariò sequi maiorem delectationem à qua præuenitur, quotiescunque bene vel malè operatur: ita vt nunquam operetur, nisi aliqua eam delectatio præueniat, bona, vel mala: & si par vtrinque occurrat, nihil agat: sin autem altera præualeat, necessariò velit, & operetur secundùm illam. Ex qua doctrina manifestè sequitur neminem peccare, nisi maiori delectatione præueniatur circa id, in quo peccat, putà, circa hoc furtum committendum hîc & nunc: & voluntatem ferri necessariò in illius consensum: quia non potest non facere, id quod magis delectat.

60. Ad alteram partem huius euasionis dico primò, friuolam illam esse, & mala fide excogitatam. Neque enim ignorauit Iansenius, Baium necessitatem illam peccandi fundâsse in concupiscentia orta ex peccato originali: vt patet ex eius propositione 39. quæ sic habet: *In omnibus suis actibus peccator seruit dominanti cupiditati.* Et propositione 46. sic ait: *Peccatum originis est habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium: & ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando vsum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.* Loquebatur ergo Baius, æquè ac Iansenius eius discipulus, de necessitate non absoluta, sed orta ex hypothesi peccati originalis, & dominantis concupiscentiæ, corruptionisque naturæ.

Secundò dico, neque Deum, neque Angelos liberos esse in continuando actu, quem non possunt abiicere: sed tantùm in eo fuisse liberos, quòd ad illum se determinauerint, cùm possent ab eiusmodi determinatione abstinere, si voluissent: Et supra modum absurdum esse dicere, necessitatem antecedentem peccandi, quam fingit aduersarius, ortam ex concupiscentia, non officere libertati indifferentiæ, & imputabilitati; quia peccatum Adæ nos in eam necessitatem induxit, illúdque fuit nobis in ipso voluntarium. Hoc enim perinde est ac dicere cæcum à natiuitate liberè non videre, & surdum liberè non audire; & homines liberè non semper viuere, atque in eo esse culpabiles: eò quòd necessitas moriendi, & cæcitas, surditas, aliæque similes huius vitæ miseriæ ortæ sunt ex peccato primi parentis. Etenim peccata, quæ nunc committimus, non minùs necessariò profluunt ex concupiscentia, absente gratia, iuxta sententiam aduersarij; quàm miseriæ supradictæ oriuntur ex causis necessariis, positis occasione peccati originalis. Præterquàm quòd illud exercitium libertatis in Adamo, non fuit nostrum, nisi moraliter per imputationem; quod ad physicum exercitium libertatis nostræ nihil facit, & iam ante quinque annorum millia præteriit, atque à plurimis ignoratur, à plerisque etiam retractatur, qui vellent ex animo Adamum stetisse, & tot miseriarum causam non dedisse. At ne quidem actus proprij, quando retractantur, aut etiam quando interrumpuntur moraliter, sufficiunt vt dicamur liberè facere, & imputabiliter, quidquid post illos, & quodammodo ex illorum sequela necessariò facimus. 61.

Peccata nostra non possunt dici libera in Adamo.

Alia euasio, quam libro tertio capite quarto in fine, & libro quarto capite vicesimo-primo, alibíque sæpiùs inculcat, doctrinam scilicet illam de necessitate peccandi non obesse libertati, quia iuxta Diuum Augustinum, & rei veritatem, libertas non opponitur necessitati, sed violentiæ, & coactioni propriè dictæ, refutabitur inferiùs tota disputatione tricesima, & quinque sequentibus. 62.



SECTIO VIII.

De viribus liberi arbitrij ad Deum diligendum, & resistendum tentationibus, præceptáque seruanda in hoc statu naturæ lapsæ.

63. *Quid sentiat Iansenius circa amorem Dei?* DE his Iansenius docet primò, nullum protsus amorem Dei, quantumuis imperfectum solis naturæ viribus elici posse. Tum, quia nullum opus bonum fieri potest sine auxilio gratiæ, vt contendit lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 8. & pluribus sequentibus. Tum etiam quia, vt ait lib. 1. de statu naturæ puræ cap. 3. in fine, *Distinctio illa de amore Dei naturali, & supernaturali,* neoterica est, & humanæ philosophiæ viribus excogitata: *cuius nec in vniuersis operibus Augustini, vel cuiusquam antiqui Patris, qui ante Scholasticorum aduentum floruit, nec in vllius Concilij canone vel doctrina, nec in vllius sacri libri pagina vllum vestigium sit. Est enim antiquis omnibus gratiæ defensoribus inauditum, & aliquid huiusmodi, quod ipso vocabulorum sono exhorrescerent, amorem scilicet Creatoris posse viribus naturæ obtineri.* Contrà verò Scriptura nullius meminit amoris Dei, quem non tribuat specialiter Spiritui sancto. Et Arausic. can. 25. initio pronunciat, *Prorsus donum Dei esse diligere Deum:* quâ particulâ *prorsus*, excludit omnem exceptionem. Et denique Sanctus Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli, cap. 11. affirmat Deum non amari nisi de Deo. & epist. 107. sic habet: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

64. *Quid circa victoriam tentationum?* Docet secundò, lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 21. nullam tentationem, iuxta veram S. Augustini sententiam, posse superari, nullique vitiosæ cupiditati repugnari, nisi caritate iustitiæ, veráque dilectione Dei per Spiritum sanctum infusâ. Nimirum quia alioquin tentatio non nisi alia tentatione pellitur; neque cupiditas, nisi aliâ nouâ perinde malâ, etsi paulò honestiore superatur. Nam, vt ait Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 16. *Tunc victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur; nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum:* & paulò antè, loquens de victoria laboriosæ difficultatis vitiorum inueteratorum: *Neque,* inquit, *fit veraciter, atque sinceriter, nisi vera delectatione iustitiæ. Hæc est autem in fide Christi. Nam si lex iubens adsit, & spiritus iuuans desit; per ipsam prohibitionem, desiderio crescente atque vincente peccati, etiam reatus præuaricationis accedit.* Et lib. 5. aduersus Iulian. cap. 8. loquens de vincenda carnis voluptate, sic contra illum disputat: *Ambo eam & debere, & posse dicimus vinci. Sed tu tanquam bonum, repugnante alio bono; ego tanquam malum, repugnante bono: & tu viribus propriis; ego gratiâ Saluatoris, vt non aliâ reprobâ cupiditate, sed Dei caritate vincatur, quæ non viribus nostris diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

65. *Quid circa præceptorum obseruationem?* Docet tertiò, in eodem lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 14. non modò totam legem, sed nec vllam eius partem sine gratia impleri posse. Doctrinam enim Augustini exploratam esse, liberum arbitrium non habere in sua potestate, nisi Dei gratiâ liberetur, non modò vt vniuersam iustitiæ moralis legem impleat; sed nec illam, quâ vel vnum opus moraliter bonum operetur. Quod ibidem probat iis argumentis, quæ retulimus, & refutauimus sect. 2. & sequentibus huius disputationis.

Ex opposito doctrina Pelagij erat, tria illa in titulo sectionis proposita fieri posse solis naturæ viribus, etiam perfectè & integrè, & quantùm sufficit ad æternam salutem: gratiámque Dei, si detur, ad hoc solùm iuuare, vt faciliùs impleamus per illam, id quod possumus facere per naturam: vt videre est apud D. Augustinum, præcipuè in lib. de Gestis Pelagij, & lib. de hæresibus, hæresi 88. 66. *Error Pelagij circa tria prædicta.*

Inter has duas extremas sententias medium tenet vera, & communis Theologorum doctrina; iuxta quam dico primò, non posse quidem hominem per naturæ vires, sine auxilio gratiæ, diligere Deum perfectè, & sicut oportet ad iustificationem & salutem: vt contra Pelagium definiuit Arausic. II. can. 25. & Tridentinum sess. 6. can. 3. posse tamen imperfectiorem quendam actum amoris erga Deum elicere, vt colligitur ex Apostolo Rom. 1. versu vicesimo & sequentibus, vbi docet, Gentiles solo lumine naturali Deum per opera ipsius visibilia cognouisse, esséque inexcusabiles, *Quia cùm cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, sed commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ, potiùs quàm Creatori.* Si autem potuerunt Deum cognoscere naturaliter, consequens est, vt aliquo actu naturali illum amare potuerint vt Creatorem suum, & liberalissimum benefactorem, amoréque dignissimum: præsertim cùm natura per se inclinet ad amandos parentes, & benefactores; habeantúrque supra modum inhumani & barbari, qui secùs faciunt. Propter quod meritò addit Apostolus, eosdem Gentiles esse inexcusabiles, quòd Deum naturaliter cognoscentes, non eum glorificauerunt, & coluerunt, neque illi seruierunt, amando scilicet illum vt poterant, aliisque modis colendo, & glorificando Deum: quæ glorificatio, cultus, & seruitus, præcipuè in eius amore consistit, vt etiam ipso naturali lumine notum est. Ideóque verissimè D. Bernard. in lib. de diligendo Deo, dicit infideles esse inexcusabiles, si Deum non diligant: quia *clamat intus innatâ, & non ignotâ ratione iustitia diligendum esse illum, cuius nos totos esse, & cui totum debere non ignoramus.* Quin etiam aliquos Gentiles aliqualiter amâsse Deum naturæ viribus, significat idem Apost. Rom. 2. versu 14. Gentiles legem non habentes (Mosaicam, vel Euangelicam) facere naturaliter ea quæ legis sunt, id est, aliqua in positiua Dei lege præscripta: inter quæ valde probabiliter numerandum esse aliqualem Dei amorem vt Creatoris, & Benefactoris, paulò antè ostendimus. Idem quoque meritò colligitur ex modo loquendi Concil. Arausic. can. 25. & Trid. sess. 6. can. 3. quando necessitatem gratiæ ad Deum amandum, restringunt ad amorem sicut oportet ad salutem, vel ad iustificationem. Quæ restrictio frustra poneretur, si nullus amor Dei esset possibilis absque auxilio gratiæ. Idem verò clariùs affirmant Sancti Patres, vt Bernardus verbis modò relatis, & Basilius in regulis fusiùs disputatis, in responsione ad secundam interrogationem, &

67. *Aliquis amor Dei est naturaliter possibilis.* *Probatur ex Scriptura.* *Et ex Conciliis.* *Et ex Patribus.*

Augustinus libro 6. contra Iulian. cap. 10. & S. Thom. in 2. dist. 33. q. 2. art. 2. ad 5. & Pius V. ac Gregorius XIII. in Bullis contra Michaëlem Baium propositione 33. & 35. quorum omnium verba retulimus disp. 13. sect. 5. num. 33.

68. *Confirmatur ratione.* His Scripturæ, Patrū, Conciliorum, & Summorum Pontificum auctoritatibus accedit duplex ratio. Prima, quia naturale est homini amare bonū cognitum, præcipuéque ad ipsum pertinens: & eò magis, quò illud bonum præstantius est, semotis impedimentis, aut difficultatibus ab amore retrahentibus. Deus autem potest cognosci naturaliter vt summum, & præstantissimum bonum, tum in seipso, tum etiam nobis ipsis, id est, vt summum bonum nostrum: & non semper occurrit impedimentum, aut difficultas amandi, siue ex parte concupiscentiæ, siue aliunde: atque interdum, cùm occurrit, adeo leuis est, vt possit facilè superari, & par aut maior superetur in amādo creaturas, etiam amore illicito, ad quem certè non præstat Deus auxilium gratiæ. Quare non est existimandum adeo imbecillum, aut miserum esse hominem, vt nullatenus amare possit summum illud bonum naturaliter cognitum. Secunda: Præceptum diligendi Deum est naturale: quippe quod est ex puro dictamine rationis, & conueniret homini in statu etiam naturæ puræ. Ergo est de actu naturali quoad substantiam. Ergo potest impleri naturæ viribus, semotis difficultatibus, quæ per accidens interueniunt, & non semper occurrunt.

69. *Non possunt omnes tentationes vinci naturæ viribus.* Dico 2. non posse quidem naturæ viribus vinci omnes tentationes, non modò collectiuè, diuturno tempore occurrentes; sed neque etiam distributiuè aliquas adeo vehementes, & importunas, vt nisi gratia Dei succurrerit, voluntas illis omnino consensura sit propter nimiam resistendi difficultatem: secus tamen esse sentiendum de leuioribus distributiuè sumptis, aut exiguo numero. Prima pars huius conclusionis probatur, quia licèt omnis tentatio, cui succumbendo peccamus culpabiliter, sit talis, vt ei saltem physicè possimus resistere; alioqui enim non peccaremus culpabiliter, ei succumbendo; quia vt rectè ait Augustinus, nemo peccat in eo quod vitare non potest; & *quæcunque sit causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur:* aliquæ tamen sunt adeò graues, & vehementes, vt ad illis resistendum, opus sit gratiæ auxilio, sine quo omnino futurum est vt earum vehementiæ succumbamus. Cuiusmodi sunt illæ, de quibus ait Apostolus 1. Corint. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis:* vbi rectè notat Chrysostomus aliquas esse tentationes adeò graues, vt vires nostras superent, cuiusmodi sunt istæ: alias leuiores, de quibus Paulus ibidem dicit, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* De iisdem grauioribus loquitur vates regius Psal. 27. cùm ait, *In te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Et Psal. 117. *Impulsus, euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* De iisdémque intelligendum est quod à Pelagio Synodus Palæstina exegit contra vndecimum illius articulum, vt fateretur, *Quando contra tentationes & concupiscentias dimicamus* (fortiter resistendo) *quamuis & illic propriam habeamus voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram prouenire victoriam.*

August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18.

Chrysost. initio hom. 24. in 1. ad Corinth.

70. Secunda pars eiusdem assertionis probatur primò ex verbis Apostoli, & Chrysostomi suprà relatis, quibus similia dicunt Hieronymus, & Augustinus locis à Suare relatis, & expensis lib. 1. de grat. cap. 23. num. 16. vbi rectè notat D. Augustinum cùm ait lib. de Perfect. iustitiæ cap. 2. ratiocin. 3. *In natura vitiata parum esse ad non peccandum voluntatis arbitrium,* limitare hâc particulâ *parum*, quod alibi dixisse videtur, liberum arbitrium hominis lapsi, non nisi ad peccandum valere, innueréque id non esse in rigore intelligendum de singulis peccandi occasionibus, tentationibus, & actibus; sed ideò dicere *parum valere,* quia ad summum in vno, vel alio actu, aut non ita multis, potest tentationem leuem ita vincere vt non peccet. Probatur secundò, ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. confirmatâ ab Vrbano VIII. qui has duas propositiones Baij proscripserunt: 29. *Fures sunt & latrones, quicunque dicunt tentationi vlli sine gratiæ Christi adiutorio resistere hominem posse, sic vt in eam non incidat, aut ab ea non superetur.* Et 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Quæ posterior propositio fuerat sic à Baio absolutè enunciata, sine vlla censura, vel exaggeratione: ideóque dici non potest propter eam solam damnari. Si autem absolutè falsum est, liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere; falsum est non posse nisi peccare occurrente quâcunque etiam leuissimâ peccandi occasione, seu tentatione concupiscentiæ, quam esse causam omnis peccati docet Iansen. lib. de statu naturæ lapsæ cap. 8. & 24. probátque ex 1. Ioan. 2. vers. 16. *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, &c.* & ex Iacob. 1. vers. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, &c. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, &c.* Quare in priori quoque propositione non damnatur solùm exaggeratio, sed ipsa quoque assertio, quòd nulli tentationi sine gratiæ adiutorio resisti possit. Probatur tertiò ratione: quia resistere tentationi simpliciter negando consensum, est aliquid naturale in se; ideóque per se non indiget auxilio gratiæ. Sed neque etiam illo indiget propter difficultatem abstinendi à consensu, si tentatio leuis est, vt supponimus. Et quidem sunt aliquæ adeo leues, vt turpissimum, & homine indignissimum iudicetur illis cedere: & aliquæ ad res adeo nefarias, & horrendas leuiter incitant, vt magno potiùs auxilio, & impulsu alterius esset opus ad faciendum quod postulant: putà ad seipsum ex alto præcipitandum, ad suspendium, & similia.

Possunt tamen aliquæ leuiores.

Dixi autem in conclusione, posse resisti sine auxilio gratiæ huiusmodi tentationibus leuioribus singillatim sumptis, *aut exiguo numero:* propterea quòd si collectiuè sumantur, prout frequenter occurrunt toto vitæ cursu, aut diuturno tempore; ne iusti quidem possunt illis omnibus ita resistere, vt non sæpius labantur in peccatum veniale. Propter quod Iacob. c. 3. vers. 2. de se quoque, & aliis Apostolis dicit, *In multis offendimus omnes:* & Trid. sess. 6. can. 23. sic pronunciat, *Si quis dixerit hominem semel iustificatum, amplius peccare non posse, &c. aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, anathema sit.* Ratio est, quia licèt nulla sit eiusmodi tentationum, cui non possit resisti seorsim sumptæ; difficile tamen est, & moraliter impossibile sine speciali auxilio, homi- 71.

Non tamen omnes collectiuè, aut plurima.

hem semper habere animum adeo vigilem, & intentum, vt in tanta multitudine tentationum, etiam leuium, quæ longo tempore frequentissimè occurrunt, nunquam labatur ne quidem venialiter: vt vnicuique propriâ experientiâ sat notum esse arbitror.

72. *Nec omnia præcepta, sed aliqua.* Dico 3. posse quidem naturæ viribus fieri aliqua, diuinâ lege præcepta: non posse tamen sine auxilio gratiæ totam legem seruari. Prior pars liquet ex dictis tota sect. 1. Posterior probatur ex Apost. ad Rom. præcipuè capite primo, septimo & octauo, vbi sæpius docet, gratiam esse necessariam ad seruandam etiam legem naturalem, propter difficultatem ortam ex concupiscentia: idemque fusissimè probat Augustinus toto lib. de spirit. & lit. & lib. de natur. & grat. cap. 2. & seqq. & lib. de grat. Christi cap. 8. & lib. de Gratia & lib. arb. cap. 4. Quòd verò neque totam legem supernaturalem, id est, præcipientem aliquid supernaturale, imò neque villam eius partem seruare quisquam possit absque auxilio gratiæ, manifestius est, quàm vt probatione, aut declaratione indigeat.

SECTIO IX.

Soluuntur argumenta Iansenij contra doctrinam propositam.

73. *Soluuntur argumenta contra primam conclusionem.* SVPEREST vt respondeamus argumentis Iansenij contra doctrinam præcedentem, propositis numero 63. & seqq. Ad primum contra primam conclusionem allatum, respondeo patere ex dictis sect. 3. falsum esse quod supponit, nullum opus bonum, adeóque nullum actum bonum, fieri posse sine auxilio gratiæ. Ad secundum, patet etiam ex dictis num. 67. quàm falsò affirmet Iansenius, distinctionem illam duplicis amoris in naturalem, & supernaturalem, esse commentitiam, & neotericam, nullúmque habere vestigium in Scriptura, vel Conciliis, aut Sanctis Patribus qui Scholasticos præcesserunt. Ad tertium: ostendimus ibidem Apostolum ad Rom. 1. & 2. amorem Dei naturalem innuere, eiúsque defectum in Gentilibus reprehendere, qui cùm Deum naturaliter cognoscerent, non illum vt talem glorificauerunt, & zelo ipsius gloriæ (qui aliquem Dei amorem includit, vel ex illo nasci consueuit) non se opposuerunt idololatriæ; sed veritatem vertentes in mendacium, idolis potiùs & creaturæ, quàm Creatori seruire maluerunt. Quòd si Scriptura sæpius meminit amoris Dei supernaturalis, causa est, quia per dilectionem Dei, quam commendat, intendit promouere homines ad finem supernaturalem; ad quem finem opus est dilectione illâ excellentiori, mentémque Deo perfectiùs, & vniuersaliùs subiiciente, quæ sine dono Spiritus Sancti haberi nequit. De eadémque dilectione loquitur Arausicanum can. 25. cùm ait, Prorsus Dei donum esse diligere Deum, illo scilicet modo; siue diligere sicut oportet ad salutem: quam clausulam exprimit eodem can. 25. itémque can. 6. & 7. & Trident. sess. 6. can. 3. De eadem quoque loquitur Augustinus verbis relatis ex serm. 15. de verbis Apostoli cap. 11. & epist. 107. siue, vt ipse loquitur, lib. 4. contra Iulian. cap. 3. in fine, de sancta, & Christiana dilectione, *quâ peruenitur ad Deum.* Similíque modo eam describit Prosper in responsione ad excerpta Genuensium.

74. Verum est autem, quod ait Augustinus in ep. cit. perditam fuisse per peccatum Adæ liberam potestatem Deum sic amandi: quia per illud peccatum priuati sumus habitu caritatis, quo sumus intrinsecè, & permanenter constituti in potentia eum eliciendi: & auxiliis gratiæ habitum supplentibus, aut aliter necessariis ad illius amoris exercitium, quibus indigni facti sumus per peccatum primi parentis, quibúsve reipsa caremus nisi Dei misericordia propter Christi merita velit nostræ inopiæ succurrere: adeóque facti sumus impotentes ad Deum, sicut oportet, diligendum, amissâ facultate sic diligendi, quam in Adamo acceperamus, quámve nunc haberemus iure hæreditario ad nos transmissam, si ille non peccasset. Quo etiam sensu Concilium Arausicanum cit. can. 25. pronunciat, *Per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuisse liberum arbitrium,* (subtractis illis gratiæ donis) *vt nullus possit diligere Deum sicut oportet, nisi eum gratia, & misericordia diuina preuenerit.*

75. Dices Concilium Arausicanum plus significare. Quia licèt particula illa, *sicut oportet*, videatur eius definitionem restringere ad dilectionem supernaturalem: dum tamen insinuat Concilium hanc impotentiam, non solùm procedere ex supernaturalitate actus, sed ex debilitate nostri arbitrij contractâ per peccatum; extendenda videtur esse ad dilectionem naturalem. Certum enim est non fuisse contractam per peccatum impotentiam diligendi Deum actu supernaturali sine gratia; cùm hæc impotentia esset ante peccatum. Neque etiam contracta fuit per peccatum impotentia diligendi Deum supernaturaliter, sine auxilio efficaci; cùm hæc quoque esset ante peccatum. Contracta ergo fuit per peccatum impotentia diligendi Deum super omnia, sine speciali auxilio confortante nostram voluntatem inclinatam ad quærenda propria commoda. Et de necessitate huius specialis auxilij sermo est quando dicitur, non posse nunc hominem sine auxilio diligere, credere, operari bonum propter Deum sicut oportet, hoc est, super omnia, propter debilitatem, & inclinationem arbitrij contractam per peccatum. Quæ inclinatio cùm non magis impediat dilectionem Dei supernaturalem, quàm naturalem; vtraque enim, si est super omnia, æquè opponitur inclinationi ad propria commoda; consequens est vt impotentia illa, orta ex peccato, propter inclinationem arbitrij ad propria commoda, non solùm intelligatur de impotentia ad dilectionem supernaturalem, sed etiam ad naturalem. Quo sensu ait S. Augustinus epist. 107. nos liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse: hoc est, primum peccatum reddidisse nobis actum illum impossibilem, nisi voluntas confortetur auxilio speciali, & naturæ indebito.

76. *Arbitrium quomodo infirmatum ad Deum amandum?* Respondeo primò, fuisse quidem ante peccatum impotentiam diligendi Deum supernaturaliter absque gratia, & absque auxilio saltem sufficiente, naturæ indebito: sed differentiam esse inter statum qui erat ante peccatum, & statum qui nunc est: quòd tunc liberum arbitrium habebat sibi adiunctam gratiam sanctificantem,

& parata auxilia, gratiæ illi connaturaliter debita, ad Deum supernaturaliter diligendum: quibus quia fuit spoliatum per peccatum primi parentis, verè dicitur fuisse infirmatum, & attenuatum; ita vt nunc nemo possit Deum diligere sicut oportet, nisi eum gratia Dei & misericordia præueniat: id est, nisi per Dei gratiam, & misericordiam obtineat auxilia sibi iam indebita, quibus per peccatum primi parentis fuit priuatus.

77. *Quatenus potest, aut non potest illum amare?* Respondeo secundò, aliud esse loqui de qualicunque Dei dilectione, vt nunc loquimur: & aliud, loqui de dilectione super omnia absolutè, vniuersaliter, & efficaciter (quantum est de se) abstrahente voluntatem ab omnibus eius amori contrariis, vt facit dilectio sufficiens ad iustificationem. Quem amorem fatendum est non posse nunc haberi viribus naturalibus, ne quidem actu naturali in substantia, propter naturæ corruptæ infirmitatem, & malam inclinationem. Déque illo si quis contendat posse quoque intelligi Concilium Arausicanum, & D. Augustinum locis citatis, non aduersabitur nostræ conclusioni. Aliam expositionem horum verborum, *sicut oportet*, excogitatam à nouis Dogmatistis, refutabimus disp. 29. sect. 5.

78. *Gratia quomodo necessaria ad vincendas tentationes.* Ad alia argumenta contra secundam conclusionem allata num. 64. sic respondendum est. Ad primum, & secundum testimonium obiectum ex Augustino lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 16. Dico eum loqui de victoria tentationis non qualicunque, sed perfectâ, quâ non modò peccatum vitatur per simplicem negationem consensus, sed & contrarius aliquis actus bonus, vitæque æternæ meritorius exercetur. Nam, vt rectè ait auctor suprà citat. sect. 13. & patet ex ipsis Augustini verbis eodem capite, loquitur S. ille Doctor de illis qui adeò fortiter cum vitiis dimicant, vt ea vincendo vitam æternam consequantur. Neque similiter faciunt, atque illi, qui *nonnunquam apertissima vitia, aliis vincunt occultis, quæ putantur esse virtutes; in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa; sed Dei amore vincunt,* vt ait verbis immediatè præcedentibus. Quin etiam manifestè loquitur ibi de victoria tentationum, & vitiorum, quæ propter inolitam consuetudinem laboriosa difficultate superantur: de qua debet intelligi quod proximè post hæc verba subiungit: *Neque id fit veraciter, atque sinceriter, nisi vere delectatione iustitiæ.* Fatemur autem gratiam esse necessariam ad vincendas graues, & difficiles tentationes non solùm collectiuè, sed etiam singillatim. Quódque ait, *veraciter fit*, intelligi debet eo sensu, quo dicit lib. 4. contra Iulian. cap. 3. veras virtutes, veráque bona opera ea solùm esse, quæ ad regnum æternum vitámque perducunt.

Tertium Augustini testimonium quod opposuit Iansenius ex lib. 5. contra Iulian. cap. 8. manifestè loquitur de victoria tentationum concupiscentiæ carnis, quæ solent esse vehementes, & importunæ: adeóque vt vincantur tum singillatim quæ vehementes sunt, tum collectiuè leuiores, diuturno tempore, absque culpa etiam veniali, fatemur gratiam necessariam esse, vt constat ex dictis sectione præcedenti conclusione secunda. 79.

Ad id denique quod opponit Iansenius contra tertiam conclusionem, satis supérque responsum fuit sect. 5. & 6. huius disputationis iunctis iis quæ diximus sect. 1. num. 1. vbi ex ipsis verbis Apostoli Rom. 2. probauimus Gentiles solo ductu rationis, & naturæ viribus fecisse aliqua per legem Dei præcepta, adeóque aliquam eius partem impleuisse, licèt totam implere nequiuerint sine auxilio gratiæ. Et hactenus de naturæ viribus circa bonum, & malum, déque variis statibus naturæ humanæ à Iansenio propositis. Nunc ad alia de gratia Christi Saluatoris, ab ipso proposita progrediendum est. 80.





TRACTATVS III.

DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS.



Q V Æ in tractatu præcedenti diximus de statu naturæ lapsæ, sunt veluti præambula, ad ea, quæ deinceps de gratia Christi Saluatoris explicanda sunt: de qua fusissimè disserit Iansenius toto tom. 3. decem libris comprehenso. Atque in primo quidem tractat de liberatione arbitrij à seruitute concupiscentiæ; hoc est, à necessitate peccandi, & impotentiâ bene agendi per illam inducta voluntati. Quam liberationem ostendit non fieri per naturam, hoc est, per bona opera solis naturæ viribus facta; neque per legem & doctrinam, siue extrinsecus propositam, siue intrinsecus inspiratam: sed per veram Christi gratiam à lege & doctrina distinctam. In secundo, ostendit quænam & qualis sit gratia illa liberatrix seu medicinalis, quam semper victricem, efficacem, & necessitantem esse contendit. In tertio, omnem aliam gratiam, quam sufficientem vocant, reiicit. In quarto, essentiam, & varias diuisiones illius gratiæ medicinalis exponit. In quinto, tractat de variis eius effectibus. In sexto & septimo, disputat de natura liberi arbitrij, vt viam sibi sternat ad octauum, qui est de concordia gratiæ efficacis & liberi arbitrij. In nono & decimo, disserit de Prædestinatione & reprobatione hominum, & de causis vtriusque. Quæ omnia sequentibus disputationibus eodem ordine examinabuntur; vbi priùs de nomine & conceptu gratiæ pauca dixerimus, apertúmque fecerimus Iansenium à vero eius conceptu longissimè distare, eiúsque naturam prorsus destruere cùm maximè laborat eam contra Pelagianorum errores stabilire.

DISPVTATIO PROOEMIALIS numero XX.

Quid significetur nomine Gratiæ, & quæ sit gratia Christi Saluatoris.

SECTIO PRIMA.

Quid intelligant Scriptura, & Patres nomine Gratiæ? Ostenditur Iansenium à vero eius conceptu aberrasse.

1. *Quid propriè dicatur gratia?*



NOMINE gratiæ propriè sumptæ, & prout à natura distinguitur, intelligunt Scriptura, Patres, & Concilia donum gratuitum naturæ superadditum, superánsque illius exigentiam: præcipuè verò illud, quo Deus creaturam intellectualem sanctificat, eíque ad peccatum vincendum, & ad bene operandum auxilium præstat. Talem enim esse conceptum gratiæ propriè dictæ, patet ex D. Augustino epist. 95. vbi tum ipse, tum alij Patres Africani reprehendunt Pelagium, quòd ad vitandam condemnationem in Concilio Palæstino abusus esset nomine gratiæ, eo nomine intelligens liberum arbitrium nobis collatum in ipsa creatione, quod sufficere volebat ad vitandum peccatum, & bene operandum: quòdque ideo gratiam esse intelligebat, quia gratis à Deo collatum est: quippe qui gratis nos creauit, & liberum arbitrium, aliáque dona naruralia gratis nobis contulit: neque enim antequam essemus, meruimus, aut etiam mereri potuimus vt à Deo crearemur. Quam eius fraudem eo præcipuè nomine refellunt, quòd gratia, quam Scriptura, & Patres, totáque Ecclesia catholica prædicat esse necessariam vt iustificemur ab iniquitate, & sanemur ab infirmitate, vtque resistendo tentationibus, & Dei mandata seruando vitam æternam consequamur, non est liberum arbitrium, & donum creationis, quod cum impiis nobis commune est; sed aliquid naturæ indebitum, & per Christi merita nobis collatum. Hoc sensu nomen gratiæ sumitur in Scriptura, Psalm. 83. cùm dicitur, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et Ioann. primo: *Lex per Moysen data est, Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Et Romanorum tertio, *Iustificati gratis per gratiam ipsius &c.* Et capite sexto: *Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Et capite septimo: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et 1. Corinth. 15.

Plus omnibus laboraui, non ego autem sed gratia Dei mecum. Et 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Et Ephes. 2. *Gratiâ enim saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* aliísque locis.

2. *Alia huius vocis acceptiones.* Interdum tamen nomen gratiæ aliter sumitur in Scriptura. Primò, pro quocunque dono gratuito, id est collato sine debito, non ex iustitia, sed ex liberalitate. Quo sensu Paulus Rom. 4. generaliter ait: *Ei qui operatur merces imputatur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Secundò, pro forma, quâ aliquid placet & gratum redditur. Vt pro venustate sermonis, Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* & pro decore corporis, Prouerb. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Tertiò, pro fauore, & amore seu beneuolentia. Quo sensu dicitur Noë Genesis sexto, inuenisse gratiam coram Domino irato toti hominum generi, illúdque per diluuium perdere meditante. & 1. Reg. 1. versu decimo-octauo: *Vtinam* (inquit Anna Heli Sacerdoti) *inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.* Quartò, pro gratitudine animi erga benefactorem, atque etiam pro eo quod illi retribuitur pro beneficio accepto: vt 2. Reg. 2. *Retribuet quidem vobis Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam.* & 1. Corinth. 10. *Si quid ego cum gratia* (id est, cum gratiarum actione) *participo.* & Coloss. 3. versu decimo-sexto, *Grati estote &c. in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Quæ omnes gratiæ acceptiones non sunt propriæ huius loci, sed illa sola, quam initio sectionis assignauimus, & Scripturæ, Patrúmque testimoniis confirmauimus, quâ scilicet gratia sumitur pro dono gratuito naturæ non debito, illiúsque exigentiam superante, adeóque distincto à dono creationis, id est, à bonis naturalibus internis, aut externis, collatis aut debitis titulo creationis, aut prouidentiæ naturalis. Quo etiam sensu sermo est de gratia in præsenti tractatu, speciatimque de donis illis, quibus natura humana purgatur à peccato, & ad malum vitandum, bonúmque operandum, æternámque salutem consequendam adiuuatur: cuiusmodi dona sunt remissio peccatorum, & media, vel auxilia quibus illam obtinemus, quibúsve iuuamur ad vitanda deinceps peccata, & exercenda opera Christianæ iustitiæ, atque in ea perseuerandum vsque ad consummationem gloriæ: quæ vocantur auxilia gratiæ actualis: itémque habitus infusi virtutum supernaturalium, & gratia sanctificans, si ab illis distinguitur: quæ vocantur gratiæ habituales, & permanenter instruunt intellectum & voluntatem ad credendum & bene operandum, aut animam in esse supernaturali constituunt. Vltra quæ omnia gratiæ dona, quæ interna sunt, eodem nomine comprehenduntur externa quædam beneficia gratuita, vt lex & Scriptura diuina, prædicatio Euangelica cum suis adiunctis, id est, cum argumentis credibilitatis, exempla Christi, Sacramenta, Christus ipse, & Spiritus sanctus, totáque Trinitas se nobis dans in adiutorem, & inhabitatorem, ac rectorem viæ salutis.

3. Ex dictis autem facile est intelligere quantopere à vero illo, & communiter à sanctis Patribus recepto, gratiæ propriè dictæ conceptu aberret Iansenius, quando ex vna parte affirmat cum omnibus Catholicis gratiam sanctificantem & gloriam, & auxilia necessaria ad bene operandum vtiliter ad vitam æternam, esse gratiam propriè dictam; etiam respectu Angelorum, & hominum ante lapsum: ex alia verò parte affirmat gratiam sanctificantem, & gloriam, auxiliáque illa fuisse Angelis & hominibus debita vi suæ creationis, neque potuisse creari hominem connaturali modo, nisi propter vltimum finem ei connaturalem, hoc est (inquit) propter visionem & fruitionem Dei, cui vero sinceróque amore adhæreat, vel saltem iis subsidiis instructus sit, quibus illi adhærere possit, eiúsque æternâ fruitione beari; vt contendit libro primo de statu naturæ puræ capite tertio, & pluribus sequentibus. *Iansenius gratiæ conceptum destruit.* Enimuerò si ita est, gratia sanctificans, & gloria, auxiliáque suprà dicta, sunt aliquid pertinens ad donum creationis, & naturæ humanæ atque Angelicæ debitum connaturaliter; quippe sine quibus non possunt creari connaturali modo, iuxta doctrinam Iansenij. Ergo non sunt gratia propriè dicta, quæ iuxta mentem sanctorum Patrum, & primorum gratiæ defensorum contra errores Pelagij, est aliquid vltra & supra donum creationis, ac naturæ minimè debitum. Vt videre est apud Augustinum epistolis 90. 92. & 95. vbi Augustinus, aliique Episcopi Africani, & Patres Concilij Carthaginensis, & Mileuitani reprehendunt Pelagium velut abutentem nomine gratiæ ad suum errorem dissimulandum: cùm enim à Catholicis reprehenderetur eò quòd negaret necessitatem gratiæ ad bene operandum, metueréturque damnari à Concilio Palæstino; cœpit illam nomine tenus fateri, intelligendo per eam liberum arbitrium, quod ideo gratiam esse dicebat, quia gratis à Deo in ipsa creatione nobis datur, id est, nullis præcedentibus meritis: vt de illo testantur Hieron. in epist. ad Ctesiphontem, & dialog. 1. contra Pelag. & August. epist. 95. & lib. de hæresibus, hæres. 88. & lib. de Gratia Christi pluribus locis. Quam fraudem eo maximè nomine reiecerunt Patres Africani, & Concilia suprà citata, quòd gratia propriè dicta, quam Scriptura commendat, quæve ad bene operandum, peccatúmque vitandum, & vitam æternam consequendam necessaria est, non est ipsa natura, vel aliquid naturæ debitum ex connaturali modo suæ creationis, sed vlterius beneficium naturæ indebitum, & gratuitò ei collatum, atque à Deo per orationem postulandum. Vt videre est apud Augustinum citatâ epist. 95. vbi cum Aurelio, aliísque Episcopis sic scribit ad Innocentium Pontificem Romanum: *Si Episcopi* (in Concilio Palæstino occasione Pelagij celebrato) *eum Catholicum pronunciarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit gratiam Dei confiteri, & ita posse hominem suo labore ac voluntate iustè viuere, vt ad hoc adiuuari Dei gratiâ non negaret. His enim auditis verbis, Catholici Antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere, & populis Dei prædicare consueuerunt. Eam vtique, de qua dicit Apostolus,* (Galat. 2. versu trigesimo-primo) *Probatur ex Augustino.*

Non irritam facio gratiam Dei, nam si per legem iustitia: ergo Christus gratis mortuus est, sine dubio gratiam quâ iustificamur ab iniquitate, & qua sanamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi Episcopi eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habeamus, cum quibus homines sumus; negare verò eam, quâ Christiani, & filij Dei sumus: quis eum patienter Catholicorum Sacerdotum, non dicimus, audiret; sed ante oculos ferret? Quapropter non culpandi sunt iudices, quia Ecclesiasticâ consuetudine nomen gratiæ audierunt, nescientes quid huiusmodi homines vel in suæ doctrinæ libris, vel in suorum solent auribus spargere. Et inferiùs rogant Innocentium Pelagio iniungere vt *Illam confiteatur apertissimè gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat, & prædicat esse propriam Christianorum: qua non est natura, sed quâ saluatur natura, &c. Etsi enim quadam non improbanda ratione, dicitur gratia Dei, qua creati sumus, vt nonnihil essemus,* &c. *Vnde meritò & ista gratia dici potest,* (latè sumpto scilicet nomine gratiæ pro quocunque bono gratis dato) *quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen, qua prædestinati vocamur, iustificamur, glorificamur, vt dicere possimus, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. De hac gratia quæstio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius grauiter offendebat, atque turbabat, dicebatur ei quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret non solùm ad facienda, verùm etiam ad perficienda mandata diuina, per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam. Hanc Apostolicâ doctrinâ gratiam isto nomine appellat, qua saluamur & iustificamur ex fide Christi.* Huc vsque Augustinus: quibus verbis nihil clarius & expressius dici potest ad probandum quod intendimus, Iansenium scilicet à vero gratiæ conceptu planè aberrare, illiúsque naturam destruere.

SECTIO II.

Quænam sit gratia Christi Saluatoris, & quàm multiplex?

4. *Quid sit gratia propriè iuxta Iansenium?* NEQVE minùs aberrat à vero conceptu gratiæ Christi Saluatoris, quando tom. 3. libro quinto capite primo §. *Respondetur*, affirmat, *Solam caritatis inspirationem, qua fit vt Deum verè, sincerè, & vt oportet diligamus, esse ex Augustini sententia* (& ex rei veritate) *propriè gratiam Saluatoris mundi, prout gratia propriè dicta Christi, à scientia distinguitur.* Huiúsque gratiæ naturam exponens toto lib. 2. dicit eam talem esse, vt vi sua necessitet voluntatem ad consensum, neque quoad suam operationem pendeat à libero eius vsu, sed eam necessariò illi det, faciátque vt velit & operetur. Quam doctrinam sexcentis locis repetit, & per hoc gratiam Christi Saluatoris distinctam esse vult à gratia data Angelis, & primis parentibus ante peccatum.

Non est sola inspiratio Caritatis. Verùm in hac vtraque assertione manifestè aberrat à conceptu gratiæ Christi, etiam strictiùs sumptæ prout à scientia distinguitur, id est, pro gratia se tenente ex parte voluntatis, distinctâ ab illa quæ se tenet ex parte intellectus. Etenim Scriptura, Patres, & Concilia perspicuè docent Deum mouere voluntatem nostram ad fidem amplectendam, ad pœnitentiam, ad alia opera salutaria, non solùm per inspirationem caritatis, verùm etiam timoris, & spei, & alios motus pios, propter Christi merita nobis immissos: vt apertis eorum testimoniis, speciatímque D. Augustini, patefaciemus disputat. vicesima-nona, sectione secunda, & sequentibus.

Docent pariter gratiam propter Christum datam voluntati ad bene operandum, aut vitandum peccatum, siue sit inspiratio caritatis, siue alia pia motio, quâ Deus illam præuenit & excitat, permittere liberum vsum voluntati, esséque in eius potestate consensum illi dare, vel negare: vt patebit ex dicendis tota disputatione vicesima-secunda. Quare non illa est vera Christi gratia, quam dicit Iansenius, sed figmentum Caluinisticum, Scripturæ, Patrum, & Conciliorum doctrinæ manifestè contrarium, & pro vera Christi gratia importunè obtrusum. 5. *Non necessitat voluntatem.*

Vera & communissima sententia Theologorum est, ad gratiam Christi propriè dictam pertinere tum omnes pias motiones voluntatis, tum etiam omnes illustrationes intellectus, quibus ad fidem, & ad opera salutis Deus vtramque potentiam excitat & iuuat, à prima ipsa vocatione, vsque ad consummationem totius operis nostræ salutis: vt de prima vocatione affirmat Tridentinum sessione sexta capite quinto, his verbis: *Declarat præterea* Sancta Synodus *ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione.* Et Apostolus 2. Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu.* Et de gratia, quâ consentimus Deo vocanti, & eâdem excitante ac iuuante bene operamur, sic ait idem Apostolus Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis*, &c. & Ephes. 2. *Gratia enim saluati estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Et de gratia perseuerandi vsque in finem, idem affirmat Tridentinum sessione sexta, capite decimo-tertio; & confirmat ex Apostoli verbis Philipp. secundo, versu decimo-tertio: *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Et capite decimo-sexto eiusdem sessionis ait Christum, tanquam vitem in palmites, iugiter virtutem suam influere in iustificatos, sine qua bona eorum opera Deo grata & meritoria esse non possent. Et denique omnes huiusmodi gratias nobis dari propter Christi merita, adeóque esse ipsius gratias docet idem Apostolus Ephes. 1. cùm sic ait: *Benedixit nos Deus in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo &c.* 6. *Quàm multa beneficia complectatur.*

Quin etiam probabilius est, ad gratiam Christi pertinere non solùm dona gratuita, 7.

Gratia Angelorum & status innocentiæ fuit gratia Christi.

quæ hominibus dantur in statu naturæ lapsæ, vt vult Iansenius; verùm etiam ea quæ Angelis, & primis parentibus ante peccatum fuerunt collata. Est enim probabilius Christum fuisse primò intentum à Deo, & eo sensu dici ab Apostolo, *Primogenitum omnis creaturæ*, Coloss. 1. versu decimo-quarto. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: qui est imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Quibus etiam verbis docet Christum fuisse intentum vt causam & exemplar reliquorum prædestinatorum, & caput totius corporis Ecclesiæ Angelos & homines complectentis, à quo influxum gratiæ, & omnia dona gratuita reciperent: vt ampliùs affirmat Ephes. 1. dicens Christum à Deo datum esse *caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Vbi nomine Ecclesiæ quæ est plenitudo Christi, comprehendit Angelos, vt patet ex verbis immediatè præcedentibus, quibus dicit Christum constitutum fuisse supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Estque vtrobique sermo de Christo vt homine: vt de priore loco docet Concilium Sardicense in epistola ad omnes Episcopos, & Ephesinum tomo seu parte prima, capite quarto & quinto, & tomo quarto capite vicesimo-sexto, vbi de Christo sic affirmat, *Christus vt Verbum, dicitur vnigenitus: vt homo, primogenitus.* De posteriori liquet ex ipso verborum contextu, quibus Dei voluntati tribuit quòd Christum constituerit supra omnem principatum &c. & dederit caput supra omnem Ecclesiam: quod de Christo vt Deo dici nequit. Plura hac de re videri possunt apud Martinonum tomo quarto, disputatione tertia, sect. 2. Suarem, & alios ab eo citatos.

DISPVTATIO XXI.

De seruitute arbitrij, eiúsque liberatione per gratiam.

SECTIO I.

Refertur doctrina Iansenij.



HAc de re Iansenius toto libro primo de Gratia Christi Saluatoris, vbi docet primò, seruitutem arbitrij, per peccatum Adæ contractam, non esse maculam peccati, aut reatum culpæ, aut pœnæ: vt existimant Theologi, apud quos, inquit, nulla est mentio liberationis arbitrij, quia philosophiæ Aristotelicæ principiis imbuti, sentiunt arbitrium semper esse liberum ad volendum, faciendúmque tam bonum quàm malum: Vnde etiam mentionem seruitutis atque captiuitatis respectu arbitrij voluntatis, vix auribus ferunt: quippe à cuius amissione profitendâ, occultâ quâdam superbiâ abhorrent: sed esse depressionem quandam voluntatis sub concupiscentia rerum creatarum, sub qua consensio eius ita captiua detinetur, vt ab ea se extricare suis viribus nequeat, & erigere ad iustitiam diligendam. Et consequenter liberationem voluntatis non esse peccati remissionem, vt volunt Theologi; sed relaxationem quandam delectabilis istius vinculi concupiscentialis, seu pestiferæ cuiusdam dulcedinis creaturarum, cui innexus indesinenter seruit animus, quoad per gratiam, infusâ cælesti dulcedine, ruptóque istius cupiditatis nexu, ad superna diligenda transferatur. 1.

Quid intelligat per seruitutem arbitrij?

Quid per eius liberationem?

Docet secundò, hanc liberationem arbitrij non fieri per ipsius vires, quæ per se possint bonum agere, & malum vitare; vt volebant Pelagiani: sed per gratiam Dei, vt affirmat Ecclesia cum Augustino libro primo ad Bonifacium capite tertio, vbi sic habet: *Hæc voluntas quæ libera est in malis* (hoc est ad malè faciendum) *quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est: nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuuetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et libro secundo de nuptiis capite 3. *Liberum quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani, & Pelagiani.* Similia dicit epist. 107. ad Vitalem, & aliis pluribus locis à Iansenio capite secundo relatis. Et Cœlestinus Papa in epist. ad Episcopos Galliæ. Atque inde est quòd idem sanctus Doctor gratiam vocat *liberatricem, & gratiam liberationis*, & gratiã *reparatricem*; quia per eam arbitrium liberatur, & libertas peccato Adæ perdita recuperatur: vt videre est libro de Corrept. & Gratia cap. 11. & epist. 105. ad Sixtum, & libro primo Retract. 2.

Quomodo illa fiat?

capite nono, alibíquè sæpius, verbis ab aduersario relatis capite tertio. Conformiter scilicet ad illud Pauli Rom. 7. versu penultimo, *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* (id est, de vitiis corporis, & concupiscentiâ, quam alibi vocat legem peccati) *Gratia Dei per Iesum Christum.*

3. *Ad quid necessariam esse velit!* Docet tertiò, liberationem illam necessariam esse, iuxta doctrinam Augustini, non tantùm ad actus supernaturales, seu aliquo modo meritorios, & conducentes ad salutem æternam, vt volunt Theologi: verùm etiam ad quoscunque moraliter bonos: nam ita prostratæ, & captiuæ sunt sub peccato liberi arbitrij vires, vt nullum voluntatis, virtutisque moralis actum, aut motum ex omnibus circumstantiis bonum eliecre possit, nisi per Christi gratiam adiuuetur, & consequenter liberetur. Captiuitas enim liberi arbitrij in eo sita est, quòd voluntas concupiscentiæ terrenæ visco intimè penetrata, semper & in omni actu motibus eius feratur ac referatur, imperio eius, & ponderi indesinenter seruiens: *Eodem planè modo quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus seruit diuinæ caritati.* Et opus seu motus voluntatis non potest esse moraliter bonus, nisi ipsa operis iustitia, seu rectitudo diligatur: hæc autem non potest diligi sine gratia liberatrice voluntatis. Quia iustitia & rectitudo, quæ in opere moraliter bono spectari debet, non est aliquid creatum, sed ipse Deus, qui sine auxilio gratiæ amari nequit.

4. *De faciente quod in se est.* Docet quartò, liberum arbitrium, faciendo quod in se est, nihil præstare posse, quo se ad illam gratiam dispohat: quia nullum opus moraliter bonum suis viribus facere potest. Ergo nec ad Dei gratiam se disponere: opus enim quo se disponeret, vel quod facienti gratia conferretur, vt minimùm esse deberet moraliter bonum. Quinimò non solùm non potest facere suis viribus opus moraliter bonum, sed etiam quidquid facit ante gratiam, est veri nominis peccatum, & mendacium, vt ait Arausicanum II. can. 22. & affirmat Augustinus præfat. in Psalm. 31. & in Psalm. 55. 58. 70. 142. & tract. 12. & 22. in Ioan. Manifestum autem est peccatum, & mendacium non esse dispositionem ad gratiam. Quare celebre illud axioma Theologorum, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, nullum alium sensum legitimum habere potest, nisi quòd Deus minùs peccanti conferat gratiam: cuius certè legis, aut ordinationis diuinæ, nullum sufficiens argumentum in sacris literis, vel Augustini monumentis reperiri potest: sed contrarium potiùs docet experientia: videmus enim paruulis, leuissimis sine dubitatione peccatoribus, tam multis gratiam subtrahi; & tam multis adultis post grauissima peccata conferri: & inter adultos, aliquibus qui leuiùs peccarunt, non prædicari Euangelium, & prædicari quibusdam aliis, qui grauiùs offenderunt: vt rectè dicit August. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 22. Vnde manifestum est minora peccata non esse regulam distributionis gratiarum, nec eius haberi in ea impertienda rationem: sed illius distributionem, & electionem vnius præ alio de massa perditionis, adeo occultam esse, vt nobis prorsus apparere nequeat, & nec in dotibus naturalibus corporis aut animi, nec vllis eius actibus fundamentum habeat: quemadmodum verissimè dicit August. lib. 1. quæst. ad Simplicianum, quæst. 1. & lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 17. & in Psal. 65. alibique sæpius. Vt nihil in hac re salubrius sit quàm ignorantiam regulatum impertiendæ gratiæ cum eodem Augustino preſiteri.

Docet quintò, cùm liberum arbitrium seipsum liberare non possit propriis viribus, recurrendum esse ad gratiam, cuius beneficio liberetur. Est autem (inquit) duplex gratia generatim loquendo: vna intellectus seu doctrinæ; altera voluntaris & affectus. Prior iterum duplex, externa & interna: externa dicitur omnis illa, quæ sensus externos ferit: vt prædicatio, exhortatio, suasio, denuntiatio pœnarum, præmiorúmque propositio, exempla vitæ Christi & Sanctorum, & Sacramenta etiam, quatenus sunt signa quædam sensibilia rerum sacrarum, aliáque huiusmodi. Interna verò est, quæ intrinsecùs ipsam mentem sapientiæ reuelatione, seu cognitione veritatis imbuit, cuiusmodi sunt inspirationes & illustrationes diuinitus immissæ intellectui, siue ordinariæ illæ sint, siue extraordinariæ, qualis fuit reuelatio veritatis, & illustratio Pauli vsque ad tertium cœlum rapti. Quæ omnia per gratiam legis aut doctrinæ intelligi solere testatur Augustinus libro de Gratia Christi capite decimo. Sed eiusmodi gratiam non sufficere ad liberationem arbitrij, vt facere bonum, aut vitare malum, & iustitiam implere possit, certissimum facit Apostolus, aduersus Iudæorum errorem de legis adiutorio tumescentium constantissimè id docens Rom. 4. Galat. 3. & 4. aliisque locis; idémque sæpius inculcat Augustinus, vt libro de Gestis Pelag. cap. 8. & 9. libro secundo ad Bonifac. cap. 2. & 8. lib. de Gratia & lib. arb. cap. 12. & 13. lib. 6. contra Iulian. cap. 23. & lib. 1. Retract. cap. 13. Nimirum (inquit) cùm duæ sint causæ, quibus libertas ad bonum operandum labefactata est, arbitriúmque in seruitutem præcipitatum, *ignorantia, & concupiscentia*, quam postremam Augustinus sæpè infirmitatem ac difficultatem vocat, quia resistendo bonæ voluntati, difficilem imo impossibilem iustitiæ operationem facit: ignorantia tollit boni cognitionem, vt illud velle non possit, ignoti enim nulla cupido: difficultas libertatem voluntatis ligat, vt quamuis illud quandoque, concusso nonnihil vinculo seruitutis per gratiam inchoatam, velit; non possit illud operari. Et ignorantiæ quidem morbo medetur gratia doctrinæ, dans cognitionem veri: sed non medetur concupiscentiæ, neque tollit difficultatem in volendo & operando bono. Ideóque præter gratiam doctrinæ, necessaria est gratia illa voluntatis seu affectus, quæ gratia Christi nouíque Testamenti propriè dicitur, & medetur vulneri concupiscentiæ. Lex enim seu doctrina tam veteris quàm noui Testamenti, dat quidem notitiam boni, sed non facultatem illud volendi & operandi: & peccatum ac morbum detegit, sed non sanat; vt docet Paulus ad Romanos tertio & septimo, & Augustinus plurimis locis ab aduersario relatis cap. 7. 5. *Quæ sit gratia liberatrix?*

Quinetiam, vt ait cap. 8. lex reddit præcepti 6.

Quid sentiat de lege? obseruationem difficiliorem sine gratia, propter incrementum concupiscentiæ nitentis contra vetitum: Neque enim, vt Theologi putant, legislatio erat lumen quoddam diuinitus accensum, in cuius radiis ambulantes, rectè homines viuerent: gratiam quippe affuisse sufficientem, quæ Iudæos à peccati seu concupiscentiæ dominatione liberaret, hoc est, liberos faceret, vt legis præcepta custodiendo, vitâ æternâ potirentur. Quisquis enim, inquit, legem Iudæis, eo immediato scopo datam esse putat, vt præceptorum eius luce eruditi, faciliùs cauerent peccata, quæ antea legis naturæ transgressione perpetrabant; non mediocriter hallucinari videtur. Tantùm enim abest vt lex institutionis illius, allatæque scientiæ de rebus agendis, cauendísque beneficio, maiorem afferret iustitiæ facilitatem: vt potiùs eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem. Nimirum quia augetur repressa cupiditas, indéque fit necessariò, vt præcepti seruandi difficultas longè operosior molestiórque fiat, dum id augetur, quod solùm eius custodiendi difficultatem afferebat: atque ita quantò libertas scientiæ legis beneficio expeditior esse videtur, tantò arctioribus crescentis cupiditatis, & seruitutis vinculis alligatur, nisi alio nouæ gratiæ subsidio impetus eius refringatur. Quam ob causam Apostolus Roman. septimo dicit, Peccatum occasione acceptâ per mandatum, operatum esse omnem concupiscentiam. Et 1. Corinth. 15. *Virtus peccati lex*, quia scilicet occasione legis accenditur concupiscentia. Et Augustinus libro primo ad Simplician. quæst. 1. *Venundatus est*, inquit, *sub lege à peccato, quoniam pretium mortifera voluptatis amplectitur dulcedinem illam, quâ fallitur: & delectatur etiam contra legem facere; cùm tantò magis libet, quantò minus licet.* Et libro de vera religione capite vicesimo-sexto: *Vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium seruiliter coërcens, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, & omnia commissa congeminat.* Similia dicit epist. 200. ad Asellicum, & libro de Continentia capite tertio, & libro 3. ad Bonifac. capite secundo, aliísque pluribus locis à Iansenio productis cap. 8.

7. *Quos velit esse eius defectus?* Qui sequenti capite nono addit inde factum esse, vt lex grauiorem ruinam afferret, arctiúsque concluderet hominem sub peccato. Alter enim effectus legis, inquit, in Scripturis sacris, veterúmque doctrina maximè celebratus, est, quòd non solùm non aufert, aut minuit peccata delinquentium, docendo imperitos, quo pacto eis vita instituenda est: sed etiam grauiores peccatores facit, idque duplici de causa. Quia necessarium est vt alterutro se modo habeat carnalis homo, qui legem accipit: videlicet vt quod lex iubet facere, aut nolit, aut velit. Vtrumuis fecerit, plerumque peccabit grauiùs, quàm sine lege peccauisset. Grauiter quidem, si facere noluerit: periculosiùs, si voluerit. Prima causa maioris grauitatis, si implere noluerit, est quia (vt suprà dictum fuit) legis prohibitione concupiscentia magis accenditur, quatenus dulcius fit quod vetatur, & sic maiori affectu peccatur. Secunda verò causa, & præcipua est, quia lex iubendo tantùm, & non iuuando vt homo impleat quod iubetur; hoc ipso præuaricatorem facit, id est, transgressorem & contemptorem legis cognitæ, ipsiúsque Dei legislatoris: quod grauius est, quàm esse simpliciter peccatorem sine cognitione legis. Si autem legem implere voluerit, duplici item de causa grauiùs peccabit. Nam quotquot legem vi legis implere volunt, in alterutrum transgressionis modum incidunt; vt vel eam animo coram Deo præuaricentur, vel grauiùs eludantur superbiâ, quamuis conspicua legis opera coram hominibus implere videantur. Prior ille præuaricandæ legis modus tunc committitur, quando præcepta legis, pœnarum timore, non iustitiæ dilectione complentur. Tunc enim intus in corde reus est, vbi Deus videt quid facere mallet, si liceret impunè. Posterior quando quis legem implere sibi videtur intuitu moralis honestatis, sibíque de impleta iustitia gratulatur, & superbit, sibi hoc tribuens, non Deo. Sic enim superbiendo, plus peccat, & periculosiùs. Propter quæ omnia dicit Apostolus legem subintrâsse vt abundaret delictum, Rom. 4. Iram operari, ibidem: & mandatum, quod erat in vitam, inuentum esse in mortem, Rom. 7. & legem propter transgressionem positam esse, Galat. 3. Eandémque doctrinam quoad singulas eius partes confirmat August. lib. 1. ad Simplician. q. 1. lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum fol. 436. lib. 3. ad Bonifacium cap. 2. & 7. & lib. 1. cap. 8. & 9. & lib. de spirit. & lit. cap. 8. & 19. & lib. 2. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 7. aliísque locis quæ refert Iansenius cap. 9.

8. *Vult gratiam, quâ impleri posset, defuisse Iudæis.* Sextò, docet capite decimo & vndecimo, legem non fuisse causam huius effectus per se, sed per accidens, propter indispositionem eorum, quibus data fuit: quorum scilicet concupiscentia magis exarsit ad ea volenda, & facienda, quæ cognoscebant per legem esse mala, & prohibita: carebántque gratiâ per quam possent illi resistere, & motus eius violentos infringere. Falluntur enim Theologi, qui dicunt Deum hominibus legem dedisse bonam eo fine, vt per gratiam sufficientem, quæ semper præstò vnà cum lege aderat, eam obseruarent, cauerentque peccata; sed eos pro ingenita sibi libertate noluisse, ideóque propter neglectum datæ potestatis abundasse peccata. Nam consilium Dei in danda lege fuit, non vt per gratiam sufficientem, quæ adesset Iudæis, eam obseruando, rectè viuerent; quod eos nondum posse præsciebat, sed vt multitudine peccatorum, & magnitudine præuaricationum, quæ per legem, quam implere non poterant, secuturæ sciebantur, eorum superbia frangeretur, quâ sibi de iustitia sua, præcipuéque de viribus ad implendam legem sufficientibus gloriabantur; vt contrito superborum fastu, & humilitate conceptâ, tandem aliquando cognoscerent se ægrotos esse, legémque datam implere non posse; atque ita Dei misericordiam, & medici Christi gratiam sibi necessariam esse intelligerent, quâ & præteritorum remissionem acciperent peccatorum, & sufficientes vires per gratiam pro cauendis futuris fide Mediatoris, oratione, & gemitibus impetrarent. Qui scopus Dei tantùm abest,

vt sufficientem gratiam obseruandæ legis Iudæis affuisse supponat, vt potiùs è contrario conuincat nullo modo eis affuisse. Tale autem fuisse Dei consilium, probat ex Augustino lib. de spirit. & lit. cap. 6. & in epist. ad Galatas, & lib. 19. contra Faustum, cap. 7. & lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetarum cap. 7. & lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 11. & epist. 157. & in Psalm. 83. & tract. 3. in Ioan. & serm. 6. de verbis Apostoli cap. 4. aliisque pluribus locis. Verba illius sunt cit. cap. 6. de spiritu & lit. *Demonstranda fuerat homini fœditas languoris eius, cui contra iniquitatem suam, nec præceptum sanctum, & bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas, quàm minuta; quandoquidem lex subintrauit vt abundaret delictum, vt eodem modo conuictus, atque confusus, videret non tantùm Doctorem sibi esse necessarium, verùm etiam adiutorem Deum, à quo eius itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem misericordiæ diuinæ, sanetur.* Similia dicit Prosper in expositione Psalmi 118. litera *Phe.* Propter quod etiam dicit Apostolus Galat. 3. Legem pædagogum nostrum fuisse in Christo, siue vt Græcus legit, *in Christum*; quia docebat quid agendum esset, additáque pœnæ comminatione perterrefaciebat instar seueri pædagogi, vt ait D. August. in epist. ad Galat. & lib. contra Adimant. cap. 16. lib. de natura & gratia cap. 12. lib. de spirit. & lit. cap. 10. aliisque locis à Iansenio relatis. Qui etiam notat, legem ob eandem causam dictam fuisse testimonium, non solùm quia testatur quid Deus iubendo vetandóque fieri, vel non fieri velit; sed etiam quia demonstrat hominibus de præuaricatione conuictis pœnam subeundam esse, & auxilium gratiæ postulandum; vt ait in Psalm. 77. & lib. tertio ad Bonifacium capite 4.

9. *Quo fine legem datam esse velit?* Ex quibus infert Iansenius capite 13. legem datam esse ad salutem hominis procurandam, & ad iustificationem obtinendam, non immediatè per ipsam legem, sed per gratiam. Finis enim legis immediatus erat docere homines regulam vitandorum, & agendorum, rectæque vitæ honestatem, & peccati turpitudinem; quâ regulâ inspectâ de vitiis suis erubescerent, pœnarúmque impendentium terrore ad inuocandam eam, quâ carebant, liberationis gratiam ducerentur. Itaque, inquit, præuaricationum cumulus, quo superbia contereretur, non fuit ex intentione, vel ordinatione Legislatoris Dei; sed ex præuisione duntaxat, quâ factum est, vt cùm istud opportunissimum superbiæ curandæ remedium esse cerneret, vtpote quę nulla re aptiùs ac faciliùs, quàm peccatorum numero, & grauitate, & fœditate sanetur: illud mox oblatum arripuerit, eo propemodum pacto, quo ad superbiam etiam electorum suorum eliquandam, & edomandam, grauissimis peccatis vtitur, non ea procurando, sed præuidendo, & in vsum suum oblata vertendo. Ad quod probandum reliquam partem capitis in proferendis Augustini testimoniis insumit.

10. *Quatuor hominis status, & humani generis.* Additque sequenti cap. 14. Deum simili modo, quo erga Iudæos, erga omnes alios communiter & ordinariè se gerere: vt de Christianis ipsis testatur Augustinus lib. de natura & gratia c. 6. 12. & 22. & lib. de Gestis Pelagij cap. 7. & epist. 89. & alibi: ita vt paucis exceptis, quos Deus immediatè aut compendiosiùs ad gratiam perducit, quatuor in quolibet homine status distingui possint iuxta prouidentiam Dei ordinariam. Nimirum ante legem, sub lege, in gratia, & in pace. Primus status *ante legem*, est, quando in magna legis ignorantia homo versatur. In quo statu anima sub carnalibus cupiditatibus iacet sine victoria, sine pugna. Secundus status *sub lege*, est ille, in quo homo notitiam legis accipit, & pœnarum, quas Deus intentat præuaricatoribus, earúmque terrore perculsus conatur legem seruare viribus suis fretus, séque seruare posse putat, infirmitatis suæ, & gratiæ necessitatis ignarus: sed tandem pondere peccatorum oppressus discit imbecillitatem suam agnoscere, & auxilium gratiæ desiderare. Túncque ad tertium statum transit, in quo sub adiutorio gratiæ viuit, illiúsque ope viriliter certat, & vincit concupiscentiam. Quam pugnam & victoriam sequitur quartus & vltimus status pacis, & felicitatis in æterna vita Sanctorum. Quos eosdem status tum singillatim in quolibet homine, tum vniuersim in toto genere humano distinguit Augustinus cap. 118. Enchiridij: atque in primo quidem fuit genus humanum ab Adamo vsque ad Moysem: in secundo, à Moyse vsque ad Christum: in tertio, deinceps per totum tempus legis Euangelicæ: quartum obtinent electi in cælo. Quare perturbant omnia Theologi, & legi Euangelicæ prærogatiuam suam auferunt, qui gratiam ad bene viuendum, ante legem, & sub lege, promiscuè datam fuisse contendunt.

11. *Gratia doctrinæ non sufficit sine gratia voluntatis.* Octauò docet, quod dictum est de legis insufficientia ad rectè viuendum, obtinendámque iustitiam, intelligendum pariter esse de exhortatione, consilio, suasione, reuelatione sapientiæ, & quacunque alia gratia doctrinæ, siue internâ, siue externâ. Quippe quæ intellectum solum instruit, non afficit voluntatem; indicat morbum, non curat; vulnus detegit, sed non sanat; auget potiùs, quàm tollit concupiscentiam, in qua est radix mali, & difficultas bene operandi. Quocirca D. Augustinus sæpius vrget Pelagianos, vt vltra gratiam legis & doctrinæ, fateantur aliam esse necessariam: & alioqui bona opera naturæ tribui; quippe quæ sibi sufficiat ad bonum operandum, malúmque vitandum, suppositâ illius cognitione: iustitiámque non esse datam, sed imperatam; non esse diuinam siue ex Deo, sed nostram; quia Deus non eam daret, sed tantùm iustitiam reuelaret: vt ait lib. de Gratia Christi capite 13. & lib. 3. ad Bonifac. cap. 2. Vnde colligere est, longè abesse à sensu Augustini, & Ecclesiæ Christianæ, qui volunt cogitationem congruam sufficere ad bene operandum, esséque illam gratiam, de cuius necessitate fuit cum Pelagianis controuersia: cùm è contrario Augustinus, & Arausicanum, & Carthaginense Concilium dicant ad habendam ipsam cogitationem congruam opus esse gratiâ præueniente: & vltra gratiam intellectus, doceant esse necessariam gratiam affectus, quâ voluntas liberetur à seruitute concupiscentiæ, & ad amorem iustitiæ, hoc est Dei, transferatur. Quippe quia

Ee

A concupiscentia dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, dono Spiritus sancti, per quem diffusa caritas, hoc est, amor iustitiæ, seu Dei, *in cordibus nostris, vincit carnis concupiscentias, ne consentiatur eis ad malè faciendum, sed potiùs bona faciamus*, vt ait Augustinus libro primo Retract. capite 23. & lib. 1. Operis imperfecti fol. 162. *Ab hac ergo*, inquit; *necessitate seruitutis* (concupiscentiæ dominantis) *ille liberat, qui non solùm dat præcepta per legem: verùm etiam donat per Spiritum, caritatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati* (hoc est, concupiscentiæ) &c. Sola enim caritas voluntatem corroborat, vt resistat concupiscentiæ, & à vitiosa cupiditate, hoc est, amore creaturarum, ad Deum se conuertat. Hæc est breuis summa doctrinæ Iansenij toto libro primo de Gratia Christi Saluatoris, quæ sequentibus sectionibus examinabitur.

SECTIO II.

Ostenditur doctrinam Iansenij de seruitute liberi arbitrij, eiúsque liberatione, ex Caluino assumptam esse.

12. *Calumniatur more Caluini.* AC primò, quòd exprobrat Theologis, nullam eos facere mentionem liberationis arbitrij, quia Philosophiæ Aristotelicæ principiis imbuti, sentiunt, arbitrium semper esse liberum ad volendum, faciendúmque tam bonum, quàm malum: vnde etiam mentionem seruitutis atque captiuitatis, respectu arbitrij voluntatis, vix auribus ferunt. Hoc inquam facit exemplo Caluini, qui lib. 2. Institut. cap. 2. num. 4. similiter exprobrat Scriptoribus Catholicis, quòd veram intelligentiam seruitutis arbitrij Philosophis nimis adhærentes assecuti non sint. *Inter Scriptores Ecclesiasticos*, inquit, *tametsi nemo extitit, qui non agnosceret & sanitatem rationis in homine grauiter ex peccato vulneratam, & voluntatem prauis cupiditatibus valde implicitam esse; multi tamen eorum longè plus æquo Philosophis accesserũt &c. Scripturæ doctrinam cum Philosophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare studium illis fuit.* & aliquantò pòst: *Nimis ergo Philosophicè hac de re locuti sunt, qui se Christi iactabant esse discipulos: nam quasi adhuc integer stares homo; semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit: Græcos verò non puduit multò arrogantius vsurpare vocabulum: siquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset.*

13. *De seruitute arbitrij sentit idem cum Caluino.* Secundò, quòd Iansenius vult captiuitatem arbitrij esse illius oppressionem & statum sub pondere concupiscentiæ, vt illius motibus succumbat necessariò, nihílque prorsus boni facere possit, nisi per gratiam ab huiusmodi captiuitate liberetur; quippe quod per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum perdiderit: hoc etiam accepit à Caluino, eodem capite 2. cuius titulus est: *Hominem arbitrij libertate nunc esse spoliatum, & miseræ seruituti addictum:* id est, necessitati peccandi, & seruiendi concupiscentiæ, ita vt eo tantùm sensu dici possit liberè peccare, quia peccat voluntariè, & non coactè. Quam sententiam Petro Lombardo tribuit num. 6. in fine, quasi affirmauerit, *Non liberi arbitrij ideo nos esse, quòd ad bonum & malum, vel agendum vel cogitandum peræquè polleamus, sed duntaxat quòd coactione soluti sumus. Quæ libertas non impeditur etiamsi praui simus, & serui peccati, & nihil quàm peccare possimus.* Tum subiungit immediatè pòst: *Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni, æquè ac mali electionem; sed quia malè voluntate agit, non coactione.* Et paulò pòst nu. 8. addit Augustinum hac de causa vocare seruum arbitrium, dicere̍que sine spiritu non esse liberam hominis voluntatem, quum cupiditatibus vincientibus ac vincentibus subdita sit: Et *victâ vitio, in quod cecidit voluntate, cœpisse carere libertate naturam.* Et cap. 3. num. 5. hanc distinctionis summam obseruandam esse dicit: *Hominem, vt vitiatus est ex lapsu, volentem quidem peccare, non inuitum, nec coactum; affectione animi propensissimâ, non violenta coactione; propriæ libidinis motu, non extraria coactione: quâ tamen est naturæ prauitate, non posse nisi ad malum moueri & agi.*

Tertiò, cùm ait, ex occulta superbia nasci sententiam illam de remanente libertate arbitrij circa bonum & malum; inde enim fieri vt homines communiter audire refugiant incursam esse captiuitatem illi oppositam, & vel ipsum nomen seruitutis arbitrij vix auribus ferant Theologi: Loquitur exemplo Caluini lib. 2. Institut. cap. 2. num. 10. vbi postquam dixit; *Vt quisque maximè suæ calamitatis, inopiæ, nuditatis, ignominiæ conscientiâ deiectus est, & consternatus; ita optimè in sui cognitione profecisse*; addit paulò pòst, hominem perdere seipsum, & sacrilegij reum fieri, si vel tantillum sibi arroget, hoc est, si aliquid in volendo bono & fugiendo malo, sibi, suóque libero tribuat arbitrio: & hanc libidinem, & cogitationem, quoties mentem malam incessit, non aliunde inspirari, quàm ab eo, *qui primos parentes induxit, vt Diis esse similes vellent, scientes bonum & malum.* 14. *Altera eius calumnia ex Caluino sumpta.*

Quartò, euidenter falsum est quod ait, nullam apud Theologos fieri mentionem liberationis arbitrij, & seruitutis seu captiuitatis illi oppositæ. Nam imprimis disertam vtriusque mentionem facit S. Thomas lect. 4. in cap. 7. epistolæ ad Rom. circa illa verba: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati*: Vbi affirmat duos esse effectus istius legis peccati. Primum, quòd resistat rationi, seu legi mentis. Alterum, quòd hominem in seruitutem redigat. Tum deinde hunc secundum effectum explicans, subiicit: *Lex autem peccati captiuat hominem dupliciter. Vno modo, hominem peccatorem, per consensum & operationem. Alio modo, hominem sub gratia constitutum, quantum ad concupiscentiæ motum.* Hæc de captiuitate arbitrij sub lege concupiscentiæ. Postea de eiusdem liberatione, circa illa verba, *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei*, &c. sic ait: *Hac autem* (gratia) *liberat à corpore mortis huius dupliciter. Vno modo, vt corruptio corporis* (id est, concupiscentia) *menti non dominetur trahens eam ad peccandum. Alio modo, vt corruptio corporis totaliter tollatur.* 15. *Imponit Theologis.*

Secundò, eiusdem seruitutis mentionem expressam facit Magister sentent. in 2. dist. 25. 16.

Ostenditur Theologos loqui de seruitute & liberatione arbitrij. lit. D. vbi dicit: *Manifestum esse quòd præter alias pœnalitates, pro peccato illo* (Adami) *incurrit homo pœnam, corruptionem, & depressionem liberi arbitrij.* Et paulò pòst: *Corrupta est ergo per peccatum libertas arbitrij, & ex parte perdita, &c. non quia post peccatum non habuit liberum arbitrium, sed quia libertatem arbitrij perdidit, non quidem omnem, sed libertatem à miseria, & à peccato.* Et immediatè pòst lit. E, dicit esse *triplicem libertatem*, vnam esse *à necessitate*, quæ semper manet in homine ante & post peccatum, éstque naturalis homini, & sine qua nec peccatum, nec meritum esset. *Alteram à peccato*, quam habebat homo in statu innocentiæ, & perdidit per lapsum Adæ, factus peccati seruus; à quo enim quis deuictus est, & huic seruus factus est. *Tertiam à miseria*, id est, à naturæ corruptione, seu concupiscentia, & aliis corporis animíque incommodis, à quibus liber erat ante peccatum, postea verò obnoxius illis factus est. Et inferiùs, in quo consistat huiusmodi corruptio, & seruitus arbitrij, sic exponit: *Ex prædictis iam apparet in quo per peccatum sit imminutum, vel corruptum liberum arbitrium. Quia ante peccatum nulla erat homini difficultas, nullúmque impedimentum de lege membrorum ad bonum, & nulla impulsio, vel instigatio ad malum. Nunc autem per legem carnis ad bonum impeditur, & ad malum instigatur, vt non possit velle & perficere bonum, nisi per gratiam liberetur & adiuuetur.* De qua liberatione addit sequenti §. in fine distinctionis: *Libertas ergo à peccato, & à miseria, per gratiam est: libertas verò à necessitate, per naturam. Vtramque libertatem, natura scilicet, & gratia, notat Apostolus, cùm ex persona hominis non redempti* (ab huiusmodi captiuitate & seruitute arbitrij) *ait: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: ac si diceret, habeo libertatem naturæ, sed non habeo libertatem gratiæ: ideò non est apud me perfectio boni: nam voluntas hominis, quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere implendum, nisi per gratiam liberetur, & adiuuetur: liberetur vt velit, adiuuetur vt perficiat.*

17. Tertiò denique eiusdem seruitutis & liberationis æquè mentionem faciunt D. Thomas, Durandus, Ricardus de Media-Villa, Gabriel, & alij veteres Scholastici ad distinctionem 25. lib. 2. sententiarum. Et ex recentioribus Suares in 1. 2. tract. de voluntario & inuoluntario disp. 1. sect. 3. num. 13. Malderus ibid. disputat. 56. ferè initio ad quæst. 13. S. Thomæ, Gamachæus tom. 2. ad eandem quæstionem titulo de Elect. cap. 3. & alij D. Thomæ interpretes. Et denique id adeo notum est, vt Caluinus hoc dissimulare nequiuerit, sed ingenuè fateatur lib. 2. Instit. cap. 2. num. 5. in fine, *Obtinuisse in Scholis distinctionem, quæ triplicem libertatem numerat: à necessitate primam, secundam à peccato tertiam à miseria: quarum prima sic homini naturaliter inhæreat, vt nequeat vllo modo eripi: duæ alteræ sint per peccatum amissæ*, & reparandæ per gratiam. De qua reparatione agit cap. 3. num. 6. quare ignorantium simplicitate, & eruditorum patientiâ, supra modum abutitur Iansenius, cùm tam apertum mendacium scribere non veretur: & exprobrare Theologis ignorantiam rei apud illos notissimæ, vulgatissimæque.

Non tamen illam seruitutem arbitrij talem esse affirmant, qualem vult esse Iansenius: nimirum libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum, non solùm fuisse imminutam, & debilitatam per peccatum Adæ, sed penitus amissam: ita vt nihil nisi malum ex ipso viribus suis relicto prodire possit, & necessariò succumbat motibus concupiscentiæ, peccétque necessariò quotiescunque peccat: nec quicquam boni velle possit, nisi per gratiam antecedenter necessitetur. Hic enim est error Caluini libro secundo Institut. capite secundo & tertio, quem damnauit Tridentinum sess. sexta can. 4. & 5. quémve omnes Catholici execrantur. Sed communis doctrina Theologorum est, amissionem libertatis à peccato, seu peccati seruitutem, quam homo incurrit per peccatum primi parentis, in eo consistere, quòd eius posteri sint peccato infecti ab origine, à quo non possunt liberari nisi per Dei gratiam, & Christi Domini merita iustificentur: sicut neque à peccatis personalibus quæ propriâ voluntate contraxerunt: à quibus, & à peccato originali liberantur formaliter per ipsam gratiam sanctificantem, & remissionem peccatorum: dispositiuè autem per actus quibus cum Dei gratia auxiliante sese disponunt ad iustificationem. Amissionem verò libertatis è miseria consistere in amissione integritatis naturæ, eiúsque corruptione per peccatum Adæ inductâ, ex qua fit vt pars inferior pugnet contra superiorem, & motus concupiscentiæ voluntatem ad peccandum vehementer incendant, atque à recto tramite rationis, & boni honesti prosecutione frequenter ac potenter retrahant: atque ita liberum arbitrium quodammodo subiectum sibi teneant, malique fugam, & boni prosecutionem difficilem ei reddant. A qua subiectione, & debilitate sanatur ex parte per gratiam auxiliantem, quâ iuuatur & corroboratur, vt motus concupiscentiæ rebelles vincat, illósque rectæ rationi subiiciat. Dixi, *ex parte*; quia ex toto non liberamur à concupiscentia in hac vita mortali; quippe quæ etiam in iustis & sanctis ad agonem relinquitur, vt ait Tridentinum sess. quinta can. 5. & de seipso Paulus testatur Roman. 7. 18. *Quid sit illa seruitus?*

SECTIO III.

Vera ratio cur arbitrium non possit seipsum liberare, & quo sensu Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

FATENTVR etiam vnanimi consensu Theologi, non posse liberum arbitrium solis naturæ viribus se liberare à seruitute concupiscentiæ: ac neque quicquam agere posse, quo ad gratiam liberationis ab illius iugo, & à peccati captiuitate se disponat. Sed non ob eam rationem, quam affert Iansenius, quámque accepit à Caluino locis proximè citatis: nimirum quia nullam habet ad bene agendum indifferentiam, nullúmque actum omni ex parte moraliter bonum elicere potest: vnde opus 19. *Causa huius rei ex Iansenio & Caluino.*

habet liberatione præuia, non solùm ad actus bonos supernaturales, vel ad salutem pertinentes: sed etiam ad quoscumque naturales, quantumuis exiguos, moraliter bonos. Quod falsum esse, & minùs consentaneum Scripturæ, & Patribus, ipsiúsque Augustini doctrinæ, satis patet ex dictis disputat. decima-nona sect. 1. & pluribus sequentibus. Sed vera ratio illius rei, & communiter à Theologis recepta, hæc est; quia bonum morale solis naturæ viribus factum, non habet sufficientem proportionem cum gratia propriè dicta, siue auxiliante, siue sanctificante: ideóque non potest habere locum dispositionis respectu illius; dispositio enim debet habere proportionem cum forma ad quam disponit, & esse eiusdem ordinis cum illa. Ob eandémque causam bona opera naturalia non possunt habere rationem meriti respectu gratiæ; quia omne meritum siue de condigno, siue de congruo, debet habere proportionem condignitatis, aut congruitatis cum mercede: meritóque iampridem damnati fuerunt ab Ecclesia Semipelagiani; eò quòd vellent nos per fidem naturæ viribus conceptam, & alia quædam naturalia, mereri primam gratiam, ne alioqui Deus esset acceptor personarum si daret illam sine meritis.

Altera causa & vera.

Verus sensus axiomatis Facienti quod in se est &c.

Quando autem dicunt Theologi, Deum Facienti quod in se est, non denegare gratiam; non est illorum sensus, qualem falsò dicit esse Iansenius: quasi velint Deum non dare gratiam nisi priùs facienti quod in se est: id est, bene operanti quantum potest naturæ viribus; vel nisi minùs peccanti, & minùs impedienti: & in gratiæ suæ distributione seruare proportionem cum maiori aut minori dispositione hominum per bona opera naturalia; vel maiore aut minore impedimento per opera mala: atque hanc esse certam regulam distributionis gratiarum diuinarum, ad quas homines nitantur viribus naturalibus, & bene agendo moraliter, vel abstinendo à malo pertingant. Fatentur enim inscrutabilia esse hac in parte iudicia diuinæ Sapientiæ, & Deum frequenter magis indignos præuenire gratia, maioribúsque beneficiis magis immerentes: & hæreticum esse, damnatúmque ab Arausicano II. can. 5. & tribus sequentibus, dicere, per naturæ vigorem haberi posse fidem, aut credulitatis affectum: vel sine gratia Dei credentibus, volentibus, & pulsantibus nobis misericordiam conferri; non autem diuinitùs vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem sancti Spiritus fieri; aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungi gratiæ adiutorium; aut bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitari vt expedit, aut eligi posse absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti; aut liberum arbitrium per peccatum primi hominis non esse infirmatum, aut certè ita læsum, vt tamen quidam per semetipsos sine reuelatione Dei, mysterium salutis æternæ possint conquirere.

20. Sed illius axiomatis apud Theologos sensus duplex est. Primus, Facienti quod in se est cum auxilio gratiæ, Deum non denegare gratiam vlteriorem, ad quam obtinendam illum disponit, excitat, & adiuuat. Qui enim dedit velle, dat perficere, & operari bonum, ad quod volendum excitauit: & sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere, vt ait Trident. sess. 6. cap. 13. post Apostolum Philip. 2. vers. 13. Et vt ait D. Thom. in caput primum epist. 1. ad Corinthios vers. 9. circa illa verba: *Fidelis Deus, per quem vocati estis, &c. Non videretur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem filij, & nobis denegaret quantùm in ipso est, ea per quæ peruenire ad eum possemus.*

Prior illius pars.

Alter sensus est, Facienti quod in se est per vires naturales, & quantum potest sequenti dictamen rectæ rationis circa bonum agendum, & vitandum malum, Deum non denegare gratiam, quâ ad fidem, vitámque supernaturalem eum vocet & adiuuet. Non quasi gratiam operibus naturalibus meruerit: quod esset ad errorem Semipelagianorum sese aggregare: nec tanquam se ad eam disposuerit: nam vt suprà dixi, opera merè naturalia non habent proportionem cum gratia supernaturali, vt possint esse dispositio ad illam, vel meritum de condigno, aut de congruo: sed tanquam non ponenti impedimentum Deo, qui pro sua misericordia paratus est omnes illuminare, suæque gratiæ auxilia impertiri, quíque reipsa impertitur etiam illis ipsis, qui se illis indigniores reddunt malè viuendo, & contra lumen naturale sæpius grauiúsque peccando. 21.

Posterior.

Contra quæ frustra opponit Aduersarius lib. 1. de Gratia Christi cap. 5. & lib. 9. capite 25. nullum opus moraliter bonum solis viribus naturalibus fieri posse: imò quidquid fit ante gratiam, esse veri nominis peccatum ac mendacium: omniáque infidelium opera quantumcunque speciosa, & ex Philosophica virtute profecta videantur, esse verè & propriè dicta peccata: ideóque Deum mouere non posse vt gratiæ nobis auxilia largiatur, vel ad ea præparare. Nam ex dictis suprà disput. 19. liquet falsum esse nullum opus moraliter bonum fieri posse solis naturæ viribus: & quidquid sine gratia fit, esse peccatum verè ac propriè dictum: vbi etiam multa D. Augustini testimonia, & canonem Arausicanum, quibus præcipuè abutitur, non in eo rigore, quem ipse vult, intelligenda esse demonstrauimus. 22.

Soluitur 1. argumentũ Iansenij.

Abludit autem à proposito, cùm ex quibusdam aliis eius locis probare conatur Deum pro suo beneplacito, maiores interdum peccatores conuertere, relictis minoribus: & paribus, siue æquè indignis dispares gratias conferre: regulámque generalem, quam seruet in iis distribuendis, non esse petendam ex inæqualitate, & differentia ipsarum creaturarum, quibus eas largitur: sed in hac distributione inscrutabilem esse altitudinem diuinæ prouidentiæ, plus largientis quibus vult, licèt interdum multò indignioribus. Hæc enim omnia vera esse fatentur Theologi, vt paulò antè retulimus; sed simul affirmant Deum, qui omnes sincerè vult saluare: atque illos etiam qui contra lumen naturale liberiùs peccant, vocat identidem, iuuátque auxiliis gratiæ; non defuturum illi, qui quantum est in ipso, conatur sequi ductum rationis naturalis, & quoad potest, nullum ponit obstaculum diuino lumini illuminanti, quantum est de se, *omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt dicitur Ioan. 1. & exponitur à Chrysostomo 23.

homil. 7. in Ioannem, & Ambrosio sermone 8. in Psalm. 118. quorum verba referemus alibi: aliísque Patribus, licèt alios etiam non dedignetur, sed eorum aliquos interdum magis iuuet, meliúsque præueniat pro suo beneplacito: vt magis appareat gratiam esse donum purè gratuitum: interdum etiam; vt eius vis clariùs eluceat, pauperes eligat, infirmos, & ignaros, præ diuitibus, potentibus, & doctis; vt ait Augustinus in Psalm. 65. Certè non obstantibus omnibus illis D. Augustini testimoniis à Iansenio productis, sanctus Thomas, qui accuratiùs eum legerat, & sine dubio meliùs intellexerat, non dubitauit sic affirmare quæst. 14. de Veritate articulo 11. ad 1. *Hoc pertinet ad diuinam prouidentiam, vt cuilibet prouideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis nutritus in syluis inter lupos, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certissimè est tenendum quòd ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria: vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium,* Act. 10.

24. *Fundamentum illius axiomatis.* Quare non est verum quod ait nouus Dogmatista lib. 10. de Gratia Christi cap. 25. §. *Cum igitur*, nullam aliam rationem fuisse cur Theologi in axioma illud consentirent, nisi quia naturali lumini inhærentes, discretionis initium ab arbitrio proprio, non ab aliena, id est, à Dei voluntate petendum censuerunt. Rationem enim sic opinandi habuerunt sinceram Dei voluntatem saluandi omnes; atque, si non resistant, ad hoc iuuantem suæ gratiæ auxiliis, vel alia media necessaria paruulis etiam suppeditantem, quantum est de se: imò etiam adultos resistentes vocantem identidem, & ad viam salutis capessendam inuitantem. Ideóque ad propositum non pertinent quæ opponit ex Augustino epist. 107. ad Vitalem, & libro primo de peccatorum meritis capite 22. & lib. de Bono Perseuer. capite 11. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. & in Psal. 65. aliísque locis, vt probet opera bona præcedentia non esse causam discretionis in distributione auxiliorum gratiæ: quasi semper ab illis sumenda sit: & non dentur etiam malè operantibus, aut non nisi causas impares ex parte liberi arbitrij habentibus.

25. Magis ad rem facit, quod proponit ex lib. 1. de peccatorum meritis capite 22. *Vnde enim fit vt homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras prouectior, aptiórque consurgat: & tamen eo loco sit, vbi ei prædicari gratia Christiana non possit. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, ac facinoribus coopertus, ita gubernetur vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hîc fuerit, laudabiliter viuat?* Quibus verbis Augustini relatis, addit Iansenius nullum exemplum adduci posse ab iis auctoribus, qui facientibus quod in se est, gratiam dari putant, isto præsenti luculentius, in quo, citra fidem Christi, tantus moralis bonitatis fulgor eluceat. Et hæc tamen tanquam ad gratiæ collationem prorsus inutilis, & importuna præteritur; & moralium penitus expers meritorum, imò flagitiis & facinoribus coopertus assumitur. Ad quod confirmandum adducit locum similem D. Augustini ex libro primo ad Simplician. q. 2. in fine, vbi affirmat nihil sibi apparere, nihílque se habere quod intueatur in eligendis hominibus ad gratiam salutarem; neque maius ingenium, neque minora peccata, neque honestas vtilésque doctrinas: cùm Deus prætermittat præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores, & cæt.

Sed ad priorem locum respondeo 1. D. Augustinum ibi disputare contra eos, qui, vt ait paulò pòst, credebant animas hominum, ante ista corpora sua, quasdam proprias vitas gessisse: & pro meritis vitæ superioris accipere quasque diuersa corpora terrena, quibus aliæ magis, aliæ minùs grauentur: & pro eisdem meritis humana ingenia variari, vt acutiora sint quædam, & alia obtusiora: próque ipsius vitæ superioris meritis diuinam quoque gratiam liberandis hominibus dispensari. Quem errorem ex eo refutat, quòd illi duo supradicti, & in exemplum allati, si secundùm animam priùs vixerunt: ille vtique meliùs ante hoc mortale corpus vixisse credendus est, qui eo non multùm meruit prægrauari, vt & bonum haberet ingenium, & concupiscentiis eius mitioribus vrgeretur, quas posset facilè superare: & tamen eam sibi gratiam prædicari non meruit, quâ solâ posset à secundæ mortis pernicie liberari. Ille autem pro meritis deterioribus sicut putant, grauiori corpori implicitus, & ob hoc, cordis obtusi, cùm carnis illecebris ardentissima cupiditate vinceretur, & per nequissimam vitam, peccatis pristinis, quibus ad hoc venire meruerat, adderet peiora terrena; aut in cruce tamen audiuit, *Hodie mecum eris in Paradiso*: aut alicui cohæsit Apostolo, cuius prædicatione mutatus, & per lauacrum regenerationis saluus effectus, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia. Theologi autem, qui dicunt Deum non negare gratiam facienti quod in se est, neque loquuntur de operibus ante hanc vitam exercitis, quod fabulosum, & erroneum est: neque volunt facientem quod in se est, mereri gratiam per bona opera naturalia: esséque illa necessaria vt gratia obtineatur: quasi diuina lege decretum sit, vt non detur nisi pro meritis: quod etiam erroneum & hæreticum est; quódque si verum esset, deberet maior gratia dari magis merenti: atque ita ille, qui meliùs vixit, deberet non modò parem cum illo, sed & maiorem gratiam accipere. Cuius tamen contrarium euenit: quandoquidem in exemplo allato, ille, qui peiùs vixit, audit prædicationem Euangelij, credit, baptizatur, &c. alter illis omnibus priuatur. — 26. *Diluitur 1. argumentum.*

Quia tamen videntur nobis aduersari verba relata Diui Augustini in eo quod negare videtur priorem illum hominem modestum, ingeniosum, temperantem, &c. gratiâ iuuari, tametsi faciat quod in se est: respondeo secundò, vel non loqui Augustinum de faciente omnino quod in se est, vt subindicant illa eius verba, 27.

magna ex parte libidinum victor: innuunt enim, ex parte etiam libidinibus eum indulgere: vel potiùs non intendere quòd omni penitus auxilio gratiæ destituatur, sed tantùm illis quæ ibi commemorat, quibúsve alter fruitur; prædicatione scilicet Euangelij, Baptismo, & aliis ibi recensitis: licèt habeat subinde aliquas inspirationes, & motiones pias, quibus si obtemperaret, tandem ad fidem saluti necessariam perduceretur, siue à Deo immediatè, siue interuentu alterius: vt D. Thomas loco suprà citato affirmauit. Si autem non obtemperat, perit defectu cooperationis, non defectu sufficientis auxilij.

28. *Soluitur 3.* Ad posteriorem locum respondeo Diuum Augustinum non aliud ibi affirmare, nisi quod suprà diximus, differentiam antecedentem ex parte creaturarum, siue propter inæquale ingenium, siue propter doctrinam, aut vitam meliorem, & similia, non esse regulam dirigentem Deum in distributione auxiliorum gratiæ: quasi non distribuat, nisi has, aut illas dotes habenribus: & plures, aut maiores illis, qui prædictis dotibus naturalibus magis excellunt. Cùm & sacræ literæ & multorum exempla doceant, Deum pro suo dominio supremo misereri cuius vult: & tum paribus, id est, æquè indignis dare dispares gratias: tum etiam sæpè maiores indignioribus: quippe qui, vt ait ibidem Augustinus post Apostolum, *Infirma mundi eligit, vt confundat fortia: & stulta mundi, vt confundat sapientes:* cogitque nos per hanc suæ prouidentiæ dispositionem recurrere ad voluntatis ipsius beneplacitum, & dicere, vt Christus exemplo suo nos docuit Matt. 11. ver. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*: & exclamare cum Apostolo Rom. 11. vers. 33. & Augustino locis citatis, alibíque sæpius, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis Consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei.*

29. *Iansenius Lutherisat.* Neque tamen propterea dicendum est, quod ad extrema more suo declinans addit Iansenius libro primo de Gratia Christi cap. 5. aliquantò ante finem, Deum potiùs spernere, suâque gratiâ non dignari facientem quod in se est: quia vt Augustinus ait serm. 59. de verbis Domini capite decimo: *Tam largo fonti vas inane admouendum est.* Nullum autem est plenius, hoc est, minùs inane, *quàm quod, faciendo quod in se est, eructat mores suos moraliter bonos.* Additque se multum vereri, ne si in humanæ vocationis initiis aliquis manifestus peccator, cum alio faciente quod in se est, accurrisset ad Christum; verba ipsius ab Augustino consignata, altero neglecto, audiisset: *Veni tu pauper, sequere me. Non est quod in te expauescatur, sed multum est quod in te impleatur.* Simili planè modo Lutherus, & eius sectatores probare conati sunt opera bona Christiana obesse potiùs, quàm prodesse saluti: obstaréque Dei misericordiæ. *Caueamus à peccatis*, (inquit ille in sermone de nouo Testamento, siue de Missa) *sed multò magis à legibus & operibus bonis. Tantùm attendamus Dei promissionem, & fidem.* Cur autem sic caueri velit, rationem hanc reddit suo dignam ingenio, & Iansenianæ similem: *Ego*, inquit, *dico tibi, quia angusta est via: oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Ceterum, qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus D. Iacobi peregrinos; ij non poterunt penetrare.* Et inferiùs: *Si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit: alioqui non poteris penetrare.* Et quidam de rigidis eius sectatoribus, in Colloquio Alremburgensi, Magistri sui mentem clariùs explicans, dicit, *Ad Sathanam spectare Christianos cum operibus bonis:* &, *Adeo non esse necessaria opera bona, vt etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa.* Plura eiusmodi ex illis referunt Bellarm. lib. 4. de iustificat. cap. 1. & Petrus Canisius lib. 1. de corruptelis Verbi Dei cap. 10. quæ contemptu magis & risu, vel execratione, quàm refutatione digna esse, nemo non videt.

Augus. ibid.

SECTIO IV.

Cur sola gratia legis, & doctrina non sufficiat ad liberationem arbitrij?

CERTVM est apud Theologos, & imprimis dem contra Pelagianos ab Augustino demonstratum, atque etiam ab Ecclesia definitum, gratiam legis & doctrinæ, siue exteriùs propositæ, siue interiùs inspiratæ, non sufficere vt arbitrium liberetur à seruitute concupiscentiæ, & difficultate bene operandi, malique vitandi: vel vt possit velle & operari quæ ad salutem vitæ æternæ pertinent: quia gratia legis & doctrinæ instruit quidem intellectum, ostendens quid agendum, quídve cauendum sit: sed non corroborat voluntatem vt resistat motibus concupiscentiæ, rectæ rationi legíque diuinæ rebellibus: neque sanat infirmitatem liberi arbitrij ex peccato Adæ secutam. Quare hac de re nulla est inter Iansenium, & Theologos controuersia. 30. *Vera ratio cur non sufficiat.*

Certum pariter est, ob eandem causam legem veterem non fuisse Iudæis per se sufficientem, vt facere bonum, aut vitare malum, & iustitiam implere possent, vt sæpiùs affirmat Apostolus Rom. 4. Galat. 3. & 4. aliisque locis, & August. lib. de Gestis Pelagij cap. 8. & 9. lib. 2. ad Bonifac. cap. 2. & 8. lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 12. & 13. lib. 6. contra Iulian. cap. 23. & lib. 1. Retract. cap. 13. 31. *Lex per se non sufficiebat.*

Sed quod addit Iansenius, legem illam reddidisse duntaxat obseruationem præcepti difficiliorem, quia deerat Iudæis gratia, cuius ope seruari posset: fallíque Theologos qui existimant Legislationem illam fuisse lumen quoddam diuinitùs accensum, in cuius radiis ambulantes, rectè illi viuerent: gratiam quippe affuisse sufficientem, quæ illos à peccati concupiscentiæ dominatu liberaret; hoc est, liberos faceret vt legis præcepta custodiendo vitâ æternâ potirentur: & non mediocriter hallucinari quisquis putat legem eo immediato scopo datam Iudæis fuisse, vt præceptorum eius luce eruditi faciliùs cauerent peccata, quæ antea legis naturæ transgressione perpetrabant: tantùm enim abesse vt lex, institutionis illius, allatæque scientiæ de rebus agendis cauendisque benefi- *Ratio Iansenij sumpta à Luthero.*

cio, maiorem afferret iustitiæ facilitatem; vt potiùs eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem. Hoc, inquam, prorsus erroneum est, acceptum à Luthero in lib. de seruo arbitrio, & in epist. ad Gal. cap. 3. Et à Caluino lib. 2. Institut. cap. 7. nu. 9. 10. & 11. Repugnátque manifestè sacris literis Deuteron. 30. vers. 11. & seq. vbi Moyses populum Israëliticum sic alloquitur, postquam legem Dei illi proposuit: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, &c. Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hæc enim verba manifestè ostendunt legis obseruationem non fuisse Iudæis impossibilem, sed Deum simul cum lege obtulisse, & dedisse illis gratiam sufficientem, ac de se efficacem, vt possent eam seruare: alioquin mandatum illud supra ipsos fuisset, id est, superans eorum facultatem, & procul positum, ita vt ad illius executionem attingere non valerent: quippe redditam muro velut interposito impossibilem: cùm tamen dicat Moyses nec esse supra, nec procul positum mandatum, sed iuxta valde in ore, & in corde Iudæorum. Atque id clariùs liquet ex verbis immediatè sequentibus: sic enim pergit Moyses eundem populum Iudaïcum alloqui: *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius, ac ceremonias, atque iudicia: & viuas, &c.* [*Testes inuoco cælum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas.* Quæ verba tantâ cum emphasi prolata, sole clariùs ostendunt potuisse Iudæos seruare legem sibi propositam, & auxilium gratiæ necessarium non eis defuisse: neque enim fuisset in eorum potestate eligere vitam, seruando mandata; vel mortem, ea transgrediendo; si caruissent gratiâ necessariâ, & sufficiente ad seruandum: antecedentíque necessitate adstricti fuissent ad transgressionem, defectu gratiæ. Quare frustra & ineptè, quod absit, Moyses vtrumque illis proposuisset, vt alterùtrum eligerent: hoc enim perinde esset, ac si reo ad mortem damnato, cui negatur facultas euadendi, diceret aliquis, vt vitam aut mortem eligeret.

Probatur ex Scriptura gratiam non defuisse Iudæis.

32. Frustra quoque & ineptè, quod absit, conquereretur Deus de populo Israël, apud Isaïam cap. 5. vers. 4. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Nam si voluit Deus vt faceret vuas, manifestum est debuisse dare auxilium necessarium, & sine quo ferre non poterat: potuisséntque Iudæi meritò respondere, non esse iustam conquerendi causam, si non fecissent destituti auxilio id, quod sine illo erat impossibile facere, quódque nullus hominum fecisset, si similiter auxilio illo necessario caruisset. Frustra quoque, & irrationabiliter expectasset Deus vt faceret vuas, & conquereretur velut admirabundus fecisse labruscas, si Deus ipsâ lege suâ fecerat illi impossibile ferre vuas, & non facere labruscas: quippe (vt vult Iansenius) lege ad hoc solum valente vt redderet Iudæis iustitiam difficiliorem, & quasi muro quodam interposito impossibilem; quod sine graui blasphemia contra Dei bonitatem dici, aut præsumi nequit. Sanè potiùs mirandum fuisset, si Iudæi sine auxilio gratiæ tulissent vuas, hoc est, si fecissent quod illis erat impossibile facere. Et nemo nisi insanus expectare potest, aut etiam seriò desiderare, vt faciat quispiam id, quod nouit esse illi impossibile.

Frustra quoque & ineptè, quod absit, Deus 33.
apud Ezechielem capite 18. vers. 23. Postquam generaliter protestatus est nolle se mortem impij, sed vt à viis suis conuertatur, & viuat; ita Iudæos hortaretur ad conuersionem vers. 32. *Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: reuertemini, & viuite.* Nam si non dabat Iudæis gratiam, sine qua conuerti, & mortem vitare non poterant; ficta erat, & vana eiusmodi protestatio, & hortatio; quod sine blasphemia dici nequit. Et illos adhortari vt conuerterentur, & viuerent, carentes auxilio necessario vt possent conuerti, & viuere; erat illos exhortari ad faciendum impossibile; quod inane, & insanum esse, nemo sanæ mentis non videt.

Frustra quoque & non verè, quod absit, di- 34.
ceret Deus apud Oseam, populo Israëlitico, cap. 13. vers. 9. *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.* Hoc enim falsum esset, si adiutorium gratiæ illi defuisset. Nam his verbis significat Deus illum perire sua ipsius voluntate, non defectu auxilij necessarij: & in seipso quidem habere causam pereundi, socordiam scilicet, & malam voluntatem: in Deo autem habere salutis auxilium.

Frustra denique, vt alia multa his similia præ- 35.
teream, Christus Iudæis sic exprobrâsset Math. 23. vers. 37. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Quomodo enim voluit tanto affectu, quantum his verbis exprimit, si negauit illis gratiam necessariam, & sufficientem vt possent congregari? Quomodo etiam iure exprobrâsset Iudæis Stephanus Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis; sicut Patres vestri, ita & vos:* si Spiritus sanctus sufficienti gratiâ non eos præuenit, & iuuit sufficienter, vt possent ductum illius sequi, & Prophetas ad se missos audire, quos occiderunt: certè hæc veritas toties, & tam manifestè in Scripturis expressa est, vt si D. Augustinus, vel quiuis alius Patrum contrarium docuisset, audiendus non esset; multóque minùs ferendus est Iansenius, tam audacter sese illi opponens, & confidenter affirmans, non mediocriter hallucinari Theologos, qui dicunt gratiam datam fuisse Iudæis vt possent legem sibi datam seruare, & faciliùs peccata vitare: quippe quæ è contrario iustitiam eis quasi muro quodam interposito reddiderit impossibilem.



SECTIO V.

Euertitur fundamentum contrariæ sententiæ, & exponuntur Scripturæ loca, quibus abutitur Iansenius.

36. *Finis triplex legis veteris.* AD fundamentum autem, quo Iansenius nititur, respondeo absurdum esse existimare legem Mosaïcam datam à Deo fuisse ex intentione vt abundarent peccata, indéque homines cognoscerent suam infirmitatem, & necessitatem gratiæ, Christíque eius auctoris, & consummatoris. Hoc enim Dei bonitati, & supremæ rectitudini planè repugnat. Sed data fuit primò, vt populum Dei instrueret, & conuenienter ordinaret, tum in iis quæ spectant ad moralem rectitudinem, & honestatem vitæ vniuscuiusque: tum etiam in iis, quæ pertinent ad cultum diuinum, & ad iustam politiam vnius regni. In quem triplicem finem continebat tria genera præceptorum: moralium scilicet, ceremonialium, & iudicialium: vt rectè obseruauit, & exposuit D. Thomas 1. 2. tota quæstione 99. Per moralia informabatur ad morum honestatem: per ceremonialia, ad cultum Dei: per iudicialia ad ea, quæ pertinent ad politiam. Secundò, fuit etiam data vt ad Christum venturum desiderandum, & acceptandum disponeret populum Iudaïcum, atque ad fidem eius explicitam: iuxta illud Roman. 10. *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Et ad Galat. 3. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Tertiò, data etiam fuit, & quidem principaliter, vt per eius obseruationem populus Iudaïcus non solùm temporali pace, & felicitate, peculiarique Dei prouidentiâ, & beneuolentiâ, frueretur, promissâ Exodi 19. Deuteronom. 28. aliísque locis: verùm etiam spiritalem, & supernaturalem felicitatem assequeretur, partim in hac vita, per veram animæ sanctitatem: partim etiam in futura, per æternam beatitudinem: iuxta illud Psalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, &c. in custodiendis illis retributio multa.* Et Psalm. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, & reliqua deinceps toto illo Psalmo longissimo dicta in commendationem, & laudem illius legis, simúlque in nostræ propositionis confirmationem. Eadémque de causa Stephanus Act. 7. vers. 38. dicit Moysem dedisse populo *verba vitæ.* Et Paulus Rom. 7. vers. 10. affirmat mandatum hoc fuisse *ad vitam.* Et Christus Lucæ 10. interroganti Legisperito quid sibi faciendum esset, vt vitam æternam possideret: Respondit: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* significans eam ad finem illum valere, & ad hoc datam esse.

37. *Multiplicatio peccatorum non fuit à Deo intenta, sed est secuta per accidēs.* Fuerunt igitur illi fines à Deo, legis huius auctore, per se intenti. Per accidens verò ex illius latione sumpserunt homines occasionem multiplicandi peccata, nitentes in vetitum: Deo id permittente, neque tam copiosè gratiam suppeditante, quàm in nouo Testamento: vt & infirmitas humana, & necessitas gratiæ, Christíque Mediatoris magis innotesceret: quemadmodum Paulus affirmat Rom. 5. cùm sic ait: *Lex subintrauit vt abundaret delictum.* Vbi particula, *vt*, non denotat causam finalem, à Deo intentam, sed tantùm consecutionem seu euentum secutum per accidens ex mala hominum voluntate, Deo permittente: vt notarunt ibidem Chrysostomus, Ambrosius, D. Thomas, Benedictus Iustinianus, aliíque veteres & recentes interpretes: qui loquendi modus est frequens in Scriptura, quæ solet id quod ex accidenti, & ex hominum prauitate contra Dei intentionem accidit, exprimere tanquam id quod Deus intenderit, & cuius gratia aliquid egerit. Vt quando Ioan. 9. vers. 39. Christus dicit se venisse *vt qui vident, cæci fiant.* Et cap. 15. vers. 25. *Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Et Exod. 9. vers. 16. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem, & potentiam meam.* Sic igitur, vt rectè ait Chrysostomus hom. 10. in epist. ad Rom. quando dicit Apostolus legem subintrasse vt abundaret delictum: *Particula, vt, non causam sed euentum significat. Non enim huius rei gratiâ data est, vt abundaret: sed data est quidem vt minueret, & è medio tolleret delictum: contrarium verò accidit, non ob legis naturam, sed propter eorum, qui illam receperunt socordiam.* Eodémque sensu dicit Apostolus cap. 7. eiusdem epistolæ vers. 11. & seq. *Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me: & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccatum peccans per mandatum. Scimus enim, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, &c.* Quibus postremis Apostoli verbis, *lex spiritualis est*, nihil magis è diametro repugnat, quàm quod ait Iansenius tom. 3. lib. 3. c. 6. Testamentum vetus non ea de causa datum esse Iudæis, vt per illius promissiones, & obseruationem, eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur. *Sed totum fuisse carnale; & profectò nihil aliud fuisse, nisi magnam quandam quasi comœdiam.* Quæ verba magis expendemus alibi.

Eodem quoque sensu Paulus Rom. 8. vers. 2. legem veterem appellat *legem peccati, & mortis.* Et 2. Corinth. 3. vers. 6. dicit literam occidere, spiritum autem viuificare: intelligens per *literam*, legem Mosaïcam; de qua subiicit immediatè pòst: *Quòd si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria*, &c. Et ad Galat. 3. vers. 19. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*: id est, data Moïsi per Angelum in monte Sina, Deum repræsentantem. Vbi particula, *propter*, vel consecutionem tantùm significat: vel vt ait ibidem D. Thom. sensus est, legem fuisse datam ad vitandas transgressiones: sicut dicitur data ad custodiendos homines. Vel etiam dici potest fuisse data propter transgressiones antecedentes, quæ adeo erant multiplicatæ in humano genere, vt vix maneret in hominibus cognitio peccati: idéoque lex fuit necessaria, vt per eius instructionem cognoscerentur peccata, & vitarentur. 38. *Quo sensu dicatur lex peccati, & data propter transgressiones.*

39. Eodem quoque sensu intelligenda sunt alia Scripturæ testimonia, quibus abutitur capite 8. & nono aduersarius. Vt quod ait Apostolus 1. Cor. 15. *Virtus peccati lex.* & Roman. quarto, *Lex iram operatur.* & Roman. septimo, *Peccatum occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam. Inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem*: &, *peccatum per bonum operatum est mihi mortem.* Nam primi testimonij sensus est, peccatum vim suam exercere per legem; hoc est, per occasionem legis vetantis, & socordiam, malámque voluntatem hominum, qui solent niti in vetitum, & magis cupere negata, vertere que in malum quæ ipsis conferuntur in bonum: vt exponunt Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, & Anselmus in illum locum. Secundi sensus est, quòd lex iram operatur, quia per accidens est occasio præuaricationis, & consequenter iræ & vindictæ diuinæ: quia si non esset lex, non esset præuaricatio: & vt iam dixi, occasione legis solent homines magis desiderare quod illis prohibetur, & contra eam præuaricari lubentiùs, nisi gratiæ legi adiunctæ strenuè cooperentur; quod pauci faciunt inter ipsos Christianos; multóque minùs id faciebant Iudæi, quibus ordinariè minùs gratiæ conferebatur. In tertio vel peccati nomine operantis concupiscentiam intelligit Apostolus animi socordiam; socors enim ex lege accipit occasionem augendi concupiscentiam; vt exponit Chrysostomus: vel fomitem peccati, seu concupiscentiam, quam peccati nomine sæpiùs alibi significat: quæque vt ait Anselmus occasione legis excitata, & irritata, exarsit in prauos motus, nempe superbiæ, gulæ, libidinis, & aliorum vitiorum. Vel, vt exponunt Toletus & Cornelius, intelligit peccatum propriè dictum, vt in verbis ibidem præcedentibus, & sensus est: Hominem in statu peccati, peccatum ipsum occasione legis auxisse; quia peccatum, nisi deleatur, in noua peccata hominem pertrahit, destitutum eâ speciali prouidentiâ, quâ Deus iustos, velut amicos, & filios suos regit, & protegit; & maioribus, ac frequentioribus auxilijs, quibus contra tentationes, & peccandi pericula eos corroborat. In quarto affirmat mandatum quod datum erat ad vitam sibi demonstrandam, & procurandam, inuentum esse cedere sibi ad mortem per accidens, & ex occasione accepta non data, vt paulò antè diximus, & confirmat Apostolus verbis immediatè sequentibus: *Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me*, vt exponit ibidem auctor postremò citatus. Eodémque sensu dicit vers. 13. *Peccatum per bonum operatum est mihi mortem.*

Et, virtus peccati lex.

Et lex iram operatur.

Et, peccatum esse operatum omnem concupiscentiam occasione legis.

Et mandatum inuentum esse in mortem.

40. *Necessitas gratiæ & Christi vnde innotescat?* Ad infirmitatem verò humanam cognoscendam, & gratiæ necessitatem, eiúsque desiderium accendendum, & Christi venturi, sufficiebat quòd non obstante gratiâ Iudæis cum lege subministratâ, experirentur magnam illius seruandæ difficultatem, & frequentes lapsus. Nam si nunc etiam in lege noua cogimur cum Apostolo Rom. 7. ver. 23. exclamare, *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*: quantò magis tunc temporis, quando, vt suprà dixi, minùs copiosè gratia ministrabatur, nondum exhibito eius auctore, & redemptionis nostræ pretio nondum soluto per mortem Christi? Nullus certè Christianorum adultorum est, qui non sentiat molestam illam carnis luctam cum spiritu, meritóque possit hæc Apostoli verba frequenter vsurpare.

Parùm autem cohærenter loquitur Iansenius, quando affirmat capite decimo-tertio, paulò post initium, præuaricationum cumulum, quo Iudæorum superbia contereretur, non fuisse ex intentione vel ordinatione Legislatoris Dei; sed ex præuisione duntaxat; vt cùm istud opportunissimum superbiæ curandæ remedium esse cerneret, illud mox oblatum arripuerit: simúlque affirmat paulò antè, legem datam fuisse *eo fine*, vt cùm, animositate nondum edomitâ, ad implendam legem suis viribus sisi prosilirent, multiplicatione præuaricationum de seipsis erubescerent, &c. Hæc enim duo inter se pugnant, vt manifestum est: affirmant enim Deum in lege ferenda intendisse cumulum præuaricationum, quo superbia Iudæorum frangeretur: & tamen cumulum illum præuaricationum non fuisse ex intentione ac ordinatione Legislatoris Dei: Quomodo etiam cumulus ille præuaricationum non fuit ex intentione, & scopo saltem mediato, atque ordinatione Legislatoris Dei, si verum est quod dixit capite 8. Non mediocriter hallucinari eos, qui putant legem Iudæis eo immediato scopo datam esse, vt præceptorum eius luce eruditi, faciliùs cauerent peccata, quæ antea legis naturæ transgressione perpetrabant: tantum enim abesse vt lex institutionis suæ beneficio maiorem afferret iustitiæ facilitatem, vt potiùs eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem. Enimuerò dare legem, quæ iustitiam, seu rectè viuendi rationem reddat difficiliorem, imò impossibilem, est manifestè intendere vt magis peccent homines, quibus lex huiusmodi datur. Estque impossibile vt Deus intenderit legis obseruationem, si verum est quod ait Iansenius, Deum negasse Iudæis gratiam sufficientem, eiúsque subministrationem repugnasse scopo legis illius, qui erat vt Iudæi per multitudinem, & grauitatem peccatorum suorum, infirmitatem suam cognoscerent, & Christi Mediatoris, gratiæque subsidium implorare cogerentur. Atqui Deum intendisse, sinceréque voluisse vt Iudæi seruarent legem sibi datam, tam frequenter & perspicuè docet Scriptura, vt sine manifesta hæresi negari nequeat, vt ostendemus sect. sequenti. 41. *Contradictio Iansenij.*

Omitto dicere non potuisse præuaricationes Iudæorum esse culpabiles, veréque ac propriè peccata, si deerat illis gratia sufficiens sine qua erat antecedenter impossibile vt vitarentur; & erroneum esse, atque blasphemum, dicere Deum præcipere impossibilia: ita vt gratiam non det, quâ fiant possibilia: æternisque pœnis inferni addicere homines, quia non faciunt sine auxilio gratiæ id, quod sine illo facere erat non minùs impossibile, quàm sine pedibus currere, aut sine alis volare. 42. *Absurditas eius doctrinæ.*



SECTIO VI.

Ostenditur, Deum legem dedisse Iudæis eo fine vt eam seruarent & peccata vitarent.

43. VT liquidiùs appareat falsum & erroneum esse quod affirmat Iansenius cap. 8. Deum non dedisse Iudæis legem eo fine, vt faciliùs peccata vitarent, sed è contrario vt ea multiplicarent, iustitiâ sibi redditâ difficiliore, imò & impossibili: neque adfuisse illis gratiam sufficientem vt possent legem seruare, & peccata vitare per eam prohibita, sed potiùs impedientem, vt addit lib. 3. capite 8. Ad hoc, inquam, falsitatis & erroris conuincendum, operæpretium fuerit proferre alia Scripturæ loca, quibus significat intendisse Deum, & sincerè voluisse vt Iudæi legem seruarent; & consequenter non defuisse illis gratiam necessariam vt seruare possent, ne alioquin Deus frustra & insipienter, quod absit, vellet ab illis fieri quod erat impossibile. Hoc autem Scriptura pluribus locis tam perspicuè declarat, vt nihil clarius desiderari possit.

Probatur Deum voluisse vt Iudæi legem seruarent. Inprimis enim id clarissimè testantur verba ista, quibus Moyses legis illius denunciator, & diuinæ voluntatis interpres, populum sic alloquitur Deuteronom. 4. vers. 1. *Et nunc Israël, audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas, & ingrediens possideas terram, &c. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Et inferiùs vers. quinto, *Scitis quòd docuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis, & obseruabitis, & implebitis opere.* Et paulò pòst, magnam sollicitudinem legis seruandæ commendans addit versu nono: *Custodi igitur temetipsum, & animam tuam sollicitè. Ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios, ac nepotes tuos*, &c. Tum post multa vers. 40. Dei reuerentiam interponens, & spe retributionis ad legis obseruationem alliciens, ita concludit: *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. Custodi præcepta eius, atque mandata, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Neque minùs perspicuè idem inculcat sequenti capite quinto vers. 1. sic dicens: *Audi Israël ceremonias, atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie; discite ea, & opere complete.* Et post Decalogi à Deo dati in monte Horeb repetitionem refert Moyses Deum ita secum locutum esse, suámque intentionem in lege ferenda sic exposuisse vers. 30. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia, quæ docebis eos vt faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem.* Itaque Dei intentio erat vt Moyses legem illam populum doceret, & vt populus eam seruaret: propter quod addit Moyses immediatè pòst: *Custodite igitur, & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester ambulabitis, vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ.*

Quod iterum inculcat sequenti capite 6. eundem populum sic alloquens vers. 1. *Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester vt docerem vos, & faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam, vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis ac nepotibus tuis.* Tum vt populus intelligeret quantum ab illis affectum, & studium seruandæ legis Deus exigeret, addit hæc verba versu 6. quibus vult illum quodammodo totum esse in eius cognitione, meditatione, & obseruatione defixum: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Tum explicans quo fine tantam legis curam, & sollicitudinem ab illis postularet, addit versu 17. *Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & ceremonias quas præcepit tibi, & fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi.* Non poterat certè verbis clarioribus, expressioribus, vrgentioribus significare Dei intentionem, & voluntatem fuisse vt populus toto studio magnóque affectu, & curâ, & diligentia in legis sibi datæ obseruationem incumberet, atque ita peccata per eam prohibita sollicitè vitaret. 44. *Confirmatur aliis Scripturæ locis.*

Hoc idem studium legis addiscendæ, meditandæ, & seruandæ commendatissimum esse vult regibus ipsis, quorum exemplum in vtramque partem magni momenti esse solet, capite 17. eiusdem libri vers. decimo-quarto, vbi sic ait: *Postquam autem sederit in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus; & habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Et rursus capite vicesimo-sexto, versu 16. ad vniuersum populum Israëliticum sic ait: *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata hæc, atque iudicia, & custodias, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie vt sit tibi Deus, & ambules in viis eius, &c. & Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris, & vt sis populus sanctus Domini Dei tui:* seruando scilicet præcepta sibi imposita ex toto corde, totáque anima. Et capite 26. versu 9. *Attende*, inquit, *& audi Israël. Hodie factus es populus Domini Dei tui: audies vocem eius, & facies mandata, atque iustitias, quas ego præcipio tibi:* eo scilicet fine vt facias. Tum deinceps vsque ad finem capitis iubet populo denunciari maledictiones impendentes transgressoribus legis, & benedictiones à Deo præparatas eius obseruatoribus. 45.

Longior essem si ex aliis veteris Testamenti libris vellem omnia alia loca transcribere, quibus expressè & perspicuè docet intentionem Dei in lege danda fuisse, vt populus Israël eam ser-

uaret, & seruando rectè viueret, peccatúmque vitaret: non autem vt peccata multiplicaret, quemadmodum post Caluinum affirmat Iansenius. Et quæ iam retulimus satis supérque sufficiunt æquo Lectori ad confirmandam veritatem toties in Scriptura, támque apertè inculcatam. Superest tantùm circa relata Scripturæ testimonia obseruare primò, non posse meliùs iudicari de mente Legislatoris, & fine, quem in lege seruanda intendit, quàm ex verbis quibus legem per seipsum, aut per alium denunciat, quibúsve mentem suam & intentionem exprimit. Secundò, Deum & omnem alium Legislatorem, eo ipso quòd lege sua præcipit, aut prohibet aliquid, significare suæ intentionis esse vt fiat id quod præcipit, & non fiat id quod prohibet; hoc est, vt lex à se lata seruetur. Est enim omnis lex præceptiua, aut prohibitiua, ordinatio & voluntas Superioris legitimi, vtentis iure quod habet præcipiendi, aut prohibendi inferioribus, & pro illo iure suo exigentis ab illis (adeóque intendentis, & volentis) vt fiat id quod præcipit, & non fiat id quod prohibet. Ex quo sequitur obligatio in inferioribus vt faciant id quod præcipitur, & abstineant ab eo, quod prohibetur. Tertiò, Deum in locis Scripturæ allegatis non solùm affirmare se præcipere, & prohibere quæ in lege illa continebantur, (quod vt iam dixi, sufficeret ad declarandum se legem dare eo fine vt seruetur) verùm etiam disertè, & expressè declarare, ac frequenter inculcare se illam dare vt seruetur: vt populus suam voluntatem intelligat, & exequatur: vt custodiat præcepta & mandata quæ illi dabat, atque in eis perpetuò ambulet, & neque ad dexteram, neque ad sinistram declinet. Quartò, non posse meliùs Legislatorem exprimere suam intentionem, & desiderium vt lex seruetur, vrgeréque subditos ad seruandum, quàm addendo præceptis & prohibitionibus præmia, & pœnas graues, quibus ad obseruationem accendat, & à transgressione deterreat. Vtrumque autem Deus erga Iudæos præstitit. Quintò denique, cùm nemini dubium sit, neque Iansenius diffiteatur intentionem Christi in noua lege tradenda fuisse vt seruetur: nusquam tamen in nouo Testamento id clariùs exprimi, neque frequentiùs inculcari; quàm in locis veteris Testamenti suprà relatis, aliísque innumeris Deus id de lege veteri significauit.

Obseruãda circa prædicta Scripturæ testimonia.

47\. Eandem fuisse Dei intentionem in ferenda lege vereri, vnúmque de præcipuis illius finibus, docent vnanimi consensu sancti Patres, quorum aliquot testimonia referre sufficiet. Id igitur apertissimè docent è Patribus Græcis Chrysost. hom. 10. in epist. ad Rom. vbi dicit: *Non huius rei gratiâ datam esse legem vt abundaret, sed vt minueret, & è medio tolleret delictum.* Et homilia in cap. 3. epist. ad Galat. exponens illa verba, *Lex propter transgressionem posita est*, affirmat legem eo fine datam à Deo fuisse, *vt ne Iudæis liceret pro arbitrio viuere, & in extremam delabi nequitiam; sed vt pro freno lex illis imponeretur, erudiens ipsos, componens, prohibens transgredi.* Et ante illum Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryph. vbi Iudæos sic alloquitur. *Propter duritiam cordis populi vestri, cuncta id genus mandata intelligitis Deum vobis per Moysem præcepisse: vt per complura ista præcepta, Deum in omni actione præ oculis haberetis: ac neque iniustè, neque impiè facere inciperetis.* Et Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 27. dicit: *Legem illam, quippe seruis positam, per ea quæ foris erant corporalia, animam erudiisse, & velut per vinculum attraxisse eam ad obedientiam præceptorum.*

Idem probatur ex Patribus Græcis.

Ex Patribus verò Latinis idem non minùs disertè profitetur August. epist. 39. vbi satis perspicuè docet legem non esse datam eo fine vt peccata multiplicaret, sed vt ad salutem prodesset, quantum erat ex intentione Dei Legislatoris; licèt hominum vitio contrarium in Iudæis euenerit. *Nam & ipsa lex*, inquit, *in hoc adiutorium data est illis, qui eâ legitimè vtuntur, vt per illam sciant vel quid iustitiæ iam acceperint,* (seruando legem) *vnde gratias agant: vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant.* Et Hieron. in c. 3. ad Galat. circa illa verba: *Itaque lex pædagogus noster in Christo*, &c. finem & officium legis per similitudinem pædagogi sic exponit: *Pædagogus paruulis assignatur, vt lasciuiens refrenetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, & ad maiores Philosophiæ ac regendæ reipublicæ disciplinas metu pœnæ coërcita præparatur.* Itaque sicut pædagogus instituitur, & præficitur infantibus, vt eos erudiat, iuxta ætatis illius capacitatem, & ad bonos mores informet, & naturam in vitia pronam metu pœnæ cohibeat: sic &c. Et Ambros. lib. 1. de Iacob & vita beata cap. 4. eundem finem legis explicat similitudine medicamentorum, quæ ad morborum curationem & vitæ conseruationem per se tendunt, licèt interdum ob malam recipientium dispositionem mortis causa sint per accidens, & contra intentionem medici: *Quid miraris*, inquit, *si lex quibusdam morti sit, cum morti sit & Domini salutaris aduentus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi quærit ex gratia: manet autem mandati gratia. Etenim sicut cognitio venenatorum poculorum consummatur ad disciplinam medicinæ* (id est, ad vsum medicamentorum & ad procurandam corporis salutem ordinatur) *sic diuinum mandatum ad vitam æternam, &c. sicut ergo bonum est antidotum, etiamsi imprudenti, aut intemperanti non bonum: sic bonum mandatum, etiamsi intemperanti non bonum est.* Eundem denique finem legis sic exprimit Tertullian. lib. 2. contra Marcionem c. 19. *Ac legem* (Mosaïcam) *non duritia promulgauit auctoris: sed ratio summæ benignitatis, populi potiùs duritiam edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis.*

48\. *Et ex Augustino aliísque Latinis.*

49\. Eòdem pertinet quod plerique SS. Patrum Græcæ, ac Latinæ Ecclesiæ, exponunt etiam de lege Mosaïca illud Isaïæ 8. v. 20. iuxta versionem LXX. *Lex in auxilium data est.* id est, vt inter alios exponit Dorotheus in doct. 1. *Dedit legem bonus Deus ad auxilium, ad conuersionem, ad emendationem prauitatis.* Quódque cùm causas Incarnationis assignant, vnam esse dicunt, quòd Deus adhibitis variis remediis, speciatimque lege & Prophetis, vt genus humanum à peccatis retraheret; videns non satis efficaciter tanto malo succurrisse, potentius remedium per Incarnationem ipsius Verbi adhibere voluerit: vt videre est speciatim apud Athanasium in lib. de Incarn. Andream Cretensem hom. de Annunciatione, Philonem Carpathium in Cantica, & Damascenum lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 1. cuius verba hæc sunt: *Misericors Deus hominem è Paradiso extermina-*

tum, & morte mulctatum, corruptionique obnoxium haudquaquam contempsit: verùm cùm permultis eum modis antè castigasset, atque ad meliorem frugem vocasset, per gemitum nimirum ac timorem, per aquarum illuuiem, ac totius penè generis humani internecionem &c. per legem & Prophetas; per quæ omnia id agebatur, vt peccatum, quod latè, variéque fusum erat, hominémque in seruitutem sibi addixerat, ac mundum omni genere mali cumulauerat, de medio tolleretur, hominique ad beatam vitam reditus pateret.

50. *Confirmatur ex D. Thoma.* Placet hæc omnia concludere verbis D. Thomæ, quibus doctrinam præcedentem luculenter confirmat, & solidam atque vniuersalem eius rationem reddit, sumptam ex natura legis. Sic ergo ait 1. 2. q. 92. art. 1. in corp. *Ad hoc ordinatur vnaquaque lex, vt obediatur ei à subditis; vnde manifestum est quod hoc sit proprium legis, inducere subiectos ad propriam ipsorum virtutem. Cùm igitur virtus sit quæ facit bonum habentem, sequitur quòd proprius effectus legis sit bonos facere eos, quibus datur.*

SECTIO VII.

Exponuntur testimonia D. Augustini à Iansenio obiecta.

51. NEQVE verò existimandum est D. Augustinum repugnare veritati tam manifestè in sacris literis expressæ, & ab aliis Patribus traditæ: sed potiùs quæcunque videtur dicere in contrarium intelligenda sunt in eum sensum, quo Scripturæ loca superiùs exposita num. 37. & sequentibus, præsertim cùm suam ipse doctrinam in illis fundet, vt sæpius fatetur aduersarius.

52. *Augustinus loquitur non de fine legis, sed de hominum vitio.* Quare quæ profert cap. 8. ex lib. 1. ad Simplician. q. 1. & lib. de vera religione cap. 26. & epist. 200. ad Asellicum, & lib. de continentia cap. 3. & lib. 3. ad Bonifacium cap. 2. & lib. de spirit. & lit. cap. 14. & 32. & lib. de gratia & lib. arb. cap. 4. & lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum, & serm. 4. de verb. Apost. cap. 5. affirmantibus concupiscentiam per legem incrementum accepisse, cùm tantò magis delectatur homo facere quod lubet, quantò minùs licet, & suauiùs admittitur quod vetatur: & vehementiorem prohibitionem peccatorum, pœnámque peccantium carnalibus animis atrociores libidinis impetus gignere: & carnalem concupiscentiam augeri potiùs, quàm sanari per prohibitionem: sicut aquæ impetus vehementior fit obice opposito, cuius molem cùm euicerit, maiore cumulo præcipitatus, violentiùs per prona prouoluitur. Hæc, inquam, omnia, & his similia non ita sunt intelligenda, quasi velit Augustinus istud euenisse ex fine legis & intentione Legislatoris: sed ex hominum vitio legi se subdere recusantium, & carnalibus potiùs concupiscentiis obedientium: vt idem Augustinus significat, carnales vocans eos quibus id contigit, loco suprà citato ex lib. de vera religione cap. 26. cùm sic ait: *Vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium seruiliter coërcens, carnalibus animis atrociores impetus gignit.* Et epist. 200. *Appetuntur enim ardentiùs quæ vetantur, dum id quod spiritualiter iubetur, carnalis obseruare compellitur.* Et clariùs lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum pag. 436. *Quis nescit non legis sed hominum, vitio, lege subintrante, abundâsse peccatum?* Et lib. 1. ad Simpl. quæst. 1. in eo legem Mosaïcam comparat Euangelicæ, quòd vtraque quamuis bona, & sancta, & iusta, tamen in malum plurimorum, ipsorum vitio cesserit. Nam exponens loca Apostoli, quibus Manichæi abutebantur, vt probarent legem Mosaïcam esse malam, quia subintrauit vt abundaret delictum, & quia vocatur ministratio mortis, &c. *Cur ergo*, inquit, *ministratio mortis dicitur, si bona est lex? Quia peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem*, id est, concupiscentiæ vitio id factum est: tum addit immediatè pòst. *Nec mireris, cùm de ipsa Euangelij prædicatione dictum sit, Christi odor bonus sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor vitæ in vitam; aliis autem odor mortis in mortem.* Nimirum quia, vt idem ait tract. 61. in Ioan. *Per bonum factum est malum, dum malè accipitur bonum.*

Quod ante illum notauerat Chrysost. homil. 12. in epist. ad Romanos, cùm Paulum excusans, quòd legem Mosaïcam depressisse nimium videatur, sic ait: *Videtur autem multus aduersus legem spirare, non vt illam calumnietur, sed vt horum (Iudæorum) contentionem, vehementiámque obruat, ac dissoluat. Si enim in hoc legis crimen est, quòd ab illa peccatum occasionem nactum sit; inuenietur & in nouo testamento hoc ita euenire, vtpote in quo infinitæ leges, & quidem multò maioribus de rebus constitutæ sunt: atque idem hoc tamen videas, & inibi quoque accidere, non in ipsa modò concupiscentia, sed in omni demum vitiositate.* 53. *Similimodo Chrysostom.* Et paulò antè explicans hæc Pauli verba, *Peccatum non cognoui nisi per legem, & concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret non concupisces*, dicit, *Apostolum conatum esse Manichæorum ora obserare legem accusantium, cùm enim dixisset, peccatum non cognouissem nisi per legem, & concupiscentiam nesciuissem nisi lex dixisset, Non concupisces; subdidit, occasione autem accepta peccatum per præceptum generauit in me omnem concupiscentiam. Vides vt ipsam legem criminationibus liberet? Occasione enim, inquit, acceptâ, peccatum, non lex, auxit concupiscentiam, factúmque est contrà quàm lex vellet*, &c. Tum exponens quomodo per legem concupiscentia magis exarserit, & peccatum magis abundauerit; dicit id non legis vitio, sed hominum segnitie, & malâ voluntate euenisse. *Non id per legem*, inquit, *illa enim prohibuit, vt te ab eo* (nempe peccato) *abduceret, peccatum verò, hoc est, segnities tua, & mala mens bono in contrarium vsa est.* Quod mox illustrat similitudine medici, & ægroti, hæc addens: *Verùm non id medici crimen, sed ægroti, qui quod accepit medicamen, eo non rectè vsus est. Non enim ob id legem dedit, vt concupiscentiam accenderet; sed vt restingueret. Secus autem euenit. At non illa insimulanda, sed nos.*

Secundò, quæ opponit Iansenius eodem cap. 8. ex lib. de spirit. & lit. cap. 4. & 14. lib. de Perfectione Iustitiæ, cap. 6. lib. 1. Retract. cap. 23. lib. 1. ad Bonif. cap. 8. lib. 3. ad eundem cap. 2. & lib. 4. c. 5. lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 4. lib. 1. Operis imperfecti contra Iulian. fol. 139. & lib. 2. fol. 436. & 449. lib. de Continentia cap. 54. *Non negat Augustinus gratiam adfuisse Iudæis.*

capite 3. & lib. de Gestis Pelag. cap. 7. nihil aliud dicunt, quàm desiderium mali augeri per legis prohibitionem, nisi Spiritus Sanctus ad illud comprimendum adiuuerit: & legem esse virtutem peccati, nisi diffundat Spiritus caritatem: quo nomine, vt ostendemus alibi, intelligit amorem iustitiæ generaliter, seu recti & honesti, pertinentem ad salutem: & à concupiscentiæ dominatu non liberare nisi gratiam Dei per Iesum Christum dono Spiritus sancti: & scientiam legis sine gratia Spiritus operari in homine omnem concupiscentiam. Quod planè verum esse fatemur: nec vlla est inter Iansenium, & Theologos hac de re controuersia. Sed falsum est quod intendit, quódque ferè initio eiusdem cap. 8. clariùs insinuauit, Non adfuisse Iudæis gratiam sufficientem, vt possent legi obtemperare, & reprimere concupiscentiam: quod certè non affirmat Augustinus in libris, & testimoniis modò citatis: & contrarium potiùs docet aliis locis, vt lib. 3. ad Bonif. cap 4. vbi calumniam, quam illi quoque impingit Iansenius, acriter à se remouet, dicens: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere iactitant, Spiritum Sanctum adiutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse.* De quo testimonio plura dicemus inferiùs disp. 24. sect. 4. num. 26. Et lib. 1. ad Simplician. q. 1. vbi exponens loca, quibus Apostolus legem veterem deprimere videtur, inter alia dicit, *Hoc vnum restare in ista mortali vita libero arbitrio, non vt impleat homo iustitiam cum voluerit,* (etiamsi legem acceperit) *sed vt se supplici pietate conuertat ad Deum, cuius dono eam possit implere.* Frustra autem ad Deum se conuerteret, si Deus dare non vellet. Et inferiùs, ***Lex auget concupiscentiam ex prohibitione, & reum obligat ex præuaricatione, iubendo quæ implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate conuertant:*** & nimirum non auget, si se conuertant. Et alibi docet; quia lex ostendit peccata, non tollit; volentes legem suis viribus exequi, nec valentes cogi recurrere ad gratiam, quæ & impossibilitatis morbum, & inobedientiæ aufert reatum. & serm. 13. de verbis Apostoli capite 3. *Bona, inquit, est lex, si quis eâ legitimè vtatur. Quid est ergo legitimè vti lege? Per legem agnoscere morbum suum, & quærere ad sanitatem diuinum adiutorium.* Frustra quæreretur, nisi paratum esset.

Sed contrarium sæpius affirmat.

55. Atque hoc adiutorium per Christi merita collatum fuisse omnibus piè viuentibus docet epistol. 49. q. 2. sic scribens: *Ab exordio generis humani quicunque in eum crediderunt, eúmque vtcunque intellexerunt, & secundùm eius præcepta piè iustéque vixerunt, quandolibet, & vbilibet fuerint, per eum proculdubio salui facti sunt.* Et epist. 157. *Proinde, inquit, cùm omnes iusti, hoc est veraces Dei cultores, siue ante Incarnationem, siue post Incarnationem Christi, nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide* (implicita, vel explicita) *Incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo: profectò quod scriptũ est, non esse aliud nomen sub cælo in quo oporteat saluos fieri nos, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est.* Ob eandémque causam variis locis affirmat eiusmodi iustos, & piè viuentes pertinuisse ad nouum Testamentum, id est, gratiæ per Christum eius auctorem collatæ participasse.

56. Idem quod suprà docuerunt insignes eius discipuli Prosper, & Fulgentius: quorum ille in expositione Psal. 118. littera Phe, circa illa verba: *Mirabilia testimonia tua ideo scrutata est ea anima mea,* sic ait: *Meritò hanc altitudinem scrutatus est, qui intellexit per legis difficultates, id egisse misericordiam Dei, vt qui legem implere non poterant, conuerterentur ad gratiam, & diuinâ ope apprehenderent, quod propriis viribus assequi non valebant.* Alter libro secundo de Veritate prædestinat. sic ait: *Cognitione mandati, ad bene operandum hominis liberum arbitrium conuenitur, non quia voluntate tantùm, vel virtute sua potest homo implere quod & lex iubet; sed vt per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, & adiutorium gratiæ medicinalis exposcat:* vt eius ope scilicet legem impleat, & faciat quod solis naturæ viribus præstare nequit.

Idem affirmant Prosper, & Fulgent.

Tertiò, quæ opponit aduersarius capite nono, ex Diuo Augustino libro primo ad Simplician. quæst. 1. & libro secundo Operis imperfecti contra Iulianum fol. 436. & libro primo ad Bonifac. capite nono, & libro tertio capite 2. 4. & 7. & libro de Spiritu & litera capite 8. & 19. & libro 2. contra aduersar. leg. & prophet. capite 7. aliisque locis, tantùm probant vel primò, occasione legis prohibentis augeri concupiscentiam, & peccatum multiplicari, per accidens scilicet, hominum vitio, & socordiâ; non autem ex intentione legislatoris, aut defectu gratiæ sufficientis: vt probauimus ex ipsomet Augustino numero 54. & 55. & confirmari potest ex epist. 89. vbi sic ait: *Lex ergo subintrauit vt abundaret delictum, siue cùm homines negligunt quod Deus iubet, siue cùm de suis viribus præsumentes adiutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati superbiam. Cùm autem vocatione diuinâ intelligunt cur sit ingemiscendum, & inuocant eum in quem rectè credunt, &c. fiet quod sequitur, vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Eodémque sensu intelligendum est, quod hîc obiicit aduersarius ex libro tertio de Peccatorum meritis capite 11. *Accepimus legem non vt emendatione finiremus peccatum, sed vt transgressione augeremus: lex enim subintrauit, vt abundaret peccatum,* significans per particulam, *vt,* non causam finalem, sed consecutionem & euentum per accidens, vt ibidem probauimus: idipsúmque fatetur Iansenius malè sibi cohærens, vt antea notauimus. Vel secundò, probant tantùm peccasse grauiùs homines habentes legis notitiam, quia, vt ait Augustinus libro de Moribus Ecclesiæ capite tricesimo, *Grauiùs ferit, & interimit contempti præcepti conscientia.* & vt addit libro vndecimo de Genesi ad literam capite 30. *Euidentior transgressio est, cùm præceptum memoriâ retinetur, & tanquam in illo Deus assistens, præsénsque contemnitur.* Quod verum esse non diffitemur, intellectum cæteris paribus. Vel tertiò, probant tantùm legem vi sua, & per se non dedisse gratiam, quâ impleri posset: vt quod ait sanctus Doctor libro de Spiritu & litera cap. vicesimo octauo: *Nec istam inscriptionem legis in corde, quæ iustificatio est, poterat efficere in Iudæis lex in tabulis scripta; sed solam præuaricationem:* id est, non nisi præuaricationis occasionem fuisse per accidens, negligentibus id quod Deus iubet, & adiutorium gratiæ non imploran-

57. *Exponũt alia Augustini loca.*

tibus, vt dixit idem sanctus Doctor verbis paulò antè relatis. Eósque qui superbiendo de propriis viribus conati sunt per illas solas resistere concupiscentiæ, irrito conatu id fecisse, vt ait sermone 4. de Verbis Apostoli capite quinto. Vel si aliqua legis opera impleuerunt, id tantùm exteriùs, & apparenter fecisse, præuaricantes interiùs in corde, & solo timore pœnæ abstinentes à transgressione externa, non amore iustitiæ, à qua interiùs abhorrebant: Non enim *erat in voluntate, quod apparebat in opere*: vt ait libro primo ad Bonifac. capite nono, & libro de Spiritu & litera, capite octauo & decimo-nono. Vel denique, si quid fecerunt secundùm iussa legis, hoc sibi tribuisse, non Deo; & ita superbiendo plus peccasse: vt ait libro 83. quæst. q. 66. & libro tertio ad Bonifacium capite quarto & septimo. Quod postremum non ita intelligendum est, quasi generaliter quicunque aliqua legis iussa impleuerunt, plus peccauerint superbiendo, quàm si implere noluissent, aut contrarium fecissent. Nam euidenter falsum est, cum qui verbi gratia parentes honorat, & obsequiis debitis promereri studet, plus peccare superbiendo de tali opere, quàm si muneri suo deesset, vel è contrario, quod peius est, parentes infamaret, verberaret, aut occideret.

Contradictio Iansenij. Neque satis cohærenter loquitur Iansenius, quando hoc loco libro primo capite nono §. *Sed quia perspicuum est*, dicit Iudæos si quando implebant officia legis intuitu moralis honestatis, quemadmodum eam nonnulli philosophi videntur implêsse; alio tamen peiori, multóque periculosiori genere præuaricationis implicatos fuisse superbiâ, quâ sibi de impleta legis iustitia gratulabantur: Et alibi, nempe libro quarto de statu naturæ lapsæ, capite tertio, dicit infideles, vel alios officia quædam virtutum intuitu honestatis exercentes ex motiuo superbiæ, & cum defectu boni finis, minùs tamen peccâsse, quàm eos, qui illa prætermiserunt, aut etiam contrarium fecerunt: & quamuis eiusmodi virtutum officia non illis valeant ad vitam æternam consequendam, profutura tamen in die iudicij vt minùs puniantur: quod vltimum cap. 6. eiusdem libri affirmat.

58. *Quid sentiat Augustinus de fine legis?* Quartò, quæ opponit capite vndecimo ex Diuo Augustino, libro de Spiritu & litera capite sexto, & in epist. ad Galat. & libro decimo-nono ad Faustum capite septimo, & libro secundo contra aduersar. legis, & prophet. capite 7. & libro secundo de Actis cum Felice capite vndecimo, & epist. 157. & in Psal. 83. & Tract. 3. in Ioan. & sermone 6. de Verbis Apostoli capite quarto, aliísque pluribus locis, non eo sensu intelligenda sunt, quo vult Iansenius, Dei consilium in danda lege fuisse, vt Iudæi per sufficientis gratiæ adiutorium legem implerent, sed vt multitudine peccatorum, & magnitudine præuaricationum eorum superbia frangeretur, quâ sibi de iustitia sua, præcipuéque de viribus ad implendam legem sufficientibus gloriabantur; vt conuicto superborum fastu, & humilitate conceptâ cognoscerent suam infirmitatem, & gratiæ necessitatem, Christúmque eius auctorem expeterent: & huic Dei consilio, seu scopo legis repugnare quod dicunt Theologi, Deum dedisse cum lege gratiam sufficientem vt seruari posset. Nam hoc prorsus erroneum esse, & sacris literis, Sanctorúmque Patrum traditioni manifestè contrarium, ac nominatim Diuo Augustino, demonstrauimus sectione sexta. Sed hoc tantùm sibi volunt, quòd Deus præsciens Iudæos beneficio legis, & gratiæ illi adiunctæ, non legitimè vsuros in finem, quem per se primò Deus intendebat, sed è contrario peccata multiplicaturos, permisisse illum euentum; &, vt solet ex malis bona elicere, hoc illorum vitium vertisse quodammodo in remedium, efficiendo, vt ex eo cognoscerent morbi sui grauitatem, virium infirmitatem, maioris & abundantioris gratiæ necessitatem, propter quam ad Christum mediatorem confugerent, & ardentiùs illum desiderarent. In quo grauiter hallucinatur Iansenius, & Augustinum pessimè interpretatur, cùm id quod Deus tantùm permisit, & præsuppositum tanquam futurum, Iudæorum vitio, ad hunc finem secundarium ordinauit; vult esse primò, & per se intentum, ac vi istius intentionis Deum negasse Iudæis gratiam sufficientem, vt peccata multiplicarentur: & Iudæi humiliarentur, &c. Eiusdem generis sunt, & eodem sensu intelligenda alia sancti Doctoris testimonia, quæ refert deinceps capite duodecimo, & decimotertio.

SECTIO VIII.

De quadruplici hominum statu: & de prærogatiua legis Euangelicæ quoad gratiam.

Quod addit capite decimo-quarto de quadruplici hominum statu, ante legem, sub lege, in gratia, & in pace, siue loquendo vniuersim de ipso genere humano, siue speciatim de singulis, intelligendum est iuxta superiora: ita vt mens Diui Augustini, locis ab eo citatis, non sit affirmare homines in statu ante legem, & in statu sub lege, destitutos esse, aut fuisse omni gratiâ per Christum collatâ, vel auxilio sufficiente ad bene viuendum; id enim repugnat pluribus eius testimoniis in hac tota disputatione relatis: sed quòd in illo duplici statu *ante legem*, & *sub lege*, non tanta sit, aut fuerit copia gratiæ, quanta datur in tertio statu, quo iuxta phrasim Diui Augustini dicuntur homines esse in gratia. Neque existimandum est in statu *ante legem*, peccare homines cum omnimoda, & inuincibili ignorantia mali, quod faciunt contra ius naturale. Vel in secundo statu *sub lege*, certare inutiliter, id est, sine victoriæ fructu cum motibus concupiscentiæ, legi cognitæ repugnantibus, eò quòd careant auxilio gratiæ, sine quo nequeunt illis resistere, & legis præcepta seruare. Nam hoc posterius falsum esse, & repugnare doctrinæ sancti Augustini, satis patet ex sectione præcedenti: & de priori idem demonstrauimus disputatione decima-sexta, sectione prima. 59. *Quid sentiat Augustinus de quadruplici hominum statu?*

Perperam verò aduersus hanc doctrinam verissimam, & communissimam SS. Patrum, atque ex sacris literis haustam, de sufficiente 60. *In quo consistat prærogatiua legis Euangelicæ?*

gratia data ante legem, & sub lege, opponit aduersarius eodem capite 14. in fine perturbare omnia Theologos, & legi Euangelicæ prærogatiuam suam auferre, qui gratiam ad bene viuendum, ante legem, & sub lege, promiscuè datam fuisse contendunt. Neque enim excellentia legis Euangelicæ supra legem Mosaïcam, vel supra legem naturæ in eo consistit, quòd gratia bene viuendi in illa sola detur communiter hominibus; sed in eo quòd licèt in lege naturæ, & Mosaïca, daretur gratia necessaria, & sufficiens vt seruari posset; quia Deus non præcipit impossibilia; erat autem impossibile seruare sine auxilio gratiæ præcepta vtriusque legis, præsertim supernaturalia fidei, spei, & caritatis: gratia tamen ista non ad illas pertinebat per se, & ex propriis, neque ex vi status illarum, sed per respectum ad legem Euangelicam, ciúsque statum, & ad Christum illius auctorem, qui meritis suis gratiam illam obtinuit hominibus, & morte suâ pro peccatis satisfaciens Deum illis placauit: cùm enim ad gratiam, & ad veram iustitiam coram Deo consequendam necessaria essent merita Christi Redemptoris, quibus Deus placaretur, & gratia atque iustificatio obtineretur; nulla lex ante Christi aduentum, ex propriis, & secundùm præsentem suum statum, sine dependentia ab alio proprio legis nouæ, poterat dare gratiam, aut iustificare; quia nihil habebat, quod posset Deo offerre sufficiens ad eum placandum, gratiámque obtinendam, siue iustificantem, siue etiam disponentem, & adiuuantem. Quapropter Apostolus Hebræorum 7. dicit legem Mosaïcam nihil ad perfectum adduxisse; quia sanguis hircorum, & vitulorum non poterat Deum placare. Lex autem noua habuit præsentem Christum, eius auctorem, & institutorem, qui potuit ex perfecta iustitia mereri, & Deo satisfacere pro hominibus: ideóque ex vi sui status dat gratiam per aliquid sibi proprium, & illam secum afferre velut animam legis. *Lex enim per Moisen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1.

61. *Altera eius prærogatiua.* Ex quo etiam fit (& hæc est altera legis Euangelicæ prærogatiua) vt spiritus gratiæ multò abundantiùs communicari soleat in lege noua: iuxta illud Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant:* eámque ob caussam præcepta diuina longè faciliùs seruari possint in lege noua, quàm in veteri naturæ, aut Moïsis. Quò respiciens Isaias dicebat allegoricè capite decimo, versu vicesimo septimo: *In die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei:* nimirum propter abundantiam gratiæ, quæ facit vt etiam illa quæ plus habent difficultatis, sicut præcepta legis Euangelicæ de fide expressâ Trinitatis, de vnitate, & insolubilitate matrimonij, de necessitate Confessionis, & similibus, imò etiam consilia perfectionis Euangelicæ possint non adeo difficilè seruari: Eandémque ob causam dicebat Christus Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue:* & 1. Ioan. 5. *Mandata eius grauia non sunt.*

62. *Tertia prærogatiua.* Accedit tertiò, quòd lex noua, etiam propriè sumpta vt lex est, & vt distincta à spiritu gratiæ sibi adiuncto, habet vim conferendi gratiam, & iustificandi: quod ad legis huius perfectionem, & commendationem non parum facit; eiúsque excellentiæ est valde consentaneum, meliúsque illam distinguit à lege antiqua. Nimirum, quia institutio Sacramentorum est pars legis Euangelicæ: nam lex propriè sumpta, non est tantùm præceptiua, aut prohibitiua; sed etiam aliis modis constitutiua. Institutio autem Sacramentorum, & lex quâ Deus statuit vt habeant tales effectus, est causa moralis effectuum eorundem Sacramentorum, quia Deum mouet ad illos conferendos: Ergo est causa gratiæ, & sanctificationis quam Sacramenta conferunt ex opere operato. Et sicut lex Mosaïca dicitur ab Apostolo Hebræor. 7. habuisse virtutem mundandi à legali iniustitia, quia habebat ceremonias, & Sacramenta vim habentia emundandi ab illa, & legaliter sanctificandi: sic, &c. Per hoc autem lex noua, etiam propriè sumpta quà talis, præcellit antiquæ legi, siue naturæ, siue Mosaïcæ, in qua nullum institutum fuit Sacramentum, quod haberet vim iustificandi ex opere operato, vt suppono ex tractatu de Sacramentis in genere. Præterea, sicut comminatio pœnæ per legem statutæ, est pars legis pœnalis: ipsáque lex est verè causa moralis illius pœnæ: siue ipso facto illam infligat; siue per iudicem infligi iubeat, mouet enim iudicem ad infligendam: ita promissio præmij per legem statuti, est pars legis illud statuentis: & lex est verè causa moralis eiusdem præmij. Atqui lex noua promittit hominibus iustificationem sub conditione aliquorum operum: ergo est illius causa, & ad illam moraliter cooperatur, mouendo Deum ad conferendam gratiam iustificationis, positis illis operibus.

Veruntamen, quia in lege antiqua Martyrium habuit vim iustificandi, aut conferendi 63.
excellentiorem gratiam sanctificantem, ex opere operato, sicut nunc habet: & lex Mosaïca interdum etiam promittit (vt probabilius est) vitam spiritalem, & supernaturalem, obseruantibus eius præcepta: vt hæc explicatio differentiæ inter legem nouam, & veterem, quoad vim iustificandi, possit omni ex parte subsistere; recurrendum est ad aliam primo loco propositam, quòd nimirum hoc priuilegium non sit datum Martyrio, neque illa promissio legi Mosaïcæ, ex vi status illius legis; sed per respectum ad statum legis gratiæ, & ad Christum eius auctorem, vi cuius gratia iustificationis fuit antiquis Patribus in quacunque lege collata. *Neque enim aliud nomen est sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri*, Act. 4. & capite decimo-quinto: *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*, Patres scilicet veteris Testamenti. & 1. Corinth. 10. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Vnde D. Thom. 1. 2. quæst. 107. artic. primo ad secundum, & Diuus Augustinus pluribus locis, affirmant, illos qui in veteri Testamento fuerunt Deo accepti per fidem secundùm hoc ad nouum Testamentum pertinuisse: non enim iustificabantur, nisi per fidem Christi, qui est auctor noui Testamenti. Eóque spe-

ctat intentio Apostoli dum infirmitatem legis prædicat, vt ostendat Christum, eiúsque merita fuisse necessaria ad gratiam iustificationis obtinendam mediante fide in ipsum, aliisque dispositionibus. Propter hoc etiam idem Apostolus sæpius ait iustitiam non esse ex lege, sed ex fide in Christum: & ad Galat. 4. eius Sacramenta vocat *infirma, & egena elementa*, id est, vacua gratiæ, quam tantùm significabant: & Hebræor. 7. ait legem illam nihil ad perfectum adduxisse, vi sua scilicet: fuisséque infirmam, & inutilem, id est, inefficacem ad perfectionem, & salutem consequendam. & Ioan. 1. *Lex per Moisem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

64. *Alia prærogatiua.* Addi potest quarta prærogatiua legis Euangelicæ, quòd ad gratiam consummatam, id est, ad gloriam immediatè perducat. Quod non præstabat lex naturæ, neque Mosaïca; quippe quæ non aperiebant regnum cælorum, neque in illud introducebant, nondum per Christum nouæ legis auctorem soluto pretio redemptionis nostræ: vt docet Paulus Hebr. 9. & 10. Neque prætereunda est alia sæpius ab eodem Apostolo inculcata: quòd lex Mosaïca fuit lex timoris, potiùs quàm amoris; & seruilis, magis quàm filialis. Tametsi enim iusti illius temporis essent verè filij adoptiui; habebantur tamen quodammodo vt serui, sub lege constituti. *Filius autem quandiu paruulus est, nihil differt à seruo, sed sub tutoribus, & actoribus est constitutus vsque ad præfinitum tempus à patre*, Galat. 4. & Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis in timore, &c.* Nam timore potiùs ducebantur, quàm amore; & spe bonorum temporalium, & terrenorum sæpius incitabantur ad seruiendum Deo, quàm pollicitatione spiritualium & æternorum. Quomodo autem timore pœnæ, vel spe temporalium bonorum moueri possent sine morali turpitudine, & vitioso affectu, contrà quàm sæpius affirmat Iansenius; dicemus infrà disp. 29. Denique tota lex vetus fuit veluti inchoatio, & dispositio ad perfectionem legis Euangelicæ, Christíque aduentum, qui finis legis illius erat, & cuius mysteria præfigurabat, vt ait Paulus Galat. 3. & Hebr. 7.

65. Ex quibus omnibus videre est, quantum à vero distet quod affirmat Iansenius, tolli prærogatiuam legis Euangelicæ, ab his qui dicunt non defuisse in lege veteri gratiam sufficientem, per quam homines eam seruare, rectéque viuere possent, si vellent auxilio sibi dato cooperari. Quæ autem postremò addit c. 16. & 17. id quod dixit de legis insufficientia per se solam, id est, sine gratia ad rectè viuendum, obtinendámque iustitiam, pariter intelligendum esse de exhortatione, consilio, suasione, reuelatione sapientiæ, & quacunque alia gratia doctrinæ, siue interna, siue externa; fallíque grauiter eos qui putant cogitationem congruam sufficere ad bene operandum, esséque illam gratiam de cuius necessitate fuit cum Pelagianis controuersia: Hæc, inquam, nobis non obsunt, qui gratiam voluntatis, & affectus, vltrà gratiam doctrinæ, & intellectus, necessariam esse fatemur, vt patet ex præcedentibus sectionibus: & sententiam illam de cogitatione congrua falsam esse non diffitemur, meritóque à Suare libro 1. de gratia cap. 13. & à plutibus aliis reiectam.




DISPVTATIO XXII.

De vera voluntatis gratia quantum ad operandi modum.

SECTIO I.

Quid de illa sentiant noui Dogmatistæ?



Ac de re Iansenius toto lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris, vbi docet 1. cùm, vt constat ex prædictis, gratia doctrinæ, & intellectus non sufficiat, vt voluntas liberetur à dominatu concupiscentiæ, recurrendum esse ad gratiam voluntatis, & affectus: absurdum enim esset, & impium, existimare adiumenta corporis vel sensuum ad hoc sufficere. 2. cùm gratia voluntatis in habitualem, & actualem distingui soleat: hîc sermonem esse de actuali: quæ iterum subdiuiditur in gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem. Sicut enim duplex status in hominibus distinguendus est: vnus sanitatis, in quo vires liberi arbitrij erant integræ, & illæsæ: alter ægritudinis, in quo sunt debilitatæ, & imminutæ aut perditæ; sic vna est gratia idonea sanis hominibus, quorum vires naturales vegetas, & integras iuuet ad bene operandum: altera conueniens ægris, illísque necessaria in remedium infirmitatis, & corruptionis naturæ: quibus qui vellet alterum genus gratiæ applicare, vt eius auxilio bene operentur; perinde faceret, ac qui alimentum mortuo, vel fastidienti solidum cibum afferret, vel lucem cæco, vel scipionem fracto tibiis, vel species varias phrenetico, quibus magis insaniet. 3. de ista gratia medicinali fuisse totam concertationem inter Augustinum, & Pelagianos, ab initio vsque ad finem: cùm isti contenderent naturam humanam non fuisse per peccatum Adæ vitiatam, neque per illud potuisse vires eius debilitari; ideóque non esse opus gratiâ vt sanetur; neque magis indigere auxilio gratiæ ad bene operandum, quàm primus homo ante lapsum indiguerit, qui ex peccato nihil aliud quàm maculam, seu reatum ipsius contraxit, abolendum per remissionem. Contrà verò, Augustinus affirmaret peccatum Adæ duplex graue malum in totum genus humanum inuexisse; ignorantiam, & infirmitatem, seu concupiscentiam: ex quo fit, vt quod rectè agendum est, vel non velit, quia ignorat: vel si velit, non possit, nisi gratia medicinalis opituletur. Et qui hoc negant, repugnare precibus Sanctorum & Ecclesiæ, quibus postulant vt sanentur, & liberentur à concupiscentia; tolleréque necessitatem aduentus Christi, & eius crucem enacuare; quia *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Quem statum controuersiæ breuiter expressit August. lib. de natura & gratia capite 64. sic dicens: *Agitur de gratia Dei, quâ sanatur natura.*

1. *Iansen. lib. 2. de gratia Christi Saluatoris c. 1. Synopsis doctrinæ Ianseny.*

per medicum Christum quo non indigeret, si sana esset, quæ ab isto (Pelagio) *tanquam sana, vel tanquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio posse non peccare defenditur.* Statum verò infirmitatis sic exponit libro de Perfect. iustitiæ cap. 2. *In tantum sana non est* (natura hominis) *in quantum id, quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vult homo faciat:* iuxta illud Apost. Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio.*

2. Cap. 2. Quartò, illam eandem esse gratiam per quam liberamur à corpore mortis huius, id est, à dominatu concupiscentiæ, vt exponit Diuus Augustinus libro de Gestis Pelagij cap. 6. quámve à Deo postulamus orantes, vt ne nos inducat in tentationem, id est, vt ne consentiamus vitiis, & illecebris concupiscentiæ, vt idem ait libro secundo de peccatorum meritis capite 4. quam etiam Patres Carthaginensis Concilij à Pelagio fraudulenter negatam fuisse in Concilio Palæstino, conquesti sunt apud Innocentium epist. 90. inter Augustinianas: & eam esse, quâ homo ex peccati vulneribus fit saluus per Iesum Christum, vt ait libro de natura & gratia cap. 33. quámve Christus velut humanæ naturæ medicus attulit aduersus ignorantiam, & concupiscentiam, quibus peccati merito natura vitiata est, vt ait ibidem cap. 67. quod vitium tale ac tantum dicit esse Iansenius, vt in statu naturæ lapsæ nullum omnino peccatum illâ indifferenti, & versatili libertate committatur, sicut antea fuerat nullo vitio proritante perpetratum; sed voluntas concupiscentiæ necessariò obsequatur, illius iugo, & seruitute oppressa. Illam denique esse, quam Augustinus vocat *medicinale Saluatoris auxilium, medici gratiam, adiutorium medicinæ Saluatoris, gratiam medicinalem, adiutorium medici potentissimi, gratiam quâ sanatur natura per medicum. gratiam liberationis, gratiam liberatricem à corpore mortis huius, gratiam quâ arbitrium verè fit liberum* à vitiis arbitrio dominantibus, & denique vno verbo *medicinam:* vt videre est in lib. de natura & gratia cap. 39. 44. & pluribus seqq. Déque illa sola eiúsque necessitate ad sanandam naturam vitiatam, & corroborandam contra motus concupiscentiæ, fuisse quæstionem cum Pelagianis, non de gratia habituali, neque de concursu Dei generali naturali, aut supernaturali, aut de physica Prædeterminatione, aut de gratia concomitante, aut aliis id genus excogitatis à nonnullis recentioribus, Augustini doctrinæ, & status controuersiæ ignaris.

3. Cap. 3. Quintò, vt discrimen inter gratiam medicinalem, & gratiam sanitatis exponat, supponit primum hominem cum illa voluntatis libertate conditum fuisse, vt neutram in partem inclinatus, solo suæ libertatis nutu alterutrum velle posset, & nolle: & quamuis sine auxilio gratiæ bonum velle non posset; illius tamen vsus, aut non vsus à nutu libertatis penderet. Ab illa verò felicissima libertate, in alteram electionis partem, hoc est, in peccatum propriâ sponte ita delapsum esse, vt non solùm peccauerit, sed etiam peccandi seruituti, atque necessitati mancipatus sit, nisi per gratiam subleuetur. Quidquid enim agat, & conetur; visco amoris vitiosi creaturarum defixus expedire se nequit. Nam post desertum Creatoris amorem, rei creatæ dilectione cæcata, & vndique peruersa, ac penetrata est voluntas; ita vt amissâ illâ vtriusque partis indifferentiâ, iam ampliùs bene velle non possit, nec eò seipsam flectere, aut erigere; cæcitate, & concupiscentiâ, quibus obstricta iacet, eam assiduè deorsum in creaturas deprimentibus. Et sicut Beati, in præmium bonæ voluntatis, libertate peccandi spoliati sunt: sic primus homo cum suâ posteritate, in supplicium peccati, & malæ voluntatis, libertate bene agendi priuatus est: non mutatâ in vtrisque naturâ voluntatis, sed illius statu. Neque solùm libertas indifferentiæ ad peccandum illi erepta est, sed etiam ad bene agendum: ita vt gratia, quâ iuuatur, non iam ampliùs ab eius nutu pendeat, vt agat, aut non agat; sed illi dominetur, & ad consensum necessariò flectat. Quare auxilium sanitatis valens tantùm ad iuuandam libertatem indifferentiæ, & ab illius flexu pendens, non minùs ineptè iam illi applicaretur; quàm lumen cæco ad videndum, aut cibus mortuo ad vescendum: quippe qui non minùs caret libertate indifferentiæ, quàm cæcus potentiâ videndi, & mortuus principio vitæ.

His suppositis docet sextò, in eo sitam esse differentiam inter hæc duo genera gratiæ, quòd gratia sanitatis, siue primæ illius integritatis adiutorium, sic adiuuabat voluntatem, vt cum eo operaretur ipsa si vellet: nunc autem gratiæ medicinalis adiutorium facit vt velit. Hoc est, adiutorium ante ruinam erat tale, vt influxus adiutorij, perinde atque voluntatis in opus ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, adeóque salua maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò post ruinam tale est, vt faciat annuere, & influere, & velle voluntatem: id est, ad volendum necessitet. Siue, vt ait paulò pòst, hoc discrimen in eo positum est, quòd gratia sanæ voluntatis in eius libero arbitrio relinqueretur, vt eam si vellet desereret, aut si vellet vteretur. Gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis, nullo modo in eius relinquatur arbitrio vt eam deserat, aut arripiat si voluerit: sed ipsa potiùs gratia est, quæ inuictissimè facit vt velit, & à voluntate non deseratur. 4. Cap. 4.

Quod discrimen dicit expressè, & luculenter tradi à D. Augustino libro de Corrept. & gratia cap. 11. & 12. verbis illis quæ referemus, & expendemus sect. 6. quibus affirmat adiutoria distinguenda esse: & vnum esse, sine quo res non fit: alterum, quo fit. Primum dare *posse*, sed non ipsum operari: pendet enim à nobis vt vtamur, vel non vtamur. Alterum dare ipsum operari, ita vt ipso posito simul ponatur operatio. Primi generis auxilium datum fuisse Adamo ad perseuerandum in statu innocentiæ: sine quo scilicet non poterat perseuerare, sed poterat etiam cum eo non perseuerare, quia poterat illud deserere, seu negligere. Posterioris verò generis esse auxilia quæ dantur sanctis, & electis in regnum Dei, vt perseuerent: talia scilicet, vt non modò per illa perseuerare possint, ac sine illis non possint; verùm etiam non nisi perseuerantes sint, & indeclinabiliter, atque inseparabiliter perseuerent.

5. Cap. 5. Ex quibus infert primò nullum adiutorium gratiæ, cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, vel non vtatur; vt illud amplectatur, aut deserat; vt illi consentiat, aut non consentiat si voluerit; quantumuis sine illo non velit, aut velle non possit; esse adiutorium *quo fit* vt velit, sed tantùm *sine quo non*: & proinde ad medicinale adiutorium Christi nullo modo pertinere posse; sed ad adiutorium primi hominis, & sanæ voluntatis esse referendum. Vnde sequitur neque legem, neque reuelationem, neque sapientiam, aut scientiam quamcunque, aut qualemcunque, neque remissionem peccatorum, neque gratiam habitualem, neque virtutes infusas, neque gratiam sufficientem, neque gratiam quam congruam vocant, quia sic adaptatur dispositioni voluntatis, vt ei consensura videatur; esse illud adiutorium *quo*, sed vt summùm tantummodo *sine quo non*: neque esse adiutorium ægræ infirmæque voluntatis, sed fortis, & sanæ; nec adiutorium Christi Saluatoris, sed Adami: quia hæc omnia subiacent voluntatis arbitrio, & non dant ipsum velle, sed posse.

6. Infert secundò, auxilium *sine quo non*, nunquam transire in auxilium *quo*, per hoc ipsum quòd aliquis illo adiutus velit, & operetur: sed siue cum eo cooperari velit, siue nolit, eiusdem omnino conditionis manere: nam diuersitas huiusmodi auxiliorum non ab effectu eorum petitur, sed ex diuersa operandi efficacia, quæ longè maior est in auxilio *quo*, vt affirmat Augustinus loco suprà citato: idque postulat naturæ lapsæ infirmitas, & rebellio concupiscentiæ, cui potentiori auxilio succurrendum fuit, vt ibidem ait Sanctus Augustinus.

7. Cap. 6. Addit tertiò, ex hoc discrimine nasci quinque effectus. Primum, quòd Angelis, & Adamo adiutorium illud *sine quo non*, non donaret meritum voluntati, quod illo licèt cooperante nascebatur; sed hoc ipsa sibi voluntas pareret: nunc verò gratia, quantumuis arbitrium ei simul influendo cooperetur, donet etiam ipsum opus & meritum, quod simul ex vtroque proficiscitur, vt docet Augustinus libro de Correprione & gratia, capite duodecimo. Secundum, quòd opus ac meritum, quod sibi voluntas cum adiutorio *sine quo non*, parere poterat, futurum esset *humanum*; nunc verò *diuinum*, tanquam donum gratiæ Dei, vt idem ait libro de Prædestinatione Sanctorum capite decimoquinto. Tertium, quòd tunc Beatitudo non esset consequenter gratiæ specialis donum, sed *merces* meriti futura: nunc ipsa quoque Beatitudo gratis detur, vt idem affirmat loco suprà citato de Correptione & gratia: vbi enim meritum est gratuitum gratiæ donum, merces quoque speciale donum esse potest.

8. Cap. 7. Quartum, quòd Angeli boni reipsa per liberum arbitrium in veritate steterunt, & in ipso gratiæ adiutorio permanserunt: similique modo poterat Adam permanere si voluisset, nunc ipsa permansio in veritate & gratia, per medicinale adiutorium libero arbitrio dari debet, vt docet Augustinus eodem libro, capite 10. & 11. & libro de Bono perseuerantiæ capite septimo. Nimirum, quia adiutorium primi hominis, ac Angelorum, erat adiutorium sine quo operari, aut perseuerare non poterant; sed in ipsorum arbitrio ita collocatum, vt cum illo perseuerarent in veritate, si vellent. Ex quo sequebatur necessariò, vt (sicut ait Augustinus loco suprà citato) & stare in veritate, perinde vt cadere ex veritate, possent per liberum voluntatis arbitrium. Nunc verò, postquam illa magna potestas, & libertas voluntatis per concupiscentiam violata est; ipsum velle bonum, ipsum operari bonum, ipsum perseuerare in bono, per adiutorium Christi medicinale *quo*, ægrotæ infirmæque voluntati dari debet, quæ alioqui cum adiutorio *sine quo non*, seu adiutorio sufficiente, & congruo talem libertatis vegetam potestatem postulante, nunquam in æternum est volitura, aut velle potest.

9. Cap. 8. Quintus denique effectus est, quòd vbi adiutorium *sine quo non*, seu sanitatis, datum est; ibi homines meritis, hoc est, per liberum arbitrium, discernendi erant: vbi autem datur adiutorium *quo*, discernuntur per gratiam Dei, vt docet Augustinus libro decimo-quarto de Ciuitate, capite vicesimo-sexto. Vbi enim gratiæ adiutorium tale duntaxat est, sine quo non possit aliquis operari si velit, non autem (quale nunc datur) quo fiat vt velit, sed velle, & nolle in libero relinquatur arbitrio; ibi liberi arbitrij flexus adiutorium arripientis, aut respuentis, primam diuersitatem facit. Ex quo infallibili nexu sequitur discretionem inde pullulantem, libero arbitrio voluntatis, quamuis non sine gratia, esse tribuendam. Itaque quisquis per adiutorium *sine quo non*, bene vult, aut operatur; seipsum bonum à malo, saluandum à damnando, suis meritis, hoc est propriâ arbitrij sui voluntate discernit: quamuis non sine gratia id faciat. Quando enim ad eandem actionem plures causæ concurrunt, sine quibus effectus fieri nequit: quis neget discretionem agentis à non agente, illi tribuendam esse, quæ determinat ad agendum, & per quam aliæ concausæ applicantur, seu mouentur vt influant? Quapropter recentiores, qui gratiam efficacem explicant per congruitatem, aut præscientiam diuinam, quâ præuenitur libertas, eo tempore & modo, quo præuidetur liberè consensura; incidunt in incommodum, quod sæpius Pelagianis exprobrauit Augustinus, homines scilicet nunc etiam seipsos discernere per liberum arbitrium, non autem discerni per gratiam: & gratiam medicinalem cum gratia sanitatis confundunt: quam etiam solent iisdem loquendi modis, iisdémque verbis exponere, quibus gratiam datam Angelis, & Adamo in statu integritatis, exponit Augustinus. Hæc est summa doctrinæ Iansenij lib. 2. à cap. 1. ad 8.



SECTIO II.

Ostenditur, doctrinam aduersarij de differentia inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem, sumptam esse ex Caluino & Luthero, eorúmque sectariis.

10. *Basis doctrina Ianseni.* IN hoc discrimine inter gratiam sanitatis & gratiam medicinalem, quale Iansenius esse vult, consistit summa & caput eius doctrinæ: vt non immeritò ad illud imperitis & incautis persuadendum tanto studio & conatu incumbat: quod etiam plusquam sexcenties inculcat, & totius doctrinæ D. Augustini de Gratia, clauem esse affirmat.

11. *Inanis eius gloriatio.* In primis autem falsò gloriatur cap. 3. discrimen illud inter auxilium *sine quo non*, & auxilium *quo*, à se fuisse de tenebris erutum, cùm esset antea à recentiorum notitia valde abstrusum. Nam si per *recentiores* intelligit Theologos, & Doctores catholicos: falsum est illis ignotum fuisse: siquidem illius mentionem faciunt, & sensum ab aduersario intentum, velut erroneum, & hæreticum impugnant, Pennot. libro 9. Propugn. cap. 13. Pighius libro 4. de lib. arbit. Horant. libro 1. contra Caluinum cap. 55. Malder. in 1. 2. quæst. 111. artic. 3. dub. 11. Suares in opusc. libro 3. de auxiliis cap. 15. & plerique alij. Si verò hæreticos eo nomine designat; æquè falsum est ignotum illis discrimen istud fuisse, à quibus ipse potiùs suam illam doctrinam, eiúsque ferè omnia firmamenta desumpsit: præcipuéque à Caluino in Antidoto Tridentini ad sess. 6. vbi de Patribus Tridentinis sic loquitur: *In eo hallucinantur, quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quòd nullum obseruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen. Quod diligenter Augustinus exponit. Istam* (inquit) *gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet esse malus. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, non quo fieret vt vellet. Sed potentior est gratia in secundo Adam, quâ fit etiam vt velimus.* Et lib. 5. contra Pighium pag. 204. *Sequitur*, inquit, *vno contextu apud Augustinum altera distinctio, quæ prorsus ad eandem rem explicandam facit. Aliud est, inquit, adiutorium sine quo aliquid non fit: & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret: sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis* &c. vt suprà.

12. *Sentit cum Caluino de efficacia gratia.* Et lib. 2. Institut. cap. 3. num. 10. de auxilio gratiæ in hoc statu naturæ lapsæ hominibus dato sic loquitur: *Voluntatem mouet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, vt nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est, Quem trahit, volentem trahit: quo insinuat Dominum, porrectâ tantùm manu, expectare an suo auxilio iuuari nobis adlubescat. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, vt potuerit ad alterutram partem inclinare: sed cùm suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit, & possit: quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur?* Et paulò pòst, numero 13. *Audiamus nunc*, inquit, *Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur. In quo scilicet Patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipse Augustinus protractus est.* Tum productis aliquot Augustini testimoniis, quæ alibi referemus, & exponemus, ita concludit, *Habemus nunc Augustini ore testatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ liberâ cuiusque electione, aut recipiatur, aut respuatur; sed ipsam esse quæ in corde & electionem, & voluntatem formet &c.* Et iterum in Antidoto Trident. ad sess. 6. dicit apertè pugnare *quod hîc* (videlicet cap. 5. & can. 4. sessionis citatæ) *pronunciant Tridentini Patres, cum illa Christi sententia. Quisquis audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Nam vt prudenter animaduertit Augustinus, inde sequitur nullum à Deo audire, & discere, quin simul in Christum credat: motúmque Spiritus sancti sic esse efficacem, vt fidem semper gignat. Constituunt autem hoc in hominis optione, vt Dei inspirationi, si velit, auscultet. Hæc nullo modo inter se conciliari possunt: omnes, qui à Deo didicerint, Christo credere: &, non aliter ratam esse Dei inspirationem, nisi homines ex seipsis assentiantur.* Et libro 5. contra Pighium pag. 183. *Nego*, inquit, *gratiam sic nobis offerri, vt nostra postea sit optionis, vel obtemperare, vel refragari. Nego tantùm in hoc dari, vt imbecillitatem nostram subsidio suo adiuuet. Neque enim efficere Deum in nobis testatur Paulus, vt possimus bene velle; sed hoc quoque ipsum, vt velimus. Proinde efficaciter formari voluntatem nostram constituo, vt Spiritus sancti ductum sequatur necessariò: non autem incitari duntaxat, vt valeat si velit.* Et inferiùs pag. 204. *Si quis*, inquit, *oblatam gratiam respuit*, (actu vel potentia) *vbi illa sicuti vocat Augustinus, indeclinabilis, & inseparabilis gratiæ actio: quæ non hominibus relinquit suam voluntatem vt maneant in gratia si velint; sed etiam operatur vt velint: quæ non tantùm fidei consequendæ facultatem confert, sed etiam fideles facit: quæ non modò perseuerandi copiam facit, sed tantâ illos firmitate instruit, vt non nisi perseuerantes sint?* Vixque vllus est Augustini locus à Iansenio productus, quem non priùs Caluinus, aliíque huius temporis hæretici ad eundem errorem confirmandum produxerint.

Idem enim ante Caluinum docuerat Lutherus præcipuè in libro de Seruo arbitrio, quem idcirco Concilium Senonense, contra eius errores celebratum anno 1528. meritò affirmat in Manichæismum incidisse, quando Pelagianismum vitare conatus est: vt solent hæretici ab vno extremo declinare ad aliud oppositum. Eius verba sunt in præfatione, longè post initium: *In errorem Manichæi incidit Lutherus, dum nimis anxiè, & scrupulosè deuitat Pelagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio efferre, omne bonum opus, quod est in homine, Deo tribuit, & diuinæ gratiæ; nihil prorsus libero arbitrio. Sicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus factus est Manichæus, dum refugit esse* 13. *Et cum Luthero.*

Pelagianus. Debuerat certè Lutherus ex Apostolo nosse, ita necessariam diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat: voluntate scilicet liberè concurrente cum gratia: vt fusiùs exponit, & confirmat pluribus Scripturæ testimoniis Decreto fidei 15. vbi inter alia pronunciat, Nihil perniciosius Christi fidelibus excogitari potuisse ab hoste veritatis, quàm si vel à Pelagio seducti, omnia sine præsidio gratiæ, sibi tumidiùs arrogent: vel fatiscenti pusillóque animo, cum Wicleffo, necessitati submittant omnia: dicántque cum eodem, & Luthero, omnia de necessitate euenire; & quæcunque bene fiunt auxilio gratiæ, necessariò fieri, id est, sine vsu libertatis indifferentiæ. Quod auxilium ibidem dicit non esse eiusmodi, vt ei resisti nequeat: *Non est*, inquit, *tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.*

14. *Et cum vtriusque sectariis.* Idem etiam cum Caluino, & Luthero, sentiunt vtriusque discipuli; Melancthon in Apologia Lutheri contra Sorbonicos, Petrus Martyr in locis commun. tit. de libero arbitrio, Beza in libro aduersus Castellionem, Paulus Ferrius Minister Metensis in Orthodoxo, Scharpius libro de libero arbitrio capite 3. & Ministri Embdenses in Synodo Dordracena, aliíque recentiores. Scharpij verba hæc sunt, capite citato: *Status controuersiæ inter nos, & Pontificios est, sitne homo post lapsum verè liberi arbitrij in iis rebus quæ pertinent ad salutem: & quamuis nihil possit sine auxilio gratiæ: tamen per gratiam præuenientem excitatus, & à Deo adiutus ita valeat operari, vt possit etiam non operari. Affirmatiuam partem tuentur Bellarminus, & Concilium Tridentinum sess. 6. canone 4. &c. Nos verò dicimus, in homine post lapsum &c. Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, vt hominis voluntas Deum conuersionem hominis volentem, & operantem non sequi non posse: licèt non coactè, sed sponte sequatur.*

15. Simili modo loquuntur Ministri Embdenses in Synodo Dordracena. *Bellarminus* (inquiunt pag. 730.) *cum Concilio Tridentino, & Pelagio, intelligit per gratiam præuenientem, vocationem, cuius efficacia ab hominis ingenio pendet.* Et paulò pòst pag. 735. *Contra hanc sententiam nos affirmamus, quòd Deus voluntatem hominis gratiâ suâ mouet, non vt Pontificij tradunt, vt nostra postea sit electionis motioni obtemperare, aut refragari: sed vt illam efficaciter etiam ad obsequendum flectat:* id est, vt ipsi volunt, ita vt voluntas non possit non obtemperare, sed necessariò sequatur ductum gratiæ. Hoc enim postulat oppositio ab illis intenta cum doctrina Bellarmini, & Tridentini: idque disertis verbis sæpius ipsi, aliíque ministri eiusdem Synodi affirmant, in qua nihil frequentius occurrit, quàm *gratiam regenerationis irresistibilem esse:* præcipuè sess. 99. pag. 314. & seqq. vbi hanc irresistibilitatem probare conantur ex Scriptura, & Augustino, locis infrà referendis & explicandis.



SECTIO III.

Probatur, discrimen illud repugnare sacris literis.

SED hoc discrimen inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem, quòd illa relinqueret voluntati libertatem indifferentiæ ad consensum, vel dissensum, ista verò non, manifestè repugnat Scripturæ frequenter affirmanti, posse nunc etiam in statu naturæ lapsæ resisti gratiæ auxiliis, etiam completè sufficientibus, adeóque ipsi motioni internæ voluntatis; ita qui bene operantur, vel abstinent laudabiliter à malo, potuerint contrarium facere. 16.

Nam Ecclesiastici 15. dicitur Deum hominem reliquisse in manu consilij sui, vt seruet mandata, si voluerit: & apposuisse illi aquam, & ignem; vitam, & mortem; bonum, & malum; vt ad quod voluerit, porrigat manum suam. Atqui non est relictus in manu consilij sui, vt seruet mandata, si Deus illum antecedenter necessitat ad seruandum suâ gratiâ præueniente: ita vt sit illi impossibile facere aliud, quàm seruare, si adsit gratia; non seruare, si desit: quódque vel adsit, vel desit, non sit in nostra libera potestate, sed pendeat à Dei decreto, qui ad omne opus salutis, quod facimus, antecedenter necessitet, iuxta Iansenium, suámque gratiam medicinalem destinarit quibus voluit, pro suo mero beneplacito. Non habet etiam homo in sua potestate eligere mandata seruare, aut non seruare; manúmque suam ad aquam, vel ad ignem, ad vitam vel ad mortem, ad bonum vel ad malum porrigere; si Deus ad vnum, nempe ad bonum antecedenter illum necessitat per gratiam medicinalem; & nisi illâ præueniatur, est necessitatus ad malum. Effugium autem Iansenij & eius Sectatorum, quòd scilicet Scriptura loquatur de homine in statu innocentiæ; alibi refutabitur disputat. 30. sect. 6. 17. *Probatur ex Ecclesiastic. c. 15.*

Eodem libro, cap. 31. laudatur iustus, *qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris: qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit:* additúrque ad illius commendationem: *Quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Atqui si hæc omnia facit antecedenter necessitatus gratia medicinali, cui non possit resistere, nihil facit mirabile, & singulare: nihil quod quiuis alius non faciat, præuentus eâdem gratiâ. Illa enim talis est, iuxta Iansenium, vt eâ positâ, non possit fieri oppositum eius ad quod præmouet, in quocunque ponatur. Quid autem mirum est, si quis faciat, positâ tali gratiâ, quod eâdem positâ impossibile est illum non facere? Mirandum esset potiùs si non faceret. Deinde falsum erit potuisse illum transgredi, quando non est transgressus: id est, mandatis paruisse cum potestate ad oppositum. Neque enim paruit, aut completè parere potuit, nisi gratiâ medicinali præuentus ad parendum, iuxta doctrinam Iansenij. Et illâ positâ non potuit non parere, vt idem affirmat: adeóque non potuit transgredi, propter impedimentum 18. *Et ex verbis eiusdem cap. 31.*

transgressionis insuperabile, nempe gratiam antecedenter necessitantem, ita vt illi resisti non possit. Neque enim verè dicitur aliquis posse id, ad quod habet impedimentum insuperabile, quando, & quandiu illud habet: aut cui deest aliquid antecedenter necessarium, sine quo non potest aliud poni: nec est in libera ipsius potestate vt illud habeat. Talis autem est gratia medicinalis, iuxta Iansenium.

19. *Et ex verbis ipsius Dei Isaiæ 5.* Isaiæ 5. Deus de Israëlitis ita conqueritur: *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* At hæc querela non potest esse iusta, in sententia Iansenij. Nam potiùs, quo efficaciori modo procurare potuit vt fructum bonorum operum non ferret, quàm negando gratiam medicinalem antecedenter necessitantem ad bene operandum, sine qua iuxta Iansenium, impossibile est vllum opus bonum fieri? certè meritò potuissent Iudæi respondere, Domine aliquid aliud debuisti necessariò facere vineæ tuæ, vt ferret vuas: nempe illi dare gratiam necessitantem, sine qua nemo potest facere opera pietatis. Neque debuisti, illâ non concessâ, expectare vt faceret vuas. Nam expectare vt non præuenti gratiâ necessitante ad bene operandum, ferant fructus bonorum operum, est expectare vt fiat aliquid impossibile fieri. Quod non minùs insanum est, quàm expectare, & colligere velle de spinis vuas, de tribulis ficus. Et certè hæc insipientia non potest cadere in Deum; qui tamen affirmat se expectâsse à Iudæis, non præuentis gratiâ necessitante, vt ferrent vuas bonorum operum.

20. *Et Christi verbis Matth. 11. & 23.* Matth. 11. Christus ita obiurgat: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaïda. Quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Atqui, iuxta sententiam Iansenij, falsum est quòd Tyrij, & Sidonij, & quiuis alij quidquam aliud egissent, quàm Corozain & Bethsaïda, si simili modo destituti fuissent gratiâ necessitante. Quæ igitur exprobrandi, & tam grauiter obiurgandi occasio? Nónne Iudæi meritò respondissent; Conuerterentur Tyrij, & Sidonij, si eis dares gratiam necessitantem ad conuersionem. Da nobis illam, & nos pariter conuertemur. Cur nobis obiicis illorum exemplum, si illis dares gratiam necessitantem, quam nobis non das, & sine qua impossibile est conuerti? Fac nos pares in gratia necessitante, & erimus pares in conuersione.

21. Matth. quoque 23. in fine, Christus de Iudæis magno cum affectu in hæc verba conqueritur: *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suas sub alas, & noluisti!* At hæc voluntas planè simulatoria esset, si gratia necessitans erat illis necessaria vt vellent, quemadmodum docet Iansenius; & Deus illam non suppeditauit: ita vt Iudæi antecedenter neque velle, neque parere vocanti potuerint. Vúltque Deus impossibile, si vult vt vocationi pareant non præuenti gratiâ necessitante, si est impossibile parere absque tali gratia, vt Iansenius affirmat.

22. *Occurritur euasioni.* Respondebit fortasse, Deum nihilominus meritò exprobrare, & conqueri, quia peccatores destituti gratiâ necessitante ad bene operandum, fuerunt illâ destituti propter peccatum originale: vel etiam quia fuerunt ipsi causa cur destituerentur. Ex. gra. Corozaïtæ malâ suâ vitâ meruerunt priuari gratiâ necessitante ad credendum, & ad agendum pœnitentiam in cilicio & cinere; quæ gratia fuisset data Tyriis, & Sidoniis non ponentibus tale impedimentum.

Sed prior huius responsi pars, tradita à Caluino in Antidoto Trident. ad caput 11. sess. 6. & libro 2. Institut. capite 5. numero 1. aliisque locis, Beza lib. de æterna Dei prædestinat. pag. 415. Chamier. tom. 3. libro 3. capite 2. & aliis Caluinistis, refutabitur inferiùs disputat. 39. sect. 5. numero 53. & seqq. Posterior verò stare non potest cum doctrina Iansenij. Si enim peccatores fuerunt causa cur destituerentur illâ gratiâ, debuerunt esse causa aliquo suo peccato, seu malo merito. Atqui peccatum illud, in sententia Iansenij, non fuit commissum, nisi defectu gratiæ necessitantis ad oppositum. Ergo peccator non fuit causa cur necessariò malè operaretur. Et licèt dicatur vnam operationem malam, esse causam cur non detur gratia necessitans ad aliquid aliud; semper tamen deueniendum erit ad destitutionem gratiæ antecedentem omne opus malum creaturæ, & ex solo Dei beneplacito prouenientem: ex qua sequitur necessariò malum illud opus. Quare in sententia Iansenij impossibile est vt peccator liberè, & culpabiliter causam dederit carentiæ gratiæ necessitantis ad bene operandum: sed si dedit illi causam, dedit per aliquid, ad quod habuit antecedentem necessitatem, defectu gratiæ necessariæ vt posset aliter facere, & à malè agendo abstinere. Docet enim Iansenius post Caluinum libro 2. Institut. capite 2. & 3. homines post lapsum Adæ generali quadam peccandi necessitate constringi quotiescunque deest gratia necessaria ad peccatum vitandum, & bene operandum: quam in hoc statu non aliam esse agnoscit quàm efficacem & necessitantem. 23.

Superioribus Scripturæ testimoniis addi possunt pleraque alia, quæ non minùs errori Iansenij de gratia necessitante aduersantur. Vt quod ait Paulus 1. Corinth 7. versu 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit.* Et 2. Corinth. 9. versu 7. *Vnusquisque prout destinauit in corde, suo: non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ad Philem. versu 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Quibus verbis, vt alibi notauimus, Apostolus excludit ab huiusmodi bonis operibus, cum Dei gratia factis, non modò physicam necessitatem antecedentem, siue impotentiam ad oppositum; sed etiam moralem necessitatem iuris, 1. Corinth. 7. significans virginitatem, & abstinentiam à matrimonio ad meliùs Deo seruiendum, in nostra esse potestate non tantùm physica, sed etiam morali iuris, quatenus non est in præcepto. In aliis verò duobus excludit necessitatem secundùm quid, quæ poterat oriri ex reuerentia erga Paulum corrogantem eleemosynas illas, de quibus sermo est 2. Corinth. 9. & volentem retinere One- 24. *Confirmatur ex Apostolo.*

simum, ad Philem. ver. 14. Item Apocalypsis 3. ver. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Quæ verba, *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi*, perspicuè significant in nostra esse potestate audire, vel non audire; & aperire, vel non aperire: id est, gratiæ prævenienti, & excitanti consentire, vel dissentire.

SECTIO IV.

Idem illud discrimen refutatur ex Conciliis, & Patribus.

25. *Probatur repugnare Tridentino.* NEQVE minùs euidenter repugnat idem illud discrimen Conciliis, Tridentino præcipuè & Senonensi, quæ præcisè, & expressè definiunt contra Lutheranos & Caluinistas, motionem voluntatis per auxilium gratiæ datæ in hoc statu naturæ lapsæ, non esse huiusmodi, vt illi resisti non possit, & dissentiri si velimus. Tridentini verba sess. 6. canone 4. hæc sunt: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac preparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere, anathema sit.* Et cap. 5. eiusdem sessionis definit, *Iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum praueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest; neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit.* *Et Senonensi.* Eundem errorem in Luthero paulò antè damnauerat Concilium Senonense Decreto fidei 15. definiens auxilium gratiæ non esse tale, *cui resisti non possit.* Vbi nota vtrumque Concilium loqui de auxilio efficaci. Nam Tridentinum loquitur de illo cui homo reipsa cōsentit, & cooperatur, cuiúsque ope ad propriam iustificationem se disponit. De eodemque loquitur Senonense in Decreto citato: nimirum de auxilio reipsa mouente & trahente liberum arbitrium ad consensum, & cuius ope currimus in odorem vnguentorum eius: vt addit ibidem paulò pòst. Nota 2. liberum hominis assensum, & cooperationem explicari à Tridentino per hoc, quòd possit inspirationem illam abiicere, & dissentire si velit. 3. Iuxta doctrinam vtriusque Concilij, posito, & stante auxilio efficaci, posse esse dissensum, & abiectionem: id est, hominem reipsa præuentum auxilio efficaci, cui de facto consentit, & cooperatur, posse si velit, non consentire, & diuinam inspirationem motionémque abiicere. Id enim perspicuè significant verba illa Concilij Senonensis: *Non est tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit, &c.* & ista Tridentini capite 5. *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens: quippe qui illam & abiicere potest.* & quod ait canone 4. *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, ita cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, vt possit dissentire si velit.*

Pari euidentia repugnat idem error, & discrimen Iansenianum inter gratiam sanitatis, & medicinalem, apertissimis Patrum Græcorum æquè ac Latinorum testimoniis, quæ perspicuè ostendunt, fidem illorum, & antiquæ Ecclesiæ fuisse, Deum ita vocare, & iuuare consentientes ad bene operandum, vt possint non consentire vocationi, & auxilio gratiæ, cui reipsa consentiunt; & alioqui non consentire liberè. Itaque ex Patribus Græcis id docet Origenes 1. Periarch: capite 1. vbi, postquam asseruit omnem animam rationalem esse liberi arbitrij: subiungit: *Si nostri arbitrij sumus, instigare fortè possunt aliqua virtutes diabolicæ ad peccatum: & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel malè.* Et Irenæus libro 4. contra hæreses capite 71. *Qui operantur illud*, inquit, *gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, iustum iudicium recipient Dei; quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud.* Et Iustinus in Apolog. 2. ad Antoninum Imperat. vbi sic habet: *Nisi libero arbitrio genus humanum & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi; extra causam culpámque est eorum, quæ quoque modo aguntur: sed ipsum libero arbitrio, liberâque voluntate & rectè facere, & peccare docemus.* Et Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat. prope medium: *In nostra quidem certè est potestate & ad nostram deduci disciplinam, & parere preceptis.* Illud autem dicitur esse in nostra potestate, quod si volumus, facimus, & si nolumus non facimus, vt ait Augustin. libro de spirit. & lit. capite 31.

26. *Et Patribus Græcis.*

27. Et Athanasius Orat. contra idola: *Anima libera est, ait, & sui arbitrij: potest enim vt ad bona se inclinare* (opitulante gratiâ,) *ita bona quoque auersari* resistendo gratiæ. Et Basilius in oratione quòd Deus non sit auctor malorum: *Virtus ex voluntate*, inquit, *non ex necessitate fit: voluntas verò ex his, quæ in nobis sunt, dependet. In nobis autem est liberum arbitrium.* Similia dicunt Nazianzenus Apologet. orat. 1. & Gregorius Nyssenus oratione catechet. capite 30. Et Chrysostom. homil. 19. in Genes. ipso initio, cuius verba hæc sunt: *Quia liberi arbitrij esse nostram naturam fecit omnium Dominus, quæ sua sunt, omnia pro sua misericordia semper exhibet: & sciens abscondita in profundo mentis, & arcana, hortatur, consulit, conatúsque nostros malos reprimit: & necessitatem vtique non imponit, sed congruis remediis appositis, totum in ægrotantis sententia situm esse dimittit.* Quibus postremis verbis nihil expressius dici potest cōtra gratiam necessitantem Iansenij & Caluini. Et hom. 81. in caput 26. Matth. *Dei vocatio*, inquit, *nullum cogit; nec mentem eorum, qui virtutem volunt contemnere, vllo modo violentat: sed hortatur quidem, ac consulit, & omnibus modis bonos esse persuadet: si verò aliqui reluctantur, nullo modo cogit* (id est necessitat) *vt boni esse velint.* Et homil. 46. in ca-

put 6. Ioan. *Non enim vi & necessitate quadam Deus bonos facere consueuit, neque actio eius violenta est, sed suasoria. Vt enim intelligas non cogere vocationem, multos vocatos perire contingit. Quamobrem constat in nostro esse arbitrio an saluemur, an perdamur.* Et Theodoretus in epist. ad Rom. circa illa verba capitis 8. *Quos autem prædestinauit &c.* vbi sic ait: *Deus procul omnia videt vt Deus: non tamen huic quidem affert necessitatem, vt virtutem exerceat: illi autem, vt vitam & vitio instituat. Si ipse enim ad vtrumuis eorum vim affert* (id est, necessitatem) *non iure hunc quidem laudat, & coronat, in illum verò supplicium decernit. Si autem iustus quidem est Deus, vt iustus certè est: adhortatur quidem ad ea, quæ bona & honesta sunt, & prohibet contrária. Laudat autem eos qui, quæ bona sunt, faciunt: & punit eos, qui sua sponte vitium amplectuntur:* id est, sine vi & necessitate illata ad virtutem, aut vitium amplectendum. Et Damasc. libro 2. de fide cap. vlt. initio: *In nobis est*, inquit, *virtuti immanere, & sequi Deum nos ad illam vocantem, aut deserere virtutem:* id est, liberum nobis est cooperari gratiæ ad virtutem excitanti, vel illam abiicere.

28. *Et Patribus Latinis.* Similique modo loquuntur Patres Latini: vt Cyprian. epist. 55. ad Cornelium, vbi sic ait: *Non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus est: sed magis conuersus ad Apostolos suos, dixit: numquid & vos vultis abire? Seruans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem:* adeóque ad vnum illorum non adigitur antecedente aliqua necessitate. Et Arnobius libro 2. aduersus Gentes: *Vis sumere, quod offertur, atque in tuos vsus conuertere? Consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis, despicis? Te muneris commoditate priuaueris. Nulli Deus necessitatem affert.* Et Hilarius in illud Psalm. 2. *Tunc loquetur ad eos in ira sua*, in priori parte Commentarij eiusdem versus, *Vnicuique nostrûm*, inquit, *libertatem vitæ sensûsque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens:* adeóque non antecedenter necessitans ad bene operandum per gratiam medicinalem. Et Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 3. post medium: *At verò ille, qui voluntatis suæ arbiter est, iudex consilij, interpres arbitrij, qui coërcet corporea appetentiam passionis, qui ea quæ agit, bene agit, &c. habens suorum actuum potestatem, is profectò liber est.* Nota quòd ait, *habens suorum actuum potestatem:* quam certè non habet quisquis antecedenter necessitatur ad agendum, ita vt non possit non agere. Et Hieron. lib. 2. aduersus Iouinianum longè à principio. *Liberi arbitrij nos condidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est.* Et epist. 146. ad Damasum de filio prodigo, multò post initium: *Dedit eis liberum arbitrium: dedit mentis propria libertatem; & vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo: id est, non ex necessitate, sed ex voluntate: vt virtus haberet locum, vt à ceteris animantibus distaremus, dum ad exemplum Dei, permissum est nobis facere quod velimus.*

29. *Speciatimque D. Augustino.* Augustinus etiam, cuius maximè auctoritate abutuntur aduersarij, non minùs gratiam necessitantem reiicit variis locis: vt libro de natura & gratia capite 65. vbi approbans id, quod ex D. Hieronymo paulò antè retulimus, sic ait: Item, quod ait Pelagius à memorato dictum esse presbytero Hieronymo, *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin vbi necessitas est; nec damnatio, nec corona est. Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* Et libro 2. Actorum cum Felice Manichæo capite 4. initio: *Audi ergo de libero arbitrio, primò ipsum Dominum, vbi duas arbores commemorat. Audi dicentem, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Cùm ergo dicit, Aut hoc facite aut illud facite: potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus, facere arborem potest: sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Nota esse in nostra potestate eligere bona, & mala: quod falsum est, si ad bona necessitamur gratiâ medicinali: ad mala verò, pondere concupiscentiæ, quando abest gratia: vt docent aduersarij. Nam qui agit ex necessitate, non eligit.

Idem S. Doctor quotiescunque loquitur de gratia efficaci, eam nominat vocationem, suasionem, illuminationem, motionem, & illius efficaciam in eo constituit, quòd homo vocetur vocatione congruâ: id est, eo modo, quem Deus scit ei congruere, vt consentiat: sicut ipse fusiùs exponit libro 1. ad Simplician. q. 2. vbi tandem sic concludit: *Cùm ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem: eademque res sæpe alio modo dicta moueat, alio non: quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Et in eadem quæstione significat contingere aliquando, vt ex duobus æqualiter à Deo vocatis vnus consentiat, alter non; eo quòd ipsi diuersimodè affecti sint. *Quamuis*, inquit, *multi vno modo vocati sint, quia tamen omnes non eodem modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui eius capiendæ reperiuntur idonei.* Et libro 12. de Ciuit. cap. 6. docet contingere vt è duobus æquali tentatione contra castitatem pulsatis, vnus succumbat, alter resistat. Cuius rei rationem inquirens, respondet non apparere aliam, quàm quòd alter à castitate noluerit deficere, alter voluerit. 30.

Et libro de Spirit. & lit. capite 34. non minùs clarè libertatis indifferentiam in vsu gratiæ, & consensu diuinæ vocationi, confirmat his verbis. *Misericordia Dei præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Estque obseruandum id quod disput. 31. sect. 4. demonstrabimus, iuxta phrasim D. Augustini, & aliorum Patrum, esse aliquid nostræ voluntatis, idem significare, atque esse positum in nostra libertate vt fiat, vel non fiat. Et libro 1. Retract. capite 10. dicit omnes posse, si velint ab amore visibilium ad mandata cælestia se conuertere. Ergo qui non se conuertunt, habent tamen internam gratiam necessariam, & sufficientem ad conuersionem, quam frustrantur effectu; ac proinde falsum est gratiam medicinalem, seu quæ datur in hoc statu naturæ lapsæ, necessitare ad consensum. Quódque reipsa improbi resistant gratiæ sibi oblatæ, atque per eos stet quòd non illi con- 31.

sentiant, docet exemplo Esaü, libro 1. ad Simplician. quæst. 2. sic dicens: *Noluit ergo Esaü, & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset; qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Vbi nota sermonem esse de vocatione etiam interna, déque adiutorio ipsius voluntatis sine quo non poterat currere, & peruenire, nam alioqui non stetisset per ipsius voluntatem, & contemptum gratiæ, quòd non curreret, & perueniret: sed per defectum alicuius auxilij necessarij.

32. *Et Prospero ac Anselmo.* Augustinum imitantur insignes eius discipuli & doctrinæ sectatores, Prosper libro 2. de Vocat. Genr. capite 12. vbi de gratiæ efficacia sic loquitur, vt perspicuè significet posse illi resisti; quódque illius ope fit, potuisse non fieri, si voluntas noluisset cooperari: *Quod*, inquit, *non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Et capite 26. dicit voluntatem habere de sua mutabilitate, si deficit: de gratiæ verò opitulatione, si proficit: & quòd à multis refutatur gratia, ipsorum esse nequitiæ: quòd à multis recipitur, gratiæ diuinæ esse, & voluntatis humanæ. Et Anselmus in caput 6. Matth. *In Paulo*, inquit, *videtur cogens* (id est necessitans) *Dei voluntas, sed non est; quia licèt sit percussus: tamen voluntas erat libera, vt resisteret, si vellet.* Loquitur de gratia, quâ Paulus fuit ad fidem Christi conuersus Act. 9. quæ sine dubio fuit efficacissima: & tamen affirmat potuisse illi resisti, voluntatémque liberam reliquisse, vt si vellet, resisteret. Ibidémque exponens verba illa, *Fiat voluntas tua*, dicit Christum illis docere, *multos contradicere voluntati Dei, illi scilicet quæ est ex misericordia. Cùm enim vellet prauos etiam saluare, si vellent: tamen ipsi contradicunt operibus huic voluntati.* Quod esset falsum, si gratia medicinalis quâ Deus vult eos saluare, esset efficax & necessitans, vt vult Iansenius.

33. *Et D. Thoma.* His denique accedit D. Thomas insignis quoque Augustinianæ doctrinæ sectator, qui variis locis manifestè repellit necessitatem antecedentem ab efficacia gratiæ. Vt 1. p. q. 62. artic. 3. ad 2. *Omnis forma*, inquit, *inclinat suum subiectum secundùm modum naturæ eius. Modus autem naturalis intellectualis naturæ est vt liberè feratur in ea quæ vult. Et ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest eâ non vti, & peccare.* Et 1. 2. quæst. 10. art. 4. in corpore, vbi sic habet: *Quia voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius; nisi in iis ad quæ naturaliter mouetur.* Et 1. p. q. 14. art. 13. in corp. docet futurum contingens non posse certò cognosci in sua causa, ne quidem à Deo: *Quia*, inquit, *causa contingens se habet ad opposita: & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicunque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantùm, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem.* Inter futura verò contingentia sunt opera bona, quæ Deus ab æterno præuidit fore vt fierent ab hominibus cum gratia efficaci. De quibus, æquè ac de aliis generaliter affirmat D. Thomas non posse certò prænosci à Deo in sua causa, id est in voluntate præuentâ gratiâ efficaci: quia eius actus contingens est, & ipsa se habet ad opposita: id est, potest operari, vel non operari, prout ei lubitum erit. Et lect. 5. in caput 6. Ioan. ad illa verba, *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, sic ait: *Modus attrahendi est congruus, quia attrahit reuelando, & docendo.* Nunquam verò, neque hîc, neque alibi addidit necessitando.

Et quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Deus*, inquit, *mouet omnia secundùm modum eorum. Et ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate: à natura autem rationali cum libertate, propter hoc quòd virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere.* Et in 2. sentent. dist. 25. q. vnica artic. 1. c. *In solis*, inquit, *intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur: non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus.* Et in solutione tertij argumenti: *In libero*, inquit, *arbitrio hoc modo agit Deus, vt virtutem agendi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis, in potestate liberi arbitrij constituitur. Vnde remanet sibi dominium sui actus, licèt non ita sicut primo agenti.* Et libro 3. contra Gentes cap. 112. sic ait: *Quod dominium sui actus habet, liberum est in agendo. Liber enim est, qui sui causa est. Quod autem quadam necessitate ab alio agitur ad operandum, seruituti subiectum est. Omnis autem alia creatura naturaliter seruituti subiecta est: Sola verò natura intellectualis libera est.* Hucusque D. Thomas.

SECTIO V.

Demonstratur contrariam sententiam nullum habere fundamentum in Scriptura.

NON potest id meliùs demonstrari, quàm expendendo præcipua loca, quibus partim Iansenius, partim Lutherani & Caluinistæ, quibuscum in hoc dogmate cōsentit, abutuntur, vt probent gratiam datam in statu naturæ lapsæ non subesse quoad vsum libertati volūtatis, sed illam determinare, & necessitare ad consensum: Cùm tamen illa omnia Scripturæ testimonia, vt patebit ex sequentibus, nihil aliud probent, quàm nos ad opera salutis egere gratiâ Dei præueniente, & cooperante, ac sine illa nullum tale opus facere posse. Ideóque S. August. libro 2. contra duas epistolas Pelagianorum, aliísque locis, vtitur iisdem testimoniis ad illum finem, contra Pelag. & Semipelagianos. Sic autem accepta, vt debent, inutiliter afferuntur contra nos, & alios Doctores Catholicos, qui fatemur ad conuersionem salutarem, cæteráque bona opera supernaturalia, vel ad salutem conducentia, necessariam esse Dei gratiam præuenientem, atque etiam cooperantem: at non antecedenter necessitantem, & ita præmouentem ad operandum, vt illi resisti non possit; sed quæ intellectum, & voluntatem disponat, atque iuuet ad liberum consensum; ita tamen vt voluntas possit dissentire si velit, vt affirmat Trident. sess. 6. capite 5. & can. 4. Quare perperam illis Scripturæ testimoniis abutuntur Lutherus in libro de seruo arbitrio, Melancthon in Apologia

34. *Quid per illa probetur, quid non.*

logia pro Luthero, Contra-Remonstrantes in Specimine Amstrelod. art. 37. Caluinus lib. 2. Instit. c. 2. & 3. & in Antidoto ad sess. 6. Trident. Petrus Martyr in locis commun. v. *liberum arbitrium*, Synodus Dordracena locis citatis num. 15. aliíque Lutherani & Caluinistæ, & Iansenius passim l. 2. de Gratia Christi Saluatoris, ad probandum gratiam Dei ita mouere, & ad bonum opus impellere, vt homo non cooperetur liberè, sed necessariò, tanquam actus vi gratiæ, ita vt illi non possimus resistere, sed necessariò sequatur operatio ex illius præmotione.

35. Primum testimonium quo abutuntur, sumitur ex 2. Paralip. 30. vbi sic dicitur: *In Iudæa facta est manus Domini vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum regis, & principum, verbum Domini.* Cui simile est illud Ezechiel. 36. vbi Deus sic loquitur: *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Item illud Philip. 2. *Deus est, qui in vobis operatur velle, & perficere pro bona voluntate.*

Quo sensu Deus dat cor nouum, & facit vt faciamus?

Respondeo, nihil ex his sequi pro gratia antecedenter necessitante. Quamuis enim Deus det nobis cor nouum, & spiritum nouum, & faciat vt in præceptis eius ambulemus, détque velle, & perficere pro bona voluntate, efficiátque vt velimus, & faciamus: non sequitur quòd id faciat per auxilium antecedenter necessitans, & tale, vt illi resisti nequeat. Potest enim id facere per auxilia quibus, si dentur, præscit voluntatem esse liberè consensuram: quamuis non tantæ sint efficaciæ, vt voluntas non possit illis resistere: sed ita consentiat, vt possit dissentire si velit, quemadmodum affirmat Trident. loco sæpius citato. Deus autem dupliciter facit vt faciamus opera supernaturalia, & ad salutem pertinentia. Primò, moraliter; illuminando intellectum, & alliciendo voluntatem per gratiam præuenientem. Secundò, physicè; cooperando cum voluntate consentiente, per gratiam concomitantem.

36. Secundum testimonium sumitur ex lib. Esther c. 14. vbi Deum rogat Esther his verbis: *Transfer cor illius*, nempe Assueri regis, *in odium hostis nostri.* Ergo, inquiunt, intelligebat Esther opus esse auxilio Dei, per quod regis Assueri cor, in odium hostis Iudæorum transferretur, & eo auxilio posito non posse aliter euenire.

Et transtulit cor Assueri.

Respondeo Esther non rogâsse Deum vt cor Assueri transferret in Amanis Iudęorum inimici odium merè voluntariũ, & irrationabile: sed vt iuuaret cor regis ad cognoscendum quàm dignus odio esset ille inimicus Iudæorum & ad illum detestandum, sicut iustum erat. Quod vt fieret, non erat opus auxilio præueniente tam efficaci, vt Assuerus non posset illi resistere: sed sufficiebat talis inspiratio, & suasio interna, ex qua, si daretur, præsciebat Deus fore vt Assuerus iustum odiũ conciperet. Si enim potest homo cor hominis mouere ad odium, vel amorẽ alterius, sua persuasione: idque interdum tam certò, vt de euentu dubitare nequeat: quãto magis Deus, qui perfectissimè nouit corda & inclinationes hominum; præscítque infallibiliter quid vnusquisque sit liberè facturus, si tali modo, vel tali præueniatur. Et quamuis Deus potuisset accendere cor Assueri odio non libero circa hostem Iudæorum: non apparet tamen ex Scriptura, neq; est sufficiens ratio existimandi Estherem id postulâsse. Multóque minùs postulauit ad odium liberum, Dei auxilium tale, vt eo posito non posset odium non sequi. Id enim non est necessarium: neque ostenditur possibile: sed potiùs repugnat vsui libertatis, vt ostendimus alibi. Similiq; modo explicari potest illud Prou. 21. *Cor regis in manu Domini: & quocunque voluerit, inclinabit illud.* Potest enim Deus illud inclinare suasionibus, & motionibus internis, absque gratia tam efficaci, vt illi non possit resisti; quę non tam inclinat, quàm ferrea quadam necessitate adigit.

Et habet in manu cor Regis.

Tertium testimonium habetur Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Cui simile est illud Esther 13. ver. 9. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Et Rom. 9. ver 19. *Voluntati eius quis resistit?* Ergo, inquiunt, si Deus vult consensum meum, aut alium actum bonum; non potest ille non esse, neque potest voluntas mea resistere, & efficere vt non fit. Respondeo, Dei voluntatem, seu volitionem esse multiplicem; positiuam, permissiuam; antecedentem, consequẽtem; efficacem, inefficacem; absolutam, conditionatam. Et absolutæ quidem atque efficaci nemo resistit: déque illa intelligenda sunt loca Scripturę allata: secus autem voluntati inefficaci, vel efficaci tantùm sub conditione pendẽte à libero creaturę arbitrio: cuiusmodi est voluntas, quâ Deus vult liberum nostrum consensum, & cooperationem; quam non potest aliter velle; quia implicat contradictionem vt aliter sit cooperatio libera; sicut ostendimus disp. 3. sect. 3. & fusiùs infrà disp. 30. & seqq. Huiusmodi etiam est voluntas, qua Deus *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, 1. Tim. 2. & sua præcepta ab omnibus seruari, peccatúmque vitari: quam Dei voluntatem non impleri manifestum est. 37.

Quo sensu fit omnis Dei voluntas, & non potest ei resisti?

Quartum testimonium est illud Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguẽtorum tuorum.* Ex quo sic argumentantur: si nos pro nostra innata voluntate liberè consentiendo determinamus Deum, & quodammodo præuenimus vt cooperetur: profectò nos Deum vt nobiscum cooperetur trahimus, non ipse nos trahit. Respondeo Deum nos trahere ad bene, & salutariter operandum, suâ gratia præueniente, sine qua nemo potest salutariter operari: iuxta illud Christi Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* & c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Vltra quod auxilium præueniens, datur aliud cooperans, quod non præuenit, neque priùs operatur, quàm voluntas consentiat: sed simul. Voluntas quoque non priùs consentit, neque præuenit auxilium cooperans, sed concomitanter se habet. Dicitur tamen determinare auxilium ad cõcursum, non illud pręmouendo, sed quatenus est in libero illius dominio vti concursu, vel non vti; & operari cum auxilio sibi oblato, vel non operari: sine quo dominio impossibile est concursum esse liberũ. Nunquam tamen voluntas ita determinat auxilium cooperans, quin priùs ipsa fuerit à Deo tracta, id est, mota, & excitata auxilio præueniente inspirationis diuinę: de quo auxilio locus Scripturæ citatus intelligendus est: non autem de gratia antecedẽter necessitante, cum qua repugnat liberum esse cursum, seu consensum; quæque est huiusmodi, vt illi non possit resisti. Cùm è 38.

Quomodo gratia trahit voluntatem?

contrario Concil. Trident. definiat motionem Dei, & excitationem ad consensum, non esse talem, vt voluntas non possit illam abiicere, atque dissentire si velit.

39. Porro vox illa, *trahere*, in moralibus non significat *necessitare*, sed *allicere*: iuxta illud Poëtæ: *Trahit sua quemque voluptas*: Non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: inquit S. August. tract. 26. in Ioan. Ac si per, *trahere*, deberet intelligi hoc loco vis, & motio gratiæ antecedenter necessitantis: nemo sine illa posset conuerti: quia *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ac proinde, quicunque carent gratiâ antecedenter necessitante, non possent ad Christum venire, & conuerti. Ergo non haberent auxilium sufficiens, quo possent conuerti: & non posset illis iure exprobrari, quòd non conuerterentur. Quod tamen Deus sæpius illis exprobrat, Prouerb. 1. Isaiæ 5. Matth. 11. aliisque locis.

40. Quintum testimonium est ille ipse locus proximè citatus ex Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et paulò pòst: *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* 1. Corinth. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Nam si nemo potest ad Christum venire, nisi Pater traxerit eum: ergo ille, qui siue per voluntarium actum credendi, siue aliter ad Christum venit, trahitur auxilio quodam forti, cui non potest resistere, & sine quo non potest venire: quod est auxilium efficax, & antecedenter necessitans ad veniendum. Item si omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad Christum: videtur quòd qui non venit non audiuerit, & didicerit: quódque is, qui audiuit, & didicit, non possit non venire. Vlteriùs, si duorum habentium æquale auxilium vnus conuertitur liberè, alius non: ergo qui conuertitur discernit se, quia non aliter differt ab altero, nisi quia ipse liberè conuertitur. Fieri autem potest vt vnus conuertatur, & alius non, si posito illo auxilio voluntas non necessitatur, sed manet libera ad consentiendum, vel non consentiendum, vt voluerit. Ergo illud auxilium debet esse necessitans.

41. *Quomodo nemo ad Christum venit nisi pater trahat.*

Respondeo, primi testimonij sensum, iuxta ea, quæ præcedunt in eodem capite, hunc esse: quòd si quis ad Christum non veniat per auxilium gratiæ, quod à Deo datur, & non patiatur se duci per diuinam illustrationem; non possit aliter ad Christum venire. Loquebatur enim Christus cum illis, qui neglectis eius sermonibus operibúsque diuinis, dicebant, *Nónne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?* Secundum testimonium nobis potiùs fauet, quàm aduersariis. Non enim omnis, qui audiuit, venit: sed omnis, qui audiuit, & didicit. At non omnis, qui audiuit, didicit. Qui verò non didicit, ille suâ culpâ non didicit, & potuit discere; alioqui culpâ vacaret, nec iure reprehendi posset. Ad tertium respondeo, neminé principaliter discernere se per hoc quòd conuertatur: nam principalis causa conuersionis est auxilium gratiæ. *Exponitur locus, Quis te discernit.* Is nihilominus qui conuertitur, est cooperator, & aliquid agit, liberè assentiendo, ita vt possit dissentire: quemadmodum definit Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. potéstque dicere cum Paulo, *Non ego, sed gratia Dei mecum*: Illi verò, qui diuinæ vocationi non consentiunt, discernunt se per suum peccatum, cuius Deus auctor non est. Et dum se discernunt, discernunt etiam sequelâ quâdam eos, à quibus se ipsi discernunt. Quare si quis adhuc quærat, vnde veniat vt vnus consentiat, & alius non? Dicendum est, quòd vnus consentiat, esse ab auxilio gratiæ principaliter; sed non sine libera eius cooperatione: quòd verò alius non consentiat, esse ab eius malitia, & voluntate.

Sextum testimonium habetur Ioan. 8. vbi Christus sic loquitur: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Cui simile est illud Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ex quibus verbis Scripturæ sequi videtur, oportere priùs esse ex Deo, id est, esse prædestinatum, vt verba Dei aliquis audiat: & ante conuersionem debere præcedere aliquam præordinationem per se certissimam, quæ non potest esse sine auxilio per se infallibili, & necessariò consensum voluntatis obtinente.

Respondeo primò, si ad audiendum verbum Dei, & ad credendum, necessarium foret prædestinatum esse, & præordinatum efficaciter ad vitam æternam; ergo nulli crederent nisi prædestinati: quod est manifestè contra Scripturam Matth. 7. ver. 21. & seqq. aliisque locis: meritóque damnatur à Tridentino sess. 6. can. 17. Item, si ad audiendum verbum Dei necessarium esset auxilium necessitans, datum vi prædestinationis, & præordinationis efficacis antecedentis: ergo qui carent illo auxilio, quíque non sunt præordinati efficaciter ad vitam æternam, carent aliquo necessario in actu primo vt credant: atque ita non habent auxilium necessarium, & potentiam completam ad credendum. Neque per illos stat, quo minùs habeant: quia iuxta aduersarios præordinatio illa facta est antecedenter ad præuisionem operum, ex mero Dei beneplacito. Quomodo ergo potest illis exprobrari quòd non credant? 42.

Respondeo secundò, sensum prioris loci hunc esse, *Qui ex Deo est*, id est, qui Dei inspirationibus sinit se duci, *verba Dei audit*, id est, credit, quæ ab ipso, vel ex ipsius auctoritate, & testimonio proponuntur. Dicitur enim esse ex Deo, qui sinit se moueri, & obtemperat eius inspirationibus: iuxta illud Apostoli Rom. 8. versu decimo-quarto: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*, inchoatiuè saltem; atque etiam perfectè, postquam sunt iustificationem adepti. Sicut dicuntur esse ex diabolo, qui sinunt se ab eo duci, & obediunt eius suggestionibus: iuxta illud Christi Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis, & opera patris vestri vultis perficere.* Posterioris loci sensus est, crediderunt quotquot erant præordinati, Græcè τεταγμένοι, id est, ordinati, dispositi, bene affecti, propria scilicet voluntate cum Dei gratia præueniente: vel, vt vertit interpres vulgatus, quódque eòdem redit, *Quotquot erant præordinati*, id est, præapti, & prædispositi voluntatiè cum Dei auxilio. Quæ prædispositio ibidem ver. 46. opponitur malæ dispositioni Iudæorum contradicentium malitiosè prædicationi Apostoli: ad quos idcirco sic ait: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Quare non est necesse vt verbo illo, *præordinati*, intelligatur

43. *Et, Qui ex Deo est verba Dei audit.*

Et, Crediderunt quotquot erant præordinati, &c.

prædinatio diuina ad vitam æternam efficax, & absoluta, vt volunt aduersarij. Potest enim optimè intelligi præordinatio, id est, prædispositio ipsorum Antiochenorum, adiutorum Dei gratiâ. Neque est credibile quotquot ex illis tunc non crediderunt, fuisse reprobos: & quotquot crediderunt, fuisse prædestinatos: voluisséque Spiritum sanctum id Scripturâ declarare. Quanta enim desperatio non credentibus: & confidentia, securitásque negligentiæ mater, in aliis? Cùm tamen Paulus de seipso affirmet 1. Corinth. 9. ver. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Quibus verbis significat, ne sibi quidem de seipso id fide diuinâ constare.

44. Addo, quamuis verbum, *præordinati*, deberet intelligi de præordinatione Dei ad vitam æternam efficaci, & absoluta: non deberet intelligi de præordinatione efficaci facta antecedenter ad præuisionem operum; sed potiùs consequẽter. Ita vt præordinatio illa non fuerit causa cur crederent: sed contrà, fides & alia bona opera fuerint causa, cur efficaciter præordinarentur: verbísque illis, *Crediderunt quotquot erãt præordinati*, significetur potiùs consecutio præordinationis ad fidem, & conuersionem; quàm conuersionis ad præordinationem. Addo prætereà, quamuis deberẽt intelligi de prædestinatione facta antecedenter ad præuisionem absolutam operum, vel boni exitus finalis: non esset opus auxiliis antecedenter necessitantibus: sed sufficeret scientia conditionalium, cum thesauro omnipotentiæ Dei, in quo habet auxilia, quibus si dentur tali, vel tali modo, tempore, loco, & aliis circumstantiis, præscit vel obstinatissimum quemque conuerti posse, & reipsa conuersum iri, liberéque consensurum: vt rectè ait S. Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. Cetera, quæ opponunt ex Scriptura, sunt his similia, & facilè possunt iisdem modis explicari. Videri potest de illis Bellarminus lib. 6. de Gratia & libero arbitrio cap. 13.

SECTIO VI.

Euertitur præcipuum fundamentum Iansenij, sumptum ex Augustino.

45. *Eodem fundamento vtitur Caluinus.* PRÆCIPVVM fundamentum contrariæ sententiæ sumptum ex S. Augustino illud est, quod proponit fusissimè Iansenius tom. 2. libro de Gratia primi hominis cap. 14. & 15. & tom. 3. lib. 2. cap. 3. pluribúsque sequentibus, & lib. 3. cap. 1. post Caluinum in Antidoto Tridentini ad sess. 6. & lib. 5. contra Pighium pag. 204. & lib. 2. Institut. cap. 3. num. 13. Nimirum quia iuxta doctrinam Augustini (vt ipsi interpretantur) id discriminis est inter gratiam sanitatis, hoc est, datam Adamo in statu innocentiæ, & gratiam medicinalem, id est, quæ datur in statu naturæ lapsæ: quòd illa penderet à libero nutu voluntatis, saluámque relinqueret libertatem indifferentiæ, quâ homo præditus erat: Ista verò non subiacet libertati indifferentiæ, quippe quæ per peccatum amissa est: sed facit voluntatem necessariò operari, sine alia libertate, quàm spontaneitatis.

46. Augustinum autem ita sensisse probant ex libro de Correpț. & gratia capite vndecimo, vbi dicit tale fuisse primi hominis adiutorium, vt in eo maneret, si vellet: vt illud per liberum arbitrium deserere posset: vt in eius libero relinqueretur arbitrio: quod desereret cùm vellet; & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret vt vellet. *Hæc prima est gratia, quæ data est primo homini: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quâ fit vt habeat homo iustitiam si velit. Secunda ergo plus potest, quâ etiam fit vt velit, & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Et sequenti capite duo-decimo dicit adiutoria distinguenda esse. *Aliud est*, inquit, *adiutorium sine quo aliquid non fit: & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere: nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò Beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus: & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt vt homo viuat, sed tamen sine illis non potest viuere.* Tum applicans hanc distinctionem auxiliis datis naturæ sanæ, & lapsæ, subiungit immediatè pòst: *Primo itaque homini qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò Sanctis, in regnum Dei, per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur: sed tale: vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint: verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Et longè pòst in fine eiusdem capitis duo-decimi necessitatem & causam huius differentiæ inter auxilia naturæ stantis, & lapsæ exponens, sic ait: *Si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, hominibus relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet: & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellẽt, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo quamuis infirma, non deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla, in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei: cùm & voluntas primi hominis, fortis, & sana, in bono ampliore non perseuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non defuturo adiutorio Dei sine quo non posset perseuerare si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur vt vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissimè nollent.*

Ad quæ omnia respondeo D. Augustinum nihil aliud in illis locis relatis affirmare, nisi primò quòd in statu naturæ lapsæ egeant homines maiore auxilio, quàm Adam in statu innocentiæ, propter infirmitatem ex peccato contractam, & concupiscentiam trahentem ad illicita, potentérque spiritui resistentem. Hoc significant 47. *Exponuntur loca Augustini de duplici adiutorio quo & sine quo non.*

hæc eius verba initio capitis 11. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat* (iustitiæ originalis) *quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona suis meritis comparauerat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, libera nos à malo. Ille in illis bonis, Christi morte non eguit: istos à reatu, & hæreditario, & proprio, illius agni sanguis absoluit. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cùm dicunt, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum D. N. Quoniam in eis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendíque virtutem per Christi gratiam, poscunt. Ille verò nullâ tali rixâ à seipso aduersus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo Beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti.*

48. *Gratia Innocentiæ, & naturæ lapsæ quomodo diuersa?* Nimirum quia, vt fusiùs docet & ex Augustino probat Ricardus lib. 2. disp. de lib. arb. cap. 4. sect. 3. §. 2. egebant quidem in illo statu homines, & Angeli, mentis illustratione ad bonum cognoscendum, quod sincero sanctóque amore diligerent: sed non motione voluntatis, quâ accenderentur ad amorem illius boni. Cùm enim Adæ voluntas libera esset à motibus concupiscentiæ per iustitiam originalem, sufficiebat illi mentis illustratio, & cognitio boni; vt in eius amorem, siue indeliberatum, siue deliberatum ferretur, etiam per actum supernaturalem, quem ope habituum supernaturalium, iam sibi infusorum, facilè poterat elicere. Quare quòd positâ illustratione intellectus, motum complacentiæ indeliberatum, aut desiderium boni conciperet, non erat illi noua gratia, sed aliquid naturaliter consequens ex præcedente. At verò in statu naturæ lapsæ non sufficit mentis illustratio, nisi etiam voluntas cælesti motione tangatur, & à terrenorum amore concupiscentiali ad superiora trahatur, atque ad rectè volendum, & agendum prouocetur: vt docet idem August. lib. de spiritu & litera cap. 4. dicens, illustrationem mentis ad bene agendum nobis non prodesse, *vbi non adiuuat spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam.* Plura ad hanc differentiam inter vtrumque statum explicandam, & confirmandam D. Augustini testimonia adducit Petauius tom. 1. Dogmat. lib. 10. cap. 16. num. 15. & sequentibus, & cap. 18. num. 12. & tom. 3. lib. de hæresi Pelag. præcipuè cap. 10.

49. *Quo sensu Adamo relinquebatur voluntas sua?* Ex qua differentia inter vtrumque statum, & inter auxilia naturæ sanæ, & ægræ, seu lapsæ, multa alia infert Augustinus, quæ malè intellecta ab aduersario, errandi occasionem illi præbuerunt. Huiusmodi est: quòd Deus reliquerit Adamo voluntatem suam: secùs autem homini lapso: vt ait lib. de Corrept. & gratia cap. 12. *Si in tanta infirmitate vitæ huius*, inquit, *in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec in eis operaretur vt vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet:* destituta scilicet motione illa cælesti eam accendente ad perseuerandum, & corroborante; atque eo sensu sibi relicta.

Huiusmodi etiam est, quod ait lib. de dono perseuerantiæ cap. 7. *Non discedere à Deo, non esse in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuisse in homine antequam caderet:* quia scilicet tunc non indigebat præueniente motione voluntatis, sed ipsa, præuiâ illustratione intellectus, poterat cum habitibus sibi infusis adhærere Deo per amorem & obedientiam: &, si aliquando Deus non tantùm per illustrationes mentis, sed etiam per accensiones voluntatis eum iuuabat, vt affirmat D. August. libro 14. de Ciuit. capite 13. id non erat ex indigentia, & necessitate, (vt malè putat aduersarius) sed ex abundantia. Eodémque sensu accipiendum est, quod dicit auctor lib. 3. Hypognost. cap. 1. *Neminem posse per se sibi, id est per liberum arbitrium, sufficere implere quod velit, rectè dicimus, nisi protoplaston solum potuisse, cùm voluntas liberi arbitrij fuisset sana eidem ante culpam.* Per se, inquit, id est, sine tali motione præuia. 50. *Et poterat viribus liberi arbitrij non discedere à Deo.*

Huiusmodi etiam est, quod Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. opera bona facta in statu innocentiæ vocat *humana merita*, eáque dicit per Adæ præuaricationem periisse. *Humana hîc merita conticescant*, inquit, *quæ perierunt per Adam: & regnet, quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum:* nimirum quia bona illa opera fiebant viribus liberi arbitrij, positâ mentis illustratione, sine noua gratia ex parte voluntatis: ad hoc sufficiente iustitia originali, id est, naturâ sanâ, & instructâ habitibus supernaturalibus: quem statum idem S. Doctor lib. 1. de Genesi ad lit. vocat *posse naturæ*, & *naturalem possibilitatem:* vt loquitur etiam Cœlestinus Papa in epist. ad Episcopos Galliæ cap. 3. vt alibi probauimus vel ipsius aduersarij confessione, disput. 12. sect. 6. nunc autem fieri non possunt, nisi voluntas specialiter iuuetur contra concupiscentiam, & præueniatur motione cælesti complacentiæ, vel desiderij, aut alio simili affectu iuuetur. Eodémque sensu idem Augustin. lib. de Corrept. & gratia cap. 11. dicit, id, quod à Deo redditur bonis operibus, quæ nunc fiunt in statu naturæ lapsæ, esse potiùs (id est, magis) gratiam quàm mercedem: secùs autem id, quod reddebatur operibus factis in statu innocentiæ: quia scilicet maiore, & noua gratia ex parte voluntatis nunc indigent vt fiant: *Quæ*, inquit, *futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti: nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Eodem quoque sensu intelligi potest, quod alibi dicit lib. 14. de Ciuitat. cap. 26. Homines qui secernuntur à massa damnationis, non discernimeritis, sed gratiâ. Quia siue ex pura misericordia discernantur, vt infantes morientes post baptismum: siue etiam ex præuisis operibus cum gratia factis, vt adulti: tamen etiam isti discernuntur gratiâ potiùs, quàm meritis: licèt vt alibi expressè affirmat, eorum bona 51. *Et eius bona opera erant humana merita.*

opera fuerint causa discretionis ad gloriam. Nisi potiùs loquitur cap. illo 26. de meritis reipsa præexistentibus electioni, & non tantùm præsuppositis in præuisione.

52. *Differentia inter auxilium datum Adæ ad perseuerandum, & datum electis perseuerantibus.* Est & alia differentia inter auxilium datum Adæ ad perseuerandum, cum quo tamen non perseuerauit, (idémque est de Angelis cadentibus) & auxilium quod nunc datur sanctis, & electis, perseuerantibus, aut rectè agentibus: quod Augustinus exponens circa medium capitis illius 11. lib. de Corrept. & gratia, paulò post verba hucusque explicata, dicit illud dedisse tantùm posse: istud autem dare simul velle & operari, id est habere adiunctum effectum, per ipsúmque fieri vt velimus reipsa, & voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincamus.

53. Diligenter enim obseruandum est D. Augustinum ibi non agere vniuersim de auxiliis quibuscunque datis Adamo in statu innocentiæ, neque de auxiliis quibuslibet datis in statu naturæ lapsæ: sed tantùm comparare auxilium, quo Adam adiutus non perseuerauit, cum auxiliis quibuscum nunc sancti, & electi efficaciter ad regnum Dei, piè viuunt, & perseuerant. Loquitur enim consequenter ad id quod dixerat in fine capitis præcedentis de gratia, quâ pauci in comparatione pereuntium, liberantur à damnatione: quos affirmat maius auxilium gratiæ, & potentius accipere, quàm fuerit illud, cum quo Adamus potuit quidem perseuerare, sed non perseuerauit. Maius, inquam, non solùm quia eos iuuat ex parte voluntatis per indeliberatam motionem, impellentem eam ad consensum, & talem vt consensum obtineat reipsa: sed etiam per gratiam concomitantem, & per cooperationem, qua Deus consentientem iuuat ad rectè volendum, & operandum liberè. Potentius quoque ad constituendum perseuerantem, aut bene operantem; quia formaliter, adeóque infallibiliter, & insuperabiliter talem constituit; quatenus inuoluit concursum, & operationem, effectúmque ipsum perseuerandi, aut bene operandi, à quo denominatur efficax. Simili modo, quo, vt idem S. Doctor ait paulò pòst, Beatitudo est adiutorium quo fit formaliter beatus, quisquis illam accipit. Et istud vocat adiutorium *quo:* alterum vocat adiutorium *sine quo non. Tale quippe erat adiutorium*, inquit, *quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit. Secunda ergo plus potest, quæ etiam fit vt velit, & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.*

54. *Quomodo exponitur ab Augustino?* Quam differentiam clariùs exponens initio capitis sequentis, sic ait: *Ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit*, id est solùm dans posse: *& aliud est adiutorium quo aliquid fit*, id est, simul dans aut comprehendens ipsum facere. Quod explicat hac similitudine: *Nam sine alimentis non possumus viuere: nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit vt viuat, qui mori voluerit:* id est, non propterea viuimus eorum ope, nisi velimus illis vti, & reipsa vtamur, & per ipsorum conuersionem in substantiam nostram formaliter viuamus. *Ergo adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit vt viuamus* formaliter. *At verò Beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solum sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur.* Quippe quæ eo ipso, quod datur homini vel Angelo, constituit eum formaliter beatum. *Quapropter hoc adiutorium, & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus. Et si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt vt homo viuat, sed tamen sine illis non potest viuere. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret* formaliter: *sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset:* id est, dans illi sufficienter & completè posse perseuerare. *Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur:* id est, posse duntaxat: *sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur:* hoc est, actualis ipsa operatio, & cooperatio perseuerandi: *non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint: verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint:* id est, actu, & reipsa perseuerent, ac per actualem perseuerantiam constituantur formaliter perseuerantes: sicut homines, & Angeli constituuntur formaliter beati per ipsam beatitudinem ipsis collatam. Nam quemadmodum vnumquodque agens creatum constituitur formaliter operans per propriam actionem, & per Dei concursum, si est eadem actio cum actione creaturæ, vt multi volunt; vel si distinguitur, correlatiua est, símulque existens tempore & naturâ, éstque impossibile vt sit cooperatio Dei, & non sit operatio creaturæ: Sic voluntas constituitur formaliter volens, & operans, id est, exercens actu volitionem, per huiusmodi adiutorium *quo*, quatenus comprehendit ipsam operationem voluntatis consentientis, & cooperationem Dei ad consensum eliciendum.

Cùm autem addit Augustinus in fine eiusdem capitis 12. gratiam quæ nunc datur sanctis & electis efficaciter ad regnum Dei, indeclinabiliter, & insuperabiliter agere voluntatem: fierique per illam, vt non tantùm possint perseuerare illi quibus datur, sed etiam vt non nisi perseuerantes sint: intelligit hoc ita esse non ex aliquo antecedenti ex parte virtutis, & efficaciæ ipsius gratiæ, quæ tanta sit vt voluntas non possit illi resistere, si vellet; sed consequenter ad Dei præscientiam de euentu reipsa futuro, & ad præparationem eorum mediorum, quibus Deus per scientiam mediam præsciuit infallibiliter fore vt voluntas consentiret; quam scientiam mediam Deo tribui debere secundùm Augustinum, fatetur ipse Iansenius libro nono de Gratia Christi Saluatoris capite septimo aliquantò ante finem. Quamuis enim voluntas creata possit illis resistere, vt clarè docet Augustinus pluribus aliis locis suprà citatis numero vicesimo-nono, & seqq. reipsa tamen non resistet, præscitque Deus non restituram; & dat electis, & prædestinatis media, quæ videt effectum habitura. Est enim prædestinatio, iuxta eundem, libro de Bono perseuerantiæ ca- 55. *Quo sensu gratia efficax voluntatem agit indeclinabiliter*

pite decimo-quarto, *Praescientia, & praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur* à massa damnationis, *quicunque liberantur.*

56. Loquitur autem de auxiliis, quæ dantur sanctis, & electis ad regnum Dei, id est, prædestinatis efficaciter, vt antea monuimus numero 53. & ex hypothesi præscientiæ non potest id non euenire, quod præscitum est; quia non potest non esse futurum id, quod reipsa futurum est, ex hypothesi, quòd sit futurum: Dei autem præscientia supponit esse futurum: quare infallibiliter euenit: & huiusmodi auxilium agit indeclinabiliter volũtatem quò Deus vult: & inuictissimè superat quodcunque obstaculum sibi occurrens: facitque vt sancti & electi non solùm possint perseuerare, sed etiam vt non nisi perseuerantes sint.

57. *Consequenter scilicet vt exponit ipse Augustinus.* Atque ita semetipsum exponit D. August. libro de Bono perseuerantiæ capite sexto, vbi admonitus ab Hilario displicuisse Presbyteris Massiliensibus quod scripserat libro de Correptione & gratia, capite vndecimo & duo-decimo, aliisque locis, Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non solùm tale adiutorium perseuerantiæ dari, quale Adamo in statu innocentiæ: verùm etiam ipsam perseuerantiam donari: & non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint: & donum illud perseuerantiæ posse suppliciter emereri; sed cùm datum fuerit, non posse contumaciter amitti. Respondet August. hunc in modum: *Nolunt, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Vbi quid dicant, parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquimur, quâ perseueratur vsque in finem. Quæ si data est, perseueratum est vsque in finem: si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data: quod iam & superiùs satis egimus. Non itaque dicant homines perseuerantiam cuiquam datam esse vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse, cui data est, repertus fuerit vsque in finem. Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus: & si quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere, quandiucunque habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perseuerantiam verò vsque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseuerauerit vsque in finem: multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est ne fortè cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest; sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisque vsque in finem; neque hoc donum potest amittere, neque alia quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti, per quod fit vt non amittatur etiam quod posset amitti?*

58. Hæc Augustinus, clarè significans se loqui de impossibilitate consequente ex præsuppositione ipsius actualis perseuerantiæ, ex qua sola fit vt non possit amitti donum perseuerantiæ, & non possit non perseuerare quicunque perseuerat: non autem ex aliqua efficacia antecedente auxilij imponente necessitatem ad perseuerandum, & tali vt voluntas non possit illi resistere. Alioqui non satisfaceret Augustinus difficultati propositæ, neque iure affirmaret obiectores illos parum attendisse quid dicerent, & nullam habuisse causam dubitandi, vel admirandi, quòd perseuerantiæ donum amitti nequeat. Verum enim id quidem est, si perseuerantia sumatur in actu secundo, id est, vt iam posita reipsa: quia non potest non fuisse id quod fuit, ex suppositione quòd fuit: & non potest non perseuerasse, qui perseuerauit, ex suppositione quòd actu perseuerauit. At erat iusta causa dubitandi, vel admirandi, si dixisset Augustinus donum perseuerantiæ in actu primo, & prout antecedens liberum creaturæ consensum, esse tale vi sua, vt amitti non possit, atque indeclinabiliter, & ineuitabiliter faciat actu perseuerare. Quæ persuasio extingueret sollicitudinem perseuerandi, & bene agendi, in existimantibus se donum illud accepisse: in aliis contrarium credentibus pareret desperationem: vt dicebant Massilienses, & de illis refert Hilarius epist. citata.

Item, non esset verum, quod ait ibidem S. Augustinus, *Non dicant homines perseuerantiam cuiquam datam esse vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse, cui data est, repertus fuerit vsque ad finem:* & ideo solùm perseuerantiam non posse amitti, *quia non est metuendum ne fortè, cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem.* Nam verè dici posset datam esse perseuerantiam ante finem vitæ, eo ipso quòd datum esset donum illud antecedens, quod ad perseuerandum necessitaret voluntatem ita vt, eo posito, non posset non perseuerare: eodémque dono concesso, non esset metuendum, ne aliqua mala voluntas perseuerantiæ contraria & incompossibilis oriretur in homine: quippe quæ oriri non posset. 59.

Est etiam obseruandum id, quod rectè notauit Petauius tom. 3. Dogmatum Theologic. lib. 4. de Opificio sex dierum cap. 4. num. 11. iuxta phrasim D. Augustini, *posse*, aut *non posse*, frequenter significare non ipsam potestatem, sed actionem; & sumi pro eo quod reipsa futurum est. Quo sensu, *non posse resistere gratiæ*, idem est, ac voluntatem reipsa non restituram: &, *non posse non perseuerare*, idem est ac, esse reipsa perseuaturam. Eóque sensu lib. de Corrept. & gratia cap. 14. sic ait: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas volũtates non posse resistere, quò minùs faciat ipse, quod vult: quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Postcáque subiungit: *Nisi fortè, vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere:* id est, poterant quidem resistere, sed non erat futurum vt resisterent: & Deus sic eos mouebat, vt non essent restituri. Propter quod addit: *Qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem:* id est, habens in thesauro suæ omnipotentiæ media, quibus ita præueniat quamcunque voluntatem, vt liberum ab ea

60. *Posse, aut non posse sæpe dicitur pro velle aut non velle.*

consensum infallibiliter obtineat, præuideátque se obtenturum. Eodem modo loquendi Scripturam ipsam vti notauit Chrysost. hom. 67. in Ioannem; vbi explicans illa verba, *Propterea enim non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit cor eorum, &c.* dicit particulas *propterea*, &, *quia*, non significare causam, sed euentum. *Non enim, quia prædixerat Isaias, ideò illi non credebant: sed quia non erant credituri, idcirco prædixit Isaias.* Particulam verò, *non poterant*, vsurpari pro, *nolebant:* sicut alibi frequenter in Scriptura: vt Matth. 15. vers. 12. *Qui potest capere, capiat:* id est, qui volet: & Ioan. 7. vers. 7. *Non potest mundus odisse vos*, id est, non vult: *me autem odit.* Atque hoc, inquit, in communi vsu loquendi obseruari videas: vt cùm dicitur: Non possum hunc amare: vbi vehemens voluntas appellatur potestas. Item cùm dicimus: Non potest iste bonus fieri. Sic etiam Gen. 37. de fratribus Ioseph dicitur: *Non poterant ei quicquam pacificè loqui*, id est nolebant. Et Matth. 6. vers. 5. de Christo dicitur, *Non poterat ibi virtutem vllam facere*, id est, non volebat. Et Act. 4. vers. 20. Petrus, & Ioannes Apostoli de seipsis dicunt, *Non possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*, id est, nolumus propter vestram prohibitionem ab Euangelio prædicando desistere.

61. *Fortiùs dicitur interdum ex euentu.* Mitto etiam, quòd solemus dicere, fortiùs, potentiùs, efficaciùs eum suasisse, orasse, incitasse, qui reipsa effectum obtinuit; quamuis suasio, oratio, vel incitatio de se non fuerit efficacior, neque maiorē vim antecedenter habuerit. Omnino nihil habet D. Augustinus locis suprà citatis, aliísque similibus à Iansenio relatis, quod non facilè possit explicari per vsum scientiæ mediæ, & præparationem, aut exhibitionem eorum mediorum, quibus Deus præuidet fore vt voluntas reipsa consentiat. Per illa enim Deus, saluâ creaturæ libertate, assequitur infallibiliter, ineuitabiliter, insuperabiliter, atque inuictissimè, quidquid intendit efficaciter: siue intentio illa fuerit efficax antecedenter, vt multi putant de electione ad gloriam, déque bonis operibus, & aliis ad eam pertinentibus, quæ omnia volunt fuisse à Deo antecedenter præfinita: siue tantùm consequenter, vt malunt alij.

SECTIO VII.

Consectaria ex præcedentibus.

62. *Auxilium quo non est necessitans.* Ex quibus collige 1. frustra contendere Iansenium, & Caluinum, eorúmque sectatores, auxilium *quo fit*, idem esse atque auxilium necessitans antecedenter ad consensum, seu non subiacens libertatis arbitrio; eò quòd, iuxta D. Augustinum, agit infallibiliter, ineuitabiliter, insuperabiliter. Nam ad hoc sufficit infallibilitas consequens ex euentu præuiso: & de gratia data Angelis ad perseuerandum idem dici posset, quamuis auxilium illis concessum, subiectum fuerit libertati indifferentiæ, vt fatetur aduersarius lib. de Gratia primi hominis, & Angelorum, cap. 8. 14. & 15. aliísque locis. Certissimum enim est Deum perducere infallibiliter, ineuitabiliter, & insuperabiliter ad gloriam, quoscunque ad illam prædestinauit, & elegit efficaciter, siue antecedenti electione, siue consequenti duntaxat. Et generaliter de quorumcunque siue Angelorum, siue hominum prædestinatione verum est, quod ait August. lib. de Bono Perseuerantiæ cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur* (aut saluantur) *quicunque liberantur, aut saluantur.* Potest quoque de Angelis, saluâ eorum libertate indifferentiæ, non minùs verè dici Deum habere omnipotentissimam potestatem, vt eorum voluntates inclinet quocunque voluerit: sicut Augustinus dicit habere Deum, *Humanorum cordium quocunque voluerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem:* ex quo loquendi modo malè aduersarius lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris cap. 24. & 25. colligit gratiam medicinalem non permitti arbitrio nostræ voluntatis. Verissimum enim est de Angelis, & de hominibus in statu innocentiæ, æquè ac in statu naturæ lapsæ, quod generaliter affirmat idem S. Doctor in Enchirid. capite 96. non ob aliud vocari Deum omnipotentem, nisi quia quidquid vult potest; nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Et lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 9. dicit potuisse Deum sine dubio impedire ne Adam, & Eua peccarent, & *ipsorum voluntatem in bonum conuertere, quia omnipotens est. Sed non fecit, quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est.* Et libro 14. de Ciuit. cap. 27. *Quis audeat credere*, inquit, *aut dicere, vt neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse?* Nimirum quia, vt ait lib. de Corrept. & gratia capite 14. quo loco etiam aduersarius abutitur, *Deo volenti saluum facere, nullum hominis*, neque Angeli, *resistit arbitrium;* Habet enim media in thesauris suæ omnipotentiæ, quibus possit, vel obstinatissimas voluntates Angelorum, æquè ac hominum, flectere quò vult, salua eorum libertate, quæque præuidet esse infallibiliter habitura effectum, & consensum liberum impetratura in his, aut illis circumstantiis, si adhibere illa velit: vt de Pharaone, & similibus affirmat idem Augustinus libro 1. ad Simplicianum quæst. 2.

Contrariū malè colligitur ex Augustino, eò quòd operetur infallibiliter.

63. *Quòd que donet ipsum bonum opus.* Collige 2. Frustra quoque conari aduersarium, idem quod suprà, colligere lib. 2. de Gratia Christi cap. 6. 9. & 14. ex eo quòd auxilium *quo* (quale esse putat omnem, & solam gratiam medicinalem, id est, quæ datur in hoc statu naturæ lapsæ) donat ipsum opus, & meritum; secus ac gratia sanitatis: vt probat ex Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 11. & lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. non quòd, inquit, tunc merita, & opera bona fierent sine auxilio gratiæ: sed quia gratia status innocentiæ relinqueret meritum, & bonum opus, libero voluntatis arbitrio, vt illud ipsa sibi daret cooperans cum gratia, vel abiiceret, nutum suum, & concursum cohibens. Frustra, inquam, inde colligit aduersarius, gratiam medicinalem necessitate voluntatem ad consensum. Nam alioqui deberet idem affirmare de gratia sanitatis data Angelis, & hominibus in statu innocentiæ: de qua similiter affirmat Augustinus dedisse ipsum opus, & meritum: id est dedisse non tantùm posse, sed etiam velle, & bene operari: vt de Angelis patet ex lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi sic ait: *Si boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eámque in seipsis*

Deo non operante fecerunt: ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat, (neque enim ab ea quam nondum cœperant habere, defecerant) certè nondum tales, nondum tam boni, quàm esse cum bona voluntate cœperant. Aut si non potuerunt seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris habere non possent. Et cùm id egit eorum voluntas bona, ut non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summè est, converterentur, eique adhærentes magis essent, eiúsque participatione, sapienter beatéque viuerent: quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram; nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando auidiorem. Nusquam certè magis perspicuè dixit Augustinus, auxilium datum naturæ lapsæ facere vt non tantùm possimus, sed etiam velimus, & operemur; quàm modò id affirmauit de auxilio dato Angelis.

64. De gratia verò sanitatis Adamo præstitâ in statu innocentiæ non minùs clarè id affirmat libro 8. de Genesi ad lit. cap. 10. & 12. vbi postquam dixit Deum posuisse hominem, quem fecerat, in paradiso, operari eum vt iustus esset; probat oportuisse Deum in eo id operari, quia ipsius sumus figmentum non tantùm ad hoc vt homines simus, sed ad hoc etiam vt boni simus. Nam & Apostolus, cùm fidelibus ab impietate conuersis gratiam, quâ salui facti sumus, commẽdaret. Gratia enim, inquit, salui facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, ne fortè quis extollatur. Et alibi, cùm dixisset: cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; ne sibi putarent tribuendum, tanquam ipsi se facerent bonos, & iustos, continuò subiecit: Deus enim est, qui operatur in vobis. Sumpsit ergo Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum, hoc est, operari in eo. Hucusque D. Augustinus, clarissimè affirmans Deum in Adamo innocente operatum esse, æquè ac in nobis, per auxilium gratiæ, quidquid bene operatus est; & operaturum fuisse quæcunque in eo statu perseuerans bene operatus esset. Quo autem sensu merita status innocentiæ vocet *humana*; & quod illi respondet, *mercedem*; nunc verò vtrumque *gratiam* appellet; diximus suprà numero 51.

65. *Ant. quòd det ipsam perseuerantiam.* Collige 3. Frustra quoque idem probare conari aduersarium cap. 7. lib. citati, ex eo quòd gratia medicinalis dicitur à D. Augustino dare perseuerantiam; gratiam verò sanitatis, dare tantùm posse perseuerare, libro de Corrept. & gratia cap. 11. & lib. de Bono perseuerantiæ cap. 7. Enimuerò, quòd etiam iuxta rei veritatem, & doctrinam D. Augustini, gratia sanitatis dederit Angelis stare, & perseuerare, manifestè liquet ex eo quod scripsit concione secunda in Psal. 32. vbi quod ait Vates regius, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, exponit allegoricè de Angelis, in hunc modum: *Non à se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: spiritu enim oris eius non pars, sed omnis virtus eorum.* Et inde transiens ad Apostolos, quos etiam per cælos allegoricè intelligit, dicit simili modo fuisse Verbo Domini firmatos, & solidatos. Tribuit ergo gratiæ sanitatis quod per eam steterint Angeli, sicut gratiæ medicinali idem tribuit, respectu Apostolorum.

Et lib. 12. de Ciuit. cap. 9. idem clarè docet, ita loquens de bonis, & malis Angelis: *Istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent peruenerunt.* Itaque quòd ad Beatitudinem illam peruenerint, aliis cadentibus, fuit ex speciali Dei auxilio, quo meliùs adiuti steterunt, aliis cadentibus, & perseuerarunt. Quare si rectè colligeretur gratiam medicinalem necessitare voluntatem, ex eo, quòd det stare, & perseuerare: idem esset colligendum de gratia Angelorum. 66.

67. *Refellitur inepta euasio.* Ineptum verò est, & à mente D. Augustini prorsus alienum, quod ait Iansenius lib. de gratia primi hominis cap. 8. Verba Augustini proximè relata, nihil ad propositum pertinere, quia loquuntur de adiutorio, quod per ipsam æternam felicitatem Angelis datum fuit; non de illo quod eos perseuerare faceret, & ad illam Beatitudinis plenitudinem peruenire. Nam vt alibi diximus, Augustinus disertè affirmat Angelos bonos, *ampliùs adiutos ad illam Beatitudinis plenitudinem peruenisse.* Ergo loquitur de auxilio quo adiuti peruenerunt: non autem de accepto postquam peruenerunt. Quapropter Esthius (quem velut egregium Scriptorem non semel commendat Iansenius) in 1. sentent. dist. 41. §. 13. hanc euasionem à nescio quo alio priùs excogitatam, meritò velut absonam, ineptámque contemnit, & reiicit his verbis: *Si hoc adiutorium, quo beati Angeli dicuntur ampliùs adiuti, esset ipsa Beatitudo, sensus redderetur ineptus; scilicet Angelis collatam esse Beatitudinem, quâ ad Beatitudinem peruenirent.* Additque, ex præcedentibus, & consequentibus toto illo capite constare, Augustinum ibi loqui de causa efficiente bonæ, melioris, & perseuerantis voluntatis in rationali creatura, maximè in Angelis; quam dicit esse Deum ampliùs iuuantem, per gratiam scilicet præuenientem, & congruam, id est, præuisam habituram effectum: & per gratiam concomitantem, vel actualem concursum. Atque ex his omnibus patet euidenter vana esse, quæ ille dicit cap. 4. & quatuor sequentibus de discrimine inter gratiam sanitatis, & medicinalem, & diuersis vtriusque effectibus: nunc ad alia eius argumenta refellenda progrediendum est.

SECTIO VIII.

Soluitur alterum argumentum Iansenij, sumptum ex conflictu Diui Augustini cum Pelagianis.

68. *Proponitur argumentum Iansenij.* ALTERVM argumentum, & quidem efficacissimum, vt aduersario videtur, sumitur ex concertatione D. Augustini cum Pelagianis de auxiliis gratiæ; quæ duplex fuit, vt af-

firmat aduersarius lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris cap. 9. Vna scilicet, quod aut quale esset adiutorium Christi: hoc enim Pelagius asserebat esse legem atque doctrinam sapientiæ, scientiæque reuelationem, peccati remissionem, Christi exemplum, atque alia huiusmodi: Augustinus è contrario esse occultam subministrationem Spiritus sancti. Altera, quis esset adiuuandi modus gratiæ medicinalis: vtrum tantummodo *possibilitatem*, hoc est, potentiam, seu potestatem bene viuendi adiuuaret: an verò etiam *voluntatem*, hoc est, volitionem, & actionem. Inter quæ duo adiutoria, quantum ad operandi modum, illa est differentia, inquit ibidem Iansenius, quòd adiutorium possibilitatis afferat plenam operandi potestatem, in qua natura eius absoluitur: concursus verò ipsius ad volendum, aut operandum, aut neglectus eius, à voluntatis nutu pendeat. Adiutorium autem voluntatis, id est volitionis & actionis, non tantùm adiuuat possibilitatem voluntatis, hoc est, non tantùm complet potestatem eius, vt operetur illo adiuuante si velit; sed donat vt reipsa velit. Atque hac de re fuisse controuersiam cum Pelagianis probat præcipuè ex lib. de gratia Christi capite 25. vbi Augustinus de Pelagio sic loquitur: *Quomodo dicit liberi arbitrij elatus assertor, Quòd possumus bene cogitare, Dei est: quòd autem bene cogitamus, nostrum est. Cui respondet humilis gratiæ prædicator: non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait posse cogitare, sed cogitare.* Volebat scilicet Pelagius qualecunque esset bene volendi, viuendíque adiutorium, hoc non nisi possibilitatem, hoc est potestatem faciendi adiuuare, ita videlicet vt in potentissimo libertatis arbitrio vsus vel non vsus, & possibilitatis, & adiutorij remaneret. Dicerêque solebat bene velle & nolle, loqui & non loqui, cogitare, & non cogitare nostrum esse, quia *ex arbitrij fonte descendunt, & hæc omnia vertere etiam in malum possumus:* tametsi non negaret qualecunque Dei adiutorium simul influere cum voluntate. Quo non obstante volitio, & actio non ipsi gratiæ, sed voluntati tribuenda est, quando vsus gratiæ pendet à libertate. Sicut enim vsus cuiuslibet facultatis, siue oculi, externorúmque sensuum, siue facultatis progressiuæ, siue intellectus, siue voluntatis, noster est, hoc est, ad nostræ libertatis indifferentem flexum, & nutum referri debet, non ad Deum, quatenus solam facultatem dedit: ita quoque cuiuslibet adiutorij concursus, siue naturalis, siue gratuiti, qualecunque, & quantumcunque illud sit, similiter noster est, & nobis tribui debet; si videlicet sic solam possibilitatem adiuuet, vt eius vsus, aut non vsus in libero relinquatur arbitrio. Quam ob causam eodem cap. 25. de Pelagio sic loquitur: *Desinat dicere, Quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare; illius est, qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus; nostrum est.* Propter arbitrium videlicet voluntatis, cui tribuitur quòd possibilitas diuinitus adiuta velit, & faciat. *Desinat*, inquam, *ista dicere. Non solùm enim Deus posse nostrum donauit atque adiuuat, sed etiam velle, & operari operatur in nobis.* Et capite 4. eiusdem libri dicit Pelagium ita sentientem, non iustitiam Dei, sed suam velle constituere. *Videtis autem*, ait, *quòd qui sentiunt, ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere; & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis.* Et cap. 47. eiusdem libri idem confirmans, simúlque sententiam Pelagij, & statum controuersiæ disertè explicans, sic ait: *Quapropter quantum*, inquit, *attinet ad istam de diuina gratia, & adiutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinxit, attendite: posse, velle, esse; id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionẽ, id est, vt bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: si, vt dixi consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus; eámque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos suâ, non nostrâ iustitiâ iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquet.*

Hæc Iansenius, inde concludens Theologos recentiores, qui auxilium gratiæ tale esse voluut, vt relinquat voluntati libertatem indifferentiæ, (à quorum numero excipit assertores physicæ prædeterminationis, dicens se de illis non loqui) non recedere hac in parte à secundo dogmate Pelagij, quod tanquam errorem Apostolicâ proscriptum animaduersione Augustinus damnauit. 69.

Sed vt ab hoc postremò incipiam: fraudulenter omnino, & malâ fide tribuit solis recentioribus Theologis, quòd tale velint esse auxilium gratiæ: cùm sole clarius sit eandem fuisse sententiam veterum omnium Theologorum: vt de D. Thoma relatis pluribus illius testimoniis ostendimus num. 33. quibus adde luculentissimum istud ex 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd gratia noui Testamenti, etiamsi adiuuet hominem ad non peccandum; non tamen ita confirmat in bono, vt peccare non possit: hoc enim pertinet ad statum gloriæ. Et ideò si quis post acceptam gratiam noui Testamenti peccauerit, maiori pœnâ dignus est, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non vtens. Nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex noua iram operatur: quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Et D. Bonauentura in 1. distinct. 47. art. 1. q. 1. loquens de pereuntibus: *Deus*, inquit, *paratus est iuuare: ita quòd salus non deficit propter defectum ex parte Dei:* sed nimirum, quia sufficienti eius auxilio ipsi defuerunt: iuxta illud Oseæ 13. vers. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Et vtroque antiquior Albertus Magn. 1. p. q. 63. art. 2. *Licèt prædestinatio*, inquit, *præparet isti gratiam, & gloriam: tamen quia iste liberi arbitrij erit, & potest ponere obstaculum Spiritui Sancto, & operationi diuinæ; potest impedire ne conferatur ei gratia* (sanctificans) *& gloria.* Quod non posset, si operatio Spiritus Sancti, id est, gratia præueniens, & adiuuans, illum necessitaret ad consensum. Similia dicit Halensis 2. p. q. 19. memb. 2. ad 4. Et Scotus in 1. dist. 46. q. vnica ad 1. argument. loquens de generali Dei voluntate saluandi homines, etiam illos qui non saluantur reipsa, sic ait: *Deus vult omnes homines saluare, quantum est ex parte sui, voluntate sua antecedente, pro quanto dedit dona* 70. *Veteres Theologi docent gratiam non necessitare.*

naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia sufficientia ad salutem, &c: Ita dico: in proposito quòd, etsi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad istum saluandum, id est efficacem, *tamen vult isti illa adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene viuere, & saluari*, quamuis non vtatur, & pereat. Similia habet Capreol. ad eandem distinct. art. 2. conclus. 4. & Ricardus in 2. dist. 28. art. 1. q. 3. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quòd ideo non obseruantes mandata Dei rei peccati tenentur: quia cum diuino adiutorio possent, si vellent, se ad gratiam gratum facientem disponere*. Habent igitur auxilium, quo id possint, sed sufficiens tantùm, id est, frustratum suo effectu per ipsorum malitiam, aut negligentiam, quinetiam hanc sententiam non à Theologis solùm, sed etiam vnanimiter à sanctis Patribus, ipsisque Conciliis, & sacris literis apertissimè traditam esse, liquet ex dictis sect. 3. & 4. num. 17. & sequentibus. Sed Iansenius hac in parte Caluinum imitari voluit, qui cùm fidem totius Ecclesiæ, sanctorúmque Patrum doctrinam impugnat, fingit rem sibi tantùm esse cum recentibus Theologis, quos sophistas Sorbonicos, & ætatis nostræ Pelagianos frequenter appellat.

71. *Contrariā damnatur etiam à Thomistis vt hæreticum.* Secundò malè meretur Iansenius de assertoribus physicæ prædeterminationis, cùm illos excipit è numero Theologorum affirmantium gratiam auxiliantem relinquere voluntati vsum libertatis indifferentiæ. Hanc enim exceptionem illi tanquam sibi valde iniuriosam auersantur, & sententiam de gratia necessitante velut hæreticam, & Caluinisticam abominari se profitentur: vt videre est apud Didacum Aluares disp. 3. de auxiliis num. 18. vbi sic habet: *Septima hæresis Lutheranorum affirmat gratiam Dei ita esse efficacem ex seipsa, vt nostra voluntas eidem non cooperetur liberè; sed solùm spontaneè, vltro, & non coactè. Ita Caluinus, &c.* Et disp. 98. num. 10. *Errauit Caluinus*, inquit, *quoniam ita Deum sua gratia efficaci nobis ipsam fidem donare sensit, vt nostra voluntas non cooperetur liberè Deo mouenti, sed solùm motu spontaneo, & non coacto.* Et similiter alij eiusdem sententiæ assertores conantur sartam tectámque seruare libertatem indifferentiæ in consentiendo, & cooperando auxiliis gratiæ; & oppositam illi necessitatem antecedentem veluti Caluinisticam, & Lutheranam abhorrere se dicunt.

72. *Cōtrouersia cum Pelagio, non fuit de gratia necessitante.* Tertiò, fallitur Iansenius, aut fallere meditatur, quando affirmat controuersiam inter Augustinum, & Pelagium, tandem fuisse, non solùm de necessitate gratiæ, hoc est, vtrum gratia necessaria sit ad iuuandum intellectum, vt sciat, & voluntatem vt velit agere quod bonum est: verùm etiam de gratia necessitante, hoc est, de modo agendi tali, vt gratia non pendeat quoad vsum à libero voluntatis arbitrio, sed ipsam ad agendum determinet atque necessitet. Nam vt fusè probauimus alibi, ex illis etiam locis quibus abutitur Iansenius, aliísque pluribus Augustini testimoniis, controuersia nunquam illi fuit cum Pelagianis de gratia necessitante, siue vtrum tanta esset efficacia gratiæ, vt voluntatem necessariò traheret ad consensum: sed de necessitate gratiæ ad bene volendum & agendum, hoc est vtrum præter naturalem possibilitatem necessaria esset gratia, non solùm ad intelligendum

Vide disp. 7. sect. 6.

quid faciendum, aut cauendum sit, quæ est gratia intellectus, seu legis ac doctrinæ; verùm etiam ad rectè volendum, & agendum, peccatúmque vitandum, quæ est gratia voluntatis, ipsam immediatè adiuuans. Et errorem Pelagij in eo primùm fuisse, quòd omnem gratiam propriè dictam negaret. Secundò, quòd increpitus à Catholicis admiserit gratiam legis & doctrinæ, siue externæ, siue etiam interiùs inspiratæ, non quasi necessariam, sed vt faciliùs fiat quod naturalis possibilitas per se solam præstare posset. Tertiò, quòd gratiam voluntatis, & actionis, id est, immediatè iuuantem ad volendum, & agendum constanter ab initio vsque ad finem reiecerit, velut contrariam libertati, quam talem ac tantam esse volebat, vt ad seruanda Dei mandata sibi sufficeret. Hoc ita esse patet ex iis omnibus quæ retulimus tract. 1. disput. 7. tota sect. 6. sufficiet in præsenti proferre testimonium sumptum ex lib. de hæresibus, quem Augustinus sub finem vitæ scripsit, vbi breuiter, & perspicuè confirmat id quod diximus: sic enim ait hæresi 88. *Pelagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio Monacho exorta; &c. Hi Dei gratiæ, quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum &c. in tantum inimici sunt, vt sine hac posse hominem credant facere omnia diuina mandata.* Et paulò pòst: *Denique Pelagius à fratribus increpitus, quod nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, vt non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret; dicens, ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Dicendo vtique vt faciliùs possint, voluit credi, etiamsi difficiliùs, tamen posse homines sine gratia diuina facere iussa diuina. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura; ad hoc tantùm existimantes ipsum adiuuantem per suam legem atque doctrinam, vt discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus: Non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, vt quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur. Caritatem autem dari negant, quâ piè viuitur: vt scilicet cùm sit Dei donum, scientia quæ sine caritate inflat; non sit Dei donum ipsa caritas, quæ vt scientia non inflet, ædificat.*

Quare falsum est, quod ait Iansenius, per adiutorium possibilitatis, quod admittebat Pelagius, intellexisse quamcunque gratiam, siue intellectus, siue ipsius voluntatis, quâ immediatè iuuetur, vt bene velle & agere possit, reipsáque bene velit & agat, sed ita vt voluntas liberè concurrat, possitque dissentire si velit. Nam ex relatis testimoniis constat, nunquam Pelagium admisisse auxilium voluntatis, quo volitio & actio diuinitus sic adiuuatur, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus: & sicubi videtur dubitare Augustinus, quam aut qualem gratiam admiserit Pelagius, & vbi eam constituerit: alibi tamen, & præcipuè in libris quos postremò scripsit, perspicuè, & sine vlla dubitatione affirmat eum non aliam gratiam admisisse, quàm remissionem peccatorum, & legem ac doctrinam, quò pertinent exemplum Chri- 73. *Quid intelligeret per adiutorium possibilitatis.*

Lib. de gratia Christi cap. 10.

sti, & alia quæ Pelagius verbis magnificis ambiguè de gratia prædicabat. Cúmque voluntatem nostram *sapientiæ reuelatione, præmiorúmque pollicitatione succendi, & in Dei desiderium* suscitari dicebat; id non aliter fieri intelligebat, quàm remotè per gratiam illuminationis seu doctrinæ, vt testatur D. Augustinus eo ipso loco, quo abutitur Iansenius, quémve nos referemus paulò pòst. Nihilque aliud ad componendam controuersiam ab eo postulat Augustinus, nisi vt admittat gratiam à lege, & doctrinâ distinctam, quâ iuuetur voluntas saluâ libertatis indifferentiâ, de qua cum ipso non contendit, vt videre est lib. de Gratia Christi cap. 47. aliisque locis infrà referendis.

74. *Bonum opus tribuitur gratiæ, licèt non necessitanti.* Falsum pariter est eos, qui volunt adiutorium voluntatis permittere vsum libertatis indifferentiæ, non iustitiam Dei, sed suam constituere: neque bonam voluntatem, & operationem Deo, sed sibi tribuere: quia operatio illi tantùm causæ tribui debet, à qua liberè fit; non autem auxiliis, aut concausis quarum influxus pendet à libero eius arbitrio, & determinatione. Enimuerò quis nesciat ea quæ liberè à nobis fiunt, tribui etiam (& quidem interdum magis, & principaliùs) suadentibus, consulentibus, præcipientibus, quamuis non physicè necessitantibus ad volendum, & operandum? Quis etiam nesciat actus bonos, aut malos tribui plerumque habitibus intensis, quibus ad illos potenter inclinamur? tametsi pendent quoad vsum à nostra libertate: illis enim vtimur cùm volumus. Gratia autem non iuuat solùm voluntatem, complendo potentiam ad bene volendum & agendum; sed etiam ad hoc inclinat, & mouet ac potenter inducit. Neque verò Iansenius dicere potest, iuxta suam sententiam, nos habitibus bonis, aut malis vti cùm volumus: si ad bene operandum, & sequendam inclinationem bonorum habituum necessitamur per gratiam medicinalem, vt ipse vult: ad malè autem volendum, & agendum, necessitamur pondere concupiscentiæ, absente gratiâ medicinali: atque ita neutrum facimus liberâ nostrâ determinatione, seu quia volumus.

75. *Impostura de quadruplici statu hæresis Pelag.* Neque minùs à veritate alienum est, quod dicunt aliqui recentiores physicæ prædeterminationis assertores, hæresim Pelagij quadruplicem habuisse statum. Et in primo, negâsse omne auxilium supernaturale, & omnem interiorem gratiam supernaturalis ordinis; tam sufficientem, quæ tribuit posse; quàm efficacem, quæ tribuit infallibiliter piè operari: & affirmasse ad omnia mandata implenda, atque ad æternam salutem promerendam, & consequendam, sufficere vires naturales arbitrij. In secundo statu admisisse adiutorium gratiæ Dei hominibus conferri ad eius mandata facienda: asserendo tamen hoc adiutorium in lege, & doctrina exteriori, aut etiam in Christi exemplo esse constitutum: & solummodo esse necessarium, vt faciliùs impleret homo per gratiam, quod simpliciter poterat per naturam. In tertio statu Pelagium post longas disputationes cum sancto Augustino, & aliis Patribus, tandem admisisse gratiam interiorem ad posse: videlicet internam illuminationem intellectus, & internam excitationem stupentis voluntatis: semper tamen negâsse gratiam, quâ Deus efficeret vt velimus: sempérque in eo permansisse errore, vt crederet illam gratiam interiorem quam admisit ad posse, non esse simpliciter necessariam: sed solùm vt faciliùs per eam posset homo diuina implere mandata. Quartum denique statum hæresis Pelagianæ fuisse, quem habuit sub Celestio qui admisit gratiam illam internam, quam ad posse concessit in tertio statu Pelagius, esse simpliciter necessariam non quidem ad incipiendum, sed ad perficiendum virtutum opera. In quo errorem Pelagius vtcunque moderatus est: quia tamen ad incipiendum nullam interiorem gratiam necessariam esse voluit, à dogmate Pelagij non recessit, asserentis gratiam secundùm merita nostra dari.

Duos priores status probant ex verbis Augustini suprà relatis, ex libro de hæresibus, hæresi 88. déque illis non est controuersia. Tertium verò statum probant ex variis testimoniis Augustini lib. de Gratia Christi, & peccato originali, præcipuè ex lib. 1. cap. 5. 11. 14. 25. & 47. verbis relatis à Didaco Aluare disp. 1. de auxiliis nu. 8. Sed illa nihil tale dicunt; & plus habent apparentiæ, quæ alij proferunt ex cap. 7. eiusdem libri, vbi D. Augustinus refert hæc Pelagij verba: *Adiuuat enim nos Deus per doctrinam, & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Et c. 10. Pelagium ita loquentem inducit: *Operatur in nobis (Deus) velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium, tantum præsentia diligentes, futura gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.* Et cap. 24. ita concludit Augustinus contra Pelagium, & Celestium: *Legant ergo, & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* 76

Verùm hæc loca, & alia multa, quæ proferunt illis similia, non aliud probant ad summum, nisi Pelagium admisisse gratiam internam, operantè in nobis veras reuelationes: vt magis indicant quæ addit paulò pòst, cap. 26. *Cogitationem, inquit, & electionem, sicuti sunt discernenda, discernat: quia scientia inflat, caritas ædificat. Et cùm sit vtrumque donum Dei, sed vnum minus, alterum maius: non sic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum quod minus est, diuino tribuat adiutorio: quod autem maius est, humano vsurpet arbitrio.* Fateor itaque propter hunc, & alia loca ex eodem libro suprà relata, Pelagium admisisse Deum iuuare nos per gratiam internæ reuelationis, quam nomine doctrinæ comprehendebat: sed dico, semper, & constanter eum negâsse aliud auxilium internum ad voluntatem pertinens, quo Deus eam moueat ad bene operandum: vt patet ex locis disp. 7. sect. 4. relatis, & ex libro de hæresibus, hæresi 88. vbi exactè, & ex professo referens errorem Pelagij, non aliam ab illo gratiam admissam esse dicit, quàm liberum arbitrium, legem, & doctrinam. 77. *Quam gratiam admiserit.*

78. Neque respondeant aduersarij, hæresim Pelagij eo tempore, quo D. Augustinus scripsit librum de hæresibus, fuisse adhuc in secundo statu; ideóque Augustinum hunc solum de illo referre: postea verò ad tertium processisse, vt patet ex libris Augustini de Gratia Christi, & peccat. orig. vbi Pelagium reprehendit, quòd gratiam quidem internam admitteret, sed non vt necessariam ad bene operandum: neque vt efficacem, quâ scilicet Deus faciat nos facere, hoc est, vt ipsi exponunt, physicè prædeterminet.

79. Primò enim, falluntur si putant librum D. Augustini de hæresibus fuisse scriptum ante libros de Gratia Christi. Nam ex epistola ipsius Augustini eidem libro proximè præfixa initio tomi sexti, constat librum de hæresibus scriptum fuisse post libros Retractationum, cuius in illis nullam mentionem facit. Constat etiam libros de gratia Christi fuisse scriptos ante libros Retractationum, quippe quorum in illis iam antea à se scriptorum expressè meminit. Ergo liber de hæresibus non fuit scriptus ante libros de gratia Christi. Et verò vt rectè notarunt Doctores Louanienses in Censura eiusdem libri, initio tomi sexti, ille vel postremus fuit ab Augustino scriptus, (Nam Isidorus in libro de viris illustribus capite nono, dicit Augustinum morte præuentum non potuisse illum perficere) vel saltem fuit inter postremos: vnde illius non meminit in libris Retractationum.

80. *Nunquam admisit gratiam voluntatis.* Secundò, D. Augustinus in illis ipsis libris de Gratia Christi manifestè docet, etiam tunc Pelagium per gratiam distinctam à libero arbitrio, non aliud intellexisse, quàm legem & doctrinam: licèt ad errorem suum tegendum, & condemnationem Catholicorum vitandam, diuersis verbis illam exprimeret, & magnificè extolleret. Verba D. Augustini lib. de Gratia Christi cap. 9. hæc sunt: *Quid enim iuuat Pelagium, quia diuersis verbis eandem rem dicit, vt non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, quâ possibilitatem naturæ asserit adiuuari.* Et cap. 41. affirmat Pelagium, quidquid dicat de gratia adiuuante ad bene operandum, vel ad malum vitandum: ita semper ambiguè loqui, vt discipulis exponere possit nullum se auxilium gratiæ admittere, quo naturæ possibilitas adiuuetur, nisi in lege atque doctrina. *Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, vbi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, & actionem* (id est, liberum arbitrium, volitionem, & operationem, vt exponit idem sanctus Doctor paulò inferiùs cap. 47.) *& solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio: voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio existimat indigere. Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam à Sancto Spiritu reuelari* (per internum illud auxilium intellectus) *propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ, etiam propheticis fuisse temporibus; adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi arbitratur esse exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica prædicatur: vt videlicet tanquam viâ demonstratâ, quâ ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis ne deficiamus in via. Quamuis & ipsam viam contendat etiam solâ inueniri posse naturâ; sed faciliùs, si adiuuet gratia.* Hæc Augustinus. Ex quibus perspicuè apparet, eo tempore quo scribebat libros de Gratia Christi, Pelagium adhuc in illo errore fuisse, vt gratiam naturæ superadditam ad iuuandum liberum arbitrium, in sola lege, & doctrina constitueret.

Alia quæ proferunt ex libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum capite 8. & libro 4. contra Iulianum capite tertio, ad probandum quartum statum supradictum hæresis Pelagij, nihil tale probant; vt loca ipsa consulenti manifestum erit: sed ad summum significant Celestium, Iulianum, & similes Pelagij discipulos, forsan deflexisse ad errorem Semipelagianorum, aientium gratiæ auxilium, qualecunque admittebant cum Pelagio, necessarium esse, non ad incipiendum, sed ad perficiendum. Concludo itaque, errorem Pelagij circa necessitatem gratiæ non fuisse circa efficaciam gratiæ, sed in tribus supradictis positum fuisse: quòd scilicet existimaret nullam gratiam præter liberum arbitrium, necessariam esse ad bene operandum sicut oportet ad salutem consequendam: quódque præter liberum arbitrium nullam gratiam agnosceret, nisi legem, & doctrinam, comprehendendo hoc nomine exempla Christi, & internam illuminationem intellectus, cuius ope faciliùs, & meliùs doctrina externa perciperetur: nullum autem in voluntate admitteret internum auxilium Spiritus sancti, ad consentiendum illi doctrinæ, & ad bene operandum. Et denique quòd gratiam illam diceret, non esse necessariam simpliciter ad bene operandum; sed tantùm ad faciliùs. 81.

SECTIO IX.

Soluitur aliud argumentum sumptum ex iis, quæ Pelagiani obiiciebant contra adiutorium voluntatis, & actionis.

QVARTVM argumentum, & quidem grauissimum vt putat aduersarius, sumitur ex errore quo Pelagiani aiutorium voluntatis, & actionis auersati sunt. Nam, inquit, cùm nulli alij siue Catholici, siue hæretici, vel etiam gentiles philosophi, potentiores vires aduersus omnes extrinsecus irruentes, vel intrinsecus insurgentes animo motus, arbitrio libertatis tribuerint, quàm Pelagiani: adeò vt non solùm bonos, & indeliberatos animi motus, quales Theologi volunt esse gratias præuenientes; sed etiam omnes vehementissimas animi perturbationes sola voluntatis libertate frænari, imò extingui posse profiterentur; & illorum celebre dogma esset, *Sufficere hominem ingenitis sibi motibus dare leges:* doctrinam tamen Augustini, quâ non tantùm possibilitatis adiutorium, sed etiam voluntatis, & actionis tuebatur, indignissimè tulerunt, exploserintque velut intolerabilem: eò quòd siue daretur, siue negaretur, certissimum putarent introduci libertatis excidium, coactionem afferri, necessitatem 82. *Proponitur argumentũ verbis Ianseni cap. 11.*

tatémque voluntati, fatum condi, ignauâ bene faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari, & præmio: atqui supra modum ineptum est, & ridiculum existimare homines, Augustino teste subtilissimos, qui nullis motibus in arbitrium voluntatis irruentibus terrebantur, tot criminationibus adiutorium lacerâsse, quod ab initio vsque in finem semper exactissimè liberæ voluntati subditur, eiúsque nutu in influendo secum, vel non influendo regitur, & coërcetur. Ergo non loquebatur Augustinus de tali auxilio, & verò, si tale censuisset esse adiutorium voluntatis, & actionis, de quo cum Pelagianis contendebat: quis credat tantum Ecclesiæ Doctorem Angelicâ suâ subtilitate tam obuiam ac triuialem gratiæ cum libertate concordiam non penetrâsse: vel pietatem eius Pelagianis eam declarare noluisse? cùm facilè posset vnicâ sententiolâ, quòd adiutorium Christi in libero relinqueretur voluntatis arbitrio, totius laboriosissimæ controuersiæ filum præcidere: neque deessent illi verba, quibus id clarè explicaret: vt patet ex eo quòd loquens de gratia sanitatis, siue de actuali primi hominis adiutorio, talem eius cum libera voluntate concordiam, & sub eius nutu subiectioné tanta verborum vbertate, sententiarúmque claritate manifestauit; vt Theologi Neoterici phrases ipsius ad exprimendos suos conceptus arripere cogantur, iisdémq; verbis indifferentiam voluntatis sub gratiæ concursu explicate. Vt cùm ait, tale fuisse istud adiutorium, vt hoc Deus in hominis primi libero relinqueret arbitrio: vt illud per liberum arbitriũ deserere posset: quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet: cum quo perseuerâte, & non perseuerare in eius libero relinqueretur arbitrio: per quod homini relinqueretur voluntas sua, vt in illo adiutorio maneret si vellet: vt ei dimitteret ac permitteret facere quod vellet. Cur ergo nihil tale dixit de adiutorio medicinali voluntatis, & actionis, vt difficultatem, & querimoniam Pelagianorum radicitus tolleret? Nimirum, quia non existimauit istud quoque subesse quoad vsum, aut non vsum arbitrio voluntatis.

83. *Cur Pelagiani putarent gratiã repugnare libertati?* Sed huic argumento iam antea respondimus disp. 7. sect. 7. num 71. & sect. 9. num. 91. & seqq. vbi diximus 1. causam cur Pelagiani abhorruerint adiutorium voluntatis, & actionis, quod cum Ecclesia Catholica docebat Augustinus, fuisse, quia credebant vires naturales liberi arbitrij tales & tantas esse, vt sufficiant ad volendum bonum, & cauendum peccatum: ac voluntatem non esse liberam, nisi per se vtrumque possit: proindéque libertatem voluntatis destruere circa bonum & malum, quicunque dicunt eam non posse velle bonum, neque vitare peccatum sine auxilio gratiæ: quemadmodum patet ex testimoniis Augustini, & Hieronymi ibidem relatis num. 64. Testatur enim D. August. epist. 106. ad Paulin. & lib. de Gestis Pelag. c. 13. dogma eorum fuisse, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Hieronymus verò in epist. ad Ctesiphontem, Pelagianum ita loquentem inducit: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget:* & lib. 2. Dialogi contra Pelag. sic eundem interrogantem refert: *Quomodo seruas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse, nisi semper Deus adiuuerit?* Eodémque sensu asserebant *Sufficere hominem ingenitis sibi motibus leges dare.* Ideo verò putabant per auxilium gratiæ, quod prædicabat Augustinus, coactionem afferri, necessitatémque voluntati, fatum condi, ignauâ bene faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari & præmio: quia S. ille Doctor loquens de auxilio efficaci (de quo solo disputans contra Pelagianos loqui solet, vt ostendat quid possit & præstet gratia) dicebat illam dari sine præcedentibus meritis, & facere de nolente volentem, vtque non tantùm possimus velle & operari; sed etiam vt velimus, & operemur; non frustrari effectu, sed illum habere coniunctum inseparabiliter, inuictissiméque obtinere; auxilium quod datur Sanctis, & electis in regnum Dei, donúmque perseuerantiæ esse huiusmodi, vt non solùm sine illo non possint bene agere, & perseuerare; verùm etiam quo posito non nisi bene agentes, & perseuerantes sint; & tale donum contumaciter amitti non posse; aliáque id genus, quæ verè quidem dici possunt de gratia efficaci, sumptâ vt efficaci, id est prout subest directioni, aut præscientiæ diuinæ, quâ præuidetur esse infallibiliter habitura effectum, si detur in talibus circumstantiis, in quibus futurum est vt voluntas consentiat: ita vt hæc necessitas non sit nisi consequens ex præsuppositione euentus, seu consensus futuri, & à Deo præsciti. Quo sensu D. August. lib. de Bono perseu. c. 6. exponit id quod scripserat in lib. de Corrept. & grat. donum perseuerantiæ non posse amitti contumaciter, neque dare solùm potentiam perseuerandi, sed ipsam quoque perseuerantiam: quia, inquit, non dicuntur habere perseuerantiam, nisi qui reipsa perseuerant vsque in finem; neque habuisse donum illud, nisi qui actu perseuerârunt: postquam autem perseuerârunt, fieri nequit vt non perseuerauerint; neque periculum iam est amittendi donum perseuerantiæ, cùm iam nec vlla alia bona amitti possint, sed perseuerantiæ beneficio in tuto posita sint. Neque enim potest non fuisse id quod fuit, ex suppositione quòd fuerit: quia non potest simul fuisse, & non fuisse.

2. Perperam Iansenio videri incredibile, Pelagianos existimasse huiusmodi auxilium præiudicare libertati arbitrij, illique imponere fatalem necessitatem, &c. Cùm etiam nunc, post tam longam, & exactam difficultatis huius discussionem, non desint graues & eruditi Theologi, qui existiment gratiam efficacem non modò iuxta sententiam physicè, aut moraliter prædeterminantium, verùm etiam eorum qui dicunt eius infallibilem, inuincibilem, inseparabilem, & necessariam connexionem cum effectu, peti ex euentu præscito, aut etiam præordinato à Deo, nõ posse stare cum indifferentia libertatis; imò neque necessitatem concursus diuini bene cum illa cohærere: ac neque etiam determinatam veritatem futurorum contingentium posse consistere cum eorum contingentia, & libertate causæ secundæ: ad quem scopulum ipsimet Theologiæ, & Philosophiæ principes, D. Thomas, & Aristoteles adhæserunt. Vt mirum non sit Pelagianos, subtiles licèt, & ingenio præstantes, difficultatem hac in re esse passos. Quan- 84. *Quæ difficultas adid eos mouerit licèt ingeniosos?*

eo tantùm erràsse, quòd illud gratiæ adiutorium pendere vellent quoad vsum à libero voluntatis arbitrio, sicut pendebat ab arbitrio Adami in statu innocentiæ: & eam ob causam damnatos fuisse ab Augustino, & aliis antiquis gratiæ defensoribus; qui certè nusquam hoc in illis reprehenderunt: neque aliud contra illos probandum susceperunt, quàm gratiam esse necessariam ad ea omnia, & singula, quæ ad salutem pertinent, illámque gratis dari, id est, nullis præcedentibus meritis naturalibus: fidémque ipsam, & credendi voluntatem non esse ex nobis per solas naturæ vires, sed & principaliter esse ex Deo per auxilium gratiæ. Euidentérque falsum est, quod ait, id quod voluntas liberè facit cum auxilio gratiæ actualis, sine quo illud facere non posset; non minùs propriè esse voluntatis; id est, non minùs illi tribuendum esse, quàm si faceret absque tali auxilio.

92. *Varia testimonia quibus abutitur Iansenius.* Adducit præterea Iansenius varios loquendi modos Conciliorum, & Sanctorum Patrum, summorúmque Pontificum, quos dicit esse interpretandos iuxta discrimen à se constitutum inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem. Cuiusmodi est primò, quod dicunt primum hominem in sua conditione *accepisse voluntatem liberam, & sufficientissimam bene viuendi potestatem: talem esse factum, qui peccati malo carere sufficeret si voluisset; idque quia cum libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate libera constitutus fuerat:* arbitrium eius *ita liberum fuisse, vt bene velle posset & malè:* seu habuisse *potestatem vtrum vellet: in natura posse, & in potestate habuisse velle: mentis valentiâ viguisse, quâ præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet:* Et *facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis insertam: naturaliter ei datum posse credere:* Eum *per liberum arbitrium stare potuisse: Angelos* reipsa *per liberum arbitrium, & per libertatem voluntatis, in veritate stetisse: in liberi arbitrij viribus fuisse non discedere à Deo.* Nimirum, quia hæc omnia poterant per libertatem indifferentiæ, quamuis non sine auxilio gratiæ.

93. Huiusmodi est secundò, quod dicunt, nos iam *liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidisse:* potestatem cogitandi, & agendi quæ ad Deum pertinent, in primo homine amissam fuisse: gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit: solum protoplastum per se sibi, id est, per liberum arbitrium sufficere potuisse: & per peccatum amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet. Quæ omnia vult dici propter amissam libertatem indifferentiæ per peccatum Adæ.

94. Huiusmodi est tertiò, quòd Augustinus, & Prosper, & alij prisci gratiæ defensores, Pelagio dicenti naturalem, seu in creatione acceptam arbitrij libertatem sufficere, vt bene viuere, & legem seruare possit: respondent, id posse vtcunque acceptari, si de sana hominis natura loqueretur: iam verò naturam hominis medico indigere, quia sana non est: cúmque per Pelagium defenditur velut sana, viribúsque integris; opitulatio medici inanitur.

95. Huiusmodi est quartò, quòd Pontifices, & Concilia dicunt Deum nostram non expectare voluntatem, sed per Spiritus sancti infusionem fieri vt purgari velimus: initium fidei non inesse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti: per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari vt expedit, sed per illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti: per liberum arbitrium ad gratiam Baptismi homines non posse venire: *Nullum postea*, hoc est, post lapsum primi hominis, *per liberum arbitrium, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, posse, nisi gratia eum, & misericordia diuina preuenerit. Praeclaram Sanctorum fidem non per bonum naturæ, sed per gratiam Dei esse collatam: latronis, Centurionis, Zachæi tam admirabilem fidem non fuisse de natura, sed diuinæ largitatis donum: Neminem de profundo illius ruinæ* (peccati originalis) *per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.* Quæ omnia dicta esse vult, non quia huiusmodi opera sunt meritoria, aut supernaturalia: quam rationem Concilia, Patres, & Pontifices ne verbulo quidem insinuant: sed quia liberum arbitrium peccato Adæ fuit infirmatum, vitiatum, læsum, amissum: & quia scilicet, vt ait Arausicanum can. 25. *Arbitrium per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum est, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, &c. possit, nisi gratia eum diuina preuenerit.* Et vt affirmat Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, *In prævaricatione Adæ homines naturalem possibilitatem amiserunt.* Atque inde fit, vt iam homo non possit sine adiutorio medicinali (hoc est, necessitante) bene velle, & operari: sicut poterat in statu innocentiæ, cum solo adiutorio sanitatis, id est, compatiente indifferentiam voluntatis.

Huiusmodi est quintò, quòd dicunt, vt purgari velimus, sancti Spiritus infusione, & operatione fieri debere: per eiusdem inspirationem corrigi voluntatem ab infidelitate ad fidem: id est, velle à non credendo ad credendum retorqueri: fieríque in nobis per inspirationem Spiritus sancti vt credamus, & velimus: & ipsum affectum credulitatis esse donum Dei: fidem & amorem à Deo donari & inspirari: & denique, quoties bona agimus, Deum in nobis, atque nobiscum vt operemur, operari. Quibus (inquit) significatur non ampliùs ista fieri per liberum arbitrium, per possibilitatem naturalem, per naturæ vigorem, vt antea solebat in statu innocentiæ, concurrente scilicet possibilitatis adiutorio, sine quo operari bonum homo, aut velle non poterat; sed istas voluntates, & actiones iam esse specialia, & propriè dicta Dei beneficia, quia donantur per auxilium gratiæ medicinalis, non autem habentur ex libero flexu voluntatis, concurrente solo adiutorio possibilitatis. 96.

Huiusmodi est sextò, quòd ait Arausicanum, inuocatione humana gratiam Dei non posse conferri: & humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungendum non esse gratiæ adiutorium: negátque sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam, hoc est, gratiam conferri diuinitus: & quod denique ait Augustinus vno verbo hæc omnia complectens, Gratiam Dei non dari secundùm præcedentis merita voluntatis, sunt enim merita voluntatis, & *humana*, ea quæ procedunt à voluntate pro suo nutu, & arbitrio operante, concurrente licèt adiutorio possibilitatis. 97.

98. *Quo sensu habuit Adamus sufficientissimã bene viuendi potestatem, &c.* Ad quæ omnia respondeo, constare ex supradictis tum in præsenti disputatione, tum in aliis præcedentibus, 1. Idcirco dici ab antiquis gratiæ defensoribus primum hominem in sua conditione accepisse voluntatem liberam, & sufficientissimam bene viuendi potestatem; talémque esse factum, qui peccati malo carere sufficeret, si voluisset; & in libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate liberâ constitutum fuisse; & alia supra relata num. 92. quia primus homo fuerat à Deo creatus cum integritate naturæ, id est perfectâ subiectione partis inferioris ad superiorem, & sine vllis animi perturbationibus, aut motibus concupiscentiæ rationi rebellibus, & aliis quæ virtutis exercitium difficilè reddunt: itémque cum habitibus naturalibus, & supernaturalibus, quibus secundùm intellectum, & voluntatem optimè instructus à Deo fuerat ad cognoscendum verum, & appetendum bonum. Propter quod verissimum est accepisse Adamum sufficientissimam bene viuendi potestatem, & peccati malo carere potuisse si voluisset, & arbitrium eius ita liberum fuisse vt bene velle posset, & malè: & in natura, talibus donis instructa, habuisse posse; & in potestate habuisse velle: & mentis valentiâ viguisse, quâ præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet: & facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis, insertam ei fuisse: & naturaliter (id est, ab origine, siue in ipsa creatione) datum ei posse credere: ac per liberum arbitrium stare potuisse, sicut Angeli reipsa steterunt: & denique in liberi eius arbitrij viribus, sic à Deo præuentis, & munitis, fuisse non discedere à Deo.

99. *Quo sensu periit liberum arbitrium?* 2. Quando dicunt nos iam liberum arbitriũ ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse: & Deum dedisse quidem ab initio hanc primo homini facultatem, sed omnes illam in eo amisisse: Primum hominem illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisisse protinus facultatẽ, & gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit: quando, inquam, hæc dicunt, loquuntur de libero arbitrio, non quoad substantiam consideraro, sed quoad statum accidentalem, in quo fuerat constitutus per donum integritatis, & alia suprà enumerata, per peccatum amissa: quo in statu erat completè potens, & expeditum ad diligendum Deum, & ad bene operandum vtilitérque ad vitam æternam. Neque enim dicere voluerunt liberum arbitrium, substantialiter amissum fuisse per peccatum Adæ: sed contrarium expressè profitentur: vt de Augustino (cuius sunt verba primo loco relata) videre est lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 2. vbi sic ait: *Quis nostrûm dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habẽdi plenam cum immortalitate iustitiam:* per illa scilicet dona gratuita, de quibus suprà. Et lib. 2. c. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad bene autem piéque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Sensus ergo illorum est, periisse liberum arbitrium ad diligendum Deum, & facultatem illa cogitandi, & volendi quæ ad Deum pertinent; quatenus primi hominis peccato perierunt illa Dei beneficia, per quæ sufficienter ad illa omnia præstanda instructum erat: ex quo fit vt iam credere, diligere, piéque, & iustè viuere nequeat, nisi gratiæ beneficio facultatem sufficientem hęc agendi receperit. Quod verò addunt, solum protoplastũ per se sibi (id est, per liberum arbitrium) sufficere potuisse: Et eum amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet: ideo dicitur, quia D. Augustinus, & eius doctrinæ sectatores, & compilatores (qualis fuit auctor Hypognosticon, cuius hæc verba sunt) existimarunt voluntatem Adami, instructam tot & tantis habitibus, non indiguisse actuali gratiæ auxilio ad volendum, & operandum bonum, etiam supernaturale; cùm aliunde careret difficultate, quam nunc patimur ex naturæ corruptione, & rebellione partis inferioris, propter quam opus nunc est auxiliis actualibus, quibus voluntas ad bonum inclinetur, & difficultas illa superetur. Neque iam sufficiunt iustis soli habitus supernaturales, quibus instructi sunt. Qua de re vide quæ diximus sect. 6. num. 48.

3. Eodem sensu intelligendum est, quod Pelagio, naturalem, seu in creatione acceptam arbitrij libertatem prædicanti, respondet Augustinus, posse vtcunque, id est, aliquo sensu, id acceptari, si de sana hominis natura loqueretur: nunc verò medico indigere, id est, auxilio voluntatis per Christi sanguinem nobis acquisito, quia sana non est: Si autem 100.

———illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quæque voluntas
Conciliare Deo, pœnâque absoluere posset,

vt ait Prosper in Carmine de ingratis: quia nimirum sufficeret sibi voluntas, sine actuali auxilio gratiæ, ad exercendum actum pœnitendi sicut oportet ad obtinendam peccatorum remissionem, nullâ concupiscentiali infirmitate libertatem remorante, & habitibus supernaturalibus sufficiẽter ad hoc eam potentẽ constituentibus.

4. Quando Pontifices, & Concilia contra Massilienses definiunt, Deum nostram non expectare voluntatem, sed per infusionem Spiritus sancti fieri vt purgari velimus: initium fidei non esse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti: per naturæ vigorem nihil posse cogitari vt expedit, sed per illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti: post peccatum Adæ, neminem per liberum arbitrium, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari quod bonum est posse, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit, &c. Hęc omnia dicunt contra errorem, quo Massilienses Semipelagiani volebant bona opera nostra, solis naturæ viribus facta, præuenire Dei gratiam; Deúmque, vt illam nobis largiatur, expectare vt eam bona nostra voluntate mereamur: & initiũ fidei nobis inesse naturaliter, id est, sine auxilio gratiæ: sufficeréque solius naturæ vigorem ad credendum, & ad alia in quibus salutis initium constituebant: vt suprà diximus num. 91. & fusè demonstrauimus disp. 10. sect. 4. & 5. Contra quẽ errorem definiunt, nihil tale fieri posse in hoc statu naturæ corruptæ, sine inspiratione, & adiutorio Spiritus sancti, etiam ex parte voluntatis; quo nunc indigemus vltra habitus supernaturales, postquàm arbitrium per peccatum Adæ vitiatum, & infirmatum est. 101. *Quo sensu dicitur Deũ non expectare nostram voluntatem?*

5. Quando dicunt debere fieri per infusionem Spiritus sancti vt purgari velimus, & per eiusdem inspirationem corrigi voluntatem ab 102. *Et, per gratiam fieri vt purgari velimus?*

pite decimo-quarto, *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur à* massa damnationis, *quicunque liberantur.*

56. Loquitur autem de auxiliis, quæ dantur sanctis, & electis ad regnum Dei, id est, prædestinatis efficaciter, vt antea monuimus numero 53. & ex hypothesi præscientiæ non potest id non euenire, quod præscitum est; quia non potest non esse futurum id, quod reipsa futurum est, ex hypothesi, quòd sit futurum: Dei autem præscientia supponit esse futurum: quare infallibiliter euenit: & huiusmodi auxilium agit indeclinabiliter volũtatem quò Deus vult: & inuictissimè superat quodcunque obstaculum sibi occurrens: facítque vt sancti & electi non solùm possint perseuerare, sed etiam vt non nisi perseuerantes sint.

57. *Consequenter scilicet vt exponit ipse Augustinus.* Atque ita semetipsum exponit D. August. libro de Bono perseuerantiæ capite sexto, vbi admonitus ab Hilario displicuisse Presbyteris Massiliensibus quod scripserat libro de Correptione & gratia, capite vndecimo & duo-decimo, aliísque locis, Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non solùm tale adiutorium perseuerantiæ dari, quale Adamo in statu innocentiæ: verùm etiam ipsam perseuerantiam donari: & non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint: & donum illud perseuerantiæ posse suppliciter emereri; sed cùm datum fuerit, non posse contumaciter amitti. Respondet August. hunc in modum: *Nolunt, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Vbi quid dicant, parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquimur, quâ perseueratur vsque in finem. Quæ si data est, perseueratum est vsque in finem: si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data: quod iam & superiùs satis egimus. Non itaque dicant homines perseuerantiam cuiquam datam esse vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse, cui data est, repertus fuerit vsque in finem. Dicimus quippe castum, quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus: & si quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere, quandiucunque habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perseuerantiam verò vsque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseuerauerit vsque in finem: multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est ne fortè cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest; sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisque vsque in finem; neque hoc donum potest amittere, neque alia quæ poterat ante finem. Quomodo enim potest amitti, per quod fit vt non amittatur etiam quod posset amitti?*

58. Hæc Augustinus, clarè significans se loqui de impossibilitate consequente ex præsuppositione ipsius actualis perseuerantiæ, ex qua sola fit vt non possit amitti donum perseuerantiæ, & non possit non perseuerare quicunque perseuerat: non autem ex aliqua efficacia antecedente auxilij imponente necessitatem ad perseuerandum, & tali vt voluntas non possit illi resistere. Alioqui non satisfaceret Augustinus difficultati propositæ, neque iure affirmaret obiectores illos parum attendisse quid dicerent, & nullam habuisse causam dubitandi, vel admirandi, quòd perseuerantiæ donum amitti nequeat. Verum enim id quidem est, si perseuerantia sumatur in actu secundo, id est, vt iam posita reipsa: quia non potest non fuisse id quod fuit, ex suppositione quòd fuit: & non potest non perseuerasse, qui perseuerauit, ex suppositione quòd actu perseuerauit. At erat iusta causa dubitandi, vel admirandi, si dixisset Augustinus donum perseuerantiæ in actu primo, & prout antecedens liberum creaturæ consensum, esse tale vi sua, vt amitti non possit, atque indeclinabiliter, & ineuitabiliter faciat actu perseuerare. Quæ persuasio extingueret sollicitudinem perseuerandi, & bene agendi, in existimantibus se donum illud accepisse: in aliis contrarium credentibus pareret desperationem: vt dicebant Massilienses, & de illis refert Hilarius epist. citata.

Item, non esset verum, quod ait ibidem S. Augustinus, *Non dicant homines perseuerantiam cuiquam datam esse vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse, cui data est, repertus fuerit vsque ad finem:* & ideo solùm perseuerantiam non posse amitti, *quia non est metuendum ne fortè, cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem.* Nam verè dici posset datam esse perseuerantiam ante finem vitæ, eo ipso quòd datum esset donum illud antecedens, quod ad perseuerandum necessitaret voluntatem ita vt, eo posito, non posset non perseuerare: eodémque dono concesso, non esset metuendum, ne aliqua mala voluntas perseuerantiæ contraria & incompossibilis oriretur in homine: quippe quæ oriri non posset. 59.

60. *Posse, aut non posse sæpe dicitur pro velle aut non velle.* Est etiam obseruandum id, quod rectè notauit Petauius tom. 3. Dogmatum Theologic. lib. 4. de Opificio sex dierum cap. 4. num. 11. iuxta phrasim D. Augustini, *posse*, aut *non posse*, frequenter significare non ipsam potestatem, sed actionem; & sumi pro eo quod reipsa futurum est. Quo sensu, *non posse resistere gratiæ*, idem est, ac voluntatem reipsa non restituram: &, *non posse non perseuerare*, idem est ac, esse reipsa perseueraturam. Eóque sensu lib. de Corrept. & gratia cap. 14. sic ait: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas volũtates non posse resistere, quò minus faciat ipse, quod vult: quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Postcáque subiungit: *Nisi fortè, vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere:* id est, poterant quidem resistere, sed non erat futurum vt resisterent: & Deus sic eos mouebat, vt non essent restituri. Propter quod addit: *Qui tamen hoc non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem:* id est, habens in thesauro suæ omnipotentiæ media, quibus ita præueniat quamcunque voluntatem, vt liberum ab ea

consensum infallibiliter obtineat, prævideátque se obtenturum. Eodem modo loquendi Scripturam ipsam vti notauit Chrysost. hom. 67. in Ioannem; vbi explicans illa verba, *Propterea enim non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit cor eorum, &c.* dicit particulas *propterea*, &, *quia*, non significare causam, sed euentum. *Non enim, quia prædixerat Isaias, ideò illi non credebant: sed quia non erant credituri, idcirco prædixit Isaias.* Particulam verò, *non poterant*, vsurpari pro, *nolebant*: sicut alibi frequenter in Scriptura: vt Matth. 15. vers. 12. *Qui potest capere, capiat*: id est, qui volet: & Ioan. 7. vers. 7. *Non potest mundus odisse vos*, id est, non vult: *me autem odit*. Atque hoc, inquit, in communi vsu loquendi obseruari videas: vt cùm dicitur: Non possum hunc amare: vbi vehemens voluntas appellatur potestas. Item cùm dicimus: Non potest iste bonus fieri. Sic etiam Gen. 37. de fratribus Ioseph dicitur: *Non poterant ei quicquam pacificè loqui*, id est nolebant. Et Matth. 6. vers. 5. de Christo dicitur, *Non poterat ibi virtutem vllam facere*, id est, non volebat. Et Act. 4. vers. 20. Petrus, & Ioannes Apostoli de seipsis dicunt, *Non possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*, id est, nolumus propter vestram prohibitionem ab Euangelio prædicando desistere.

61. *Fortiùs dicitur interdum ex euentu.* Mitto etiam, quòd solemus dicere, fortiùs, potentiùs, efficaciùs eum suasisse, orasse, incitasse, qui reipsa effectum obtinuit; quamuis suasio, oratio, vel incitatio de se non fuerit efficacior, neque maiorē vim antecedenter habuerit. Omnino nihil habet D. Augustinus locis suprà citatis, aliisque similibus à Iansenio relatis, quod non facilè possit explicari per vsum scientiæ mediæ, & præparationem, aut exhibitionem eorum mediorum, quibus Deus præuidet fore vt voluntas reipsa consentiat. Per illa enim Deus, saluâ creaturæ libertate, assequitur infallibiliter, ineuitabiliter, insuperabiliter, atque inuictissimè, quidquid intendit efficaciter: siue intentio illa fuerit efficax antecedenter, vt multi putant de electione ad gloriam, déque bonis operibus, & aliis ad eam pertinentibus, quæ omnia volunt fuisse à Deo antecedenter prædefinita: siue tantùm consequenter, vt malunt alij.

SECTIO VII.

Consectaria ex præcedentibus.

62. *Auxilium quo non est necessitans.* EX quibus collige 1. frustra contendere Iansenium, & Caluinum, eorúmque sectatores, auxilium *quo fit*, idem esse atque auxilium necessitans antecedenter ad consensum, seu non subiacens libertatis arbitrio; eò quòd, iuxta D. Augustinum, agit infallibiliter, ineuitabiliter, insuperabiliter. Nam ad hoc sufficit infallibilitas consequens ex euentu præuiso: & de gratia data Angelis ad perseuerandum idem dici posset, quamuis auxilium illis concessum, subiectum fuerit libertati indifferentiæ, vt fatetur aduersarius lib. de Gratia primi hominis, & Angelorum, cap. 8. 14. & 15. aliisque locis. Certissimum enim est Deum perducere infallibiliter, ineuitabiliter, & insuperabiliter ad gloriam, quoscunque ad illam prædestinauit, & elegit efficaciter, siue antecedenti electione, siue consequenti duntaxat. Et generaliter de quorumcunque siue Angelorum, siue hominum prædestinatione verum est, quod ait August. lib. de Bono Perseuerantiæ cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur* (aut saluantur) *quicunque liberantur, aut saluantur.* Potest quoque de Angelis, saluâ eorum libertate indifferentiæ, non minùs verè dici Deum habere omnipotentissimam potestatem, vt eorum voluntates inclinet quocunque voluerit: sicut Augustinus dicit habere Deum, *Humanorum cordium quocunque voluerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem*: ex quo loquendi modo malè aduersarius lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris cap. 24. & 25. colligit gratiam medicinalem non permitti arbitrio nostræ voluntatis. Verissimum enim est de Angelis, & de hominibus in statu innocentiæ, æquè ac in statu naturæ lapsæ, quod generaliter affirmat idem S. Doctor in Enchirid. capite 96. non ob aliud vocari Deum omnipotentem, nisi quia quidquid vult potest; nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Et lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 9. dicit potuisse Deum sine dubio impedire ne Adam, & Eua peccarent, & *ipsorum voluntatem in bonum conuertere, quia omnipotens est. Sed non fecit, quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est.* Et libro 14. de Ciuit. cap. 27. *Quis audeat credere*, inquit, *aut dicere, vt neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse?* Nimirum quia, vt ait lib. de Corrept. & gratia capite 14. quo loco etiam aduersarius abutitur, *Deo volenti saluum facere, nullum hominis*, neque Angeli, *resistit arbitrium*; Habet enim media in thesauris suæ omnipotentiæ, quibus possit, vel obstinatissimas voluntates Angelorum, æquè ac hominum, flectere quò vult, salua eorum libertate, quæque præuidet esse infallibiliter habitura effectum, & consensum liberum impetratura in his, aut illis circumstantiis, si adhibere illa velit: vt de Pharaone, & similibus affirmat idem Augustinus libro 1. ad Simplicianum quæst. 2.

Contrariū malè colligitur ex Augustino, eò quòd operetur infalli-biliter.

Collige 2. Frustra quoque conari aduersarium, idem quod suprà, colligere lib. 2. de Gratia Christi cap. 6. 9. & 14. ex eo quòd auxilium *quo* (quale esse putat omnem, & solam gratiam medicinalem, id est, quæ datur in hoc statu naturæ lapsæ) donat ipsum opus, & meritum; secus ac gratia sanitatis: vt probat ex Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 11. & lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. non quòd, inquit, tunc merita, & opera bona fierent sine auxilio gratiæ: sed quia gratia statûs innocentiæ relinqueret meritum, & bonum opus, libero voluntatis arbitrio, vt illud ipsa sibi daret cooperans cum gratia; vel abiiceret, nutum suum, & concursum cohibens. Frustra, inquam, inde colligit aduersarius, gratiam medicinalem necessitate voluntatem ad consensum. Nam alioqui deberet idem affirmare de gratia sanitatis data Angelis, & hominibus in statu innocentiæ: de qua similiter affirmat Augustinus dedisse ipsum opus, & meritum: id est dedisse non tantùm posse, sed etiam velle, & bene operari: vt de Angelis patet ex lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi sic ait: *Si boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eámque in seipsis* 63. *Quòdque donet ipsum bonum opus.*

Deo non operante fecerunt: ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine bona voluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat, (neque enim ab ea quam nondum cœperant habere, defecerant) certè nondum tales, nondum tam boni, quàm esse cum bona voluntate cœperant. Aut si non potuerunt seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quicquam facit: profectò & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris habere non possent. Et cùm id egit eorum voluntas bona, ut non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summè est, converterentur, eique adhærentes magis essent, eiúsque participatione, sapienter beatéque viverent: quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram; nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem. Nusquam certè magis perspicuè dixit Augustinus, auxilium datum naturæ lapsæ facere vt non tantùm possimus, sed etiam velimus, & operemur; quàm modò id affirmauit de auxilio dato Angelis.

64. De gratia verò sanitatis Adamo præstitâ in statu innocentiæ non minùs clarè id affirmat libro 8. de Genesi ad lit. cap. 10. & 12. vbi postquam dixit Deum posuisse hominem, quem fecerat, in paradiso, operari eum vt iustus esset; probat oportuisse Deum in eo id operari, quia ipsius sumus figmentum non tantùm ad hoc vt homines simus, sed ad hoc etiam vt boni simus. Nam & Apostolus, cùm fidelibus ab impietate conuersis gratiam, quâ salui facti sumus, commẽdaret. Gratia enim, inquit, salui facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, ne fortè quis extollatur. Et alibi, cùm dixisset: cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; ne sibi putarent tribuendum, tanquam ipsi se facerent bonos, & iustos, continuò subiecit: Deus enim est, qui operatur in vobis. Sumpsit ergo Dominus Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari eum, hoc est, operari in eo. Hucusque D. Augustinus, clarissimè affirmans Deum in Adamo innocente operatum esse, æquè ac in nobis, per auxilium gratiæ, quidquid bene operatus est; & operaturum fuisse quæcunque in eo statu perseuerans bene operatus esset. Quo autem sensu merita status innocentiæ vocet *humana*; & quod illi respondet, *mercedem*; nunc verò vtrumque *gratiam* appellet; diximus suprà numero 51.

65. *Aut, quòd det ipsam perseuerantiam.* Collige 3. Frustra quoque idem probare conari aduersarium cap. 7. lib. citati, ex eo quòd gratia medicinalis dicitur à D. Augustino dare perseuerantiam; gratiam verò sanitatis, dare tantùm posse perseuerare, libro de Corrept. & gratia cap. 11. & lib. de Bono perseuerantiæ cap. 7. Enimuerò, quòd etiam iuxta rei veritatem, & doctrinam D. Augustini, gratia sanitatis dederit Angelis stare, & perseuerare, manifestè liquet ex eo quod scripsit concione secunda in Psal. 32. vbi quod ait Vates regius, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, exponit allegoricè de Angelis, in hunc modum: *Non à se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: spiritu enim oris eius non pars, sed omnis virtus eorum.* Et inde transiens ad Apostolos, quos etiam per cælos allegoricè intelligit, dicit simili modo fuisse Verbo Domini firmatos, & solidatos. Tribuit ergo gratiæ sanitatis quod per eam steterint Angeli, sicut gratiæ medicinali idem tribuit, respectu Apostolorum.

66. Et lib. 12. de Ciuit. cap. 9. idem clarè docet, ita loquens de bonis, & malis Angelis: *Istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent peruenerunt.* Itaque quòd ad Beatitudinem illam peruenerint, aliis cadentibus, fuit ex speciali Dei auxilio, quo meliùs adiuti steterunt, aliis cadentibus, & perseuerarunt. Quare si rectè colligeretur gratiam medicinalem necessitare voluntatem, ex eo, quòd det stare, & perseuerare: idem esset colligendum de gratia Angelorum.

67. *Refellitur inepta euasio.* Ineptum verò est, & à mente D. Augustini prorsus alienum, quod ait Iansenius lib. de gratia primi hominis cap. 8. Verba Augustini proximè relata, nihil ad propositum pertinere, quia loquuntur de adiutorio, quod per ipsam æternam felicitatem Angelis datum fuit; non de illo quod eos perseuerare faceret, & ad illam Beatitudinis plenitudinem peruenire. Nam vt alibi diximus, Augustinus disertè affirmat Angelos bonos, *ampliùs adiutos ad illam Beatitudinis plenitudinem peruenisse.* Ergo loquitur de auxilio quo adiuti peruenerunt: non autem de accepto postquam peruenerunt. Quapropter Esthius (quem velut egregium Scriptorem non semel commendat Iansenius) in 1. sentent. dist. 41. §. 13. hanc euasionem à nescio quo alio priùs excogitatam, meritò velut absonam, ineptámque contemnit, & reiicit his verbis: *Si hoc adiutorium, quo beati Angeli dicuntur ampliùs adiuti, esset ipsa Beatitudo, sensus redderetur ineptus; scilicet Angelis collatam esse Beatitudinem, quâ ad Beatitudinem peruenirent.* Additque, ex præcedentibus, & consequentibus toto illo capite constare, Augustinum ibi loqui de causa efficiente bonæ, melioris, & perseuerantis voluntatis in rationali creatura, maximè in Angelis; quam dicit esse Deum ampliùs iuuantem, per gratiam scilicet præuenientem, & congruam, id est, præuisam habituram effectum: & per gratiam concomitantem, vel actualem concursum. Atque ex his omnibus patet euidenter vana esse, quæ ille dicit cap. 4. & quatuor sequentibus de discrimine inter gratiam sanitatis, & medicinalem, & diuersis vtriusque effectibus: nunc ad alia eius argumenta refellenda progrediendum est.

SECTIO VIII.

Soluitur alterum argumentum Iansenij, sumptum ex conflictu Diui Augustini cum Pelagianis.

68. *Proponitur argumentum Iansenij.* ALTERUM argumentum, & quidem efficacissimum, vt aduersario videtur, sumitur ex concertatione D. Augustini cum Pelagianis de auxiliis gratiæ; quæ duplex fuit, vt af-

firmat aduersarius lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris cap. 9. Vna scilicet, quod aut quale esset adiutorium Christi: hoc enim Pelagius asserebat esse legem atque doctrinam sapientiæ, scientiæque reuelationem, peccati remissionem, Christi exemplum, atque alia huiusmodi: Augustinus è contrario esse occultam subministrationem Spiritus sancti. Altera, quis esset adiuuandi modus gratiæ medicinalis: vtrum tantummodo *possibilitatem*, hoc est, potentiam, seu potestatem bene viuendi adiuuaret: an verò etiam *voluntatem*, hoc est, volitionem, & actionem. Inter quæ duo adiutoria, quantum ad operandi modum, illa est differentia, inquit ibidem Iansenius, quòd adiutorium possibilitatis afferat plenam operandi potestatem, in qua natura eius absoluitur: concursus verò ipsius ad volendum, aut operandum, aut neglectus eius, à voluntatis nutu pendeat. Adiutorium autem voluntatis, id est volitionis & actionis, non tantùm adiuuat possibilitatem voluntatis, hoc est, non tantùm complet potestatem eius, vt operetur illo adiuuante si velit; sed donat vt reipsa velit. Atque hac de re fuisse controuersiam cum Pelagianis probat præcipuè ex lib. de gratia Christi capite 25. vbi Augustinus de Pelagio sic loquitur: *Quomodo dicit liberi arbitrij elatus assertor, Quòd possumus bene cogitare, Dei est: quòd autem bene cogitamus, nostrum est. Cui respondet humilis gratiæ prædicator: non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait posse cogitare, sed cogitare.* Volebat scilicet Pelagius qualecunque esset bene volendi, viuendíque adiutorium, hoc non nisi possibilitatem, hoc est potestatem faciendi adiuuare, ita videlicet vt in potentissimo libertatis arbitrio vsus vel non vsus, & possibilitatis, & adiutorij remaneret. Dicebátque solebat bene velle & nolle, loqui & non loqui, cogitare, & non cogitare nostrum esse, quia *ex arbitrij fonte descendunt, & hæc omnia vertere etiam in malum possumus*: tametsi non negaret qualecunque Dei adiutorium simul influere cum voluntate. Quo non obstante volitio, & actio non ipsi gratiæ, sed voluntati tribuenda est, quando vsus gratiæ pendet à libertate. Sicut enim vsus cuiuslibet facultatis, siue oculi, externorúmque sensuum, siue facultatis progressiuæ, siue intellectus, siue voluntatis, noster est, hoc est, ad nostræ libertatis indifferentem flexum, & nutum referri debet, non ad Deum, quatenus solam facultatem dedit: ita quoque cuiuslibet adiutorij concursus, siue naturalis, siue gratuiti, qualecunque, & quantumcunque illud sit, similiter noster est, & nobis tribui debet; si videlicet sic solam possibilitatem adiuuet, vt eius vsus, aut non vsus in libero relinquatur arbitrio. Quam ob causam eodem cap. 25. de Pelagio sic loquitur: *Desinat dicere, Quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare; illius est, qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus; nostrum est.* Propter arbitrium videlicet voluntatis, cui tribuitur quòd possibilitas diuinitus adiuta velit, & faciat. *Desinat*, inquam, *ista dicere. Non solùm enim Deus posse nostrum donauit atque adiuuat, sed etiam velle, & operari operatur in nobis.* Et capite 4. eiusdem libri dicit Pelagium ita sentientem, non iustitiam Dei, sed suam velle constituere. *Videtis autem*, ait, *quòd qui sentiunt, ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere; & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis.* Et cap. 47. eiusdem libri idem confirmans, simúlque sententiam Pelagij, & statum controuersiæ disertè explicans, sic ait: *Quapropter quantum*, inquit, *attinet ad istam de diuina gratia, & adiutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinxit, attendite: posse, velle, esse; id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionē, id est, vt bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: si, vt dixi consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitùs adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus; eámque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos suâ, non nostrâ iustitiâ iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquet.*

69. Hæc Iansenius, inde concludens Theologos recentiores, qui auxilium gratiæ tale esse volunt, vt relinquat voluntati libertatem indifferentiæ, (à quorum numero excipit assertores physicæ prædeterminationis, dicens se de illis non loqui) non recedere hac in parte à secundo dogmate Pelagij, quod tanquam errorem Apostolicâ proscriptum animaduersione Augustinus damnauit.

70. *Veteres Theologi docent gratiam non necessitare.* Sed vt ab hoc postremò incipiam: fraudulenter omnino, & malâ fide tribuit solis recentioribus Theologis, quòd tale velint esse auxilium gratiæ: cùm sole clarius sit eandem fuisse sententiam veterum omnium Theologorum: vt de D. Thoma relatis pluribus illius testimoniis ostendimus num. 33. quibus adde luculentissimum istud ex 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd gratia noui Testamenti, etiamsi adiuuet hominem ad non peccandum; non tamen ita confirmat in bono, vt peccare non possit: hoc enim pertinet ad statum gloriæ. Et ideò si quis post acceptam gratiam noui Testamenti peccauerit, maiori pœnâ dignus est, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non vtens. Nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex noua iram operatur: quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Et D. Bonauentura in 1. distinct. 47. art. 1. q. 1. loquens de pereuntibus: *Deus*, inquit, *paratus est iuuare: ita quòd salus non deficit propter defectum ex parte Dei*: sed nimirum, quia sufficienti eius auxilio ipsi defuerunt: iuxta illud Oseæ 13. vers. 9. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Et vtroque antiquior Albertus Magn. 1. p. q. 63. art. 2. *Licèt prædestinatio*, inquit, *præparet isti gratiam, & gloriam: tamen quia iste liberi arbitrij erit, & potest ponere obstaculum Spiritui Sancto, & operationi diuinæ; potest impedire ne conferatur ei gratia* (sanctificans) *& gloria.* Quod non posset, si operatio Spiritus Sancti, id est, gratia præueniens, & adiuuans, illum necessitaret ad consensum. Similia dicit Halensis 2. p. q. 19. memb. 2. ad 4. Et Scotus in 1. dist. 46. q. vnica ad 1. argument. loquens de generali Dei voluntate saluandi homines, etiam illos qui non saluantur reipsa, sic ait: *Deus vult omnes homines saluare, quantum est ex parte sui, voluntate sua antecedente, pro quanto dedit dona*

naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia sufficientia ad salutem, &c: Ita dico: in proposito quòd, etsi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad istum saluandum. id est efficacem, *tamen vult isti illa adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene viuere, & saluari,* quamuis non vtatur, & pereat. Similia habet Capreol. ad eandem distinct. art.2. conclus. 4. & Ricardus in 2. dist. 28. art. 1. q. 3. ad 4. *Dicendum,* inquit, *quòd ideo non obseruantes mandata Dei rei peccati tenentur: quia cum diuino adiutorio possent, si vellent, se ad gratiam gratum facientem disponere.* Habent igitur auxilium, quo id possint, sed sufficiens tantùm, id est, frustratum suo effectu per ipsorum malitiam, aut negligentiam, quinetiam hanc sententiam non à Theologis solùm, sed etiam vnanimiter à sanctis Patribus, ipsísque Conciliis, & sacris literis apertissimè traditam esse, liquet ex dictis sect. 3. & 4. num. 17. & sequentibus. Sed Iansenius hac in parte Caluinum imitari voluit, qui cùm fidem totius Ecclesiæ, sanctorúmque Patrum doctrinam impugnat, fingit rem sibi tantùm esse cum recentibus Theologis, quos sophistas Sorbonicos, & ætatis nostræ Pelagianos frequenter appellat.

71. *Contrariã damnatur etiam à Thomistis vt hæreticum.* Secundò malè meretur Iansenius de assertoribus physicæ prædeterminationis, cùm illos excipit è numero Theologorum affirmantium gratiam auxiliantem relinquere voluntati vsum libertatis indifferentiæ. Hanc enim exceptionem illi tanquam sibi valde iniuriosam auersantur, & sententiam de gratia necessitante velut hæreticam, & Caluinisticam abominari se profitentur: vt videre est apud Didacum Aluares disp. 3. de auxiliis num. 18. vbi sic habet: *Septima hæresis Lutheranorum affirmat gratiam Dei ita esse efficacem ex seipsa, vt nostra voluntas eidem non cooperetur liberè; sed solùm spontaneè, vltro, & non coactè. Ita Caluinus, &c.* Et disp. 98. num. 10. *Errauit Caluinus,* inquit, *quoniam ita Deum sua gratia efficaci nobis ipsam fidem donare sensit, vt nostra voluntas non cooperetur liberè Deo mouenti, sed solùm motu spontaneo, & non coacto.* Et similiter alij eiusdem sententiæ assertores conantur sartam tectámque seruare libertatem indifferentiæ in consentiendo, & cooperando auxiliis gratiæ; & oppositam illi necessitatem antecedentem veluti Caluinisticam, & Lutheranam abhorrere se dicunt.

72. *Cõtrouersia cum Pelagio, non fuit de gratia necessitante.* Tertiò, fallitur Iansenius, aut fallere meditatur, quando affirmat controuersiam inter Augustinum, & Pelagium, tandem fuisse, non solùm de necessitate gratiæ, hoc est, vtrum gratia necessaria sit ad iuuandum intellectum, vt sciat, & voluntatem vt velit agere quod bonum est: verùm etiam de gratia necessitante, hoc est, de modo agendi tali, vt gratia non pendeat quoad vsum à libero voluntatis arbitrio, sed ipsam ad agendum determinet atque necessitet. Nam vt fusè probauimus alibi, ex illis etiam locis quibus abutitur Iansenius, aliísque pluribus Augustini testimoniis, controuersia nunquam illi fuit cum Pelagianis de gratia necessitante, siue vtrum tanta esset efficacia gratiæ, vt voluntatem necessariò traheret ad consensum: sed de necessitate gratiæ ad bene volendum & agendum, hoc est vtrum præter naturalem possibilitatem necessaria esset gratia, non solùm ad intelligendum quid faciendum, aut cauendum sit, quæ est gratia intellectus, seu legis ac doctrinæ; verùm etiam ad rectè volendum, & agendum, peccatúmque vitandum, quæ est gratia voluntatis, ipsam immediatè adiuuans. Et errorem Pelagij in eo primùm fuisse, quòd omnem gratiam propriè dictam negaret. Secundò, quòd increpitus à Catholicis admiserit gratiam legis & doctrinæ, siue externæ, siue etiam interiùs inspiratæ, non quasi necessariam, sed vt faciliùs fiat quod naturalis possibilitas per se solam præstare posset. Tertiò, quòd gratiam voluntatis, & actionis, id est, immediatè iuuantem ad volendum, & agendum constanter ab initio vsque ad finem reiecerit, velut contrariam libertati, quam talem ac tantam esse volebat, vt ad seruanda Dei mandata sibi sufficeret. Hoc ita esse patet ex iis omnibus quæ retulimus tract. 1. disput. 7. tota sect. 6. sufficiet in præsenti proferre testimonium sumptum ex lib. de hæresibus, quem Augustinus sub finem vitæ scripsit, vbi breuiter, & perspicuè confirmat id quod diximus: sic enim ait hæresi 88. *Pelagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio Monacho exorta; &c. Hi Dei gratia, quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum &c. in tantum inimici sunt, vt sine hac posse hominem credant facere omnia diuina mandata.* Et paulò pòst: *Denique Pelagius à fratribus increpitus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, vt non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret; dicens, ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Dicendo vtique vt faciliùs possint, voluit credi, etiamsi difficiliùs, tamen posse homines sine gratia diuina facere iussa diuina. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura; ad hoc tantùm existimantes ipsum adiuuantem per suam legem atque doctrinam, vt discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus: Non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, vt quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari scientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur. Caritatem autem dari negant, quâ piè viuitur: vt scilicet cum sit Dei donum, scientia quæ sine caritate inflat; non sit Dei donum ipsa caritas, quæ vt scientia non inflet, ædificat.*

Quare falsum est, quod ait Iansenius, per adiutorium possibilitatis, quod admittebat Pelagius, intellexisse quamcunque gratiam, siue intellectus, siue ipsius voluntatis, quâ immediatè iuuetur, vt bene velle & agere possit, reipsáque bene velit & agat, sed ita vt voluntas liberè concurrat, possitque dissentire si velit. Nam ex relatis testimoniis constat, nunquam Pelagium admisisse auxilium voluntatis, quo volitio & actio diuinitus sic adiuuatur, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus: & sicubi videtur dubitare Augustinus, quam aut qualem gratiam admiserit Pelagius, & vbi eam constituerit: alibi tamen, & præcipuè in libris quos postremò scripsit, perspicuè, & sine vlla dubitatione affirmat eum non aliam gratiam admisisse, quàm remissionem peccatorum, & legem ac doctrinam, quò pertinent exemplum Chri- 73. *Quid intelligeret per adiutorium possibilitatis.*

Vide disp. 7. sect. 6.

Lib. de gratia Christi cap. 10.

sti, & alia quæ Pelagius verbis magnificis ambiguè de gratia prædicabat. Cúmque voluntatem nostram *sapientiæ reuelatione, præmiorúmque pollicitatione succendi, & in Dei desiderium* suscitari dicebat; id non aliter fieri intelligebat, quàm remotè per gratiam illuminationis seu doctrinæ, vt testatur D. Augustinus eo ipso loco, quo abutitur Iansenius, quémve nos referemus paulò pòst. Nihílque aliud ad componendam controuersiam ab eo postulat Augustinus, nisi vt admittat gratiam à lege, & doctrinâ distinctam, quâ iuuetur voluntas saluâ libertatis indifferentiâ, de qua cum ipso non contendit, vt videre est lib. de Gratia Christi cap. 47. aliísque locis infrà referendis.

74. *Bonum opus tribuitur gratiæ, licèt non necessitanti.* Falsum pariter est eos, qui volunt adiutorium voluntatis permittere vsum libertatis indifferentiæ, non iustitiam Dei, sed suam constituere: neque bonam voluntatem, & operationem Deo, sed sibi tribuere: quia operatio illi tantùm causæ tribui debet, à qua liberè fit; non autem auxiliis, aut concausis quarum influxus pendet à libero eius arbitrio, & determinatione. Enimuerò quis nesciat ea quæ liberè à nobis fiunt, tribui etiam (& quidem interdum magis, & principaliùs) suadentibus, consulentibus, præcipientibus, quamuis non physicè necessitantibus ad volendum, & operandum? Quis etiam nesciat actus bonos, aut malos tribui plerumque habitibus intensis, quibus ad illos potenter inclinamur? tametsi pendent quoad vsum à nostra libertate: illis enim vtimur cùm volumus. Gratia autem non iuuat solùm voluntatem, complendo potentiam ad bene volendum & agendum; sed etiam ad hoc inclinat, & mouet ac potenter inducit. Neque verò Iansenius dicere potest, iuxta suam sententiam, nos habitibus bonis, aut malis vti cùm volumus: si ad bene operandum, & sequendam inclinationem bonorum habituum necessitamur per gratiam medicinalem, vt ipse vult: ad malè autem volendum, & agendum, necessitamur pondere concupiscentiæ, absente gratiâ medicinali: atque ita neutrum facimus liberâ nostrâ determinatione, seu quia volumus.

75. *Impostura de quadruplici statu hæresis Pelag.* Neque minùs à veritate alienum est, quod dicunt aliqui recentiores physicæ prædeterminationis assertores, hæresim Pelagij quadruplicem habuisse statum. Et in primo, negâsse omne auxilium supernaturale, & omnem interiorem gratiam supernaturalis ordinis; tam sufficientem, quæ tribuit posse; quàm efficacem, quæ tribuit infallibiliter piè operari: & affirmasse ad omnia mandata implenda, atque ad æternam salutem promerendam, & consequendam, sufficere vires naturales arbitrij. In secundo statu admisisse adiutorium gratiæ Dei hominibus conferri ad eius mandata facienda: asserendo tamen hoc adiutorium in lege, & doctrina exteriori, aut etiam in Christi exemplo esse constitutum: & solummodo esse necessarium, vt faciliùs impleret homo per gratiam, quod simpliciter poterat per naturam. In tertio statu Pelagium post longas disputationes cum sancto Augustino, & aliis Patribus, tandem admisisse gratiam interiorem ad posse: videlicet internam illuminationem intellectus, & internam excitationem stupentis voluntatis: semper tamen negâsse gratiam, quâ Deus efficeret vt velimus: sempérque in eo permansisse errore, vt crederet illam gratiam interiorem quam admisit ad posse, non esse simpliciter necessariam: sed solùm vt faciliùs per eam posset homo diuina implere mandata. Quartum denique statum hæresis Pelagianæ fuisse, quem habuit sub Celestio qui admisit gratiam illam internam, quam ad posse concessit in tertio statu Pelagius, esse simpliciter necessariam non quidem ad incipiendum, sed ad perficiendum virtutum opera. In quo errorem Pelagius vtcunque moderatus est: quia tamen ad incipiendum nullam interiorem gratiam necessariam esse voluit, à dogmate Pelagij non recessit, asserentis gratiam secundùm merita nostra dari.

Duos priores status probant ex verbis Augustini suprà relatis, ex libro de hæresibus, hæresi 88. déque illis non est controuersia. Tertium 76
verò statum probant ex variis testimoniis Augustini lib. de Gratia Christi, & peccato originali, præcipuè ex lib. 1. cap. 5. 11. 14. 25. & 47. verbis relatis à Didaco Aluare disp. 1. de auxiliis nu. 8. Sed illa nihil tale dicunt; & plus habent apparentiæ, quæ alij proferunt ex cap. 7. eiusdem libri, vbi D. Augustinus refert hæc Pelagij verba: *Adiuuat enim nos Deus per doctrinam, & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Et c. 10. Pelagium ita loquentem inducit: *Operatur in nobis* (Deus) *velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium, tantùm præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem: dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.* Et cap. 24. ita concludit Augustinus contra Pelagium, & Celestium: *Legant ergo, & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.*

Verùm hæc loca, & alia multa, quæ proferunt 77. *Quam gratiam admiserit.*
illis similia, non aliud probant ad summum, nisi Pelagium admisisse gratiam internam, operantē in nobis veras reuelationes: vt magis indicant quæ addit paulò pòst, cap. 26. *Cogitationem*, inquit, *& electionem, sicuti sunt discernenda, discernat: quia scientia inflat, caritas ædificat. Et cùm sit vtrumque donum Dei, sed vnum minus, alterum maius: non sic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum quod minus est, diuino tribuat adiutorio: quod autem maius est, humano vsurpet arbitrio.* Fateor itaque propter hunc, & alia loca ex eodem libro suprà relata, Pelagium admisisse Deum iuuare nos per gratiam internæ reuelationis, quam nomine doctrinæ comprehendebat: sed dico, semper, & constanter eum negâsse aliud auxilium internum ad voluntatem pertinens, quo Deus eam moueat ad bene operandum: vt patet ex locis disp. 7. sect. 4. relatis, & ex libro de hæresibus, hæresi 88. vbi exactè, & ex professo referens errorem Pelagij, non aliam ab illo gratiam admissam esse dicit, quàm liberum arbitrium, legem, & doctrinam.

78. Neque respondeant aduersarij, hæresim Pelagij eo tempore, quo D. Augustinus scripsit librum de hæresibus, fuisse adhuc in secundo statu; ideòque Augustinum hunc solum de illo referre: postea verò ad tertium processisse, vt patet ex libris Augustini de Gratia Christi, & peccat. orig. vbi Pelagium reprehendit, quòd gratiam quidem internam admitteret, sed non vt necessariam ad bene operandum: neque vt efficacem, quâ scilicet Deus faciat nos facere, hoc est, vt ipsi exponunt, physicè prædeterminet.

79. Primò enim, falluntur si putant librum D. Augustini de hæresibus fuisse scriptum ante libros de Gratia Christi. Nam ex epistola ipsius Augustini eidem libro proximè præfixa initio tomi sexti, constat librum de hæresibus scriptum fuisse post libros Retractationum, cuius in illis nullam mentionem facit. Constat etiam libros de gratia Christi fuisse scriptos ante libros Retractationum, quippe quorum in illis iam antea à se scriptorum expressè meminit. Ergo liber de hæresibus non fuit scriptus ante libros de gratia Christi. Et verò vt rectè notarunt Doctores Louanienses in Censura eiusdem libri, initio tomi sexti, ille vel postremus fuit ab Augustino scriptus, (Nam Isidorus in libro de viris illustribus capite nono, dicit Augustinum morte præuentum non potuisse illum perficere) vel saltem fuit inter postremos: vnde illius non meminit in libris Retractationum.

80. *Nunquam admisit gratiam voluntatis.* Secundò, D. Augustinus in illis ipsis libris de Gratia Christi manifestè docet, etiam tunc Pelagium per gratiam distinctam à libero arbitrio, non aliud intellexisse, quàm legem & doctrinam: licèt ad errorem suum tegendum, & condemnationem Catholicorum vitandam, diuersis verbis illam exprimeret, & magnificè extolleret. Verba D. Augustini lib. de Gratia Christi cap. 9. hæc sunt: *Quid enim iuuat Pelagium, quia diuersis verbis eandem rem dicit, vt non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, quâ possibilitatem naturæ asserit adiuuari.* Et cap. 41. affirmat Pelagium, quidquid dicat de gratia adiuuante ad bene operandum, vel ad malum vitandum: ita semper ambiguè loqui, vt discipulis exponere possit nullum se auxilium gratiæ admittere, quo naturæ possibilitas adiuuetur, nisi in lege atque doctrina. *Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, vbi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, & actionem* (id est, liberum arbitrium, volitionem, & operationem, vt exponit idem sanctus Doctor paulò inferiùs cap. 47.) *& solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio: voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio existimat indigere. Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam à Sancto Spiritu reuelari* (per internum illud auxilium intellectus) *propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ, etiam propheticis fuisse temporibus; adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi arbitratur esse exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica prædicatur: vt videlicet tanquam viâ demonstratâ, quâ ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis ne deficiamus in via. Quamuis & ipsam viam contendat etiam solâ inueniri posse naturâ; sed faciliùs, si adiuuet gratia.* Hæc Augustinus. Ex quibus perspicuè apparet, eo tempore quo scribebat libros de Gratia Christi, Pelagium adhuc in illo errore fuisse, vt gratiam naturæ superadditam ad iuuandum liberum arbitrium, in sola lege, & doctrina constitueret.

Alia quæ proferunt ex libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum capite 8. & libro 4. contra Iulianum capite tertio, ad probandum quartum statum supradictum hæresis Pelagij, nihil tale probant; vt loca ipsa consulenti manifestum erit: sed ad summum significant Celestium, Iulianum, & similes Pelagij discipulos, forsan deflexisse ad errorem Semipelagianorum, aientium gratiæ auxilium, qualecunque admittebant cum Pelagio, necessarium esse, non ad incipiendum, sed ad perficiendum. Concludo itaque, errorem Pelagij circa necessitatem gratiæ non fuisse circa efficaciam gratiæ, sed in tribus supradictis positum fuisse: quòd scilicet existimaret nullam gratiam præter liberum arbitrium, necessariam esse ad bene operandum sicut oportet ad salutem consequendam: quódque præter liberum arbitrium nullam gratiam agnosceret, nisi legem, & doctrinam, comprehendendo hoc nomine exempla Christi, & internam illuminationem intellectus, cuius ope faciliùs, & meliùs doctrina externa perciperetur: nullum autem in voluntate admitteret internum auxilium Spiritus sancti, ad consentiendum illi doctrinæ, & ad bene operandum. Et denique quòd gratiam illam diceret, non esse necessariam simpliciter ad bene operandum; sed tantùm ad faciliùs. 81.

SECTIO IX.

Soluitur aliud argumentum sumptum ex iis, quæ Pelagiani obiiciebant contra adiutorium voluntatis, & actionis.

QVARTVM argumentum, & quidem grauissimum vt putat aduersarius, sumitur ex errore quo Pelagiani aiutorium voluntatis, & actionis auersati sunt. Nam, inquit, cùm nulli alij siue Catholici, siue hæretici, vel etiam gentiles philosophi, potentiores vires aduersus omnes extrinsecus irruentes, vel intrinsecus insurgentes animo motus, arbitrio libertatis tribuerint, quàm Pelagiani: adeò vt non solùm bonos, & indeliberatos animi motus, quales Theologi volunt esse gratias præuenientes; sed etiam omnes vehementissimas animi perturbationes sola voluntatis libertate frænari, imò extingui posse profiterentur; & illorum celebre dogma esset, *Sufficere hominem ingenitis sibi motibus dare leges*: doctrinam tamen Augustini, quâ non tantùm possibilitatis adiutorium, sed etiam voluntatis, & actionis tuebatur, indignissimè tulerunt, exploserúntque velut intolerabilem: eò quòd siue daretur, siue negaretur, certissimum putarent introduci libertatis excidium, coactionem afferri, necessitatem 82. *Proponitur argumentũ verbis Iansenij cap. 11.*

tatémque voluntati, fatum condi, ignauâ bene faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari, & præmio: atqui supra modum ineptum est, & ridiculum existimare homines, Augustino teste subtilissimos, qui nullis motibus in arbitrium voluntatis irruentibus terrebantur, tot criminationibus adiutorium lacerâsse, quod ab initio vsque in finem semper exactissimè liberæ voluntati subditur; eiúsque nutu in influendo secum, vel non influendo regitur, & coërcetur. Ergo non loquebatur Augustinus de tali auxilio, & verò, si tale censuisset esse adiutorium voluntatis, & actionis, de quo cum Pelagianis contendebat: quis credat tantum Ecclesiæ Doctorem Angelicâ suâ subtilitate tam obuiam ac triuialem gratiæ cum libertate concordiam non penetrâsse: vel pietatem eius Pelagianis eam declarare noluisse? cùm facilè posset vnicâ sententiolâ, quòd adiutorium Christi in libero relinqueretur voluntatis arbitrio, totius laboriosissimæ controuersiæ filum præcidere: neque deessent illi verba, quibus id clarè explicaret: vt patet ex eo quòd loquens de gratia sanitatis, siue de actuali primi hominis adiutorio, talem eius cum libera voluntate concordiam, & sub eius nutu subiectioné tanta verborum vbertate, sententiarúmque claritate manifestauit; vt Theologi Neoterici phrases ipsius ad exprimendos suos conceptus arripere cogantur, iisdémq; verbis indifferentiam voluntatis sub gratiæ concursu explicare. Vt cùm ait, tale fuisse istud adiutorium, vt hoc Deus in hominis primi libero relinqueret arbitrio: vt illud per liberum arbitriū deserere posset: quod desereret cùm vellet, &in quo permaneret si vellet: cum quo perseuerare, & non perseuerare in eius libero relinqueretur arbitrio: per quod homini relinqueretur voluntas sua, vt in illo adiutorio maneret si vellet: vt ei dimitteret ac permitteret facere quod vellet. Cur ergo nihil tale dixit de adiutorio medicinali voluntatis, & actionis, vt difficultatem, & querimoniam Pelagianorum radicitus tolleret? Nimirum, quia non existimauit istud quoque subesse quoad vsum, aut non vsum arbitrio voluntatis.

83. *Cur Pelagiani putarent gratiā repugnare libertati?*

Sed huic argumento iam antea respondimus disp.7.sect.7. num 71.& sect.9. num. 91. & seqq. vbi diximus 1. causam cur Pelagiani abhorruerint adiutorium voluntatis, & actionis, quod cum Ecclesia Catholica docebat Augustinus, fuisse, quia credebant vires naturales liberi arbitrij tales & tantas esse, vt sufficiant ad volendum bonum, & cauendum peccatum: ac voluntatem non esse liberam, nisi per se vtrumque possit: proindéque libertatem voluntatis destruere circa bonum & malum, quicunque dicunt eam non posse velle bonum, neque vitare peccatum sine auxilio gratiæ: quemadmodum patet ex testimonijs Augustini, & Hieronymi ibidem relatis num. 64. Testatur enim D. August. epist.106. ad Paulin.& lib de Gestis Pelag. c.13. dogma eorum fuisse, *Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Hieronymus verò in epist. ad Ctesiphontem, Pelagianum ita loquentem inducit: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget:* & lib. 2. Dialogi contra Pelag. sic eundem interrogantem refert: *Quomodo seruas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse, nisi semper Deus adiuuerit?* Eodémque sensu asserebant *Sufficere hominem ingenitis sibi motibus leges dare.* Ideo verò putabant per auxilium gratiæ, quod prædicabat Augustinus, coactionem afferri, necessitatémque voluntati, fatum condi, ignauâ bene faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari & præmio: quia S. ille Doctor loquens de auxilio efficaci (de quo solo disputans contra Pelagianos loqui solet, vt ostendat quid possit & præstet gratia) dicebat illam dari sine præcedentibus meritis, & facere de nolente volentem, vtque non tantùm possimus velle & operari; sed etiam vt velimus, & operemur; non frustrari effectu, sed illum habere coniunctum inseparabiliter, inuictissiméque obtinere; auxilium quod datur Sanctis, & electis in regnum Dei, donúmque perseuerantiæ esse huiusmodi, vt non solùm sine illo non possint bene agere, & perseuerare; verùm etiam quo posito non nisi bene agentes, & perseuerantes sint; & tale donum contumaciter amitti non posse; aliáque id genus, quæ verè quidem dici possunt de gratia efficaci, sumptâ vt efficaci, id est prout subest directioni, aut præscientiæ diuinæ, quâ præuidetur esse infallibiliter habitura effectum, si detur in talibus circumstantiis, in quibus futurum est vt voluntas consentiat: ita vt hæc necessitas non sit nisi consequens ex præsuppositione euentus, seu consensus futuri, & à Deo præsciti. Quo sensu D. August. lib. de Bono perseu. c. 6. exponit id quod scripserat in lib. de Corrept. & grat. donum perseuerantiæ non posse amitti contumaciter, neque dare solùm potentiam perseuerandi, sed ipsam quoque perseuerantiam: quia, inquit, non dicuntur habere perseuerantiam, nisi qui reipsa perseuerant vsque in finem; neque habuisse donum illud, nisi qui actu perseuerârunt: postquam autem perseuerârunt, fieri nequit vt non perseuerauerint; neque periculum iam est amittendi donum perseuerantiæ, cùm iam nec vlla alia bona amitti possint, sed perseuerantiæ beneficio in tuto posita sint. Neque enim potest non fuisse id quod fuit, ex suppositione quòd fuerit: quia non potest simul fuisse, & non fuisse.

2. Perperam Iansenio videri incredibile, Pelagianos existimasse huiusmodi auxilium præiudicare libertati arbitrij, illique imponere fatalem necessitatem, &c. Cùm etiam nunc, post tam longam, & exactam difficultatis huius discussionem, non desinat graues & eruditi Theologi, qui existiment gratiam efficacem non modò iuxta sententiam physicè, aut moraliter prædeterminantium, verùm etiam eorum qui dicunt eius infallibilem, inuincibilem, inseparabilem, & necessariam connexionem cum effectu, peti ex euentu præscito, aut etiam præordinato à Deo, nō posse stare cum indifferentia libertatis; imò neque necessitatem concursus diuini bene cum illa cohærere: ac neque etiam determinatam veritatem futurorum contingentium posse consistere cum eorum contingentia, & libertate causæ secundæ: ad quem scopulum ipsimet Theologiæ, & Philosophiæ principes, D. Thomas, & Aristoteles adhæserunt. Vt mirum non sit Pelagianos, subtiles licèt, & ingenio præstantes, difficultatem hac in re esse passos. Quan- 84. *Quæ difficultas adid eos mouerit licèt ingeniosos?*

quam non adeo subtiles erant, & præstantes ingenio, vt non in multos alios graues,& absurdos errores impegerint, vt testimonio ipsiusmet aduersarij probauimus citata disputat. 7. num. 92.

85. *Augustinus sæpe docet gratiam nõ necessitare.* 3. D. Augustinum pluribus locis, in libris etiam contra Pelagianos, expresse docuisse efficaciam gratiæ medicinalis non esse talem, vt non relinquat vsum libertatis indifferentiæ: vt videre est in libro de gratia & libero arbitrio, quem scripsit partim contra Pelagianos necessitatem gratiæ negantes, partim contra Monachos Adrumetinos, qui putabant eam non compati vsum libertatis indifferentiæ: quem secundum errorem refellit cap. 2. adductis pluribus Scripturæ testimoniis, affirmantibus esse in nostra libera potestate, & electione bene aut malè agere, & vti gratia vel non vti, & lib. de Spirit. & lit. cap. 34. *Misericordia Dei*, inquit, *prauenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis est.* Et lib. de natura & grat. cap. 65. approbat tanquam notissimum, & certissimum, verissimúmque, id quod scripserat Hieronymus, *Liberi arbitrij nos esse, neque ad virtutes, aut ad vitia necessitate trahi.* Et denique lib. 2. contra lit. Pet. c. 84. ait, difficultatem conciliandi efficaciam gratiæ cum libero vsu volũtatis, in coversari, quomodo fieri possit vt gratia nos trahat, & tamen nos liberè illi cooperemur cum potestate non cooperandi, & eligendi alterutrum vt libuerit: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahit ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio? fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum est: sed intellectu hoc percipere pauci valent.*

86. *Idque non minùs clarè quàm de gratia in statu innocentia.* Quare falsum est quod ait Iansenius, D. Augustinum nusquam vsum libertatis indifferentiæ sub concursu gratiæ medicinalis expressisse: cùm tamen illum, cum vsu gratiæ sanitatis disertissimis verbis sæpius expresserit. Nam ex testimoniis iam allatis constat euidenter oppositum. Et vt rectè notauit Antonius Ricardus lib. 2. disp. de libero arbitrio cap. 4. sect. 1. §. 1. non minùs clarè, & disertè affirmauit D. Augustinus gratiam medicinalem non inferre necessitatem, sed subesse libertati indifferentiæ: quàm de gratia sanitatis id vnquam asseruerit: vt patebit conferenti loca, quibus aduersarius probauit, ita sensisse Augustinum de gratia sanitatis, cum aliis planè similibus, quibus de gratia medicinali loquitur. Ex. gratia probat ille tom. 2. lib. de gratia primi hominis, & Angelorum, cap. 14. & tom. 3. lib. 2. cap. 5. gratiam sanitatis libero eorum arbitrio subiectam fuisse, ex eo quod dicit Augustinus lib. de Corrept. & gratia cap. 12. Tale fuisse adiutorium Adamo datum in statu innocentiæ, *Quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet.* Et inferiùs: *Sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret; sed hoc adiutorium, si vellet, desereret.* Et capite 11. de eodem sic ait: *Quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus. Sed deseruit, & desertus est.* Atqui simili modo affirmat Augustinus posse nos deserere, & reipsa deserere gratiam medicinalem, cùm sic ait libro de natura & gratia, capite 26. de gratia nunc hominibus concessa: *Deus non deserit, si non deseratur, & piè semper iustèque viuatur.* Et tract. 2. in caput 1. Ioan. *Opus est vt tu non deseras, & non deseraris.* Quem loquendi modum ex eo sumpsit Tridentinum sess. 6. capite 11. sic dicens: *Deus suâ gratiâ iustificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur.* Et paulò pòst, capite decimo-tertio: *Nemo vt perseueranter stet sibi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Vbi de gratia auxiliante sermonem esse Augustino, & Tridentino, loco saltem posteriùs citato, manifestum est, quidquid dicat aduersarius libro 3. de Gratia Christi, capite 19. vt euidenter conuincit Ricardus loco suprà citato. Eodémque pertinet quod ait Augustinus lib. primo ad Simplicianum q. 2. Esaü contempsisse vocationem, quâ poterat currere, & peruenire, si voluisset: eâque contemptâ reprobum factum esse.

Affirmat vtramque posse deseri, seu reiici.

Item, probat aduersarius tom. 3. libro 2. capite 5. gratiam sanitatis non imposuisse necessitatem Adamo, ex eo quòd Augustinus libro de Corrept. & gratia, capite 11. & 12. affirmat Deum Adamo permisisse, atque dimisisse facere quod vellet, & gratiam in eius arbitrio reliquisse, talísque naturæ, efficaciæ, & influxus illam fuisse, vt eam per liberum arbitrium frustrari posset effectu cùm vellet: quo fiebat vt haberet iustitiam, si vellet; sed si vellet, etiam desereret. At idem prorsus affirmat de gratia medicinali. Nam libro de Gratia & libero arbitrio capite secundo, interpretatur de homine lapso illud Eccles. 15. *Deus ab initio creauit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Et libro secundo contra literas Petiliani capite 84. verbis paulò antè relatis, affirmat Deum per gratiam ita nos trahere, vt tamen libero nos dimittat arbitrio, vt quod voluerimus eligamus. Estque notandum Augustinum id dicere, vt ostendat leges pœnales, quibus Donatistæ iubebantur hæresim abiurare, non adimere illis arbitrij libertatem, iniustéque ipsos conqueri, & sic exprobrare Catholicis: *Cur vos non liberum arbitrium vnicuique sequi permittitis: cum ipse tamen Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus? Si enim*, inquit Augustinus, *fieri potest, vt quos in libero dimisit arbitrio: attrahat tamen ad filium Pater: sic fieri potest vt ea, quæ legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* 87. *Et permittere voluntati facere quod vult.*

Item, probat aduersarius habuisse Adamum cum gratia sanitatis libertatem indifferentiæ, ex eo quod affirmat Augustinus serm. 34. de diuersis, capite 2. aliísque locis, fuisse in eius potestate consentire dæmoni, aut dissentire; Deúmque vocantem sequi, aut fugere. Verba D. Augustini loco citato hæc sunt: *Vt subderetur Adam diabolo seductori, fuit in eius libero arbitrio; quod ad inferiora declinando, superiora deseruit: & aurem præbuit serpenti, aurem clausit ad Deum: atque constitutus inter præceptorem, & seductorem; magis seductori, quàm præceptori obtemperare elegit.* Atqui de homine lapso, déque adiutorio ei concesso, simili modo loquitur lib. 50. homil. hom. 12. vbi sic habet: *Cùm per Dei adiutorium in potestate tua sit vtrum consentias diabolo: quare non magis Deo, quàm ipsi obtemperare deliberas? Si* 88. *Et relinquere potestatem dissentiendi, aut consentiendi prout vult.*

enim solus diabolus daret consilium, & Deus taceret; haberes quo excusari posses. Cùm verò Christus tibi & conscientiâ tuâ contradicat &c. quare Satanas seducit ad peccandum, cùm Deus posuerit homini in potestate non consentire Satanæ. est enim à dextris quodammodo, præcipiens Deus, à sinistris seducens Satanas, homo in medio constitutus. Cor, quod inclinatur ad diabolum, quare non potiùs erigitur ad Deum? Non enim diabolus cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Nos diabolum non adiuuemus, & vincimus. Dat quidem ille consilium: sed Deo auxiliante nostrum est vel eligere, vel repudiare, quod suggerit. Certè si D. Augustinus prioribus verbis significat gratiam sanitatis, Adamo datam, pependisse in vsu & operatione à libertate indifferentiæ, vt affirmat aduersarius: posteriora non minùs clarè significant gratiam medicinalem, datam hominibus in hoc statu naturæ lapsæ, pendere similiter quoad consensum, vel dissensum, à libero ipsorum arbitrio. Eodémque pertinet, quod suprà retulimus ex lib. de spirit. & lit. cap. 34. *Misericordiam Dei preuenire nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis esse:* id est, pendere à nostra libertate iuxta phrasim Augustini, vt ostendemus alibi, disput 31. sect. 4.

89. *Impostura Iansenij.* Hæc si aduertisset Iansenius in Augustino toties (vt ait) à se lecto; vel nisi mala fide dissimularet, non tam confidenter assereret S. illum Doctorem ne hiscere quidem ausum esse de libertate volũtatis in vsu gratiæ medicinalis, non obstantibus tot Pelagianorum criminationibus quòd eam tolleret, fatalémque necessitatem & coactionem induceret. Huc etiam pertinent quæ retulimus sect. 7. num. 63. & seqq. ad ostendendum D. Augustinum simili modo locutum esse de gratia medicinali, quo de gratia sanitatis, & auxilio dato Angelis, primisque parentibus in statu innocentiæ (quod vt fatetur aduersarius vsum libertatis indifferentiæ relinquebat) illique tribuere quod faceret operari, quod daret velle, quod donarit perseuerantiam bonis Angelis, & similia, ex quibus malè Iansenius colligit gratiam medicinalem non pendere quoad vsum ab arbitrio voluntatis, sed facere vt necessariò velit.

SECTIO X.

Diluitur aliud argumentum sumptum ex errore Massiliensium & variis loquendi modis Conciliorum & Patrum.

90. *Exponitur error ille iuxta Iansenium.* QVINTVM argumentum sumit Iansenius ex errore Massiliensium, quem in eo positum fuisse affirmat, quòd ad initium fidei, ad orationem, & desiderium medici, ad petendum, quærendum, pulsandum, faterentur quidem necessarium esse auxilium gratiæ: sed ita vt hoc adiutorium, & ipsum velle, & nolle, quemadmodum homini primo, in eorum libero relinqueretur arbitrio: horrerent verò illud capitaliter, quo secundùm Augustinum fiebat vt vellent: id est quod necessitatem volendi imponeret: propter quod ab eodem S. Doctore, & aliis gratiæ defensoribus, Ecclesiâ approbante, damnati sunt: affirmantibus errare qui sic sentiunt, eósque *non recedere ab ea sententia, quam Pelagius damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita dari:* reipsáque dicere fidem non esse ex Deo, sed ex nobis: nimirum quia fidem homo sibi tribuit, quantumcunque se huiusmodi gratiâ adiutum esse fateatur. Cùm enim voluntas ad credendum se flectit nutu proprio, iuuante licèt gratiâ; hoc tam est propriè & genuinè voluntatis humanæ, quàm ipsius esset, si nullâ actuali gratiâ concurrente, solius habitus adiutorio pro sua indifferẽti libertate crederet.

Verùm ex dictis disput. 10. sect. 4. & 5. constat euidenter errorem Massiliensium non fuisse qualem falsò affirmat Iansenius: sed quòd existimarent solas vires naturales liberi arbitrij sufficere ad initium fidei, id est, ad pium affectum credulitatis, ipsámque fidem initialem, & ad petendum, quærendum, pulsandum, Christique Medici opem desiderandam, & implorandam; cuius gratiam volebant tantùm esse necessariam ad progrediẽdum & perficiendum, id est, ad ea quæ post initium illud salutis facienda supersunt vt salutem æternam consequamur: eandémque gratiam volebant dari ex merito fidei: & aliis in quibus initium illud constituebant: ne alioqui Deus esset acceptor personarum, si eam daret vni, & non alteri, sine præuio illius merito, aut istius demerito. Talem enim fuisse Massiliensium errorem perspicuè demonstrauimus locis suprà citatis. Primò ex verbis quibus ipsi Massilienses, & præcipui eorum Antistites Cassianus & Faustus Rhegiensis, sententiam suam expresserunt. Secundò, ex multis canonibus Concilij Arausicani II. cõtra eosdem celebrati. Tertiò, ex epist. Prosperi & Hilarij ad S. Augustinum, præfixis lib. de Prædest. SS. Quartò, ex pluribus testimoniis ipsius Augustini errorem illum referentis & refutantis epist. 106. ad Vitalem, & lib. de Præd. SS. c. 2. & seqq. itémque Prosperi lib. contra Collat. præcipuè cap. 40. & Fulgentij lib. de Incarnat. & gratia cap. 17. & 18. Ex quibus omnibus sole clarius liquet Massiliensium sententiam fuisse, quòd cùm Pelagius non admitteret peccatum originale, negarétque penitùs necessitatem gratiæ ad opera salutis, affirmarétque vires naturales arbitrij, nobis in creatione dati, sufficere non modò ad incipiendum, sed etiam ad promouendum & perficiendum totum salutis nostræ negotium: ipsi moderationem quandam eius dogmati adhibentes admiserint peccatum originale, liberique arbitrij læsionem ab illo inductam; non tamen eo vsque, vt non superessent ei vires sufficientes ad inchoandum opus salutis per initium fidei, & alia quæ initij nomine comprehendebant: quamuis non sufficiant ad opera bona deinceps exercenda ad proficiendum, & perseuerandum in via salutis. Propter quam moderationem Semipelagiani appellati sunt, eò quòd ex parte sententiam Pelagij retinerent, negando gratiæ necessitatem ad initium salutis: & ex parte reiicerent admittendo gratiam esse necessariam ad ea quæ post initium salutis facienda restant, quam gratiam dari volebant intuitu fidei initialis, & aliorum huiusmodi solis naturæ viribus elicitorum, & omnem Dei gratiam propriè dictam præuenientium. Propter quod etiam dicebant Deum nostros conatus expectare, gratiámque naturæ pedissequam esse volebant. Quare nullius sunt momenti quæ toto capite 12. adducit Iansenius, supponens Massilienses admisisse necessitatem gratiæ ad illud ipsum initium salutis: & ni

91. *Ostenditur impostura Iansenij.*

Quis verò fuerit error Semipelag.

eo tantùm erràsse, quòd illud gratiæ adiutorium pendere vellent quoad vsum à libero voluntatis arbitrio, sicut pendebat ab arbitrio Adami in statu innocentiæ: & eam ob causam damnatos fuisse ab Augustino, & aliis antiquis gratiæ defensoribus; qui certè nusquam hoc in illis reprehenderunt: neque aliud contra illos probandum susceperunt, quàm gratiam esse necessariam ad ea omnia, & singula, quæ ad salutem pertinent, illámque gratis dari, id est, nullis præcedentibus meritis naturalibus: fidémque ipsam, & credendi voluntatem non esse ex nobis per solas naturæ vires, sed & principaliter esse ex Deo per auxilium gratiæ. Euidentérque falsum est, quod ait, id quod voluntas liberè facit cum auxilio gratiæ actualis, sine quo illud facere non posset; non minùs propriè esse voluntatis; id est, non minùs illi tribuendum esse, quàm si faceret absque tali auxilio.

92. *Varia testimonia quibus abutitur Iansenius.* Adducit præterea Iansenius varios loquendi modos Conciliorum, & Sanctorum Patrum, summotúmque Pontificum, quos dicit esse interpretandos iuxta discrimen à se constitutum inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem. Cuiusmodi est primò, quod dicunt primum hominem in sua conditione *accepisse voluntatem liberam, & sufficientissimam bene viuendi potestatem: talem esse factum, qui peccati malo carere sufficeret si voluisset; idque quia cum libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate libera constitutus fuerat:* arbitrium eius *ita liberum fuisse, vt bene velle posset & malè:* seu habuisse *potestatem vtrum vellet: in natura posse, & in potestate habuisse velle: mentis valentiâ viguisse, quâ præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet:* Et *facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis insertam: naturaliter ei datum posse credere:* Eum *per liberum arbitrium stare potuisse: Angelos* reipsa *per liberum arbitrium, & per libertatem voluntatis, in veritate stetisse: in liberi arbitrij viribus fuisse non discedere à Deo.* Nimirum, quia hæc omnia poterant per libertatem indifferentiæ, quamuis non sine auxilio gratiæ.

93. Huiusmodi est secundò, quod dicunt, nos iam *liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidisse:* potestatem cogitandi, & agendi quæ ad Deum pertinent, in primo homine amissam fuisse: gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit: solum protoplastum per se sibi, id est, per liberum arbitrium sufficere potuisse: & per peccatum amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet. Quæ omnia vult dici propter amissam libertatem indifferentiæ per peccatum Adæ.

94. Huiusmodi est tertiò, quòd Augustinus, & Prosper, & alij prisci gratiæ defensores, Pelagio dicenti naturalem, seu in creatione acceptam arbitrij libertatem sufficere, vt bene viuere, & legem seruare possit: respondent, id posse vtcunque acceptari, si de sana hominis natura loqueretur: iam verò naturam hominis medico indigere, quia sana non est: cúmque per Pelagium defenditur velut sana, viribúsque integris; opitulatio medici inanitur.

95. Huiusmodi est quartò, quòd Pontifices, & Concilia dicunt Deum nostram non expectare voluntatem, sed per Spiritus sancti infusionem fieri vt purgari velimus: initium fidei non inesse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti: per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari vt expedit, sed per illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti: per liberum arbitrium ad gratiam Baptismi homines non posse venire: *Nullum postea*, hoc est, post lapsum primi hominis, *per liberum arbitrium, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, posse, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit. Præclaram Sanctorum fidem non per bonum naturæ, sed per gratiam Dei esse collatam: latronis, Centurionis, Zachæi tam admirabilem fidem non fuisse de natura, sed diuinæ largitatis donum: Neminem de profundo illius ruinæ* (peccati originalis) *per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.* Quæ omnia dicta esse vult, non quia huiusmodi opera sunt meritoria, aut supernaturalia: quam rationem Concilia, Patres, & Pontifices ne verbulo quidem insinuant: sed quia liberum arbitrium peccato Adæ fuit infirmatum, vitiatum, læsum, amissum: & quia scilicet, vt ait Arausicanum can. 25. *Arbitrium per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum est, vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, &c. possit, nisi gratia eum diuina præuenerit.* Et vt affirmat Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, *In præuaricatione Adæ homines naturalem possibilitatem amiserunt.* Atque inde fit, vt iam homo non possit sine adiutorio medicinali (hoc est, necessitante) bene velle, & operari: sicut poterat in statu innocentiæ, cum solo adiutorio sanitatis, id est, compatiente indifferentiam voluntatis.

Huiusmodi est quintò, quòd dicunt, vt purgari velimus, sancti Spiritus infusione, & operatione fieri debere: per eiusdem inspirationem corrigi voluntatem ab infidelitate ad fidem: id est, velle à non credendo ad credendum retorqueri: fierique in nobis per inspirationem Spiritus sancti vt credamus, & velimus: & ipsum affectum credulitatis esse donum Dei: fidem & amorem à Deo donari & inspirari: & denique, quoties bona agimus, Deum in nobis, atque nobiscum vt operemur, operari. Quibus (inquit) significatur non ampliùs ista fieri per liberum arbitrium, per possibilitatem naturalem, per naturæ vigorem, vt antea solebat in statu innocentiæ, concurrente scilicet possibilitatis adiutorio, sine quo operari bonum homo, aut velle non poterat; sed istas voluntates, & actiones iam esse specialia, & propriè dicta Dei beneficia, quia donantur per auxilium gratiæ medicinalis, non autem habentur ex libero flexu voluntatis, concurrente solo adiutorio possibilitatis. 96.

Huiusmodi est sextò, quòd ait Arausicanum, inuocatione humana gratiam Dei non posse conferri: & humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungendum non esse gratiæ adiutorium: negátque sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam, hoc est, gratiam conferri diuinitus: & quod denique ait Augustinus vno verbo hæc omnia complectens, Gratiam Dei non dari secundùm præcedentis merita voluntatis, sunt enim merita voluntatis, & *humana*, ea quæ procedunt à voluntate pro suo nutu, & arbitrio operante, concurrente licèt adiutorio possibilitatis. 97.

98. *Quo sensu habuit Adamus sufficientissimã bene viuendi potestatem, &c.*

Ad quæ omnia respondeo, constare ex supradictis tum in præsenti disputatione, tum in aliis præcedentibus, 1. Idcirco dici ab antiquis gratiæ defensoribus primum hominem in sua conditione accepisse voluntatem liberam, & sufficientissimam bene viuendi potestatem; talémque esse factum, qui peccati malo carere sufficeret, si voluisset; & in libero arbitrio, atque ad iustè viuendum potestate liberâ constitutum fuisse; & alia supra relata num. 92. quia primus homo fuerat à Deo creatus cum integritate naturæ, id est perfectâ subiectione partis inferioris ad superiorem, & sine vllis animi perturbationibus, aut motibus concupiscentiæ rationi rebellibus, & aliis quæ virtutis exercitium difficilè reddunt: itémque cum habitibus naturalibus, & supernaturalibus, quibus secundùm intellectum, & voluntatem optimè instructus à Deo fuerat ad cognoscendum verum, & appetendum bonum. Propter quod verissimum est accepisse Adamum sufficientissimam bene viuendi potestatem, & peccati malo carere potuisse si voluisset, & arbitrium eius ita liberum fuisse vt bene velle posset, & malè: & in natura, talibus donis instructa, habuisse posse; & in potestate habuisse velle: & mentis valentiâ viguisse, quâ præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet: & facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis, insertam ei fuisse: & naturaliter (id est, ab origine, siue in ipsa creatione) datum ei posse credere: ac per liberum arbitrium stare potuisse, sicut Angeli reipsa steterunt: & denique in liberi eius arbitrij viribus, sic à Deo præuentis, & munitis, fuisse non discedere à Deo.

99. *Quo sensu periit liberum arbitrium?*

2. Quando dicunt nos iam liberum arbitriũ ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse: & Deum dedisse quidem ab initio hanc primo homini facultatem, sed omnes illam in eo amisisse: Primum hominem illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisisse protinus facultatẽ, & gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit: quando, inquam, hæc dicunt, loquuntur de libero arbitrio, non quoad substantiam consideratọ, sed quoad statum accidentalem, in quo fuerat constitutus per donum integritatis, & alia suprà enumerata, per peccatum amissa: quo in statu erat completè potens, & expeditum ad diligendum Deum, & ad bene operandum vtilitérque ad vitam æternam. Neque enim dicere voluerunt liberum arbitrium, substantialiter amissum fuisse per peccatum Adæ: sed contrarium expressè profitentur: vt de Augustino (cuius sunt verba primo loco relata) videre est lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 2. vbi sic ait: *Quis nostrûm dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habẽdi plenam cum immortalitate iustitiam:* per illa scilicet dona gratuita, de quibus suprà. Et lib. 2. c. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad bene autem piéque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Sensus ergo illorum est, periisse liberum arbitrium ad diligendum Deum, & facultatem illa cogitandi, & volendi quæ ad Deum pertinent; quatenus primi hominis peccato perierunt illa Dei beneficia, per quæ sufficienter ad illa omnia præstanda instructum erat: ex quo fit vt iam credere, diligere, piéque, & iustè viuere nequeat, nisi gratiæ beneficio facultatem sufficientem hęc agendi receperit. Quod verò addunt, solum protoplastũ per se sibi (id est, per liberum arbitrium) sufficere potuisse: Et eum amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet: ideo dicitur, quia D. Augustinus, & eius doctrinæ sectatores, & compilatores (qualis fuit auctor Hypognosticon, cuius hæc verba sunt) existimarunt voluntatem Adami, instructam tot & tantis habitibus, non indiguisse actuali gratiæ auxilio ad volendum, & operandum bonum, etiam supernaturale; cùm aliunde careret difficultate, quam nunc patimur ex naturæ corruptione, & rebellione partis inferioris, propter quam opus nunc est auxiliis actualibus, quibus voluntas ad bonum inclinetur, & difficultas illa superetur. Neque iam sufficiunt iustis soli habitus supernaturales, quibus instructi sunt. Qua de re vide quæ diximus sect. 6. num. 48.

3. Eodem sensu intelligendum est, quod Pelagio, naturalem, seu in creatione acceptam arbitrij libertatem prædicanti, respondet Augustinus, posse vtcunque, id est, aliquo sensu, id acceptari, si de sana hominis natura loqueretur: nunc verò medico indigere, id est, auxilio voluntatis per Christi sanguinem nobis acquisito, quia sana non est: Si autem 100.

———illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quæque voluntas
Conciliare Deo, pœnâque absoluere posset,

vt ait Prosper in Carmine de ingratis: quia nimirum sufficeret sibi voluntas, sine actuali auxilio gratiæ, ad exercendum actum pœnitendi sicut oportet ad obtinendam peccatorum remissionem, nullâ concupiscentiali infirmitate libertatem remorante, & habitibus supernaturalibus sufficiẽter ad hoc eam potentẽ constituentibus.

4. Quando Pontifices, & Concilia contra Massilienses definiunt, Deum nostram non expectare voluntatem, sed per infusionem Spiritus sancti fieri vt purgari velimus: initium fidei non esse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti: per naturæ vigorem nihil posse cogitari vt expedit, sed per illuminationem, & inspirationem Spiritus sancti: post peccatum Adæ, neminem per liberum arbitrium, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari quod bonum est posse, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit, &c. Hęc omnia dicunt contra errorem, quo Massilienses Semipelagiani volebant bona opera nostra, solis naturæ viribus facta, præuenire Dei gratiam; Deúmque, vt illam nobis largiatur, expectare vt eam bona nostra voluntate mereamur: & initiũ fidei nobis inesse naturaliter, id est, sine auxilio gratiæ: sufficeréque solius naturæ vigorem ad credendum, & ad alia in quibus salutis initium constituebant: vt suprà diximus num. 91. & fusè demonstrauimus disp. 10. sect. 4. & 5. Contra quẽ errorem definiunt, nihil tale fieri posse in hoc statu naturæ corruptæ, sine inspiratione, & adiutorio Spiritus sancti, etiam ex parte voluntatis; quo nunc indigemus vltra habitus supernaturales, postquàm arbitrium per peccatum Adæ vitiatum, & infirmatum est.

101. *Quo sensu dicitur Deũ non expectare nostram voluntatem?*

5. Quando dicunt debere fieri per infusionem Spiritus sancti vt purgari velimus, & per eiusdem inspirationem corrigi voluntatem ab 102. *Et, per gratiam fieri vt purgari velimus?*

infidelitate ad fidem: per eandémque fieri vt credamus & velimus: & ipsum credulitatis affectum esse donum Dei, Deúmque fidem & amorem nobis inspirare: & quoties bona agimus, Deum nobiscum, atque in nobis operari vt operemur: sensus est; hæc omnia fieri non posse solis naturæ viribus: vel etiam, non posse iam à nobis, sicut ab Adamo, fieri sine adiutorio voluntatis, & actionis: vt volebant Pelagiani de quacunque fide, & quibusuis operibus: vel, vt volebant Semipelagiani, de initio salutis: non autem sensus est, quem prætendit aduersarius, cùm hæc fierent, aut fieri possent ab Adamo per liberum arbitrium cum auxilio repudiabili, nunc à nobis fieri non posse sine adiutorio voluntatis necessariò consensum obtinente. Nam tale genus adiutorij esse alienum à doctrina SS. Patrum, nominatímque D. Augustini, & aliorum gratiæ defensorum, constat euidenter ex dictis sect. 4. & sequentibus.

103. *Et, obedientiæ humanæ non subiungi gratiæ adiutorium.* Eodem quoque sensu intelligenda sunt, quæ sexto loco refert Iansenius ex Arausicano Concilio: *Inuocatione humana gratiam non posse conferri:* &, *humilitati, aut obedientiæ humanæ non esse subiungendum gratiæ adiutorium:* Nam per humanam inuocationem, humilitatem, & obedientiam, intelligit, iuxta mentem Semipelagianorum, inuocationem, humilitatem, & obedientiam solis naturæ viribus exhibitam: propter quod addit, sine gratia Dei excedentibus, volentibus, desiderantibus, petentibus nobis, &c. misericordiam non conferri diuinitus. Idémque sibi vult Augustinus cùm ait, *Gratiam Dei non dari secundùm præcedentis merita voluntatis:* videlicet merè naturalia; ita vt fides naturaliter concepta, vel oratio, vel aliquis conatus merè naturalis eam præcedat, & promereatur. Nam quod Semipelagiani vellent, hæc omnia fieri sine vllo auxilio gratiæ, per solas vires liberi arbitrij ad hoc sufficientes, non obstante eius læsione, constat euidenter ex dictis disp. 10. tota sect. 4. 5. & 6. Contra quem errorem pronunciant Arausicanum Concilium, & Augustinus illa non fieri sine præueniente Spiritus sancti illuminatione & inspiratione; per illúmque donari vt credamus, & inuocetur à nobis, vtque fiamus de nolentibus volentes credere, & durities cordis auferatur à nobis. Quibus & similibus loquendi modis exprimunt efficaciam gratiæ medicinalis, quæ non tantùm dat vt sciamus quæ facienda sunt, illustrando intellectum; verùm etiam facit vt velimus, per piam, & efficacem motionem voluntatis, quamuis non necessitantem, vt perperam vult inferre Iansenius ex his loquendi modis, qui tamen vt ostendimus sect. 7. fuerunt vsurpati ab Augustino loquente de gratia sanitatis, & de auxilio Angelis dato ad perseuerandum, sub quibus tamen mansisse vsum libertatis indifferentiæ in Adamo, & Angelis sæpius affirmat Iansenius, adeóque sibi apertè contradicit, quando ex talibus loquendi modis vult inferre gratiam medicinalem necessitare voluntatem ad consentiendum, & volendum.

SECTIO XI.

Exponuntur alia quædam D. Augustini loca ab aduersario obiecta.

104. *Proponitur argumentum Ianseny.* ARGVMENTATVR sexto loco Iansenius cap. 14. ex variis Augustini testimoniis, quibus affirmat Deum magis habere in potestate volútates hominum, quàm ipsi suas: & per gratiæ Christi adiutorium Deum facere vt arbitrium velit, vt consentiat, vt operetur: nunquam verò (inquit) vel leuiter insinuat, sed potiùs expressis verbis negat, in hominis lapsi, sicut integri, hoc voluntate relinqui, vt illud amplectatur, aut deserat. Ad quod confirmandum profert verba Augustini ex ep. 107. ad Vitalem, *Gratia præuenit hominis voluntatem* (id est volitionem) *nec eam cuiusquam inuenit in corde, sed facit.* Et, *vocatione altâ, atque secretâ, sic agit hominis sensum, vt legi atque doctrinæ accommodet assensum.* Et quod ait lib. 4. ad Bonif. c. 6. & lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. & 17. & lib. de Corrept. & grat. c. 12. Deum facere vt ambulemus, vt obseruemus, vt faciamus, & vt velimus: & certum esse nos velle cùm volumus, & facere cùm facimus: sed Deum facere vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati: & tantùm Spiritu sancto accendi voluntatem hominum, vt ideò possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint. Quibus & similibus Augustini verbis, ex Scriptura plerumque desumptis, dicit non satisfieri si dicatur non aliud illis significari nisi causam finalem; id est, Deum præbere auxilium gratiæ eo fine vt velimus, & operemur. Nam idem S. Doctor disertè affirmat Deum donare ipsam voluntatem, & ipsum bonũ opus, atque in nobis operari vt velimus, & operemur: sæpissiméque opus iustitiæ, pudicitiæ, continentiæ, seu iustè, pudicè, continenter viuere, meritum, perseuerantiam, seu perseuerantem dilectionem Dei, quæ non nisi volendo, & operando perficiuntur, munera ac dona Dei vocat, quæ Deus quibus voluerit, gratuitò largiatur: vt in epist. 95. 105. & 107. & libro de gratia & libero arbitrio capite quinto, & libro primo Operis imperfecti fol. 5. & lib. 2. fol. 452. & lib. de Nupt. c. 3. & lib. de grat. & lib. arb. c. 4. & lib. de Dono perseu. cap. vlt. & lib. de Spirit. & lit. c. 1. & 5. aliísque locis. Non satisfaciunt etiam, qui respondent Deum ad illa per gratiam internam, quantumcunque magnam, facienda concurrere, tãquam sine qua non possint humani arbitrij libertate fieri: id est, per gratiam repudiabilem. Talis enim gratia nullo modo donat vt fiant, sed tantummodo vires præbet, quibus adiutum voluntatis arbitrium, ea sibi donet, si placuerit: sin autem displicuerit, gratia sine effectu maneat. Vbi enim talis potestas gratiæ dominatur, ridiculum est dicere gratiam donare vt fiant: quia non sola potestas largitur opus, sed id quod applicat potestatem: cui sicut tribui debet quòd non operetur, quando gratiæ auxilio vti non vult; ita & quòd operetur, quando vult illâ vti. Neque tunc id quod fit est meritum diuinum, meritum gratiæ Dei, meritum diuinitus datum: sed, vt illud vocat Augustinus, meritum humanum, meritum liberi arbitrij, meritum humanæ voluntatis: id est, factum vi liberi arbitrij, licèt non sine auxilio gratiæ repudiabilis.

Sed vt ab hoc vltimo incipiam: inepta est, & malè cum doctrina Iansenij cohærens hæc eius ratiocinatio. 105. *Malè sibi cohæret.* Nam si ex eo quòd dicat Augustinus Deum donare fidem, & bonam voluntatem, & continentiam, iustitiam, pietatem, meritum, perseuerantiam, esse dona Dei, rectè colligitur hæc non fieri per libertatem indifferentiæ, cum auxilio gratiæ illam

compatiente; neque possunt verè dici esse dona Dei, si voluntas libero suo flexu tali auxilio cooperetur: dicendum erit pariter bonam voluntatem, & perseuerantiam Angelorum, non processisse ab eorum libertate, sed per gratiam necessitantem fuisse illis donatam. Nam vt alibi diximus, & nunc breuiter repetere necessarium est, D. Augustinus manifestè affirmat lib. 12. de Ciuit. cap. 9. bonam voluntatem Angelorum fuisse illis à Deo donatam. Ibidémque tribuit speciali, & maiori Dei adiutorio quòd Angeli boni perseuerauerint, malis cadentibus: & concione 2. in Psal. 32. exponens illud, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; dicit omnem virtutem Angelorum, quos cælorum nomine intelligi vult, & eorum solidamentum, siue constantiam in veritate & iustitia, fuisse in illis nôn à semetipsis, sed à Spiritu Dei. Atqui contra doctrinam Augustini est, & contra rei veritatem, vt sæpius affirmat Iansenius tum hoc lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris, in quo refutando versamur; tum in libro de Gratia primi hominis, & Angelorum; quòd Angeli non habuerint bonam voluntatem, & alios actus bonos, ipsámque perseuerantiam, per vsum libertatis indifferentiæ cooperantis auxilio gratiæ. Ergo Iansenij ratiocinatio & D. Augustino, & doctrinæ ipsiusmet apertè repugnat. Planéque ridiculum est quod ait, non posse dici bonam voluntatem, & fidem, aliáque bona opera, & merita, esse Dei dona, si homo liberè gratiæ cooperetur, liberéque illa recipiat per gratiam, cui possit resistere. Quasi verò, vt rectè dicit Anselmus libro de Concordia præscientiæ & prædestinationis cap. 3. non possit verè dici pauperem dono diuitis fuisse vestitum, quia vestem ab eo sibi oblatam liberè accepit, & induit, potuítque tale beneficium non acceptare, aut non eo vti.

Opera gratiæ tribuuntur Deo quamuis liberè fiant.

106. *Secus autem negatio consensus.* Euidenter quoque falsum est, huiusmodi bona opera non esse Deo tribuenda, si fiant cum libertate indifferentię, quia voluntas liberè vult cooperari gratiæ: sed ipsi voluntati hominis: sicut non Deo, sed voluntati tribuendum est quòd non bene operetur, gratiâque sibi oblatâ vti nolit. Nam inter hæc duo manifestum discrimen est. Deus enim, & eius gratia auxilians, non est causa cur voluntas hominis non bene operetur, & gratiâ sibi oblatâ vti nolit, neque ad hoc inducit, ac mouet, sed potiùs contra illius ductum, & motionem hoc fit: neque ad nolendum cooperatur cum voluntate. At verò, quando bene volumus, & operamur, Deus suâ gratiâ præueniente ad id nos mouet, & excitat, & auxilio gratiæ concomitantis cum voluntate consentiente ad eosdem actus concurrit tanquam causa principalior: propter quod Deo, & eius gratiæ magis tribui debent, quàm ipsi homini; sicut in exemplo Anselmi superiùs allato, diuiti potiùs, quàm pauperi tribuendum est indumentum, quo illius beneficio tegitur.

107. *Quomodo mouet Deus omnipotentissimè voluntates quò vult?* Cùm autem dicit Augustinus Deum habere magis in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas, lib. de Correptione & gratia cap. 14. non aliud intendit, quàm Deum posse à voluntatibus hominum obtinere quidquid vult, & inclinare, aut vertere eorum consilia quocunque voluerit; non propterea inferendo illis necessitatem, & ita eas præmouendo, vt non possint resistere; sed præueniendo eo modo, & in iis circumstantiis, in quibus præuidet fore vt consentiant infallibiliter, licèt ita præuentæ habeant antecedentem potestatem resistendi, quâ vsuræ non sunt. Nam quòd Augustinus ibi loquatur de tali modo præueniendi, & mouendi corda hominum, manifestè patet exemplis eodem capite allatis: Saülis scilicet, quem Israëlitæ regem sibi constituerunt, Deo sic prærordinante, & ad hoc eos mouente, sed ita vt possent resistere: *Nisi fortè*, inquit, *vt ex multis aliqua commemorem (quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere.* Et Dauidis, cui per Dei constitutionem in regnum succedenti, quidam de Israëlitis adhæserunt, aliis regem eum agnoscere recusantibus, quamuis Deus vellet eum ab omnibus agnosci.

108. *Augustinus clarè docet posse gratiæ resisti.* Euidenter quoque imponit Augustino Iansenius, cùm affirmat illum quidem sæpius dicere, per gratiæ Christi adiutorium Deum facere, vt arbitrium velit, vt consentiat, vt operetur; nunquam verò vel leuiter insinuare, sed potiùs expressis verbis negare, in hominis lapsi, sicut integri, hoc voluntate relinqui, vt illud amplectatur, aut deserat. Nam tum in libris ante exortam hæresim Pelagij scriptis, tum etiam in illis, quos contra eandem hæresim edidit, sæpe affirmat Augustinus esse in nostra voluntate consentire, aut non consentire misericordiæ Dei nos præuenienti: esse in nostra potestate: aut eligere quæ bona sunt, & esse arborem bonam; aut eligere quæ mala sunt, & esse arborem malam: &, neque ad virtutes, neque ad vitia necessitate homines trahi: vt patet ex testimoniis allatis sect. 4. quæ nolumus inutiliter hoc loco repetere. Nullus verò locus proferri potest, in quo id expressis verbis negauerit, vt falsò ait Iansenius, & perperam confirmat ex epist. 107. ad Vitalem, & libro quarto ad Bonifacium capite sexto, & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16. & 17. & libro de Corrept. & gratia capite duodecimo. Nam quod ait in primo loco D. Augustinus, *Gratia præuenit voluntatem hominis* (id est volitionem) *nec eam cuiusquam in corde inuenit, sed facit:* nihil aliud sibi vult, quàm refellere errorem Semipelagianorum (cui Vitalis adhærebat) affirmantium bonam voluntatem solis naturæ viribus habitam præire gratiæ Dei, & gratiam non dari nisi præueniente & promerente aliquo naturali hominis merito. Eodémque sensu dicit alibi, *Deus in nobis operatur vt velimus incipiens, qui cum volentibus cooperatur perficiens.* Quod verò addit, *Deum vocatione altâ, atque secretâ, sic agere hominis sensum, vt legi atque doctrinæ accommodet assensum:* significat Deum, per vsum suæ præscientiæ, vocare & præuenire eo speciali modo, quo præuidet voluntatem esse liberè consensuram, atque præuiso ipsius vsui liberè futuro accommodare vocationem & gratiam. Quando etiam lib. de gratia & lib. arbit. cap. 16. dicit, *Certum esse nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis:*

non intendit hoc fieri per gratiam necessitantem, quam doctrinæ ipsius repugnare iam sæpius ostendimus: sed per *vires efficacissimas*, intelligit vires valde potentes, quæque de se valent ad perrumpendam omnem difficultatem, si voluntas illis cooperari velit, sicut reipsa per scientiam mediam prævidetur esse cooperatura, si dentur tali tempore, vel loco, aut aliis circumstantiis. Reliqua testimonia à Iansenio his addita, minus habent difficultatis, & ex dictis soluta manent.

109. *Opponitur locus Augustini.* Vlteriùs verò obiici potest, quod idem S. Doctor ait lib. de Corrept. & gratia cap. 11. vbi loquens de auxilio gratiæ dato Adamo, ad perseuerandum in statu innocentiæ, sic ait: *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, nō quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quâ fit vt habeat homo iustitiam si velit: Secunda ergo plus potest, quâ etiam fit vt velit, & tantùm velit tantóque ardore diligat, vt carnis voluptatem contraria concupiscentem voluptate spiritus vincat.* Et inferiùs: *Et tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velmus: verùm etiam tantum, ac tale sit, vt velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.* Quibus verbis aiunt noui Dogmatistæ S. Augustinum perspicuè affirmare auxilium efficax, quo reipsa fit vt consentiamus, esse potentius, & fortius sufficienti, per quod habemus tantùm vt possimus consentire si velimus, reipsa tamen non consentimus. Quale fuit adiutorium datum Adæ ad perseuerandum. Non potest autem illud esse fortius quocunque auxilio sufficienti, nisi sit tale, vt voluntas illi resistere non possit, ideóque semper, & infallibiliter vi sua consensum obtineat. Alioqui enim, si voluntas posset illi resistere; vnde fieret vt nunquam resisteret, præsertim in tanta multitudine, & diuersitate voluntatum, & auxiliorum? Atque hoc indicat Augustinus primis illis verbis, *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet.* Quibus verbis opponit auxilium efficax sufficienti, & vnum ab alio in eo distinguit, quòd adiutorium sufficiens tale sit, vt illud deseramus, si velimus: secus autem efficax, quo fit vt velimus, quódque nimirum non est tale, vt illud deseramus, si volumus.

110. *Quo sensu dicat auxilium efficax esse potentius.* Respondeo, sensum Diui Augustini esse, quòd auxilium efficax sit potentius in euentu, quàm sufficiens: quatenus non tantùm dat posse id, quod sine illo non possumus; vt facit etiam sufficiens: verùm etiam reipsa superat difficultatem, & resistentiam, aut tarditatem voluntatis, facítque vt actu consentiamus, quod non facit sufficiens. Nam, vt notauimus sect. 6. numero 53. & sequentibus, loquitur ibi D. Augustinus de auxilio quo non tantùm possumus perseuerare, aut rectè operari; sed formaliter etiam constituimur perseuerantes, aut rectè operantes: Sicut, inquit, Beatitudo est adiutorium quo fit beatus, qui eâ donatur, quíque per illam constituitur formaliter beatus. Quod auxilium vltra virtutem efficiendi, inuoluit consensum, & operationem voluntatis, effectúmque ipsum, quo formaliter constituimur operantes & perseuerantes, & à quo auxilium denominatur efficax, distinguitúrque à sufficiente, vt dicemus inferiùs disputat. 23. sect. 1. Et eatenus auxilium illud dicitur esse potentius ad constituendum rectè operantem, & perseuerantem: quia formaliter, adeóque infallibiliter, & insuperabiliter facit operari, & perseuerare: sicut Beatitudo facit formaliter, infallibilitérque beatum. Præterquam quòd dicitur etiam quandoque in moralibus esse fortior, aut potentiùs agere, ille qui persuadet, & obtinet quod petit: quamuis non plus eloquentiæ, & blanditiei, aut simile quid attulerit.

Hanc expositionem insinuat ipsemet Augustinus, quando post illa verba, *Tale quippe erat adiutorium datum Adamo, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet:* id est nihil ampliùs habuit: *non quo fieret vt vellet:* id est, non reipsa obtinuit, & effecit, vt vellet. *Hæc est prima gratia quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam:* Post illa, inquam, verba, exponens in quo sit potentior, subiungit: *Prima est enim, quâ fit vt habeat homo iustitiam si velit: secunda ergo plus potest, quâ etiam fit vt velit:* id est, quæ non tantùm dat posse, sed etiam consensum obtinet, adiunctámque habet operationem, & actum secundum. 111.

Quod clariùs exponit idem S. Doctor sequenti capite duodecimo, vbi sic ait: *Ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit:* id est, sine quo non est potentia completa & sufficiens ad faciendum: *& aliud est adiutorium quo aliquid fit*, reipsa scilicet. Et inferiùs: *Primo itaque homini, qui in eo bono, in quo creatus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret*, id est, non quod haberet effectum reipsa: *sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset:* id est, sine quo liberum arbitrium non habebat potentiam sufficientem ad perseuerandum. *Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur quo possint*, sine effectu: *sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur:* id est, ita vt habeat effectum consensus & perseuerantiæ. *Non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint:* id est, non tantùm habeant quod sufficit vt possint perseuerare si velint: sed etiam actu perseuerent. 112. *Non semper est tale in actu primo.*

Addo præterea, auxilium efficax esse interdum potentius in seipso, & in actu primo: sed id non est necessarium, neque generaliter verum. Potest enim voluntas, pro sua libertate resistere maiori auxilio, & consentire minori: atque etiam è duobus æqualibus potest vni consentire, & alteri resistere: vt interdum contingit. Quod alibi non obscurè significat Diuus Augustinus aiens, interdum è duobus æquali vocatione præuentis, aut pari tentatione pulsatis, vnum consentire, alterum non. Cuius rei rationem inquirens libro duodecimo de Ciuit. capite sexto, respondet, aliam sibi non apparere, quàm quòd alter voluerit, alter noluerit. Atqui si existimasset, consentien-

tem vocationi aut resistentem tentationi, habere semper auxilium potentius antecedenter & in actu primo; facile erat respondere rationem esse, quòd ille potentiore auxilio præuentus fuerit? maximè verò si maior illa vis auxilij efficacis in eo consistat, quòd voluntatem necessitet antecedenter, vt volunt aduersarij. Quorum certè expositio grauiter iniuriosa est illi sancto Doctori, cùm eius verbis in obiectione relatis dat sensum repugnantem, & in terminis ipsis contradicentem definitioni Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. & can. 4. pronunciantis, auxilium cui voluntas consentit de facto, quódque proinde efficax est, non esse tale, vt voluntas illi resistere nequeat, illúdque abiicere, & dissentire si velit.

113. *Multóque minùs necessitat.* Quare licèt mens Diui Augustini ea fuisset, vt existimaret auxilium efficax esse semper, & generaliter potentius in actu primo, maiúsque in virtute agendi, quocunque auxilio sufficienti: (quam tamen non esse illius mentem patet ex loco postremò relato ex capite sexto libri duodecimi de Ciuit.) non tamen esset asserendum hunc excessum, iuxta sententiam D. Augustini, consistere in virtute necessitandi voluntatem; sed in aliquo alio in quo illum constituunt plerique inferiùs referendi, qui in neganda omni necessitate antecedente nobiscum sentiunt. Cur autem voluntas nunquam resistat auxilio illi, quod dicitur efficax, & distinguitur à sufficienti, ex eo est, quòd denominatio efficacis sumitur ab euentu, vel solo, vt aliqui volunt, vel iunctâ Dei præscientiâ, & beneficio speciali Dei offerentis auxilium, cui præuidet nos esse consensuros, si offeratur; vt explicabimus disput. 27. sect. 5. Ex hypothesi autem, quòd voluntas sit consensura, non est non consensura: neque potest simul consentire, & non consentire. Quare est infallibile, & necessarium necessitate consequentiæ, vt auxilium, quod dicitur efficax, non careat effectu. Necessitate, inquam, consequentiæ ortâ ex ipsomet actu præsupposito vt futuro. Atque ita eiusmodi necessitatem exponit ipsemet Augustinus lib. de Bono Perseuer. cap. 6. verbis relatis & expensis num. 57. ad quem locum malo lectorem remittere, quàm idem in præsenti repetere.

Vide infrà disp. 27. sect. 5.

114. *Exponuntur alia duo Augustini loca.* Opponitur etiam aduersariis illud eiusdem S. Doctoris lib. de Corrept. & Gratia cap. 14. *Deo volenti saluum facere, nullum liberum resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Quibus verbis significat Augustinus aliquod esse genus vocationis, & auxilij, cui resisti non potest. Quod autem est eiusmodi, necessitat antecedenter.

115. Respondeo sensum prioris loci esse, quòd si Deus vult absolutè & efficaciter aliquem saluum facere, nullum liberum arbitrium illi resistit de facto. Quia licèt Deus liberum eius consensum & cooperationem requirat: habeátque ipse in sua libera potestate velle aut nolle, consentire & cooperari, aut negare consensum & cooperationem: non impedit tamen hoc diuinam voluntatem, neque superat potestatem: quia Deus in thesauro infinito suæ omnipotentiæ habet auxilia, quibus præscit fore vt liberum arbitrium creatæ voluntatis consentiat, si dentur, quibúsve possit vel obstinatissimum quemque conuertere, & efficere vt vel Esaü ad eam fidem liberè mentem conuertat, per quam Iacob iustificatus est, vt rectè ait idem S. Doctor lib. 1. ad Simplician. quæst. 2.

Posterioris verò loci sensus est, *Non posse effectum misericordiæ Dei*, quoad primam gratiam præuenientem, de qua ibi loquitur D. Augustinus, *esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit*; id est, vt Deus illum, si priùs ipse nolit, non præueniat gratiâ congruâ, seu quam præuidet esse habituram effectum. Quia licèt nolint homines, *posset tamen Deus, si vellet etiam ipsorum misereri, ita eos vocare, quomodo illis aptum esset vt mouerentur, & intelligerent, & sequerentur:* id est, vocare eâ gratiâ præuenire, cui præscit consensuros, si detur. Quòd enim vocet gratiâ congruâ, vel incongruâ; quódque eligat auxilium illud, quod præscit habiturum effectum, præ alio, quod præuidet non esse habiturum; non pendet ex antecedente nostra voluntate; sed ex Dei beneplacito; qui aliquos nolentes vocat congruè, vt Paulum reluctantem; & aliquos volentes, incongruè, vt adolescentem illum, de quo Matth. 19. ver. 21. 116.

Opponitur prætereà D. Augustinum lib. de spirit. & lit. cap. 34. aliisque locis refundere in altissimum Dei secretum, & inscrutabile iudicium, quòd vni ita suadeatur per auxilium gratiæ præuenientis, vt persuadeatur: alteri non ita. Si autem vni persuadetur ideò solùm quia vult consentire & cooperari gratiæ præuenienti; alteri verò non persuadetur, quia non vult consentire & cooperari, nulla esset causa recurrendi ad secretum & inscrutabile Dei iudicium: ergo &c. 117.

Respondeo 1. nullam quoque fore causam eò recurrendi, si vni persuadeatur & non alteri, propterea quòd ille præuenitur gratiâ necessitante, cui non potest non consentire: & alteri non persuadeatur, quia non præuenitur gratia necessitante, sine qua est illi impossibile consentire & persuadere. 118.

Respondeo 2. iustam suppetere causam admirationis & recursus ad secretum & inscrutabile Dei iudicium, in eo quòd Deus præuidens tam multos non consensuros auxiliis quæ suppeditat, licèt alioqui sufficientibus ad consensum eliciendum, voluit nihilominùs ea illis destinare, cùm æquè facilè posset eligere alia, quæ præsciebat habitura effectum, & obtentura consensum liberum voluntatis, si illis præueniretur: quæ electio mediorum vnis profuturorum, aliis non, facta est plerumque ex mero Dei beneplacito, nullâ datâ occasione ex parte creaturarum, vt his aut illis mediis præuenirentur. 119.

Sicut tamen pendet à libera earum voluntate vt consentiant, vel non consentiant mediis sibi oblatis: pendet similiter ab illâ, quòd media illa siue auxilia profutura fuerint, & talia à Deo præscita: vel è contrario non profutura. 120.

SECTIO XII.

Soluitur aliud argumentum aduersariorum, ex eo petitum quòd omne bonum, atque etiam ipsa determinatio voluntatis donetur à Deo.

121. *Auxilium actuale necessarium est etiam iustis habentibus infusos habitus.* QVÆ Iansenius fusè prosequitur à capite 15. vsque ad vicesimum-tertium, vt probet auxilium gratiæ actualis esse necessarium ad credendum & volendum, benéque operandum, neque ad id sufficere habitus supernaturales, nihil contra nos faciunt, qui fatemur cum sententia communissima Theologorum, huiusmodi auxilium necessarium esse ad fidem, & cetera omnia quæ ad salutem pertinent: idque non solùm ex parte intellectus per internam illustrationem, verùm etiam ex parte voluntatis per piam motionem & excitationem ad inclinandam voluntatem, vincendámque difficultatem aut inclinationem malam ex naturæ corruptione secutam: déque illo auxilio intelligi debere quod contra Pelagium sanxit Palæstina Synodus, & cuius confessionem Diuus Augustinus ab illo postulauit, *Gratiam Dei ad singulos actus esse necessariam:* pro illo etiam impetrando fieri à tota Ecclesia orationes, etiam à iustis ipsis, habitus licèt infusos habentibus: de eodem loqui Innocentium I. in epistolis ad Concilia Carthaginense ac Mileuitanum, quæ sunt inter Augustinianas 91. & 93. cùm dicit illud esse adiutorium, & remedium quotidianum, quod à Deo petimus; seu bene viuimus, vt meliùs sanctiúsque viuamus; seu praua sentientes à bonis auertimur, vt ad rectam redeamus viam: quódve necesse est, etiam restitutâ nobis status pristini libertate (per gratiam sanctificantem) quæramus: quod etiam Cælestinus in epistola ad Gallos dicit ab Ecclesia suis precibus & gemitibus postulari pro fidelibus & infidelibus, pro iustis & peccatoribus, & pro vniuerso genere hominum: & quod, vt ait Concilium Arausicanum canone decimo, etiam renatis & Sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare: quod denique Augustinus & Hieronymus pluribus locis commendant, & necessarium esse probant contra Pelagianos.

122. *Argumentum Iansenij.* His ergo prætermissis, veluti inutiliter contra nos & communem Theologorum sententiam productis, expendendum est argumentum octauo loco ab eodem propositum cap. 23. quo probare contendit auxilium gratiæ medicinalis necessitare voluntatem ad consensum, ex eo quòd post lapsum nihil omnino boni in homine, vel ab homine esse possit, nisi donetur à Deo etiam ipsa suæ voluntatis bonæ determinatio, nec in vllo laudari queat nisi in solo Deo. Nam, inquit, docet Augustinus frequenter id, quod sine aperta impietate negari nequit, postquam humana natura in peccati infirmitatem præcipitata est, iam nihil omnino in homine boni esse posse, nec nutum quidem voluntatis aut studium, aut conatum, nisi homini detur non solum illud facere posse, si velit, sed nisi ei hoc ipsum quidquid boni ab ipso fit, gratia largiente donetur. Ex quo necesse est confiteri, ipsam voluntatis determinationem, quâ hîc & nunc voluntas ad consentiendum, volendum, conandum, agendúmque se determinat, ab ipsa gratia debere conferri. Hoc enim est potissimum quod in omnibus operibus eminet, & sine quo nec opus ipsum in rerum natura existere, nec bonum esse aut vocari potest.

Sed hæc ratiocinatio nullius est momenti. Nam licèt omne opus bonum & ipsa determinatio bonæ voluntatis nobis donetur à Deo, tum per gratiam præuenientem, quæ ad illam nos excitat & præmouet; tum per gratiam concomitantem quæ cum voluntate concurrit ad se determinandum & operandum: non sequitur illud à Deo in nobis fieri per gratiam necessitantem, & prædeterminantem, atque tam efficaciter præmouentem, vt voluntas non possit illi resistere. Primum fatemur esse verum, & expressum in Scriptura, Conciliis, & Patribus, speciatímque à Diuo Augustino locis infrà citandis. Secundum verò falsum esse contendimus, & apertè contrarium Scripturæ, Conciliis, & Patribus, ipsíque D. Augustino locis relatis sect. 3. & 4. speciatímque Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 4. & Senonensi Decreto fidei 15. 123. *Quomodo ipsa bona determinatio est à Deo?*

Nec quidquam valent ad id probandum quæ ex Augustino profert Iansenius citato capite vicesimo-tertio. Nam quod refert ex tract. 85. in Ioan. & libro secundo ad Bonifacium capite nono tantùm affirmat, quidquid boni est, nobis à Deo donari, & de bonis omnibus esse in Domino gloriandum. Quod verò addit ex lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. Cùm nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspirari hoc, & præberi gratiâ Dei; non nutu nostro, & industriâ, aut operum meritis comparari; quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera caritate feruentia, ille tribuit, ille largitur: hoc, inquam, dictum est contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui volebant huiusmodi nutum voluntatis, industriam studij, & feruorem caritatis haberi solis naturæ viribus sine auxilio gratiæ. Nam, vt probauimus disp. 10. sect. 4. Semipelagiani ita sentiebant de fide & initio salutis; Pelagiani verò, etiam de toto ipsius progressu & consummatione: & si gratia dabatur, volebant eam comparari præcedentibus meritis naturalibus. Verum etiam est quod ait Aug. lib. de Gratia Christi c. 14. non esse consequens vt qui potest venire, etiam veniat; sed eũ qui didicit à Patre non solùm posse venire, sed venire, vbi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. Nimirum quia licèt quis habeat potentiam completam & sufficientem vt veniat, sítque instructus omnibus prærequisitis, & necessariis vt veniat si velit: potest tamen non venire; & vt actu veniat, requiritur vt velit venire, & discat à Patre, id est, docilem se præbendo inspirationi diuinæ, illámque acceptando, consentiat gratiæ præuenienti, & excitanti ad volendum: quod ipsum etiam donatur illi à Deo, tum quia illum præuenit eo speciali modo, quo præsciuit esse consensurum: tum etiam quia per gratiam cooperantem concurrit ad ipsum consensum, seu profectum possibilitatis, & voluntatis affectum, & actionis effectum. 124. *Exponuntur varia Augustini loca.*

Estque notandum obiter, hunc locum manifestè aduersari doctrinæ Ianſenij, iuxta cuius ſententiam impoſſibile eſt quenquam poſſe venire, qui non veniat: id eſt, eſſe ſufficienter inſtructum gratiâ vt venire poſſit, & tamen non venire. Nullus enim (vt ipſe quidem vult) eſt ſufficienter inſtructus, niſi qui præuenitur gratiâ medicinali: & hæc tantæ eſt efficaciæ, vt non poſſit illi reſiſti: ac proinde quiſquis illâ inſtructus eſt, neceſſariò venit: & falſum eſt quod ait Auguſtinus, non eſſe conſequens vt qui poteſt venire, etiam veniat, ſi vera eſt doctrina Ianſenij.

125. Verum etiam eſt quod idem S. Doctor ait lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 4. & lib. de Dono perſeuerant. cap. 6. & 7. victoriam, quâ peccatum vincitur, eſſe donum Dei; neque ſufficere liberum arbitrium, niſi & victoria concedatur oranti. Ideo etiam peti ne inferamur in tentationem; & ſi exaudimur, non vincimur, quia Deus non permittit id fieri: potens enim eſt & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas conuertere, ac dirigere in placitum greſſum; cui non fruſtra dicitur, *Deus tu conuertens viuificabis nos*: ſed hoc fieri per gratiam neceſſitantem, neque dicit Auguſtinus, neque cum vllo fundamento poteſt ex eius verbis inferri. Poſſunt enim optimè veriſſiméque intelligi de gratiâ, quâ Deus præuenit voluntatem ea ratione, quâ præuidet fore vt reipſa tentationi reſiſtat, & libertate ſua vtatur; non vt ſuccumbat, & prolabatur in peccatum, ſed vt victoriam per diſſenſum aut contrarium actum virtutis ſalubriter reportet. Et verò, quòd auxilium, quo iuuamur ad huiuſmodi victoriam, non ſit neceſſitans iuxta doctrinam Auguſtini (vt vult Ianſenius) ſatis patet ex ſæpius citato libro duodecimo de Ciuitate capite ſexto, vbi dicit è duobus æquali tentatione contra caſtitatem pulſatis, vnum reſiſtere, & alium vinci; neque aliam huius diſcriminis eſſe rationem, niſi quia iſte voluit conſentire, & ille noluit. Non ergo quia vnus illorum habuit neceſſitantem gratiam ad vincendum, & alter illâ caruit.

126. *Adam minus indigebat gratiâ, quàm homines lapſi.* Quod verò dicit Auguſtinus capite ſeptimo eiuſdem libri, non eſſe omnino in viribus liberi arbitrij (accedere ad Deum, vel non recedere à Deo) quales nunc ſunt: fuerat in homine antequam caderet. Poſt caſum autem hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere vt homo accedat ad Deum: neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, vt homo non recedat à Deo. Hoc, inquam, nihil aliud ſibi vult, quàm Adamum in ſtatu innocentiæ non indiguiſſe gratiâ voluntatis, vt ad Deum accederet; cùm ad id ſufficerent illi habitus ſupernaturales, cum illuſtratione, ſiue auxilio ex parte intellectus: Nunc verò ſine illa neutrum præſtari poſſe, propter difficultatem, & malam inclinationem, quam per peccatum Adæ contraximus: iuxta doctrinam Diui Auguſtini, de qua diximus ſect. 6. Cúmque dicit Auguſtinus ibidem capite ſexto, Tutiores nos viuere ſi totum Deo damus; non autem illi nos ex parte, & nobis ex parte committimus: loquitur contra Semipelagianos, qui partem, hoc eſt, initium ſalutis ſibi tribuebant, hoc eſt, ſolis naturæ viribus; & partem Deo, hoc eſt, progreſſum, & perfectionem, quam ſine ipſius gratia non poſſe haberi fatebantur: atque ita ſe ex parte Deo, & ex parte ſibi ipſis committebant: nullo autem modo eò pertinet, quò vult Ianſenius, vt neget Auguſtinus determinationem voluntatis eſſe ab ipſa cum Dei gratia, vt docent Theologi; non quidem præcipuè, quod nullus ipſorum affirmat; ſed minùs principaliter, obſequendo & cooperando gratiæ. Eodémque ſenſu intelligenda ſunt quæ refert ex Cypriano, Ioanne, Iacobo, & Paulo, *totum* humili confeſſione Deo dandum eſſe: & non poſſe hominem accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo: & omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſſe: & Deum operari omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; ita vt in nobis operetur & velle, vt ait Auguſtinus exponens vocem hanc *omnia*. Neque enim Deus dat ſolùm liberum arbitrium, vel habitus ſupernaturales, & potentiam ſe determinandi: ſed & ipſam determinationem, ſeu volitionem liberam, ad illam iuuando & cooperando principaliter per gratiam concomitantem, & concurrendo ad id totum quod ab ipſa fit, totaliter & indiuiſibiliter ex parte effectus: ita vt nihil ſit à voluntate, quod non ſit etiam à Deo: falsáque ſit imaginatio, ſi quis exiſtimet aliquid effectûs eſſe à Deo ſolo, & aliquid à ſola voluntate. *Cur totum Deo dandum?*

Ex quo etiam fit vt nemo poſſit gloriari in ſeipſo de ſua determinatione ad bene operandum, ipſóque bono opere, quaſi hæc à ſeipſo habeat, & non à Deo: meritóque dicat Auguſtinus epiſt. 120. cap. vlt. *Neceſſe eſt vt parum diligat Deum, qui non ab illo ſed à ſeipſo bonum ſe arbitratur effectum. Vndè autem fieri poteſt vt talis non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur? Qui enim gloriatur quòd ſit bonus, in illo debet gloriari, à quo factus eſt bonus: ac per hoc qui ſe à ſemetipſo factum bonum arbitratur; conſequens eſt vt in ſeipſo, non in Domino glorietur.* Eadémque de cauſa addit ibidem, omnem intentionem gratiæ noui Teſtamenti, quâ ſurſum cor habemus, id agere ne ſimus ingrati; & qui gloriatur, in Domino glorietur: & nihil boni habere nos à nobis, id eſt, ſecluſo Deo: & non placere Deo, niſi quod habemus à Deo: vt ait locis à Ianſenio relatis ex Pſal. 69. & ſerm. 94. de tempore cap. 3. Sed non negat Auguſtinus determinationem voluntatis, ſeu bonam volitionem, & ea quæ bene agimus cum Dei gratia, eſſe quoque ab ipſa voluntate liberè ſe determinante, & cooperante cum gratia. Neque etiam negat poſſe nos id humiliter profiteri, dicere̍que cum Apoſtolo, *Non ego* (ſolus) *ſed gratia Dei mecum*: & de huiuſmodi cooperatione gloriari in Domino: quin potiùs contrarium affirmat epiſt. 106. vbi ſic ait: *Quis nos, niſi qui venit quærere, & ſaluum facere quod perierat, ab illa perditionis maſſa & concretione diſcernit?* Vnde Apoſtolus interrogat dicens, *Quis te diſcernit? Vbi ſi dixerit homo, fides mea, voluntas mea, bonum opus meum: reſpondetur ei: Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Hoc vtique totum ideo, non vt homo non glorietur: ſed vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Non quia bona opera iſta piâ cogitatione fruſtrantur: cùm Deus reddat vnicuique ſecundùm opera eius, ſitque gloria, & honor,* 127. *Et non niſi in Domino gloriandum.*

& pax omni operanti bonum: Sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia: id est, quamuis fiant à nobis, non fiunt sine gratia, neque præueniunt gratiam, sed potiùs gratia præuenit vt fiant. Cetera eius testimonia à Iansenio relata in fine capitis 23. nihil aliud probant, quàm ipsam determinationem bonæ voluntatis esse à Deo, & non à nobis sine ipsius gratia: quod verum esse vltro fatemur. Nam hoc ipsum quòd voluntas se determinet ad bonum, hoc est, liberè illud velit, (nihil enim aliud est determinatio, quàm ipsa libera volitio: & voluntatem se determinare ad bene volendum, nihil aliud est, quàm liberè velle; id est, sine antecedenti necessitate) non est à solis naturæ viribus, sed, & quidem principaliter, à gratia præueniente, & cooperante, vt iam sæpius diximus.

SECTIO XIII.

Refellitur aliud argumentum sumptum ex notis seu proprietatibus gratiæ medicinalis, quibus ab Augustino passim describi solet.

128. *Prima proprietas.* NONUM argumentum pro gratia necessitante petit Iansenius ex octo notis, seu proprietatibus, quibus Diuus Augustinus efficaciam gratiæ designat. Quarum prima est, quòd eius potestatem dicat esse efficacissimam, libro de Gratia & libero arbitrio capite quinto & decimo-sexto; & occultissimam, potentissimámque, libro de Correpț. & Gratia capite quinto; & ineffabilem, libro de Gratia Christi, capite vicesimo-quarto; & potentiorem auersione nostra, lib. de Prædestinat. Sanctorum capite secundo, & libro primo ad Bonifac. capite vicesimo; & denique omnipotentissimam, libro de Correpț. & Gratia cap. 14. & epist. 107. ad Vitalem.

Augustinus loqui solet de gratia efficaci, & cur? Respondeo, hæc omnia dici ab Augustino de gratia efficaci vt tali, ac verè de illa vt tali dici posse absque eo quòd antecedentem necessitatem imponat voluntati. Quod vt meliùs intelligatur, obseruandum est id, quod rectè notauit Petauius tomo primo Dogmatum, libro decimo, capite decimo-sexto, Diuum Augustinum, quando loquitur de gratia, præcipuè in libris contra Pelagianos, solere loqui de gratia efficaci vt tali, id est, quæ sortitur, & prout sortitur effectum. Cuius rei triplicem causam assignat auctor citatus. Primò scilicet, quia cùm loquimur de rebus ad effectum ordinatis, vt de potentiis, & habitibus, de virtutibus, auxiliis, & aliis vim aliquam habentibus, solemus ea per actum secundum explicare, déque illis loqui prout efficientibus. Sic verbi gratia iustitia definitur à Theologis, & à Iurisconsultis, virtus tribuens vnicuique quod suum est: & à Philosophis cum Aristotele, virtus dicitur esse habitus cum ratione electiuus: & causa generaliter dicitur ab iisdem esse id, quod dat esse rei, seu vis influens in effectum: & à Medicis vires herbarum per suos effectus describuntur: vt cùm aiunt verbi gratia rhabarbarum purgare melancholiam, ficus aluum mollire &c. id est, ad hoc valere de se, & reipsâ præstare, licèt interdum vitio corporis id non præstent. Tum etiam secundò, quia cùm Pelagius doceret homines solis naturæ viribus posse vitæ sanctitatem, ipsámque gloriam adipisci: Diuus Augustinus contra eum commendans necessitatem gratiæ, debebat ex opposito ostendere gratiam in nobis id efficere. Ac sicut ille ex Scriptura conabatur euincere homines sine auxilio gratiæ, sanctitatem acquirere: ipse è contrario debebat ex eadem probare Deum in nobis vi suæ gratiæ illam operari. Perinde ac si inter duos esset contentio, meliúsne homines scientiam assequantur propriâ & priuatâ industriâ, an verò alterius disciplinâ: & ille, qui priuatum studium anteponit, exemplis & factis id probare contenderet: alterius esset ostendere non quid per disciplinam fieri possit duntaxat; sed potiùs factis ipsis & exemplis conuincere, plus proficere homines alterius disciplinâ, quàm priuatâ industriâ. Tum denique tertiò, quia sæpissimè loquitur de gratia, cuius ope reipsa peruenimus tandem ad gloriam, quæque est propria prædestinatorum: est autem prædestinatio, prout ipse definit, præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur: seu de gratia omni modo perfecta, tam quoad actum primum, quàm quoad actum secundum. Quemadmodum qui describunt virum probum, aut prudentem gubernatorem, vel oratorem, aut poëtam; solent eum sibi proponere, qui in eo genere perfectissimus est, cuíque nihil deest, nec quisquam potest illo esse præstantior. Quinetiam Diuus Augustinus videtur loqui de gratia efficaci, non qualicunque, sed eximiâ, & singulari, qualis fuit illa, quâ mirabiliter conuersus, & ad tantam sanctitatem euectus est: ex cuius efficacia, quam in seipso expertus est, videtur illam in aliis metiri.

Obseruandum est secundò, id quod fusiùs exponemus disputatione vicesima-septima, sectione 5. gratiam efficacem vt talem, differre à sufficiente, non in sola entitate, sed in eo quòd nomine & conceptu gratiæ efficacis, vt talis, connotatur & inuoluitur respectus tum ad omnipotentiam diuinam, in cuius thesauro habet Deus media, quibus voluntatem cuiusque hominis, quantumuis duram, mollire possit, & inflectere quocunque vult, saluâ nihilominus ipsius libertate indifferentiæ: tum etiam ad præscientiam diuinam, quâ Deus occulto, mirabili, & ineffabili modo præscit infallibiliter de quacunque voluntate creata quid in quacunque occasione, & quomodocunque præuenta, operatura sit, eo solo quòd reipsa ita futurum sit ex libero ipsius flexu, si in tali occasione constituatur, aut tali modo præueniatur. Cuius præscientiæ directioni subest gratia efficax vt talis, quatenus à Deo destinatur ab æterno, & in tempore datur, eo modo quo voluntas præuidetur infallibiliter esse illi consensura, & illius ductum liberè secutura: atque etiam approbationi diuinæ voluntatis sibi in tali euentu complacentis: & vlteriùs (vt multi putant) intentioni efficaci, & præordinationi obtinendi consensum à voluntate creata; talémque effectum assequendi; quæ intentio 119. *Quid sit gratia efficax vt talis.*

tentio & præordinatio mouerit Deum ad talem gratiam eligendam præ alia, vel dandam tali modo, aut tali tempore, & loco, vel aliis circumstantiis, in quibus præuidetur infallibiliter habitura effectum.

130. *Quomodo potentissima, occultissima, &c.* Ex hoc vtroque respectu habet gratia efficax, vt talis, quòd sit efficacissima, potentissima, omnipotentissima, vt ait Augustinus locis suprà citatis: quia potest facere, & reipsâ facit id omne, ad quod voluntatem inducit & præmouet: & *potentior auersione nostra*, quia semper eam vincit, & voluntas reipsa nunquam illi resistit, neque potest resistere in sensu composito cum respectu ad præscientiam supradictam: itémque *occultissima, mirabilis, atque ineffabilis*, propter respectum ad præscientiam & omnipotentiam diuinam. Est enim occultum, mirabile, atque ineffabile, quomodo Deus præsciat quidquid liberè futurum sit, aut etiam futurum esset in quacumque occasione, si voluntas creata in ea poneretur; & quomodo possit saluâ eius libertate obtinere ab illa infallibiliter, & inuictissimè, quidquid vult.

131. *Secunda proprietas.* Secunda nota, seu proprietas est, inquit Iansenius, quòd voluntas ita per gratiam rapiatur, & agatur, vt ipsamet vix agere intelligatur: vt ait Augustinus lib. de Gestis Pelagij cap. 3. vbi sic habet: *Proculdubio plus est agi, quam regi: qui enim regitur, aliquid agit; & à Deo regitur, vt rectè agat: qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas meliùs agere potest, quàm vt illi se agendam commendet, qui malè agere non potest.* Vnde etiam talem impetum spiritus & gratiæ, quo aguntur filij Dei, talem actum infallibilis efficaciæ esse tradit lib. 6. contra Iulianum cap. 14. sic dicens: *Quicumque aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu.*

132. *Gratiâ sic agimur, vt tamen agamus.* Respondeo, quod ait Augustinus, *vix agere intelligitur*, pertinere solùm ad significandum quòd gratia magis & principaliùs agat; siue sit causa principalior bonæ volitionis, boníque operis, quàm voluntas ipsa, quæ per ipsam agitur, id est, mouetur, & iuuatur ad volendum, & operandum. Nullo autem modo intendit Augustinus negare, ipsam quoque voluntatem agere liberè consentiendo & cooperando gratiæ: vt expressis verbis affirmat serm. 13. de verbis Apostoli, vbi exponens citata verba ex Rom. 8. vers. 14. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*, sic ait: *Dicet mihi aliquis, Ergo agimur, & non agimus. Respondeo, imò & agis, & ageris; & tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit adiutor est agentibus; &c. nemo autem adiuuatur, si ab illo nihil agatur. Spiritus enim adiuuat infirmitatem nostram.* Et lib. de Corrept. & gratia cap. 2. *Intelligant*, inquit, *si filij Dei sunt, se Spiritu Dei agi, vt quod agendum est agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, vt quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ, suauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Quomodo autem agantur infallibiliter, saluâ libertate indifferentiæ, patet ex dictis paulò antè.

Tertia nota est, quòd nulla sunt verba, quibus assertores prædeterminationis vtuntur ad illam astruendam, quæ non vsurpet Augustinus ad indicandum non esse istius naturæ medicinalem Christi gratiam, vt eius effectus à voluntate suspendatur; sed illius, vt per eam effectum potentissimè inuehat, inserátque voluntati, non operando si voluntas velit, sed operando, atque determinando vt velit. Vt cùm ait lib. de Corrept. & gratia capite 14. habere Deum omnipotentissimam potestatem inclinandi humana corda quò voluerit. Et lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 20. *Cùm Deus*, inquit, *vult fieri quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinantur eorum corda vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili, operatur & velle.* Et alibi, cor, & linguam, & animam hominis vocat instrumenta & arma, quibus Deus facit quod vult: additque Deum applicare intellectum nostrum ad fidem: & vocatione altâ, atque secretâ sic hominum agere sensum, vt legi & doctrinæ accommodet assensum: id est (inquit Iansenius) voluntatem ad assentiendum fidei, credendúmque determinare: Facultatem enim actricem ad agendum applicare, nihil est aliud, quàm illam ad agendum determinare. 133. *Tertia nota.*

134. *Augustinus non fauet physicæ prædeterminationi.* Respondeo, neque testimonia Augustini iam allata, neque alia quibus vtuntur assertores physicæ prædeterminationis, probare quod intendunt, vt à multis contrariæ, & veræ sententiæ propugnatoribus satis superque ostensum fuit, & nos hâc ferè tota disputatione ostendimus: nulla enim proferunt efficaciora illis quæ superiùs exposuimus, aut deinceps exponemus. In contrarium verò, tam illustria producuntur eiusdem S. Doctoris testimonia ex libris etiam contra Pelagianos exaratis, vt nullâ tergiuersatione vel apparenter eludi possint: vt partim liquet ex sect. 4. vbi aliquot eiusmodi retulimus, partim liquebit ampliùs ex dicendis sect. 16. & seq. vbi Iansenij elusiones refutabimus. Speciatim autem quod attinet ad loca iam ab illo producta, Dico breuiter ad primum & secundum, paulò anteà explicatum fuisse quomodo Deus absque læsione libertatis indifferentiæ inclinet hominum corda quocumque vult: cúrve dicatur occulto, mirabili, & ineffabili modo id agere; atque eo modo, quo nullus hominum cor alienum mouere potest infallibiliter, vt liberè flectatur quocunque ipse vult; defectu potentiæ, & præscientiæ ad hoc necessariæ. Eandémque ob causam dicit alibi, Deum tenere in manu sua cor hominis, & animam, & linguam, vt instrumenta & arma, quibus vtatur prout volet, non velut mortuis instrumentis, tanquam liberè obsequentibus ipsius tractationi, & motioni. Nam, vt rectè ait D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. in corp. *Quia voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in iis ad quæ naturaliter mouetur*, id est, quæ facit per modum naturæ, & vt causa naturaliter agens, non vt voluntas, & causa libera. Eodémque sensu intelligendum est, quod in aliis locis suprà relatis ait Augustinus, Deum

applicare intellectum nostrum ad fidem; & sic agere sensum, vt legi atque doctrinæ accommodet assensum; ita scilicet, & tali modo præueniendo intellectum & voluntatem, quo præscit infallibiliter fore vt credat, & assentiatur liberè: non autem physicè prædeterminando, & necessitando voluntatem vt velit credere & assentiri. Quare illa applicatio nihil aliud est, quàm vocatio congrua; non autem determinatio antecedens, seu prædeterminatio, cui voluntas non possit resistere, & dissentire: contrà quàm ait Augustinus lib. de spir. & lit. c. 34. *Misericordia Dei preuenit nos: consentire autem vocationi, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Quòd que ait Iansenius, Facultatem actricem ad agendum applicare, nihil aliud esse, quàm illam ad agendum determinare; omnino falsum est, etiam de causis naturaliter agentibus seu necessariis: nam illæ sunt ex seipsis determinatæ ad agendum, positis omnibus prærequisitis, quare applicare eas ad agendum, est tantùm dare illis occasionem agendi, & applicare materiam circa quam agere possint: ipsæ verò ex seipsis determinatæ sunt, & naturali necessitate, vt agant quando & quantùm possunt. Multóque magis id falsum est de causis liberis quæ debent seipsas determinare, neque possunt liberè agere, nisi agendo ex dominio in suum actum: ac si ab aliquo applicantur & mouentur vt agant, debet motio esse talis, vt illis relinquat vsum libertatis indifferentiæ ad se determinandũ, & agendum. Quo etiam modo mouentur à Deo, & applicantur per gratiam præuenientem: ad credendum, & bene volendum, aut operandum. Nam, vt verissimè ait D. Thomas Quodlibet. 1. art. 7. ad 2. *Deus mouet omnia secundùm modum eorum: & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à rationali autem creatura cum libertate; propter hoc quòd virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.*

Applicare causam non est eam determinare.

135. *Quarta nota.* Quarta nota est, quòd omnes operationes bonas, quantumcunque fiant à libera voluntate, tribuere soleat Augustinus ipsi Deo, tanquam qui per voluntatem, vt per instrumentum quod pro libero suo beneplacito agit, impellit, flectit, vertit, inclinat quò libet, omnes eius motus operetur; dicátque ipsum loqui in nobis, & diligere in nobis, quando loquimur & diligimus; neque tantùm dare loquendi & diligendi potestatem, sed & ipsum loqui & diligere: vt videre est ep. 120. c. 17. & 18. & in Psal. 56. & ser. 8. de verbis Apostoli c. 4. & ser. 43. de verbis Domini c. 2. & 4. & tract. 93. in Ioan. Nimirum quia homo, velut instrumentum Dei, ab eo inspiratur, tangitur, agitur, & quocunque flectitur, vt ait in Psalmum 49.

136. *Quomodo voluntas est instrumentum Dei?* Respondeo, humanam voluntatem in iis, quæ cum ope diuinæ gratiæ facit, se habere ad Deum, eiúsque gratiam auxiliantem, velut ad causam magis & principaliùs operantem: ipsiúsque ductui & motioni liberè obsequi: quâ ratione potest dici esse instrumentum Dei, eo sensu videlicet, quo, latè loquendo, instrumenta vocantur quæcunque causæ, alteri principaliori, & superiori subordinatæ. Quomodo autem tangatur, moueatur, & flectatur quocunque Deus vult saluo vsu libertatis indifferentiæ; & quomodo Deus non tantùm det potestatem loquendi, aut diligendi, per inspirationem, & piam motionem, seu gratiam præuenientem; sed & ipsum loqui, & diligere, per gratiam cooperantem; ipséque in nobis loquatur, ac per nos diligat, id est, dilectionem ipsam in nobis operetur; satis superque explicatum iam fuit, & nobis molestum est toties cogi ab aduersario idem inutiliter repetere.

Quinta nota, quòd scilicet D. Augustinus gratiam efficacem appellat *victricem*, quia omnes obices voluntatum, & affectuum, inuictâ potestate perrumpit: & victoria tentationum ab illa nobis est, vt contra Pelagium Palæstina Synodus definiuit: nihil habet difficultatis, suppositis iis quæ diximus nu. 129. & seqq. vbi ostendimus quomodo saluâ libertate gratia efficax inuictè consensum obtineat, & resistentiæ aut tentationum victoriam reportet infallibiliter. 137. *Quinta proprietas.*

Sexta nota est similis præcedenti, quòd scilicet gratia Dei sit ita victrix supra voluntatis arbitrium, vt dicat Augustinus lib. de corrept. & gratia c. 14. *Deo volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et paulò inferiùs: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in celo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult facit.* Et post aliquot exempla adducta, addit in fine capitis, *Deũ magis habere in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Et denique c. 12. eiusdem libri dicit, *adiutorium datum primo homini ante lapsum, fuisse tale, vt cum eo permaneret si vellet*: de lapsi autem hominis adiutorio dicit, *subuentum esse infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter ac insuperabiliter ageretur.* 138. *Sexta nota.*

Respondeo enim patere ex supradictis num. cit. Quomodo Deus volens efficaciter obtinere aliquid ab humana voluntate, possit eam ita præuenire, vt infallibiliter, quamuis liberè voluntas ei consentiat: ita vt nunquam ei sic volenti, & præuenienti resistat, ac neque etiam resistere possit eius gratiæ sic præuenienti, in sensu composito cum præscientia diuina, quâ nouit Deus infallibiliter fore vt sic præuenta consentiat. Cùm enim sit impossibile vt consentiat & non consentiat, siue vt resistat simul & non resistat: impossibile est eam resistere, ex hypothesi quòd à Deo præscitur non esse restitura, & à Deo præuenitur eo modo quo præuidetur esse consensura: atque ita necessariò futurum est vt consentiat, sed necessitate solùm consequentiæ, orta ex suppositione ipsiusmet liberæ determinationis futuræ, & à Deo præscitæ, non autem antecedenti necessitate, ortâ ex gratia præueniente tantæ efficaciæ per se, vt voluntas non possit illi resistere. Discrimen verò ab Augustino allatum inter gratiam primo homini datam ad perseuerandum, & datam ad eundem finem in statu naturæ lapsæ sanctis & electis efficaciter in regnum Dei (nam de illa loquitur D. Augustinus toto illo c. 12. non autem de quibuscunque gratiis in statu innocentiæ, aut naturæ lapsæ collatis, vt suprà notauimus n. 53.) in eo consistit (vt iam alibi dixìmus) quòd in statu naturę lapsę, sancti & electi efficaciter in regnum Dei, egeant maiori & potentiori eius auxilio, vt reipsa perseuerent, quàm 139. *Quomodo gratia efficax agit infallibiliter.*

Adamus in statu innocentiæ, carens eâ difficultate, quam nos patimur ob naturæ corruptionem: quódque non solùm egeamus adiutorio intellectus, vt Adamus, cuius voluntas satis erat expedita ad benè volendum & operandum, ideóque non egebat adiutorio voluntatis, sed adiutorio intellectus, vt cognosceret quid volendum & agendum esset, quod de extero relinquebatur libero eius voluntatis arbitrio; neque habebat opus piâ motione immediatè impressâ voluntati, per quam fieret vt vellet: nunc autem talis motio necessaria est: & Sanctis illis & electis datur ad perseuerandum, eâ ratione, quâ præscit Deus infallibiliter fore vt perseuerent: ex qua hypothesi sequitur vt diuinâ gratiâ taliter eos præueniente, indeclinabiliter & insuperabiliter agantur, vt perseuerent vsque in finem: secus ac Adamus, qui tali modo non fuit à Deo præuentus.

140. *Septima nota.* Septima nota est, quòd Augustinus dicit lib. 1. ad Simplic. q. 2. malè asseri, *Frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, ergo iam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet vt velimus: Deus enim est qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate.* Et lib. de prædestin. Sanct. cap. 8. affirmat Deum conuertere eos quos docet, & de nolentibus volentes facere, vt velint discere id quod docentur; & non ideo credere quia volunt: & procul dubio venire eos omnes, quos docere vult, iuxta illud scilicet, *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, Ioan. 6. vers. 45. &, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, Rom. 9. Quem locum exponens idem S. Doctor loco citato ad Simplic. sic ait: *Si propterea solùm dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit vt iustè piéque viuamus, nisi adiuuemur misericordiâ Dei: potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri nisi nos velimus*, & cetera, vt suprà. A quibus & similibus Scripturæ & Augustini verbis, & à vero eorum sensu, dicit aduersarius longè aberrare Theologos, qui talem gratiam procuderunt, quæ exploret & expectet voluntatem hominis, ne si fortè peruicacior fuerit, cassa & inanis gratia, & effectus diuinæ misericordiæ irritus humanâ potestate reddatur: & cum qua homo credat, conuertatur, operetur si velit: sin verò nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus.

141. *Impostura Iansenij.* Respondeo Iansenium falsò imponere Theologis, quòd procuderint gratiam ita nos præuenientem, & mouentem, vt voluntas ei consentiat si velit, & non consentiat si non velit. Neque enim illud est inuentum Theologorum, sed antiquissima & constantissima Ecclesiæ doctrina, apertè tradita in sacris literis, & à Sanctis Patribus vnanimiter recepta, ac denique à Concilio Tridentino expressè definita sess. 6. cap. 5. can. 4. & Senonensi Decreto fidei 15. contra Lutherum & Caluinum, qui cum Iansenio contrarium sentiunt. Testimonia Scripturæ, Patrum & Conciliorum protulimus sect. 3. & 4. quæ non est opus hoc loco repetere. Sed Iansenio placuit Caluinum imitari, qui cùm fidem & doctrinam Ecclesiæ manifestè impeteret, fingebat sibi rem tantùm esse cum Theologis Pontificiis, & Sophistis (vt aiebat) Sorbonicis.

142. *Gratia præcedit bona opera.* Neque verò pugnant contra eiusmodi gratiam, quæ producit ex quæst. 2. ad Simplician. Nam, vt patet ex initio eiusdem quæstionis, loquitur ibi S. Doctor contra eos qui volebant gratiam dari ex operibus, illísque deberi: contra quos (inquit) Apostolus multis locis sæpè testatur: gratiam non deberi operibus, affirmans gratiam non esse gratiam si illis debeatur, *& fidei gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat, sed vt ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: vt scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est.* Et paulò pòst adducto exemplo Iacob & Esaü, de quibus dicitur, Rom. 9. *Non ex operibus sed ex vocante*, &c. subiungit: *Vocantis est ergo gratia; percipientis verò gratiam, consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur.* Et longè inferiùs, dicit ipsam quoque fidem non esse ex operibus, sed vocationem gratuitam præcedere illam; quia *nemo credit qui non vocatur: misericors autem Deus vocat nullis hoc vel fidei meritis largiens, quia merita fidei sequuntur vocationem potiùs, quàm præcedant*: atque ita no quidem Iacob credidisse potiùs, quàm Esaü, quia voluit, antecedenter scilicet ad gratiam fidei, merendo illam per eiusmodi volitionem.

143. *Quo sensu non est volentis neque currentis, &c.* Eodémque sensu dicit inferiùs, verbis à Iansenio relatis: *Si propterea solùm dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit*, id est, voluntas viribus suis incipiens, & gratiam præueniens, *vt iustè rectéque viuamus; nisi adiuuemur misericordia Dei*, subsequente volitionem, aut opera naturæ viribus facta, & illis debitâ atque redditâ. *Potest & hoc modo dici, Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur*: quo scilicet priùs velimus, & misericordiam Dei seu gratiam promereamur. *At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur*: id est, volitionem illam præcedentem, & naturæ viribus elicitam, fore inutilem ad salutem nisi Deus gratuitò misereatur; quia non est talis, vt illi gratia debeatur, qua iuuemur vt iustè piéque viuamus. *Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri nisi nos velimus*, antecedenter ad gratiam fidei. *Si enim Deus miseretur, etiam volumus*, vtiliter scilicet, & sicut oportet ad salutem: *Ad eandem enim misericordiam pertinet* vt sic velimus. *Deus enim est qui operatur in nobis & velle* vtiliter ad salutem, *& operari, pro bona voluntate*, qua nos præuenit sua gratia: propter quod subiungit immediatè pòst: *Nam si quæramus, vtrum Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. Atenim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quòd bene volumus, nobis verò tribui non potest quòd vocamur. Non igitur ideo dictum est putandum, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus: sed ideo potiùs, quia nisi eius vocatione*

non volumus. Ceterùm quòd huiusmodi vocatio non sit qualem vult Iansenius, talis scilicet vt voluntatem necessitet ad consensum, docet expressè idem S. Doctor in hac ipsa quæstione, verbis istis quæ malâ fide suppressit aut dissimulauit Iansenius: *Opus est ergo velle, & currere* &c. cum gratia Dei scilicet ad vtrumque præueniente & cooperante. *Noluit ergo Esaü, & non cucurrit: sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Vbi notandum est sermonem esse de vocatione etiam interna, & sufficiente ad currendum; alioqui non esset verum non cucurrisse Esaü quia noluit, sed quia non potuit.

144. Eodémque sensu intelligendum est quod obiicitur secundo loco ex lib. de Prædestinatione Sanct. cap. 8. Deum facere volentes credere eos etiam qui nolunt, antequam congruè ad fidem vocentur: & sine dubio credere eos omnes, & discere, ac venire ad Patrem, quos Deus tali vocatione præuenerit. Hoc enim dicit contra Semipelagianos, qui volebant fidem initialē, siue inchoatam, esse à nobis: perfectā autem esse donum gratiæ. Contra quos ita concludit ibidem: *Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est.*

145. *Octaua nota.* Octaua nota est, quòd gratia sanitatis iuxta D. Augustinum, dat posse velle; gratia autem naturæ lapsæ, per Christi mortem nobis acquisita, *dat vt velimus, operatur in nobis velle & operari, facit vt in iustificationibus eius ambulemus, per eandémque creamur in bonis operibus, quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus.* Non enim gratia huiusmodi effectum, propter quem datur, operatur *si velimus*, expectando voluntates nostras; sed operatur *vt velimus*, prout loquitur Concilium Arausicanum can. 4. quam differentiam gratiæ naturæ stantis, & lapsæ, ita breuiter & dilucidè expressit Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 11. *Prima gratia est, qua fit vt homo habeat iustitiam si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit.*

146. Respondeo iam alibi dictum esse, ideo iuxta doctrinam D. Augustini gratiam sanitatis dedisse tantùm homini posse, si vellet, quia erat gratia intellectus, siue illuminationis, relinquens voluntati vt de cetero vellet quod ei proponebatur, absque pia motione ipsi impressa, quæ tunc non dabatur, aut si dabatur interdum, non erat necessaria: nunc autem gratiam dare vt velimus, quia vltra mentis illustrationem, includit motionem voluntatis; & si congrua est & efficax (de qua loqui solet Augustinus cōtra Pelagianos, vt antea notauimus) habet infallibiliter coniunctum ipsum velle, & operari, facitque vt in iustificationibus Dei ambulemus, & creemur in bonis operibus, quę præparauit Deus, vt in eis ambulemus. Quâ voce, *creamur*, Scriptura vtitur, & D. Aug. ad significandum quòd sicut creatio est productio ex nihilo, ita hæc à Deo fiunt in nobis ex nihilo meriti præcedentis, id est, sine vllis operibus naturalibus, & præuiis, quibus hoc debeatur. Eodéque sensu verum est gratiam non dari, neque operari in nobis, si velimus antecedenter ad illam; neque Deum, vt illam det, expectare voluntatem nostram: id est, non expectare vt priùs velit, eo sensu, quo volebant Semipelagiani, quos damnat Arausic. can. 4. quem canonem mala fide nobis opponit Iansenius, quasi dixerit, gratiam iam datam, & mouentem voluntatem ad volendum, aut operandum, non expectare liberum eius consensum, & cooperationem, ita vt ei consentiat cum potestate dissentiendi si velit, sicut expressè definit Tridentinum sæpius citatum. Verba canonis Arausicani hæc sunt: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per Spiritus S. infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino.* Quibus verbis manifestum est damnari Semipelagianos eò quòd vellent bonam voluntatem, quâ purgari à peccato desideramus, non fieri in nobis Deo illam præparante per infusionem, & præoperationem præuiam Spiritus S. quod ampliùs & clariùs exprimit quinque aliis canonibus immediatè sequentibus. Quod verò dicit Augustinus gratiam medicinalem plus posse, quia facit vt homo velit, & non tantùm vt velle possit: intelligendum est quòd plus possit in effectu, siue in actu secundo: iuxta id quod diximus sect. 6. vbi fusè hunc locum exposuimus.

SECTIO XIV.

Soluitur decimum & vltimum argumentum, sumptum ex eo quòd iuxta D. Augustinum nulla gratia careat effectu.

VLTIMVM argumentum pro gratia necessitante sumit Iansenius c. 25. & duobus seqq. ex eo quòd, iuxta doctrinam D. Augustini, nulla gratia medicinalis effectu suo careat, sed omnis efficiat vt voluntas velit, & aliquid operetur. 147. *Proponitur prima pars argumenti.* Primò enim, inquit, ex Augustino, gratia & opus bonum ita reciprocantur, vt quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versa ex defectu operis gratiam non esse datā: adeo vt gratia & effectus sint conuertibiles & inseparabiles. Probat præcipuè ex ser. 43. de verbis Domini, vbi sic ait Augustinus: *Non sunt filij Dei, si non aguntur Spiritu Dei: si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant* (aduersus concupiscentias carnis) *quia magnum habent adiutorem.* Et lib. 6. contra Iulian. c. 14. *Quicunque aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu.* Et lib. de Corrept. & grat. c. 14. dicit iuisse cum Saüle, id est, regem illum agnouisse eos omnes, *quorum Deus tetigit corda:* & non iuisse, quorum non tetigit. Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. affirmat Deum frustra non misereri, quia *si Deus miseretur, iam volumus. Cuius enim miseretur, sic eū vocat, quomodo scit ei congruere vt vocantem non respuat.* Et de cursu iam volentis hominis subiungit: *Ideo voluit & cucurrit Iacob, quia misertus est Deus.* Similia sunt quæ refert ex aliis Augustini locis, quibus affirmat gratiam & misericordiam Dei non carere effectu. Aliis verò locis affirmat vice versa, non esse gratiam vbi non est illius effectus: vt lib. de Grat. Christi c. 13. *Qui nouit*, inquit, *quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundū literam:* id est, non habuit veram Christi gratiā medicinalem, sed illā Pelagianam in lege & doctrina consistentem: Et inferiùs, *De isto discendi modo* (nempe per gratiam) *etiam Dominus ait, Omnis qui audiuit à Pa-*

tre meo, & didicit, venit ad me. Et lib. de præd. Sãct. c. 8. *Si omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit: nam si audisset, & didicisset, veniret.* Et paulò pòst addit: *Eos qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audire, atque discere: qui autem non credunt, foris audire, intus non audire, neque discere: hoc est, illis datur vt credant, istis non datur.*

148. *Altera eius pars.* Addit secundò Iansenius, idem constare ex concertatione D. Augustini cum Pelagio de adiutorio gratiæ, à quo postulabat vt confiteretur illam gratiam, quâ *futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur, & speratur; nec solùm reuelatur sapientia, verùm etiam & amatur; nec solùm suadetur omne quod bonum est, verùm & persuadetur:* vt ait lib. de gratia Christi c. 10. Hoc est, non tantùm admitteret gratiam legis, & doctrinæ, quâ ostenditur quid volendum & faciendum sit: sed veram Christi gratiam medicinalem, quæ dat ipsum velle & operari, & per quam fit *non solùm vt facienda nouerimus, verùm etiam vt cognita faciamus: nec solùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus.* Et paulò inferiùs: *Sic enim Deus docet eos qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans & quod agant scire, & quod sciunt agere, &c. Hoc modo quisquis discit, agit omnino quidquid agendum didicerit.* Et lib. de Præd. Sanct. c. 8. *Hæc itaque gratia,* inquit, *quæ occultè humanis cordibus diuinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Et lib. 4. ad Bonifac. c. 5. statum controuersiæ suæ cum Pelagianis breuiter ita proponit: *Legem quippe diuersis locutionum modis, & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, vt scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt, nouerimus; non inspirationem dilectionis, vt cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.*

149. *Tertia illius pars.* Addit tertiò Iansenius, idem non minùs constare ex eiusdem S. Doct. concertatione cum Semipelagianis. Qui cùm admitterent gratiam quãdam potentialem, intus cum libero arbitrio concurrentem, quæ adiuuaret hominem si vellet (id est, dantem solummodo posse) ad credendum: reprehensi fuerunt ab Augustino, & damnati ab Ecclesia, eò quòd non admitterent gratiam, quâ Deus ipsam credendi voluntatem effectúmq; boni operis largiatur: vt patet ex lib. de Præd. Sanct. & lib. de Bono perseuer. cuius c. 19. reprehendit eorum verba, quibus dicebant, *Nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, quâ Deum dare fatemini, quæ vt nos faciamus, hortamini,* hoc est, istam gratiam quâ Deus donat homini ea velle & operari, ad quæ hortationibus prouocatur. Et in toto illo libro nullius alterius gratiæ vestigium reperire licet, quàm quâ Deus id reipsa operatur ac donat, quod homini præcipit, ipséque se facturum promisit, atque prædestinauit; hoc est, ipsum velle, ipsum credere, ipsum operari. Denique gratiam, non quâ credimus, si nos volumus, quam libentissimè fatebantur, laudabántque Massilienses, sed quâ, vt alibi de vocatione quæ fit per gratiam dicit, *id prorsus agitur, & peragitur vt credamus.* Eandémque ob causam gratiam Christi, nomine incrementi vocare solet, externísque omnibus adiutoriis opponere: vt epist. 105. ad Sixtum, & lib. de gratia Christi c. 13. & lib. 2. Operis imperfecti contra Iulianum fol. 366. Nomine autem incrementi significatur effectus adiuuantis gratiæ, quem Deus suâ benignitate largiatur.

Atque hinc dicit Iansenius c. 26. oriri, quòd Augustinus loquens de bonis operibus, & meritis, & perseuerantiâ hominum, & Angelorum; ante lapsum quidem, naturæ & voluntatis arbitrio ea tribuit, dicens eos stetisse per liberum arbitrium, potuisséque in adiutorio gratiæ permanere si vellent, & illud deserere cùm vellent &c. post lapsum verò, soli gratiæ Dei ea tribuit, etiam exclusâ subinde hominis voluntate: vt cùm ait ep. 98. ad Hilarium, *Quod hominibus (inquit Christus) impossibile est, Deo facile est: ostendens quando ista rectè fiunt, non fieri potentiâ hominis, sed Dei gratiâ.* Et in calce eiusdem epist. *Perfectionem de qua Dominus locutus est, vehementer adamaui; & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci.* Et ep. 107. ad Vitalem: *Fateatur,* inquit, *quando contra tentationes, & concupiscentias illicitas dimicamus, quamuis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adiutorio Dei nostram prouenire victoriam.* Similia dicit aliis in locis. Quâ loquendi diuersitate non significat Augustinus potuisse Adamum & Angelos stare per solas vires liberi arbitrij, & rectè operari, nec è contrario, nunc solam gratiam sine liberæ voluntatis adiunctione iustitiã operari; quorum vtrumque fides Catholica reiicit. Sed tantùm voluit indicare, Adamum & Angelos habuisse libertatem indifferentiæ in vsu gratiæ; ideóque non gratiæ, sed eorum voluntati tribuendum esse quòd bene vellent & agerent: nunc autem gratiam dominari voluntati, eámque necessitare ad volendum & agendum bonum: ideóque non voluntati, sed gratiæ tribuendum esse quòd volumus & operamur bonum. Et verò alioqui gratia non facit vt voluntas operetur, sed potiùs voluntas facit vt gratia operetur, quippe quæ non operatur nisi voluntas velit eâ vti, & applicet eam ad effectum. 150. *Quarta pars argumenti.*

Addit denique c. 27. superioribus non obesse, quòd constet multos diuinitus mente collustrari, imò verò & in ipsa voluntate motibus diuinæ gratiæ percelli, qui tamen ab eius interna suasione & inclinatione dissentiunt. Nam, inquit, multiplex est effectus gratiæ, quemadmodum & voluntatis. Est enim vnum velle perfectum & efficax; & aliud imperfectum, quod velleitatẽ appellant. Quælibet autem gratia non datur ad quemlibet effectũ: sed aliqua datur ad gignendam simplicẽ velleitatem seu complacentiam boni: alia, ad velle perfectum & efficax. Vtraque sortitur inseparabiliter effectum, ad quem datur: Sed qui accipiunt tantũ gratiam prioris generis, dicuntur ab Augustino nondum à Deo *didicisse secundũ gratiam, sed secundùm legem,* lib. de grat. Christi c. 13. nimirum quia nondum didicerunt secundùm gratiã, idipsum quod faciendum iubetur; quamuis aliquid aliud inferioris notæ secundùm gratiam didicisse nihil vetet. 151. *Occurritur obiectioni.*

Quod si quis respondeat Augustinũ in omnibus testimoniis suprà relatis loqui de gratia efficaci: verum quidem id esse dicit Iansenius; sed causam cur de illa sola loquatur, esse quia nullam aliam agnouit in hoc statu naturæ lapsæ. Nam ex quo primi hominis voluntas concupiscentiali ægritudine vitiata atque debilitata est, non ei sufficit ampliùs, neque posteritati eius, illud adiutorium cum quo habeat iustitiam si velit; sed opus est alio potentiore, *quo fiat vt velit, & tantum velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contra-* 152. *Proponitur altera obiectio.*

ria concupiscentem, voluntate spiritus vincat, vt ait S. Augustinus lib. de Corr. & grat. c. 11. *Si enim*, vt addit cap. seq. *in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis vt possent.* Propter quod subiungit immediatè pòst: *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo, quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliquâ vinceretur.* Quare qui aliud genus gratiæ procudunt, cui voluntas in hoc statu naturæ lapsæ consentiat si velit, & dissentiat si nolit, inuehunt nouum genus gratiæ Christianis, quod nec Augustinus, nec vllus Latinorum Patrum, qui de gratiæ adiutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis generalibus, vel prouincialibus ab Apostolica Sede probatis, agnouit vnquam, nec agnoscere potuit, nisi principia, quibus ipsa per antiquos Patres medicinalem Christi gratiam defendit, funditus euertantur.

153. *Impostura Iansenij, quòd nullus antiquorum loquatur de gratia respuibili.*

Verùm, vt ab hoc postremo incipiam: tam euidenter falsum est tale genus gratiæ fuisse incognitum D. Augustino, aliísquè Patribus Latinis, Pelagij impugnatoribus, & Conciliis generalibus, aut prouincialibus approbatis, vt mirum sit Iansenium tantâ confidétiâ (ne quid grauius dicam) id affirmare potuisse. Nam ex dictis sect. 4. certissimè & euidentissimè constat fuisse cognitum, & disertè expressum ab ipsomet Augustino pluribus locis, & ab Hieronymo, Prospero, & Fulgentio, in libris etiam quos aduersus Pelagianos ediderunt: & à Conciliis Tridentino, & Senonensi: quorum omnium testimonia luculentissima loco citato retulimus. Neque verò posse tale genus gratiæ negari sine manifesto errore contra Scripturam, non minùs perspicuè demōstrauimus tota sect. 3. Quare vera causa cur D. Aug. locis suprà allegatis, & in pluribus aliis, præsertim scribendo contra Pelagianos, loquatur solùm de gratia efficaci, non illa est quam protulit Iansenius: sed triplex illa quam reddidimus sect. 13. nu. 128. Ex quo si quis inferre velit nullam aliam dari gratiam, præter illam excellentem & efficacem, de qua loqui solet Augustinus contra Pelagianos; perinde facit (vt rectè ait Petauius ibidem citatus) ac si ex eo, quòd, qui ducem, aut oratorem, aut poëtam describendum suscipiunt, solent eum sibi proponere qui in eo genere perfectissimus est; inferret nullum alium esse ducem, nullum oratorem, nullum poëtam, nisi optimum, & præstantissimum: vel ex eo quòd Paulus loqui solet de Christianis, tanquā de sanctis & electis, attendendo ad partem nobilissimā, inferret nullos esse Christianos, nisi sanctos & electos, & Ecclesiam ex illis solis constare: quod hæreticum est, & repugnat eidem Apostolo, qui inter Corinthios, sanctos, & diuites in omni gratia, ita vt nihil illis desit, vt ait cap. 1. epistolæ prioris ad Corint. ver. 2. & 5. affirmat posteà c. 3. ver. 3. esse zelum & contentiones, quia carnales sunt: & c. 5. ver. 1. esse inter eos fornicationem, qualis nec inter Gétes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Hoc supposito & multis aliis supradictis, potest facilè breuitérque argumentis allatis satisfieri.

154. Ad primum ergo respōdeo, idcirco Augustinum locis à Iansenio relatis, gratiam & effectum ita coniungere, vt ex præsentia gratiæ inferat præsentiam effectus, & ex absentia effectus inferat absentiam gratiæ: quia vt iam diximus, & fatetur Iansenius, loquitur ibi de gratia efficaci, propter rationes citatâ sectione allatas: idque non obscurè intelligi potest ex iis quæ refert ex lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Deum non frustra misereri, quia cuius miseretur sic eum vocat, quomodo scit ei congruere vt vocantem non respuat*; id est, eo modo, & in iis circumstantiis, in quibus præuidet esse consensurum. De eadémque vocatione congrua loquitur verbis proximè pòst à Iansenio relatis, *Ideo voluit, & cucurrit Iacob, quia misertus est Deus.* Ceterùm, quòd non omnis vocatio diuina sit talis, vt habeat coniunctum infallibiliter effectum, expressè docet ibidem Augustinus dicens, Esaü quoque potuisse currere, & peruenire, nisi vocatione contemptâ reprobus fieri maluisset: Cui simile est quod ait lib. 83. quæst. q. 68. *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio praeparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi; quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate.* Estque vtrobique sermo de vocatione seu gratia sufficiente ad velle, & venire: nam alioquin non esset verum quod ait Augustinus, istos habuisse in libera voluntate vt venirent, sibíque tantùm tribuere debere quòd non venerint: & Esaü potuisse currere, & peruenire si voluisset: vt enim disertè affirmat Iansenius c. 27. gratia quæ tantùm datur ad velleitatem, non sufficit ad velle: ideóque si prædicti habuerunt tantùm gratiam ad velleitatem, non habuerunt gratiam sufficientem vt vellent, id est, non potuerunt velle, posséntque iure tribuere defectui gratiæ quòd non venerint: Cùm autem dicit lib. de Gratia Christi c. 13. Qui nouit quid est quod fieri debeat, & nō facit, nondum à Deo didicisse secundùm gratiam, sed secundùm legem, non secundùm spiritum, sed secundùm literam: intelligendus est quòd non didicerit secundùm gratiam congruam, siue efficacem ad velle & operari, prout exponit ipsemet Iansenius, probátque ex verbis Augustini paulò antè relatis: nimirum quia solam illam intelligere solet nomine gratiæ simpliciter dictæ, & velut antonomasticè.

Cur Augustinus gratiam cum effectu coniungat reciproce?

Ad secundùm respondeo similiter, D. Augustinum locis ibi relatis loqui de gratia efficaci, siue congrua, quam lib. de Gratia Christi c. 10. appellat vocationem secundùm propositum, per quam fit non solùm vt facienda nouerimus, verùm etiam vt cognita faciamus &c. Eandémque dicit lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 8. à nullo corde duro respui, quia datur vt duritia cordis primitus auferatur, & sicut congruum est vt reipsa auferatur. 155.

Quæ gratia non respuitur, sed facit vt faciamus?

Ad tertium respondeo constare ex dictis disp. 10. sect. 4. concertationem D. Augustini cum Semipelagianis in eo sitam fuisse, quòd illi vellent gratiam non esse necessariam ad fidem initialem, & ad alia quædam quæ per initium salutis intelligebant: volebant enim solas naturæ vires ad hoc sufficere; & gratiam non incipere, sed subsequi conatum voluntatis, & bona quædam naturaliter facta, quibus ipsa tanquam meritis acquireretur, & retribueretur: vt patet ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, præ- 156.

Quæ fuerit controuersia cum Semipelag.

fixis lib. de Prædestinat. Sanct. & ex eodem lib. cap. 2. & pluribus sequentibus, aliísque locis sect. citata relatis. Quare falsum est quod ait Iansenius, admisisse illos gratiam quandam potentialem ad credendum; & ideo solùm reprehensos fuisse ab Augustino, & damnatos ab Ecclesia, quòd vellent eiusmodi gratiam non necessitare voluntatem, sed pendere quoad vsum à libero eius arbitrio. Cur autem refugerent cũ Pelagio, siue ad credendum, siue ad alia quæ præter fidem ad salutem consequendam facienda sunt, Gratiam quæ dat velle; dicerentque, vt refert Augustinus lib. de Bono perseuerant. c. 19. *Nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, qua Deũ dare fatemini, quæ vt nos faciamus, hortamini*, patet ex dictis disp. 9. sect. 3. vbi rationes attulimus, propter quas à tali genere gratiæ abhorrebant, & multiplicia incommoda quæ ex illo consequi existimabãt. Idcirco autem eodem libro & præcedenti non loquitur nisi de gratia efficaci, seu cum effectu coniuncta; quia loquitur de gratia data prædestinatis vt perseuerẽt, déque ipso dono perseuerantiæ. Quod tamen non esse huiusmodi, vt voluntatem necessitet vi suâ, & antecedenti quadam efficacia independente ab ipsius libertate, docet euidenter idem S. Doctor illo ipso lib. de Bono pers. c. 6. vt ostendimus sect. 6. nu. 57.

157. *Augustinus simili modo loquitur de gratia sanitatis, & de gratia medicinali, déque vtriusque operibus.*

Ad quartum, patet quoque ex dictis sect. 7. n. 63. & sect. 9. nu. 86. & seqq D. Aug. ea ipsa quæ dicit de bonis operibus, & meritis, & perseuerantia Angelorum, & hominis ante lapsum, ex quibus Iansenius colligit fuisse facta cum libertate indifferentiæ; dicere quoque de bonis operibus, & meritis hominum in statu naturæ lapsæ; vnde similiter colligendum sit fieri quoque cum eadem libertate, & non ex gratia necessitante, vt vult Iansenius. Nimirum etiam nunc esse in potestate hominis adiuti gratiâ, eligere bonum aut malum, vitam aut mortem, & apponere manum ad quodcunque voluerit: vt ait lib. de Gratia & lib. arbit. c. 2. posse stare in iustitiâ acceptâ, & perseuerare si velit, quia Deus suâ gratiâ ipsum non deserit, nisi priùs ab ipso deseratur: vt ait lib. de naturâ & Gratiâ c. 26. & tract. 2. in cap. 1. Ioannis, & lib. 1. ad Simpl. q. 2. Gratiã ita hominem trahere, vt eum tamen dimittat libero ipsius arbitrio: vt ait lib. 2. contra lit. Petiliani c. 84. Similiter etiam patet ex dictis sect. 7. suprà citata, D. Aug. dicere de gratia data Angelis, & homini ante lapsum, ea ipsa quæ dicit de gratia data hominibus post lapsum: & ex quibus Iansenius malè colligit illos tam bene operari non cum vsu libertatis indifferentiæ, sed cum necessitate illatâ per gratiam medicinalem. Cuiusmodi sunt, quòd gratia medicinalis det ipsum opus & meritum, id est, non solùm det posse, sed etiam velle, & bene operari, quod de Angelis quoque, & hominibus in statu innocentiæ affirmat lib. 12. de Ciu. c. 9. & lib. 8. de Genesi ad lit. c. 10. Item quòd gratia medicinalis det perseuerantiam. Nam idem quoque affirmat de grat. Angel. cõc. 2. in Ps. 32. & lib. 12. de Ciu. c. 9.

158. *Quo sensu bonum opus, & victoria tentationum dicitur non esse ex nostra voluntate.*

Quod verò profert Iansenius ex epistola ad Hilarium, non aliud sibi vult quàm homines non rectè facere solâ suâ potentiâ naturali, sed adiutos Dei gratiâ: vt clarè indicant hæc eius verba, *non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci*. Eodémque sensu ep. 107. ad Vitalem dicit, victoriam tentationum non prouenire ex nostra voluntate, solâ scilicet, sed, & principaliter, ex gratia. Discrimen verò allatum à Iansenio planè repugnat & apertè doctrinæ, & intentioni D. Augustini: vt patet ex locis suprà indicatis, & integrè relatis sect. 7. nu. 63. Neque consequens est quòd si vtimur gratiâ cũ potestate indifferentiæ, gratia non facit vt voluntas operetur, sed voluntas facit vt gratia operetur. Quasi verò gratia præueniens, & congruè præmouens voluntatem ad operandum, non faciat vt operetur, quãuis liberè ductum eius sequatur: & iuxta omnium hominum sensum, non sit verè causa vt quis velit, ille qui suadet, aut præcipit alteri vt velit, aut alio modo inducit efficaciter ad volendum, quamuis iste liberè consentiat. Omnino sensum communem exuisse videntur, qui sic ratiocinantur.

Ad quintum, patet ex dictis nu. 152. falsum esse quod dicit Iansenius omnem gratiam quæ datur in statu naturæ lapsæ, sortiri semper effectum, ad quem datur: ostendimus enim dari aliquibus gratiam sufficientem vt veniant & currãt, qui tamen neutrum faciunt, sed gratiam oblatam contemnunt: idque de Esaü affirmare Augustinum lib. 1. ad Simpl. q. 2. & de pluribus aliis lib. 83. qq. q. 68. Cur autem dicat Augustinus eos qui non rectè volũt, non accepisse gratiã nisi secundùm legem, exposuimus num. 154. Quod denique refertur ex Augustino lib. de Correp. & grat. c. 11 & 12. Gratiã potentiorem nunc dari hominibus, quàm daretur ante lapsum, & alioqui fore vt ex infirmitate deficiant, explicatum fuit sect. 6. nu. 47. & seq. quò lectorem remittere malo, quàm cum eius tædio & fastidio idem sæpius, more Iansenij, repetere. 159. *Non omnis gratia medicinalis habet effectum.*

SECTIO XV.

Refutantur quædam elusiones Iansenij.

DVAS sibi rationes opponit Iansenius c. 28. & 29. velut à Theologis contra ipsius doctrinam propositas. quarum prima est: *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia, qua poterat perseuerare, si vellet. Ergo & nunc.* Respondet, hoc argumẽto directè impugnari doctrinam Augustini disertè affirmantis lib. de Correp. & grat. c. 10. 11. & 12. Gratiam quæ sufficiebat homini innocenti, per quam scilicet posset perseuerare si vellet, non sufficere lapso, qui nisi potentiori gratiâ iuuaretur, vel pro sua infirmitate non vellet, vel si vellet non posset. Idémque argumentum fuisse obiectum à Massiliensibus: qui tamen minùs errarunt, in eo quòd tale genus auxilij putarent quidem sufficere ad initium salutis, ad cetera verò faterentur necessariam esse potentiorem gratiam, quæ scilicet non det tantùm posse si volumus, sed faciat vt necessariò velimus. 160. *Prior elusio.*

Altera ratio est, quòd Adamo quidem sufficeret ad bene operandũ gratia habitualis: nunc autem necessaria sit gratia actualis, consistens in excitationibus, protectionibus, & concursu generali ordinis supernaturalis. Cui respondet primò, non esse hîc quæstionem, quodnam sit vtriusque status adiutoriũ, sed quæ sit vtriusq; efficacia. Docet autẽ constanter Augustinus adiutorium innocentiæ tale fuisse, vt penderet ab vsu libero voluntatis, darétque illi posse si vellet: adiutoriũ verò naturæ lapsæ nõ pẽdere ab vsu libero, sed dominari voluntati, & facere vt necessariò velit. Secundò, omnia illa adiutoria, prout explicantur à Theologis huius argumenti auctoribus, dare tantùm voluntati vt possit, si velit; non autẽ facere vt velit; ideóque 161. *Posterior.*

contineri intra limites adiutorij *sine quo non*, quale erat in statu innocentiæ: vnde sequitur eos auctores manifestè confundere auxilia naturæ integræ & lapsæ, contra doctrinam & distinctionem toties ab Augustino inculcatam. Tertiò falsum esse, quòd homini in statu innocentiæ, vel etiam Angelis sufficeret gratia habitualis. Nam quòd præter illam habuerint excitationes, & suasiones etiam internas, docet expressè D. Aug. lib. 14. de Ciu. Dei c. 13. vbi de Angelis sic ait: *Si voluntas* (eorum) *in amore superioris incommutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret, & accendebatur vt amaret, stabilis permaneret, &c.* Protectionem quoque non defuisse Adamo affirmat ser. 11. de verbis Apostoli c. 2. sic dicens: *Regebat eum ipse qui fecerat.* Et lib. 8. de Genesi ad lit. c. 10. de eodem intelligit, quod ait generaliter de omnibus hominibus: *Deus operatur hominem, atque custodit, vt bonus, beatúsque sit.* Sed neque etiam deerat concursus generalis, quippe qui omnibus causis secundis cōmunis est, & connaturaliter debitus: concursus quidem naturalis causis naturalibus: supernaturalis verò causis supernaturalibus, quales erant habitus per se infusi Adamo, & Angelis. Itaque non minùs Adamo, & Angelis innocētibus, quàm peccatoribus datus fuit; nec magis ad adiutorium lapsæ naturæ, quàm stantis referendus est. Sed neque ille est gratia medicinalis, quæ medetur vulneribus, & infirmitati naturæ lapsæ. Non enim dat vires agendi, sed supponit; vtpote qui relinquit vires operandi, intellectum & voluntatem, quales aliunde præparatas inuenit. Non est ergo illa Christi gratia, ad operandum homini lapso necessaria, quâ fiat vt velit: neque illa, de quâ D. August. cum Pelagio contendit; nunquam enim Pelagius eam detrectauit, vt quidam recentiores sine vllo fundamento comminiscuntur.

162. *Impugnatur prior elusio.* Sed quod ad primam rationem attinet, vel ex ipsis terminis notū est sufficere vnicuique ad perseuerandum, si velit, auxilium cū quo potest perseuerare si velit. Sunt enim idem re, & conceptu, auxilium sufficere ad perseuerandum si velit, &, posse cum auxilio perseuerare si velit. Vnde consequens est, quòd sicut Adamo vt perseueraret si vellet, sufficiebat auxilium cum quo posset perseuerare si vellet: ita nunc homini lapso sufficiat ad perseuerandum si velit, auxilium cum quo potest perseuerare si velit. Discrimen verò traditum à D. Augustino inter auxilium datum Adamo ad perseuerandum in statu innocētiæ, & auxilium quod datur nunc Sanctis & electis in regnum Dei, de quo loquitur locis à Iansenio relatis, vt notauimus nu. 53. non in eo consistit, quod Adamo quidem sufficeret ad perseuerandum, auxilium cum quo poterat perseuerare si vellet: nunc autem homini lapso non sufficiat ad perseuerandum si velit, auxilium cum quo potest perseuerare si velit. Sed vt diximus sect. 6. num. 47. & seqq. in eo, quòd in statu naturæ lapsæ egeant homines maiore auxilio, propter naturæ infirmitatem ortam ex peccato originali, quàm indiguit Adamus in statu innocentiæ: quódque Adamo datum fuerit duntaxat auxilium cum quo posset perseuerare si vellet, non autem quo actu perseuerauerit: nunc autem Sanctis & electis in regnum Dei non solùm detur auxilium cum quo possint perseuerare si velint, sed etiam quo reipsa velint & perseuerent, id est, auxilium reipsa coniunctum cum effectu, & tale præscitum à Deo, atque eo modo datum, in hisque circumstantiis, in quibus præuidetur infallibiliter fore vt habeat effectum perseuerandi: quale auxilium non fuit datum Adamo ad perseuerandum. Quàm malè autem ex eo Iansenius colligat gratiam medicinalem necessitare voluntatem, secus ac gratiam sanitatis, satis supérque ibidem demonstrauimus. Et quod addit, Massilienses non negasse gratiam huius secundi generis, pendētem scilicet ab vsu libertatis, esse necessariam ad initiū salutis; ad cetera verò admisisse gratiam necessitātem: hoc, inquam, liquidò falsum esse constat ex dictis de illorum erroribus disp. 10. sect. 4. & 5. vbi pluribus Hilarij, Prosperi, & Augustini testimoniis ostendimus docuisse ipsos, vires naturales sufficere ad ea omnia quæ ad salutis initium pertinere volebant: ad alia verò non aliam gratiam admisisse, quàm Pelagianā legis & doctrinę externæ, & internæ relinquentem vsum integrū libertatis indifferentiæ: vt liquet ex dictis disp. 7. sect. 7.

163. *Refutatur posterior elusio.* Quoad secundam: constat ex dictis eadem disp. 7. sect. 5. & pluribus sequentibus, quæstionem inter D. Aug. & Pelagium fuisse, non qualem vult Iansenius, de efficacia gratiæ: vtrum scilicet gratia sanitatis permitteret indifferentiam voluntatis, gratia verò medicinalis necessitet: qua de re nunquam fuisse controuersum inter ipsos, probauimus ibid. sect. 6. 7. & 8. sed vtrum gratia propriè dicta & distincta à dono creationis, necessaria esset ad bene operandum, & peccatum vincendum: & vtrum præter gratiam legis & doctrinæ, quæ est gratia intellectus iuuans ad ea cognoscenda, quæ facienda, vel cauenda sunt; admittenda esset gratia voluntatis & actionis iuuans vt faciamus, vel caueamus, quæ facienda vel cauenda esse cognoscimus. vtrumque negabat Pelagius: & ad vtrumque confitendum, illum, & eius asseclas Celestium & Iulianum, in libris contra eos scriptis passim vrget Augustinus: nusquam verò affirmat gratiam necessitātem nunc esse necessariam, & quamcumque aliam fore inutilem naturæ lapsæ; quippe cui, amissâ iam libertate per peccatum Adæ, non plus prodesset gratia non necessitans, & iuuans tantùm ac supponens libertatem indifferentiæ; quā lumen cæco ad videndum, vel cibus mortuo ad edēdum, vel scipio carenti pedibus ad ambulandum vtsæpe affirmat Iansenius. Quod cùm in illa disputatione & in præsenti satis apertè fuséque probauerimus, non est quòd ampliùs in eo immoremur.

164. *Iansenius imponit Theologis id quod ipse facit.* Atque hinc falsum esse liquet quod secundò addit Iāsenius, Theologos qui pro gratia medicinali assignant suasiones, & excitationes, seu pias motiones ex parte voluntatis, pręter internas illustrationes ex parte intellectus, confundere gratiam medicinalem cū gratia sanitatis, eo quòd prędicta omnia relinquunt volūtati libertatē indifferentię, sicut gratia sanitatis. Quin potiùs ipsemet vtrâque confundit, & vtrâque esse necessitantem affirmat: cùm, vt alibi notauimus, docet voluntatem necessariò velle id quod magis illam delectat: idque oriri ex natura ipsa voluntatis humanæ: adeo vt si occurrant simul duo obiecta quæ æqualiter delectent, neutrum velle possit, quia se mutuò æqualiter impediunt: sin autem inæqualiter, amplectatur illud quod magis eam delectat. Ex quo sequitur, in statu etiam naturæ innocentis auxilium gratiæ fuisse necessitans: quia vt moueret sufficienter voluntatem ad volendum debebat eam magis delectare: id est, suauitas & delectatio caritatis, in quâ Iansenius auxilium voluntatis constituit, debebat esse maior, quàm quæuis alia simul occurrens; & si erat maior, voluntas non

poterat non eam sequi: quia vult necessariò id quod magis eam delectat, nec potest velle nisi quod magis delectat.

165. *Differentiam gratiæ sanitatis, & medicinalis malè impugnat.* Tertiò, malè impugnat Iansenius quod Lessius & Bellarminus ab eo citati, & plerique alij affirmant, differētiam illam fuisse inter gratiam Adamo necessariam in statu innocentiæ, & eam quę est necessaria in statu naturæ lapsæ; quòd auxilium piæ motionis, se tenens ex parte voluntatis, non esset tunc necessarium, sicuti nunc est propter malam inclinationem, & difficultatem à peccato inuectam, læsionémque liberi arbitrij: sed sufficerent illustrationes internæ ex parte intellectus, & habitus supernaturales infusi voluntati, ad volendum, etiam supernaturaliter, quodcunque bonum: cùm aliunde nullam haberet repugnantiam partis inferioris, nullóque prauo amore sui, aut creaturarum impediretur, aut retardaretur à prosequendo vero bono, sibi sufficienter proposito. Malè, inquam, id impugnat ex eo, quòd Augustinus dicat Angelorum voluntatem fuisse illustratam, & accensam ab incommutabili bono: Tum quia D. Aug. non affirmat accensionem illam fuisse Angelis necessariam: potuítque dari ex superabundanti, & ad melius esse: Tum etiam quia potest intelligi de accensione voluntatis non immediatâ, & ipsimet voluntati diuinitus impressâ; sed de remotâ, per meliorem propositionem obiecti, seu reuelationem internam, & persuasionem. Simili modo, quo idem S. Doct. lib. de grat. Chr. c. 10. exponit quod aiebat Pelagius: *Operatur in nobis* (gratia) *velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum sollicitatione succendit, dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* exponit, inquam, illam *succensionem*, æquè ac cetera omnia, de succensione per legem, ac doctrinam externam, aut internam, subiungens immediatè pòst: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam quâ Deus operatur in nobis velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?* Cetera quæ addit Iansenius de protectione Dei, & concursu generali, quòd scilicet non deessent in statu innocentiæ, nobis non obsunt, neque aliis Theologis, qui neutrum negant, sed tantùm affirmant opus nunc esse maiori Dei protectione, & præuentione, atque concursu gratiæ potentioris ad vincendas tentationes, & difficultates, quas nunc patimur in volendo, præsertim constanter & perseueranter, bono, cauendóque peccato. Propter quod dicit Augustinus lib. de correpr. & gratia cap. 12. sub finem, de sanctis & electis, vsque in finem perseuerantibus, *subuentum esse infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est vt voluntas hominis inualida, & imbecilla, in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei; cùm & voluntas primi hominis, fortis, & sana, in bono ampliore non perseuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij.* Quid autem senserit Pelagius de concursu generali, diximus alibi disp. 10. sect. 10. vbi ostendimus probabilius esse quòd illum negauerit, neque id esse commentum Theologorum, sed Hieronymi testimonio satis comprobatum.

SECTIO XVI.

Expenduntur quæ respondet Iansenius testimoniis Augustini sibi obiectis.

Ex tam multis testimoniis D. Aug. contra gratiam necessitãtem, quæ hac ferè tota disput. protulimus, & alij Theologi ante nos protulerunt, pauca selegit Iansenius c. 30. & seqq. veluti suis elusionibus aptiora: cetera maluit dissimulare, quàm apertè succũbere: sed neque in illis, quę selegit, hoc vitare potuit, vt patebit ex seqq. 166.

Primum & secundum habentur in lib. de spir. & lit. c. 33. vbi sic dicitur: *Liberum arbitrium, naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideò nec istam volũtatem, qua credit Deo, dici potest homo habere quam non acceperit, quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cùm crearetur accepit.* Et paulò pòst: *Vult autem omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes, iustissimè iudicentur.* 167. *Proponũtur duo illa testimonia.*

Vtrique testimonio respondet primò Iansenius: admiratione dignum esse, quòd cùm Augustinus adiutorium primi hominis, & adiutorium gratię Christi luculentissimè distinxerit; vnum appellando adiutorium *sine quo non fit* id quod agitur; alterum, *quo fit*; tantâque manifestatione declarauerit, vt nihil addi posse videatur: Scholastici tamen recentiores in vtroque membro intelligendo tam enormiter aberrauerint, vt directè oppositum eius quod Augustinus ex professo docuit, ipsi ex professo ex eius verbis exsculpserint. Secundò recentiores, vtrumque membrum peruertendo, vtrobiq; Pelagianorũ obiectionem pro Augustini solutione cepisse: indéque factum esse, vt contra Augustini mentem, & verba sæpe repetita, Adamo tribuerint adiutoriũ *quo*, quod fractis viribus necessarium & proprium est: & assignauerint hominibus lapsis adiutoriũ *sine quo non*, quod libertatē illæsam esse supponit. Porro, quòd in priori ex duobus testimoniis allatis acceperint obiectionem Pelagianorũ pro doctrina Augustini, dicit se iã probasse lib. de grat. primi hominis & Angelorũ c. 17. De posteriori verò, imò de vtroque probat, quia Augustinus ibi disputat, sicut & lib. 1. ad Simpl. q. 2. vtrum fides, qua primitus Deo credimus, & bona voluntas, qua credere volumus, nascatur ex libero voluntatis arbitrio, vt volebant Pelagiani, & Semipelagiani, quorum errori aliquandiu adhæsit Augustinus: an verò ex gratia Dei, vt docet fides Catholica, & ipse fusiùs in lib. de præd. Sanct. demonstrauit. Propositáque obiectione contra sententiam affirmantium, fidem nasci ex libero arbitrio, quòd ex eo sequeretur falsum esse illud Apostoli; *Quid habes quod non accepisti?* Respondet primò ex mente Pelagianorum, nos accepisse à Deo liberum arbitrium, cuius virtute credimus: ideóque fidem esse donum Dei, qui nobis dedit in ipsa creatione liberum voluntatis arbitrium. Tum propositâ alterâ quæstione, si voluntas bona, quâ creditur, est donum Dei; cur non omnibus detur, cùm *Deus velit omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Semipelagianam illam responsionem prosequendo subiungit: *Vult autem Deus* omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen *vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè* 168. *Iansenij elusio.*

vtentes, iustissimè iudicentur. Ac tandem ventilatâ toto illo capite Pelagianâ hac responsione, ad veram quæstionis solutionem accedens, ita loquitur initio cap. 34. *Hac disputatio si quæstioni illi soluendæ sufficit, sufficiat.* Quibus verbis apertè significat ea quæ priùs dixit, non esse solutionem, sed disputationem: dubitationem, non assertionem: illámque refellens ait, *Si respondetur, cauendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur, Quid habes quod non accepisti, propterea etiam voluntas, quâ credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus: attendat & videat non ideo tantùm istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est: verùm etiam quòd visorum suasionibus agit Deus vt velimus.* Et hæc referens Iansenius exclamat; Ecce reiectam responsionem ipsissimis illis verbis, quibus à Pelagianis concepta, & à nostris recentioribus, velut Augustini doctrina, accepta fuit, quòd videlicet ideo voluntas credendi sit donum Dei, quia vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod homo naturaliter cùm crearetur accepit. Adeóque recentiores mirabili hallucinatione obiectionem pro solutione, Pelagianam responsionem pro Augustini doctrina, errorem pro veritate acceperunt.

169. *Hallucinatio Iansenij circa auxilium quo, & sine quo non.* Sed ad hæc dico primò, mirabili potiùs hallucinatione falli Iansenium, & non mediocri admiratione dignum esse, hominem, qui totam ferè vitam (vt sæpius ait) in legendo Augustino contriuit, & in vero illius sensu inuestigando, in quo etiam se non mediocriter profecisse existimat, non animaduertisse discrimen illud inter auxiliũ *quo*, & auxilium *sine quo non*, traditum & explicatum à D. Aug. lib. de Corrept. & gratia c. 12. non esse generale discrimen inter auxilia data in statu innocentiæ, & auxilia data in statu naturæ lapsæ: quasi verò omnia auxilia data in statu innocentiæ fuerint auxilium *sine quo non*, & omnia quæ dantur in statu naturæ lapsæ sint auxilium *quo*, eo sensu, quo de illis loquitur Augustinus; sed tantùm esse speciale discrimen ab illo assignatum inter auxilium datum Adamo ad perseuerandum in statu innocentiæ, sine quo non poterat perseuerare, & cum quo poterat perseuerare si voluisset, sed reipsa nec voluit, nec perseuerauit, ideóque tantummodo fuit auxilium *sine quo non*, & inter auxilium quod datur sanctis & electis efficaciter in regnum Dei, quo fit vt non modò perseuerare possint si velint, sed etiam vt reipsa velint & perseuerent, id est, habet coniunctum effectum perseuerandi; ideóque non est tantummodo auxilium sine quo non possent perseuerare, sed est auxilium quo reipsa perseuerant. De hac enim solùm comparatione loquitur Augustinus cap. cit. in quo solo dictam diuisionem, & explicationem tradit: vt ostendimus sect. 6. nu. 53. & seq. neque minori admiratione dignum est tantâ confidentiâ affirmare Iansenium Scholasticos recentiores gratiæ necessitantis impugnatores tam enormiter aberrare, vt ex Augustini verbis exsculpere velint oppositum eius, quod ex professo docuit. Cùm ipse potiùs, tum in aliis suis dogmatibus, tum in isto præcipuè de gratia necessitante, totis viribus enitatur Augustino tribuere sententiam ab eius mente prorsus alienam, & planè Caluinisticam, plurimísque locis ab eo damnatam, vt hâc ferè totâ disputatione probauimus, & fusiùs alibi ostendemus, cùm de mente & doctrina illius S. Doctoris circa libertatem arbitrij disputabimus.

Dico secundò, euidenter falsum, & intolerabiliter calumniosum esse quod ait Iansenius, Theologos, qui loca citata opponunt, cepisse Pelagianam responsioné pro Augustini doctrina obiectioné pro solutione, errorem pro veritate. 170. *Insignis eiusdem impostura.* Quod vt clarè liqueat, sufficiet verba Augustini fideliter breuitérque referre, & simul fraudes aduersarij detegere. Primùm igitur ipso initio c.33. D. Aug. hanc quæstionem proponit, Vtrum voluntas illa, qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit: an ex illo naturaliter insito libero habeatur arbitrio? Augétque difficultatem quæstionis, hoc dilemmate addito: *Si natura est; quare non omnibus, cùm sit idem Deus omnium Creator? Si dono Dei; etiam hoc quare non omnibus, cùm velit omnes saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire? Quibus propositis subiungit: Primò videndum esse, vtrum huic satisfaciat quæstioni, quòd liberum arbitrium, naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, quâ credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur acceperit.* Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel malè vtentes, iustissimè iudicentur. Deinde, postquam immediatè subiunxit, & fusè probauit, eos qui non credunt, facere contra Dei voluntatem, & experturos in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiã contempserunt: eos autem qui credunt, habituros esse ex eius gratia opera bona, & vitæ bonæ præmia per Dei misericordiam consecuturos, non tamen sine meritis per liberum arbitrium cum Dei gratia factis: atque ita, inquit, *nec arbitrium liberum tollimus, & benedicit anima nostra Dominum, non obliuiscens omnes retributiones eius, nec ignorans Dei iustitiam, suam vult constituere, sed credit in eum qui iustificat impium, & viuit ex fide, donec ad speciem perducatur, fide scilicet quæ per dilectionem operatur, quæ dilectio diffunditur in cordibus nostris; nec per sufficientiam propriæ voluntatis, nec per literam legis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; subiungit immediatè pòst, Hæc disputatio si quæstioni illi soluendæ sufficit, sufficiat. Certè manifestum est non sufficere, si responsio illi data, esset Pelagiana vt vult Iansenius: neque Augustinus ita loqueretur, si hactenus pro solutione Catholica Pelagianam dedisset: præsertim cùm deinceps nihil addat, quo illam reprobet, aut infirmet: sed tantùm addat, ita esse intelligendam, vt bona voluntas credendi non putetur esse à libero arbitrio solis naturæ viribus; & ideo tantùm esse donum Dei, quia liberum arbitrium, à quo manat, fuit à Deo in creatione donatum: alioqui etiam actus mali essent dona Dei, quia fiunt ab eodem libero arbitrio: sed addendum esse quod fiat cum auxilio gratiæ præuenientis, & iuuantis vt velimus & credamus. *Si autem*, inquit, *respondetur, cauendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur, Quid habes quod non accepisti, propterea etiam voluntas, quâ credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero existit arbitrio.*

quod cùm crearemur, accepimus. Attendat & videat non ideo tantùm istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verùm etiam quod visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam (iustificantem) *credendo confugiat: siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Quorum verborum magnam partem malâ fide suppressit Iansenius, vt suum illud Epiphonema eius loco subiiceret: *Ecce reiectam responsionem ipsissimis illis verbis, quibus à Pelagianis concepta, & à nostris recentioribus, velut Augustini doctrina, accepta fuit.* Cùm tamen ex verbis Augustini iam fideliter relatis manifestum sit non reiici, sed magis explicari, aut suppleri id quod erat explicandum aut supplendum in responsione priùs datâ. Idque magis ostendunt quæ sequuntur immediatè pòst, pari calliditate prætermissa à Iansenio: quibus Augustinus apertissimè docet, voluntatem credendi, & fidem haberi per Dei gratiam; sed tamen ita vt in potestate liberi arbitrij sit ei consentire vel non consentire. *His ergo modis*, inquit, *quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet* (aliàs quodlibet) *libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat: profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia Dei preuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est, Quid enim habes quod non accepisti? Verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat Dei est: accipere autem & habere, vtique accipientis, & habentis est.* Atque his verbis disputationem concludit Augustinus: quæ si ex suo sensu non protulit, quæstionem quam explicandam susceperat, planè insolutam reliquit, & nihil aliud quàm doctrinam Pelagianam proposuit, vt non tam lectorem doceret, quàm in errorem induceret; quod non nisi absurdissimè dici de tanto Doctore, aut cogitari potest. Ex quo patet quàm falsò, & calumniosè scribat Iansenius D. Augustinum non suam, sed aduersariam, id est, Pelagianam doctrinam hîc tradere; nemínique mirum videri debere, si Theologi recentiores, qui hæc loca obiiciunt, Pelagianam sententiam pro Augustiniana sumentes, totam eius intelligentiam perturbauerint, & loco gratiæ quæ sibi humanam subiicit voluntatem (eam necessitando) gratias congruas, & sufficientes, & omnibus communes, quæ suis effectibus ex arbitrij libertate frustrentur, substituerint. Cùm potiùs ipse doctrinam Caluinisticam & Lutheranam de gratiâ necessitante, pro Augustiniana accipiat: & loco veræ gratiæ, quæ vt Scriptura, Patres, & Concilia, speciatimque D. Aug. plurimis locis affirmant, sinit voluntatem liberè agere, & ita consentire, vt dissentire possit, quemadmodum etiam proximè dixit Augustinus; substituerit gratiam Caluinisticam, quæ necessariò rapiat voluntatem, neque possit aliter prodesse, iuuando tantùm libertatem indifferentiæ, & mouendo voluntatem ad consentiendum si velit; cùm iam amissa sit libertas indifferentiæ per peccatum Adæ, vt ipse cum Luthero & Caluino dogmatizat.

SECTIO XVII.

Aliud testimonium D. Augustini vindicatur ab elusionibus Iansenij.

171. *Locus Augustini pro gratia non necessitante.* TERTIVM Augustini testimonium, quod eludere conatur Iansenius c. 31. habetur lib. 1. ad Simplic. q. 2. in hæc verba: *Aliter præstat Deus vt velimus, aliter præstat quod voluerimus. Vt velimus enim & suum voluit esse, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beatè viuere.* Quorum verborum sensus est, quòd Deo vocante ad fidem, & iustitiam credere velimus, iustéque viuere, & vocanti consentiamus: & *suum voluit esse* per gratiam vocationis; & *nostrum* per consensum liberum voluntatis. Illud autem quod assequi voluerimus, nimirum *posse bene agere, & semper beatè viuere*, solus præstat, quia potentiam illam, seu gratiam ad hoc præstandum solus dat. Ex quo loco inferunt Theologi, gratiam, quâ vocamur, talem esse, vt voluntas liberè illi obsequatur, neque illa consensum necessariò extorqueat, sed liberè obtineat.

172. *Elusio Iansenij.* Respondet Iansenius, locum istum ab Augustino pro suo errore, quo ante Episcopatum tenebatur, disputando proferri, & postea in eodem loco refutari. Nam ante Episcopatum existimauit fidem, seu primam bonam voluntatem, quæ ab initio fidei incipit, ita tribuendam esse libero arbitrio, vt tamen vocationem Dei præcedere fateretur, qua non existimabat fidem à Deo peculiari beneuolentiâ inspirari, sed eam à libera voluntate pendere vt crederet quisquis vellet. Post conceptam tamen fidem fatebatur hominem non posse vlteriùs progredi, quantumcunque progredi vellet, hoc est, potestatem bene operandi, seu bona opera diuinitus esse tribuenda. Quam doctrinam clarè tradit in libro expositionis quarundam propositionum ex epist. ad Rom. n. 60. 61. & 62. & refellit ex professo in hoc lib. ad Simplic. vbi affirmat Deum præstare vt credamus, & misereri inspirando fidem ei, cuius misertus est, vt adhuc infideli vocationem impertiret. Quo supposito, quærit vnde nascatur vt alicui desit illa misericordia, quâ velit & credat? An ex humana voluntate, quæ nolit credere, an aliunde? Et cur hæc misericordia subtracta est ab Esaü, vt non sic vocaretur, vt & vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret, vt bene operaretur? Addítque causam non esse quia noluit: alioqui Iacob è contrario ideo credidisset quia voluisset, & ideo non ei Deus donasset fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitisset, & habuisset aliquid quod non accepisset. Contra quam refutationem opponit sibi solutionem Semipelagianam, quam ipse hactenus tenuerat. Nempe, quòd licèt nemo nisi volendo credere possit; præcedere tamen debet vocatio Dei, ratione cuius illa voluntas est donum Dei; quam vocationem alius sua libertate contemnat. Hoc enim illud ipsum est, quod se Augustinus ante Episcopatum tenuisse tradit lib. de Prædestina-

tione Sanct. c. 3. quando dicit: *Neque enim putabam fidem Dei gratiâ preueniri, vt per illam nobis daretur quod posceremus vtiliter, nisi quia credere non possemus, si non precederet praconium veritatis. Vt autem pradicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar.* Hoc autem in præsenti refellens, obiicit suo nomine: *Quid est ergo, quod sequitur,* (in eadem ep. ad Rom.) *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* Cui interrogationi subiungit iterum responsum Semipelagianorũ: his Apostoli verbis non significari quòd non sit volẽtis, seu quòd non pendeat ex sola humana voluntate, vt post vocationem Dei credat: verùm non esse volentis vt adipiscatur rem illam, quam credendo adipisci cupit, sed hoc esse solius misericordiæ Dei. Eodémque sensu subiungit verba initio sectionis relata: *Aliter enim Deus prastat vt velimus: aliter prastat quod voluerimus, &c.* quem errorem fusiùs ab ipso traditum, & expositum in eodem libro Expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Rom. nu. 60. & 61. correxit lib. 1. Retract. cap. 23. vbi postquam retulit se alibi scripsisse, *Quod ergo credimus nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum,* statim corrigendo subiungit, *Hoc profectò non dicerem, si iam sentirem fidem inter Dei munera reperiri, qua dantur in eodem Spiritu.* Et in hoc ipso libro ad Simplicianum, satis significat se ex errantium sensu ista respondisse. Nam illa statim aggressus verba, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* quorum peruersam interpretationem responsio prædicta continebat; palam ostendit non ita explicari posse, vt solùm *id quod volumus,* seu ipsum bene agere beatéque viuere Dei misericordiæ tribuatur, quia voluntas hominis sola non sufficit; sed ita potiùs vt etiam ipsum *velle* tribuatur miserenti Deo, qui hoc in nobis ipsis operatur: *Ad eandem quippe misericordiam pertinet vt velimus, Deus est enim qui* operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: ac proinde non esse sic partiendum cum Deo *velle & operari,* vt dicamus *velle* esse Dei & nostrum: *Dei vocando, nostrum sequendo:* id verò *quod volumus,* hoc est, ipsum agere, solius Dei: sed potiùs, sicut ipse S. Doctor ex professo explicat, *vtrumque* & velle & bene agere, *nostrum est propter arbitrium libertatis: & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei, & caritatis.* Hæc est breuis summa totius responsionis Iansenij.

173. *Ostenditur Augustinum ex proprio sensu dicere nos cooperari gratia.*

Contra quam dico, euidenter falsum esse verba D. Augustini initio sectionis relata, dicta fuisse ab illo ex sententia Semipelagianorum, & ab illo correcta in hac eadem q. 2. ad Simplicianum, & lib. 1. Retract. cap. 23. Nam potiùs vtrobique confirmat id quod dixerat, vt velimus & suum voluit esse, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Et quidem lib. 1. Retract. cap. 23. recognoscens quod dixerat in libro Expositionis quarundam propositionum epist. ad Romanos, *Quod ergo credimus nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum:* ita seipsum corrigit: *Profectò (hoc) non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, qua dantur in eodem spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei & caritatis.* Itaque retractat quidem quod in libro illo Expositionis asseruerat, *nostrum esse* sine gratia Dei scilicet quod credamus; sed non negat, imò potiùs affirmat & nostrum esse per liberum arbitrium, & Dei esse per gratiam quòd credamus: atque ita voluisse Deum hoc esse suum vocando, seu dando gratiam congruam; & nostrum simul, sequendo vocationem. Et paulò pòst, referens quod ibidem scripserat: *Nostrum est enim credere, & velle: illius autem, dare credentibus, & volentibus, facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris:* subiungit, *Verum id quidem esse, sed eadem regulâ: & vtrumque ipsius esse, quia ipse praparat voluntatem: & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Quod est apertè dicere, & nostrum esse, & Dei simul, credere & bene operari: Dei, præueniendo suâ vocatione & gratiâ; nostrum, sequendo ductum gratiæ, & liberè consentiendo. Item, retexens quod dixerat postea, *neque velle possumus, nisi vocemur: & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus prabeat, & perducat quò vocat. Manifestum est ergo, non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse quòd bene operamur:* non id retractat, sed apertè confirmat, addens immediatè pòst, id *omnino verissimum esse:* sed parum de ipsa vocatione se tunc disseruisse quæ fit secundùm propositum Dei. Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum. Itaque non error Semipelagianus est, sed constans Augustini doctrina, dicere Deum ita præstare vt velimus, vt illud suum esse velit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo.

In secunda verò quæstione ad Simplicianum, longè ante medium, quærit S. Doctor vtrum fides ipsa inter dona gratiæ numeretur? Respondétque ex suo ipsius sensu, & rei veritate (non ex mente & errore Semipelagianorum, quod nullo modo significat) fidem esse donum Dei, quia *nemo crederet, nisi vocando pracederet misericordia Dei.* Tum multò pòst, loquens de Iacob & Esaü, & exponens quod dicitur Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante,* &c. quærit cur hæc misericordia subtracta est ab Esaü, vt non sic vocaretur, vt & vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret vt bene operaretur? Respondétque ex suo pariter sensu, neque Esaü defuisse talem misericordiam, quia noluit, antecedenter scilicet ad illam: neque Iacob adfuisse, quia voluit, antecedenter ad eandem; quasi verò illam merito aliquo naturali præcedente obtinuerit, & Esaü è contrario demeruerit. Si enim, inquit, *Iacob ideo credidit, quia voluit; non ei Deus donauit fidem, sed eam sibi ipse volendo prastitit, & habuit aliquid quod non accepit.* Rursus immediatè pòst quærit, an fides sit donum Dei ideo tantùm, quia non credimus nisi velimus, & non volumus nisi vocemur: *Nemo enim credit non vocatus. Sed quia non etiam credit omnis vocatus, multi enim sunt vocati, pauci verò electi:* inquirit deinceps, vnde sit illa differentia? Et post multa, respondet eos omnes credere, quos Deus præuenit vocatione congruâ. Cur autem Deus aliquos præueniat tali vocatione, non alios, recurrendum esse ad electionem Dei gratuitam, & inscrutabilia Dei iudicia,

174. *Idem ostenditur de altero eius testimonio.*

apud

apud quem non est iniquitas, siue debitum exigat ab hominibus in massa damnationis & peccati originalis inclusis, misericordiam non præbendo; siue remittat quibus vult, eorum miserendo, & congruè vocando. Quo pacto vocat eos omnes, quorum vult misereri: neque frustra miseretur, quia quicumque ita vocantur, consentiunt. Et post multa, totam illam quæstionem bene prolixam concludens, sic ait: *Liberum voluntatis arbitrium plurimum valet, imò verò est quidem; sed in venundatis sub peccato quid valet?* (sine gratia scilicet.) *Præcipitur vt rectè viuamus, ac vtique mercede propositâ vt in æternum beatè viuere mereamur. Sed quis potest rectè viuere, & bene operari nisi iustificatus ex fide? Sed quis potest credere, sine aliquâ vocatione, hoc est nisi aliqua rerum testificatione tangatur? quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem?* id est, vocari congruè. *Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate vt vel occurrat, quod eum delectare possit; vel delectet cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industriâ* (antecedenti) *aut operum meritis* (præcedentibus) *comparatur: quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera caritate feruentia, ille tribuit, ille largitur,* per suam scilicet gratiam, nos ad hæc omnia congruè præuenientem. Indéque concludit paulò post: *Non igitur volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quandoquidem nec velle, nec currere, nisi eo mouente atque excitante poterimus:* id est, licèt hæc omnia fiant nobis volentibus & currentibus, & per liberũ arbitrium cooperantibus; non tamen ita nostra sunt, vt non sint etiam, & multò magis, & priùs, ac principaliùs, ipsius Dei, sine cuius gratia congruè præueniente, & adiuuante, nihil tale possumus & facimus. Quod certè non est refellere, vt vult Iansenius, sed apertè confirmare quod suprà dixerat, Deum voluisse vt *quod velimus & suum sit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Estque notandum D. Augustinum lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 4. initio, affirmare se istam quæstionem de gratia præcedente fidem & opera, soluisse hoc loco secundùm veritatem diuinarum scripturarum. Quæ solutio habetur præcipuè in hac totius quæstionis conclusione, & eorum quæ antè dixerat breui recapitulatione & confirmatione. Qua ergo verisimilitudine dici potest eum non ex suo sensu, sed ex mente Semipelagianorum protulisse verba initio sectionis relata, & toties támque disertè ab illo confirmata.

175. *Impostura Iansenij circa errorem Semipelag.* Ceterum error Semipelagianorum, & D. Augustini ante Episcopatum, non fuit qualem supponit Iansenius: quòd scilicet vellent fidem & initium salutis esse à nobis per liberũ arbitrium, præcedente vocatione non solùm externa, sed etiam internâ, seu gratia repudiabili, & pendente à libero consensu voluntatis: bona verò opera, quæ post fidem exercentur, esse à Deo, quia nobis donantur per gratiam necessitantem: sed in eo, quòd crederent vires naturales intellectus & voluntatis sufficere ad fidem & initium salutis, propositâ solùm externâ prædicatione Euangelij, seu præconio veritatis. Imò quòd vnis proponeretur, & non aliis, volebāt oriri ex istorum demeritis, & illorum meritis naturalibus vel reipsâ præsuppositis, vel à Deo præscitis vt absolutè aut conditionatè futuris: vt ostendimus disput. 10. sect. 4. & seqq. & sæpius monere cogimur, quia contrarium frequenter inculcat Iansenius.

SECTIO XVIII.

Expenduntur alia testimonia à Iansenio impugnata.

QVARTVM testimonium quod eludit Iansenius c. 32. habetur in eadem quæst. 2. ad Simplic. vbi sic loquitur Augustinus: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui eo modo vocauit, quo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Et paulò pòst: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et iterum inferiùs: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamuis vocati.* Et infrà: *Quia etsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est vt sequantur.* Et paucis interpositis: *Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Et post multa concludit: *Cùm ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eadémque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat; aliúmque moueat, alium non moueat: quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Similia dicit lib. de Dono perseuerantiæ cap. 14. & lib. de spirit. & lit. cap. 34. Ex quibus locis colligunt plerique Theologi gratiam congruam, quæ videlicet tali tempore, & loco datur, quo per scientiam conditionatam præuidet Deus voluntatem hominis ei consensum præbituram: quamuis pro sua naturali indifferentia ad agendum, & non agendum, possit ei non consentire. 176. *Testimonia Augustini pro gratia congrua.*

Respondet Iansenius, nihil ex illis sequi pro stabiliendà tali gratiæ congruitate, vel voluntatis indifferentia, qualem ipsi præscientiæ conditionatæ beneficio statuunt. Primò, quia D. Aug. non loquitur de congruitate internæ gratiæ, sed externæ vocationis, quæ alicui congrua dicitur, quia affectibus eius adaptata est: vt clarè indicant hæc eius verba: *Quamuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Eadémq; de causa non alia profert exempla, quàm externarum vocationum, quibus aliqui permoti fuerunt, alij non. Neque verò congruitatem in aliis suis scriptis tribuit Augustinus nisi vocationi externæ, aut etiam internæ se tenenti ex parte intellectus, & externæ respectu voluntatis; id est, visis, dictis, factis, promissis, comminationibus, suppliciis, & aliis huiusmodi aptis ad persuadendum, ita tamen vt extra voluntatem partes suas peragant. Nunquam verò internam Christi gratiam, propriam voluntatis, vocauit congruam, aut incongruam. Secundò, quia etiamsi concederetur quòd Augustinus in ista secunda quæstione ad Simplicianum loquatur de vocatione 177. *Elusio Iansenij.*

etiam interna quatenus coniuncta est cum externa, (nam de sola interna non loqui manifestum est) nihil tamen pro gratia congrua recentiorum inde sequitur. Nam dici potest Deum vocare congruè, quia causam adhibet accommodatam ad illum affectum, quem vult concurrente volũtate producere; sicut rebus omnibus producendis causas congruas instituit. Atque ita siue cõgruitas illa sumatur respectu affectus, quem in vocato reperit, & propter quem ab illo recipitur & approbatur: siue respectu affectus ad quem causandum in voluntate adaptatur: nihil confert ad probandum gratiam voluntatis esse congruam vel incongruam eo sensu, quem illi recentiores intendunt, vt gratiam status innocentiæ propriam pro gratia medicinali naturæ lapsæ substituant; id est, pro gratia necessitante gratiam cuius vsus aut non vsus sit in libero voluntatis arbitrio.

178. *Augustinus per gratiam congruam, intelligit quoque internam.*

Sed hæc euasio nullius est momenti. Falsò enim supponit D. Augustinum locis suprà relatis loqui tantùm de vocatione externa: cùm manifestum sit loqui etiam de interna, eáque non solùm se tenente ex parte intellectus per illuminationem siue inspirationem: verùm etiam ex parte voluntatis per piam motionem incitantem ad consensum. Quod hac duplici ratione manifestum esse probatur. Primò, quia loquitur de vocatione completa, & tali vt nihil illi desit necessarium ad obtinendum consensum voluntatis: ita vt omnino possit consentire si velit: & quod non consentiat, ipsi tribuendum sit, non autem defectui alicuius auxilij necessarij: id est, non consentiat quia non vult, non autem quia non potest consentire. Hoc enim perspicuè significat, cùm de vocatione, cui non consensit Esaü, sic [illegible] in eadem quæst. 2. ad Simplician. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit: Sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio perueniſſet: qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Et clariùs l. 83. quæst. q. 68. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio preparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neq; illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur: itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate.* Certè nisi vtraque vocatio completa esset, & habẽs quidquid necessarium est etiam ex parte voluntatis, non verè diceret Augustinus istos habuisse in libera voluntate vt venirent si vellent, neque alteri quàm sibi ipsis tribuere debere quòd non venirent; & Esaü non cucurrisse quia noluit: sed dicendum fuisset illos non venisse, quia non potuerunt venire defectu auxilij volũtatis: & Esaü non cucurrisse, quia nõ potuit velle currere, defectu alicuius necessarij vt vellet; nec quia vocationem contempsit, sed quia illam sequi non potuit: cùm, vt affirmat Iansenius tum sæpe aliàs, tum hoc ipso c. 32. *Si gratia voluntatis defuerit, frustra adhibetur quidquid ad id adhibetur:* quia neque velle credere possumus, neque vllum alium affectum bonum habere, nisi Deus per piam motionem voluntatis, &, vt eam vocat Iansenius, cælestem suauitatem, & delectationem illum in nobis efficiat.

179. *Confirmatur altera ratione.*

Secunda ratio est, quia D. Augustinus in illa quæstione susceperat explicare eum modũ, quo fides & voluntas credendi est donum Dei. Hoc autem non satis explicaret, sed maiori & potiori ex parte quæstionem insolutam relinqueret, si de vocatione tantùm externa loqueretur: cùm manifestum sit fidem esse donum Dei non ex eo solo capite, sed multò magis ratione internæ illustrationis, & motionis congruæ, in quam tandem quæstionis totius solutionem refundit, & in qua præcipuam rationem huius beneficij, seu doni fidei constituit, vt vidimus sect. præcedente. Et prope finem, concludens per breuem recapitulationẽ eorum omnium, quę priùs fusè prosecutus erat de modis quibus fides est donũ Dei, & non à nobis solis, sed à Deo est; tria illa commemorat; vocationem externam, siue exteriorem propositionem obiecti; illustrationem intellectus, siue inspirationem ad aptè & conuenienter percipiendum quod proponitur; & delectationem, seu piam motionem, per quam à voluntatę acceptetur. *Quis potest credere,* inquit, *sine aliqua vocatione, hoc est, nisi aliquâ rerum testificatione tangatur?* Ecce exteriorem propositionem obiecti, à qua incipit beneficiũ fidei. *Quis habet in potestate, tali viso attingi mẽtem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem?* Ecce gratiam internam ex parte intellectus, siue inspirationem congruam, & aptam mouendæ voluntati. *Quis autẽ animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut habet in potestate, vt vel occurrat quod eum delectare possit, aut delectet cùm occurrerit?* Ecce denique gratiam congruam ex parte voluntatis, seu motionem, & delectationem cælestem, in qua gratiam propriam voluntatis constituit Iansenius. Quare euidenter falsum est quod ait, Nusquam D. Augustinum siue hîc, siue alibi, loqui de gratia voluntatis, quando illam CONGRVAM vocat. Rationes autem quibus id probare nititur, non egent maiori refutatione. Et testimonium quod profert ex Augustino, illi apertè nocet. Loquitur enim de illis, qui ita congruè vocantur, vt reipsa vocationem sequantur: non sequuntur autem, imò nec sequi possunt, iuxta doctrinam Iansenij, nisi vocatio completa sit: id est, nisi vocationi externæ coniuncta sit illustratio intellectus, & motio voluntatis.

Quintum testimonium à Iansenio elusum c. 33. habetur l. 12. de Ciuit. Dei c. 6. vbi D. Aug. docet, è duobus æqualiter animo & corpore affectis, & in eadem occasione versantibus, & æquali tentatione pulsatis, vnum peccare, alterum resistere, quia sic voluerũt. Vnde colligitur reipsa fieri posse, vt cùm eâdem omnino gratiâ vnus velit, alter nolit, non alia videlicet ex causa, nisi quia voluntas libera est vt consentiat, vel non consentiat. Ponit enim duos *æqualiter affectos animo, & corpore, videre vnius corporis pulchritudinem, quâ visâ vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur: alter in voluntate pudica stabilis perseueret.* Addit inferiùs, eos etiam eâdem tentatione pulsari. *Nam vt hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur, si eâdem tentatione ambo teneantur, & vnus ei cedat atque consentiat; alter idẽ, qui fuerat, perseueret:* qua posita circumstantiarum æqualitate subiungit: *Quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Vnde, nisi propriâ voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis & animæ affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo: ambobus pariter institit occulta tentatio.* 180.

Locus Augustini, quo probatur æquali gratia vnum consentire, alterum non.

Elusio Iansenij. Respondet Iansenius primò, Augustinum hîc loqui de duobus aliunde quidem paribus, sed tamen non æqualiter adiutis: & assignare quidem causam proximam cur vnus consentiat tentationi, alter resistat; nempe voluntatem: sed non remotam & primam, quæ in Dei discretionem referenda est, & gratiam voluntatis vni datam ad resistendum, alteri non datam. Verùm quia huic responso manifestè obsistunt hæc Augustini verba, *Quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Manifestè enim apparet aliud, si vera est Iansenij doctrina, quam Augustini esse vult, Eum qui vicit tentationem, habuisse gratiam propriam voluntatis, necessitantem ad resistendum: & eum qui consensit, caruisse tali gratiâ, fuisséque necessitatum pondere concupiscentiæ ad consentiendum: Respondet secundò, Augustinum ibi loqui de statu innocentiæ, in quo differentia vincentis tentationem à non vincente, oriebatur ex diuersitate voluntatum: non autem de statu naturæ lapsæ, in quo victoria tentationis oritur à gratia. Sed hoc responso nihil ineptius dici potest. Nam in statu innocentiæ, (in quo Adam & Eua tantùm extitere *Ostenditur eius absurditas.* runt) nunquam fuerunt duo homines æqualiter affecti corpore, & animo, qui visâ eiusdem mulieris pulchritudine, ad illicitè perfruendum allicerentur; & vnus quidem eâ moueretur ad peccandum tentationi consentiens, alter in voluntate pudica stabilis perseueraret. Neque etiam si fuissent in illo statu duo homines videntes eandem pulchritudinem, potuissent eius visu titillari, & motibus indeliberatis ad peccandum incitari: vt fusè docet & probat ex Augustino Iansenius lib. de Gratia primi hominis cap. 2. Qua ergo verisimilitudine dicere potest, Augustinum verbis relatis loqui de statu innocentiæ, in quo nihil tale fuit, nec esse potuit.

181. *Probatur Augustinum loqui generaliter.* Neque verò Iansenium excusat ab intolerabili absurditate, quòd ait Augustinum loqui in eo capite de causa peccati Angelorum, & primæ malæ voluntatis. Nam manifestum est eum non loqui solùm de illo peccato; sed etiam, illius occasione, loqui generaliter de causa malæ voluntatis siue in Angelis, siue in quibusuis hominibus: diceréque causam malæ volũtatis, hoc est, malæ volitionis, non esse rem vllam à Deo creatam: quippe quæ bona est: & bonum non est causa mali: adeóque nec ipsam voluntatem esse causam illius, prout est natura quædam à Deo creata: quippe quæ vt talis etiam bona est: sed malũ vsum rei bonæ, id est, voluntatis abutẽtis suâ libertate: quod facit non vt natura est, sed prout ex nihilo facta est. Vnde infert capite sequenti non dari causam efficientem peccati, seu malæ voluntatis: sed tantùm deficientem. In cuius rei confirmationem protulit exemplum duorum hominum, quorum vnus cedit tentationi concupiscentiæ, alter resistit, rebus omnibus aliis eodem modo se habentibus respectu vtriusque, ideo solùm, quia vnus eorum vult consentire, alter non vult.

182. *Alia testimonia pro libero consensu voluntatis.* Opponit sibi denique Iansenius cap. 34. illud Augustini lib. de spirit. & lit. cap. 34. *Visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus: sed consentire, vel dissentire, propriæ est voluntatis.* Et paulò inferiùs: *Misericordia Dei præuenit nos: consentire autem vocationi, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Et lib. de Gratia & lib. arbit. c. 3. *Velle & nolle propriæ voluntatis est.* Similia dicit lib. de Peccat. merit. & remiss. cap. 22. & lib. de Prædest. Sanct. c. 5. aliisque locis. Ex quibus colligunt Theologi gratiam præuenientem, ex mente D. Augustini, non necessitare ad consensum, sed relinquere voluntati libertatem indifferentiæ vt consentiat aut dissentiat: & non esse tale discrimen inter gratiam naturæ stantis, & gratiam naturæ lapsæ, quòd illa in primi hominis relinqueretur arbitrio vt consentiret si vellet: ista faciat consentire, id est, necessitet ad consensum.

Respondet Iansenius, hæc loca nihil facere pro eorum sententia, qui volunt liberum arbitrium adhuc superesse: quia nihil aliud significant, nisi quod velle & nolle, consentire ac dissentire, credere & non credere, sunt officia libertatis & voluntatis; seu, quod idem est, creaturam rationalem non posse velle aut nolle, consentire aut dissentire, credere aut incredulam esse, nisi libero voluntatis arbitrio: vt patet ex eodem lib. de Gratia & lib. arbit. vbi cap. 2. & 3. probat *esse in homine liberum voluntatis arbitrium* multis Scripturæ testimoniis, quæ iubent, suadent, consulunt, vetant hominem aliquid velle, vel nolle: & ex illis ita concludit: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli istud; & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et rursum: *Nemo ergo cùm aliquid secundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate*: & cap. 3. expendens hæc Scripturæ verba, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*: subiungit. *Vtique cui dicitur, Noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.* 183. *Eluduntur à Iansenio.*

Sed mirum est Iansenium tam audacter obsistere manifestæ veritati: tantâque confidentiâ lectoribus suis illudere. Quis enim ignorat idem prorsus esse secundùm hominum sensum, & loquendi modum communissimum, dicere, quòd consentire aut dissentire sit propriè volũtatis: & dicere, quòd consentire aut dissentire sit positum in nostra voluntate? Et rursùs, idem esse, quòd cõsentire aut dissentire sit positum in nostra voluntate; &, nos habere in potestate consentire vel dissentire prout volumus? Et denique, nos habere in potestate consentire aut dissentire prout volumus, idem esse ac, nos habere libertatem indifferentiæ ad consentiendum vel dissentiendum? Certè Iansenius ipse, tum in lib. de Gratia primi hominis cap. 6. & seqq. tum etiam passim in hoc toto 2. lib. de Gratia Christi Saluatoris, probat Adamum in statu innocentiæ habuisse libertatem indifferẽtiæ circa vsum gratiæ, ex eo quòd potuit illâ vti vel non vti, potuit eam deserere, potuit perseuerare si voluisset. Ad quod confirmandum adducit verba Augustini ex lib. de Corrept. & gratia, & pluribus aliis, quibus Augustinus de Adamo sic loquitur. Ergo sibi manifestè contradicit Iansenius, cùm in præsenti negat posse ex iisdem loquendi modis concludi aliquid pro libertate indifferentiæ in statu naturæ lapsæ: quasi verò diuersitas illa statuum debeat iisdem loquendi modis dare sensum contrarium, quia Iansenio ita placet, ne loca illa eius doctrinæ præiudicent. Quid aliud faciunt hæretici, quando Scripturæ 184. *Illudit lectori, & sibi contradicit.*

Kk ij

verbis abutuntur pro libito, eáque ex mera electione interpretantur, & pro libito adaptant suis erroribus?

185. *Probatur Augustinum loqui de libertate indifferentia in vsu gratiæ.* Atque hæc eius fraus, & licentia intolerabilis clariùs patet ex lib. de Gratia & lib. arbit. quo tamen se tegere conatus est. Nam liber ille, vt ait ipsemet D. Augustinus, cum ipso eius initio, tum l.2. Retract. c.66. scriptus ab illo fuit & propter eos qui ad tuendum liberum arbitriū negabant gratiam necessariā esse, id est, propter Pelagianos; & propter eos qui ad illam tuendā negabant esse liberum arbitriū, id est, propter Monachos Adrumetinos, apud quos hac de re orta erat contentio, & propter quos hunc librum scripsit Augustinus ad Valentinū monasterij Adrumetini præfectum. Itaque scopus S. Doctoris in hoc libro scribendo fuit conciliare necessitatem gratiæ cum libero voluntatis arbitrio, ostenderéq; monachos illos errare existimādo gratiam non compati vsum liberi arbitrij in bene volendo & operando: sicut & Pelagianos, affirmando liberum arbitrium ad hoc sibi sufficere sine auxilio gratiæ, ne alioqui liberum voluntatis arbitrium tolleretur. Atqui manifestissimum & notissimum est Pelagianos per liberum arbitrium, cui necessitatem gratiæ repugnare credebant, intellexisse liberum libertate indifferētiæ, vt affirmat etiam Iansenius lib. 2. de hær. Pelag. cap. 1. & seqq. & sexcenties alibi. Neque minùs certum est Adrumetinos eodem sensu intellexisse, quando asserebant gratiam non compati secum vsum liberi arbitrij in bene volēdo, & operando: neque enim adeo stupidi erant, & hebetes, vt existimarēt gratiam non compati vt velimus cùm volumus, consentiamus quando consentimus, credamus quando credimus; id est, vt illæ bonæ volitiones sint actus volūtatis. Quis enim, nisi prorsus amens, hoc in dubiū reuocet, quod (vt ibidem fatetur aduersarius) euidentem inuoluit contradictionem? Ergo ineptissimè, & & absurdissimè exponit in hunc sensum quod dicit Augustinus cap. 3. eiusdem libri, *Velle & nolle propria voluntatis est*, contra expressam S. Doctoris intentionem, quæ erat demonstrare, neque gratiæ necessitatem repugnare libertati indifferentiæ, vt aiebant Pelagiani: nec illius auxilium tollere vsum eiusdem libertatis, vt putabant Adrumetini. Ex quo etiam patet quàm falsò affirmet Iansenius eodem cap. 34. §. *Respondetur huiusmodi loca &c. Intactum, hoc dicendo* (id est, quod suprà ex illo retulimus) *relinquere Diuum Augustinum vtrum voluntas libera gratiam ad influendum rapiat, an gratia voluntatem: imò vtrum cum gratia, an sine gratia bene vel malè voluntas operetur.* Quasi verò intactum reliquerit id, quod ex professo probandum suscepit.

186. *Confirmatur efficaciter.* Patet insuper quàm ineptè Iansenius eludere conetur vim huius argumenti, abutendo nomine libertatis, & liberi arbitrij, de quo ibi loquitur Augustinus, probátque multis Scripturæ testimoniis manere, & concurrere cum gratia: & volendo eo nomine non aliud intelligi, quàm voluntatem sponte volentem, vel sine coactione simpliciter dicta, & euidenter impossibili: ita vt S. Doctor non aliud probādum suscepetit cōtra Pelagianos, aut Adrumetinos, quàm gratiam non facere vt voluntas non velit cùm vult: id est, simul velit & non velit, aut non sponte velit, sed inuita, vel coacta simpliciter; & vim patiēs ab extrinseco, repugnando quantum potest. Quod adeo manifestum est ipsâ experientiâ, vt neque ab vllo rationis compote negetur, neque vllius probatione indigeat. Sed & ipsamet Scripturæ loca ab Augustino relata ad probandum manere sub gratia liberum arbitrium, tam perspicuè loquuntur de libertate indifferentiæ, vt cæcum esse oporteat qui hoc non videt. Quid enim clarius his verbis Eccles. 15. *Si volueris, conseruabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem, & aquam: ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcunque placuerit dabitur ei?* Quibus relatis meritò subiungit Augustinus: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium:* potens scilicet ad vtrumlibet: nam de necessitate ad vnum ineptissimè diceretur, *Si volueris: Ad quod volueris, extende manum tuam*, ad bonum, siue ad malum; & *quodcunque placuerit, dabitur ei*, siue vitam, siue mortem elegerit. Quid etiam clarius istis 1. Corinth. 7. *Quod vult faciat, non peccat si nubat: qui autem statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo seruare virginem suam, bene facit?* Quid, inquam, apertius ad excludendam à tali bono opere necessitatem oppositam indifferentiæ, & potestati ad vtrumlibet, quàm dicere, *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis?* Quid etiam clarius istis Philemonis 14. ibidem ab Augustino relatis, *Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate:* id est, libertate opposita necessitati, vt postulat hæc oppositio? Ex quibus & plurimis aliis similibus Scripturæ locis, quæ prætermitto, ne longior sim, ita concludit Augustinus paulò pòst: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium:* potens scilicet ad nolendum aut volendum, vt libuerit. Ideóque addit debere quemque sibi imputare cùm peccat: & cùm bene operatur, non esse hoc ita tribuendum gratiæ, vt alienetur à propria operantis voluntate, quæ scilicet liberè cum gratia ad illud concurrerit. Eodémque sensu affirmat tum eodem libro sæpius, tum aliis à Iansenio relatis, bonum opus & Dei esse, & nostrum: Dei scilicet per auxilium gratiæ, nostrum per consensum liberum voluntatis. Quando verò interdum dicit non esse nostrum, intelligit non esse à nobis solis, exclusâ gratiâ: vt semetipsum exponit libro 1. Retract. capite 23. *Vtrumque nostrum est*, inquit, *propter arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & caritatis.* Et paulò pòst referens quod dixerat, *Nostrum esse credere & velle, Dei autem dare facultatem bene operandi:* addit, *verum est quidem*, sed eâdem regulâ & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem: & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis: id est, quia non fit sine propria nostra voluntate.

Prætermitto dicere quàm malè cohæreat cum doctrina Iansenij, quā bis affirmat hoc eodem capite, voluntatem determinare seipsam ad volendum, non obstante auxilio quo: id est, vt ipse exponit, gratiâ necessitante ad volendum. 187. *Contradictio Iansenij.*

Quomodo enim seipsam determinat, si necessariò rapitur ad consensum per illam gratiam preuenientem, & antecedenter necessitantem ac prædeterminantem? Quomodo etiam potest se determinare ad bene volendum, si ex seipsa caret liberrate indifferentiæ, seu potestate ad vtrumlibet, quam ad alterutrum applicet, se determinando: quippe quam amisit per peccatum Adæ, vt cum Caluino affirmat Iansenius: per gratiam verò non fit indifferens, neque accipit potestatem se determinandi, sed antecedenter necessitatur ad volendum & consentiendum, vi ipsius gratiæ independentis ab vsu libertatis indifferentiæ. Sed non est infrequens huic auctori pugnantia loqui, vt sæpiùs monuimus.



DISPVTATIO XXIII.

De gratia sufficiente.
Et primùm, vtrum detur in hoc statu naturæ lapsæ?

SECTIO PRIMA.

Proponitur status quæstionis, & quid de illa sentiat Iansenius?

1. *Quid intelligatur nomine gratiæ sufficientis?*



OBSERVANDVM est primò, quando quæritur vtrum in hoc statu detur gratia sufficiens, sensum quæstionis esse, vtrum detur gratia de se potens ad consensum voluntatis obtinendum, & cui possit consentire si velit: sed ita vt possit etiam resistere, & dissentire, ac reipsa dissentiat, & frustretur effectu. Illud enim intelligunt nomine gratiæ sufficientis Theologi, quotquot rectè illam definiunt; & illam distinguunt ab efficaci, in eo quòd hæc vlteriùs sortitur effectum, atque ex eo dicitur efficax, in actu secundo scilicet, & efficiens reipsà, ac non tantùm potens efficere, vt sufficiens, quæ idcirco ita vocatur, quia reipsa non sortitur effectum, non defectu virtutis necessariæ ad agendum, sed defectu voluntatis non volentis consentire & cooperari. Habet enim quidquid est necessarium ex parte principij, vt homo velit & operetur. Nam quod aliqui volunt, vt refert & non improbat Iansenius lib. 3. de Gratia Christi Saluatoris capite 1. sufficiens adiutorium illud esse, quod satis est vt homo dicatur posse operari, quamuis aliud adhuc necessarium sit (ex parte principij) vt de facto operetur: hoc, inquam, manifestam inuoluit contradictionem. Quomodo enim est sufficiens ad posse operari, si deest aliquid necessarium ex parte principij vt operetur, cùm sine illo, vt præsupposito per modum principij, non possit operari, sitque impossibile vt operetur, non addito tali principio.

2. *Quid per eam intelligat Iansenius?* Obseruandum est secundò, Iansenium, & eius Sectatores longè aliter hanc differentiam inter gratiam sufficientem & efficacem exponere. Nam per sufficientem intelligunt eam omnem, quæ liberam relinquit voluntatem vt eam sequatur, vel respuat; assentiatur, aut dissentiat; vtatur, aut non vtatur; siue voluntas ei de facto consentiat, siue non: quales fuisse dicunt omnes gratias preuenientes datas Angelis & hominibus in statu innocentiæ. Nomine autem gratiæ efficacis intelligunt eam, quæ necessariò trahit voluntatem ad consensum, neque subiacet libero ipsius arbitrio; sed ei dominatur ineuitabiliter, & sine potestate resistendi: quales putant esse omnes gratias auxiliantes concessas hominibus post lapsum Adæ, quia amissa libertate indifferentiæ per ipsius peccatum, perinde esset offerre hominibus in statu naturæ lapsæ gratias dependentes à libero eius arbitrio, atque porrigere cibum mortuo.

Obseruandum est tertiò, eos non loqui de gratiis externis, cuiusmodi sunt lex, & doctrina, Euangelij prædicatio, Sacramenta, & similia; quæ ipsi, æquè ac Caluinus, & Lutherus, non negant sæpe frustrari effectu, & dissentientibus æquè ac consentientibus esse communia: imò neque de omnibus internis. Nam eas quæ se tenent ex parte intellectus seu cognitionis, suntque diuinæ quædam illustrationes, pertinere dicunt ad legem ac doctrinam, & non imponere necessitatem voluntati, extra quam partes suas agunt. Quare loquuntur tantùm de gratia propria volũtatis, seu pia illius motione, quam solam esse volunt veram & propriam gratiam Christi Saluatoris: eámque nihil aliud esse definiunt nisi cælestem delectationem, hoc est, vt ipsi exponunt, actum quendam indeliberatum, diuinitus inspiratum, complacentiæ in bono, vel desiderij illius faciendi, aut obtinendi, præcedentem consensum voluntatis, & oppositum carnali concupiscentiæ, quâ malum nobis placet, quæque allicit ad illud amplectendum, nisi maior delectatio cælestis resistat. 3. *Quo sensu gratiam sufficientem neget?*

Obseruandum est quartò, duas prædictas expositiones gratiæ sufficientis in eo conuenire, quòd dicunt gratiam sufficientem talem esse, vt voluntas possit quidem cum illa operari si velit, tanquam sufficienti adiutorio instructa; sed possit etiam dissentire, pendeátque ab illius nutu libero quòd consentiat aut dissentiat, quódque gratia operetur aut non operetur. Differre verò in eo, quòd prior explicatio vult eam gratiam dici sufficientem tantùm, quæ reipsa non habet effectum, quamuis habere possit; & ideo dicatur sufficiens tantùm, quia non habet, licèt alioqui sit, aut esse possit eiusdem, aut paris naturæ, & virtutis, cum illa quæ dicitur efficax; imò eadem gratia, quæ in vno non habet effectum, & sufficiens tantùm est, haberet in alio, si ei daretur; aut etiam in eodem, si alio tempore, aut aliis circumstantiis illâ preueniretur. Posterior autem explicatio vult omnem gratiam pendentem à libero arbitrio dicendam esse sufficientem, siue voluntas ei reipsa consentiat, siue non: & siue ipsa operetur, siue non. Quia, inquiunt, non mutat suam naturam ex eo quòd operetur, aut non operetur, propter consensum aut dissensum voluntatis. Quo significant gratiam sufficientem suâ ipsius naturâ differre ab efficaci, eò quòd illa non habeat vim necessitandi voluntatem, & prædeterminandi ad cõsensum: secus verò ista. Ac proinde gratias datas in statu naturæ sanæ, & accom- 4. *In quo conueniat, aut differat à Theologis?*

modatas libertati indifferentiæ, fuisse ipsa sua entitate naturâque diuersas ab illis omnibus, quæ dantur in hoc statu naturæ lapsæ, quæ vim habent determinandi & necessitandi ad consensum, vt ipsi quidem de illis opinantur.

5. *Negat gratiam sufficientem, id est cui resisti possit.* His præsuppositis, nullam dari in statu naturæ lapsæ gratiam voluntatis sufficientem, siue priori sensu, siue posteriori, hoc est, pendentem quoad vsum aut non vsum à libero voluntatis arbitrio, docent noui Dogmatistæ, quorum antistes tom. 3. libro 2. capite 12. sic ait, *Gratia sufficiens è diametro repugnat medicinali adiutorio Christi. Nam primam integritatem naturæ humanæ restituit: omne meritum & præmium dominatrici libertati vindicat: vnóque verbo, Christo occlamatur: Recede à nobis: non opus est tuo medicinali remedio: sani sumus.* Et c. 27. eiusdem libri, *Quisquis talia adiutoria infirmis hominibus afferre nititur,* inquit, *quæ deserant si velint, cum quibus operentur si velint: originalis peccati virus euacuat: illæsas liberi arbitrij vires esse, & Christum frustra venisse, gratis mortuum esse persuadet.*

6. *Argumenta pro illius sententia.* Fusiùs verò, & ex professo contra eam disputat toto libro 3. vbi capite 1. docet exploratum esse in Augustini principiis, nullum iam dari hominibus lapsis adiutorium sufficiens, quin simul sit efficax: idque agnouisse non paucos recentiores, Didacum Aluarez, Cumel, Nauarretum, & alios physicæ prædeterminationis assertores, duásque Academias, Louaniensem, & Duacenam, in Censura quadam assertionis contrariæ. Neque verò D. Thomam, aut vllum antiquiorum Patrum inter ipsum & Augustinum, vel vllum vetustiorum Scholasticorum istius gratiæ sufficientis meminisse. Quòd autem repugnet gratia illa sufficiens Augustini principiis, probat primò, quia, inquit, tale adiutorium non est aliud, quàm adiutorium *sine quo non* sit opus, nequaquam verò adiutorium *quo*: ac proinde est adiutorium sanæ voluntatis: supponit enim robustam esse sanámque voluntatem: atque ita prorsus inutile est hominibus post lapsum Adæ. Secundò, quia est tantùm adiutorium *possibilitatis*, non *voluntatis, & actionis*. Dat enim homini posse si velit: non velle quod possit: ac proinde est Pelagianicum adiutorium, non Christi Saluatoris. Tertiò, est adiutorium quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuebant, vt cum eo credere homo posset, si vellet: qui tamen tanquam hæretici proscripti sunt, eò quòd tale auxilium sufficere putarent. Quartò, si tale auxilium nunc sufficeret, posset homo sibi ipsi, Deo non specialiter donãte, bonas actiones ac meritum dare: posset etiam per liberum arbitrium, gratia non donante, à peccato resurgere, in veritate stare, perseuerare, vitam æternam velut mercedem humanorum meritorum adipisci: posset etiam se ab aliis propriâ libertate discernere, quia tale gratiæ adiutorium non discernit bonos à malis, sed commune est bonis & malis. Quintò, tale adiutorium repugnat orationibus Ecclesiæ, in quibus nulla reperitur, quâ filiis suis, vel in filiis suis postulet à Deo vt possint si velint; sed semper postulat ipsum velle, conuerti, credere, diligere, facere præcepta, perseuerare, & huiusmodi. Tollit etiam penitus fidelium orationes, quibus precantur, siue pro aliis vt conuertantur, siue pro seipsis vt bene viuendo proficiant. Inaniter enim funderentur preces ad petendum auxilium sufficiens, quod, vt dicunt illi Theologi, omnibus præsens est. Quæ omnia dicit Iansenius capitaliter Augustini doctrinæ aduersari.

Docet secundò, capite sequenti, huiusmodi adiutorium purè sufficiens, ad gratiam naturæ pertinere: quippe quod, vt dicunt eius assertores, non potest illi negari manente vsu rationis & iudicij, sine quo nec libera manet, nec culpa illi imputatur: neque illi subtrahi, nisi velimus dicere actum secuturum non esse peccatum, vel Deum iubere impossibilia, vel non peccare in eo quod præstare non possumus. Esse præterea inutile lapsorum reparationi, vel operationibus: & non posse asseri post lapsum, nisi maiori hallucinatione, quàm Pelagiani, sublato originali peccato naturæ vires illæsas esse fateamur. Quippe idcirco Pelagiani tale auxilium sufficere credebant, quia naturam esse integram, & nihil in ea per peccatum Adæ læsum esse existimabant. Recentiores autem, tametsi credunt læsam esse naturam per peccatum originale, vt docet fides Catholica: volunt nihilominus idem posse læsam & infirmam, quod poterat sana & integra: egeréque tantùm auxilio sufficiente, quo etiam egebat in statu innocentiæ, & cuius indigentia nullam arguit ægritudinem naturæ, sed naturalem eius conditionem: sicut illius exhibitio non est medicamentum infirmitatis, sed subsidium indigentiæ cuiuscunque creaturæ rationalis, quæ eo ipso quòd est creata ex nihilo, non potest facere bonum sine sufficientis gratiæ auxilio. Quin etiam tale auxilium lapsis esse perniciosum. Quid enim perniciosius, quàm illâ gratiâ abũdare, quâ nemo vnquam, fatentibus etiam Scholasticis, nisi maiorem damnationem assecutus est? Nemo enim sufficienti gratiâ vsus est, aut vtitur, aut vtetur in æternum: qui mitiùs profectò puniretur, si tali auxilio caruisset. 7. *Dicit gratiam illam ad naturam pertinere.*

Docet tertiò, nihil monstrosius proferri posse, quàm quoddam distinctum à ceteris adiutorij genus, quod nunquam ab initio lapsus humani vsque ad iudicij diem vltimum, vllum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est, solummodò peccatis faciendis, maioríque damnationi accersendæ seruiens: ideóque lapsis hominibus citra Dei inuidiam damnandis excogitatum à Scholasticis; quia cùm non possent intelligere aliquem esse posse culpæ reum, cuius euitandæ careret sufficienti potestate: coacti sunt aliquod sufficiens adiutorium omnibus hominibus, quibus præceptum imponitur, attribuere. Neque ab illis dici potest cur in nullo vnquam sortiatur effectum, cùm sit in omnibus potens & sufficiens ad illum sortiendum? Multóque minùs possunt (quidquid dicant) illud distinguere à gratia sanitatis, pendente similiter à nutu libero voluntatis. 8. *Et esse monstrum quoddam gratiæ.*

Docet quartò, gratiam sufficientem repugnare insuper doctrinæ Augustini affirmantis veram Christi gratiam à nullo duro corde respui, sed ideo tribui vt cordis duritia primitus auferatur: libro de prædest. Sanct. capite 8. &, quando Deus docet non per legis literam, sed per Spiritus sancti gratiam; ita docere, vt quod 9. *Et repugnare Augustino.*

quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendóque perficiat: lib. de Gratia Christi cap. 14. Et alibi affirmat peruicaciam voluntatis non impedire efficaciam gratiæ, quippe quæ illam frangit: & idcirco legem ac doctrinam opponit gratiæ, quia illa docet quidem, sed non præstat vt faciamus, maiorísque tantùm damnationi inseruit, si absit gratia per quam datur vt faciamus: vt ait epist. 107. & 89. & lib. de Spiritu & litera, cap. 10. & 19. & sine qua fieri non potest quod lex iubet: quæ ad hoc solum datur, vt homo eam implere non sufficiens, suámque infirmitatem agnoscens, cogatur ipsâ peccatorum multiplicatione necessitatem gratiæ agnoscere, illiusque opem suppliciter implorare.

SECTIO II.

Ostenditur hanc doctrinam Iansenij acceptam esse à Luthero, & Caluino, eorúmque discipulis.

10. NON dari gratiam sufficientem in hoc statu naturæ lapsæ eodem sensu, quo Iansenius, docuerant ante illum Lutherus, & Caluinus, & hucusque docent vtriusque discipuli, quibus ipse adhærere maluit, quàm doctoribus Catholicis; posthabitis etiam Sanctis Patribus, & Conciliis, ipsísque Scripturis diuinis, à quibus assertio de gratia sufficiente, in hoc etiam statu post lapsum Adæ, clarissimè traditur, vt sequenti sectione demonstrabitur.

11. *Sumpta est ex Luthero.* Et primò quidem Lutherus in libro de seruo arbitrio totus in eo est, vt probet liberum arbitrium per lapsum Adæ amissum esse: ac proinde inutilem fore gratiam, quæ ab eius nutu pendeat in operando, vel non operando. Et inter alia sic ait: *Sequitur nos necessariò operari*, siue bonum, siue malum. *Necessariò verò dico, non coactè; necessitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, cùm homo vacat Spiritu Dei* (videlicet cùm abest gratia) *non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte, & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modò necessitatem immutabilitatis, quòd voluntas sese mutare ac vertere aliò non possit. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur,* (hoc est si adest gratia) *mutata, & blandè assibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum merâ lubentiâ & pronitate, ac sponte sua vult, & facit, non coactè* (necessariò tamen vi gratiæ cui non potest resistere) *pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potius est, vt sic dicam, noluntas.* Ibidémque hanc necessitatem illatam homini lapso per gratiam ad bene operandum, vel à concupiscentia ad malè operandum, exponit similitudine iumenti, quod necessariò mouetur huc aut illuc, prout regitur à sessore frænum tenente, & calcaria admouente. *Humana voluntas*, inquit, *in medio posita est, ceu iumentum. Si insederit Satan, vult, & vadit quò vult Satan: Si insederit Deus, vult, & vadit quò vult Deus.*

12. *Et ex Caluino.* Simili modo Caluinus gratiam sufficientem, id est, pendentem quoad vsum à libero voluntatis arbitrio, reiicit à præsenti statu naturæ lapsæ, in Antidoto Tridentini ad sess. 6. §. *Porro*, & lib. 5. contra Pighium pag. 183. & 204. verbis relatis disp. 23. sect. 2. num. 11. & 12. Quibus addequod ait, & Augustino tribuit, libro 3. de libero arbit. contra Pigh. pag. 172. gratiam non omnibus indifferenter & promiscuè dari (vt volunt gratiæ sufficientis assertores) sed iis duntaxat quibus Deus vult: alios quibus non datur malos permanere, & ad bonum nihil prorsus valere: præterea non esse huiusmodi gratiam hanc, quæ illis bene agendi potestatem conferat si velint, vt in eorum postea optione sit velle, vel non velle; sed efficaciter ipsos præmouere vt velint: imò voluntatem ex mala bonam facere, vt necessariò bene velint. Et lib. 2. Instit. cap. 2. num. 6. Phreneticos vocat eosdem gratiæ sufficientis assertores, qui gratiam pariter & promiscuè expositam esse garriunt. Et cap. 3. eiusdem libri num. 10. addit Augustinum meritò tam eos deridere, qui aliquas volendi partes sibi arrogant, (in vsu gratiæ, quasi vtantur quia volunt) quàm reprehendit alios, qui putant promiscuè dari omnibus, quod est speciale gratuitæ electionis testimonium. *Communis est*, inquit, *omnibus natura, non gratia.* Et lib. de æterna Dei prædestinatione, postquam dixit Albertum Pighium fingere offerri peræquè omnibus gratiam, hominum autem arbitrio, vtcunque eam recipere libuerit, efficacem demum esse: Hanc sententiam non Pighij solius, sed communem Doctorum Catholicorum, vt videbitur sectione sequenti, impugnat iisdem planè testimoniis, quibus vtitur Iansenius: nimirum his Augustini verbis libri de gratia Christi cap. 3. *Sic Deus interiùs docet eos, qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans & quod agant scire, & quod sciant agere. Qui autem nouit quid fieri debeat, & non facit; nondum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem; non secundùm spiritum, sed secundùm literam.* Et istis libri de Prædestin. Sanct. cap. 8. *Gratia à nullo duro corde respuitur.* Et lib. de Corrept. & gratia cap. 12. *Non tale modò perseuerantiæ donum confertur, quo possint, si velint: sed quo non nisi perseuerantes sint.* Et in Antidoto sess. 6. affirmat Patres Tridentinos, & Theologos gratiæ sufficientis assertores in eo falli, quòd non distinguunt gratiam sanitatis à gratia medicinali naturæ lapsæ, vt sæpius iisdem exprobrat quoque Iansenius.

Neque minùs perspicuè illam reiicit Petrus Martyr classe 3. c. 2. titulo de Gratia Dei nu. 12. vbi sic habet: Recentiores Theologi, vel Sophistæ, ne prorsus viderentur cum Pelagio conuenire, ita statuunt: gratiam quidem primùm accedere, sed nostrum esse eam recipere, aut respuere. Atqui hoc nihilo verius, quàm illud Pelagij &c. Et num. 13. Verùm, dicere, & vulgò iactare solent, gratiam Dei esse expositam omnibus. Itaque nisi ea admittatur, id nostro vitio fieri: quamuis posse eam adipisci si velit, &c. Sed isti videntur sibi fingere gratiam tanquam vestem aliquam, quæ pendeat in aëre, quam sibi quiuis induere possit qui velit. Et Paulus Ferrerius Minister Caluinianus, in Orthodoxo cap. 13. *Nulla est*, inquit, *gratia verè sufficiens, quæ non sit efficax & efficiens.* Idémque affirmat Daniel Chamier. tom. 3. libro 3. cap. 5. & Dordracena Synodus Caluinistica pag. 745. sic pronunciat: *Distinctio illa gratiæ in sufficientem, & efficacem, si non de externis mediis, sed de vero, & interno Spiritus tractu loquamur, minimè nobis probatur,* 13. *Et ex Petro Martyre, aliisque sectariis.*

Retineant eam sibi Bellarminus, & Arminius. Quoscunque enim Spiritus sanctus trahit, illis non tantùm dat posse currere, sed etiam reipsa vt currant, Cantic. 1. vers. 3. Neque dat tantùm Deus vt possimus ambulare in viis suis, sed etiam vt reipsa ambulemus, Ezech. 36. vers. 27. Neque dat tantùm vt possimus, qui in peccatis mortui sumus, viuificari: sed etiam vt actu ipso viuificemur, Ephes. 2. versu 5. Et Petrus Molinæus in quadam epistola quam refert Malderus 1. 2. quæst. 111. art. 3. dub. 5. memb. 1. *Pessimum*, inquit, *quod reperio in opinionibus istis nuperis, est gratia ista sufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus.*

14. *Argumenta Iansenij sumpta sunt ex hæreticis.* Plures alios refert Antonius Ricardus disp. de lib. arb. libro 1. cap. 1. sect. 4. §. 1. Vbi etiam rectè notat omnia argumenta Iansenij contra gratiam sufficientem, quæ nos sectione præcedenti retulimus, fuisse ex iisdem hæreticis deprompta. Primum est, quòd tale adiutorium non sit aliud quàm adiutorium *sine quo non* fit opus, non autem adiutorium *quo*: ac proinde esse adiutorium sanæ voluntatis, non ægrotæ: seu stantis, non lapsæ. Hoc ipsum dixerat Caluinus in Antidoto Tridentini ad sess. 6. *In eo falluntur* (inquit de Patribus Tridentinis) *quòd nullum obseruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen:* quod diligenter Augustinus exponit, &c. libro scilicet de Corrept. & gratia cap. 12. Secundum est, quòd tale adiutorium sit tantùm adiutorium possibilitatis, non voluntatis, & actionis. Quia dat homini posse, si velit; non velle quod possit: ac proinde est Pelagianicum adiutorium, non Christi Saluatoris. Hoc etiam argumentum præformauit Caluinus lib. 5. contra Pighium, pag. 204. & Robertus Sarisburiensis lib. de veritate gratiæ Christi pag. 81. vbi illud *adiutorium*, vocat *Pelagianum, quod non dat ipsum conuerti, credere, amare; sed posse si velis.* Et Theodorus Beza lib. aduersus Castellionem pag. 457. vbi similiter ipsum potestatis nomen applicatum gratiæ, veluti Pelagianum, auersatur. Tertium est, quòd gratia sufficiens sit adiutorium admissum à Semipelagianis, veluti necessarium ad fidem, & initium salutis: qui tamen hæresis damnati sunt, eò quòd dicerent ad hoc dari, vt homo cum illo credere possit si velit. Idem Catholicis obiecerat Dauid Paræus lib. 1. de Gratia, & lib. arb. cap. 2. vbi sic loquitur: *Quod Pelagiani* (Massilienses intelligit) *vocabant possibilitatem credendi, gratiâ Creatoris omnibus datam secundùm vniuscuiusque arbitrium; id Sophistæ vocant auxilium sufficiens omnibus hominibus datum, ad hoc vt possint credere si velint.* Quartum est, quia si posset homo cum tali gratia sufficiéte bene operari pro suo arbitrio: posset seipsũ discernere, & gloriari quòd se discernat: contra illud Apostoli, *Quis te discernit?* Hoc etiam argumentum vsurpauerat Dauid Paræus in Synodo Dordracena, vt habetur in eius Actis pag. 315. *Posita*, inquit, *resistibilitate gratiæ, ratio cur ex duobus vnus credat, alter non credat, ex homine esset, quòd vnus gratiæ resistere, alter non resistere voluit. Contra illud, Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Quintum est, quòd tale adiutorium gratiæ sufficientis repugnet precibus Ecclesiæ, & fidelium: quia Ecclesia nunquam postulat à Deo pro fidelibus, vt possint si velint, sed semper postulat ipsum velle. Fideles quoque non petunt à Deo auxilium sufficiens, quippe quod inaniter, & insipienter peteretur, cùm semper sit præsens omnibus, vt docent illius defensores. Quid enim stultius & inanius, quàm orare vt habeas quod iàm habes? Hoc etiam dixerat idem Paræus lib. 2. de lib. arbit. cap. 2. *Si omnibus*, inquit, *semper adesset sufficiens auxilium vitandi infidelitatem, & peccata; frustra oraret Ecclesia: quia sufficiens auxilium cùm fingatur vniuersale, non est ex eo beneficiorum genere, quæ precibus, & supplicationibus sunt impetranda.* Sextum est, quòd si daretur gratia illa sufficiens, sequeretur gratiam esse communem omnibus: contra illud Augustini, *Communis est omnibus natura, non gratia.* Idem opponit Caluinus lib. 2. Instit. cap. 3. num. 10. cuius verba paulò antè retulimus num. 12. & Petrus Martyr tit. de Prædestin. num. 38. & tit. de Iustificatione num. 24. Ex quibus omnibus satis supérque liquet verum esse quod probandum suscepimus, doctrinam Iansenij de Gratia sufficiente non ex Augustini fontibus, sed ex Lutheri, & Caluini, & discipulorum vtriusque lacunis haustam esse: quippe à quibus non modò suam assertionem, sed omnia quoque illius firmamenta mutuatus est.

SECTIO III.

Probatur doctrinam illam repugnare Scripturæ, Conciliis, Sanctis Patribus, & Doctoribus Catholicis.

SED non minùs euidenter repugnat hæc sententia Scripturæ testimoniis, & Conciliorum definitionibus, Patrúmque traditioni, atque vnanimi Doctorum Catholicorum sententiæ; quàm apprimè consentit cum Luthero, & Caluino, eorúmque Sectariis. 15. *Repugnat Scripturæ.* Primò enim, Scriptura pluribus locis affirmat dari etiam in hoc statu naturæ lapsæ gratiam internam, & piam motionem voluntatis, cui possint homines resistere, & de facto resistant. Prou. 1. vers. 24. *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, &c.* Quæ obiurgatio, non esset æquitati consentanea, nisi illi habuissent omnia necessaria, adeóque internam motionem, quâ possent Deo vocanti consentire, & sine qua non poterant, vt fatetur Iansenius. Isaiæ 5. vers. 4. *Quid est, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Non respondens scilicet auxiliis à Deo datis, etiam internis, piisque motionibus necessariis, & sufficientibus vt faceret vuas. Nam cùm sine illis vuas ferre non posset, quomodo iis non datis expectasset Deus vt faceret id, quod facere non poterat? Eodémque sensu accipienda est hæc altera exprobratio Isaiæ 65. vers. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Et ista Act. 7. vers. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, ita & vos.* Et Matth. 23. vers. 37. *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Quæ admiratio non esset iusta, si defuisset Iudæis interna illa motio, sine qua erat impossibile,

Christo vocanti, & congregare volenti, consentire. Et Rom. 2. versu quarto & quinto: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Nimirum, quia ex parte Dei nihil deest quo minùs conuerti possint, & agere pœnitentiam: & purâ ipsorum desidiâ, vel malitiâ, non autem cælestis motionis defectu fit, quòd Dei patientiam, & expectationem frustrantur, eiúsque bonitate, & longanimi benignitate abutuntur. Et 2. Corinth. 6. vers. 1. *Adiuuantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Vbi loquitur Apostolus de vera, & propria Christi gratia: frustráque sic exhortaretur, si omnis vera Christi gratia, quam Iansenius in cælesti motione, & delectatione constituit, esset efficax, & necessariò operans, ita vt in vacuum recipi nequeat. Vana etiam esset eius exhortatio, si gratia, de qua loquitur, talis esset, vt recipi non posset à voluntate ad præbendum consensum, deficiente aliquo ad illum necessario: putà motione illâ cælesti, iuxta sententiam aduersarij.

16. *Et pluribus Conciliis.* Repugnat secundò manifestè Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 4. affirmanti auxilium gratiæ ita mouere voluntatem ad consensum, vt resistere possit, & dissentire, si velit: hominémque à Deo motum, & excitatum, ita diuinam inspirationem recipere, vt possit illam abiicere. Quódque non modò dissentire possit, sed etiam reipsa dissentiat interdum, docet idem Concilium, cùm addit capite 13. In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debere. Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere. Loquitur de perseuerantiæ dono: de quo licèt, inquit ibidem, nemo certus sit absolutè, debet tamen quisque sperare, & credere non defuturum Dei auxilium, séque reipsa perseueraturum, si velit ei cooperari. Itaque, qui non perseuerant, vt certè multis contingit, ipsi desunt gratiæ Dei, qui opus suum perficeret, nisi illi deessent gratiæ excitanti, & iuuanti ad perseuerandum. Et Concilium Senonense Decreto fidei 15. *Non est*, inquit, *huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Ierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit? Frustra certè Stephanus Iudæos duræ ceruicis, & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret spiritum ne extinguerent, si diuinis inspirationibus homines ineuitabiliter raperentur.* Ibidémque dicit necessitatem gratiæ ad bene operandum non præiudicare libero arbitrio: *Cùm illa semper in promptu sit, & ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.* Vbi loquitur de motione sufficienti ad consensum, vt verba illa sonant, *si quis aperuerit, &c.* cúmque de gratia efficaci non possit intelligi, quæ non semper, & omnibus momentis operatur, necessarium est vltra efficacem admittere sufficientem, iuxta doctrinam illius Concilij. Et Enchirid. Concilij Coloniensis cap. de Sacramento Pœnitentiæ, *Situm est*, inquit, *in hominis voluntate, vt gratiam Dei oblatam vel accipiat, vel respuat.* Et paulò pòst, apposito exemplo id declarans: *Oculus*, inquit, *solem videre non potest, nisi solis lumen oculum praueniat, vt videat: tamen sole lucente, qui super omnes oritur, libera est intuitio, hominique liberum est oculos claudere, ne solis lumen admittat; aut aperire, vt recipiat. Haud secus impio liberum est, praueniente se diuina illuminationis gratiâ à peccato resurgendi, eam accipere, vel non accipere, &c.* Ibidémque rationem reddens, cur è duobus ad pœnitentiam vocatis à Deo, vnus conuertatur, alter non; hanc esse dicit: quia vnus Dei gratiæ respondet, alter non. Vnus funem gratiæ Dei demissum apprehendit, quo de peccati fouea extraheretur; alter demissum apprehendere neglexit. Et Arausic. II. can. 25. *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus*, inquit, *quòd acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Itaque qui non adimplent, habent tamen gratiam, quâ possint. Ergo habent sufficientem: quæ tamen non est efficax in actu secundo, quia non sortitur effectum. Et Valentinum III. sub Lothario anno 855. *Nec ipsi mali ideo pereunt, quia boni esse non potuerunt: sed quia boni esse noluerunt: suóque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Cùm igitur boni esse potuerint, non caruerunt auxilio gratiæ, sine quo boni esse non poterant, & ex massa damnationis emergere. Et hoc auxilium non fuit efficax, cùm reipsâ malè perierint. Ergo sufficiens tantùm.

Repugnat tertiò communissimæ doctrinæ SS. Patrum, quorum aliquot illustria testimonia referre sufficiet, præcipuéque D. Augustini, cuius maximè auctoritate abutuntur aduersarij. Clemens ergo Alexandrinus lib. 2. Stromat. sic ait: *Diuinum verbum clamauit, omnes simul vocans: eos quidem vel maximè cognoscens, qui non erant parituri: & tamen quoniam est in nostra potestate parére, vel non parére; vt nulli possint causari prætextum ignorantiæ, iustam fecit vocationem.* Vbi notanda sunt illa verba, *quoniam in nostra est potestate parére, vel non parére:* quod non esset, si deesset motio voluntatis necessaria ad parendum. Atque adeò illis etiam, qui non parent Dei vocationi, adest gratia sufficiens vt pareant. Idem cum Clemente docent Ambros. serm. 8. in Psal. 118. & Chrysost. homil. 7. in Ioan. circa illa verba, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, affirmantes solem iustitiæ, & verbum diuinum omnes illuminare, quantum in se est: sed hominum culpâ contingere, quòd mali lumen illud non admittant, & viam lucis, ac veritatis fidei minimè ingrediantur. Habent igitur quidquid ad videndum, & credendum necessarium est: alioquin id non contingeret eorum culpâ, sed defectu auxilij necessarij. Et Cyrill. lib. 1. in Ioan. c. 11. circa illud, *Mundus eum non cognouit, Non verbum Dei*, inquit, *& æternam hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accuset. Illuminat enim Filius, repellit autem gratiam creatura, &c. Neglexit vlteriùs currere, suffodit illuminationem ex desidia, & contempsit hanc gratiam.* Non contempsit autem efficacem: ergo sufficientem, 17. *Et SS. Patribus.*

cum qua poterat vlteriùs currere, si cooperari voluisset. Neque contempsit ex desidia, si contempsit ex impotentia consentiendi, defectu internæ motionis ad hoc necessariæ. Et Hieron. in Psal. 140. *O infelicissimum*, inquit, *humanum genus! qui peccata excusamus dicentes: Victus sum à natura: cùm in potestate nostra sit & peccare, & Domino adiuuante non peccare.* Itaque, ex mente Hieronymi, qui peccant, non carent Dei adiutorio sufficienti ad non peccandum, ita vt possint non peccare si velint.

18. *Speciatimque D. Augustino.* D. August. lib 83. quæst. q. 68. postquam dixit non omnes ad cœnam Euangelicam vocatos venire, sed quòd non veniant sibi tantùm imputare debere, quia vt venirent vocati, erat in eorum libera potestate: addit, *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cùm vocatus neglexerit;* gratiam scilicet, per quam poterat venire, adeòque sufficientem, id est potentem ad operandum, sed frustratam effectu, non ex aliquo illius defectu, sed negligentiâ non cooperantis. Et lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 17. *Cùm voluntate humana, gratiâ adiuuante diuinâ, sine peccato in hac vita homines possint esse; cur non sint, possem facillimè, ac verissimè respondere, quia homines nolunt.* Respuunt igitur gratiam adiuuantem, etiam internam motionem sufficientem ad non peccandum. Et lib. de Natura & gratia cap. 67. itémque libro 3. de Lib. arbit. cap. 19. loquens de hominibus conquerentibus de ignorantia, & concupiscentia per peccatum originale contracta, & ad peccandum inducente: *Breuiter respondetur*, inquit, *vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Quæ responsio non satisfaceret querelæ murmurantium, si de adiumentis solùm externis loqueretur, & non etiam de internis inspirationibus, & motionibus necessariis vt possint superare difficultatem peccandi ortam ex ignorantia & infirmitate seu concupiscentia. Eódem pertinet quod ait lib. 1. ad Simplician. q. 2. Esaü non eucurrisse, quia noluit, & vocatione contemptâ reprobus factus est. Et lib. de Prædest. & gratia (si tamen Augustini est) cap. 15. affirmat causam cur Nabuchodonozor pœnitentiam egerit, secus autem Pharao, non aliam esse, nisi quòd *vnus manum Dei sentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio.* Itaque neque Esaü, neque Pharaoni defuit auxilium, quo possent currere, & conuerti si vellent.

19. *Et Prospero aliisque Augustini discipulis.* Et vt de Patribus Latinis Augustino posterioribus aliquid dicamus: idem disertè affirmat S. Prosper eius discipulus, lib. 2. de vocat. Gentium cap. 26. vbi postquam dixit hominem habere de sua mutabilitate, si deficit: de gratiæ opitulatione, si proficit: addit, hanc opitulationem per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhiberi: *Et quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia: quod à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humana.* Et Fulgentius alter insignis Augustini discipulus, lib. de Incarn. & grat. c. 17. *Homo*, inquit, *tanti medicaminis pœnitentiæ beneficio caret, cuius gratiam contumax atque ingratus oppugnat.* Et Beda sectator, & admirator Augustini, libro Variarum quæst. q. 13. *Natura labens apposito sibi adiutorio recognoscat se inexcusabilem. Et natura perseuerans reddat gratias Deo de appositione gratiæ.* Et Gregorius Magnus libro 33. Moral. cap. 20. *Idcirco nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Itaque ex doctrina Sanctorum Patrum, illi ipsi qui non conuertuntur per pœnitentiam, quique non perseuerant, neque cælestis patriæ præmia æterna consequuntur, habent auxilium sufficiens, cuius ope conuerti possent, & perseuerare, & consequi salutem æternam, nisi ex libero arbitrio nollent gratiæ sibi oblatæ cooperari.

Repugnat quartò vnanimi consensui veterum, & recentium Theologorum, gratiam sufficientem in hoc statu naturæ lapsæ agnoscentium: vt inprimis D. Thomæ 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. vbi sic habet: *Dicendum quòd gratia noui Testamenti, etiamsi adiuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, vt peccare non possit. Hoc enim pertinet ad statum gloriæ. Et ideo si quis post acceptam gratiam noui Testamenti peccauerit, maiori pœnâ dignus est, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non vtens. Nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex noua iram operatur: quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Et D. Bonauentura in 1. distinct. 47. art. 1. q. 1. loquens de pereuntibus: *Deus*, inquit, *paratus est iuuare: ita quòd salus non deficit propter defectum ex parte Dei:* sed nimirum, quia sufficienti eius auxilio ipsi defuerunt: iuxta illud Oseæ 13. vers. 9. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Et Scotus in 1. dist. 46. q. vnic. ad primum argumentum loquens de generali Dei voluntate saluandi homines, etiam illos, qui non saluantur reipsa, sic ait: *Deus vult omnes homines saluare, quantum est ex parte sui, voluntate suâ antecedente, pro quanto dedit bona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia sufficientia ad salutem. Ita dico. Deus vult isti illa adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene viuere, & saluari,* quamuis non vtatur & pereat. Similia habet Capreol. ad eandem distinctionem art. 2. Conclus. 4. & Ricardus in 2. dist. 28. art. 1. q. 3. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quòd ideo non obseruantes mandata Dei, rei peccati tenentur: quia cum diuino adiutorio possent, si vellent, se ad gratiam gratum facientem disponere.* Habent igitur auxilium, quo id possint, sed sufficiens tantùm, id est, frustratum suo effectu per ipsorum malitiam, aut negligentiam. 20. *Et antiquis Theologis.*

Idem certissimum esse inter Theologos testantur è recentioribus Petrus Ledesma de gratiæ auxiliis art. 16. q. vnic. & Malderus Episcopus Antuerp. 1. 2. q. 111. art. 3. vbi postquam dub. 4. in Conclusione affirmauit, omnino dari gratiam excitantem verè sufficientem, quæ non sit 21. *Necnon recentioribus.*

efficax: addit dub. 5. memb. 1. Conclus. 1. dari omnibus adultis, saltem ratione vtentibus sufficiens gratiæ auxilium, quo ad Deum conuerti possint. Quod, inquit paulò pòst, apud Hispanos, & vbique in Christianis Academiis hodie adeo receptum est, vt non dubitauerit Cumel tom. 3. disputationum suarum ad primam partem D. Thomæ scribere: *Hæc propositio ab omnibus admitti debet, & in quacunque opinione.* Et Petrus Cabrera Cordub. in 3. p. D. Thom. q. 18. art. 4. disp. 6. dub. 1. *Hæc conclusio*, inquit, *adeo certa est, vt oppositum sine errore affirmari non valeat.* Et Gabriel Pennot. in Propugnac. humanæ libertatis lib. 9. cap. 4. asserit, omnino esse de fide dari gratiam sufficientem. *Secundum fidem Catholicam*, inquit, *hæc partitio diuini auxilij in auxilium sufficiens, & auxilium efficax, videtur omnino esse admittenda: ita vt sit aliquod auxilium sufficiens, per quod homo posset, si vellet, operari, & saluari, & nihilominus de facto, nec saluetur, nec operetur: & sit auxilium per quod homo non solum potest operari, & saluari, sed de facto operatur & saluatur: quorum primum vocatur nomine generico sufficiens, quia proprium nomen specificum non habemus, siue auxilium inefficax,* (meliùs diceretur frustratum effectu) *alterum verò appellatur auxilium efficax*; id est, non tantùm potens, & sufficiens ad efficiendum, sed etiam reipsa efficiens. Et è recentibus Sorbonæ Professoribus, Gamachæus 1. 2. q. 111. cap. 5. *Gratia sufficiens*, inquit, *nemini prorsus denegatur, sed datur re vera omnibus cuiuscunque sortis, status, ac conditionis fuerint: nec solum electis, sed etiam reprobis, &c.* Idémque docet Ysambertus 1. 2. ad quæst. 111. disp. 3. & 4.

21. *Mirabilis impostura Ianseniј.* Infinitum esset recensere quotquot alij ex Italia, Gallia, Hispania, Belgio, Germania, Scotia, Hibernia, Polonia, & aliis nationibus Christianis idem affirmant, & olim affirmarunt, quod suprà citati. Et iam satis superque constat hac tota sectione, longissimè abesse à veritate quod nimis confidenter scripsit nouus Dogmatista tom. 3. lib. 3. cap. 1. Eos qui aliam Christi gratiam, quàm efficacem asserunt, nouum genus gratiæ procudisse, quod nec D. Augustinus, nec vllus post illum Latinorum Patrum, nec D. Thomas, vel vetustiorum Theologorum aliquis agnouit, nec Ecclesia in vllis Conciliis generalibus, aut prouincialibus approbatis. Euidenter enim ostendimus, genus illud gratiæ expressè haberi in sacris literis, adeóque non esse nouum, & à recentibus Theologis procusum: & D. Augustino, aliísque Patribus, etiam Latinis ipso posterioribus, vt Prospero, Fulgentio, Bedæ, Gregorio Magno, nec non D. Thomæ, Bonauenturæ, Scoto, aliísque Theologis antiquioribus, ac denique Ecclesiæ in pluribus Conciliis approbatis fuisse notissimum: támque euidenter in illis, & in sacris literis expressum, vt sine errore negari nequeat.

Eius calumnia sumpta ex Caluino. Cùm autem dicit eodem capite tale adiutorium gratiæ Pelagianicum esse: & addit cap. 12. gratiam sufficientem à Semipelagianis ortum habere: & inde in Catholicorum Scholas translatam esse; genus hoc calumniæ mutuatur, vt suprà vidimus, à Caluino libro 2. Institut. cap. 2. & in Antidoto Tridentini ad sess. 6. & à Petro Martyre loco citato initio sectionis præcedentis, vbi eandem Pelagianismi insimulat: Beza, Grinæo, Zanchio, & aliis Caluini Sectatoribus, qui, vt refert Paulus Vindec. in libro de efficacia mortis Christi, doctrinam istam ex fæcibus Scholasticorum haustam esse, & Pelagianismum redolere, impudenter, & proteruè calumniantur.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta Ianseniј contra gratiam sufficientem proposita.

SVPEREST vt respondeamus argumentis sectione prima propositis. Quorum primum sumitur ab auctoritate quorundam recentium Theologorum, quos ait Iansenius agnouisse doctrinam Augustini esse, nullum iam dari hominibus in statu naturæ lapsæ adiutorium sufficiens, quin simul sit efficax. Idem quoque agnouisse Vniuersitatem Louaniensem, & Duacensem, in Censura quarundam propositionum Lessij, & Hamelij. Sed quod attinet ad Theologos, sufficiunt quæ diximus sectione præcedenti num. vicesimo & vicesimo primo, vbi ostendimus ipsos etiam physicæ prædeterminationis assertores, vt Cumelem, & Cabreram, affirmare gratiam sufficientem admittendam esse ab omnibus Catholicis, & sine errore negari non posse. Quod verò attinet ad prædictas Academias: refert ille quidem eas notasse suâ Censurâ hanc propositionem, *Fieri potest, & de facto sæpe fit, vt quis auxilium habeat præueniens omnino sufficiens in genere auxilij præuenientis ad conuersionem: & tamen non conuertatur, quia non vult*: & aliquot alias similes: ac tum in eadem Censura, tum in eius Apologia docuisse, nullum dari adiutorium ita sufficiens, vt nihil aliud ex parte Dei ad operandum actu requiratur, quin simul sit efficax. Sed si bona fide ageret, suæque famæ consuleret Iansenius, non faceret mentionem huius Censuræ nullius auctoritatis, & mox improbatæ à summo Pontifice Sixto V. tanquam iniustæ, quæque veræ, & sanæ doctrinæ minimè nocuit, sed potiùs valuit ad eam confirmandam auctoritate Sedis Apostolicæ, & in dedecus auctorum suorum redundauit. Cuius idcirco nec ego facerem mentionem, nisi cogeret Iansenius. Sic enim res habet, vt fideliter refert Illustrissimus, & Reuerendissimus Dom. Isaacius Habert Episcopus Vabrensis, antea Canonicus, & Theologus Ecclesiæ Parisiensis, in Defensione fidei cap. 14. §. 3. 23. *Soluitur 1. sumptum ab auctoritate.* *Detegitur impostura Ianseniј circa Censuram Louaniensem, & Duacensem.*

Cùm plurimæ propositiones Michaëlis Baij Doctoris, & Decani Vniuersitatis Louaniensis, damnatæ fuissent à Pio V. & Gregorio XIII. velut hæreticæ, erroneæ, suspectæ, scandalosæ, & in aures pias offensionem immittentes, respectiuè: cœpit Vniuersitas, eodem Baio instigante, cui multi eiusdem Academiæ Doctores adhæserant, inquirere in scriptis nouorum Theologiæ Professorum Societatis Iesu, si quid esset, quod reprehenderet. Aggressa est igitur Lessium, & Hamelium, qui erant inter primos, & celeberrimos Theologos prædictæ Societatis, erga quam non obscurum æmulationis affectum exercebat: eorúmque scripta examinauit, & triginta propositiones Censurâ notauit, 24.

inter quas vna erat de gratia sufficiente. Atque hanc Censuram subsecuta est altera Duacensis Academiæ, quæ Vniuersitatis Louaniensis filia est. Ambæ verò coniunctim Parisiensem facultatem Theologicam inuitarunt ad idem faciendum. Quod ipsa præcisè facturam se negauit. Quin etiam præstantes in Belgio Theologi, & plures Episcopi in Censuram illam Louaniensem, velut iniquam, & abusiuam insurrexerunt: vt inter alios Ioannes Strienus Episcopus Mildeburgensis, Læuinus Torrentius Episcopus Antuerpiensis, Thomas Stapletonus celeberrimus Scriptor controuersiarum, qui *Censuram importunam* eam nominauit, & Octauius Calatinus Episcopus, Nuncius Summi Pontificis cum potestate Legati à latere, pluresque alij grauissimi Theologi.

25. Interea verò P. Lessius suas illas propositiones, à facultate Louaniensi damnatas, mittit ad Summum Pontificem Sixtum V. cum sua Apologia; omniáque eius iudicio submittit. Pontifex autem, qui doctissimus erat, conuocato cœtu Cardinalium, post longam, & profundam discussionem, illas omnes propositiones approbauit tanquam articulos *sanam doctrinam* continentes: mandauitque suo Nuncio, & Legato suprà nominato vices hanc suam sententiam pronunciandi, & præcipiendi sub pœna excommunicationis, ne quis eosdem articulos damnaret, vel Censurâ vllâ notaret: vt videre est in literis Sixti V. typis Masij an. 1588. Iulij 10. Ab eóque tempore multi Professores, & Doctores Louanienses scripserunt conformiter doctrinæ Lessij, & communi Theologorum de gratia sufficiente; sicut ante Baium multi alij fecerant. Hucusque Habertus; meritò sic concludens: *Cuius ergo momenti est, & cuius roboris Baiana hæc, aut Louaniensis Censura? Vel quid Baio prodesse potest, cuius errores à tribus Summis Pontificibus damnati sunt? Cùm ab ipsa Sede Apostolica fuerit improbata: & vertens in dedecus auctorum suorum, ad nihil aliud profuerit, nisi vt articulus de gratia sufficiente recenseretur ab ipso Summo Pontifice, cum consilio Cardinalium, inter articulos sanæ doctrinæ.*

26. Addit præterea, non ita pridem eandem facultatem Louaniensem, ægrè ferentem quòd Sorbonica, seu Parisiensis facultas Theologica Bullam Vrbani VIII. contra Iansenium recepisset, & professa esset velle se adhærere definitioni eiusdem Summi Pontificis, ac Pij V. & Gregorij XIII. eius prædecessorum, circa damnatas propositiones Baij, & Iansenij: ad eam literas scripsisse, vt ab hac sententia, si quâ posset ratione, eam reuocaret. Cui ipsa per se respondere noluit: sed per Rectorem monuit, fecisse se, quod sui erat muneris, & officij erga Sedem Apostolicam; nec vnquam ab eius doctrina recessuram, vt variis, & peregrinis doctrinis adhæreat: iuxta monitum Apostoli Hebr. 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

27. *Altera eius impostura circa antiquos Theologos.*

Opponit secundò, neque D. Thomam, neque vllum antiquiorum Patrum inter ipsum, & Augustinum, vel vllum vetustiorum Scholasticorum istius gratiæ sufficientis meminisse. Sed hoc euidentissimè falsum esse liquet ex dictis sect. præced. num. 20. vbi luculentissima Diui Thomæ, S. Bonauenturæ, Scoti, qui sine dubio inter vetustiores Scholasticos numerandi sunt, nec non Prosperi, Fulgentij, aliorúmque Patrum Augustino posteriorum testimonia pro gratia sufficiente retulimus, quod ipsum nomen sufficientis auxilij D. Thomas vsurpauit, sicut & D. Bonauentura, & Scotus locis ibidem relatis. Loquuntúrque etiam de auxilio ita sufficiente, vt tamen effectum non obtineat, defectu consensus, & cooperationis liberæ voluntatis: adeóque peruersam Iansenij interpretationem, seu potiùs cauillationem manifestè excludunt.

28. *Tertium argumentum, quòd gratia sufficiens sit gratia naturæ sanæ.*

Opponit tertiò, gratiam illam sufficientem repugnare fundamentalibus Augustini principiis: quia est tantùm auxilium sine quo non fit opus, nequaquam autem auxilium quo fit: ac proinde est auxilium voluntatis sanæ, non ægrotæ: auxilium possibilitatis, non voluntatis, & actionis: dans homini posse, si velit; sed non velle quod possit: ideóque Pelagianum esse: & Massilienses qui admittebant illud esse necessarium ad credendum, nihilominus damnatos fuisse.

29. *Error Iansenij circa auxilia naturæ sanæ, & ægrotæ.*

Respondeo, neque omne auxilium naturæ sanæ fuisse auxilium *sine quo non*, neque omne auxilium naturæ ægrotæ esse auxilium *quo*: vt falsò supponit aduersarius, maléque putat fuisse à se probatum ex verbis Augustini lib. de Correpr. & gratia cap. 11. & 12. vbi tamen, vt diximus disputatione præcedenti sect. 6. num. 53. & seqq. non loquitur generaliter de omnibus auxiliis naturæ sanæ, & ægrotæ: sed tantùm comparat auxilium, quo sancti, & electi perseuerant, & iustè viuunt, cum auxilio Adæ præstito ad perseuerandum in statu innocentiæ, cum quo reipsa cecidit. Alia verò auxilia, quibus tum ipse & Eua, tum Angeli consenserunt, fuerunt auxilium *quo*, in statu illo naturæ sanæ: & nunc auxilia, quibus non consentiunt homines, sunt tantùm auxilia sine quibus non, dántque tantùm posse si velimus, non autem velle quod possumus, quia reipsa non illis vtimur, id est, non cooperamur ad consensum cum gratia concomitante, quæ præsto est, si velimus operari. Sicut neque auxilium illud Adamo, & Euæ exhibitum in statu innocentiæ, eis dedit perseuerantiam: ideóque fuit tantùm auxilium sine quo non poterant perseuerare, non autem quo perseuerarunt. Idémque dicendum de auxilio dato Angelis cadentibus, cum quo non steterunt. Quare sicut nunc in statu naturæ lapsæ, quædam sunt auxilia quibus consentimus, & cooperamur; alia quibus non: sic & in statu naturæ stantis siue innocentis. Atque ita in vtroque statu locum habuit illa distinctio auxiliorum, in auxilium *quo*, & auxilium *sine quo non*, intellecta vt debet, & vt intelligi debere probauimus sect. cit.

30. *Error Pelag. & Massil. ab illo malè exponitur.*

Error autem Pelagij, & Massiliensium, in eo versabatur, quòd ille diceret, gratiam non esse necessariam ad bene operandum, sed tantùm iuuare vt faciliùs bene operemur: illámque constituebat in lege & doctrina. Massilienses verò negarent pariter cum illo gratiam, qualemcunque admittebant, esse necessariam ad fidem, & initium salutis, quamuis progressum, & perfectionem non posse haberi sine illa faterentur. At non errabant in eo quòd dicerent liberum esse voluntati consentire, vel dissentire gratiæ internæ excitanti ad consensum. Hæc enim est, & semper fuit doctrina Ecclesiæ, vt suprà ostendimus;

dimus: non autem error inductus à Pelagio, vel à Massiliensibus. Neque verò Pelagius per *posse*, aut *possibilitatem*, pérque auxilium *possibilitatis*, non *voluntatis & actionis*, intelligebat verum, & internum auxilium gratiæ constituens voluntatem in potentia proxima, & completa ad bene operandum si velit, vt falsò, & inuidiosè supponit Iansenius: sed vt constat ex D. Augustino pluribus locis, per *posse*, seu *possibilitatem*, intelligebat naturam liberi arbitrij, per quam dicebat legem impleri posse: quámque affirmabat iuuari per gratiam, id est, per legem, & doctrinam, non vt posset simpliciter, sed vt faciliùs impleret: de cetero autem bene velle, & bene agere, seu *voluntatem*, & *actionem bonam*, fieri solis liberi arbitrij viribus, sine alio gratiæ auxilio: atque ita Deum neque volitioni, neque actioni, se immiscere, neque proximè ad eam iuuare. Vnde etiam volebat hæc non aliter Deo tribui debere, nisi quia dedit nobis liberum arbitrium, cuius viribus hæc fiunt, & sine quo nec velle, nec agere possumus. Contra quem errorem contendit S. Augustinus, non solùm *posse*, id est, liberum arbitrium, nobis esse à Deo; sed etiam *velle & agere*: non quòd Deus necessitet ad volendum, & agendum: sed quia per liberum arbitrium, etiam adiutum lege & doctrinâ, non possumus salutariter velle, & agere, nisi Deus magis specialiter interiùs iuuerit ad volendum, & agendum, non solùm per illustrationem intellectus, sed etiam per piam motionem, & excitationem voluntatis.

Quid intelligeret Pelagius per auxilium possibilitatis?

31. *Probatur ex Augustino eum ita sensisse.* Hoc ita esse constat ex lib. 1. de Grat. Christi cap. 4. vbi D. Augustinus hæc Pelagij verba refert: *Nos*, inquit Pelagius, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus. Secundo velle. Tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est, posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est, velle, & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte descendunt.* Et c. 5. eiusdem libri, *Ecce*, inquit, *est totum dogma Pelagij in libro eius tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, vnum, quod est posse, alterum, quod est velle, tertium quod est esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta subtilitate curauit distinguere; vt quandocunque legimus, vel audimus diuinæ gratiæ adiutorium confiteri, vt à malo declinemus, bonúmque faciamus, siue in lege, atque doctrina, siue vbilibet constituat; sciamus quod loquitur, nec erremus, aliter eum intelligendo, quàm sentit. Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem nostram,* (id est volitionem) *nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura; cetera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio. Et ideo non adiuuet vt velimus, non adiuuet vt agamus, sed tantummodo adiuuet vt velle, & agere valeamus.* Et inferiùs c. 25. *Desinat itaque iam Pelagius*, inquit, *& seipsum, & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium vnum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis, atque operis, sed etiam propter voluntatem & operationem bonam, erga nos gratia Dei prædicanda est. Nam illam possibilitatem ad vtrumque valere definit: & tamen non ideò tribuenda sunt Deo etiam nostra peccata, sicut & propter tandem possibilitatem vult tribuere bona opera nostra. Non ideo tantùm adiutorium diuinæ gratiæ commendetur, quia possibilitatem adiuuat naturalem. Desinat dicere, Quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: Quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. Desinat, inquam, ista dicere. Non solùm enim Deus posse nostrum donauit, atque adiuuat; sed etiam velle, & operari, operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Nimirum quia, vt dixit in fine capitis præcedentis, *internâ, atque occultâ, mirabili, ac ineffabili potestate operatur Deus in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.*

SECTIO V.

Respondetur aliis argumentis.

Opponit quartò, si cum tali sufficiente auxilio homo nunc posset operari; consequenter homo post lapsum posset sibi ipsi, non Deo specialiter donante, bonas actiones ac meritum dare: posset per liberum arbitrium, gratia non donante, à lapsu resurgere, in veritate stare, perseuerare, vitam æternam velut mercedem humanorum meritorum adipisci: denique posset seipsum ab aliis suæ voluntatis libertate discernere, atque ita contra Apostolum gloriari dicentem, *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* Nam talis gratiæ adiutorium non discernit bonos à malis, sed est commune bonis & malis. Et Augustinus libro de Prædest. Sanctorum capite 5. *Nihil*, inquit, *huic sensui Apostoli, Quis te discernit? tam contrarium est, quàm de suis meritis quenquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei; sed gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis, & malis.* 32. *Quartum argumentum, quòd homini non Deo tribuerentur opera gratiæ.*

Respondeo, si valeret hoc argumentum, æquè probaret gratiam sanitatis, datam Angelis, & hominibus in statu innocentiæ, non reliquisse vsum libertatis indifferentiæ. Nam etiam bona illorum opera, & merita, & perseuerantia, sunt tribuenda gratiæ Dei, vt vidimus disput. præcedenti sect. 7. & in illis locum habet illud Apostoli, *Quis te discernit? &c.* vt docet ipse D. August. lib. 11. de Genesi ad lit. capite 8. vbi tam de Angelis quàm de hominibus dicit, *Qui gloriatur, non nisi in Domino glorietur, cùm cognoscit non suum, sed illius esse, non solùm vt sit, verùm etiam vt non nisi ab illo bene sibi sit, à quo habet vt sit.* Et libro vndecimo de Ciuit. capite 19. *Cùm*, inquit, *lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur: & inter sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, vbi dictum est, Et diuisit Deus inter lucem, & tenebras: Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent, præscire casuros, & lumine priuatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros.* Hæc ibi: quibus similia sunt, quæ de hominum discretione dicit libro 13. Confess. cap. 14. *Sumus*, inquit, *filij lucis, & filij Dei, non* 33. *Retorquetur in Iansenium.*

filij noctis, neque tenebrarum, quod tamen fuimus: inter quos, & nos in isto adhuc incerto humana notitiæ, tu solus diuidis, qui probas corda nostra, & vocas lucem diem, & tenebras noctem. Quis enim nos discernit, nisi tu? Quid autem habemus, quod non accepimus à te? Et Anselmus Diui Augustini doctrinæ addictissimus, libro de casu diaboli capite 1. cuius titulus est, *Quod etiam ad Angelos dicatur, Quid habes quod non accepisti?* Sic ait vt probet, id non tantùm ad homines siue stantes, siue lapsos, sed ad Angelos quoque omnes pertinere: *Nulla creatura habet aliquid à se. Quod enim seipsum à se non habet, quomodo habet à se aliquid?* Et paulò pòst: *Ille igitur solus à se habet quidquid habet, & alia omnia non nisi ab illo habent aliquid. Et sicut à se non nisi nihil habent: ita ab illo non nisi aliquid habent.* Eòdem pertinent, quæ attulimus in fine sectionis citatæ ad probandum Angelos non nisi Dei gratiâ esse bene operatos, & stetisse ac perseuerâsse. Ceterùm siue Angelus, siue homo interrogatus: *Quis te discernit?* Respondere potest, ac debet cum Apostolo 1. Corinth. 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

34. *Quintum argumentum.* Opponit quintò, gratiam illam sufficientem repugnare precibus, quas vel Deus Ecclesiæ suæ tradidit, & inspirauit: vel ipsa sibi à Spiritu sancto erudita formauit: quippe quibus orat, non vt possimus facere, si velimus, sed vt reipsa velimus, & faciamus: neque postulat auxilium illud sufficiens, quod dicitur omnibus præsto esse, dátque solummodo posse; sed efficax, dans ipsum velle, & operari, id est, necessitans voluntatem ad consensum, vt interpretatur aduersarius. Similitérque fideles non postulant à Deo auxilium sufficiens, quod inutiliter à Deo peterent, cùm præsens omnibus esse dicatur.

35. *Retorquetur, & ostenditur gratiam suffic. non repugnare precibus Ecclesiæ.* Respondeo, hoc argumentum desumptum ex Paræo, vt vidimus num. 14. in fine, simile esse præcedenti: quippe quod, si valeret, æquè probaret gratiam sanitatis necessitâsse ad consensum. Nam etiam tunc orare poterant homo, & Angelus, vt non solùm possent perseuerare, sed reipsa vellent, & facerent. Poterat enim Deus Angelos, qui ceciderunt, atque primos parentes impedire ne caderent; & vel auertere tentationem, quâ victi fuerunt; vel efficere vt eam superarent: vt de Adamo affirmat Augustinus lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 9. & iterum de eodem, simúlque de Angelis, lib. 14. de Ciuit. cap. 27. *Quis*, inquit, *audeat credere, aut dicere, vt neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse?* Ergo poterant illi Deum orare, vt vel non inducerentur in tentationem, vel victoriam de illa obtinerent; & ita à Deo præueniretur ipsorum libertas, vt reipsa non caderet. Ergo per similem orationem non postulat Ecclesia auxilium necessitans ad consensum, cùm sufficiat aliud, cuius ope Angeli, & primi parentes stetissent, saluâ libertate indifferentiæ, quam illis aduersarius non negat. Similitérque fideles non petunt à Deo adiutorium necessitans, sed ita congruum, & tali modo præueniens, vt reipsa consentiant: quod auxilium non semper omnibus præsens est, potéstque vtiliter à Deo postulari. Certè quidem causæ naturales non desunt, quibus Deus prouidet generaliter terræ frugibus, & aliis ad victum hominum necessariis: neque tamen Ecclesia, & fideles orant inutiliter vt fructus terræ dare & conseruare dignetur, & alia huiusmodi beneficia generalia præstare non desinat, atque si opus est, speciali prouidentia, ea nobis procuret, tollátque, aut præuertat impedimenta quæ possunt occurrere, reipsáque occurrerent, nisi impedirentur.

Opponit sextò, huiusmodi adiutorium purè sufficiens ad gratiam naturæ pertinere: quia vt dicunt recentiores illi, non potest negari naturæ rationali, manente iudicio rationis, & vsu libertatis; neque potest peccatum illi imputari, si careat sufficienti potestate illud vitandi. 36. *Sextum argumentum.*

Respondeo primò, non eos qui gratiam sufficientem adstruunt, sed ipsum potiùs Iansenium docere, gratiam pertinere ad naturam, quando sæpius affirmat in libris de statu naturæ puræ, non potuisse creaturam rationalem creari sine gratia, & ordinatione ad visionem, & fruitionem Dei, auxiliisque necessariis, & sufficientibus ad illam assequendam; vt vidimus disput. 21. sect. 1. & fusiùs disp. 13. sect. 2. & seqq. Secundò communem doctrinam Theologorum esse, non quòd gratia sufficiens subtrahi nequeat saluo iudicio rationis, & vsu libertatis naturalis: quod si quis eorum opinatur, malè sentit, (quanquam Gabriel Vasques, quem solum Iansenius citat, non loquitur generaliter, sed de auxilio cognitionis cum quo maneat integra voluntatis libertas ad non peccandum necessaria, quam cognitionem, inquit, præceptum, vt obliget, necessariò secum trahit) neque etiam quòd gratia debeatur naturæ, vel ab illa exigatur connaturaliter: fatentur enim illam esse beneficium gratuitum, & ordinem naturæ transcendens, potuisséque Deum, citra vllam iniustitiam, & indecentiam, relinquere homines, & Angelos in statu merè naturali. Sed tantùm affirmant Deum, ex suppositione quòd velit ordinare creaturas rationales ad finem supernaturalem, détque illis præcepta, quæ sine auxiliis gratiæ seruari non possint, cuiusmodi sunt præcepta supernaturalia: debere suæ prouidentiæ & sapientiæ, id est, vt sapienter conuenientérque sic ordinet, & præcipiat, debere suppeditare auxilia necessaria & sufficientia, quibus finem illum assequi, & præcepta implere possint: alioqui enim inutilis foret hæc ordinatio, vanáq; intentio: & Deus vellet fieri impossibilia, quod nemo sanæ mentis velle aut præcipere potest. Tertiò, docent quidem communiter Theologi, non posse peccatum imputari carentibus sufficienti potestate illud vitandi: & neminem supplicio, aut vituperatione dignum esse, qui id non faciat quod facere non potest. Sed hoc adeò verum est, & vel ipso naturali lumine per se notum, vt illud *cantent, & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum:* vt affirmat August. lib. de duab. animab. cap. 11. Nullaque Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba in eo dissentiat: vt ait libro de vera relig. capite 14. Quis enim peccat in eo, quod caueri non potest? inquit libro secundo contra Faustum cap. 18. Videantur quæ diximus disput. 3. sect. 4. vbi plura eiusdem S. Doctoris ex libris etiam quos scripsit contra Pelagianos, & aliorum Patrum testimonia retu-

37. *Retorquetur, & ostenditur gratiam suffic. non pertinere ad naturam.*

Quo sensu dicant Theologi eam deberi.

limus ad idem confirmandum. Quod autem addit Iansenius, tale auxilium sufficiens esse inutile, & perniciosum, quia semper caret effectu, & maioris tantùm damnationis causa est, exponetur paulò pòst in solutione argumenti proximè sequentis, vbi ostendemus cur, & vnde dicatur non habere effectum, quem de se potest habere, & ad quem per se tendit, & valet, licèt per accidens, ex hominum desidia, vel malitia, eo frustretur, & vertat in eorum perniciem. Ineptissimè verò affirmat errare grauiùs quàm Pelagianos, quicunque tale auxilium naturæ lapsæ adscribunt, putántque non obstante læsione arbitrij per peccatum originale, posse adhuc naturam bene operari, & à peccatis abstinere cum auxilio repudiabili. Cùm potiùs ipse manifestè versetur in errore Lutheri, & Caluini, aliorúmque hæreticorum sæpiùs ab Ecclesia damnatorum, in eo quòd affirmant sublatam esse per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ: quo præcipuè fundamento nititur, quod ait Iansenius cum iisdem hæreticis, auxilium sufficiens fore inutile in hoc statu naturæ lapsæ.

38. *Septimum argumentum.* Opponit septimò nihil monstro similius proferri posse, quàm quoddam distinctum à cæteris adiutorij genus, quod nunquam ab initio lapsus humani generis, vsque ad vltimi diem iudicij, vllum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est: cuiusmodi esse gratiam sufficientem dicunt illius assertores, talem, vt omnium voluntates cum ea possint operari si velint, & nulla tamen vnquam neque operata sit, neque deinceps operatura. Nam si reuera (& non solùm dicis causâ) talis istius gratiæ natura est, vt verè sufficientem tribuat potestatem vtendi: quæ ratio esse potest, vt nulla voluntas eam vnquam arripuerit.

39. *Cur gratia sufficiens nunquam habet effectum?* Respondeo hanc obiectionem, & admirationem procedere ex ignorantia veræ doctrinæ de gratia sufficiente: quæ non differt in entitate, aut virtute efficiendi, à gratia efficaci: sed dicitur sufficiens, siue inefficax in actu secundo, ex eo solo, quòd non sortitur effectum, & tunc quando non sortitur: licèt eadem aliàs, siue in eodem homine, siue in alio, vel illi par, aut etiam minor, sæpe illum sortiatur, & obtineat consensum, atque inde efficax denominetur. Est enim quodlibet auxilium gratiæ de se efficax in actu primo; id est, potens operari, & consensum obtinere: alioquin inutiliter ad hunc finem daretur, neque verè sufficiens diceretur. Sed cùm, vt definiuit Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. pendeat à libertate voluntatis consentire vel dissentire; neque semper ipsa consentiat: gratia, si non consentit, & quando non consentit, dicitur fuisse sufficiens, sed non efficax in actu secundo; id est, non habuisse reipsa effectum, quem habere potuit & debuit: si autem voluntas illi consentit, tunc dicitur fuisse efficax, hoc est, actu efficiens, & obtinens consensum. Vt si aliquod medicamentum dicatur efficax, quando habet effectum: sufficiens tantùm, quando non habet, vitio corporis, cui applicatur.

40. Sic autem explicata hæc distinctio gratiæ in sufficientem, & efficacem, non plus habet difficultatis, aut monstrositatis; quàm si quis diceret, orationum, quibus quotidie pauperes eleemosynam petunt à diuitibus, aliquas esse efficaces; id est, quæ reipsa obtinent: alias tantùm sufficientes, id est, quæ non obtinent, quamuis æquè possint obtinere, neque differant quoad vim impetrandi, sed quoad euentum; cùm aliæ pares, imò etiam minùs humiles, & supplices, interdum obtineant: atque illæ ipsæ iisdem planè verbis, & eodem modo propositæ, sæpe impetrent: sed tunc cùm impetrant, dicuntur efficaces. Quid autem mirum, si gratiæ illæ, vel orationes, quæ præsupponuntur non obtinere effectum, & inde dicuntur sufficientes tantùm, quia non obtinent, atque tunc solùm, quando non obtinent; nunquam effectum obtineant? id est, si non fiat id, quod præsupponitur non fieri? Quid, inquam, mirum est dicere, gratiam sufficientem tantùm, nunquam obtinere consensum; quandoquidem supponitur non obtinere; & tunc sufficiens tantùm dicitur, quando non obtinet consensum, quem postulat à nostra voluntate; quémve si obtineret vocaretur efficax, sicut in exemplo allato; illa pauperum oratio dicitur sufficiens tantùm, quæ, & quando ita diuiti fit, vt ab illo consensum, & eleemosynam minimè impetret.

Sciebat aduersarius Molinam, Lessium, & plerosque alios Societatis Iesu Theologos ita sentire de gratia sufficiente, quàm quoad actum primum, & vim efficiendi, dicunt non differre ab efficaci, neque specie, neque numero, neque quantitate vel qualitate: sed eandem denominari efficacem, vel sufficientem, ab euentu, siue solo, vt volunt aliqui; siue vt alij, iunctâ Dei præscientiâ, & complacentiâ de euentu sub conditione futuro. Sed maluit hoc dissimulare: quia quod iure opponeret, non habuit. 41.
Cætera quæ addit, gratiam scilicet, iuxta doctrinam Augustini, à nullo duro corde respui; & Deum ita docere, vt non tantùm sciatur, sed fiat quod agendum esse docet; & nullam peruicaciam voluntatis impedire, efficaciam gratiæ: hæc inquam omnia exposita fuerunt disp. præcedenti sect. 13. vbi demonstrauimus, locis illis, & similibus Augustinum loqui de gratia congrua, seu efficaci, vt tali, quæ semper obtinet effectum, & à nullo respuitur; & quâ datâ, semper fit quod per eam suadetur; & voluntatis peruicacia frangitur: quia datur eo modo, & in his circumstantiis, in quibus præuidetur infallibiter habitura esse effectum à Deo intentum. Sed quòd præter eiusmodi gratiam detur alia sufficiens, cui tamen resistitur, & negatur consensus, docet idem Augustinus locis relatis sect. 3. num. 18.





DISPVTATIO XXIV.

Vtrum gratia sufficiens data fuerit in statu legis naturæ, & legis Mosaïcæ?

SECTIO PRIMA.

Refertur sententia negans Lutheri, Caluini, & Iansenij.

1. 
SVFFICERE poterant quæ de quæstione proposita diximus disput. 21. sect. 6. & sequentibus, vbi Scripturæ & Patrum testimoniis ostendimus non defuisse hominibus sub lege viuentibus auxilium sufficiens ad illam seruandam. Quia tamen Iansenio placuit hanc quæstionem iterum agitandam proponere cap. 5. & quatuor sequentibus libri 3. de Gratia Christi Saluatoris, insistemus eius vestigiis, & quæ de nouo proponit examinabimus.

2. *Negant Lutherus & Caluinus.* Gratiam igitur sufficientem ad legem seruandam non fuisse datam communiter hominibus sub lege viuentibus, atque etiam nunc multis negari, fusè docet Lutherus in Commentario epistolæ ad Galat. cap. 3. vbi inter alia sic ait: *Lex spiritualiter ostendit nobis peccatum, perterrefacit, & humiliat; atque is totus & proprius legis vsus est.* Et c. 5. *Quo plus conantur homines satisfacere legi, hoc magis transgrediuntur,* quia scilicet carent gratiâ sufficienti, vt illi satisfaciant. Et tom. 3. præfat. in vetus Testamentum, *Dicimus legem bonam, & vtilem, sed in bono vsu, scilicet ad reuelandas, & augendas spirituales transgressiones.* Idem quoque docet Caluinus lib. 2. Institut. cap. 7. num. 6. & seqq. vbi affirmat *officium vsúmque legis esse primò, vt dum iustitiam Dei ostendit, id est, quæ sola Deo accepta est, sua vnumquemque iniustitia admoneat, certiorem faciat, conuincat, & condemnet &c. sicque legis magisterio eruditus, exuat illam, quâ priùs caecutierat, arrogantiam.* Nimirum quia, vt ait paulò pòst, *lex instar est speculi cuiusdam, in quo nostram impotentiam, tum ex hac iniquitatem, postremò ex vtraque maledictionem contemplamur, &c. Quem enim ad sequendam iustitiam destituit facultas,* (defectu gratiæ sufficientis) *hic in luto peccatorum haereat defixus necesse est; peccatum continuò maledictio sequitur: ideò quò maioris transgressionis deprehensos conuictósque lex tenet, eò grauioris simul iudicij reos agit.* Ad quod confirmandum adducit illud Apostoli 1 *Per legem cognitio peccati: &, lex subintrauit vt abundaret delictum: Et, lex iram operatur:* & illud Augustini lib. de Corrept. & gratia, *Quia si desit spiritus gratia, lex in hoc tantùm adest vt reos faciat, & occidat.* Quibus & similibus locis Iansenius quoque abutitur.

3. *Negat similiter Iansenius.* Eadem enim est sententia Iansenij libro 3. de Gratia Christi Saluatoris cap. 5. & quatuor sequentibus, vbi docet primò cit. c. 5. siue Iudæis, siue Christianis multis legem iubentem sine gratiæ adiutorio datam à Deo fuisse, & etiam nunc dari. Probátque illis Augustini testimoniis, quibus affirmat legem, præcepta, doctrinam sine gratia non tantùm nihil iuuare, sed præuaricationis reum facere: literam si sine spiritu adiuuante fuerit, non tantùm nihil prodesse, sed etiam occidere, epist. 107. ad Vitalem, & lib. de spirit. & lit. cap. 4. 5. & 15. & lib. 1. de Gratia Christi cap. 8. & lib. de Gratia & libero arbitrio capite quarto & 10. & libro 2. Operis imperfect. fol. 449. quæ eadem loca protulerat ad eundem finem lib. 1. de Gratia Christi Saluatoris cap. 7. & sequentibus.

Sed quia responderi facilè potest, D. Augustinum loqui conditionatè, *si desit gratia*, quam conditionem sæpius exprimit iisdem locis: huic responsioni occurrens, addit eum non loqui de casu metaphysico, & nunquam contingente, sed de eo quod reipsa fit, quódque Apostolus Iudæis accidisse affirmat, & in quotidianâ conuersatione contingeret: vt etiam asserit Augustinus epist. 107. ad Vitalem, sic dicens: *Agnoscamus gratiam quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Ibidémque id probat exemplo quorumdam, & ipsius Apostoli, qui de seipso, nondum sub gratia constituto, dicebat: *Peccatum non cognoui nisi per legem. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam:* absente videlicet gratiâ. Quinetiam idem S. Doctor, pluribus locis, absolutè & sine vlla conditione docet homines reipsâ gratiæ adiutorio, quod ad implendam legem necessarium est, caruisse: ideóque sæuiente concupiscentiâ non nisi sub præuaricatione iacuisse reos: vt serm. 6. de verbis Apostoli cap. 7. *Lex enim iubebat*, inquit, *& non implebatur: quia caro, vbi non erat gratia, inuictissimè resistebat.* Et serm. 3. de verbis Apostoli cap. 10. *Vis videre quid valeat sine spiritu adiuuante litera iubens? Virtus peccati lex, quia subintrauit*, inquit, *lex vt abundaret delictum. Quia vbi gratia non erat, auxit prohibitio desiderium, & cùm quasi de propria præsumitur virtute, factum est grande vitium.* Similia dicit in Psalmum 106. & libro decimo-quinto contra Faustum capite octauo, & libro decimo-nono contra eundem capite septimo, & Tract. 17. in Ioan. aliísque locis à Iansenio relatis. 4. *Probat ex Augustino.*

Eòdem pertinet (inquit) quòd Augustinus distinguit tres status tum vniuersi generis humani, tum etiam singulorum hominum. Vnum ante legem, in quo est profunda legis, agendarúmque rerum ignorantia: Alterum sub lege, in quo est scientia legis, & transgressio, eò quòd nullo gratiæ auxilio infirmitas adiuuetur: Tertium sub gratia, in quo datur auxilium, cuius ope lex seruetur, & vincatur concupiscentia. Quem secundum statum exprimit libro de Gratia, & libero arbitrio capite duodecimo. *Sub lege erant* (inquit de Iudæis) *non sub gratia, & ideò eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratiâ.* Tertium verò, cùm addit consequenter, *Propter quod alibi dicit:* (Apostolus) *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia. Non quia lex mala est, sed quia sub illa sunt, quos reos facit iubendo, non adiuuando: Gratia quippe* 5. *Altera eius probatio ex quadruplici hominum statu.*

adiuuat, vt legis quisque sit factor: sine qua gratia sub lege positus, tantummodo erit legis auditor. Et in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Roman. num. 13. affirmat secundùm hunc statum etiam nunc locum habere in Christianis, sic dicens: *Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse, quæ facimus; & fatendo mala esse, vtique nolumus facere: sed quia nondum est gratia, superamur.* Itaque nunc etiam inter Christianos sunt quibus idem, quod Iudæis communiter, contingit; quia Deus vel propter eorum peccata, maximéque superbiam, vel etiam cùm ad ipsam gratiam agnoscendam, & inuocandam instruendi sunt, subintrat præceptum, vt abundet delictum, & fit eis virtus peccati lex, dum gratia ad legem implendam adiuuans subtrahitur ac differtur: vt idem Sanctus Doctor confirmat conc. in Psal. 105. & libro secundo de peccatorum meritis, & remission. capite 17. & 19. Tantùm verò abest gratiam sufficientem ad legem seruandam datam esse Iudæis; vt potiùs id directè repugnet eius scopo: quippe quæ dabatur vt agnoscerent homines suam infirmitatem, peccatorum multiplicatione, quâ contriti, & humiliati, cogerentur gratiæ necessitatem agnoscere, & Christum eius auctorem desiderare. Legislatio enim illum habebat scopum, vt insonante præcepto, ac terribiliter pœnas nisi hoc facerent comminante, gratiæ necessitatem ipsa gratiæ adiuuantis subtractione docerentur, vt ait idem Sanctus Doctor eodem libro expositionum numero 30. & 49. & serm. 13. de verbis Apostoli capite secundo, & epist. 144. ad Anastasium, & libro secundo contra aduers. legis, & Prophetarum capite 7. Ac ne quidem vel Iudæis suppetebat, vel etiam nunc datur eiusmodi Christianis auxilium, quo sicut oportet orare possint ad impetrandam gratiam sufficientem: sed multis, etiam Christianis, non solùm carnalibus, sed & spiritualibus gratia talis sufficiens ad id faciendum quod iubetur, frequenter subtrahitur, atque ita subtrahitur, vt nec pro tali gratia adipiscenda deprecandi similis sufficiens gratia habeatur.

6. *Vult eam scopo legis repugnasse.* Addit eodem c. 5. non gratiâ tantùm sufficiente, sed etiam efficaci fuisse tunc destitutos pæne omnes Iudæos; cùm ait, sub lege positos nullum adiutorium bene viuendi præter legem accepisse: id est, nullam gratiam Christi propriè dictam, neque sufficientem, neque efficacem: & hoc locum habuisse in omnibus Iudæis, exceptis perpaucis: illis videlicet paucis, qui gratiam efficacem acceperunt ad bene operandum, & salutem æternam consequendam. Eiusdémque capitis titulus hic est: *Iudæis lex data est, & plurimis Christianis præcepta dantur sine vlla gratia sufficiente, aut adiuuante. Probatur hoc multis modis: & ostenditur illam gratiam repugnasse scopo legis.* Præcipua verò illius probatio hæc est, quam breuiter colligit post medium eiusdem capitis: quia duplex erat scopus illius legis. Vnus & præcipuus erat, non vt per gratiam impletioni sufficientem, quæ simul data fuerit, impleretur: sed è contrario, vt per defectum gratiæ sufficientis, & secutas inde præuaricationes, cognosceret homo suam infirmitatem, & impotentiam implendi legem, atque ita fastus eius detumesceret. Huic autem scopo nihil repugnat magis, quàm vt sufficienti potestate, quæ per adiutorium suppetat, homo se munitum esse experiatur. Nam potiùs congruit, imò necessarium est ad illum finem, vt omni gratiâ nudatus, viribus propriæ voluntatis relinquatur. Hoc enim nisi fiat, vires gratiæ suas esse sine dubio arbitrabitur, & illi errori altiùs implicabitur, quem ei Deus per præuaricationes ereptum esse cupit. Alter scopus erat, vt tantâ impletionis difficultate, tantâque præuaricationum copiâ, sufficientis potestatis ac gratiæ largitorem agnoscere, & implorare doceretur. Huic autem nihil minùs conuenit, quàm ante præuaricationes sufficientem gratiam implendi legem attribuere. Nam præterquam quòd etiam sic sufficientes illas, quas experitur, vires, non medici donum, sed suæ sanitatis robur esse existimabit: Deus ipse gratiam illam statim cum lege largiendo, sibi ipsi repugnabit. Nam si quis verbis alicui diceret, Quia non sufficis implere, quod iubeo, ora pro gratia, quâ sufficias: stultus esse profectò crederetur, si iam ei potestatem, quâ sufficeret, donauisset. Legem verò tam difficilem dando, non verbis, sed factis, idem omnino dicit Deus. Cui facto suo contradicit, si gratiam implendæ legi sufficientem, ad quam implorandam erudit præuaricatorem legis, iam ipsâ legislatione donauerit. Hæc ille: cuius ratiocinatio, si quid valet, probat omnem veram Christi gratiam, tam sufficientem, quàm efficacem, negatam fuisse Iudæis, & repugnâsse fini legis Mosaïcæ. Déque lege naturæ, & toto statu generis humani à lapsu Adæ vsque ad legem Euangelicam, idem affirmat eodem libro tertio de Gratia Christi capite vndecimo. Nimirum, quia etiam tunc debebant homines cognoscere suam infirmitatem, & indigentiam gratiæ, vt illam, eiúsque auctorem Christum desiderarent, eorúmque superbia per frequentes præuaricationes legis naturæ frangeretur.

Docet secundò capite sexto eiusdem libri tertij, eos qui dicunt gratiam sufficientem non defuisse Iudæis, ignorare scopum legis illius Mosaïcæ: qui fuit vt per bonorum temporalium promissiones docerentur illa à Deo quærere, & à cultu Idolorum retraherentur. Hoc enim Testamentum, in quo sola terrena promitterentur, congruis hominibus dedit, hoc est, carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces, nondum possent ad ea magnipendenda, ac diligenda traduci: idque non ea de causa, vt per huiusmodi Testamenti promissiones, & obseruationem, eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur; sed ne res illas, quas carnali vitiosóque amore diligebant, à dæmonibus quærerent. Ex quo fiebat vt lex illa potiùs quasi auocaret à sincero Dei amore, qui placens Deo, solus perducit ad Deum. Ideóque non veretur August. in Psal. 79. dicere quòd *Vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere ne gratis colatur Deus, sed quia aliquid dat in terra:* quod non est Deum ipsum sed terrena diligere. Hinc etiam fiebat vt Synagoga, considerata vt Synagoga, non esset aliud, quàm terreni populi turba, homi- 7. *Qualem eius scopum fuisse velit?*

númque carnalium congregatio, solis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa sola colentium vnum Deum: quod valde vitiosum est, puritatíque cælesti regno adipiscendo necessariæ ex diametro contrarium. Si autem aliqui aliter Deum colebant, vt Prophetæ, & alij viri sancti: illi non sub lege, sed sub gratia, non filij veteris Testamenti, sed noui hæredes fuerunt. Et quia Testamentum vetus propriè in illis præceptis vitæ, quatenus in tabulis scribebantur, & in illis externis ritibus diuini cultus, rerúmque terrenarum præmiis earum obseruationi promissis, constitutum erat: quæ omnia rerum futurarum erant præfiguratiua documenta: profectò nihil aliud fuit nisi magna quædam comœdia, quæ non tam propter seipsam, quàm propter id, cui præfigurando seruiebat, hoc est, propter Testamentum nouum, eiúsque principem, & hæredem Ecclesiam, ab illa gente, tanquam ad hoc idoneâ, ageretur.

8. *Ex eo infert Iudæos suff. gratia caruisse.* Docet 3. cap. 7. Ex hac veteris Testamenti natura, & statu Synagogæ, colligendum esse quid de gratia sufficiente respectu illius sentiendum sit. Quippe quod licèt temporalia bona promittendo, tacitè innueret æterna quoque à Deo esse petenda: hoc ipsum tamen quod insinuabat docendo, non præstabat largiendo, nec vllam omnino ad id præstandum gratiam dabat, sed animos in eadem terreni amoris glacie fixos, obduratósque relinquebat: neque etiam dabat maiorem facilitatem seruandi Dei præcepta: hoc enim proprium est noui Testamenti, vt tollat veteris amorem circa res temporales, & infundat amorem caritatis, sine quo impossibile est non modò totam legem, sed neque vllum eius præceptum seruare. Quamdiu enim animus non erigitur ad ipsam æquitatem præcepti diligendam, nullo modo ipsum præceptum facit aut diligit, sed aliud quod intuetur: & tandiu concupiscentia, hoc est, cupiditas assequendi, aut timor amittendi alicuius commodi temporalis animo dominatur. Et qui ex tali motiuo præceptum facit, illud inuitus facit; ideóque potiùs ex transgressa lege reus est, quàm ex obseruata laudandus, quamuis exteriùs eam obseruasse videatur. Etenim dicit Augustinus epistola 144. *Tantùm quisque peccatum odit, quantum iustitiam diligit: quod non poterit lege terrente per literam, sed spiritu sanante per gratiam.* Et in Psal. 32. *Implebis amore* (nempe iustitiæ) *quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit male, mallet facere si liceret. Itaque etsi facultas non datur, voluntas tenetur.*

9. *Nec habuisse nisi impedientem.* Docet quartò cap. 8. non obstare supradictis quòd vetus Testamentum per suas obseruationes, sacrificia, & alia in eo statuta, esset figura Christi auctoris gratiæ, & bonorũ spiritualium. Nam hoc ita esse pauci intelligebant, & pauciores bona illa diligebant, plurimi verò bonis terrenis & carnalibus, in eo promissis adhærebant, nihil cogitantes de spiritualibus; neque Christum Deum fore credebant, sed purum hominem; neque pro liberatione spirituali à seruitute peccati venturum, sed pro temporali ab oppressione Gentium, expectabant. Quapropter qui tam carnali fide, & crassâ spe in Christum credebant, venturúmque sperabant; quid mirum, si & spiritualem eius gratiam tanquam ad bene viuendum necessariam prorsus ignorauerint? Imò verò quid illis opus gratiâ, qui non nisi carnalia seruatæ legis præmia sperantes, nullam legis obseruationem, nisi quæ ex eiusmodi bonorum desiderio flueret, poterant suspicari? Ex quibus omnibus satis liquere putat Iansenius id, quod in titulo eiusdem cap. 8. probandum sibi proposuerat, *Statum veteris Testamenti figuratiuum, & propheticum, non attulisse Iudæis gratiam sufficientem, sed potius impedientem.*

Docet quintò cap. 9. quæ hactenus dixit de Iudæis, intelligenda esse de filiis, & hæredibus veteris Testamenti, non autem de dispensatoribus ac gestoribus. Erant enim inter Iudæos quidam gestores tantùm & dispensatores, qui tempore veteris Testamenti viuentes, figuratiua eius præcepta promissáque non spernentes, in eis, tanquam in signis quibusdam prophetantibus, intelligebant, atque expectabant nouum: qui licèt promissam sibi terrenam felicitatem viderent, non tamen propter illam suscipiebant, custodiebántque legem Dei; sed propter cælestem, quam in illa figuratam credebant. Filij verò, & hæredes erant illi, qui propter terrena suscipiebant legem Dei, vt ait Augustinus libro de Gestis Pelagij capite quinto, quíque terrena tantummodo expectantes à Deo non fuerunt admissi ad hæreditatem cælestis patrimonij, vt idem ait in epist. ad Galat. & solâ lege, tanquam Testamenti illius adiutorio, contenti, bonis terrenis sibi promissis inhiantes, bene sibi viuere videbantur, intus in voluntate grauium peccatorum rei. Qui denique nihil in illo, & cum illo Testamento, nisi literam iubentem ac minantem, figuras obscurè significantes, quas non intelligerent, carnalésque promissiones acceperunt, dilexerunt, & expectarunt. Et quia natura Testamenti illius, ac status populi, & conditio temporis illius, talis fuit; hinc penè omnes in ista carnalitatis obscuritate crassitiéque versabantur: exceptis scilicet paucis, qui ad nouum Testamentum pertinentes, gratiæ illius participes fuerunt. Indéque factum est vt Testamentum vetus paruæ fuerit veteribus vtilitatis; magísque Christianis, quibus illa multiplicia signa reuelata sunt, quàm Iudæis profuerit. Quapropter Diuus Augustinus in Psal. 143. Sacramenta visibilia, in armis Dauid significata, vocat *arma prementia, non adiuuantia*: ipsósque libros Moysis, quibus totum illud Testamentum continebatur, vocat *lapides inutiles*, ipsámque legem *inutilem*. Eandémque ob causam idem Sanctus Doctor perseueranter affirmat, gratiam Dei, & adiuuantem spiritum sub veteri Testamento defuisse. Nam paucissimorum illorum in tanta carnalium turba, quæ propriè ad vetus Testamentum sola pertinebat, nulla fuit habenda ratio. 10. *Distinctio Iudæorum in hæredes, & gestores Testamenti.*

Docet vltimò eodem capite 9. gratiam sufficientem, qualem prædicant Neoterici, pertinere ad legem, vel naturam, aut sub ea comprehendi. Ad naturam quidem: quia, vt illi dicunt, non potest subtrahi naturæ rationali saluo iudicio rationis, & vsu libertatis. Ad legem verò, quia quidquid Apostolus, & Augustinus legi tribuunt, quando est sine vera gratia Christi, (id est, necessitante) hoc competit legi cum illa gratia sufficienti Scholasticorum; 11. *Vult gratiã suffic. pertinere ad legem.*

nimirum quòd virtus peccati sit lex, quòd litera occidat, quòd faciat abundare peccatum, & iram operetur, & per legem sit cognitio, non euictio peccati, & operetur omnem concupiscentiam, & concludat omnia sub peccato, & sit ministratio mortis, & damnationis. Hæc enim omnia, & similia quæ dicit Apostolus, lex cum tali gratia sufficiente facit; auget etiam peccandi desiderium, peiores doctrinę efficit inimicos, nihil ex ea bene fit, tantummodo legis auditorem facit, ostendit peccata non sanat, non prodest sed obest, frustra sonat auribus, & denique ad hoc tantùm valet vt prępuaricationis reum faciat, vt de lege sine vera Christi gratia pluribus locis affirmat Augustinus. Idque eo magis fatendum est Scholasticis, quòd secundùm illos, gratia sufficiens necessaria est, vt lex effectus supradictos habere possit. Quippe qui putant transgressores legis non fore culpæ reos, nisi haberent gratiam sufficientem quâ possint illam seruare.

SECTIO II.

Proponitur vera sententia, & probatur ex Scriptura, & Patribus.

12. *Probatur ex Scriptura.* CONTRARIA sententia, quòd scilicet hominibus sub lege Mosaïca viuentibus adfuerit gratia sufficiens, quâ possent eam seruare, tam certò habetur ex sacris literis, & constanti doctrina Sanctorum Patrum, vt sine errore negari non possit. Primò enim id perspicuè docetur Deuteron. 30. versu vndecimo & seqq. *Mandatum quod ego præcipio tibi non supra te &c.* Et Isaiæ 5. ver. 4. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci: &c.* & Ezechiel. 18. ver. 23. *Quare moriemini domus Israël? &c.* Et Oseæ 13. ver. 9. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum:* & Matth. 23. ver. 37. *Ierusalem quæ occidis prophetas, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* & Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis. Sicut patres vestri, ita & vos.* Quæ omnia loca retulimus & expendimus disput. 21. sect. 4. numero 31. & seqq. probauimúsque vera esse non posse, nisi supponant non defuisse Iudæis gratiam, quâ mandatum fieret illis possibile, & non supra ipsorum vires à Deo adiutas, quâve possent ferre fructus bonorum operum, & mortem vitare, ac perditionem, & prophetis obedire, Christóque aggregari, & Spiritui sancto non resistere.

13. *Et ex Patribus.* Secundò, idem perspicuè docent communi consensu Patres Græci, æquè ac Latini, affirmantes legem eo fine datam fuisse Iudæis, non vt abundaret, sed vt minueretur, & medio tolleretur delictum, vt ait Chrysost. homil. 10. in epist. ad Rom. & vt ne iniustè & impiè viuerent, vt ait Iustin. Martyr. in Dialog. cum Tryphone: vt per ea quæ erant corporalia, animam erudiret, & velut per vinculum attraheret eam ad obedientiam præceptorum, vt Irenæus lib. 4. aduersus hæres. cap. 27. & vt esset in auxilium legitimè vtentibus, quemadmodum affirmat August. epist. 39. & fuisse instar pædagogi datam populo Iudaïco, vt eum erudiret simul, & pronum in vitia cohiberet ac refrænaret, inquit Hieronym. in caput 3. ad Galat. & veluti medicamentum ad sanandos eius morbos, inquit Ambrosius lib. 1. de Iacob, & vita beata, cap. 4. & denique datam fuisse ad conuersionem, & emendationem prauitatis, inquit Dorotheus in doctrina prima. Quæ omnia loca retulimus disput. 21. sect. 6. num. 47. & sequentibus. Ex illis autem manifestè sequitur non defuisse Iudæis gratiam, quâ possent legem seruare. Nam alioquin frustra Deus, & insipienter (quod absit) intendisset vt lex illa peccatum minueret, & tolleret, impediréque ne Iudæi impiè & iniustè viuerent, & per eam quasi vinculum attraherentur ad obedientiam, & cohiberet à vitiis, morbísque animi mederetur, ac denique iuuaret ad conuersionem, & emendationem prauitatis. Hæc inquam omnia frustra Deus intendisset, si gratiam negasset Iudæis, sine qua erat impossibile vt lex ad hos fines prodesset.

Eòdem pertinet quod ait Augustinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. *Quis Catholicus dicat quod nos dicere iactitant* (Pelagiani) *Spiritum sanctum adiutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse?* Et quod ait lib. 1. ad Simplician. quæst. 1. *Hoc vnum restare libero arbitrio, non vt impleat homo iustitiam cùm voluerit* (etiamsi legem acceperit) *sed vt se supplici pietate conuertat in Deum, cuius dono eam possit implere.* Et serm. 13. de verbis Apostoli cap. 5. *Legem bonam esse, si quis eâ legitimè vtatur:* legitimè autem vti lege, esse per legem agnoscere morbum suum, & quærere ad sanitatem diuinum adiutorium: quod frustra quæreretur nisi paratum esset, neque Deus vellet illud suppeditare, & alia multa his similia, quæ ex eodem S. Doctore, & ex eius discipulis Prospero & Fulgentio retulimus & ponderauimus disput. cit. sect. 7. numero 54. & sequentibus. Quibus adde Cyrillum Alexandrinum in Isaiam, idem perspicuè affirmantem circa illud capitis 5. *Quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ &c.* vbi Deum ita loquentem inducit paraphrasticè: *Si enim rerum ad vsum, & vtilitatem necessariarum quippiam à me, qui plantaueram, fortè prætermissum fuerit: causæ nihil dicam, neque pœnas exigam &c. Cùm verò rebus eam vtilibus plenam, nulliúsque rei indigam fecerim, etiam spinas pariat &c. num igitur inertem, num desidiosum agricolam dicet? An potiùs illos accusabit, qui tantâ sollicitudine curati à me, adeo fertilitatem suam neglexerunt?* Itaque non defuit illis gratia interna sufficiens, & motio illa cælestis, sine qua fructum bonorum operum ferre non poterant, nec quicquam nisi spinas parere. 14. *Speciatímque ex Augustino.*

Quinetiam Sancti Patres affirmant non solùm in lege Mosaïca, sed antea quoque viuentibus sub lege naturæ non defuisse auxilium, quo possent eius præcepta seruare: vt Clemens Romanus epist. 3. de officio Sacerdotis circa medium sic dicens: *Ab initio duo regna statuit Deus: & potestatem dedit vnicuique hominum, vt illius regni fiat portio, cui se ad obediendum ipse subiecerit.* Non dedisset ab initio hanc potestatem, si toto tempore legis naturæ, & legis Mosaïcæ, hoc est, quatuor circiter annorum millibus, negasset hominibus gratiam necessariam, vt se Dei regno possent subiicere, eíque obedire. Et Chrysost. hom. 7. in Ioannem circa illa verba, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* vbi docet 15. *Gratia sufficiens non deficit in lege naturæ.*

Verbum diuinum ante incarnationem, gratiæ suæ luce omnes illustrâsse: his verbis, *illuminat profectò quantum in ipso est &c. Gratia in omnes diffusa est. Non Iudæum, non Græcum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non seruum, non virum, non mulierem, non senem, non iuuenem excipit, aut dedignatur &c. Qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent. Cùm enim omnibus aditus pateat, & à nemine prohibeatur; perditi quidam, & nequam homines, propria duntaxat malitia ingredi recusant.* Et homil. 16. in epist. ad Rom. dicit, quòd aliqui sint, & semper olim fuerint vasa iræ, alij vasa misericordiæ, ex propriâ ipsorum voluntate fieri. *Deus enim, quoniam vehementer bonus est, erga vtrosque bonitatem suam declarat. Nec eorum tantummodo, quos saluauit, sed &, quantum in se fuit, Pharaonis misertus est. Quòd autem saluatus non est, totum per suam ipsius voluntatem sterit: ita vt quantum ad Deum attinebat, nihil ab illis, qui saluati sunt, minus habuerit.*

16. *Confirmatur ex August. & Prospero.* Idem de viuentibus tempore legis naturæ ostendit Augustinus exemplo Esaü, libro 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Noluit Esau*, inquit, *& non cucurrit: sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Itaque illi non defuit gratia sufficiens, qua posset velle, & currere: & cum qua voluisset & cucurrisset reipsa, nisi Dei vocationem contempsisset, gratiæque sibi oblatæ defuisset. Et libro de Prædest. & gratia capite 15. idem affirmat de Pharaone, causamque illius perditionis hanc vnam fuisse dicit, quia *libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnauit arbitrio.* Idem quoque docet Prosper Augustini discipulus libro 2. de vocat. Gent. capite 5. dicens gratiam Dei necessariam ad bene viuendum, etsi parcior ante legem Euangelicam, atque occultior fuerit; nullis tamen sæculis negatam fuisse. Et c. 15. affirmat non defuisse Caino, vt ab illo impietatis furore resipisceret: idque colligit ex Dei verbis ad Caïnum, Genes. 4. *Cur iratus es? &c. Sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, vnde debuit esse correctior.* Et cap. 31. *Elaboratum est*, inquit, *quantum Dominus adiuuit, vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, prouidentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diuersâque mensura.* Itaque etiam in lege Mosaïca, & in statu legis naturæ, non defuit hominibus gratia sufficiens, & necessaria, ex sententia Prosperi.

17. *Et ex D. Thoma.* Eadem est communissima Theologorum doctrina, vt fatetur aduersarius. Instar omnium erit D. Thomas, qui inter Patres quoque & Doctores Ecclesiæ locum tenet: ille igitur 1. 2. quæst. 98. articulo 2. ad 4. proposito sibi hoc argumento, Deus vult omnes homines saluos fieri. Sed lex vetus non sufficiebat ad salutem. Ergo non pertinebat ad Deum talem legem dare. Respondet hunc in modum: *Quamuis lex vetus non sufficiebat ad saluandos homines; tamen aderat aliud auxilium, à Deo hominibus simul cum lege datum, per quod saluari poterant: scilicet fides Mediatoris, per quam iustificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos iustificamur. Et sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia.* Et articulo 5. eiusdem quæst. in c. dicit *Legem veterem datam esse populo Iudæorum, vt quandam prærogatiuam sanctitatis obtineret, propter reuerentiam Christi, qui ex illo nasciturus erat.* Decebat enim vt ille populus, ex quo Christus nasceretur, quadam spirituali sanctitate polleret. Non deerat igitur gratia sufficiens vt talem sanctitatem acquireret & finem à Deo intentum assequeretur. Et in solutione tertij argumenti addit, non modò Iudæos, obseruando legem naturalem (quod sine gratiæ auxilio facere non valebant) salutem consequi potuisse: verùm etiam Gentiles, seruando legem naturalem eum eodem auxilio: sed quia difficilius id illis erat, idcirco statuerat Deus vt si vellent, admitterentur ad obseruationem legis Mosaïcæ, per quam securiùs & perfectiùs salutem consequerentur. *Dicendum*, inquit, *quòd Gentiles perfectiùs & securius salutem consequebantur sub obseruantiis legis, quàm sub sola lege naturali: & ideo ad eas admittebantur.*

Et sequenti quæst. 99. articulo 2. in c. dicit legem veterem continuisse præcepta moralia, Non occides, Non furtum facies, &c. ideo quia sicut *intentio principalis legis humanæ est vt faciat amicitiam hominum ad inuicem: ita intentio diuinæ legis est vt constituat principaliter amicitiam hominis ad Deum. Cùm autem similitudo sit ratio amoris, secundùm illud Eccles. Omne animal diligit sibi simile; impossibile est esse amicitiam hominis ad Deum, qui est optimus, nisi homines efficiantur boni. Vnde dicitur Leuitici 19. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Bonitas autem hominis est virtus, quæ facit bonum habentem. Et ideo oportuit præcepta legis veteris etiam de actibus virtutum dari. Et hæc sunt moralia legis præcepta.* 18. Si autem volebat vt boni & sancti essent, eòque fine legem illis dederat: consequens erat vt daret simul cum lege auxilia gratiæ necessaria vt possent tales euadere: ne alioquì Deus finem intenderet impossibilem, quod nullus sapiens facit.

SECTIO III.

Eadem sententia confirmatur ratione Theologica.

His Scripturæ, & Patrum testimoniis accedit tertiò ratio Theologica vel ipso naturali lumine manifesta. 19. *Deus non iubet impossibilia.* Cùm enim Deus homines obligauerit ad seruandam legem naturalem tempore status legis naturæ; & Mosaïcam tempore status legis Mosaïcæ: neque tantùm exprobrauerit transgressionem, sed & grauibus pœnis temporalibus & æternis in transgredientes animaduerterit: absurdissimum est existimare destituisse illos auxiliis ad seruandum necessariis, sine quibus præcepta erant impossibilia: & non obseruantes reprehendisse grauiter, æternisque pœnis mulctâsse, quia non fecerunt quod illis erat impossibile. Vt enim rectè ait D. August. libro de fide contra Manichæos capite 10. *Quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere?* Et lib. de natura & gratia capite 43. *Deus impossibilia non iubet: sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non*

possis. Quæ verba ex eo desumpsit Trident. sess. 6. cap. 11. addens, *& adiuuat vt possis*. Et cap. 69. eiusdem libri, *Firmissimè creditur*, inquit, *Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere*. Et Hieronym. libro 3. aduersus Pelag. *Deus possibilia mandauit. Hoc nulli dubium est*. Et Basilius in regulis breuioribus, respons. 176. *Sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus, & iustus est; nisi etiam facultatem, quâ id faceremus, esset largitus*. Et denique Tertull. libro secundo contra Marcion. capite quinto. *Hunc statum eius*, inquit (liberæ scilicet potestatis implendi Dei præcepta) *confirmauit etiam ipsa lex tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus Creatoris inuenias, proponentis ante hominem bonum, & malum; vitam, & mortem*: nimirum Deuter. 30. ver. 15. & 19. Quare meritò Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. in Bullis contra Baium, & Iansenium, damnarunt hanc propositionem numero 51. *Definitiua hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit*.

10. *Absurda responsio Iansenij.* Quod autem respondet aduersarius tom. 3. libro tertio capite decimo-quarto post Caluinum libro secundo Instit. capite quinto numero primo, & in Antidoto Tridentini ad caput 11. sess. 6. aliisque locis, Bezam lib. de æterna Dei Prædestinat. pag. 415. Chamier. tom 3. libro 3. capite secundo, Petrum Molin. in Clypeo fidei ad articulum nonum. Posse nihilominus iustè inobseruantiam mandatorum imputari hominibus ad culpam, & ad pœnam, licèt destitutis gratiâ sufficienti, & necessariâ ad seruandum: quia impotentia seruandi orta est ex peccato originali: absurdissimum est. Nam si rex, verbi gratia, nobilem aliquem, ob crimen læsæ maiestatis ab eo commissum, bonis omnibus spoliasset, & ad extremam paupertatem redegisset, atque in illa egestate relinquens præciperet nihilominus vt in belli sumptus centum millia aureorum quotannis suppeditaret; ac nisi faceret, grauibus eum suppliciis, vel morte ipsâ puniret, quia non suppeditat quod non potest: quis non diceret regem illum supra modum crudeliter sæuire, vel potiùs insanire: quamuis eiusmodi impotentia ex peccato non originali duntaxat, sed actuali, & propriâ voluntate contracto orta sit? Possúntne igitur homines sanæ mentis existimare Deum hominibus, per culpam primi parentis spoliatis potentiâ implendi mandata, præcipere nihilominus vt ea impleant, relinquendo illos in eiusmodi impotentia, neque suppeditando gratiam sufficientem cum qua implere possint: & quia non implent, flammis eos æternis addicere, sicut reipsa non implentes addicit? Atque hæc absurditas magis patet, si supponamus peccatum originale fuisse illis remissum, sicut verè remittebatur in lege naturæ & Mosaïca per circumcisionem, vel aliud remedium: vt nunc fit in lege Euangelica per Baptismum. Nam si seruus aliquis contra domini sui præceptum scalam ascendisset, atque inde cadens suâ culpâ, crura sibi fregisset; posteáque tamen culpæ, & inobedientiæ veniam obtinuisset: possétne dominus illi præcipere vt curreret, vel vt rectè incederet: & si non facit, grauiter in eum animaduertere? Quis non diceret eum vel insanire, vel culpam præteritam nón nisi fictè condonasse, propter quam solam potest habere ius seruum illum puniendi, eò quòd culpabiliter se impotentem reddiderit ad præstanda obsequia sibi debita?

Confirmatur, quia, sicut Deus homini dederat statum integritatis, & iustitiæ originalis, cum qua poterat seruare mandata: ita & donum immortalitatis: & vtroque, propter peccatum, Adam cum sua posteritate priuatus est. 21.
Sicut ergo Deus, relinquens hominem in statu huius priuationis, non potest illi præcipere vt nunquam moriatur, eúmque grauiter punire, quia moritur, nullum ei medium sufficiens exhibendo, quo possit mortē vitare: Ita neque posset illi præcipere obseruationem mandatorum, ad quam non minùs est impotens sine gratia, eúmque punire morte æterna, si non obseruet destitutus auxilio gratiæ, sine quo non magis potest mandata seruare, quàm mortem temporalem vitare. Item, sicut ex peccato primi parentis orta est concupiscentia, quæ, iuxta aduersarium, necessitatem peccandi inducit, si deest gratia: sic ex eodem peccato orta sunt omnia vitia naturalia, seu defectus, & miseriæ corporis, vel animi, in hoc statu naturæ lapsæ contingentes: cæcitas, surditas, amentia, phrenesis, &c. vt ipse docet libro tertio de statu naturæ puræ capite sexto & seqq. Ergo quando Deus hominibus in hoc statu præcipit vt seruent mandata, destituti auxilio gratiæ sufficientis, eósque seuerè punit quia non seruant, propterea quòd hæc impotentia ex peccato originali proficiscitur; perinde facit, ac si præciperet cæcis vt videant, surdis vt audiant, phreneticis, & amentibus vt sapienter agant; & non facientes grauibus torqueret suppliciis: quia pariter illorum impotentia ex peccato Adami ortum ducit. Hoc autem quàm sit absurdum nemo sanæ mentis non videt. Nullus certè hominum vsque adeo tyrannus fuit, vt sic præciperet, & pœnas exigeret à non obtemperantibus: præsertim verò si solus habeat media, quibus fieri possit id, quod præcipit, & nolit ea dare: sicut Dei solius est dare auxilium gratiæ sufficiens, & necessarium ad seruanda eius præcepta. Videatur Ricardus libro secundo de libero arbitrio, capite tertio, sectione prima, paragrapho tertio, vbi fusiùs hæc omnia prosequitur, & totam hanc euasionem ineptissimam esse ostendit.

Neque minùs absurdum est aliud illius effugium, libro tertio de Gratia Christi capite 15. 22. *Altera euasio æquè absurda.*
Impotentiam esse duplicem: vnam, quæ non potest suppleri, quantumlibet velis; cuiusmodi est impotentia currendi ei, qui caret pedibus: & de ista intelligendum esse quod dicitur, Deum non posse præcipere impossibilia. Alteram, quæ est ex defectu voluntatis, seu volitionis, quæ si adesset quanta esse debet, præceptum fieret: & istam, inquit, habent homines respectu mandatorum diuinorum: qui si perfectè vellent, ea seruarent: idcóque non excusantur à peccato.

Sed contrà: quia non possunt homines sine gratia sufficienti, perfectè velle seruare Dei 23.

mandata. Ergo si Deus præcipit illis vt seruent, destituti tali auxilio, præcipit impossibile, non ex defectu voluntatis, quam habere non possunt, neque enim est in libera ipsorum potestate: sed ex defectu auxilij necessarij. Et, vt rectè obseruauit Ricard. sectione citata §. 2. Si valeret illa euasio, vana fuisset argumentatio D. Augustini contra Manichæos, libro de duabus animabus capite duodecimo, quòd nimirum, si necessariò malè agerent homines necessitate per animam malam inductâ, non peccarent culpabiliter. Nam similiter respondissent Manichæi, impotentiam illam non peccandi esse ex defectu voluntatis, ideóque non excusare à culpa: non enim peccarent, si perfectè vellent non peccare. Et sicut hæc responsio Manichæorum inepta fuisset, quia vt quis liberè, & culpabiliter peccet, non sufficit quòd non peccaret, si perfectè vellet non peccare; sed requiritur vt possit velle perfectè: sic ad peccandum culpabiliter non seruando præcepta, non sufficit quòd seruarent homines, si perfectè vellent; sed insuper requiritur, vt possint id perfectè velle. Vana quoque fuisset argumentatio eiusdem Augustini, & aliorum Patrum contra Planetarios, Stoïcos, Priscillianistas, aliósque fati assertores, & humanæ libertatis euersores. Nam illi similiter respondere potuissent, peccare culpabiliter homines in iis quæ malè faciunt, necessitate licèt adacti vi stellarum, & fati; quia non peccarent, si perfectè vellent non peccare. Item, sequeretur falsum esse quod docet ipse aduersarius lib. 4. de natura lapsa cap. 25. Impotentiam seruandi mandata, si naturalis esset, id est, non orta ex peccato, sed à natura ipsa, excusaturam à culpabili transgressione mandatorum. Nam eo non obstante, seruarent homines mandata, si perfectè vellent: ideóque non obseruatio esset ex defectu voluntatis, vt ipse ait, & non excusaret.

24. *Tertia euasio prioribus similis.* Quod autem addit eodem lib. 3. de Gratia Christi Saluatoris capite decimo-septimo. Quamuis desit homini gratia sufficiens, quâ præcepta possit implere, non propterea debere dici frustra esse præcepta, consilia, monitiones: habent enim vsum significandi homini, vt si fortè possit, faciat quod iubetur: si non possit, infirmitatem doleat, oretque pro viribus impetrandis: ineptissimum est, suppositâ eius doctrina, & cohærenter secundùm illam ratiocinando. Hoc enim perinde sonat, ac si quis diceret, non esse frustra præceptum currendi datum homini pedibus destituto, vel ad stipitem alligato: quia habet vsum significandi vt currat, si fortè possit: si non possit, doleat de impotentia, postuletque auxilium vt possit: quamuis neque linguam habeat ad petendum; neque præcipiens, qui solus ei linguam dare potest ad petendum, & quidquid ad currendum est necessarium, dare velit. Nam, vt ipse ait cap. 13. aliquantò ante finem, Non modò auxilium gratiæ non adest, sed neque voluntas petendi, seu postulandi vires ad implenda præcepta, nisi Deus inspirauerit: & istam gratiam orandi, seu postulandi vires voluntatis, Deus non omnibus, neque semper largitur, sed cui, & quando, & quantum voluerit. Vnde, inquit, non exigua quorundam hallucinatio est, quâ putant semper adesse homini gratiam vt petat, ac tam ardenter petat, vt infallibiliter impetret id, quod petit; auxilium scilicet, & vires sufficientes ad seruanda mandata, de quibus ibi loquitur. Imò, iuxta ipsius doctrinam de gratia medicinali, caret auxilio illo quisquis non postulat, & quandocunque non postulat: quippe quod si adesset, infallibiliter postularet, neque posset illud effectu suo frustrari.

Quod denique ait libro 4. de statu naturæ lapsæ capite 24. & 25. Actus transgressionis præceptorum in hominibus destitutis auxilio sufficienti, nihilominus esse culpabiles, non obstante necessitate peccandi hîc & nunc; quia continuantur cum peccato Adami: quod fuit voluntarium & liberum, & faciunt vnum actum, cum illo: vel est idem effugium cum primo suprà refutato, si vult continuari tantùm per causalitatem, quia scilicet necessitas peccandi hîc & nunc, orta est ex culpa Adami, iuxta ipsius doctrinam: vel aliquid absurdius continet, si vult peccatum, quod hîc & nunc committitur à persona diuersa, post tot sæcula, & sæpissimè in specie contraria facere vnum & eundem actum cum peccato Adami: & ideo esse liberum huic personæ peccanti, quia peccatum Adæ, commissum ante quinque annorum millia, ipsi liberum fuit. Præsertim verò si supponamus peccatum fuisse illi remissum, vt est nunc ritè baptizatis, & olim erat circumcisis, vel alio remedio ad illum expiandum instituto vtentibus: aut si supponamus eum millies peccatum Adæ detestatum fuisse ex animo, & contrariam illi voluntatem efficacem habuisse. 25. *Quarta euasio non minùs absurda.* Sanè Diuus Augustinus voluntarium quidem peccati originalis per respectum ad voluntatem Adæ liberè peccantis sæpissime exposuit: sed peccata actualia, & personalia, ex eo esse libera nunquam dixit. Quin potiùs è contrario, loquens de hominibus in hoc statu naturæ lapsæ, non semel affirmauit, Neminem in eo peccare, quod cauere non potest, & cui non est potestas abstinendi ab eo quod malè facit, vel agendi quod malè omittit: vt adductis pluribus eius testimoniis ostendimus disputatione 5. sectione quarta. Et in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. contra Baium, damnata fuit hæc eius propositio 63. *Homo peccat damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Qui tamen loquebatur de statu naturæ lapsæ, & de necessitate quem putabat inductam per peccatum originale: de qua etiam loquitur aduersarius, eius doctrinæ instaurator: & hanc necessitatem, ipsámque concupiscentiam non aliunde, quàm ex peccato oriri potuisse existimabat. Eámque ob causam dicebat propositione 52. Deum non potuisse ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: & propositione 26. Integritatem primi hominis fuisse naturalem eius conditionem, à qua non nisi per peccatum potuit deturbari, subiicíve concupiscentiæ, & aliis corporis, animæque defectibus: vt fusiùs etiam docet Iansenius libro secundo & tertio de statu puræ naturæ, vbi eosdem errores persuadere nititur. Adde quòd, ne quidem actus vnius & eiusdem personæ liberè continuatur, nisi quamdiu ita in eo persistit, vt possit desistere si velit.

SECTIO IV.

Refutatur doctrina Ianseniȷ proposita sectione prima.

26. *Quo sensu dicat Augustinus gratiam defuisse Iudaeis.* Ad ea verò quæ in contrarium primo loco proposuit Iansenius, Respondeo, quando Diuus Augustinus locis ab eo relatis dicere videtur gratiam non adfuisse Iudæis, cuius ope legem sibi datam seruare possent: sensum illius non esse, quòd omni penitus auxilio gratiæ destituti fuerint, quódque propter omnimodum illius defectum non modò totam, sed nec vllum eius præceptum seruare potuerint, vt ait Iansenius: sed quòd non habuerint gratiam illam perfectam, qualem Deus communicat in lege Euangelica, statui legis gratiæ perfectiori conuenientem: sed imperfectam, & quodammodo initialem, quæ tamen sufficeret ad ea quæ Deus pro statu illius temporis ab illis exigebat, quam S. Doctor sæpissimè sub nomine gratiæ non comprehendit. Hoc ita esse probatur primò, quia D. Augustinus pluribus locis affirmat non defuisse sub lege veteri auxilium Spiritus sancti: vt videre est libro 3. ad Bonif. cap. 4. vbi refellens calumniam sibi à Pelagianis impositam, quòd Iudæis gratiæ adiutorium subministratum fuisse negaret, (sicut & Iansenio videtur) profitetur illam longè à sua mente, imò & omnium Catholicorum, esse alienam, his verbis: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere iactitant, Spiritum sanctum adiutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse:* Et licèt immediatè pòst id ostēdat exemplo sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum tanquam notiori: paulò pòst tamen latiùs extendit ad omnes iustos illius temporis: imò & anterioris, seu legis naturæ, quos vt filios promissionis non ex lege, sed ex fide in Christum, iustitiam & gratiam per eundem Christum obtinuisse affirmat. *Siue igitur Abraham*, inquit, *siue ante illum iusti, siue post eum vsque ad ipsum Moysem, siue ceteri prophetæ post eum, & sancti homines Dei vsque ad Ioannem Baptistam, filiȷ sunt promissionis & gratiæ, secundum Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim vt Noë iustum, & prioris temporis iustos, & quicunque ab illo vsque ad Abraham iusti esse potuerunt, vel conspicui, vel occulti, negemus ad supernam Hierusalem, quæ mater nostra est, pertinere.* Quāta verò fuerit eorum multitudo, qui tempore legis naturæ, & Mosaïcæ, iusti atque etiam perseuerantes fuerunt, facilè potest intelligi ex cap. 7. Apocal. vbi Ioannes ex qualibet tribu filiorum Israël recēset duodecim millia signatorum, qui reipsa ad Ierusalem cælestem peruenerunt: additque se postea vidisse *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, &c. stantes ante thronum in conspectu Dei & agni.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 1. *Lex*, inquit, *auget concupiscentiam ex prohibitione, & reum obligat ex præuaricatione, iubendo quæ implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate conuertant:* & quod consequens est, non auget, neque reos facit, si se conuertant. Non possent autem vtiliter se ad gratiam pietate conuertere, nisi & Deus pietatem illam inspiraret, & gratiam dare paratus esset. Similia dicit lib. 2. de Actis cum Fœlice Manichæo cap. 11. & epist. 89. *Nam & ipsa lex* (ait) *in adiutorium data est illis, qui ea legitimè vtuntur, vt per illam sciant vel quid iustitiæ iam acceperint, vnde gratias agant; vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant.* Certè nihil iustitiæ iam accepissent vnde grates agerent, nisi aliquo Spiritus sancti auxilio iam adiuti fuissent: & frustra peteretur vlteriùs & ampliùs gratiæ auxilium ad faciendum quod deesset, si Deus statuisset non dare, idque scopo illius legis repugnaret, vt ait Iansenius. Qui autem sic audiunt quod ait lex, Non concupisces, vt hoc, quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorium gratiæ Dei ad faciendum quod iustum est, dari sibi virtutem vt credant, & petant; ad hoc eis lex subintrauit, vt abundaret delictum, ipsorum culpâ scilicet, quia de lege & viribus suis præsumentes neglexerunt petere auxilium gratiæ, quod nec necessarium esse existimarunt. Et conc. 27. in Psal. 118. *Ad hoc data est lex, vt te de magno paruulum faceret, vt te ad faciendam legem vires de tuo non habere monstraret: ac sic opis indigens & egenus, ad gratiam confugeres, & clamares, Miserere mei Domine.* Frustra confugeretur ad gratiam, nisi ad illam aditus pateret: & frustra clamaretur, si Deus nollet exaudire.

Probatur secundò, quia certum est Iudæos communiter habuisse fidem, & in Deum verum credidisse: licèt eorum aliqui ad idola deflecterent: sicut nunc etiam inter Christianos non pauci ad hæreses, vel apostasiam declinant. Atqui non minùs certum est fidem esse donū Dei, ipsámque voluntatem credendi, siue affectum credulitatis (vt loquitur Arausicana Synodus) non haberi sine auxilio Spiritus sancti: idipsúmque latissimè contra Semipelagianos probat Aug. lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. & seqq. Ergo Iudæi habuerunt auxilium gratiæ, cuius ope fidem conciperent: neque potest nisi absurdissimè existimari Augustinum id negasse. Addo non tantùm in Deum verum credidisse, sed & alia mysteria tunc reuelata, quamuis non omnes æquè perfectè & explicitè omnia intelligerent, sicut nunc etiam inter Christianos sunt aliȷ aliis peritiores rerum à Christo reuelatarum. Certum est autem nihil à Deo reuelatum posse vera fide credi vel solis naturæ viribus, vel iuuante solùm externâ eius propositione: sed prætereà necessariam esse inspirationem & auxilium Spiritus sancti, vt contra eosdem Semipelagianos definiuit Concilium Arausicanum can. 7. 27. *Probatur Iudaeos habuisse auxilium gratiae, quia habuerunt veram fidem.*

Probatur tertiò, quia idem S. Doctor sæpius affirmat legem Iudæis datam esse vt humiliarentur, *& corde iam humiliato discerent clamare, Infœlix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius?* vt ait in Psal. 106. Item, *vt discentes in quo morbo essent, implorarent manus medici, vellēntque sanari, quia cognoscebant se laborare:* vt ait in appendice serm. de 5. Porticibus. Et in Psal. 102. paulò post medium. Item, vt *superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet:* vt ait homil. 50. cap. 1. Ideóque vt scribit de eadem lege veteri, lib. 2. de actis cum Fœl. cap. 11. *Apparens peccatum humiliauit superbum, humiliatus superbus factus est pœnitens, de pœnitentia impetrata est misericordia.* Addit, eandem legem Iudæis datam esse vt *anima detumescēte & extinctâ omni superbiâ, subderetur liberatori* 28. *Et ex multiplici fine intento à Deo.*

suo: lib. 83. qq. q. 66. & denique, vt *multitudine prauaricationum confusi, & territi, ipsâque confusione humiliati discerent ad gratiam* (vlteriorem) *quam nõn habent, implorandam fugere*: vt ait in appendice ad Decalogum. Atque certissimum est hæc ipsa non potuisse fieri sine aliquo auxilio gratiæ: vt etiam affirmat Augustinus, & definiuit Arausicana Synodus locis infrà citandis num. 41. Ergo vel D. Augustinus verbis à Iansenio relatis non affirmat Iudęos omni penitus auxilio gratiæ fuisse destitutos: vel apertè sibi contradicit: quod de tanto Doctore affirmare iniuriosum & absurdum est, cùm facilè possint omnia eius loca inter se conciliari adhibitâ distinctione superiùs propositâ.

29. *Augustinus per gratiam sæpè intelligit perfectam.* Probatur quartò, quia vt rectè notauit Petauius tom. 1. Dogmat. lib. 10. cap. 20. D. Augustinus, aliíque Patres, quando loquuntur de gratia, sæpissime intelligunt perfectam & robustam; quam interdum expressis verbis ab imperfecta, & initiali distinguunt: vt quando epist. 89. sic ait Augustinus, *Lex ergo subintrauit, vt abundaret delictum: siue cùm homines negligunt quod Deus iubet: siue cùm de suis viribus præsumentes, adiutorium gratiæ non implorant: & addunt infirmitati superbiam. Cùm autem vocatione diuinâ intelligunt cui sit ingemiscendum, & inuocant eum, in quem rectè credunt &c. fiet quod sequitur, vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Quibus verbis duplicem gratiam distinguit, quarum vna ad alteram ducit: gratiam vocationis, initialem, & minùs perfectam; quâ intelligebant Iudæi cuinam esset ingemiscendum; quâve inuocabant eum in quem rectè credebant: alteram perfectam, quam credendo, & inuocando impetrare debebant. Et lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 5. *Ideo quippe*, inquit, *lex iram operatur* (intentando scilicet minas, & inferendo pœnas transgredientibus) *vt territo, atque conuerso ad iustitiam legis implendam* (qui terror salutaris & conuersio ad iustitiam non fit sine aliquo gratiæ auxilio, vt infrà ostendemus ex eodem S. Doctore) *Dei misericordiam gratia largiatur*: gratia scilicet vlterior, & perfectior.

30. *Et dilectionem caritatis.* Quin etiam sæpe nomen gratiæ ad dilectionem caritatis restringit, id est, ad excellentissimam illius speciem: vt quando lib. de Gratia Christi cap. 35. gratiam vocat inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ caritatis, & inspirationem caritatis per Spiritum sanctum, quam ibidem legi opponit, sicut & loco priùs citato ex capite 5. libri 4. contra duas epistolas Pelag. cùm sic ait: *Cognitio ergo legis facit superbum prauaricatorem: per donum autem caritatis delectat legis esse factorem.* Quòd tamen præter illam perfectam gratiæ speciem plures alias agnoscat, patet ex aliis eius locis, quibus affirmat aliquos affectus pios, à Deo immissos, dilectionem illam antecedere, vt quando libro de Bono perseuer. capite 8. dicit, non esse in hominum, sed in Dei potestate, vt possint filij Dei fieri. *Alias tamen agnoscit.* *Ab ipso quippe accipiunt hanc potestatem, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem.* Et libro primo ad Simplician. quæst. 2. *Incipit homo*, inquit, *percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel internâ vel externâ admonitione motus ad fidem &c.* Quam fidem sine præuio gratiæ auxilio non haberi docet epist. 105. & epist. 106. addit, fidem mereri gratiam bene operandi, per eandémque impetrari caritatem. Eandem quoque distinctionem gratiæ in initialem, & prouectam; imperfectam, & perfectiorem, exprimit Fulgentius Augustini discipulus libro de Prædestinat. & gratia capite nono, dicítque Apostolum eam designâsse his verbis, *Miserebor, cuius miserebor: & misericordiam præstabo, cui misericors fuero.* Hoc enim dicit Apostolus, quemadmodum ipse interpretatur, *vt primam misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari; quæ sola ad rectè viuendum non sufficit, si deserat qui vocauit. Ideóque additum est, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero, vt à Deo accipi manifestum sit & ipsa misericordiæ opera, quæ cùm videmur impendere, Dei misericordiam promeremur.* Quando igitur Augustinus locis à Iansenio relatis dicere videtur Iudæos *legem sine gratia accepisse*; potest facilè, ac debet intelligi, quòd non acceperint gratiam istam perfectam, & inspirantem amorem caritatis: sed imperfectiorem, & inspirantem spiritum timoris: propter quod etiam status legis veteris vocatur ab eodem Doctore lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. post Apostolum ad Galat. cap. 4. status seruitutis & filiorum ancillæ, non liberæ.

Eodémque sensu intelligendum est quod ait D. Augustinus de Christianis illis, quos sub lege constitutos esse dicit & nondum ad statum gratiæ peruenisse. Ad id verò quod ait consequenter de scopo legis veteris, patet ex dictis disput. 21. sect. 5. num. 36. non eo fine quem vult Iansenius post Caluinum & Lutherum datam esse, vt peccata multiplicarentur, auctâ per legẽ concupiscentiâ, & peccandi desiderio; sed vt docent omnes Catholici cum D. Thoma. 1. 2. tota q. 99. datam fuisse primò vt populũ Iudaïcum instrueret, & conueniẽter ordinaret, tum ad ea quę spectabant ad statũ cuiusque proprium, tum etiam ad ea quæ pertinebant ad cultũ diuinum, & ad regimen politicum totius reipublicæ & regni Iudæorum. Secundò, vt eundem populum disponeret ad Christi aduentum, & fidem eius explicitam. Tertiò, vt per eius obseruationem non solùm pace & felicitate temporali frueretur, verùm etiam & spirituali, partim per veram animi sanctitatẽ hac in vita, partim etiam per æternam beatitudinẽ in futura: vt ibidem Scripturæ testimoniis confirmauimus. Per accidens verò, non ex fine legis, & intentione Dei, sed ex hominum prauitate, vel desidia, factũ est vt peccatum abundauerit accedente maiori eius cognitione, & prohibitione; vt rectè aiunt Chrysostomus homil. 10. in epist. ad Roman. & plures alij ibidẽ relati: Deo id permittente, neque tam copiosè gratiam suppeditante quàm in nouo Testamento: vt & infirmitas humana, & necessitas gratiæ, Christíque Mediatoris, magis innotescerent; vt ibidem fusiùs exposuimus. Ad hoc autem vt infirmitas humana cognosceretur, non erat opus Iudæos omni gratiæ auxilio destitui; sed satis erat quòd eo non obstante legem sępius transgrederentur, magnámque illius seruandæ difficultatem experirentur: sicut nunc etiam, licèt maioribus & abundantioribus præsidiis instructi, cogimur tamen sæpe dicere cum Apostolo Roman. 7. *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati.*

31. *Veri fines legis Mosaicæ.*

peccati. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Neque enim gratia, quanta nunc communiter suppeditatur, tollit omnem difficultatem, neque extinguit fomitem concupiscentiæ, quæ in renatis etiam & iustificatis relinquitur ad agonem, vt ait Tridentinum sess. 5. can. 5. de peccato originali.

32. *Iansenius malè sibi cohæret.* Addo non posse Iansenium affirmare nullum auxilium gratiæ collatum fuisse Iudæis in statu legis Mosaïcæ, & naturæ, nisi velit apertè sibimetipsi contradicere. Scribit enim cap. 5. Iudæis quibusdam, vt Patriarchis, Prophetis, & similibus, contigisse, vt in vtroque statu Spiritus sancti gratia illis opitularetur. Neque certè poterant aliter sancti euadere, & coram Deo iusti esse, operáque virtutum salutaria exercere. Ergo falsum est illos nullum aliud adiutorium præter legem naturæ, & legem Mosis accepisse. Ergo ex natura & institutione veteris legis, non potest colligi fuisse omnes alios auxilio gratiæ destitutos. Ac neque etiam id colligi potest ex eo, quòd plures carnaliter vixerint. Tum quia id non ex defectu auxilij, sed eorum vitio, & socordiâ contigit, vt suprà dixit Chrysost. Tum etiam quia alioquin esset similiter inferendum plurimos Christianos, eos scilicet omnes, qui malè viuunt, vt olim Iudæi, nullum adiutorium bene viuendi præter Christianam legem, accepisse: adeóque illud deesse communiter in lege noua, quia Christiani communiter, maximáque ex parte malè viuunt. Tum denique quia, si Christiani possunt auxilia, quæ in lege noua copiosiùs dantur, frustrari suo effectu, & iis non obstantibus concupiscentias, & vitia sectari: multò magis potuerunt homines illius temporis minoribus & infrequentioribus auxiliis resistere, suísque prauis affectibus seruire.

SECTIO V.

Refelluntur alia Iansenij assertiones.

33. *Asserit Deũ ad amorem vitiosum excitasse.* ABSVRDISSIMVM verò est, quod secundo loco docet Iansenius cap. 6. eiusdem libri tertij de Gratia Christi Saluatoris, vetus Testamentum non ea de causa datum fuisse, vt per eius promissiones, & obseruationem, Iudæorum salus in tuto locaretur: sed ne res illas, quas carnali vitiosóque amore diligebant, à dæmonibus quærerent potiùs, quàm à Deo. Nam cùm, vt ibidem affirmat (verè an secus, in præsenti non disputo) *si propter carnalia Deus ametur, est amor ille impurus, carnalis, & vitiosus, quem veriùs amorem creaturæ dixeris, quàm Creatoris:* dicere vetus Testamentum datum esse ad amorem illum gignendum in Iudæis, est dicere datum fuisse ad amorem impurum, carnalem, & vitiosum excitandum, ex intentione ipsius Dei hoc satagentis, & procurantis per legem illam à se datam, eiúsque promissiones, eo fine, vt vitiosæ, impuræ, & carnalis cupiditatis incitamenta, & fomenta essent. Quod idem est, ac dicere Deum Iudæos ad peccandum induxisse, illísque ad amorem impurum, carnalem, & vitiosum, faces, & illecebras subministrâsse.

34. *Et auocasse Iudæos à sincero amore Dei.* Neque minùs absurdum est quod addit, legem illam potiùs quasi auocasse à sincero amore Dei, qui placens Deo solus perducit ad Deum. Tam enim repugnat supremæ Dei bonitati auocare à bono per legem suam, quàm ad malum impellere. Neque hoc affirmat D. August. in Psal. 79. allegatus à Iansenio cap. 6. cùm ait: *Illud vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere ne gratis colatur Deus, sed quia aliquid dat in terra.* Sensus enim est, quòd ita videatur carnaliter intelligentibus, & non satis attendentibus quidquid suadet. Nam Deuter. 6. ver. 5. suadet & præcipit diligere Deum *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine.* Quod præceptum retulit Christus Mat. 22. ver. 37. vbi interrogatus, quod esset magnum mandatum in lege? respondit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua:* addidítque hoc esse primum & maximum mandatum: quia nimirum præcipit amorem Dei excellentissimum, id est, amorem caritatis erga Deum super omnia, qui amor nusquam alibi clariùs in Scriptura exprimitur. Tum commemorato altero præcepto diligendi proximum suum sicut seipsum, subiunxit: *In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Et Lucæ 10. ver. 27. quærenti Legisperito, quid faciendum sibi esset, vt vitam æternam possideret? respondit: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Tum repetitis iisdem mandatis, subiecit *Hoc fac, & viues:* vitâ scilicet æternâ, de qua à Legisperito fuerat interrogatus. Non sufficeret autem amor ille, in lege præceptus, ad vitam æternam obtinendam, si esset vitiosus, & impurus, atque à sincero amore Dei retraheret. Præterea, quando vetus Testamentum proponit sæpius bona terrena, seu beneficia temporalia, vt inducat ad Deum amandum propter illa: non suadet amorem inordinatum, quo bona illa Deo præferantur, & magis quàm Deus ipse diligantur: sed amorem rectum, & bene ordinatum, qui principaliùs tendat in Deum bonorum illorum auctorem, & largitorem, quibus omnibus illum infinitè plus æstimet. Non suadet etiam amorem, qui tacitè, vel expressè excludat actum perfectiorem amandi Deum propter se, ita vt affectus diligentis sit talis, vt nollet amare Deum, nisi conferret eiusmodi beneficia: quasi Deus per seipsum non sit dignus amore, multóque magis amabilis propter se, quàm propter vlla creata beneficia. Sed quia solemus tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus progredi ab imperfectioribus & facilioribus ad perfectiora, & difficiliora: & valde procliue est amare benefactores; quod qui non faciunt, pro inhumanis & barbaris habentur: lex vetus proponebat sæpius eiusmodi beneficia temporalia & sensibilia, vt incipiendo ab amore Dei propter illa, progrederentur homines ad amorem perfectiorem, quo Deus propter se diligitur.

Neque minùs absurdum est, quòd eam ob causam vult Testamentum vetus fuisse magnam quandam quasi comœdiam, quâ Iudæi terrenis & carnalibus bonis vitioso affectu inhærentes, Deóque propter illa duntaxat seruientes, repræsentarunt noui Testamenti filios, bonorum spiritualium sectatores, veróque & sinceros Dei cultores. Hoc enim est dicere Deum, auctorem illius comœdiæ, fabulam ex sceleribus & flagitiis fecisse, vt aliquid sacrum & sanctum repræsentaret. Perinde ac qui adulterium, vel parri- 35. *Et Testamentum vetus fuisse magnam quasi comœdiam.*

cidium in theatro fieri iuberet, ad castitatem, aut pietatem oppositam repræsentandam. Quo nihil potest dici Deo indignius, nihil omnium sanæ mentis hominum iudicio execrabilius. Ita vt satis mirari nequeam potuisse hæc monstra errorum homini sano & Christiano in mentem venire.

36. *Et Deum in illo hortari ad vitiosas cupiditates.* Adde quòd, si ita esset, Deus in veteri Testamento sæpius legem suam commendans, & ad illam seruandam adhortans; laudaret legem ex professo docentem carnales, & terrenas, ac vitiosas cupiditates, atque ad illas sectandas hortaretur, præmiisque propositis alliceret. Vt cùm ait Deuteron. 4. ver. 1. *Et nunc Israël, audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas.* Et paulò pòst ver. 6. *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens, & intelligens,* &c. Quomodo autem erat sapientia lex illa, & populus sapiens illi adhærens; si, vt ait nouus Dogmatistes, carnalem tantùm, & impurum terrenorum amorem docebat? Similia habentur Deuteron. 5. ver. 1. 2. 29. & cap. 6. ver. 2. & 17. & cap. 26. ver. 16. & cap. 30. ver. 8. & toto Psalm. 118. aliisque locis. Quæ omnes legis veteris commendationes, & ad eam exactè seruandam suasiones, iuxta doctrinam aduersarij eò tenderent, vt carnalium, & vitiosorum affectuum incitamenta essent. Neque illum excusat, quod ait, Deum ad hos affectus impuros, & vitiosas cupiditates Iudæos induxisse lege suâ, & pollicitationibus, ac minis in ea contentis; vt illi bona temporalia à seipso potiùs, quàm à dæmonibus quærerent, atque ita minùs peccarent. Hoc enim perinde est, ac si quis diceret Deum præcepisse Gentilibus adorare Solem & Lunam, aliáque sydera, vt eos à cultu dæmonum auerteret, qui deterior est.

37. *Quis timor vitiosus?* Quod verò dicit consequenter de timore vitioso, & de seruantibus legem eo affectu, qui licèt exteriùs seruare videantur, intus tamen in animo sunt illius transgressores, malléntque non seruare si impunè possent, vt ait August. in Psalm. 32. intelligendum est de timore illo, qui non planè retrahit affectum à peccato, siue à causa mali pœnæ, vel incommodi quod timetur: sed habet voluntarium mixtum inuoluntario, vt loquuntur Theologi: id est, vult ex parte, & ex parte non vult. Qualis est affectus eius, qui merces in mare proiicit ob timorem naufragij: quod ægrè facit, & cum affectu eas retinendi, vi cuius etiam retineret, nisi vitæ periculum obstaret. Quod genus timoris in lege seruanda, & abstinendo à peccatis vitiosum esse fatemur. Sed *Probatur aliquem timorem esse bonum.* falsum est omnem timorem talem esse: & alium dari perfectiorem, qui absolutè peccatum detestetur, sitque bonus, atque laudabilis, docet Scriptura Exodi 20. ver. 20. *Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Non procurasset Deus illum terrorem, si malus esset: neque timor ille à non peccando satis auertisset, si tum ipsemet, tum ea omnia, quæ per illum fiunt, peccata essent. Et Psalm. 118. ver. 120. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* non peteret Dauid timorem istum à Deo sibi inspirari, si vitiosus esset. Et Prouerb. 14. ver. 27. *Timor Domini fons vitæ, vt declinent à ruina mortis.* Quomodo fons vitæ, & non potiùs mortis spiritualis, si quidquid oritur ex illo peccatum est? & quomodo per illum declinatur ruina mortis, si est ipsemet causa ruinæ? Et Lucæ 12. ver. 5. *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete.* Non tanta cum emphasi commendaret Christus hunc timorem gehennæ, nisi bonus & salutaris esset. Idem docet August. ser. 214. de tempore, vbi sic habet: *Cùm timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, discitur amari præmium quod pollicetur, ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur: per bonam vitam bona conscientia comparatur, vt per bonam conscientiam nulla pœna timeatur.* Et in Psal. 127. *Audiunt hæc homines,* (vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur) *& quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato: Timent quidam, sed non amant iustitiam: cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat amari; & dulcescit Deus, & iam incipit homo iustè viuere, &c. Timet ne mittatur in gehennam, Bonus est, & iste timor vtilis est.* Et lib. de Catechizandis rudibus capite 5. *Ipsa etiam seueritate, quâ corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, caritas ædificanda est.*

Cùm autem affirmat cap. 6. *Synagogam, consideratam vt Synagogam, non fuisse aliud, quàm terreni populi turbam, hominúmque carnalium congregationem, solis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa sola colentium vnum Deum,* præpostero scilicet affectu, & vitioso; quia, vt addit paulò pòst, *Animum creaturæ rationalis solis rebus terrenis, Deóque propter sola terrena inhærere, valde vitiosum est, puritatique cælestis regni adipiscendi necessaria ex diametro contrarium:* 38. *Iansenij iudicium de Synagoga Deo iniuriosum.* cùm, inquam, hoc ait, significat Synagogam non ex accidenti, & ipsorum hominum vitio præter Dei intentionem; sed per se, & prout à Deo instituta erat, siue ex propria institutione, & naturâ suâ (id enim sonat illa reduplicatio, Synagoga vt Synagoga) corruptã & damnabilem fuisse. Quod sine intolerabili blasphemia in Deum eius institutorem dici nequit: & pugnat è diametro cum illis eius verbis ad Synagogam, paulò antea relatis: *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens, & intelligens, &c. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustáque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos tuos?*

39. *Detegitur eius hallucinatio.* Plura aduersus hunc errorem videri possunt apud Dionysium Petauium to. 1. Dogmat. lib. 10. cap. 22. & quinque sequentibus, vbi perspicuè ostendit nouum Dogmatistam Manichæorum insaniam, & impietatem hac in parte superâsse: & loca D. Augustini exponit, quibus ille ad hunc errorem suum stabiliendum abusus est, extendens ad Synagogam vniuersam id, quod ille dixit de quibusdam eius membris carnaliter, & impurè viuentibus, vitiosóque affectu Deum propter temporalia bona, vel metum pœnarum colentibus: ita scilicet, vt haberent animum paratum deserere Deum, si defuisset spes adipiscendi bona temporalia, vel nisi vetuisset timor incurrendi mala; & ex eo concludens Synagogam, vt Synagogam, esse

congregationem hominum carnalium, &c. Vt si quis vitia quorundam, & non paucorum Christianorum ad vniuersam Ecclesiam extenderet, atque in ipsius institutionem, & naturam refunderet, diceretque Ecclesiam, vt Ecclesiam, esse congregationem hominum impurorum, ebriosorum, ambitioni, auaritiæ, aut libidini seruientium, quales certè multi sunt inter Christianos, non ex Ecclesiæ institutione, sed suo ipsorum vitio.

40. Neque prætereunda est insignis eius contradictio, & inconstantia doctrinæ, quæ frequenter illi contingit. Euidenter enim sibi contradicit, quando affirmat cap. 5. *Sub lege positos nullum adiutorium bene viuendi, præter legem accepisse, & hoc locum habuisse in omnibus Iudæis, exceptis perpaucis: gratiámque sufficientem ad eam seruandam, lationi legis, & eius scopo capitaliter repugnasse.* Et cap. 8. addit, *Non adfuisse hominibus sub veteri lege viuentibus gratiam sufficientem seruandi legem, vel vllum eius præceptum, sed potiùs impedientem.* Simúlque affirmat cap. 4. eiusdem libri, legem Iudæis datam fuisse, *vt agnoscentes se ad eam implendam idoneos non esse, & multitudine præuaricationum confusi, ac territi, ipsáque confusione, ac timore humiliati, discerent ad gratiam, quam non habebant, implorandam fugere: vt gratia adiuti possent implere quod antea acceptâ lege non poterant*, eandémque ob causam discerent etiam Christum auctorem gratiæ desiderare, vt ibidem addit, alibique sæpius repetit.

41. *Contradictio Iansenij.* Enimuerò, si Deus hoc per legem obtinere ab illis voluit, & hunc scopum in eius latione sibi proposuit; debuit saltē præstare vt possent hanc cogitationem, cōfusionē, humiliationem, & terrorem propter legis trāsgressiones, ac medicinæ, seu gratiæ, Christique Mediatoris, & medici desiderium concipere: ne alioquin planè inutiliter Deus hoc ab illis intenderit, volueritque per legem obtinere. At hoc ipsum non potuerunt facere sine auxilio gratiæ. Ergo cum lege dedit illis auxilium gratiæ necessarium, & sufficiens ad hoc præstandum. Ergo falsum est nullum eos, præter legem, adiutorium accepisse. Maior est euidens. Minor non potest negari ab aduersario, qui sæpius docet, nullam bonam cogitationem, nullúmque bonum affectum voluntatis posse concipi sine gratiæ adiutorio. Talis autem cognitio propriæ infirmitatis, & peccatorum suorum, iuncta confusioni, & humiliationi, ac desiderio medicinæ, seu gratiæ, & Christi eius auctoris, est sine dubio bona, & salutaris; cùm sit aliquod initium conuersionis, & recessus à statu peccati. Idque affirmat disertè S. Augustin. Tract. 12. in Ioannem, sic dicens: *Cùm cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorū, confessio est operum malorum, &c. quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderet.* At neque etiam voluntas eius horrorem, & desiderium remedij per gratiam, & per Christum, conciperet, nisi gratia internà ad hoc eam moueret: vt definiuit Arausic. can. 3. 4. & 6. contra Semipelagianos: qui cùm (vt refert Hilarius in epist. ad Augustinum, præfixâ lib. de Prædest. Sanct.) tribuerent naturæ viribus, quòd *exterritâ, & supplici voluntate, vnusquisque ægrotus vellet sanari*: adderétque, *non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa valeat:* Arausic. can. 3. sic contra eos pronunciat: *Si quis per inuocationem humanam, gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non quærentibus me, &c.* Et can. 4. *Si quis vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et can. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem diuinitus vt credamus, velimus, vel hac omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, &c. resistit Apostolo dicenti, Quid habes, quod non accepisti? &, Gratia Dei sum id, quod sum.*

Iam verò, si habuerunt Iudæi auxilium gratiæ sufficiens ad prædictas cogitationes, & affectus salutares; euidenter inde sequitur habuisse gratiam sufficientem ad seruandum aliquod præceptum legis, & ad aliquod initium bene viuendi. 42. Nam certè, credere in vnum verū Deum, eúmque inuocare, & colere, & ad illum potiùs quàm ad idola, falsósque Deos confugere, erat præceptum in lege: itémque detestari peccatum, & propter illud humiliari coram Deo, terreri, & confundi, expetereque gratiam medicinalem, & Christum eius auctorem desiderare, erat similiter mandatum aliquod legis præcipientis pœnitentiam, & conuersionem, fidémque & spem in Christum venturum. Erat id etiam aliquod vitæ bonæ initium, & exordium bonorum operum, vt suprà dixit Augustinus, & per se notum est. Ergo falsum est, quod ait aduersarius, *Sub lege positos nullum adiutorium bene viuendi, præter legem, accepisse; sed id scopo legis capitaliter repugnasse*: &, *non adfuisse hominibus sub veteri lege viuentibus gratiam sufficientem seruandi legem, vel vllum eius præceptum: sed potiùs impedientem.* Quo postremo vocabulo insignis blasphemia continetur: cùm dicitur aliquam esse Dei gratiam, quæ à bene agendo, & ab eius lege seruanda impediat. *Eiusdem blasphemia de gratia impediente.* Tam enim Deo summè bono, eiúsque gratiæ auxilianti repugnat impedire à bono, quàm impellere ad malum. Neque potest impedire à bono moraliter necessario, cuiusmodi est legis & præcepti diuini obseruatio; quin hoc ipso ad malum, & culpabilem transgressionem inducat. Sanè de illa gratia verè diceretur, quod falsò, & ineptè Apologistæ Iansenij de gratia sufficiente scripserunt. *Apol. Iansenij pag. 87. & 88.* *Si diabolus posset aliquam gratiam dare hominibus, talem sine dubio daturum.*

Itaque quando D. Augustinus, aut Prosper, & Fulgentius, iis locis, quibus abutitur aduersarius, legem à gratia distinguunt, aiúntque legem datam fuisse, vt qui eam implere non poterant, agnitâ propriâ infirmitate, conuerterentur ad gratiam expetendam, & Christum eius Mediatorem exposcerent, eóque sensu legem quasi pædagogum datam fuisse: hoc non ita intelligendum est, quasi velint fuisse omni auxilio 43. *Lex quomodo distincta à gratia, & illâ carens?*

gratiæ sufficientis destitutos: sed tantùm volunt Iudæos fuisse per legis præuaricationes impulsos ad maiorem, & abundantiorem, & efficacem gratiam expetendam, & obtinendam per aduentum Christi.

44. *Augustinus quomodo interpretandus?* Cetera quæ addit Iansenius, manent ex dictis soluta, iunctis iis quæ de gratia sufficiente generatim exposuimus disputat. præcedenti sect. 5. num. 39. Cur scilicet dicatur carere semper effectu, atque ex eius carentia sortiatur nomen sufficientis tantùm, siue inefficacis in actu secundo. Non inficior quidem D. Augustinum pluribus locis duriùs loqui de lege veteri. Sed si, vt ipsemet ait lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. Scripturæ verba, quando aliquid absonum videntur præ se ferre, sunt in benignum & commodum sensum interpretanda: Quidni etiam verba ipsius Augustini, quotiescumque vel natiuo impetu animi, vel æstu disputationis abreptus, videtur ad extrema declinare? Præsertim quando benignæ, & commodæ explicationis viam alibi aperuit: vt in præsenti materia fecisse ostendimus tota sectione præcedenti. Omnino pessimè de illo meretur Iansenius, quando hâc interpretandi ratione posthabitâ, quidquid ille duriùs scripsit, in sensum hæreticum ferè semper exponit, & pro doctrina Augustiniana Lutheranam & Caluinianam obtrudit. Denique licèt Augustinus sensisset de lege Mosaïca, quod vult Iansenius; non esset præferenda illius sententia communi doctrinæ aliorum Patrum, & tot támque apertis Scripturæ testimoniis, quæ protulimus, & expendimus disputatione 21. sect. 6.



DISPVTATIO XXV.

Detúrne generaliter omnibus gratia sufficiens?

SECTIO PRIMA.

Detúrne peccatoribus obduratis auxilium sufficiens ad conuersionem.



1. *Gratia sufficient potest haberi proximè vel remotè.* SVPPONO primò, duobus modis posse aliquem dici habere auxilium efficax, vel sufficiens: proximè scilicet, vel remotè. Proximè quidem, quando est completè constitutus in actu primo ad operandum; ita vt ex parte omnium, quæ prærequiruntur ad operationem, nihil ei desit. Remotè verò, & in potentia, quando licèt non habeat actu omnia necessaria per modum principij; habet tamen quodammodo ad manum; quatenus est in potestate ipsius facere aliquid, quo acquirat reliqua omnia principia, siue auxilia necessaria, & proximè, ac completè sufficientia. Quo sensu obdurati dici possunt habere auxilium sufficiens ad conuersionem, quamuis non semper à Deo vocentur & iuuentur immediatè ad illam; si est in eorum potestate facere aliquid aut non facere, quo præsupposito Deus eos iuuabit vt proximè conuerti possint. Eodémque sensu Trident. sess. 6. cap. 13. affirmat iustos posse perseuerare, siue, quod idem est, habere auxilium necessarium ad perseuerandum: quia si gratiæ acceptæ non defuerint, sed eâ bene fuerint vsi, quærendo, & petendo, & quod in se est faciendo, acquirent reliqua auxilia perseuerantiæ necessaria. Si verò desit homini aliquod auxilium, quod sit necessarium principium ad eliciendum actum conuersionis, vel ad perseuerandum; & ipse nihil facere possit, quo illud obtineat: nullo modo dici potest habere auxilium sufficiens. Quia neque proximè, siue actu & reipsa illud habet: neque etiam remotè, & in potentia: quia non est in illius potestate morali, & humana, facere aliquid, quo illud obtineat. Atque ita non est sufficienter instructus ad actum liberum exercendum. Nam habere gratiam sufficientem ad actum aliquem liberum, est habere gratiam, quâ possit homo liberè illum exercere. Is autem dicitur posse aliquid liberè, qui vel iam habet totam facultatem, & potentiam ad id requisitam: vel certè potest liberè habere, & acquirere: & contrarium planè implicat, non minùs quàm vt quis possit sine vlla potentia.

Suppono secundò id, quod rectè aduertit Suarez in Opuscul. libro tertio de auxiliis capite 6. num. 7. non esse de ratione auxilij sufficientis vt homo actu recipiat illud auxilium, quod est per modum concursus. Quia non est de ratione sufficientis principij, vt actu operetur: illud autem auxilium non datur, nisi in ipsa actuali operatione. Est tamen de ratione auxilij sufficientis, vt illud auxilium per modum concursus, sit aliquo modo in potestate hominis: sicut generalis concursus Dei ad actus liberos naturales, debet ex parte Dei ita esse paratus, & exhibitus in actu primo, vt ex nostro arbitrio pendeat, quòd ponatur, vel non ponatur in actu secundo: quatenus voluntate nostrâ applicante se ad opus, Deus concurret: sin minùs, non concurret. Neque alio modo intelligi potest voluntas nostra habens auxilium ita sufficiens, vt simpliciter, & absolutè sit in eius libera potestate velle, vel nolle: cùm sine tali præparatione, & veluti exhibitione concursus necessarij, non possit velle, aut nolle. 2. *Quid requiratur vt auxilium sit sufficiens?*

His præsuppositis, vt ad quæstionis solutionem accedamus: tres sunt de illâ sententiæ. Prima est Lutheri artic. 36. ex damnatis à Leone X. Caluini libro tertio Institut. capite vicesimo quarto num. duodecimo & sequentibus, Iansenij libro tertio de Gratia Christi capite decimo, & aliorum sectariorum, aut Dogmatistarum, affirmantium obduratos carere gratiâ sufficiente ad conuersionem. Quia nullum putant esse auxilium sufficiens, nisi sit efficax: & per auxilium efficax intelligunt motionem quandam diuinam, quæ necessitatem infert voluntati ad consentiendum, & sine qua negant fieri posse vt voluntas consentiat. Euidens autem est obduratos tali auxilio carere, quamdiu manent in statu obdurationis. Ideóque carent auxilio sufficiente ad conuersionem, iuxta istorum omnium doctrinam. 3. *Prima sententia negans vniuersaliter.*

4. Tributiur Augustino. Ad id confirmandum multa ex Augustino profert Iansenius cap. suprà citato, & imprimis ea producit testimonia, quibus Sanctus ille Doctor affirmat Deum illorum nolle misereri, nolle gratiam infundere, deesse illis diuinæ gratiæ adiutorium, & huiusmodi: vt libro primo ad Simplician. quæst. 2. vbi dicit, *obdurationem esse, Deum nolle misereri: & non frustra misereri, quia si miseretur, peccator conuertitur.* Et in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Roman. num. 62. affirmat *Deum obdurare peccatores, eos deserendo vt malè operentur.* Et in tractatibus in Ioan. ait, *Deum sic excæcare, sic obdurare deserendo & non adiuuando: quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* Et lib. de Perfect. iustitiæ capite 19. excæcatum vocat *desertum omni lumine veritatis.* Et de excæcatis, & obduratis simul ait tractatu 53. in Ioannem: *Hinc excæcantur, & indurantur, quia negando diuinum adiutorium, non adiuuantur.* Et in Psalm. 147. *Ecce*, inquit, *deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.*

5. Profert deinde alia eiusdem Augustini loca, quibus affirmat non posse quenquam se liberare à stultitia, si Deus eum deseruerit, concione in Psalm. 147. & desertum omni lumine veritatis non posse velle præcepta seruare, libro de Perfect. iustitiæ capite 19. & excæcatos in pœnam peccatorum, non posse credere, quæst. 14. in Matth. & oculos mentis perdidisse, ideóque non posse videre, libro vndecimo contra Faustum cap. 7. & lib. de Ciuit. Dei cap. 19. & in Psalm. 57. Quibus loquendi modis significat plusquam auersam videndi voluntatem: nempe videndi impotentiam, etiam si velit: vt clariùs exprimit contra Pelagium lib. de natura & gratia capite 51.

6. Addit tertiò ex lib. de Correpţ. & Gratia cap. 11. *Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cùm primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet: non vtique suâ culpâ cecidisset: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est. Quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum.* Vbi notanda sunt hæc verba, *nunc autem quibus non datur*, &c. quæ perspicuè significant quibusdam negari auxilium, sine quo planè impossibile illis est bene velle & operari, peccatúmque vitare. Quod confirmat ex similibus eius verbis libro de natura & gratia, capite vicesimo secundo & vicesimo tertio, concione in Psalm. 77.

7. Secunda sententia negans de aliquibus. Secunda sententia est aliquorum Theologorum, qui licèt præter auxilium efficax, cognoscant dari sufficiens in hoc statu naturæ lapsæ, (in quo differunt à Iansenio, & hæresiarchis suprà nominatis) putant nihilominùs insignes quosdam peccatores nonnunquam destitui sufficientibus gratiæ auxiliis, ita vt conuerti non possint. Sic enim sentiunt Michaël Medina libro tertio, de recta in Deum fide, capite primo, Roffensis artic. 36. contra Lutherum, Driedo de captiuitate, & redemptione generis humani, tract. 5. capite tertio. Quibus fauet Diuus Augustinus variis locis suprà citatis, Fundamentum illorum est, quia Deus dicitur in Scriptura, aliquos post grauia peccata indurare, excæcare, despicere, deserere: vt Pharaonem, Esaü, Antiochum, Iudæos peruicaces, & similes, Exodi 9. ver. 12. Isaiæ sexto versu decimo, Hebræor. 12. ver. 17. & 2. Machab. 9. versu 13. Item peccata quædam dicuntur esse irremissibilia, Matth. 12. ver. 31. & 32. Marc. 3. ver. 28. Lucæ decimo, versu 17. Hebræor. 6. ver. 14. & 1. Ioann. 5. versu decimoseptimo, vbi sermo habetur de peccato ad mortem, pro quo non est orandum, quia est irremissibile.

Tertia sententia communis Theologorum, & vera, docet, illis etiam peccatoribus, qui indurati, obstinati, & excæcati dicuntur, non deesse gratiam sufficientem, eos subinde vocantem ad conuersionem; ac nullis etiam post peccata grauissima eam penitus negari in hoc statu viæ, seu vitæ præsentis, quamdiu vita post peccatum suppetit. Ita ex antiquioribus D. Thom. 3. p. quæst. 86. artic. primo, Alensis 3. p. quæst. 69. memb. quinto, artic. 4. memb. 5. artic. 2. Altisiodor. libro tertio summæ, tractatu 2. capite 2. quæst. 5. & è recentioribus Dominicus Sotus in 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 1. Petrus Sotus lect. 5. de Pœnitentia, Vega lib. 13. de Iustificat. capite 12. Cumel 1. 2. quæst. 79. art. 3. Lorca ibidem, & quæst. 111. art. 3. disput. 17. Cabrera 3. p. quæst. 18. art. 4. disputat. 6. dub. 5. ad 1. Malderus 1. 2. quæst. 111. art. 3. dub. 6. Suarez disputat. 8. de Pœnitentia sect. 2. Coninck ibidem disputat. 2. dub. 1. Valentia quæst. 3. de Gratia puncto 4. & plerique alij. 8. Vera sententia affirmans.

Probatur primò ex Scriptura, Actor. quinto ver. 51. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Vbi sermo est de Iudæis obduratis, & voluntariè excæcatis, de quibus Matth. 13. ver. 15. dictum etiam fuerat, *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Et tamen illi excitabantur à Spiritu sancto: alioquin non dicerentur ei semper resistere: neque iusta fuisset exprobratio, si auxilium sufficiens illis defuisset, eiúsque defectu, vocationi Spiritus sancti restitissent. Et 2. Petri 3. ver. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes*, nullo excepto, *ad pœnitentiam reuerti.* Ergo etiam peccatores quantumuis magnos, & insignes: de quibus etiam Isaiæ 49. ver. 14. & 15. Ieremiæ 3. ver. 1. & sequentibus, Ezech. 33. ver. 10. & 11. Sapient. 12. ver. 20. Actor. 2. ver. 38. Rom. 2. ver. 4. & 5. aliísque locis testatur Deus non esse consilium suum, vt ob peccata, quantumuis multa, & grauia, destituat prorsus quempiam necessario auxilio, sed potiùs velle vt conuertatur, & viuat, & iuuare ad pœnitentiam. Quibus verbis videtur ex professo voluisse Deus hanc falsam de seipso existimationem hominibus adimere. Speciatim verò notanda sunt illa Apostoli verba Rom. 2. ver. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Quæ 9. Probatur ex Scriptura.

increpatio manifestè supponit Deum non desinere sollicitare identidem peccatores ad pœnitentiam, eos etiam, qui duro corde, & impœnitenti, longanimi eius patientiæ resistunt & thesaurum iræ, hoc est, iram grauissimam, sibi accumulant, & eò grauiorem, quò Dei patientia diuturnior fuit: resistendo scilicet culpabiliter: quod non facerent, si gratia sufficienti ad conuersionem destituti essent. Et Sapient. 12. versu 20. & seqq. affirmat Sapiens Chananæos & Iebuzæos, licèt grauissimos peccatores & obstinatissimos (qui tamen, si vlli alij, deberent à Deo deseri) fuisse à Deo cruciatos cum magna attentione, dando tempus & locum per quem possent mutari à malitia: ad eum scilicet modum, quo medici solent attentè curare ægrotos, quos à graui morbo, & præsenti vitæ periculo liberare vehementer desiderant: in eúmque finem remedia, si opus est, asperiora adhibent, cùm leniora non sufficiunt; captando tempus & opportunitatem adhibendi.

10. *Et ex Patribus.* Ad idem confirmandum valent Sanctorum Patrum testimonia inferiùs referenda sect. 4. quibus affirmant generaliter, & sine exceptione, Deum omnibus adesse suâ gratiâ, neminémque ab illa excludere. Specialiter verò huc pertinet, quod ait Prosper in libro Respons. ad obiect. Vincent. cap. 15. *Nemini*, inquit, *Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Et quod dicit Augustinus serm. 11. de Verbis Domini cap. 13. Dei patientiam adducere quemlibet peccatorem ad pœnitentiam, quamdiu est in hac vita. Neque enim potest intelligi adducere, nisi ponat aliquo modo in eius potestate pœnitentiam & conuersionem. Eódem etiam spectat, quod ait de Pharaone lib. de Prædest. & gratia capite 15. causam cur periit, esse quia libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnauit arbitrio. Et libro primo quæst. ad Simplician. q. 2. potuisse currere Esaü si voluisset, sed vocatione contemptâ reprobum factum esse. Et Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. *Plena*, inquit, *est terra misericordia Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur*, &c. Et Cyprian. ad Demetrianum, sub finem, vbi spatium pœnitentiæ totam hanc vitam esse affirmat, sic dicens: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est: hic vita aut amittitur, aut tenetur: nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis*, &c. Et Gregorius lib. 17. moral. capite 4. *Quisquis delinquit, & viuit*, (post delictum, vita rationali, id est, cum rationis vsu) *idcirco hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat.*

11. *Confirmatur ratione.* Ratio denique huius assertionis, partim ex Dei bonitate, & voluntate sincera saluandi omnes, Christique Domini meritis, & redemptione vniuersali omnium; partim ex ratione viæ pro tota hac vita mortali constitutæ, sumenda est. Nam vera, & sincera Dei voluntas saluandi omnes penitùs, nullo dempto, vt probabimus disput. 26. sect. 2. debet omnibus prouidere media necessaria, & sufficientia ad finem verè & sincerè expetitum. Redemptio quoque generalis, & Christi mors pro peccatis totius mundi obita, próque omnium redemptione nullo excepto, vt ostendemus disput. citata sect. 5. illa inquam, redemptio, & reconciliatio vniuersalis omnium cum Deo, vt loquitur Apost. Coloss. 1. versu 19. intelligi nequit, nisi, saltem quantum est ex parte Dei, nihil desit vt per ipsum non stet, quò minùs possint, si velint, in illius gratiam redire. Ac denique contra rationem viæ est, vt quamdiu durat, constituatur aliquis in termino, vel statu damnationis: cuiusmodi essent illi, qui vel tota vita, vel post aliquod tempus, & peccata grauissima, penitus ac totaliter à Deo desererentur. Adde, præcepta, Sacramenta, & alia media salutis, peccatique remedia esse omnibus in commune totâ vitâ proposita: & neminem à baptismo, vel à Sacramento pœnitentiæ arceri, si velit: quin potiùs omnes à Deo inuitari, & iuberi accedere.

Notandum tamen primò, quamuis auxilium, sufficiens saltem, detur omnibus, vt seq. sect. 4. ampliùs confirmabitur: non tamen dari vnicuique singulis temporis instantibus. Neque enim continuò sentimus inspirationes, vel motiones pias; quas tamen, cùm sint actiones vitales, non possumus non experiri, quando præsto sunt. Neque Deus continuò mentem peccatoris illuminat, aut voluntatem excitat ad conuersionem; sed certis temporibus, & occasionibus variis, ex generali, vel speciali prouidentia occurrentibus: interdum etiam sine occasione, prout ipse expedire iudicauerit, aut necessitas postulauerit: quo pacto nunquam peccanti culpabiliter deest auxilium necessarium & sufficiens ad vitandum peccatum. Atque hoc sensu morali, non autem in rigore metaphysico, intelligendum est quod ait Concilium Senonense Decreto fidei 15. necessitatem, id est, indigentiam, gratiæ non præiudicare libero arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo, intelligendum inquam est illud cum aliqua moderatione, & limitatione, de qua dicemus paulò pòst. 12. *Adesse non quolibet instanti.*

Nota secundò, consultò additum fuisse, *quamdiu vita suppetit post peccatum*: quia non inficior Deum interdum punire morte peccatores in flagranti delicto: vel permittere vt occidantur ab aliis causis naturalibus, aut liberis. Patitur etiam nonnullos interfici in statu ebrietatis voluntariæ, vel mori dormientes, in statu peccati mortalis. Sed quando actu peccauerunt, habuerunt gratiam sufficientem ad non peccandum: alioquin non peccassent culpabiliter in eo, quod cauere non poterant; vt verè ait D. Aug. lib. de duab. animab. c. 11. & lib. 3. de lib. arb. cap. 18. Plerique etiam cùm à Deo miraculosè perimuntur, vel ab aliis causis perimi sinuntur, accipiunt illo ipso tempore gratiam, quâ possint resipiscere, & veniam peccati obtinere. Qui autem sunt peccato superstites, vocantur identidem ad salutarem pœnitentiam, remotè saltem, & mediatè, siue conscientiæ stimulis, siue aliquo alio instinctu, cui si cooperentur, iuuabuntur vlteriùs, donec perueniant ad contritionem, vel attritionem cum Sacramento. Id enim planè consentaneum est Scripturæ verbis omnes ad pœnitentiam adhortantis, affirmantísque Deum ad illam omnes, & singulos expectare, & nolle quemquam perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti: & cor durum atque impœnitens, the- 13. *Aut cuilibet postquam peccauit?*

saurizans sibi iram in die iræ, ignorare Dei benignitatem, à quo vocatur, & excitatur ad pœnitentiam, vt ait Paulus Roman. 2. versu quarto.

14. *Vera sententia confirmatur ex sensu Ecclesiæ, & ex Conciliis.* Ille etiam est sensus Ecclesiæ, omnium priuatorum Doctorum sententiis anteponendus, cuique omnes fideles suum debent sensum iudiciúmque submittere. Nam vult & præcipit vt omnes, & singuli adulti semel quotannis confiteantur, si in peccatum mortale lapsi sunt; & vt quicumque ætatem sufficientem habent, atque vsum iudicij, communicent saltem semel in Paschate. Manifestè supponens posse omnes, & singulos (inter quos sunt duri, & obstinati) per pœnitentiam Deo reconciliari, & fieri dignos communione corporis Christi. Et in magno Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica*, sub finem, definitur: *Fideles* (sine vlla exceptione) *in peccatum mortale prolapsos post baptismum, posse per veram pœnitentiam semper recuperari.* Et Tridentin. sess. 14. can. 1. credendum proponit sub pœna anathematis, Sacramentum pœnitentiæ institutum à Christo fuisse *pro fidelibus*, sine exceptione, *quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis.* Et denique Concilium Coloniense in Enchiridio, cap. de Sacramento pœnitentiæ: *Sextò, inquit, statuendum est, quòd Deus adeò vult omnes homines saluos fieri, vt nemini, quantumlibet scelerato, gratiam suam subtrahat.*

15. Quare non possum assentiri nonnullis, affirmantibus Deum habere decretum vniuersale deserendi perpetuò sine auxilio sufficienti eum omnem, qui ad certum quendam cumulum, vel ad certam aliquam grauitatem peccatorum peruenerit: aut habere decretum particulare deserendi aliquos in perpetuum, post certam quandam magnitudinem aut multitudinem peccatorum; licèt diu pòst rationis compotes viuant: ita vt nunquam eos ampliùs vocet ad pœnitentiam, neque iuuet, quidquid ipsi faciant, vt de statu peccati emergant: vel denique negare aliquibus auxilium ad salutarem conuersionem toto tempore vitæ, quando ordinarius prouidentiæ cursus, propter occursum obiectorum externorum, vel alias causas, illud postulat, aut Ecclesiæ præceptum de confessione, vel communione, tempore necessario. Hæc enim omnia minùs esse consentanea existimo præcepto illi, iudicióque Ecclesiæ, & definitionibus Conciliorum suprà relatis. Quamuis etiam Deus non immutet communiter ordinarium prouidentiæ cursum, vt post peccatum vita suppetat semper, & spatium pœnitendi: sed, vt dixi, permittat homines interdum in ipso flagranti delicto mori, vel in amentiam perpetuam incidere, aut interfici in ebrietate voluntariè contracta. Interdum etiam, sed rarò, morte puniat aliquos miraculosè in ipso actu peccandi: quibus desítne tunc semper auxilium ad conuersionem, non satis constat. Sed neque tunc deesse probabilius puto, si sincerè, & ex animo petant, & conuerti velint. Quódque in contrarium solet obiici de Antiocho 2. Machabæorum 9. *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus*; non obest, quia non orabat ex sincero affectu veráque detestatione peccati: sed solo vitæ temporalis desiderio, & animo adhuc adhærente peccato, vt indicant verba illa: *Orabat scelestus Dominum.*

Notandum tertiò, auxilium gratiæ sufficiens, aut efficax, non dari æqualiter omnibus, siue obduratis, siue aliis: sed quibusdam maius, & aliis minus; quibusdam frequentiùs, & copiosiùs; aliis parciùs, & rariùs, iuxta Dei beneplacitum, & diuersum prouidentiæ modum: vt patet experientiâ, & confirmat Scriptura Psalmo 147. *Non fecit taliter omni nationi*, &c. & Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone*, &c. & Lucæ decimo: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; & aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Amen dico vobis, quia multi reges*, &c. cùm autem Sancti Patres affirmare videntur omnes pari modo vocari, & Deum æqualiter prospicere omnibus; sensus est, Deum omnibus, nemine excepto, prospicere quantum satis est; licèt aliis aliter, & vnis meliùs quàm aliis. Quo etiam modo intelligendum est illud Sapient. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus*: cùm alioqui constet ex Matth. decimo, versu 29. & 1. Corinth. 9. versu 9. Maiorem Deo esse curam hominum, quàm passerum aut boum. Interdum etiam vnus & idem modò magis, modò minùs iuuatur, auxiliis magis vel minùs frequentibus, aut de se magis vel minùs efficacibus. 16. *Auxilia gratiæ non dantur omnibus æqualiter.*

SECTIO II.

Respondetur argumentis contrariis.

Ad fundamentum primæ sententiæ contrariæ, quòd scilicet non detur gratia sufficiens in hoc statu naturæ lapsæ, sed tantùm efficax, atque etiam necessitans voluntatem ad consensum, patet ex dictis disputat. 23. sect. 2. & sequentibus, vbi falsum & erroneum id esse demonstrauimus. De testimoniis autem à Iansenio productis dicemus paulò pòst. 17. *Euertitur fundamentum 1. sententiæ.*

Ad argumenta verò secundæ sententiæ respondeo primò, ea quæ dicuntur in Scriptura de quorundam excæcatione, & induratione, intelligenda esse de subtractione auxilij, non quidem sufficientis, sed maioris & efficacioris, quo fuissent conuersi. Alioqui verò ipsimet peccatores sese indurant, & excæcant, Deo permittente, & auxilia maiora subtrahente: vt explicatur Matth. 13. & Act. 28. vbi quod Isaiæ 6. & Ioan. 10. & alibi Deo tribuitur, nempe Iudæos excæcasse, & indurasse; tribuitur ipsis Iudæis, cùm dicitur, *Oculos suos clauserunt, Oculos suos compresserunt.* Idem enim locus Isaiæ ab omnibus supradictis citatur cum notata diuersitate, quæ confirmat, vel potiùs apertè tradit explicationem nostram. 18. *Soluuntur argumenta secunda.*

Secundò, quod dicitur Ecclesiastis 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit*: & quod aiunt Isaias cap. 5. & Ieremias capite 7. de desertione Iudæorum: intelligendum est de despectione & desertione Iudæorum ad tempus, & secundùm quid: non autem omnino & simpliciter. Enimuerò Scri- 19. *Deus ad tempus deserit.*

ptura significat aliis locis suprà relatis num. 9. nullum peccato superstitem, & ratione vtentem, totaliter & absolutè à Deo deseri, ita vt non aliquando tempore necessario præueniatur sufficienter, & excitetur ad pœnitentiam virtualem, aut formalem de peccato concipiendam, remotè saltem & mediatè; siue conscientiæ stimulis, siue aliquo alio instinctu excitatus ad aliquid, vnde, si cooperetur, tandem sequi possit conuersio, & iustificatio. Antiochus autem 2. Machab. 9. misericordiam consequutus non est, quia malè petebat, vt paulò antè dixi. Esaü denique non inuenit pœnitentiæ locum, licèt cum lacrymis quæsiuisset eum, Heb. 12. id est, non potuit efficere lacrymis suis & rugitu, vt patrem Isaac pœniteret benedictionis fratri minori datæ, factúmque suum, & sententiam retractaret.

20. *Quæ peccata, & quo modo irremissibilia?* Tertiò, quod significatur Hebr. 6. & 10. Matth. 12. Marc. 3. & Lucæ 12. peccata quædam esse irremissibilia, intelligendum est non simpliciter esse irremissibilia, sed difficilè remitti posse: vel quia egent alio remedio grauiori, & magis laborioso, quàm per baptismum, qui non potest iterari: de quo loquitur Apost. Hebr. 6. Vel quia specialiter opponuntur vocationi, & conuersioni: vt peccatum in Spiritum sanctum, de quo Matth. 12. Marc. 3. & Lucæ 12. id est, peccatum eorum, qui malitiosè oppugnant veritatem cognitam; & miracula, quibus illa confirmatur, arti magicæ adscribunt, despiciúntque omnia, quæ ad ipsorum salutem Deus facit. Quod peccatum specialiter committi dicitur contra Spiritum sanctum; quia agnitio veritatis, & confirmatio per miracula, specialiter & appropriatiuè tribuitur Spiritui sancto, Matth. 12. ver. 28. Ioann. 16. ver. 13. & 1. Corinth. 12. versic. 7. & 8. Peccatum verò ad mortem, de quo primæ Ioan. quinto, est peccatum impœnitentiæ finalis, quod specialiter vocatur peccatum ad mortem, quia infallibiliter adiunctam habet mortem æternam immediatè sequentem sine vllo remedio. Cùm enim duret actu vsque ad finem vitæ, non relinquit locum remedio salutaris pœnitentiæ. Vel etiam peccatum ad mortem vocatur illud, quod difficilè remittitur, & damnationem adiunctam habere solet; cuiúsve remissio, non à quolibet impetrari potest, sed fortè à viris sanctitate eximiis: propter quod Ioannes ait, *Non pro illo dico vt oret quis?* Sicut morbus lethalis vocari solet ille, qui difficilè curatur, & mortem solet afferre, manúmque exposcit medici peritissimi, à quo etiam vix, & ægrè curari potest.

21. *Exponuntur loca Augustini.* Quod denique attinet ad Diuum Augustinum, Respondeo mentem illius esse quibusdam in locis citatis ab aduersariis, quòd ad tempus deserantur interdum peccatores, in pœnam peccatorum præcedentium: sed tunc quòd non conuertantur; non imputatur illis ad culpam, destitutis quippe auxilio, sine quo non possunt: sed quòd tales se præbuerint vt destitui mererentur: quemadmodum de Pharaone dicit in Expositione quarundam propositionum ex epistola ad Roman. numer. 62. *Non ergo hoc illi imputatur*, inquit, *quòd tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur, præcedenti infidelitate.* In aliis sensus est, quòd licèt non planè destituantur auxiliis gratiæ; minora tamen & pauciora illis suppeditentur, subtrahantúrque maiora, & copiosiora, quæ aliis solent exhiberi. Ideóque dicuntur à Deo indurari, permissiuè scilicet, quia hoc modo permittit vt maneant in obstinatione voluntaria, negando maiora, atque efficaciora auxilia ad frangendam eorum contumaciam, & molliendum cor durum; minoribúsque tantùm & infrequentioribus præueniendo, quamuis sufficientibus, si vellent ipsi cooperari. Et quidem neque Pharaonem, quamuis obstinatissimum, fuisse planè destitutum sufficienti auxilio, docet ipsemet Augustinus verbis infrà citandis numer. 33. Et de obduratissimis Iebuzæis, & Chananæis idem affirmatur Sapient. duodecimo verbis suprà relatis numero nono. Et Paulus ad Roman. secundo dicit bonitatem Dei ad pœnitentiam adducere conati eos, qui secundùm duritiem suam, & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ. Et 2. Petri 3. Versu 9. dicitur velle omnes ad pœnitentiam reuerti. Ergo subinde eos iuuat vt conuertantur, & agant pœnitentiam: alioquin quomodo vellet, & expectaret vt eam agerent destituti auxilio, sine quo est impossibile eam agere, & conuerti? In alterutrum ex his duobus sensibus intelligendus est Diuus Augustinus locis productis à Iansenio toto capite decimo libri 3. de Gratiâ Christi, ne videatur ad alterum extremum nimis declinâsse, vt interdum ei contigisse notarunt Doctores grauissimi, & apprimè Catholici, alibi relati.

Speciatim verò, quod opponitur ex quæstione secunda ad Simplicianum, Deum obdurare non miserendo; & non frustra misereri, quia si miseretur, peccator conuertitur: non aliud significat, quàm Deum non præuenire gratiâ congruâ (id est, præuisâ habiturâ effectum) peccatorem qui non conuertitur, quíque reipsa conuerteretur, si Deus eum præueniret tali modo, & tali auxilio, cui præscit fore vt infallibiliter consentiret. Habet enim in thesauro potentiæ suæ auxilia quibus præscit fore vt obstinatissimi consentiant, vt ait Augustinus quæst. citata. Qua de re, déque hoc ipso loco Augustini plura diximus alibi. Eodémque sensu intelligenda sunt quæ addit ex lib. Expositionis quarundam propositionum epistolæ ad Roman. numer. 62. & tract. 53. in Ioannem. Quod verò addit Iansenius, excæcatum vocari ab Augustino *destitutum omni lumine veritatis*, lib. de Perfect. iustitiæ c. 19. planè falsum est, & pessima fide obiectum. Cùm Augustinus nihil aliud ibi dicat, quàm eum, qui vult præcepta seruare, debere gratias Deo agere de eo ipso quòd vult, quia ne quidem hoc facere posset sine auxilio, & illuminatione Spiritus sancti: quippe *qui destitutus omni lumine veritatis, hæc* (præcepta seruare) *velle non posset.* Quibus verbis manifestum est non aliud significari, quàm auxilium gratiæ esse necessarium ad hoc ipsum vt velimus obedire præceptis; contra errorem Pelagianorũ, & nominatim Celestij, quem toto illo libro impugnat. Atque hoc etiam euidenter 22.

patet ex præcedentibus & sequentibus eodem capite: vbi in hoc vnum incumbit, vt probet auxilium gratiæ esse necessarium ad ipsum bene velle. Cùm autem scribit tract. 53. in Ioannem, *hinc excæcari peccatores & indurari, quia negando diuinum adiutorium, non adiuuantur:* potest commodè exponi, non quòd penitus non iuuentur, sed quòd non iuuentur auxilio congruo, & maiori, aut frequentiori, cui præberent assensum. Eodémque sensu accipiendum est quod ait in Ps. 147. *Ecce deserit peccatorem: ecce non vocat* (vocatione congruâ) ecce non aperit sensum. vbi etiam loquitur de desertione non simplici & totali, sed ad tempus & secundùm quid, vt suprà exposuimus: loquitur enim de Paulo Apostolo, qui posteà fuit mirabiliter à Christo conuersus, & de obstinato persecutore contra stimulum calcitrante factus eximius fidei prædicator. De qua etiam intelligendum est quod sequitur; *Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit?* vt patet ex verbis immediatè sequentibus, *Gratia Dei*, &c. Et quod ait q. 14. in Matth. *Cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse: quâ tamen excæcatione non potuerint credere.* Quanquam hoc etiam intelligi potest de impotentia voluntaria, magnáque difficultate credendi, orta ex eorum vitio, quæ moralis impotentia dici solet, & de qua Christus dicebat Ioan. 5. *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem quæritis?* Quo etiam sensu ait Augustinus libro septimo de Ciuitate Dei capite 19. *Quid mirum si cælestia non suspiciunt, qui vt in terrena sint proni, dorsum eorum semper incuruum est?*

23. Cùm autem affirmat *excæcatum amisisse oculos cordis, & extinctos illos esse*, concione in Psalm. 57. & lib. de natura & gratia capite 51. potest intelligi de amissione & extinctione temporanea, siue de desertione secundùm quid, per subtractionem auxilij necessarij, sine quo non habet potentiam completam videndi, & cuius priuationem ac subtractionem pœnam esse peccati, pendereque à Dei voluntate vt tollatur, frustra probat Iansenius, cùm nulli Catholico id dubium sit. Quod deinde ait lib. de Corrept. & gratia capite vndecimo, nunc deesse quibusdam adiutorium, sine quo manere, id est, stare in iustitia non possunt: & sine quo nec Angelus, nec primus homo manere poterant, seu perseuerare in accepta iustitia: non potest intelligi in rigore de defectu omnis auxilij necessarij ad perseuerandum: ne manifestum errorem contineat: cùm certum sit, & expressè definitum ab Arausicano can. vicesimo-quinto: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credendum esse, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptisati (Christo auxiliante, & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere:* adeóque perseuerare. Nam ad perseuerandum nihil aliud requiritur, quàm ea quæ pertinent ad salutem adimplere. Idémque definit Tridentinum sessione sexta capite 13. dicens de iustificatis, tametsi de perseuerantiæ dono nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceri possit (citra specialem reuelationem) *In Dei tamen auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debere: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Cetera quæ addit Iansenius ex libro de natura & gratia capite 22. & 23. & concione in Psalmum 77. intelligi facilè possunt de desertione ad tempus: atque ita nihil profert ex Augustino, quod iuxta distinctiones suprà datas non possit commodè & benignè explicari.

SECTIO III.

Detúrne infidelibus gratia sufficiens ad salutem, vel ad fidem? Refertur sententia negans Caluinistarum, & Iansenij.

QVÆSTIO est non de infidelibus qui aliquando conuertuntur, aut etiam reipsa salutem æternam consequuntur; de quibus dubitari nequit an accipiant gratiam sufficientem, imò & efficacem, cuius ope vtrumque faciant: sed de infidelibus manentibus in infidelitate, præcipuéque de illis, quibus nunquam annunciatur Euangelium; de quibus maior esse potest dubitandi ratio. 24. *Status quæstionis.*

Ad quæstionem igitur sic propositam negatiuè respondent Caluinistæ, inter quos Petrus Molinæus, celebris inter recentes Caluini ministros, in epistola ad Synodum Dordrectanam, quæ habetur in eius actis pag. 395. sic ait: *Gratiam vniuersalem datam omnibus hominibus,* (etiam infidelibus) *quæ vel mediatè vel immediatè sufficiat ad perueniendum ad salutem, nullam agnosco.* Et in altera epistola, quam refert Malderus 1. 2. q. 111. art. 3. dub. 5. memb. 1. sic habet: *Pessimum quod reperio in opinionibus istis nuperis, est gratia ista sufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus, etiam illis, quibus nunquam annunciatus est Christus, & qui nullum medium habent instructionis suæ, quales sunt multæ gentes barbaræ, quæ nihil vnquam de Christo audiuerunt.* Pro eadémque sententia Synodus illa Dordrectana rigidorum Caluinistarum, seu Gomaristarum, contra Arminianos pronunciauit. Et Petrus Martyr in locis communibus titulo de Prædestinatione num. 38. *Videndum est,* inquit, *an gratia omnibus hominibus proponatur communis?* Cui quæstioni respondet ex sua & reliquorum Caluinistarum sententia: *Nos nequaquam dicimus omnium communem esse gratiam, sed aliquibus concedi, aliis verò Dei arbitratu non dari. Atque pro ista sententia hæc Scriptura loca inducimus, Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Mirórque aduersarios* (id est, Catholicos) *dicere omnes homines à Deo trahi, sed non omnes velle accedere.* Et paulò pòst id confirmat exemplo Tyriorum & Sidoniorum infidelium. Caluinus quoque lib. 2. Institut. capite 3. num. 10. dicit Deum non quoslibet dignari gratiâ: & deridendos esse *qui putant promiscuè dari omnibus, quod speciale est gratuitæ electionis testimonium.* 25. *Negant Caluinistæ.*

Idem quoque de infidelibus docet Iansenius lib. 3. de Gratia Christi Saluat. cap. 11. cuius titulus est, *Infideles carent gratia sufficienti ad salutem tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis eius.* Affirmátque nullam in doctrina Augustini dubitationem id pati posse. Nam primò quidquid dixit locis relatis disputat, 26. *Idem sentit Iansenius.*

precedenti de Iudæis carentibus gratia sufficienti ad salutem, & legem seruandam; multò magis locum habet in infidelibus, qui præter difficultatem ortam ex naturæ corruptione, laborant profundâ ignorantiâ rerū agendarum, & cauendarum. Secundò, eòdem pertinet, quod ait de statu ante legem, & sub lege. Nam in alterutro, aut in vtroque versantur infideles. Vterque autem est expers gratiæ, & ab Augustino vocari solet *statum ante gratiam*: vt per hoc ipsum significet vtrumque statum carere gratiâ non solùm faciendi bonum, sed etiam abstinendi à malo, & resistendi concupiscentiis. Tertiò, nullum opus bonum, seu quod non sit peccatum, fieri potest ab infidelibus, iuxta doctrinam eiusdem Augustini pluribus locis alibi relatis; quippe qui carent principiis faciendi opus moraliter bonū, quamdiu manent infideles: sunt enim hæc duo principia, iuxta eundem S. Doctorem: nimirum dilectio Dei seu iustitiæ, quæ in omni opere etiā moraliter bono dominari debet, atque ita dominari, vt nisi adsit, non nisi peccatum futurum sit opus quod ex alia quacunque dilectione nascetur. Hæc autem dilectio Dei non potest haberi sine gratia: & illâ prorsus destituti sunt infideles, qui ne quidem Deum esse agnoscunt. Atque ita deest illis etiam alterum principium necessarium ad bonum operandum, peccatúmque vitandum: nempe fides veri Dei, & Christi eius, sine qua fide non potest haberi dilectio Dei ad omne opus bonum necessaria, vt suprà diximus, & confirmat Augustinus concione in Psalm. 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt*, inquit, *quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est, vt antecedat fides, vt inde ista, non ab istis incipiat illa: quoniam nullus operatur per dilectionem; nisi priùs credat in Deum.* Similia dicit præfatione in Psalm. 31. & libro quinto de Ciuitate Dei capite 10. & 21. & præfatione in Psalm. 35. & libro quarto contra Iulianum capite 3.

27. *Probat ex Augustino.* Vnde patet, inquit, quantopere Scholastici distent ab Augustino, cuius doctrinæ repugnant è diametro. Nam illi, quia vident infideles gratiâ dilectionis Dei, & fidei manifestè destitui: ne tamen illos sine interna potestate salutis obtinendæ derelinquerent, mediatè fidem ac dilectionem in eorum potestate collocarunt: quia videlicet habent gratiam, quâ possint non ponere impedimentum illustrationibus Dei, quibus adducantur ad fidem legis naturalis præcepta seruando. Contrà verò, Augustinus videns non posse sine fide vel totam legem naturalem, vel vllam eius partem seruari; recurrit ad fidem, atque ad dilectionem Dei, tanquam ad primam gratiam infidelium, quâ possint & naturalis legis præcepta seruare, & ea seruando salutem consequi sempiternam. Nam ante fidem Augustinus nullam omnino gratiam, siue efficacem, siue sufficientem ad quidquam bene operādum, in infidelibus nouit. Fides enim est quæ impetrat gratiam, & adiutorium ad legem seruandā: vt docet lib. de gratia & lib. arbit. c. 14. & lib. de spir. & lit. c. 30. & 32. & ep. 106. aliísque locis. Ab eadémque incipit omnis hominum mutatio ad bonum, ita videlicet vt omnis iustitia boni operis, omnis bonitas siue moralis, siue alia quæcunque, à fide sumat exordium; cùm ante gratiam fidei non possit alius esse homo, quàm peccator, & præuaricator legis: vt ait lib. de gestis Pelag. c. 14. & lib. 2. ad Bonif. c. 10. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. Inde etiam incipit ipsa prima cupiditas seu voluntas boni, quæ per ipsam fidei gratiam inspirari debet, & sine illa lex tantùm ad hoc valet, vt agnitâ infirmitate nostrâ compellat nos recurrere ad gratiam, cuius ope lex impleatur: vt idem Augustinus ait libro primo de nuptiis cap. 19. & epist. 89. & lib. de naturâ & gratia cap. 15. alibique sæpius. Eandémque ob causam hæc conuertuntur apud Augustinum, *esse sine gratia, esse sine fide, & esse sine gratia fidei*: itémque, *non posse sine fide præcepta impleri, & non posse sine caritate.* Eandem denique ob causam Concilium Arausicanum can. vltimo sic pronunciauit: Deus nobis fidem, & amorem sui priùs inspirat, vt cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.

28. *Occurrit obiectioni.* Addit Iansenius capite duodecimo ineptè recurri ad gratiam sufficientem ordinis naturalis, quâ infideles seruare possint legis naturalis præcepta; cùm ad legem seruandam, & quamcunque eius partem non sufficiat nisi gratia fidei quæ per dilectionem operatur: quam gratiam Christus ad carnis concupiscentias reprimendas atque superandas nobis morte suâ meruit, & non habetur nisi per infusionem Spiritus sancti, adeóque supernaturalis est. Neque enim lex etiam naturalis, aut quælibet eius pars seruari potest, nisi ex dilectione Dei & iustitiæ, id est, diuinæ bonitatis relucentis in æquitate præcepti. Si enim seruetur ex motiuo timoris, aut amoris cuiuscunque rei creatæ; non impletur lex, sed animus aliquo affectu vitioso inquinatur: vt sæpius docet Augustinus locis alibi citatis. Denique doctrinam illam de gratia sufficienti infidelium dicit Iansenius ortum habuisse à Massiliensibus, cæterísque Semipelagianis, indéque in Catholicorum scholas translatam esse. Cùm enim Augustinus frequenter inculcaret Deum gratiam suam dare quibus vult, & non dare quibus non vult: vnum iuuare, alium sine auxilio deserere: Massilienses doctrinam illam respuentes veluti decretorum fatalium auctricem, quibus Deus vnum ab altero discerneret, voluntatem generalem salutis omnium in Deo excogitarunt, & ex illa gratias sufficientes ad assequendam salutem, maximéque ad legem naturalem custodiendam in omne genus hominum diffuderunt: vt patet ex Fausto Rhegiensi libro primo de Gratia & libero arbitrio capite tertio, & ex Prospero in epistol. ad Augustinum præfixa libro de Prædestinat. Sanctorum, vbi de iisdem Massiliensibus sic loquitur: *Hæc ipsorum definitio est: Omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse: & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicunque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint.* Et paulò pòst: *Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem: aut diuersarum naturarum dici Dominum Conditorem*,

si nemo aliud possit esse quàm factus est. Et longè inferiùs: *Ita demum enim posse vnumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari, si se sciat suâ diligentiâ bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio iuuandam, si quod Deus mandat elegerit.* Hæc de illis Prosper: quibus similia dicit Faustus loco suprà cit. ex sua & aliorum Semipelagianorum sententia.

SECTIO IV.

Sententia affirmans vera & certa esse probatur.

29. CONTRARIA sententia, quæ affirmat non deesse infidelibus, neque aliis quibuslibet adultis gratiam sufficientem ad salutem, est communis omnium Doctorum Catholicorum, támque perspicuè tradita in sacris literis, & à sanctis Patribus confirmata, vt sine temeritate & errore negari nequeat.

Sententia affirmans probatur ex Scriptura. Probatur ergo primò ex Scriptura, Sapient. 12. ver. 1. *O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Ideòque eos qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant admones, vt relictâ malitiâ credant in te Domine.* Vbi particula, *in omnibus*, ad homines vel solùm, vel præcipuè refertur, circa quos, si exerrant, & peccant, corrigendos, atque ad pœnitentiam inuitandos Spiritus Domini suauis est. Alia versio Vatabli iuxta Græcum sic habet: *Nam omnibus incorruptus tuus inest Spiritus, per quem lapsos paulatim coarguis, & in peccatorum memoriam reducens, admones, vt relictâ malitiâ, in te Domine collocent fiduciam.* Quod autem dicit, *corripis partibus*, idem est, ac *per partes*: quasi dicat, Non eos corripis simul iram totam profundendo: sed sensim, & paulatim (Græcè, κατ' ὀλίγον) admones, & alloqueris, tum interiùs per pias inspirationes, tum exteriùs per castigationes & plagas. Ibidémque ver. 3. & pluribus sequentibus, ostendit Cananæos, tametsi infideles, & idololatras, non fuisse à Deo destitutos auxiliis quibus conuerti possent, & agere pœnitentiam. De iisdémque sic ait ver. 20. *Si enim inimicos seruorum tuorum & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia: cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* &c. Et sequenti cap. 13. docet generaliter infidelibus, & omnibus hominibus, quibus non subest scientia Dei, non defuisse medium sufficiens, quo ad eius notitiam salutarem peruenirent. Idémque docuit Apost. Act. 17. ver. 25. loquens Areopagitis: & cap. 14. ver. 16. dicens Lycaonibus, Deum apud infideles, & omnes gentes, quas præteritis generationibus dimiserat ingredi vias suas, non tamen sine testimonio semetipsum reliquisse, benefaciendo omnibus &c. Et Rom. 1. ver. 19. de Gentilibus ait, Deum se illis sufficienter manifestasse, ita vt sint inexcusabiles.

30. Eòdem pertinet illud Ioan. 1. ver. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, iuxta interpretationem Chrysostomi, & Clementis Alex. multorúmque aliorum, qui hunc locum intelligunt de supernaturali illuminatione illustrâre omnes quantum est ex parte ipsius lucis: ita vt, si aliqui non illuminentur, non ex lucis defectu, sed ex ipsis id procedat. Et 1. Timoth. 2. ver. 4. dicitur Deus velle *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quæ voluntas vana esset, nisi omnibus media suppeditaret, quibus salui fieri possint. Et 2. Petri 3. ver. 9. additur ad excludendam omnem exceptionem, & tergiuersationem aduersariorum, Deum *nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: ac proinde, ne frustra velit, dare omnibus auxilium sufficiens vt agant pœnitentiam. Quibus verbis vtriusque Apostoli conformiter definiuit Concilium Valentinum III. sub Lothario celebratum anno 855. *Nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt: suóque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Et Coloniense parte 7. cap. 32. *Quanquam*, inquit, *nemo conuertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem: attamen nemo hîc excusationem prætexat, quòd non trahatur: quòd ille semper stet ante ostium pulsans: nimirum per internum, & externum verbum commonens, vt conuertamur à via nostra pessima.*

Eadem est doctrina Sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum. Sic enim è Græcis expressè docent Dionysius lib. de cælesti Hierarchia cap. 9. *Nempe*, inquit, *& aliis gentibus, ex quibus & nos, ad infinitum, & immensum diuini luminis pelagus, quod semper paratum est, & patet omnibus ad participandum, ex præteriti erroris cæcitate respirauimus, & ad quod sanè obsequentes ducebant Angeli præpositi singulis gentibus.* Et Clem. Alex. lib. 2. Strom. *Diuinum Verbum clamauit*, inquit, *omnes simul vocans, eos quidem, vel maximè cognoscens, qui non erant parituri: & tamen, quoniam est in nostra potestate parêre, & non parêre, vt nulli possint prætexere causam ignorantiæ, iustam fecit vocationem.* Atqui possent iure prætexere causam ignorantiæ, qui non parent; si carerent auxilio sufficienti, sine quo parêre nequeunt. Et Chrysost. hom. 7. in Ioan. circa illa verba, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, affirmat gratiam in omnes diffundi, neminémque excipere aut dedignari. *Qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputare debere. Cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propria duntaxat malitia ingredi recusant.* Falsùm hoc esset, si ideo non ingrediuntur, quia non possunt, destituti auxilio necessario. Et hom. 16. in epist. ad Rom. docet neque reprobis hanc gratiam deesse, neque Pharaoni defuisse: ita vt solùm steterit per eius voluntatem, quòd salutem consecutus non sit. 31. *Et ex Patribus.*

32. *Et speciatim ex Augustino.* E Patribus verò Latinis idem non minùs expressè docent Cyprian. epist. 59. vbi ait, Deum *omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata se præbere patrem* (aliàs *parem.*) Hilarius lib. 2. de Trinit. in fine, vbi exponens illud Apostoli, *Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*, sic ait: *Munus, quod in Christo est, omne omnibus patet vnum, & quod vbique non deest, in tantum datur, in quantum quis volet sumere.* Et Arnob. lib. 2. aduersus Gentes, *Omnibus vniformiter Deus potestatem ad se veniendi facit. Patet, inquit, omnibus fons vitæ, nec ab iure potandi quisquam prohibetur aut pellitur.* Et Ambros. serm. 8. in

Psal 118. *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: vt si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideo Sol non est ortus omnibus, quia calore eius se ipse fraudauit: sed quod Solis est, prærogatiuam suam seruat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit.* Ac ne de gratia solùm externa loqui videatur, subiungit: *Docet autem Deus, & mentes illuminat singulorum, & claritatem cognitionis infundit: si tu aperias ostia cordis tui, & cælestis gratiæ recipias claritatem.* Et verò si gratia interna intellectus, aut etiam voluntatis deesset; non rectè diceret eos qui non credunt in Christum, generali beneficio se fraudare, & sua culpa non credere. Similia dicit Hieronym. in commentario epistolæ ad Titum, super illa verba, *Apparuit gratia Dei Saluatoris omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

33. Idem non minùs perspicuè docet S. Augustinus pluribus locis: vt lib. 83. quæst. q. 68. cuius verba retulimus disp. 23. sect. 3. nu. 18. quibus affirmat stare per culpam infidelium quòd non veniant ad cœnam Euangelicam, ad quam vocantur. Et lib. 1. quæstionum ad Simplician. q. 2. dicit non defuisse adiutorium Esaü quo posset currere & peruenire si vellet, sed ipsum vocatione contemptâ reprobum factum esse. Et lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 3. dicit lumen gratiæ, de quo manifestè ibi loquitur, illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque ex mente D. Augustini, ne infidelibus quidem, & reprobis deest auxilium gratiæ sufficientis ad conuersionem. Et Prosper eius discipulus lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 17. *Etiam nunc*, inquit, *in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris*, id est, Euangelium, *illuxit: quibus mensura tamen generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper hominibus est præstita, non negatur.* Et cap. 29. sic pronunciat: *Vniuersitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit: vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat, de abnegato sibi lumine veritatis: neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari.*

34. *Et ex Theologis.* Idem etiam docent communi consensu Theologi, D. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 159. in fine: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam: vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Timoth. 2. Sed illi soli gratia priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur.* Et lect. 5. in cap. 6. Ioan. q. 3. postquam dixit Deum omnes ad se trahere velle, omnibúsque manum porrigere, ita concludit: *Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non ei imputatur si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit.* Et D. Bonauent. in 1. dist. 40. art. 4. q. 2. ex illis Christi verbis Ioan. 6. *Omnem, qui venit ad me, non eiiciam foras.* sic infert: *Ergo paratus est Deus omnes complecti. Ergo defectus illustrationis non venit ex parte Dei, sed ex parte nostra.* Et in 3. dist. 25. art. 1. q. 2. ad vlt. arg. de Gentilibus sic ait: *Diuina gratia omnibus præsto erat.* Similia dicunt Alensis 1. part. q. 28. memb. 2. art. 2. Scotus in 1. dist. 46. q. vnic. ad 1. argumentum, Capreolus ibid. art. 2. conclus. 4. Gabriel ibid. dist. 41. q. vnic. art. 3. dub. 3. Ricard. in 2. dist. 28. art. 1. q. 3. ad 4. Durandus in 3. dist. 25. q. 1. num. 9. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 159. §. *Ad huius.* Malder. ibid. quæst. 111. art. 3. dub. 5. membro 1. Ledesma disput. de auxiliis gratiæ art. 16. q. vnic. & plurimi alij, quorum aliquot testimonia retulimus disp. 23. num. 20. & 21.

Ad idem confirmandum valent rationes disp. 25. sect. 3. allatæ. Quòd nimirum, cùm omnes adulti teneantur seruare Dei præcepta; & non possint ea seruare sine auxilio gratiæ: Deus, qui non præcipit impossibilia, (quod ne tyranni quidem faciunt) tenetur ratione suæ sapientiæ, & æquitatis, suppeditare illis omnibus quidquid est necessarium vt possint ea seruare; siue exteriùs, siue interiùs, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Suppeditare, inquam, vel proximè, vel remotè, ita vt tandem culpâ ipsorum stet, quòd non viuant conformiter Dei mandatis. Itèm, cùm Deus sincerè velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt ait Apostolus 1. Timoth. 2. Ne id velit inutiliter, oportet eum præbere omnibus auxilia necessaria, quibus ad agnitionem veritatis, & salutem peruenire possint. Cúmque omnes, nemine excepto, per Euangelij sui prædicationem inuitari velit ad fidem, & cælestem beatitudinem, omnibúsque baptismum, & alia Sacramenta, mediáque externa in eum finem proponi: ne simulatoria sit eiusmodi voluntas, & inuitatio, Déique bonitate, & sapientiâ prorsus indigna; debet interiùs suggerere illustrationes intellectus, & pias motiones voluntatis, necessarias, & sufficientes vt possint credere, & viam salutis ingredi, ac tenere. 35. *Confirmatur ratione.*

SECTIO V.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

QVÆ primo loco opponit Iansenius, nimirum, quòd iuxta principia Augustini Iudæi gratiâ sufficienti caruerint: ergo multò magis infideles: quòd ante legem, & sub lege viuentibus nulla detur gratia: quòd nullum opus bonum possit fieri ab infidelibus, quippe qui careant principiis bene operandi, vera fide scilicet, & dilectione iustitiæ, siue ipsius Dei: quódque fides sit initium boni operis impetrans gratiam & adiutorium ad bene operandum, & legem seruandam, ab illáque incipiat omnis mutatio ad bonum, &c. Hæc inquam omnia alibi explicata vel refutata fuerunt disputat. 21. & 24. Sed neque locis illis à Iansenio relatis, neque vsquam alibi negat Augustinus infideles & barbaros, quibus lumen Euangelij nunquam affulsit, habere auxilium sufficiens, non tantùm in causis vniuersalibus à Deo institutis pro salute omnium: cuiusmodi est Euangelium vbique prædicandum ex intentione Christi, & Sacramenta ab eo instituta, vt omnibus adhibeantur: sed etiam, quia Deus, quod in se est, omnes illuminat, 36. *Solutur 1. argumenti, quòd gratia suffic. Iudæis defuerit.*

minat, licèt ipsi nihil faciant dignum huiusmodi illuminatione, vel ad illam quidquam per se conferant, imò potiùs impedimentum ponant. Illuminat, inquam, identidem opportunis temporibus, per se, vel per alias causas, præcipuè per Angelos custodes, qui non sunt otiosi, aut negligentes in procurando præcipuo negotio, propter quod homines sunt ipsis à Deo commissi. Et licèt ad huiusmodi illuminationem nihil per se conferant ipsi per opera merè naturalia: si tamen naturaliter bene viuant, & dictamen rationis sequantur, quoad possunt; minùs indignos se reddunt vocatione diuina: sicut ex opposito, quando malè viuunt contra lumen naturale, ponunt gratiæ impedimentum, & lumini supernaturali viam quodammodo obstruunt.

37. *Diluitur secundum, quod desit infidelibus.* Secundò, ad testimonia D. Augustini, quibus contendit Iansenius affirmari infideles carere gratiâ sufficienti ad salutem, tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis eius: Respondeo sensum illorum esse, vel quòd infideles, manentes culpabiliter in infidelitate, non obsequuntur adiutorio gratiæ, proximè vel remotè vocanti ad fidem: vt cùm in quæst. 15. super Deut. in fine, dicit *Infideles non contemperari adiutorio gratiæ:* id est, non se illi accommodare, & subiicere per consensum: propter quod addit: *Sed ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Vel quòd careant gratiâ, quâ in die resurrectionis liberentur à morte æterna, & corpus hoc mortale induat immortalitatem. Vt cùm ait sermon. 5. de Verbis Apost. capite vndecimo: *Pagani non habent gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, &c.* Nam ex verbis præcedentibus, & sequentibus clarum est hunc esse illius sensum. Hoc enim dicit exponens Pauli verba Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et Paulum interrogat cur sic gemat, & ita respondeat? *Numquid enim Pagani, qui non habent gratiam Dei per Iesum Christum, non morientur? Non quandoque die vltimo à carne soluentur? Non illo die à corpore mortis huius liberabuntur? Tu, quid est, quòd pro magno gratiæ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum vis tribuere, quia de corpore mortis huius liberaberis?* Tum addit, respondere Apostolum, *Scio quid loquar. Paganos dicis liberari à corpore mortis huius, quia veniet dies vltimus vitæ huius, & soluentur ad tempus à corpore mortis huius. Veniet & dies, quando omnes, qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: Ecce liberati à corpore mortis huius. Qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicij: Ecce redierunt ad corpora mortis huius. Corpus mortis huius redit ad impium, nec inde aliquando soluetur.* Manifestum est, quod dixi, Augustinum hîc loqui non de quacunque gratia, sed de illa, quæ liberat à morte æternâ; quâ nemo negat carere eos omnes, qui moriuntur in infidelitate.

38. *Quo sensu dicit Augustinus gratiam illis deesse?* Aliis verò quibusdam locis significat non posse infideles bene operari ad vitam æternam consequendam, neque gratiam ad hoc proximè necessariam accipere, nisi credant. Vt cùm ait libro primo ad Simplic. q. 2. non posse hominem bene operari, *nisi perceperit gratiam. Incipit autem percipere gratiam ex quo incipit credere Deo, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.* De qua eadem gratia, fidelium propriâ, intelligendum est quod ait libro de Gratia, & libero arbitrio, capite 13. *Gratiam, quam commendat Apostolus, per fidem Iesu Christi, eorum tantummodo esse, quorum est ipsa fides.* Quo etiam sensu dicit Arausicanum can. 25. *Deum nobis fidem, & amorem sui, priùs inspirare, vt cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Interdum etiam non aliud sibi vult, quàm infideles habere minora, & infrequentiora auxilia; licèt omnino illis destituti non sint. Vt cùm sic ait in Psal. 136. *Quando illos videmus, & tam steriles inuenimus, vt difficilè nobis appareat in eis aliquid, vnde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi, vel ad concupiscentiam liberationis à captiuitate mortalitatis: scripturas nonimus, quas eis dicamus.* Vbi notanda sunt hæc verba, *vt difficilè nobis appareat, &c.* quæ significant non omninò deesse illis vocationem ad fidem, quamuis non facilè nobis appareat quænam, & quanta sit. Alibi denique sensus illius est, quòd infideles auxiliis sibi oblatis non respondeant, sed resistere soleant. Vt cùm addit consequenter ad verba relata: *Sed quia nullum fructum in eis inuenimus, auertimus ab eis faciem, & dicimus: Adhuc isti non sapiunt, non capiunt; quia quidquid illis dixeris, sinistrum, & aduersum habent.* Et in Psal. 134. ob eam causam dicit hos infideles idolis similes esse, quia *aures habent, & non audiunt; nares habent, & non odorantur. Non sentiunt illum odorem, Christi bonus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco, &c.* Nimirum, quia vt de illis ait Scriptura, *Oculos suos clauserunt:* &, *Excæcauit illos malitia eorum:* id est, voluntariè auersantur lucem sibi oblatam, & odorem illum cælestem dedignantur percipere. Eodémque modo intelligendum est, quod de iisdem infidelibus scripsit August. in Psal. 87. in fine, *Occultam Dei gratiam, quâ homines trahuntur ad fidem, non operari in illis,* id est, non sortiri suum effectum, defectu cooperationis ex parte ipsorum.

Tertiò, ad id quod sæpius inculcant Iansenius, & alij eius Apologistæ, post Caluinum libro secundo Institut. capite tertio, & Petrum Martyrem in locis communibus tit. de Prædestinat. num. 38. & tit. de Iustificat. numero 24. *Communem esse omnibus naturam, non gratiam,* vt ait August. serm. 11. de Verbis Apost. cap. 4. Ergo falsum est dari omnibus gratiam sufficientem: hoc enim est eam vertere in naturam. 39. *Et communem esse omnibus naturam, non gratiam.*

Respondeo sensum D. Augustini eo loco esse, naturam humanam communem esse omnibus hominibus, *Quæ,* inquit, *si putetur gratia, ideo putetur gratia, quia & ipsa gratis concessa est: non enim homo, qui non erat, promeruit vt esset. Sed gratiam iustificationis, & adoptionis, quâ sumus populus eius, & oues pascuæ eius, non esse omnibus communem: quia scilicet non omnes iustificantur, & adoptantur reipsa: & hanc esse propriè gratiam:* id est, non impropriè sic dici, sicut natura dicitur impropriè gratia. Eodémque sensu addit consequenter cap. 5. *Exceptâ illâ communi gratiâ naturæ, quâ homines facti sumus, nec digni fuimus: exceptâ illâ gratiâ: hæc est maior gratia, qua facti sumus populus eius, & oues pascuæ eius per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et cap. 6. initio 40.

Exceptâ ergo illâ gratiâ (impropriè dictâ) *quâ condita est humana natura: hæc enim Christianis, Paganisque communis est: hæc est maior gratia*, (& propriè dicta) *non quòd per Verbum homines creati sumus, sed quòd per Verbum carnem factum fideles facti sumus.* Et hæc secunda gratia est illa, quam dixit Augustinus cap. 4. non esse omnibus communem, sicut natura omnibus communis est: quia non conuenit Paganis, & infidelibus vocationem ad fidem respuentibus.

41. Quartò, ad illud quod obiiciunt aliqui Ianseni sectatores, Gratiam Christi sufficientem esse beneficium mortis Christi. Atqui non omnes beneficium mortis Christi recipiunt, sed illi duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur, vt ait Trident. sess. 6. cap. 3. Ergo non omnes recipiunt gratiam sufficientem Et certè infantes morientes sine baptismo, non eam recipiunt: neque apparet quam accipiant infideles, qui nihil de Christo, & Euangelio vnquam audierunt.

42. *Soluitur obiectio ex Tridentino.* Respondeo Tridentinum ibi loqui specialiter de beneficio iustificationis, vt præ se fert titulus illius capitis, & manifestè indicant verba immediatè pòst sequentia: *Nam sicut reuera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti; cùm eâ propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: cùm eâ renascentiâ, per meritum passionis eius, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur.* Præter hoc autem beneficium mortis Christi, alia multa esse, & inter hæc Spiritus sancti illuminationes, & pias motiones voluntatis, quibus vocamur ad fidem, & iustificationem, docet idem Concilium sequenti cap. 5. & 6. corúmque participes fiunt, qui nondum gratiam iustificationis adepti sunt.

43. *Et altera de infantibus morientibus sine baptismo.* Infantes autem qui moriuntur sine baptismo, non consequuntur hoc beneficium iustificationis, nisi martyrium suppleat defectum baptismi: neque etiam gratiam sufficientem internam accipiunt in seipsis, cuius non sunt capaces: neque Deus miraculosè inuertere solet, aut impedire cursum ordinarium causarum naturalium, aut liberarum, vi quarum fit vt moriantur sine baptismo: nec vult eos saluare, nisi priùs adhibito peccati originalis remedio: quo sensu intelligendum est, quòd ait D. Aug. lib. de Corrept. & grat. cap. 14. & lib. de Bono perseuer. cap. 12. & epist. 107. ad Vitalem, aliísque locis, Deum non velle eos saluare, & *nolente Deo* ad baptismum non peruenire. Non desunt tamen gratiæ sufficientes adultis, quibus salus, & cura paruulorum commissa fuit: qui, si illis, vt par est, responderent: non carerent paruuli beneficio baptismi, omnibus in commune exposito: vt docet S. Prosper Augustini discipulus lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. his verbis: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines*, id est, infantes breui morientes sine baptismo, *ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus: qua vtique si bene eorum vterentur parentes*, vel alij, quibus incumbit curam illorum gerere, *etiam ipsi per eosdem iuuarentur.*

44. *Et de infidelibus, ad quos nunquam peruenit Euangelij prædicatio.* De infidelibus verò, quibus Christus non fuit annunciatus, sic idem loquitur cap. 17. lib. cit. *Etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit: quibus mensura tamen generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper est hominibus præbita, non negatur.* Et copiosiùs D. Thom. q. 14. de Verit. art. 11. ad 1. *Hoc pertinet*, inquit, *ad diuinam prouidentiam, vt cuilibet prouideat de necessariis ad salutem: dummodò ex parte eius non impediatur. Vnde si aliquis nutritus in syluis inter lupos, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certissimè est tenendum, quòd ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria: vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. 10.*

Opponunt quintò, doctrinam istam de gratia sufficiente omnibus data, destruere iustam Dei condemnationem propter peccatum originale; cuius merito iustissimè potuit omnes homines in massa perditionis relinquere, & ignotam fuisse Apostolo Rom. 9. qui postquam dixit, Deum cuius vult misereri per gratiam excitantem; & quem vult, indurare per subtractionem gratiæ: sibique obiecit, *Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Non respondet, vti debebat si gratiam sufficientem agnouisset, meritò Deum queri de obduratis, quia habent gratiam sufficientem, quâ possent conuerti, si vellent: sed ad consilium Dei inscrutabile recurrit dicens, *O homo! Tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? &c.* ita Iansenius tom. 3. lib. 3. cap. 14. circa medium. 45.

Respondeo ad primam partem huius obiectionis, nullo modo id sequi, quod infert ex nostra sententia. Neque enim negamus potuisse iustè Deum omnes homines, æquè ac Angelos peccantes lethaliter, relinquere in statu peccati, & omnem gratiam inde emergendi illis negare. Sed dicimus, ex Scripturis, & Conciliis, ac traditione Sanctorum Patrum constare, Deum voluisse cum hominibus mitiùs agere; & pro sua pura misericordia omnibus viam resurgendi à peccato proposuisse, mediáque ad hunc finem sufficientia proximè, vel remotè exhibere omnibus eorum capacibus: ita vt si lumen rationis, quod habent, sequantur; & diuinis inspirationibus, quibus sensim iuuantur, obtemperent: tandem ad fidem, & iustificationem, æternámque salutem perueniant. 46. *Gratia sufficiens non destruit peccatum originale.*

Ad secundam dico, Apostolum vers. 22. eiusdem capitis affirmare, ne quidem eos, qui obdurati sunt, carere penitùs Dei auxilio; quod respectu illorum est sufficiens tantùm, quandoquidem reipsa non obtinet consensum. Dicit enim, Deum in multa patientia sustinuisse vasa iræ. & vers. 30. totum illud caput (in quo, vt culpam Iudæorum extenuaret, ne à Gentilibus ad fidem conuersis adeò despicerentur, subobscurè loquutus est de illa reprobatione, visúsque illam referre in occultum Dei iudicium) ita concludit, ostendens non solo Dei consilio id contigisse, neque antecedenti eius voluntate; sed permissiua tantùm, & consequenter ad eorum inobedientiam, & resistentiam vocationi ad fidem Christi: *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, quæ ex fide est. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ* 47. *Causa cur desit?*

non peruenit. Quare? Quia non ex fide in Christum, quam amplecti noluerunt: *sed quasi ex operibus* legis Mosaïcæ, quibus nimiùm confidentes, & de sua iustitia legali præsumentes à vera Christi iustitia exclusi sunt. *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce ego pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

48. Id etiam clariùs docet Augustinus verbis suprà relatis num 33. affirmans ne Pharaoni quidem, neque Esaü, de quibus speciatim loquitur ibidem Apostolus, defuisse penitus auxilium gratiæ ad conuersionem. Quo non obstante, suppetit adhuc sufficiens causa admirationis iudiciorum Dei circa Iudæos, & similes; quatenus præuidens tam multos perituros, & fere omnes Israëlitas, Christo reiecto, in infidelitate mansuros; hunc tamen modum illum mittendi elegit, & hæc media, & auxilia; relictis aliis, quibus præuidebat fore vt consentirent, & fidem Christi amplecterentur: quódque etiam inæqualiter, pro suo beneplacito, auxilia sua, & dona gratiæ distribuit; plura vnis, & maiora conferens, quàm aliis, quibus si ea præbuisset, conuersi essent: iuxta illud Matth. 23. *Væ tibi Corozain, &c.* atque hoc sensu Deus, cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

49. *Cur recurrat Apostolus ad Dei iudicia inscrutabilia?* Quamuis autem Paulus interroganti, *Quid adhuc queritur, &c.* posset statim hanc rationem reddere, quam ad finem capitis reseruauit: dicerétque Deum meritò conqueri de iniquis, & obduratis, eò quòd ipsi voluntariè resistant vocationi, & auxiliis gratiæ, seipsósque indurent: vt de Pharaone disertè asseritur Exodi 8. vers. 15. priùs tamen voluit obiectoris audaciam comprimere, suámque ipsius vilitatem illi obiicere, his verbis: *O homo!* ô puluis! ô lutum! *Tu quis es, qui respondeas Deo?* Significans non magis ipsum Deo factori suo debere obloqui, quàm lutum figulo; sed eius consilia reuerenter admirari. Plura circa huius loci expositionem, vide apud Martinon. tom. 1. disp. 19. sect. 7. n. 100. & seqq. vbi breuem totius capitis illius expositionem dat. Alia quæ opponunt aduersarij, minoris sunt momenti, & ex dictis facilè solui possunt. Speciatim verò quod addit Iansenius, doctrinam de gratia sufficiente infidelium, ortum habuisse à Massiliensibus, ineptissimum esse patet ex testimoniis Scripturæ, & Sanctorum Patrum, nominatímque ipsius Augustini, & Prosperi, quæ pro illa retulimus sectione præcedenti num. 19. & sequentibus.

SECTIO VI.

Detúrne iustis gratia sufficiens ad perseuerandum?

50. *Negant hæretici cum Iansenio.* NEGAT Iansenius tom. 3. lib. 3. pluribus locis, quibus affirmat Deum non dare omnibus fidelibus, neque etiam iustis quibuslibet, gratiam sufficiẽtem ad salutem, vel ad seruanda Dei mandata, quamuis eiusmodi sint, vt sine ipsius gratia seruari nequeant: imò quotquot, & quotiescunque peccant, carere gratiâ sufficiente ad non peccandum; & quotquot ex iustitia excidunt, carere auxilio necessario, & sufficienti ad perseuerandum: ac denique reprobis, si aliquando sunt in statu iustitiæ, Deum subtrahere gratiam suam, per cuius subtractionem labuntur necessariò in peccatum mortale, & finaliter non perseuerant. Atque hæc doctrina vniuersa manifestè sequitur ex eius principiis suprà refutatis. Cùm enim velit, in statu naturæ lapsæ non dari gratiam auxiliantem, nisi efficacem, quæ semper, & necessariò effectum consequatur, neque subiaceat libero voluntatis arbitrio, vt ei consentiat, vel dissentiat: sequitur iustos, qui non perseuerant, non habere auxilium gratiæ necessarium vt possint perseuerare. Quia neque habent efficax, cùm reipsa non perseuerent, neque sufficiens, quia nullum tale datur. Cúmque, vt idem affirmat tom. 3. lib. 2. c. 25. *Nulla omnino gratia Christi effectu suo careat, sed omnino efficiat vt voluntas velit, & aliquid operetur,* illud scilicet ad quod ipsa inducit: *Vnde gratia, & bonum opus ita reciprocantur, vt sicut ex gratia data, mox effectus operis, consecutus infertur: ita vice versa ex defectu operis, gratiam non esse datam:* inde sequitur, ex defectu perseuerantiæ, quæ certè multis deest, inferendum esse, iuxta doctrinam aduersarij, gratiam ad perseuerandum non fuisse illis datam, sine qua tamen impossibile ipsis erat perseuerare. Eandem esse doctrinam Lutheri, & Caluini, & vtriusque discipulorum, qui in hoc fundamento consentiunt cum Iansenio, patet ex dictis disp. 23. sect. 2. num. 10. & sequentibus.

Contrarium iuxta fidem Catholicam tenendum est, sic enim pronunciauit Concilium Arausicanum can. 25. *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, qua ad salutem pertinent, possint, & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere:* adeóque seruare mandata, & perseuerare. Estque recolendum, quod alibi diximus, omnes canones illius Synodi fuisse à Sede Apostolica transmissos, vt patet ex eius præfatione. Et Trident. sessione 6. capite 13. postquam dixit perseuerantiæ donum aliunde haberi non posse, nisi ab eo, qui potest eum, qui stat, statuere vt perseueranter stet: & eum, qui cadit, restituere: addit immediatè pòst: *Nemo sibi certi aliquid absolutè polliceatur de perseuerantia munere: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Itaque illis non deest gratia, quâ possint perficere, & perseuerare, si per eos non stet: idque certissimum esse debet, vt in eo possint ac debeant iusti omnes firmissimam spem collocare, & reponere, quemadmodum affirmat Tridentinum. Et cap. 11. eiusdem sessionis 6. initio. *Nemo,* inquit, *temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce vtatur, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, &c.* Nihil autem aliud ad perseuerandum requiritur, quàm seruare mandata: & inter illa vnum est de perseuerando, & conseruando iustitiam acceptam, donec appareamus ante tribunal Christi, & habeamus vitam æternam, vt ait Tridentinum in fine cap. septimi eiusdem sessionis. Et 51. *Contrariũ probatur ex Conciliis.*

can. 18. *Si quis dixerit*, inquit, *Dei præcepta homini, etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* Ergo non deest illi gratia, qua possit seruare, adeóque perseuerare; cuius oppositum affirmat Iansenius. Et paulò pòst, can. 22. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Hoc est, sicut nullus iustificatorum perseuerare potest sine auxilio gratiæ: ita possunt omnes cum illo, quia nulli deest. Et can. 29. *Si quis dixerit eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per gratiam resurgere, anathema sit.* Et Lateranense sub Innocentio III. cap. *Firmiter. Si post susceptionem baptismi quispiam lapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest semper reparari.* Itaque lapsis post peccatum superstitibus patet remedium pœnitentiæ, & auxilium illi agendæ necessarium, vt possint gratiam recuperare, & saluari.

52. *Et ex Scriptura.* Ad idem confirmandum valent ea Scripturæ loca, quibus affirmat esse in omniũ, præcipuéque iustorum, potestate seruare mandata, & vitam æternam adipisci: Deuteron. 30. ver. 11. & sequentibus, quem locum de Iudæis, & lege Mosaïca prolatum à Moyse, Paulus ad Rom. 10. ver. 6. applicat possibilitati fidei, & præcepto credendi in Christum: párque est ratio, vt aliis præceptis legis Christianæ applicetur. Et quidem, si auxilium gratiæ sufficientis non defuit Iudæis ad seruandam legem Mosaïcam, vt locus ille Scripturæ conuincit: multò minùs deest Christianis in lege gratiæ, ad seruanda Christi mandata: præsertim cùm ipse affirmet iugum suum esse suaue, & onus leue, Matth. 11. 28. & 1. Ioan. 5. ver. 3. de mandatis legis nouæ dicatur, *Hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Eódem pertinet quod iustis & fidelibus ait Apostolus 1. Cor. 10. ver. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*: adeóque dabit auxilium sufficiens ad resistendum tentationibus, & perseuerandum in fide, & iustitia. Et 1. Timoth. 4. ver. 10. *Qui est saluator omnium, maximè fidelium*: id est, habet sinceram voluntatem saluandi omnes: & maximè fideles, & iustos: adeóque iuuat auxiliis sufficientibus, & mediis necessariis, vt salutem tandem consequi possint. Et 1. Petri 3. ver. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quod idem protestatur Deus Ezech. 18. ver. 23. & cap. 33. ver. 30. dicens nolle se mortem impij, sed magis vt conuertatur, & viuat. Quomodo autem vellet conuerti, & viuere, si non daret auxilium, sine quo nequeunt ad conuersionem, & vitam peruenire?

53. *Et ex Patribus.* Idem etiam docent sancti Patres: vt Iustinus Martyr in fine Dialogi cum Tryphone, sic dicens: *Itaque si omnes, qui misericordiam à Deo consequi volunt, postquam in peccatum lapsi sunt, superioris vitæ pœniteat; & præstare possunt.* Ergo possunt omnes resurgere à peccato, & gratiam ante mortem recuperare, si recurrere velint ad pœnitentiam, ad quam Deus omnes hortatur, & inuitat: vt patet ex Conciliis, & Script. suprà cit. Et Clemens Alex. lib. 7. Stromatum. *In stadio*, inquit, *decertant athletæ, & ex his vtique superat qui aliptæ paruerit. Omnibus enim omnia à Deo proposita sunt æqualia, & est ipse alienus à reprehensione. Misericordiam autem consequitur is, qui potens est: & potens est, qui voluerit.* Itaque nemini deest auxilium quo possit vincere, si velit, æternæque vitæ præmium reportare. Et Ephrem Syrus serm. 1. de compunctione, *Semper eius gratia corda nostra visitat: sed si cor immundum offenderit, illico recedit: rursúsque Deus misericordiâ tactus, cogit eam ad nos peccatores inuisendos venire &c. Nequit enim penitus nos gratia deserere: à propria enim ipsius benignitate eò adigitur (Deus) vt omnium nostrûm misereatur*: non desinens scilicet inuitare ad pœnitentiam post lapsum, & iuuare, si velimus inuitantem sequi.

Et D. Augustinus lib. de Correpț. & gratia cap. 7. *Si*, inquit, *nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audiuisse Euangelium Christi, cùm fides ex auditu sit: quanto minus se liberabunt, qui dicturi sunt, perseuerantiam non accepimus. Iustior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam; quàm dicentium, non accepimus perseuerantiam, quoniam potest dici, Homo, in eo quòd audieras & tenueras, in eo perseuerares si velles: nullo modo autem dici potest, Id quod non audieras crederes si velles.* Et Cyrillus Alex lib. 11. in Ioan. cap. 21. in fine dicit per Iudam stetisse, quòd non perseuerauerit, sicut alij Apostoli: quia non minùs quàm ceteri diuinâ gratiâ regebatur, sed cooperantem ei voluntatem tradere noluit. Et Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 29. asserit ineffabilem Dei bonitatem ita consulere omnibus, & semper consuluisse, vt nulli pereuntium excusatio suppetat. Itaque iusti, qui pereunt defectu perseuerantiæ, non possunt hanc prætexere excusationem, quòd fuerint auxilio necessario destituti: quâ certè nulla iustior prætexi posset. 54.

Idem denique affirmant communi consensu Theologi, D. Thomas 3. p. q. 62. artic. 6. ad 3. *Homines*, inquit, *quandiu viuunt, possunt ad fidē, & caritatem conuerti: quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ex hac vita.* Quare si à caritate, & gratia sanctificante exciderunt per peccatum mortale; non deest illis auxilium, quo possint ante mortem eam recuperare, & saluari. Idem in caput 1. epist. 1. ad Corinth. ver. 9. circa illa verba, *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius &c.* sic ait: *Non videtur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem filij, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ peruenire ad eum possemus. Vnde Iosue 1. dicit, Non te deseram, neque derelinquam.* Et S. Bonauent. in 1. distinct. 47. art. 1. quæst. 1. *Deus*, inquit, *paratus est iuuare: ita quòd salus non deficit propter defectum ex parte Dei.* Ergo iusti, qui non perseuerant, & à salute excidunt, habebant auxilium Dei paratum, necessarium, & sufficiens ad perseuerandum. Et Scotus in 1. dist. 46. q. vnic. ad 1. arg. disertè affirmat Deum velle, & dare non solùm iustis, sed & aliis omnibus *adiutoria sufficientia, quibus possint sufficienter bene viuere, & saluari.* Infinitum esset referre omnes alios: & non dubitant aduersarij hanc esse communissimam recentiorum Theologorum sententiam. *Et ex D. Thoma, aliisque Theologis.*

Perperam autem respondet aduersarius testimoniis Conciliorum suprà relatis, iustos,

licèt careant auxiliis sufficientibus ad perseuerandum, posse tamen perseuerare si velint: quia si vellent, perseuerarent, tametsi id velle non possunt. Enimuero iuxta proprium, & vsitatum inter homines loquendi modum, secundùm quem intelligi debent definitiones Conciliorum, non dicitur quisquam posse facere aliquid si velit, si non potest velle id facere, & non potest facere nisi velit. Ex. grat. non dicimus Deum posse peccare, si velit; aut posse seipsum odisse, si velit: quia neutrum potest velle: tametsi æquè verum est quòd si vellet peccare, peccaret: & si vellet se odisse, se odio haberet. Nam velle peccare est peccare, & velle odisse est habere odio. Quare similiter non debet dici iustos auxiliis sufficientibus destitutos posse perseuerare, si velint; cùm id velle non possint. Adde, Concilia citata non semper habere particulam illam, *si velit*, sed absolutè pronunciare iustos posse cum Dei gratia perseuerare, & gratiam illis præsto semper esse, vt loquuntur Tridentinum sess. 6. cap. 13. & can. 22. verbis suprà relatis num. 51. Senonense Decreto fidei 15. & Coloniense capite de Sacramento Pœnitentiæ. Aliæ eius euasiones refutabuntur inferiùs sect. 8. & sequentibus.

SECTIO VII.

Detúrne gratia sufficiens ad seruanda mandata illis omnibus, qui obligantur ea seruare, & peccant non seruando?

56. *Probatur dari, ex Scriptura.* CONCLVSIO affirmatiua certissima est apud omnes Catholicos: & patet ex Scriptura Deut. 30. vers. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum, &c. Quæ verba dicuntur à Moyse de lege veteri, in qua tamen minùs gratiæ, quàm in noua suppeditabatur: & ab Apostolo Rom. 10. vers. 6. & seqq. applicantur præcepto credendi, eiúsque possibilitati: & par est ratio vt aliis quoque legis Euangelicæ præceptis applicentur: vt paulò antè notauimus num. 52. de quibus etiam dicitur 1. Ioan. 5. vers. 3. *Mandata illius grauia non sunt.* Essent autem grauia, & intolerabilia, si deesset gratia sufficiens, sine qua seruari non possunt. Quare falsum est, illam deesse illis quibus imponuntur, quíque obligantur ea seruare, & peccant non seruando.

57. *Et ex Patribus.* Idem etiam docent sancti Patres: vt Basilius in serm. circa illud *Attende tibi*, vbi sic habet: *Impium est dicere, impossibilia obseruatu esse Spiritus præcepta.* Et in regulis breuioribus, respons. 176. *Sine dubio*, inquit, *non præcepisset hoc, qui bonus ac iustus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus.* Et Chrysostomus homil. 16. in epist. ad Hebræos: *Non licet dicere, non possum, neque accusare Conditorem: si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa eius est. Quomodo ergo, inquit, multi non possunt, quia nolunt? Si enim voluerint, omnes poterunt, &c. habemus quippe cooperatorem, & adiutorem Deum. Tantùm velimus, tantùm opere accedamus ad rem ipsam.* Et Hieronymus lib. tertio aduersus Pelagianos, *Deus possibilia mandauit, hoc nulli dubium est.* Possibilia scilicet cum eius auxilio, quod non deest. Et Augustinus libro secundo de peccat. merit. & remiss. capite sexto. *Dubitare non possum*, inquit, *nec Deo ad opitulandum & adiuuandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo.* Et lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 16. sic ait: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non possumus,* (solis naturæ viribus) *vt nouerimus quid ab illo petere debeamus* (gratiam scilicet quâ possimus.) *Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et lib. de natur. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et cap. 69. *Eo ipso quo firmissimè creditur*, inquit, *Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus.* Et sermon. 191. de Tempore, *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.* Propter quæ, & alia huiusmodi luculentissima sancti Doctoris testimonia, meritò Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, damnarunt hanc propositionem num. 51. *Definitiua hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.* Similia dicunt S. Leo Papa sermone sexto de Passione, cuius verba sunt: *Iustè nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio*, & alij Patres, Græci æquè ac Latini, ceteríque Doctores Catholici, quos vel enumerare longum esset. Et Tridentinum sessione 6. cap. vndecimo, idem sua auctoritate confirmauit, ita pronuncians: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.*

Confirmatur, quia nemo potest ad impossibile obligari, vt dicitur regula sexta, de regulis iuris in 6. Ergo nemo potest obligari ad seruanda præcepta, sine auxilio, sine quo sunt illi impossibilia; id est, nisi vel iam habeat tale auxilium, vel in eius potestate sit positum habere, si velit. Item, nemo peccat culpabiliter, si non faciat id, quod facere non potest. Ergo nemo peccat culpabiliter, si non seruat præceptum destitutus auxilio, sine quo seruare non potest. Consequentia est euidens. Antecedens traditur ab Augustino libro de duabus animabus capite vndecimo, vbi affirmat id adeò esse notum, vt illud *canent in montibus pastores, &c. & in orbe terrarum genus humanum.* Et sequenti capite 12. sic addit: *Peccati reum teneri quenquam, quia non fecit quod facere non potuit, summa iniquitatis est, & insania.* Et libro tertio de libero arbitrio capite decimo-octauo: *Quis peccat in eo, quod caueri non potest?* 58. *Et duplici ratione.*

Contrarium sentiunt Lutherus in responsione ad Dialogum Syluestri, vbi sic loquitur: *Pessimè facis, quòd negas Saluatorem impossibilia iussisse: plusquàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare: non possumus in hac vita mandata Dei implere.* Et in confutatione ra- 59. *Contrarium sentiunt hæretici.*

SECTIO IX.

Refutantur aliæ Ianseniј elusiones.

68. *Altera eius elusio.* QVIA verò instari potest, quòd si deest aliquibus adiutorium Dei, quo præceptum eis fiat possibile; ipsáque orationis gratia denegatur, quâ faciendi præcepti vires, quibus carent, postulentur à Deo: ergo manet eis præceptum impossibile: & consequenter non peccant in eo non faciendo, quod facere, & in eo faciendo quod vitare non possunt. Vtrumuis enim eis redditur impossibile. Respondet cap. 14. hunc nodum æquè Doctoribus Scholasticis soluendum esse, nisi in alium errorem manifestum incidere malint: nimirum quòd qui orare negligunt, vel orant remissiùs, quàm possint ac debeant; peccent tantùm culpabiliter in ista negligentia: quódque postea ex illa sequitur, non esse peccatum culpabile, nisi in causa, hoc est, in illa negligentia, propter quam defuit auxilium necessarium: quod, inquit, vniuersa Augustini doctrina, & Ecclesiæ sensus exhorret.

69. *Peccant in causa qui suâ culpâ carent auxilio.* Sed hoc falsò & ineptè affirmat. Nam contrà potiùs Augustinus disertè asserit in Expositione quarundam propositionum epistol. ad Rom. num. 62. non peccasse Pharaonem, quando corde obdurato, id est, destitutus auxilio gratiæ, non obtemperauit: quia tunc non potuit obtemperare: sed quia talem se præbuit, cui cor obduraretur, id est, culpabiliter fuit causa denegationis auxilij necessarij. Et lib. de duab. animab. cap. 11. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. aliísque pluribus locis suprà relatis, generaliter affirmat neminem peccare in eo faciendo, à quo non potest abstinere; vel in eo omittendo, quod non potest facere. Et Ecclesia per summos Pontifices Pium V. Gregorium XIII. & Vrbanum VIII. damnauit hanc propositionem Baij num. 63. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Quare non error est, quod dicimus cum Ecclesia, & D. Augustino: sed quod Iansenius perperam tribuit Augustino, & Ecclesiæ.

70. *Recurrátne Apostolus ad auxilium sufficiens?* Addit eodem capite circa medium, nunquam D. Augustinum, neque Paulum simili interrogatione pulsatum, recurrisse ad auxilium sufficiens paratum peccantibus; sed ad Dei consilium miserêtis cuius vult, & obdurantis, id est, sine auxilio relinquentis, quem vult: atque ex communi massa damnationis, quæ omnes homines inuoluit propter peccatum Adami, extrahentis aliquos per misericordiam; alios in ea relinquentis per iustitiam: absque vlla iniquitate erga relictos, cùm non teneatur extrahere, neque hoc ipsi mereantur, sed potiùs sint indigni eo beneficio propter peccatum originale.

71. Sed hoc falsum esse de Paulo liquet ex ipso cap. 9. epist. ad Rom. in quo maximè vim facit aduersarius. Vbi licèt Apostolus priori & maiori parte capitis obscuriùs loquatur de reprobatione Iudæorum, & adoptione Gentilium, videatúrque illam reiicere in consilium Dei hominibus inscrutabile: postea tamen sub finem capitis, causam vtriusque esse dicit, quòd Iudæi de se præsumentes, & legis operibus nimis confidentes, Christi fidem amplecti noluerint, vt per eam iustificarentur: secus autem Gentiles. Sic enim totum hunc discursum concludit, clariùs mentem suam exponens: *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israël verò sectando legem iustitiæ* (Mosaïcæ) *in legem iustitiæ* (Christi) *non peruenit. Quare. Quia non ex fide, sed quasi ex operibus* (naturalibus, aut legalibus:) *offenderunt enim in lapidem offensionis*, scandalum passi à Christi paupertate, & humilitate, illúmque velut Messiam agnoscere detrectantes, & indignissimè tractantes: Licèt Christus eos congregare, sibíque vnire magno affectu satageret: vt ait Matth. 23. sed illi semper, & pertinaciter Spiritui sancto resistebant: vt ipsis exprobrat sanctus Stephanus Act. 7.

Augustinus quoque, licèt frequenter ad peccatum primi parentis recurrat, vt in locis ab aduersario citatis: alibi tamen manifestè recurrit ad auxilium sufficiens, quod vel adesset, vel saltem impetrari posset: negátque peccati reum fore, qui non faceret id, quod facere nequit sine tali auxilio. vt libro 3. de libero arbitrio capite 19. vbi clarè docet transgressionem mandatorum non imputari nobis propter solum peccatum Adæ, neque fore imputandum si peccantibus deesset auxilium sufficiens, aut facultas illud impetrandi. *Hic occurrit*, inquit, *illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim, si Adam, & Eua peccauerunt, quid nos miseri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis* (id est, concupiscentiæ) *cruciatibus nasceremur: & primò erraremus nescientes quid nobis esset faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iustitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio quâ necessitate, non valeremus.* Cui obiectioni & querelæ non respondet, vt vult aduersarius, sufficere ad peccandum quòd illa necessitas ex Adami culpa fluxerit, licèt auxilium sufficiens desit, neque impetrari possit: sed contrarium planè dicit his verbis: *Quibus breuiter respondetur, vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.*

72. *Itémque Augustinus.*

Et lib. 83. quæst. q. 68. exponens illud Apost. Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, Quid adhuc conqueritur?* &c. sic ait: *Prorsus cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis; quia & ipsi peccatores, cùm propter generale peccatum vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione.* Ergo ex mente D. Augustini, ra- 73.

tio quare hæc voluntas Dei non sit iniusta, non est solùm, quia peccatum Adæ meruit obdurationem, id est, dignum fuit vt omnes eius posteri relinquerentur sine auxilio: sed quia ipsimet peccatores aliquam eius causam dederunt suâ culpâ. Eódem pertinet illud eiusdem S. Doctoris paulò antea relatum, Non fuisse imputandum Pharaoni, quòd non obtemperauerit, corde iam obdurato: sed, quòd talem se præbuerit, cui cor obduraretur, præcedenti infidelitate. Vnde consequens est nec vlli alij imputandum esse quod non facit; quia non potest, destitutus auxilio necessario: sed ideo solùm esse culpandum, quia destitutionis causam præbuit.

74. Quinetiam quando ad altum & secretum consilium Dei recurrit cum Apostolo, non omittit dicere causam aliquam interuenire ex parte creaturæ, non vtentis gratiâ sibi datâ, vel paratâ. Vt lib. 2. de Peccat. merit. cap. 17. vbi sic habet: *Cum voluntate humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit homo esse: cur non sit, possem facillimè & verissimè respondere, Quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint: imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam. Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat. Tantò enim quodque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates; quâ vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Quibus postremis verbis apertè significat per ipsum hominem stare si non iuuetur, & culpâ ipsius id contingere, non Adami solius, aut ex eo quod Deus propter illius peccatum non sit paratus adiuuare.

75. *Alia euasio de multiplici potentia seruandi mandata.* Alias euasiones addit cap. 15. quibus idem argumentum de possibilitate seruandi mandata, eludere conatur. Nimirum, posse homines seruare mandata, primò quidem potentiâ quadam remotissimâ per solam liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum & malum: quia quamdiu sunt hac in vita, non sunt obstinati in malo, vt dæmones, & damnati; sed flexibiles ad bonum, & malum: & possunt seruare, reipsáque seruant, quando adest gratia: non seruant, quando abest: sed vtrumque necessariò: quia non possunt seruare hîc & nunc, si abest gratia: neque possunt non seruare, si adest. Secundò, paulò propinquiùs dici etiam posse ea seruare per fidem: quia per illam orare possumus, & impetrare auxilium gratiæ. Tertiò, ac multò pleniùs, & propinquiùs, per caritatem, quâ iustificamur, quæque, inquit, nihil est aliud, quàm voluntas, seu volitio bona: & quamdiu deest nobis, impossibile est bene viuere: cùm autem adest, posse dicimur. Quartò denique, dicimur etiam posse proximè, & completè quando adest auxilium gratiæ; id est, quando Spiritus sancti inspiratione sic voluntas præparatur, vt reipsa velit, & quidem necessariò, quia non potest resistere inspirationi. Quocunque autem modo ex tribus prioribus homo possit præcepta Dei facere, licèt proximè & completè non possit, defectu auxilij gratiæ necessarij, satis hoc esse dicit, vt sit inexcusabilis. Quia verò durum videtur, & incredibile non excusari homines non seruantes præcepta Dei, cùm careant auxilio gratiæ, sine quo non magis possunt ea seruare, quàm volare sine alis: addit post medium capitis, §. *Itaque respondetur*, duplicem esse præcepti faciendi impotentiam. *Et de duplici impotentia.* Vnam, ex defectu alicuius, quod non potest quantúlibet magna voluntate, hoc est, quantumlibet fortiter volente, suppleri. Cuiusmodi est impotentia illius, qui caret Breuiario ad horas, quas ignorat, recitandas: & illius, qui caret rebus temporalibus, ad largiendam eleemosynam: vel scientiâ, ad docendum. Et hæc excusat: neque Deus præcipit hoc modo impossibilia. Altera impotentia est, quæ oritur ex defectu ipsius voluntatis, seu volitionis, quæ si adesset quanta adesse debet, præceptum facillimè impleretur. Vnde si fortiter vult, hoc ipso iam impletum est, & non impletum esse non potest. Et hæc impotentia non excusat à peccato. Posset enim implere, si vellet. Si autem non vult, ideóque non possit: quis non illi imputet, & vitio vertat duritiam iniquæ voluntatis, sequutúmque defectum potestatis.

At hæc omnia propositæ difficultati nullo modo satisfaciunt. 76. *Homo potest non peccare quando peccat.* Et prima quidem euasio refutabitur inferiùs disputat. 30. sect. 6. & seqq. & nunc breuiter refelli potest eo solo, quòd Scriptura & Sancti Patres manifestè dicunt hominem, etiam tunc cùm præcepta non seruat, & peccat, posse seruare & non peccare; haberéque sub se appetitum peccati, & ei dominari, Gen. 4. ver. 7. Subesse autem necessitati peccandi, & appetitui peccati necessariò seruire, non est illi dominari. Dicunt præterea, Esse positum in electione hominis seruare præcepta, vel non seruare, Deuter. 30. ver. 19. Iosue 24. ver. 15. Eccles. 15. ver. 4. At non potest eligere, qui ad vnum ex necessitate determinatus est, quíque si abest gratia, necessariò non seruat: si adest, seruat necessariò: quódque adsit, vel absit non est in eius potestate, sed à libero Dei beneplacito pendet, qui ne quidem semper dat voluntatem orandi, & petendi, vt ait aduersarius cap. 13. aliquanto ante finem: vbi affirmat Deum eam largiri, cui vult, & quantum vult: qua de causa nec orare delectat aut lubet, nisi Deus vt lubeat inspirauerit. Et non exiguam esse quorundam hallucinationem, qui putant semper adesse homini vt petat, ac tam ardenter petat, vt impetret. Dicunt etiam sancti Patres eos, qui operantur bonum, percipere gloriam & honorem; quia operati sunt bonum, cùm possent non operari illud: tunc scilicet, quando illud operati sunt. Eos autem, qui illud non operentur, iustum Dei iudicium recipere; quoniam non operati sunt bonum, cùm possent operari illud: vt loquitur Irenæus libro quarto aduersus hęreses capite septuagesimo-primo: &, Non esse homines affixos vlli necessitati, sed esse nostræ electionis bene vel malè facere, & seruare mandata vel non seruare: vt dicunt Hilarius in Psal. 2. Basilius in oratione *Quòd Deus non sit auctor malorum*, Nazianz. Apologet. orat. 1. Hieron. libro 2. contra Iouinianum, capite 2. Chrysostom. hom. 2. de Lazaro, Augustinus libro 2. de gestis cum Fœlice Manichæo

præcedenti de Iudæis carentibus gratia sufficienti ad salutem, & legem seruandam; multò magis locum habet in infidelibus, qui præter difficultatem ortam ex naturæ corruptione, laborant profundâ ignorantiâ rerũ agendarum, & cauendarum. Secundò, eòdem pertinet, quod ait de statu ante legem, & sub lege. Nam in alterutro, aut in vtroque versantur infideles. Vterque autem est expers gratiæ, & ab Augustino vocari solet *statum ante gratiam*: vt per hoc ipsum significet vtrumque statum carere gratiâ non solùm faciendi bonum, sed etiam abstinendi à malo, & resistendi concupiscentiis. Tertiò, nullum opus bonum, seu quod non sit peccatum, fieri potest ab infidelibus, iuxta doctrinam eiusdem Augustini pluribus locis alibi relatis; quippe qui carent principiis faciendi opus moraliter bonũ, quamdiu manent infideles: sunt enim hæc duo principia, iuxta eundem S. Doctorem: nimirum dilectio Dei seu iustitiæ, quæ in omni opere etiã moraliter bono dominari debet, atque ita dominari, vt nisi adsit, non nisi peccatum futurum sit opus quod ex alia quacunque dilectione nascetur. Hæc autem dilectio Dei non potest haberi sine gratia: & illâ prorsus destituti sunt infideles, qui ne quidem Deum esse agnoscunt. Atque ita deest illis etiam alterum principium necessarium ad bonum operandum, peccatúmque vitandum: nempe fides veri Dei, & Christi eius, sine qua fide non potest haberi dilectio Dei ad omne opus bonum necessaria, vt suprà diximus, & confirmat Augustinus concione in Psalm. 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt*, inquit, *quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est, vt antecedat fides, vt inde ista, non ab istis incipiat illa: quoniam nullus operatur per dilectionem; nisi priùs credat in Deum.* Similia dicit præfatione in Psalm. 31. & libro quinto de Ciuitate Dei capite 10. & 21. & præfatione in Psalm. 35. & libro quarto contra Iulianum capite 3.

27. *Probat ex Augustino.* Vnde patet, inquit, quantopere Scholastici distent ab Augustino, cuius doctrinæ repugnant è diametro. Nam illi, quia vident infideles gratiâ dilectionis Dei, & fidei manifestè destitui: ne tamen illos sine interna potestate salutis obtinendæ derelinquerent, mediatè fidem ac dilectionem in eorum potestate collocarunt: quia videlicet habent gratiam, quâ possint non ponere impedimentum illustrationibus Dei, quibus adducantur ad fidem legis naturalis præcepta seruando. Contrà verò, Augustinus videns non posse sine fide vel totam legem naturalem, vel vllam eius partem seruari; recurrit ad fidem, atque ad dilectionem Dei, tanquam ad primam gratiam infidelium, quâ possint & naturalis legis præcepta seruare, & ea seruando salutem consequi sempiternam. Nam ante fidem Augustinus nullam omnino gratiam, siue efficacem, siue sufficientem ad quidquam bene operãdum, in infidelibus nouit. Fides enim est quæ impetrat gratiam, & adiutorium ad legem seruandã: vt docet lib. de gratia & lib. arbit. c. 14. & lib. de spir. & lit. c. 30. & 32. & ep. 106. aliísque locis. Ab eadémque incipit omnis hominum mutatio ad bonum, ita videlicet vt omnis iustitia boni operis, omnis bonitas siue moralis, siue alia quæcunque, à fide sumat exordium; cùm ante gratiam fidei non possit alius esse homo, quàm peccator, & præuaricator legis: vt ait lib. de gestis Pelag. c. 14. & lib. 2. ad Bonif. c. 10. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. Inde etiam incipit ipsa prima cupiditas seu voluntas boni, quæ per ipsam fidei gratiam inspirari debet, & sine illa lex tantùm ad hoc valet, vt agnitâ infirmitate nostrâ compellat nos recurrere ad gratiam, cuius ope lex impleatur: vt idem Augustinus ait libro primo de nuptiis cap. 19. & epist. 89. & lib. de naturâ & gratia cap. 15. alibique sæpius. Eandémque ob causam hæc conuertuntur apud Augustinum, *esse sine gratia, esse sine fide, & esse sine gratia fidei*: itemque, *non posse sine fide præcepta impleri, & non posse sine caritate.* Eandem denique ob causam Concilium Arausicanum can. vltimo sic pronunciauit: Deus nobis fidem, & amorem sui priùs inspirat, vt cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.

Addit Iansenius capite duodecimo ineptè recurri ad gratiam sufficientem ordinis naturalis, quâ infideles seruare possint legis naturalis præcepta; cùm ad legem seruandam, & quamcunque eius partem non sufficiat nisi gratia fidei quæ per dilectionem operatur: quam gratiam Christus ad carnis concupiscentias reprimendas atque superandas nobis morte suâ meruit, & non habetur nisi per infusionem Spiritus sancti, adeóque supernaturalis est. Neque enim lex etiam naturalis, aut quælibet eius pars seruari potest, nisi ex dilectione Dei & iustitiæ, id est, diuinæ bonitatis relucentis in æquitate præcepti. Si enim seruetur ex motiuo timoris, aut amoris cuiuscunque rei creatæ; non impletur lex, sed animus aliquo affectu vitioso inquinatur: vt sæpius docet Augustinus locis alibi citatis. Denique doctrinam illam de gratia sufficienti infidelium dicit Iansenius ortum habuisse à Massiliensibus, cetensque Semipelagianis, indéque in Catholicorum scholas translatam esse. Cùm enim Augustinus frequenter inculcaret Deum gratiam suam dare quibus vult, & non dare quibus non vult: vnum iuuare, alium sine auxilio deserere: Massilienses doctrinam illam respuentes veluti decretorum fatalium auctricem, quibus Deus vnum ab altero discerneret, voluntatem generalem salutis omnium in Deo excogitarunt, & ex illa gratias sufficientes ad assequendam salutem, maximéque ad legem naturalem custodiendam in omne genus hominum diffuderunt: vt patet ex Fausto Rhegiensi libro primo de Gratia & libero arbitrio capite tertio, & ex Prospero in epistol. ad Augustinum præfixa libro de Prædestinat. Sanctorum, vbi de iisdem Massiliensibus sic loquitur: *Hæc ipsorum definitio est: Omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse: & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicunque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint.* Et paulò pòst: *Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem: aut diuersarum naturarum dici Dominum Conditorem.* 28. *Occurrit obiectioni.*

si nemo aliud possit esse quàm factus est. Et longè inferiùs: *Ita demum enim posse vnumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari, si se sciat suâ diligentiâ bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio iuuandam, si quod Deus mandat elegerit.* Hæc de illis Prosper: quibus similia dicit Faustus loco suprà cit. ex sua & aliorum Semipelagianorum sententia.

SECTIO IV.

Sententia affirmans vera & certa esse probatur.

29. CONTRARIA sententia, quæ affirmat non deesse infidelibus, neque aliis quibuslibet adultis gratiam sufficientem ad salutem, est communis omnium Doctorum Catholicorum, támque perspicuè tradita in sacris literis, & à sanctis Patribus confirmata, vt sine temeritate & errore negari nequeat.

Sententia affirmans probatur ex Scriptura.

Probatur ergo primò ex Scriptura, Sapient. 12. ver. 1. *O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Ideòque eos qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant admones, vt relictâ malitiâ credant in te Domine.* Vbi particula, *in omnibus*, ad homines vel solùm, vel præcipuè refertur, circa quos, si exerrant, & peccant, corrigendos, atque ad pœnitentiam inuitandos Spiritus Domini suauis est. Alia versio Vatabli iuxta Græcum sic habet: *Nam omnibus incorruptus tuus inest Spiritus, per quem lapsos paulatim coarguis, & in peccatorum memoriam reducens, admones, vt relictâ malitiâ, in te Domine collocent fiduciam.* Quod autem dicit, *corripis partibus*, idem est, ac *per partes*: quasi dicat, Non eos corripis simul iram totam profundendo: sed sensim, & paulatim (Græcè, κατ' ὀλίγον) admones, & alloqueris, tum interiùs per pias inspirationes, tum exteriùs per castigationes & plagas. Ibidémque ver. 3. & pluribus sequentibus, ostendit Cananæos, tametsi infideles, & idololatras, non fuisse à Deo destitutos auxiliis quibus conuerti possent, & agere pœnitentiam. De iisdémque sic ait ver. 20. *Si enim inimicos seruorum tuorum & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia: cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* &c. Et sequenti cap. 13. docet generaliter infidelibus, & omnibus hominibus, quibus non subest scientia Dei, non defuisse medium sufficiens, quo ad eius notitiam salutarem peruenirent. Idémque docuit Apost. Act. 17. ver. 25. loquens Areopagitis: & cap. 14. ver. 16. dicens Lycaonibus, Deum apud infideles, & omnes gentes, quas præteritis generationibus dimiserat ingredi vias suas, non tamen sine testimonio semetipsum reliquisse, benefaciendo omnibus &c. Et Rom. 1. ver. 19. de Gentilibus ait, Deum se illis sufficienter manifestasse, ita vt sint inexcusabiles.

30. Eòdem pertinet illud Ioan. 1. ver. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, iuxta interpretationem Chrysostomi, & Clementis Alex. multorúmque aliorum, qui hunc locum intelligunt de supernaturali illuminatione illustrãte omnes quantum est ex parte ipsius lucis: ita vt, si aliqui non illuminentur, non ex lucis defectu, sed ex ipsis id procedat. Et 1. Timoth. 2. ver. 4. dicitur Deus velle *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quæ voluntas vana esset, nisi omnibus media suppeditaret, quibus salui fieri possint. Et 2. Petri 3. ver. 9. additur ad excludendam omnem exceptionem, & tergiuersationem aduersariorum, Deum *nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: ac proinde, ne frustra velit, dare omnibus auxilium sufficiens vt agant pœnitentiam. Quibus verbis vtriusque Apostoli conformiter definiuit Concilium Valentinum III. sub Lothario celebratum anno 855. *Nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt: suóque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Et Coloniense parte 7. cap. 32. *Quanquam*, inquit, *nemo conuertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem: attamen nemo hic excusationem prætexat, quòd non trahatur: quòd ille semper stet ante ostium pulsans: nimirum per internum, & externum verbum commonens, vt conuertamur à via nostra pessima.*

Eadem est doctrina Sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum. Sic enim è Græcis expressè docent Dionysius lib. de cælesti Hierarchia cap. 9. *Nempe*, inquit, *& aliis gentibus, ex quibus & nos, ad infinitum, & immensum diuini luminis pelagus, quod semper paratum est, & patet omnibus ad participandum, ex præteriti erroris cæcitate respirauimus, & ad quod sanè obsequentes ducebant Angeli præpositi singulis gentibus.* Et Clem. Alex. lib. 2. Strom. *Diuinum Verbum clamauit*, inquit, *omnes simul vocans, eos quidem, vel maximè cognoscens, qui non erant parituri: & tamen, quoniam est in nostra potestate parêre, & non parêre, vt nulli possint prætexere causam ignorantiæ, iustam fecit vocationem.* Atqui possent iure prætexere causam ignorantiæ, qui non parent; si carerent auxilio sufficienti, sine quo parêre nequeunt. Et Chrysost. hom. 7. in Ioan. circa illa verba, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, affirmat gratiam in omnes diffundi, neminémque excipere aut dedignari. *Qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputare debere. Cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propria duntaxat malitia ingredi recusant.* Falsum hoc esset, si ideo non ingrediuntur, quia non possunt, destituti auxilio necessariò. Et hom. 16. in epist. ad Rom. docet neque reprobis hanc gratiam deesse, neque Pharaoni defuisse: ita vt solùm steterit per eius voluntatem, quòd salutem consecutus non sit. 31.

Et ex Patribus.

E Patribus verò Latinis idem non minùs expressè docent Cyprian. epist. 59. vbi ait, Deum *omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata se præbere patrem* (aliàs *parem.*) Hilarius lib. 2. de Trinit. in fine, vbi exponens illud Apostoli, *Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*, sic ait: *Munus, quod in Christo est, omne omnibus patet vnum, & quod vbique non deest, in tantum datur, in quantum quis volet sumere.* Et Arnob. lib. 2. aduersus Gentes, *Omnibus vniformiter Deus potestatem ad se veniendi facit. Patet, inquit, omnibus fons vitæ, nec ab iure potandi quisquam prohibetur aut pellitur.* Et Ambros. serm. 8. in 32.

Et speciatim ex Augustino.

Psal 118. *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: vt si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideo Sol non est ortus omnibus, quia calore eius se ipse fraudauit: sed quod Solis est, prærogatiuam suam seruat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit.* Ac ne de gratia solùm externa loqui videatur, subiungit: *Docet autem Deus, & mentes illuminat singulorum, & claritatem cognitionis infundit: si tu aperias ostia cordis tui, & cælestis gratiæ recipias claritatem.* Et verò si gratia interna intellectus, aut etiam voluntatis deesset; non rectè diceret eos qui non credunt in Christum, generali beneficio se fraudare, & sua culpa non credere. Similia dicit Hieronym. in commentario epistolæ ad Titum, super illa verba, *Apparuit gratia Dei Saluatoris omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

33. Idem non minùs perspicuè docet S. Augustinus pluribus locis: vt lib. 83. quæst. q. 68. cuius verba retulimus disp. 23. sect. 3. nu. 18. quibus affirmat stare per culpam infidelium quòd non veniant ad cœnam Euangelicam, ad quam vocantur. Et lib. 1. quæstionum ad Simplician. q. 2. dicit non defuisse adiutorium Esaü quo posset currere & peruenire si vellet, sed ipsum vocatione contemptâ reprobum factum esse. Et lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 3. dicit lumen gratiæ, de quo manifestè ibi loquitur, illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque ex mente D. Augustini, ne infidelibus quidem, & reprobis deest auxilium gratiæ sufficientis ad conuersionem. Et Prosper eius discipulus lib. 2. de Vocat. Genr. cap. 17. *Etiam nunc*, inquit, *in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris*, id est, Euangelium, *illuxit: quibus mensura tamen generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper hominibus est præstita, non negatur.* Et cap. 29. sic pronunciat: *Vniuersitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit: vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat, de abnegato sibi lumine veritatis: neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari.*

34. *Et ex Theologis.* Idem etiam docent communi consensu Theologi, D. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 159. in fine: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam: vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Timoth. 2. Sed illi soli gratia priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur.* Et lect. 5. in cap. 6. Ioan. q. 3. postquam dixit Deum omnes ad se trahere velle, omnibúsque manum porrigere, ita concludit: *Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non ei imputatur si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit.* Et D. Bonauent. in 1. dist. 40. art. 4. q. 2. ex illis Christi verbis Ioan. 6. *Omnem, qui venit ad me, non eiiciam foras*. sic infert: *Ergo paratus est Deus omnes complecti. Ergo defectus illustrationis non venit ex parte Dei, sed ex parte nostra.* Et in 3. dist. 25. art. 1. q. 2. ad vlt. arg. de Gentilibus sic ait: *Diuina gratia omnibus præsto erat.* Similia dicunt Alensis 1. part. q. 28. memb. 2. art. 2. Scotus in 1. dist. 46. q. vnic. ad 1. argumentum, Capreolus ibid. art. 2. conclus. 4. Gabriel ibid. dist. 41. q. vnic. art. 3. dub. 3. Ricard. in 2. dist. 28. art. 1. q. 3. ad 4. Durandus in 3. dist. 25. q. 1. num. 9. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 159. §. *Ad huius.* Malder. ibid. quæst. 11. art. 3. dub. 5. membro 1. Ledesma disput. de auxiliis gratiæ art. 16. q. vnic. & plurimi alij, quorum aliquot testimonia retulimus disp. 23. num. 20. & 21.

Ad idem confirmandum valent rationes disp. 25. sect. 3. allatæ. Quòd nimirum, cùm omnes adulti teneantur seruare Dei præcepta; & non possint ea seruare sine auxilio gratiæ: Deus, qui non præcipit impossibilia, (quod ne tyranni quidem faciunt) tenetur ratione suæ sapientiæ, & æquitatis, suppeditare illis omnibus quidquid est necessarium vt possint ea seruare; siue exteriùs, siue interiùs, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Suppeditare, inquam, vel proximè, vel remotè, ita vt tandem culpâ ipsorum stet, quòd non viuant conformiter Dei mandatis. Item, cùm Deus sincerè velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt ait Apostolus 1. Timoth. 2. Ne id velit inutiliter, oportet eum præbere omnibus auxilia necessaria, quibus ad agnitionem veritatis, & salutem peruenire possint. Cúmque omnes, nemine excepto, per Euangelij sui prædicationem inuitari velit ad fidem, & cælestem beatitudinem, omnibúsque baptismum, & alia Sacramenta, mediáque externa in eum finem proponi: ne simulatoria sit eiusmodi voluntas, & inuitatio, Deíque bonitate, & sapientiâ prorsus indigna; debet interiùs suggerere illustrationes intellectus, & pias motiones voluntatis, necessarias, & sufficientes vt possint credere, & viam salutis ingredi, ac tenere. 35. *Confirmatur ratione.*

SECTIO V.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

QVÆ primo loco opponit Iansenius, nimirum, quòd iuxta principia Augustini Iudæi gratiâ sufficienti caruerint: ergo multò magis infideles: quòd ante legem, & sub lege viuentibus nulla detur gratia: quòd nullum opus bonum possit fieri ab infidelibus, quippe qui careant principiis bene operandi, vera fide scilicet, & dilectione iustitiæ, siue ipsius Dei: quódque fides sit initium boni operis impetrans gratiam & adiutorium ad bene operandum, & legem seruandam, ab illáque incipiat omnis mutatio ad bonum, &c. Hæc inquam omnia alibi explicata vel refutata fuerunt disputat. 21. & 24. Sed neque locis illis à Iansenio relatis, neque vsquam alibi negat Augustinus infideles & barbaros, quibus lumen Euangelij nunquam affulsit, habere auxilium sufficiens, non tantùm in causis vniuersalibus à Deo institutis pro salute omnium: cuiusmodi est Euangelium vbique prædicandum ex intentione Christi, & Sacramenta ab eo instituta, vt omnibus adhibeantur: sed etiam, quia Deus, quod in se est, omnes illuminat, 36. *Soluitur 1. argumentũ, quòd gratia suffic. Iudæis defuerit.*

minat, licèt ipsi nihil faciant dignum huiusmodi illuminatione, vel ad illam quidquam per se conferant, imò potiùs impedimentum ponant. Illuminat, inquam, identidem opportunis temporibus, per se, vel per alias causas, præcipuè per Angelos custodes, qui non sunt otiosi, aut negligentes in procurando præcipuo negotio, propter quod homines sunt ipsis à Deo commissi. Et licèt ad huiusmodi illuminationem nihil per se conferant ipsi per opera merè naturalia: si tamen naturaliter bene viuant, & dictamen rationis sequantur, quoad possunt; minùs indignos se reddunt vocatione diuina: sicut ex opposito, quando malè viuunt contra lumen naturale, ponunt gratiæ impedimentum, & lumini supernaturali viam quodammodo obstruunt.

37. *Diluitur secundum, quod desit infidelibus.* Secundò, ad testimonia D. Augustini, quibus contendit Iansenius affirmari infideles carere gratiâ sufficienti ad salutem, tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis eius: Respondeo sensum illorum esse, vel quòd infideles, manentes culpabiliter in infidelitate, non obsequuntur adiutorio gratiæ, proximè vel remotè vocanti ad fidem: vt cùm in quæst. 15. super Deut. in fine, dicit *Infideles non contemperari adiutorio gratiæ*: id est, non se illi accommodare, & subiicere per consensum: propter quod addit: *Sed ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitia Dei non sunt subiecti.* Vel quòd careant gratiâ, quâ in die resurrectionis liberentur à morte æterna, & corpus hoc mortale induat immortalitatem. Vt cùm ait sermon. 5. de Verbis Apost. capite vndecimo: *Pagani non habent gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, &c.* Nam ex verbis præcedentibus, & sequentibus clarum est hunc esse illius sensum. Hoc enim dicit exponens Pauli verba Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et Paulum interrogat cur sic gemat, & ita respondeat? *Numquid enim Pagani, qui non habent gratiam Dei per Iesum Christum, non morientur? Non quandoque die vltimo à carne soluentur? Non illo die à corpore mortis huius liberabuntur? Tu, quid est, quòd pro magno gratiæ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum vis tribuere, quia de corpore mortis huius liberaberis?* Tum addit, respondere Apostolum, *Scio quid loquar. Paganos dicis liberari à corpore mortis huius, quia veniet dies vltimus vitæ huius, & soluentur ad tempus à corpore mortis huius. Veniet & dies, quando omnes, qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: Ecce liberati à corpore mortis huius. Qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicij: Ecce redierunt ad corpora mortis huius. Corpus mortis huius redit ad impium, nec inde aliquando soluetur.* Manifestum est, quod dixi, Augustinum hìc loqui non de quacunque gratia, sed de illa, quæ liberat à morte æternâ; quâ nemo negat carere eos omnes, qui moriuntur in infidelitate.

38. *Quo sensu dicit Augustinus gratiam illis deesse* Aliis verò quibusdam locis significat non posse infideles bene operari ad vitam æternam consequendam, neque gratiam ad hoc proximè necessariam accipere, nisi credant. Vt cùm ait libro primo ad Simplic. q. 2. non posse hominem bene operari, *nisi perceperit gratiam. Incipit autem percipere gratiam ex quo incipit credere Deo, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.* De qua eadem gratia, fidelium propriâ, intelligendum est quod ait libro de Gratia, & libero arbitrio, capite 13. *Gratiam, quam commendat Apostolus, per fidem Iesu Christi, eorum tantummodo esse, quorum est ipsa fides.* Quo etiam sensu dicit Arausicanum can. 25. *Deum nobis fidem, & amorem sui, priùs inspirare, vt cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Interdum etiam non aliud sibi vult, quàm infideles habere minora, & infrequentiora auxilia; licèt omnino illis destituti non sint. Vt cùm sic ait in Psal. 136. *Quando illos videmus, & tam steriles inuenimus, vt difficilè nobis appareat in eis aliquid, vnde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi, vel ad concupiscentiam liberationis à captiuitate mortalitatis: scripturas nouimus, quas eis dicamus.* Vbi notanda sunt hæc verba, *vt difficilè nobis appareat, &c.* quæ significant non omninò deesse illis vocationem ad fidem, quamuis non facilè nobis appareat quænam, & quanta sit. Alibi denique sensus illius est, quòd infideles auxiliis sibi oblatis non respondeant, sed resistere soleant. Vt cùm addit consequenter ad verba relata: *Sed quia nullum fructum in eis inuenimus, auertimus ab eis faciem, & dicimus: Adhuc isti non sapiunt, non capiunt; quia quidquid illis dixeris, sinistrum, & aduersum habent.* Et in Psal. 134. ob eam causam dicit hos infideles idolis similes esse, quia *aures habent, & non audiunt; nares habent, & non odorantur. Non sentiunt illum odorem, Christi bonus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco, &c.* Nimirum, quia vt de illis ait Scriptura, *Oculos suos clauserunt:* &, *Excæcauit illos malitia eorum:* id est, voluntariè auersantur lucem sibi oblatam, & odorem illum cælestem dedignantur percipere. Eodémque modo intelligendum est, quod de iisdem infidelibus scripsit August. in Psal. 87. in fine, *Occultam Dei gratiam, quâ homines trahuntur ad fidem, non operari in illis,* id est, non sortiri suum effectum, defectu cooperationis ex parte ipsorum.

Tertiò, ad id quod sæpius inculcant Iansenius, & alij eius Apologistæ, post Caluinum libro secundo Institut. capite tertio, & Petrum Martyrem in locis communibus tit. de Prædestinat. num. 38. & tit. de Iustificat. numero 24. *Communem esse omnibus naturam, non gratiam,* vt ait August. serm. 11. de Verbis Apost. cap. 4. Ergo falsum est dari omnibus gratiam sufficientem: hoc enim est eam vertere in naturam. 39. *Et communem esse omnibus naturam, non gratiam.*

Respondeo sensum D. Augustini eo loco esse, naturam humanam communem esse omnibus hominibus, *Quæ* inquit, *si putetur gratia, ideo putetur gratia, quia & ipsa gratis concessa est: non enim homo, qui non erat, promeruit vt esset. Sed gratiam iustificationis, & adoptionis, quâ sumus populus eius, & oues pascuæ eius, non esse omnibus communem: quia scilicet non omnes iustificantur, & adoptantur reipsa: & hanc esse propriè gratiam:* id est, non impropriè sic dici, sicut natura dicitur impropriè gratia. Eodémque sensu addit consequenter cap. 5. *Exceptâ illâ communi gratiâ naturæ, quâ homines facti sumus, nec digni fuimus: exceptâ illâ gratiâ: hæc est maior gratia, quâ facti sumus populus eius, & oues pascuæ eius per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et cap. 6. initio: 40.

Exceptâ ergo illâ gratiâ (impropriè dictâ) *quâ condita est humana natura: hæc enim Christianis, Paganisque communis est: hæc est maior gratia,* (& propriè dicta) *non quòd per Verbum homines creati sumus, sed quòd per Verbum carnem factum fideles facti sumus.* Et hæc secunda gratia est illa, quam dixit Augustinus cap. 4. non esse omnibus communem, sicut natura omnibus communis est: quia non conuenit Paganis, & infidelibus vocationem ad fidem respuentibus.

41. Quartò, ad illud quod obiiciunt aliqui Iansenij sectatores, Gratiam Christi sufficientem esse beneficium mortis Christi. Atqui non omnes beneficium mortis Christi recipiunt, sed illi duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur, vt ait Trident. sess. 6. cap. 3. Ergo non omnes recipiunt gratiam sufficientem Et certè infantes morientes sine baptismo, non eam recipiunt: neque apparet quam accipiant infideles, qui nihil de Christo, & Euangelio vnquam audierunt.

42. *Soluitur obiectio ex Tridentino.* Respondeo Tridentinum ibi loqui specialiter de beneficio iustificationis, vt præ se fert titulus illius capitis, & manifestè indicant verba immediatè pòst sequentia: *Nam sicut reuera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti; cùm eâ propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: cùm eâ renascentiâ, per meritum passionis eius, gratia, quâ iusti fiunt, illis tribuatur.* Præter hoc autem beneficium mortis Christi, alia multa esse, & inter hæc, Spiritus sancti illuminationes, & pias motiones voluntatis, quibus vocamur ad fidem, & iustificationem, docet idem Concilium sequenti cap. 5. & 6. corúmque participes fiunt, qui nondum gratiam iustificationis adepti sunt.

43. *Et altera de infantibus morientibus sine baptismo.* Infantes autem qui moriuntur sine baptismo, non consequuntur hoc beneficium iustificationis, nisi martyrium suppleat defectum baptismi: neque etiam gratiam sufficientem internam accipiunt in seipsis, cuius non sunt capaces: neque Deus miraculosè inuertere solet, aut impedire cursum ordinarium causarum naturalium, aut liberarum, vi quarum fit vt moriantur sine baptismo: nec vult eos saluare, nisi priùs adhibito peccati originalis remedio: quo sensu intelligendum est, quòd ait D. Aug. lib. de Corrept. & grat. cap. 14. & lib. de Bono perseuer. cap. 12. & epist. 107. ad Vitalem, aliisque locis, Deum non velle eos saluare, & *nolente Deo* ad baptismum non peruenire. Non desunt tamen gratiæ sufficientes adultis, quibus salus, & cura paruulorum commissa fuit: qui, si illis, vt par est, responderent: non carerent paruuli beneficio baptismi, omnibus in commune exposito: vt docet S. Prosper Augustini discipulus lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. his verbis: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines*, id est, infantes breui morientes sine baptismo, *ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus: quâ vtique si bene eorum vterentur parentes*, vel alij, quibus incumbit curam illorum gerere, *etiam ipsi per eosdem iuuarentur.*

44. *Et de infidelibus, ad quos nunquam peruenit Euangelij prædicatio.* De infidelibus verò, quibus Christus non fuit annunciatus, sic idem loquitur cap. 17. lib. cit. *Etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit: quibus mensura tamen generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper est hominibus præbita, non negatur.* Et copiosiùs D. Thom. q. 14. de Verit. art. 11. ad 1. *Hoc pertinet*, inquit, *ad diuinam prouidentiam, vt cuilibet prouideat de necessariis ad salutem: dummodò ex parte eius non impediatur. Vnde si aliquis nutritus in syluis inter lupos, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certissimè est tenendum, quòd ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria: vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. 10.*

Opponunt quintò, doctrinam istam de gratia sufficiente omnibus data, destruere iustam Dei condemnationem propter peccatum originale; cuius merito iustissimè potuit omnes homines in massa perditionis relinquere, & ignotam fuisse Apostolo Rom. 9. qui postquam dixit, Deum cuius vult misereri per gratiam excitantem; & quem vult, indurare per subtractionem gratiæ: sibique obiecit, *Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Non respondet, vti debebat si gratiam sufficientem agnouisset, meritò Deum queri de obduratis, quia habent gratiam sufficientem, quâ possent conuerti, si vellent: sed ad consilium Dei inscrutabile recurrit dicens, *O homo! Tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? &c.* ita Iansenius tom. 3. lib. 3. cap. 14. circa medium. 45.

Respondeo ad primam partem huius obiectionis, nullo modo id sequi, quod infert ex nostra sententia. Neque enim negamus potuisse iustè Deum omnes homines, æquè ac Angelos peccantes lethaliter, relinquere in statu peccati, & omnem gratiam inde emergendi illis negare. Sed dicimus, ex Scripturis, & Conciliis, ac traditione Sanctorum Patrum constare, Deum voluisse cum hominibus mitiùs agere; & pro sua pura misericordia omnibus viam resurgendi à peccato proposuisse, mediáque ad hunc finem sufficientia proximè, vel remotè exhibere omnibus eorum capacibus: ita vt si lumen rationis, quod habent, sequantur; & diuinis inspirationibus, quibus sensim iuuantur, obtemperent: tandem ad fidem, & iustificationem, æternámque salutem perueniant. 46. *Gratia suffic. non destruit peccatum originale.*

Ad secundam dico, Apostolum vers. 22. eiusdem capitis affirmare, ne quidem eos, qui obdurati sunt, carere penitùs Dei auxilio; quod respectu illorum est sufficiens tantùm, quandoquidem reipsa non obtinet consensum. Dicit enim, Deum in multa patientia sustinuisse vasa iræ. & vers. 30. totum illud caput (in quo, vt culpam Iudæorum extenuaret, ne à Gentilibus ad fidem conuersis adeò despicerentur, subobscurè loquutus est de illa reprobatione, visúsque illam referre in occultum Dei iudicium) ita concludit, ostendens non solo Dei consilio id contigisse, neque antecedenti eius voluntate; sed permissiua tantùm, & consequenter ad eorum inobedientiam, & resistentiam vocationi ad fidem Christi: *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, quæ ex fide est. Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ* 47. *Causa cur desit?*

non peruenit. Quare? Quia non ex fide in Christum, quam amplecti noluerunt: *sed quasi ex operibus* legis Mosaicæ, quibus nimium confidentes, & de sua iustitia legali præsumentes à vera Christi iustitia exclusi sunt. *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce ego pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

48. Id etiam clariùs docet Augustinus verbis suprà relatis num. 33. affirmans ne Pharaoni quidem, neque Esaü, de quibus speciatim loquitur ibidem Apostolus, defuisse penitus auxilium gratiæ ad conuersionem. Quo non obstante, suppetit adhuc sufficiens causa admirationis iudiciorum Dei circa Iudæos, & similes; quatenus præuidens tam multos perituros, & fere omnes Israëlitas, Christo reiecto, in infidelitate mansuros; hunc tamen modum illum mittendi elegit, & hæc media, & auxilia; relictis aliis, quibus præuidebat fore vt consentirent, & fidem Christi amplecterentur: quódque etiam inæqualiter, pro suo beneplacito, auxilia sua, & dona gratiæ distribuit; plura vnis, & maiora conferens, quàm aliis, quibus si ea præbuisset, conuersi essent: iuxta illud Matth. 23. *Væ tibi Corozain, &c.* atque hoc sensu Deus, cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

49. *Cur returbat Apostolus ad Dei iudicia inscrutabilia?* Quamuis autem Paulus interroganti, *Quid adhuc queritur, &c.* posset statim hanc rationem reddere, quam ad finem capitis reseruauit: dicereque Deum meritò conqueri de iniquis, & obduratis, eò quòd ipsi voluntariè resistant vocationi, & auxiliis gratiæ, seipsósque indurent: vt de Pharaone disertè asseritur Exodi 8. vers. 15. priùs tamen voluit obiectoris audaciam comprimere, suámque ipsius vilitatem illi obiicere, his verbis: *O homo!* ô puluis! ô lutum! *Tu quis es, qui respondeas Deo?* Significans non magis ipsum Deo factori suo debere obloqui, quàm lutum figulo; sed eius consilia reuerenter admirari. Plura circa huius loci expositionem, vide apud Martinon. tom. 1. disp. 19. sect. 7. n. 100. & seqq. vbi breuem totius capitis illius expositionem dat. Alia quæ opponunt aduersarij, minoris sunt momenti, & ex dictis facilè solui possunt. Speciatim verò quod addit Iansenius, doctrinam de gratia sufficiente infidelium, ortum habuisse à Massiliensibus, ineptissimum esse patet ex testimoniis Scripturæ, & Sanctorum Patrum, nominatímque ipsius Augustini, & Prosperi, quæ pro illa retulimus sectione præcedenti num. 29. & sequentibus.

SECTIO VI.

Detúrne iustis gratia sufficiens ad perseuerandum?

50. *Negant hæretici cum Iansenio.* NEGAT Iansenius tom. 3. lib. 3. pluribus locis, quibus affirmat Deum non dare omnibus fidelibus, neque etiam iustis quibuslibet, gratiam sufficiẽtem ad salutem, vel ad seruanda Dei mandata, quamuis eiusmodi sint, vt sine ipsius gratia seruari nequeant: imò quotquot, & quotiescunque peccant, carere gratiâ sufficiente ad non peccandum; & quotquot ex iustitia excidunt, carere auxilio necessario, & sufficienti ad perseuerandum: ac denique reprobis, si aliquando sunt in statu iustitiæ, Deum subtrahere gratiam suam, per cuius subtractionem labuntur necessariò in peccatum mortale, & finaliter non perseuerant. Atque hæc doctrina vniuersa manifestè sequitur ex eius principiis suprà refutatis. Cùm enim velit, in statu naturæ lapsæ non dari gratiam auxiliantem, nisi efficacem, quæ semper, & necessariò effectum consequatur, neque subiaceat libero voluntatis arbitrio, vt ei consentiat, vel dissentiat: sequitur iustos, qui non perseuerant, non habere auxilium gratiæ necessarium vt possint perseuerare. Quia neque habent efficax, cùm reipsa non perseuerent, neque sufficiens, quia nullum tale datur. Cúmque, vt idem affirmat tom. 3. lib. 2. c. 25. *Nulla omnino gratia Christi effectu suo careat, sed omnino efficiat vt voluntas velit, & aliquid operetur,* illud scilicet ad quod ipsa inducit: *Vnde gratia, & bonum opus ita reciprocantur, vt sicut ex gratia data, mox effectus operis, consecutus infertur: ita vice versa ex defectu operis, gratiam non esse datam:* inde sequitur, ex defectu perseuerantiæ, quæ certè multis deest, inferendum esse, iuxta doctrinam aduersarij, gratiam ad perseuerandum non fuisse illis datam, sine qua tamen impossibile ipsis erat perseuerare. Eandem esse doctrinam Lutheri, & Caluini, & vtriusque discipulorum, qui in hoc fundamento consentiunt cum Iansenio, patet ex dictis disp. 23. sect. 2. num. 10. & sequentibus.

Contrarium iuxta fidem Catholicam tenendum est, sic enim pronunciauit Concilium Arausicanum can. 25. *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere:* adeóque seruare mandata, & perseuerare. Estque recolendum, quod alibi diximus, omnes canones illius Synodi fuisse à Sede Apostolica transmissos, vt patet ex eius præfatione. Et Trident. sessione 6. capite 13. postquam dixit perseuerantiæ donum aliunde haberi non posse, nisi ab eo, qui potest eum, qui stat, statuere vt perseueranter stet: & eum, qui cadit, restituere: addit immediatè pòst: *Nemo sibi certi aliquid absolutè polliceatur de perseuerantiæ munere: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Itaque illis non deest gratia, quâ possint perficere, & perseuerare, si per eos non stet: idque certissimum esse debet, vt in eo possint ac debeant iusti omnes firmissimam spem collocare, & reponere, quemadmodum affirmat Tridentinum. Et cap. 11. eiusdem sessionis 6. initio. *Nemo,* inquit, *temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce vtatur, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, &c.* Nihil autem aliud ad perseuerandum requiritur, quàm seruare mandata: & inter illa vnum est de perseuerando, & conseruando iustitiam acceptam, donec appareamus ante tribunal Christi, & habeamus vitam æternam, vt ait Tridentinum in fine cap. septimi eiusdem sessionis. Et 51. *Contrarium probatur ex Conciliis.*

can. 18. *Si quis dixerit*, inquit, *Dei precepta homini, etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* Ergo non deest illi gratia, qua possit seruare, adeóque perseuerare; cuius oppositum affirmat Iansenius. Et paulò pòst, can. 22. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Hoc est, sicut nullus iustificatorum perseuerare potest sine auxilio gratiæ: ita possunt omnes cum illo, quia nulli deest. Et can. 29. *Si quis dixerit eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per gratiam resurgere, anathema sit.* Et Lateranense sub Innocentio III. cap. *Firmiter. Si post susceptionem baptismi quispiam lapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest semper reparari.* Itaque lapsis post peccatum superstitibus patet remedium pœnitentiæ, & auxilium illi agendæ necessarium, vt possint gratiam recuperare, & saluari.

52. *Et ex Scriptura.* Ad idem confirmandum valent ea Scripturæ loca, quibus affirmãt esse in omniũ, præcipuéque iustorum, potestate seruare mandata, & vitam æternam adipisci: Deuteron. 30. ver. 11. & sequentibus, quem locum de Iudæis, & lege Mosaïca prolatum à Moyse, Paulus ad Rom. 10. ver. 6. applicat possibilitati fidei, & præcepto credendi in Christum: párque est ratio, vt aliis præceptis legis Christianæ applicetur. Et quidem, si auxilium gratiæ sufficientis non defuit Iudæis ad seruandam legem Mosaïcam, vt locus ille Scripturæ conuincit: multò minùs deest Christianis in lege gratiæ, ad seruanda Christi mandata: præsertim cùm ipse affirmet iugum suum esse suaue, & onus leue, Matth. 11. 28. & 1. Ioan. 5. ver. 3. de mandatis legis nouæ dicatur, *Hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* Eódem pertinet quod iustis & fidelibus ait Apostolus 1. Cor. 10. ver. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis:* adeóque dabit auxilium sufficiens ad resistendum tentationibus, & perseuerandum in fide, & iustitia. Et 1. Timoth. 4. ver. 10. *Qui est saluator omnium, maximè fidelium:* id est, habet sinceram voluntatem saluandi omnes: & maximè fideles, & iustos: adeóque iuuat auxiliis sufficientibus, & mediis necessariis, vt salutem tandem consequi possint. Et 1. Petri 3. ver. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quod idem protestatur Deus Ezech. 18. ver. 23. & cap. 33. ver. 30. dicens nolle se mortem impij, sed magis vt conuertatur, & viuat. Quomodo autem vellet conuerti, & viuere, si non daret auxilium, sine quo nequeunt ad conuersionem, & vitam peruenire?

53. *Et ex Patribus.* Idem etiam docent sancti Patres: vt Iustinus Martyr in fine Dialogi cum Tryphone, sic dicens: *Itaque si omnes, qui misericordiam à Deo consequi volunt, postquam in peccatum lapsi sunt, superioris vitæ pœniteat; & præstare possunt.* Ergo possunt omnes resurgere à peccato, & gratiam ante mortem recuperare, si recurrere velint ad pœnitentiam, ad quam Deus omnes hortatur, & inuitat: vt patet ex Conciliis, & Script. suprà cit. Et Clemens Alex. lib. 7. Stromatum. *In stadio*, inquit, *decertant athletæ, & ex his vtique superat qui aliptæ paruerit. Omnibus enim omnia à Deo proposita sunt æqualia, & est ipse alienus à reprehensione. Misericordiam autem consequitur is, qui potens est: & potens est, qui voluerit.* Itaque nemini deest auxilium quo possit vincere, si velit, æternæque vitæ præmium reportare. Et Ephrem Syrus serm. 1. de compunctione, *Semper eius gratia corda nostra visitat: sed si cor immundum offenderit, illico recedit: rursúsque Deus misericordiâ tactus, cogit eam ad nos peccatores inuisendos venire &c. Nequit enim penitus nos gratia deserere: à propria enim ipsius benignitate eò adigitur (Deus) vt omnium nostrûm misereatur:* non desinens scilicet inuitare ad pœnitentiam post lapsum, & iuuare, si velimus inuitantem sequi.

Et D. Augustinus lib. de Correpr & gratia cap. 7. *Si*, inquit, *nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audiuisse Euangelium Christi, cùm fides ex auditu sit: quanto minus se liberabunt, qui dicturi sunt, perseuerantiam non accepimus. Iustior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam; quàm dicentium, non accepimus perseuerantiam, quoniam potest dici, Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseuerares si velles: nullo modo autem dici potest, Id quod non audieras crederes si velles.* Et Cyrillus Alex lib. 11. in Ioan. cap. 21. in fine dicit per Iudam stetisse, quòd non perseuerauerit, sicut alij Apostoli: quia non minùs quàm ceteri diuinâ gratiâ regebatur, sed coopetantem ei voluntatem tradere noluit. Et Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 29. asserit ineffabilem Dei bonitatem ita consulere omnibus, & semper consuluisse, vt nulli pereuntium excusatio suppetat. Itaque iusti, qui pereunt defectu perseuerantiæ, non possunt hanc prætexere excusationem, quòd fuerint auxilio necessario destituti: quâ certè nulla iustior prætexi posset. 54.

Et ex D. Thoma, aliisque Theologis. Idem denique affirmant communi consensu Theologi, D. Thomas 3. p. q. 62. artic. 6. ad 3. *Homines*, inquit, *quandiu viuunt, possunt ad fidē, & caritatem conuerti: quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ex hac vita.* Quare si à caritate, & gratia sanctificante exciderunt per peccatum mortale; non deest illis auxilium, quo possint ante mortem eam recuperare, & saluari. Idem in caput 1. epist. 1. ad Corinth. ver. 9. circa illa verba, *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius &c.* sic ait: *Non videtur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem filij, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ peruenire ad eum possemus. Vnde Iosue 1. dicit, Non te deseram, neque derelinquam.* Et S. Bonauent. in 1. distinct. 47. art. 1. quæst. 1. *Deus*, inquit, *paratus est iuuare: ita quòd salus non deficit propter defectum ex parte Dei.* Ergo iusti, qui non perseuerant, & à salute excidunt, habebant auxilium Dei paratum, necessarium, & sufficiens ad perseuerandum. Et Scotus in 1. dist. 46. q. vnic. ad 1. arg. disertè affirmat Deum velle, & dare non solùm iustis, sed & aliis omnibus *adiutoria sufficientia, quibus possint sufficienter bene viuere, & saluari.* Infinitum esset referre omnes alios: & non dubitant aduersarij hanc esse communissimam recentiorum Theologorum sententiam.

Perperam autem respondet aduersarius testimoniis Conciliorum suprà relatis, iustos,

licèt careant auxiliis sufficientibus ad perseuerandum, posse tamen perseuerare si velint: quia si vellent, perseuerarent, tametsi id velle non possunt. Enimuero iuxta proprium, & vsitatum inter homines loquendi modum, secundùm quem intelligi debent definitiones Conciliorum, non dicitur quisquam posse facere aliquid si velit, si non potest velle id facere, & non potest facere nisi velit. Ex. grat. non dicimus Deum posse peccare, si velit; aut posse seipsum odisse, si velit: quia neutrum potest velle: tametsi æquè verum est quòd si vellet peccare, peccaret: & si vellet se odisse, se odio haberet. Nam velle peccare est peccare, & velle odisse est habere odio. Quare similiter non debet dici iustos auxiliis sufficientibus destitutos posse perseuerare, si velint; cùm id velle non possint. Adde, Concilia citata non semper habere particulam illam, *si velit*, sed absolutè pronunciare iustos posse cum Dei gratia perseuerare, & gratiam illis præsto semper esse, vt loquuntur Tridentinum sess. 6. cap. 13. & can. 22. verbis suprà relatis num. 51. Senonense Decreto fidei 15. & Coloniense capite de Sacramento Pœnitentiæ. Aliæ eius euasiones refutabuntur inferiùs sect. 8. & sequentibus.

SECTIO VII.

Detúrne gratia sufficiens ad seruanda mandata illis omnibus, qui obligantur ea seruare, & peccant non seruando?

56. *Probatur dari, ex Scriptura.* CONCLVSIO affirmatiua certissima est apud omnes Catholicos: & patet ex Scriptura Deut. 30. vers. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum, &c. Quæ verba dicuntur à Moyse de lege veteri, in qua tamen minùs gratiæ, quàm in noua suppeditabatur: & ab Apostolo Rom. 10. vers. 6. & seqq. applicantur præcepto credendi, eiúsque possibilitati: & par est ratio vt aliis quoque legis Euangelicæ præceptis applicentur: vt paulò antè notauimus num. 52. de quibus etiam dicitur 1. Ioan. 5. vers. 3. *Mandata illius grauia non sunt.* Essent autem grauia, & intolerabilia, si deesset gratia sufficiens, sine qua seruari non possunt. Quare falsum est, illam deesse illis quibus imponuntur, quíque obligantur ea seruare, & peccant non seruando.

57. *Et ex Patribus.* Idem etiam docent sancti Patres: vt Basilius in serm. circa illud *Attende tibi*, vbi sic habet: *Impium est dicere, impossibilia obseruatu esse Spiritus præcepta.* Et in regulis breuioribus, respons. 176. *Sine dubio*, inquit, *non præcepisset hoc, qui bonus ac iustus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus.* Et Chrysostomus homil. 16. in epist. ad Hebræos: *Non licet dicere, non possum, neque accusare Conditorem: si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa eius est. Quomodo ergo, inquit, multi non possunt, quia nolunt? Si enim voluerint, omnes poterunt, &c. habemus quippe cooperatorem, & adiutorem Deum. Tantùm velimus, tantùm opere accedamus ad rem ipsam.* Et Hieronymus lib. tertio aduersus Pelagianos, *Deus impossibilia mandauit, hoc nulli dubium est.* Possibilia scilicet cum eius auxilio, quod non deest. Et Augustinus libro secundo de peccat. merit. & remiss. capite sexto. *Dubitare non possum*, inquit, *nec Deo ad opitulandum & adiuuandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo.* Et lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 16. sic ait: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non possumus,* (solis naturæ viribus) *vt nouerimus quid ab illo petere debeamus* (gratiam scilicet quâ possimus.) *Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et lib. de natur. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et cap. 69. *Eo ipso quo firmissimè creditur*, inquit, *Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus.* Et sermon. 191. de Tempore, *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.* Propter quæ, & alia huiusmodi luculentissima sancti Doctoris testimonia, meritò Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, damnarunt hanc propositionem num. 51. *Definitiua hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.* Similia dicunt S. Leo Papa sermone sexto de Passione, cuius verba sunt: *Iustè nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio*, & alij Patres, Græci æquè ac Latini, ceteríque Doctores Catholici, quos vel enumerare longum esset. Et Tridentinum sessione 6. cap. vndecimo, idem sua auctoritate confirmauit, ita pronuncians: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.*

Confirmatur, quia nemo potest ad impossibile obligari, vt dicitur regula sexta, de regulis iuris in 6. Ergo nemo potest obligari ad seruanda præcepta, sine auxilio, sine quo sunt illi impossibilia; id est, nisi vel iam habeat tale auxilium, vel in eius potestate sit positum habere, si velit. Item, nemo peccat culpabiliter, si non faciat id, quod facere non potest. Ergo nemo peccat culpabiliter, si non seruat præceptum destitutus auxilio, sine quo seruare non potest. Consequentia est euidens. Antecedens traditur ab Augustino libro de duabus animabus capite vndecimo, vbi affirmat id adeò esse notum, vt illud *cantent in montibus pastores, &c. & in orbe terrarum genus humanum.* Et sequenti capite 12. sic addit: *Peccati reum teneri quenquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ.* Et libro tertio de libero arbitrio capite decimo-octauo: *Quis peccat in eo, quod caueri non potest?* 58. *Et duplici ratione.*

Contrarium sentiunt Lutherus in responsione ad Dialogum Syluestri, vbi sic loquitur: *Pessimè facis, quòd negas Saluatorem impossibilia iussisse: plusquàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare: non possumus in hac vita mandata Dei implere.* Et in confutatione ra- 59. *Contrarii sentiunt hæretici.*

tionis Latomianæ, *Tot*, inquit, *Scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, vt nihil sit manifestius*. Et Caluinus in Antidoto Tridentini ad sessionem 6. capite vndecimo: *Impossibile esse assero, quod Scriptura nunquam futurum pronunciant*. *Fatigabant Augustinum hâc calumniâ Pelagiani, quòd diceret Dei præcepta ad obseruandum esse impossibilia*. Et libro secundo Institut. capite septimo, numero quinto: *Quòd autem*, inquit, *impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul, & confirmandum. Solet enim vulgò absurdissima sententia videri: vt Hieronymus non dubitarit anathema illi denunciare. Quid visum sit Hieronymo nihil moror: nos quid verum sit inquiramus*. Et paulò pòst: *Eiusmodi argutiâ vexabant Augustinum Pelagiani, iniuriam fieri Deo si plus iubeat, quàm per eius gratiam præstare queant fideles*. Similia dicunt Melancthon, Kemnicius, Chamierius, & alij Caluini, & Lutheri sectatores.

60. *Et Iansenius.* Contrarium quoque sentit Iansenius, hæreticorum partes suo more sequutus, libro tertio de Gratia Christi Saluatoris capite decimotertio, vbi dicit, *Nihil esse in sancti Augustini doctrina certius, & fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis; sed fidelibus quoque, & iustis, volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam, quâ fiant possibilia: hoc enim exemplo S. Petri Christum negantis, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur vltrà quàm possint sustinere*. Quæ postrema verba quàm bene conueniant cum illis Apostoli, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, viderint eius Apologistæ.

61. *Deus non patitur nos tentari suprà quàm possumus.* Neque enim satisfacit, quod ipse respondet eodem capite decimo-tertio §. *Ex quo fit*: sermonem ibi non esse de omnibus fidelibus, sed ferè tantùm de electis. Nam cùm electio occulta sit, præsertim iuxta sententiam Iansenij, secundùm quam ne probabiliter quidem ab vllo potest de seipso cognosci, citra specialem reuelationem, vt ostendemus inferiùs disputat. 38. planè inutilis foret hæc Apostoli exhortatio, aut consolatio fidelibus, quorum vnusquisque meritò dubitare, & iuxta Iansenium, nullus ne probabiliter quidem existimare posset se de illorum numero esse, quos Deus supra vires tentari non permittit. Præterquam quòd Pauli verba generalia sunt, & non debent sine euidenti necessitate restringi. Quæque præcedunt, & sequuntur eodem cap. 10. epist. 1. ad Corinth. vers. 13. sine dubio ad omnes diriguntur fideles, qui erant Corinthi; quorum multi non erant electi, patétque ex eadem epistola, & sequente, pluribus locis, fuisse inter eos aliquos contentiosos, schismaticos, fornicarios, ebriosos, scandalosos.

62. *Neque præcipit impossibilia.* Quod verò ait præcepta quædam etiam fidelibus & iustis, volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia, intellectum etiam de viribus à Deo suppeditatis, prout ipse intelligit, repugnat è diametro definitioni Concilij Arausicani can. 25. sic affirmanti iuxta regulas à Sede Apostolica ad se transmissas, vt dicitur in præfatione huius Concilij: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratia omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere*: adeóque seruare omnia præcepta, sine quorum obseruatione salus obtineri nequit. Neque minùs apertè repugnat definitioni Trid. sess. 6. cap. 11. prohibenti, vt *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce vtatur, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia*. Et can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini, etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit*.

SECTIO VIII.

Refelluntur elusiones Iansenij.

CONTRA hanc suam doctrinam opponit sibi Iansenius eodem c. 13. hoc argumentum, aduersus hæreticos eiusdem cum illo sententiæ proponi solitum: Deus iubet homines credere, pœnitere, legem naturalem Decalogi, ceteráque sub æterna perditionis pœna seruare. Deus autem non iubet impossibilia. Ergo dat omnibus sufficiens auxilium ad ea facienda quæ iubet. Deinde, peccant homines, etiam infideles, quando fidei, & pœnitentiæ præcepta, legésque naturales violant. Ergo sufficiens auxilium habent ad vitanda peccata: nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest. Respondet autem, hanc sententiam, quòd Deus non possit homini præcipere impossibilia, nunquam fuisse à D. Augustino sic intellectam, vt non possit homini præcipere, id quod propriis viribus suis implere non potest: sed solùm quod ita impossibile est, vt neque propriis, neque alienis viribus, si illas in auxilium aduocarit, possit implere. Vnde sæpenumero ex professo docet Deum iubere quædam, quæ non potest homo facere, ipsúmque auxilium suum subtrahere, non vt desperet homo, sed vt faciendi vires, & auxilium, quibus se carere sentit, sibi imploranda esse doceatur. Vt patet ex dictis alibi de Iudæis, & ex lib. de natur. & grat. c. 15. vbi sic habet: *Itaque præcepto facere commonemur quod conantes, & nostris viribus non valentes, adiutorium diuinum precemur*. Et inferiùs cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Quod etiam Trid. affirmat sess. 6. cap. 11. Et lib. de Spirit. & lit. *Ideo enim lex iubet*, inquit, *vt admoneat quid faciat fides, vt cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat. Si autem continuò potest, & obedienter facit, debet etiam scire quo donante potest*. Et libro de Perfect. iustitiæ capite tertio id explicat similitudine claudicantis, qui sanari potest, sed antequam sanetur non potest ambulare rectis passibus, etiamsi velit; sed tantùm potest velle medicum vocare, & curari. 63. *Iansenij euasio.*

Sed hæc omnia impertinenter proferuntur à Iansenio. Non enim quæstio est vtrum Deus possit præcipere, ac reipsa præceperit homini aliquid solis naturę viribus impossibile; quod tamen per eius gratiam, quam exhibeat, vel paratus sit exhibere, fiat possibile. De hoc enim nullus Catholicorū dubitat: & hoc solum affirmat D. Augustinus locis ab eo relatis. Sed, vtrū possit aliquid præcipere, ac reipsa præceperit na- 64. *Refutatur.*

turæ viribus impossibile, nolens gratiam subministrare, per quam fiat possibile illis omnibus, quos obligat tali præcepto, quíque peccant culpabiliter illud transgrediendo: vt affirmat Iansenius post Lutherum, & Caluinum, eorúmque sectarios, & execrantur omnes Catholici post Augustinum, aliósque Patres, & Concilia suprà citata.

65. *Non deest auxilium sufficiens proximè vel remotè, ad orandum vel adagendum quod præcipitur.* Impertinenter quoque infert ex præcitatis Augustini testimoniis, quæ potiùs ipsi manifestè aduersantur, esse quædam homini præcepta secundùm statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia, vt cõfirmat, inquit, oratio, quâ petimus auxilium vt possimus: si enim iam possumus, ad quid petimus vt possimus? Impertinenter, inquam, hoc infert quasi contrarium Theologorum sententiæ: volens scilicet ne vires quidem sufficientes adesse ad orandum & petendum à Deo vlterius & maius auxilium, quo præceptum impleri possit. Hoc enim Augustinus, locis illis non asserit, sed potiùs oppositum, cùm sic ait libro de natura & gratia capite 43. verbis ab ipsomet relatis: *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Frustra admoneret petere, nisi daret gratiam sufficientem, & necessariam ad petendum. Et cap. 69. *Eo quippe ipso, quo firmissime creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Neque verò frustra petimus; sed *orando fides impetrat, quod lex imperat*, vt idem ait libro de gratia & libero arbitrio capite 16. Ideóque Tridentinum sess. 6. capite 11. postquam dixit *Deum non præcipere impossibilia, sed iubendo monere, & facere quod possis, & petere quod non possis*; addit, *& adiuuat vt possis.* Quæ postrema verba, vt potè suæ sententiæ cõtraria callidè suppressit Iansenius eundem locum citans. Porrò, auxilium quod orando petimus, non est illud ipsum quod iam habemus, cùm oramus, & cuius ope vlterius auxilium à Deo postulamus, necessarium & sufficiens vt præceptum seruemus: sed duplex auxilium distinguendum hîc est: vnum sufficiens & necessarium ad orandum: alterum sufficiens & necessarium ad seruandum præceptum. Et hoc secundum non deest fidelibus, quando instat præcepti seruandi obligatio, nisi eorum culpâ & negligentiâ, quia non illud postulant, neque vtuntur gratiâ sufficiente quam habent ad orandum, sed vel negligunt, vel quod peius est, præsumunt de suis viribus, vt contigit Petro, & aliis in exemplum adductis à Iansenio. De iisdémque intelligendus est Augustinus verbis ab eodem relatis ex libro de Perfect. iustitiæ cap. 3. & 4. & tract. 34. in Ioan. & tract. de ouibus cap. 1. & serm. 97. de diuersis, aliísque locis.

66. *Exponuntur Augustini loca.* Quod verò addit ex libro 3. de libero arbitrio capite 18. Hominem nunc post peccatum *non habere in potestate vt bonus sit, siue non videndo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse qualem debere esse se videt: illámque esse pœnam iustissimam, vt qui sciens rectè facere, cùm posset, noluit; amittat posse, cùm velit:* & errare inuitum: & resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare: & quæ fiunt necessitate (impellentis concupiscentiæ) esse improbanda: vbi vult homo rectè facere, & non potest. Hæc inquam, omnia dicuntur ab Augustino, vt textum integrum legenti manifestum est, de ignorantia inuoluntaria, & motibus concupiscentiæ indel[ibe]ratis, & voluntate repugnante atque inuitâ insurgentibus: iuxta illud Apostoli, *Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo malum, illud facio. Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c.* déque illis, quæ ex tali ignorantia, vel concupiscentia inuoluntaria fiunt: quæ dicit esse improbanda, quia mala materialiter, id est, inordinata, & naturæ rationali dissentanea: quamuis non sint mala formaliter, seu peccata culpabilia, & imputabilia, quia fiunt sine libero consensu voluntatis, quæ vult quidem, sed non potest impedire ne fiant. vt expresse affirmat Augustinus initio eiusdem capitis, sic dicens: *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene. Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Quare inutiliter hæc & similia proferuntur ab aduersario, vt probet Deum pati nõnullos, imò fere omnes præter electos, tentari suprà quàm ferre possint cum auxilio gratiæ à Deo oblato, vel parato, & impetrando si petatur: ita vt peccent culpabiliter, succumbendo tentationi, destituti tali auxilio, atque etiam potentiâ illud habendi, sine quo non possunt resistere. Nam Augustinus id non asserit: sed è contrario, tale auxilium esse à Deo paratum contra vtrumque vulnus ignorantiæ, & concupiscentiæ, & non deesse reipsâ nisi culpâ nostrâ & negligentiâ postulandi, quotiescunque ad vincendum, & non succumbendum culpabiliter necessarium est, docet expresse verbis infrà referendis numero 72.

Cùm autem dicit lib. 13. de Trinit. cap. 19. & libro de catechizandis rudibus capite 25. & in Tract. de Vrbis excidio cap. vlt. non omnibus euenire, quod ait Apostolus, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum:* humilitérque procurandum esse, atque orandum vt nobis eueniat, simúsque de illorum numero quibus omnia cooperantur in bonum: Hoc, inquam, intelligendum est de felici exitu, seu victoria tentationis, quæ non omnibus contingit: non defectu gratiæ sufficientis exhibitæ, aut paratæ, si petatur, sed ex socordia vel malitia non cooperantis, aut non petentis, vt diximus sect. præcedenti num. 58. atque ille exitus est, quem oramus nobis euenire, petendo auxilium congruum, quo Deus nos eo modo præueniat, quo præscit consensuros, & victoriam de tentatione relaturos. Quare falsum est, & doctrinæ S. Augustini manifestè contrarium, quod vltimò affirmat Iansenius: plurimis non dari faciendi præcepti possibilitatem: ac ne quidem gratiam sufficientem ad orandum & impetrandum auxilium, quo fiat possibile, quando vrget implendi obligatio, & transgressio imputatur ad culpam. Hoc enim repugnat verbis eius suprà relatis ex capite 18. lib. 3. de lib. arbit. iunctis iis quæ referemus inferiùs ex capite 19. eiusdem libri. 67. *Explicatur locus. Fidelis Deus qui non patietur &c.*

SECTIO IX.

Refutantur aliæ Ianſenij eluſiones.

68. *Altera eius eluſio.* QVIA verò inſtari poteſt, quòd ſi deeſt aliquibus adiutorium Dei, quo præceptum eis fiat poſſibile; ipſáque orationis gratia denegatur, quâ faciendi præcepti vires, quibus carent, poſtulentur à Deo: ergo manet eis præceptum impoſſibile: & conſequenter non peccant in eo non faciendo, quod facere, & in eo faciendo quod vitare non poſſunt. Vtrumuis enim eis redditur impoſſibile. Reſpondet cap. 14. hunc nodum æquè Doctoribus Scholaſticis ſoluendum eſſe, niſi in alium errorem manifeſtum incidere malint: nimirum quòd qui orare negligunt, vel orant remiſſiùs, quàm poſſint ac debeant; peccent tantùm culpabiliter in iſta negligentia: quódque poſtea ex illa ſequitur, non eſſe peccatum culpabile, niſi in cauſa, hoc eſt, in illa negligentia, propter quam defuit auxilium neceſſarium: quod, inquit, vniuerſa Auguſtini doctrina, & Eccleſiæ ſenſus exhorret.

69. *Peccant in cauſa qui ſuâ culpâ carent auxilio.* Sed hoc falsò & ineptè affirmat. Nam contrà potiùs Auguſtinus diſertè aſſerit in Expoſitione quarundam propoſitionum epiſtol. ad Rom. num. 62. non peccaſſe Pharaonem, quando corde obdurato, id eſt, deſtitutus auxilio gratiæ, non obtemperauit: quia tunc non potuit obtemperare: ſed quia talem ſe præbuit, cui cor obduraretur, id eſt, culpabiliter fuit cauſa denegationis auxilij neceſſarij. Et lib. de duab. animab. cap. 11. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. aliíſque pluribus locis ſuprà relatis, generaliter affirmat neminem peccare in eo faciendo, à quo non poteſt abſtinere; vel in eo omittendo, quod non poteſt facere. Et Eccleſia per ſummos Pontifices Pium V. Gregorium XIII. & Vrbanum VIII. damnauit hanc propoſitionem Baij num. 63. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* Quare non error eſt, quod dicimus cum Eccleſia, & D. Auguſtino: ſed quod Ianſenius perperam tribuit Auguſtino, & Eccleſiæ.

70. *Recurrátne Apoſtolus ad auxilium ſufficiens?* Addit eodem capite circa medium, nunquam D. Auguſtinum, neque Paulum ſimili interrogatione pulſatum, recurriſſe ad auxilium ſufficiens paratum peccantibus; ſed ad Dei conſilium miserētis cuius vult, & obdurantis, id eſt, ſine auxilio relinquentis, quem vult: atque ex communi maſſa damnationis, quæ omnes homines inuoluit propter peccatum Adami, extrahentis aliquos per miſericordiam; alios in ea relinquentis per iuſtitiam: abſque vlla iniquitate erga relictos, cùm non teneatur extrahere, neque hoc ipſi mereantur, ſed potiùs ſint indigni eo beneficio propter peccatum originale.

71. Sed hoc falſum eſſe de Paulo liquet ex ipſo cap. 9. epiſt. ad Rom. in quo maximè vim facit aduerſarius. Vbi licèt Apoſtolus priori & maiori parte capitis obſcuriùs loquatur de reprobatione Iudæorum, & adoptione Gentilium, videatúrque illam reiicere in conſilium Dei hominibus inſcrutabile: poſtea tamen ſub finem capitis, cauſam vtriuſque eſſe dicit, quòd Iudæi de ſe præſumentes, & legis operibus nimis confidentes, Chriſti fidem amplecti noluerint, vt per eam iuſtificarentur: ſecus autem Gentiles. Sic enim totum hunc diſcurſum concludit, clariùs mentem ſuam exponens: *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſraël verò ſectando legem iuſtitiæ* (Moſaïcæ) *in legem iuſtitiæ* (Chriſti) *non peruenit. Quare. Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus* (naturalibus, aut legalibus:) *offenderunt enim in lapidem offenſionis*, ſcandalum paſſi à Chriſti paupertate, & humilitate, illúmque velut Meſſiam agnoſcere detrectantes, & indigniſſimè tractantes: Licèt Chriſtus eos congregare, ſibíque vnire magno affectu ſatageret: vt ait Matth. 23. ſed illi ſemper, & pertinaciter Spiritui ſancto reſiſtebant: vt ipſis exprobrat ſanctus Stephanus Act. 7.

Auguſtinus quoque, licèt frequenter ad peccatum primi parentis recurrat, vt in locis ab aduerſario citatis: alibi tamen manifeſtè recurrit ad auxilium ſufficiens, quod vel adeſſet, vel ſaltem impetrari poſſet: negátque peccati reum fore, qui non faceret id, quod facere nequit ſine tali auxilio. vt libro 3. de libero arbitrio capite 19. vbi clarè docet tranſgreſſionem mandatorum non imputari nobis propter ſolum peccatum Adæ, neque fore imputandum ſi peccantibus deeſſet auxilium ſufficiens, aut facultas illud impetrandi. *Hîc occurrit*, inquit, *illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando quàm ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim, ſi Adam, & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis* (id eſt, concupiſcentiæ) *cruciatibus naſceremur: & primò erraremus neſcientes quid nobis eſſet faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iuſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio quâ neceſſitate, non valeremus.* Cui obiectioni & querelæ non reſpondet, vt vult aduerſarius, ſufficere ad peccandum quòd illa neceſſitas ex Adami culpa fluxerit, licèt auxilium ſufficiens deſit, neque impetrari poſſit: ſed contrarium planè dicit his verbis: *Quibus breuiter reſpondetur, vt quieſcant, & aduerſus Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis.* 72. *Itémque Auguſtinus.*

Et lib. 83. quæſt. q. 68. exponens illud Apoſt. Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, Quid adhuc conqueritur?* &c. ſic ait: *Prorſus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis; quia & ipſi peccatores, cùm propter generale peccatum vnam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.* Ergo ex mente D. Auguſtini, ra- 73.

tio quare hæc voluntas Dei non sit iniusta, non est solùm, quia peccatum Adæ meruit obdurationem, id est, dignum fuit vt omnes eius posteri relinquerentur sine auxilio: sed quia ipsimet peccatores aliquam eius causam dederunt suâ culpâ. Eódem pertinet illud eiusdem S. Doctoris paulò antea relatum, Non fuisse imputandum Pharaoni, quòd non obtemperauerit, corde iam obdurato: sed, quòd talem se præbuerit, cui cor obduraretur, præcedenti infidelitate. Vnde consequens est nec vlli alij imputandum esse quod non facit; quia non potest, destitutus auxilio necessario: sed ideo solùm esse culpandum, quia destitutionis causam præbuit.

74. Quinetiam quando ad altum & secretum consilium Dei recurrit cum Apostolo, non omittit dicere causam aliquam interuenire ex parte creaturæ, non vtentis gratiâ sibi datâ, vel paratâ. Vt lib. 2. de Peccat. merit. cap. 17. vbi sic habet: *Cum voluntate humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit homo esse: cur non sit, possem facillimè & verissimè respondere, Quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint: imus in longum. Verumtamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam. Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat. Tantò enim quodque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates; quâ vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Quibus postremis verbis apertè significat per ipsum hominem stare si non iuuetur, & culpâ ipsius id contingere, non Adami solius, aut ex eo quod Deus propter illius peccatum non sit paratus adiuuare.

75. *Alia euasio de multiplici potentia seruandi mandata.* Alias euasiones addit cap. 15. quibus idem argumentum de possibilitate seruandi mandata, eludere conatur. Nimirum, posse homines seruare mandata, primò quidem potentiâ quadam remotissimâ per solam liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum & malum: quia quamdiu sunt hac in vita, non sunt obstinati in malo, vt dæmones, & damnati; sed flexibiles ad bonum, & malum: & possunt seruare, reipsáque seruant, quando adest gratia: non seruant, quando abest: sed vtrumque necessariò: quia non possunt seruare hîc & nunc, si abest gratia: neque possunt non seruare, si adest. Secundò, paulò propinquiùs dici etiam posse ea seruare per fidem: quia per illam orare possumus, & impetrare auxilium gratiæ. Tertiò, ac multò pleniùs, & propinquiùs, per caritatem, quâ iustificamur, quæque, inquit, nihil est aliud, quàm voluntas, seu volitio bona: & quamdiu deest nobis, impossibile est bene viuere: cùm autem adest, posse dicimur. Quartò denique, dicimur etiam posse proximè, & completè quando adest auxilium gratiæ; id est, quando Spiritus sancti inspiratione sic voluntas præparatur, vt reipsa velit, & quidem necessariò, quia non potest resistere inspirationi. Quocunque autem modo ex tribus prioribus homo possit præcepta Dei facere, licèt proximè & completè non possit, defectu auxilij gratiæ necessarij, satis hoc esse dicit, vt sit inexcusabilis. Quia verò durum videtur, & incredibile non excusari homines non seruantes præcepta Dei, cùm careant auxilio gratiæ, sine quo non magis possunt ea seruare, quàm volare sine alis: addit post medium capitis, §. *Itaque respondetur*, duplicem esse præcepti faciendi impotentiam. Vnam, ex defectu alicuius, quod non potest quantùlibet magna voluntate, hoc est, quantumlibet fortiter volente, suppleri. Cuiusmodi est impotentia illius, qui caret Breuiario ad horas, quas ignorat, recitandas: & illius, qui caret rebus temporalibus, ad largiendam eleemosynam: vel scientiâ, ad docendum. Et hæc excusat: neque Deus præcipit hoc modo impossibilia. Altera impotentia est, quæ oritur ex defectu ipsius voluntatis, seu volitionis, quæ si adesset quanta adesse debet, præceptum facillimè impleretur. Vnde si fortiter vult, hoc ipso iam impletum est, & non impletum esse non potest. Et hæc impotentia non excusat à peccato. Posset enim implere, si vellet. Si autem non vult, ideóque non possit: quis non illi imputet, & vitio vertat duritiam iniquæ voluntatis, sequutúmque defectum potestatis. *Et de duplici impotentia.*

76. *Homo potest non peccare quando peccat.* At hæc omnia propositæ difficultati nullo modo satisfaciunt. Et prima quidem euasio refutabitur inferiùs disputat. 30. sect. 6. & seqq. & nunc breuiter refelli potest eo solo, quòd Scriptura & Sancti Patres manifestè dicunt hominem, etiam tunc cùm præcepta non seruat, & peccat, posse seruare & non peccare; haberéque sub se appetitum peccati, & ei dominari, Gen. 4. ver. 7. Subesse autem necessitati peccandi, & appetitui peccati necessariò seruire, non est illi dominari. Dicunt præterea, Esse positum in electione hominis seruare præcepta, vel non seruare, Deuter. 30. ver. 19. Iosue 24. ver. 15. Eccles. 15. ver. 4. At non potest eligere, qui ad vnum ex necessitate determinatus est, quíque si abest gratia, necessariò non seruat: si adest, seruat necessariò: quódque adsit, vel absit non est in eius potestate, sed à libero Dei beneplacito pendet, qui nec quidem semper dat voluntatem orandi, & petendi, vt ait aduersarius cap. 13. aliquanto ante finem: vbi affirmat Deum eam largiri, cui vult, & quantum vult: qua de causa nec orare delectat aut lubet, nisi Deus vt lubeat inspirauerit. Et non exiguam esse quorundam hallucinationem, qui putant semper adesse homini vt petat, ac tam ardenter petat, vt impetret. Dicunt etiam sancti Patres eos, qui operantur bonum, percipere gloriam & honorem; quia operati sunt bonum, cùm possent non operari illud: tunc scilicet, quando illud operati sunt. Eos autem, qui illud non operentur, iustum Dei iudicium recipere; quoniam non operati sunt bonum, cùm possent operari illud: vt loquitur Irenæus libro quarto aduersus hæreses capite septuagesimo-primo: &, Non esse homines affixos vlli necessitati, sed esse nostræ electionis bene vel male facere, & seruare mandata vel non seruare: vt dicunt Hilarius in Psal. 2. Basilius in oratione *Quòd Deus non sit auctor malorum*, Nazianz. Apologet. orat. 1. Hieron. libro 2. contra Iouinianum, capite 2. Chrysostom. hom. 2. de Lazaro, Augustinus libro 2. de gestis cum Fœlice Manichæo

capite 4. & alij, quorum testimonia videri possunt loco citato.

77. Ex quibus etiam refutatur secunda & tertia euasio. Nam si non obstante præsentia fidei, vel caritatis sanctificantis, carent fideles & iusti auxilio necessario ad seruanda mandata: imò etiam necessariâ inspiratione ad illud postulandum; atque ita subiacent necessitati peccandi, & seruiendi concupiscentiæ, vt contingere dicit aduersarius capite proximè citato: falsum est, quod aiunt Scriptura, & Patres suprà relati, peccare homines cum dominio in appetitum peccati; & eligere non seruare mandata potiùs, quàm seruare: posséque non operari malum etiam tunc quando illud operantur. Falsum etiam est, non subesse homines necessitati bene agendi quando bene agunt, aut malè agendi, quoties malè operantur, seruandi mandata, vel non seruandi: quia potiùs semper illi subiacent: necessitati quidem seruandi; si adest gratia; quippe cui non possunt resistere, neque pendet à libero eorum arbitrio: necessitati verò non seruandi, si abest gratia: quia tunc dominatur & necessitat concupiscentia.

78. *Refelluntur aliæ euasiones.* De quarta sufficiunt quæ diximus disput. 24. sect. 3. num. 22. vbi ostendimus falsò imputari destitutis auxilio sufficienti, quòd non velint, si non possunt velle: non possunt autem velle si carent auxilio sufficienti ad volendum: vt certè carent, iuxta doctrinam aduersarij, quotiescunque non volunt. Nam vt verè, & iuxta vsitatum loquendi modum dicatur aliquis posse seruare mandata si velit; & esse in culpa si non seruat: non sufficit, quòd si per impossibile vellet efficaciter ea seruare, tunc seruaret: sed opus est, vt reipsa possit velle, & per ipsum stet quòd non velit. Ostendimus etiam hoc effugium reddere inanem totam disputationem D. Augustini contra Manichæos, & tum eiusdem, tum aliorum Patrum, contra Stoïcos, Simonianos, Planetarios, Priscillianistas, & alios libertatis euersores; qui similiter respondere potuissent, homines esse culpabiles non obstante necessitate à fato, & stellis, vel aliunde impositâ: quia possent non peccare, si vellent efficaciter non peccare. Imò etiam sequeretur, infantes, & amentes non esse excusandos à peccato, quando faciunt contra Deí mandata; putà, si mentiuntur, aut peierant: quia possent non facere, si vellent efficaciter: id est, si haberent voluntatem, quam habere non possunt. Parum enim refert, quòd impotentia adultorum ratione vtentium oriatur solùm ex defectu auxilij: istorum autem etiam ex defectu iudicij, & vsus rationis. Nam verè, & simpliciter impotens est ad volendum, cui deest aliquid, sine quo est impossibile eum velle. Atqui iuxta doctrinam aduersarij, est impossibile velle efficaciter seruare vel vnum Dei mandatum, sine auxilio gratiæ.

SECTIO X.

Refutantur alia aduersariorum effugia.

79. *Primum effugium de peccante in causa.* Idem nouus Dogmatistes cap. 16. eiusdem libri 3. de Gratia Christi, conatur eludere locum relatum ex D. Augustino in Expositione quarundam propositionum epistolæ ad Rom. num. 62. vbi dicit non esse imputandum Pharaoni, quòd non obtemperauerit corde iam obdurato, quia tunc obtemperare non poterat: sed quòd dignum se præbuerit, cui cor obduraretur, præcedenti infidelitate. Vnde colligitur non peccare homines in eo, quod faciũt destituti auxilio sine quo non possunt aliter facere: sed in eo quòd antea dederunt causam destitutioni, suâ infidelitate, vel aliâ culpâ. Respondet autem primò, Augustinum alibi docere peccata quæ fiunt ab obduratis, esse verè peccata. Ad quod probandum adducit aliquot eius testimonia. Sed in illis vel D. Augustinus affirmat solùm eos malè facere: quod potest intelligi materialiter; non formaliter, seu culpabiliter; quia vt idem docet pluribus locis, non est culpabile, & imputabile operanti id, quod ita fit, vt ab eo non possit abstineri. Vel sicubi dicit eos peccasse culpabiliter, supponit non fuisse destitutos omni auxilio sufficienti; vt de Esaü affirmat verbis relatis suprà sect. 4. num. 35.

Deinde secundò, post multa quibus fucum lectori facere conatur, respondet Augustinum 80.
verbis illis non velle significare, quòd non fuerit imputata Pharaoni illa inobedientia, quam in eo grauissimè Scriptura reprehendit: sed quòd non fuerit ei imputata tanquam libera, seu tanquam meritum liberi arbitrij, illo libertatis genere, quod liberæ voluntatis motum, nullo supplicio cogente, vel gratia dante, prouocatum sonat. Nam quando gratia, vel supplicium facit facere voluntatem: actus, qui sequitur, non est liber Augustino, illo libertatis genere: nec fit per liberum arbitrium, tanquam per id, quod impellit, & flectit ad velle voluntatem: sed per gratiam, vel per supplicium.

At hæc euasio planè friuola est, & apertè 81. *Refutatur vt alienum à mente Augustini.*
contraria doctrinæ D. Augustini: Nam simpliciter affirmat non esse imputandum Pharaoni quòd non obtemperauerit, quia non potuit obtemperare. Euidenter autem falsum est, non potuisse obtemperare, si liber fuit ad obtemperandum, quamuis non ea libertate, quæ suâ sponte mouet se ad operandum, sine metu supplicij. Falsum quoque euidenter est, & contra D. Augustini, omniúmque hominum sensum, non esse imputabilia ea, quæ fiunt ex metu supplicij, dummodo liberè fiant, potueritque, & debuerit operans ab illis abstinere. Sicut etiam imputabilia sunt ad laudem, & præmium, ea, quæ bene fiunt liberè, licèt incitante præmij spe, iuuantéque gratia, & dante bene operari. Certè Susanna Daniel. 13. versu 22. & 23. non dubitabat se peccaturam, & culpæ ream fore, si consentiret adulterio, supplicij & infamiæ vitandæ causa. Neque vnquam dubitauit Ecclesia peccare imputabiliter eos, qui metu tormentorum Christum negabant.

Ad id verò quod diximus, frustra fore præ- 82. *Sintne frustra præcepta, si desit gratia sufficiens.*
cepta, consilia, exhortationes, correptiones iis, qui gratiâ sufficiente destituti sunt: quia sine illa non possunt facere quod præcipitur, vel consulitur &c. Respondet initio capitis 17. lib. cit. adducendo varia loca D. Augustini, quæ omnia potiùs argumento nostro corroborando, quàm infirmando, aut soluendo idonea sunt. Cuiusmodi est quod refert ex epist. 1. ad Valentinum: *Nisi libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus, non nobis præciperetur, dicente*

Scripturâ. Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo ipso quippe, quo preceptum, & imperium est vt intelligamus, atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, qua nulla esse potest sine libero arbitrio. At nulla etiã esse potest sine gratiæ necessariç adiutorio. Huiusmodi etiam est, quod refert ex ep. 2. ad eũdem Valentinum: *Si non esset liberum arbitrium, non diceretur, Rectos cursus fac pedibus tuis.* Et lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 2. vbi prolatis multis Dei præceptis, *innumera*, inquit, *talia quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ?* Et paulò superiùs, *Ipsa diuina precepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret.* Certè nihil etiam prodessent, nisi haberet auxilium necessarium, sine quo ea facere nequit. Et libro 1. de nupt. & concupisc. cap. 3. *Vnde intelligimus*, inquit, *cùm hæc præcipiuntur vt fiant, nihil aliud ostendi, quàm inesse nobis opportunè ad hæc accipienda, & habenda etiam propriam voluntatem.* At quomodo habemus opportunè voluntatem ad hæc accipienda & habenda, si destituti sumus auxilio necessario vt velimus, & sine quo non possumus velle accipere, & velle habere? Itaque sine huiusmodi auxilio inutilia sunt.

83. Respondet secundò paulò pòst: Quamuis homini desit gratia sufficiens, quâ præcepta implere possit; non propterea dicendum esse frustra esse præcepta, consilia, monitiones. Habent enim vsum non contemnendum, qui propriè signis competit; nempè significandi homini, quid ab eo fieri debeat per propriam voluntatem, vt si fortè possit, faciat, quod iubetur. Si non possit, infirmitatem propriâ culpâ contractam doleat, orétque pro viribus impetrandis. Item vt homo excusationem de ignorantia non habeat; & cognitio præceptorũ iusto Dei iudicio vertatur illi in iudicium, & tormentum, dum se proprio iudicio reum & damnatum videt. Ac denique si non prosunt reprobis, & destitutis auxilio sufficiente; prosunt aliis, quos cùm discernere nequeamus, idcirco debemus indiscriminatim omnibus præcepta, consilia, & monitiones proponere: ex illísque discitur, nihil illa extrinsecùs proposita proficere correctioni, nisi Deus per gratiam det intrinsecùs incrementum: & inflexibilem esse voluntatem, quam Dei gratia deseruerit. Ad quod probandum profert aliquot, more suo, speciosè magis, quàm appositè, testimonia Diui Augustini: quibus dicitur quidem legem diuinam docere quid facere debeamus; & monere, vt imploremus auxilium, quo implere valeamus; & tollerè excusationem, quam prætexerent homines ex ignorantia; & excitare stimulum conscientiæ in non seruantibus scienter & liberè; & esse adhibendam correptionem peccantibus, quia fortè illis proderit, vt par est accipientibus, & Dei gratiæ intrinsecus adiuuanti cooperantibus. At nusquam asserit id, de quo vno est quæstio, & in quo vis argumenti suprà propositi consistit; vtiliter proponi præcepta vt seruentur, & sint inexcusabiles à culpa, qui non seruant destituti auxilio necessario ad seruandum, quod neque habent in præsens, neque in potestate orandi, & impetrandi, quia Deus ne quidem inspirationem ad hoc volendum illis impertit, vt affirmat Iansenius lib. 3. de Gratia Christi cap. 13. prope finem. Plura contra eandem euasionem diximus disp. 24. sect. 3.

Ad locum Isaïæ, *Quid vltrà debui facere vineæ meæ &c.* Respondet cap. 18. libri citati, Mirum esse quo iudicio producatur hic locus à Theologis, nisi probare velint gratiam noui Testamenti, sine qua nullus Deo credere, à peccato resurgere, diuinísque mandatis de Deo diligendo, benéque viuendo obtemperare potest, peccatoribus etiam debitam esse. Si enim non est debita, sed gratuita, & absque iniustitia negari potest: vt quid vrgentur verba, quibus Deus per prophetam clamat, *Quid vltrà debui facere vineæ meæ?* Si enim hoc rectè vrgetur, manifestum est Incarnationis gratiam, per quam à lapsu resurgere possint, peccatoribus esse debitam, nec potuisse Deum humanum genus sub propria iniquitate derelinquere, vel derelictum de duritia iniquæ voluntatis increpare. 84. *Alterum effugium circa locum Isaiæ, Quid vltrà debui facere vineæ meæ &c.*

Sed mirum potiùs videri debet eum neque vim argumenti percepisse, neque sensum Scripturæ, licèt facilem & obuium. Non enim alio fine locum illum producunt Theologi, nisi vt ostendant increpationem illam vineæ, id est, Synagogæ, non ferentis fructum bonorum operum, & expectationem vt ferret, non futuram fuisse rationabilem, si Deus illam destituisset culturâ necessariâ, vt fructum ferre posset: id est, auxiliis sufficientibus, & necessariis ad bene operandum, & sine quibus erat illi impossibile bene operari. Quis enim non irrideat, & stultum esse putet agricolam, qui expectat fructum à vinea, non adhibitâ illi culturâ necessariâ vt ferre possit, & sine qua impossibile est vt vel illa eadem, vel vlla alia sic destitura fructum ferat? Et quis eundem insanire non credat, si exprobret, & grauiter ferat, quòd ita neglecta nullum fructum attulerit? Verba autem illa, *Quid vltrà debui facere vineæ mea &c.* hunc habent sensum: Quid vltrà oportuit facere vineæ meæ, vt fructum ferret? Quamuis autem Deus non debeat gratiam sufficientem peccatoribus, posséts; iustè si vellet, eos relinquere in statu peccati originalis, aut actualis, sicut reliquit Angelos; Tamen ex suppositione quòd velit eos agere pœnitentiam, & ferre fructum bonorum operum, atque hoc ab illis expectet: debet suæ sapientiæ, id est, oportet vt hoc sapienter intendat, & expectet, suppeditare auxilia, sine quibus id præstare nequeunt: alioquin vellet, & expectaret ab illis impossibile: quod ne quidem in mentem hominis sani iudicij cadere potest. Sicut dominus vineæ nihil quidem debet vineæ suæ, potéstque sine iniustitia eam relinquere sine cultura. Sed tamen posito, quòd velit eam fructum afferre, idque prudenter ab illa expectet: omnino debet sufficientem culturam adhibere vt ferre possit: & alioqui vult inaniter, & insipienter expectat. Omitto dicere Incarnationem non fuisse medium simpliciter necessarium vt peccatores resurgere possent; quemadmodum videtur supponere aduersarius: cùm Deus absolutè potuerit aliter eis ignoscere, suásque gratias tam actuales, quàm habituales tribuere: vt docent communiter Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 1. 85. *Vera expositio illius loci.*

Ad alterum Scripturæ locum Ioan. 15. *Si non* 86.

Alter locus illustris pro gratia sufficiente. *venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* & inferiùs, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* ex quo inferunt Theologi non peccare homines culpabiliter, neque iustè accusari, si non habent auxilium sufficiens & necessarium ad peccatum vitandum. Respondet aduersarius eodem capite 18. ibi sermonem esse de peccato, quo Iudæi Christo præsenti, & loquenti, & miracula facienti, non crediderunt, eúmque ex tali incredulitate peremerunt. Ad quod probandum adducit multa Augustini loca: sed inutiliter. Neque enim id negant Theologi: nihílque id prodest ad elidendam vim argumenti ex verbis illis desumpti: quod scilicet quemadmodum Iudæorum incredulitas non fuisset culpabilis, si caruissent auxilio sufficienti, & mediis ad credendum necessariis: ita neque alia, quæ non faciunt homines destituti auxilio ad faciendum necessario, iure possunt illis imputari: vel ea quæ faciunt, si carent auxilio necessario ad abstinendum. Distinctio verò, quâ conatur aduersarius hanc consequutionem eludere, dicens excusare quidem à peccato impotentiam, quæ non oritur ex defectu culpabili gratiæ; sicut & ignorantiam, quæ non oritur ex defectu culpabili cognitionis: cuiusmodi est impotentia volandi; & ignorantia iuris positiui, aut facti nobis incogniti: secus autem, quæ oritur ex culpabili defectu, cuiusmodi est ignorantia iuris naturalis, quæ oritur ex peccato Adami; & impotentia bene operandi per defectum auxilij gratiæ, ab eodem peccato causatum. Hæc, inquam, distinctio satis refutata manet ex dictis alibi disputat. 24. sect. 3. & disput. 16. sect. 1. & sequentibus, vbi ostendimus non minùs excusare à peccato ignorantiam totalem, & inuincibilem iuris naturalis, quàm ignorantiam iuris positiui, aut facti: & huius vanæ distinctionis nullum penitus fundamentum extare apud D. Augustinum, qui potiùs expressè docet oppositum pluribus locis ibidem relatis.

87. *Quomodo Deus non deserit nisi priùs deseratur?* Denique ad argumentum sumptum ex Diuo Augustino libro de natura, & gratia cap. 26. & ex Trident. sess. 6. cap. 11. affirmantibus Deum non deserere homines iustificatos, nisi ab illis deseratur, vt piè semper iustéque viuatur, & vsque in finem perseueretur: id est, nisi ipsi eius gratiæ defuerint; in eóque spem certissimam collocare omnes illos debere, vt addit Trident. cap. 13. Respondet Iansenius cap. 19. libri suprà cit. D. Augustinum, & Tridentinum loqui de gratia habituali, quæ est vita animæ, & quâ Deus iustos non deserit, nisi per peccatum mortale ab eis deseratur. Sed quod attinet ad Augustinum, facile est ostendere id falsum esse. Nam disputat eo loco aduersus Pelagianos, qui asserebant *gratiam Dei delere quidem quod peccauimus, sed non præstare ne peccemus.* Quod refellit Augustinus dicens Deum non esse similem medico, qui *cùm sanauit hominem, eum de cetero dimittit sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, vt eadem sanitas apto subsidio conualescat, atque persistat.* At verò Deus, postquam ægrum sanauit, aut mortuum suscitauit, id est, impium iustificauit; *non eum deserit, si non deseratur, vt semper iustè piéque viuatur:* id est, non desistit eum iuuare auxiliis ad iustè piéque viuendum necessariis, & perseuerandum in accepta sanitate, seu sanctitate animi, vt postrema verba satis indicant. Præsertim cùm, vt rectè expendit Ricardus lib. 2. Defens. cap. 4. sectione 1. §. 1. non negarent Pelagiani Deum semper adesse homini per gratiam sanctificantem, quamdiu piè iustéque viueret, si verè talem gratiam admittebant, vt affirmat Iansen. lib. 5. de hæresi Pelag. cap. 22. & quinque sequentibus, quibus probat Pelagium rectè sensisse de gratia sanctificante: sed negabant esse necessarium vt Deus adesset iustificatis per auxilia actualia, iuuarétque ad piè, iustéque viuendum. Contra quod S. Augustinus contendit non posse iustificatos piè viuere, & in iustitia accepta perseuerare, sine auxilio gratiæ. Sicut enim (inquit ibidem) oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo, etiam perfectissimè iustificatus, nisi æternæ luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere. Vnde sic postea concludit August. *Sanat ergo Deus non solùm vt deleat quod peccauimus, sed vt præstet etiam ne peccemus.*

Similiter quod Tridentinum saltem posteriore loco, id est, cap. 13. loquatur etiam de gratia actuali siue auxiliante, manifestum est ex ipsis eius verbis, quæ sic habent: *Similiter de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est, Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit: quod quidem haberi non potest nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere vt perseueranter stet; & eum, qui cadit, restituere; nemo sibi aliquid absolutâ certitudine polliceatur. Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Manifestum, inquam, est hæc verba pertinere ad auxilia gratiæ, quæ Tridentinum ait debere vnumquemque iustum certò sperare non defutura ad perseuerandum, & piè semper vsque ad mortem, iustéque viuendum; nisi per eum stet, ipséque gratiæ auxiliis sibi oblatis, officióque suo defuerit: illis, inquam, auxiliis, illíque gratiæ, per quam Deus operatur in iusto velle & perficere; hoc est, gratiæ auxilianti & cooperanti. 88.

Confirmatur: quia, vt rectè obseruauit Auctor suprà citatus, expositio Tridentini de gratia habituali sanctificante, ineptum redderet & ridiculum eius discursum. Sensus enim illius esset, debere iustum firmissimè sperare se perseueraturum, piéque semper & iustè victurum; quia Dei gratia habitualis non eum deseret, nisi ipse priùs illum deseruerit per peccatum mortale. Perinde ac, si quis desperanti de vita, vel mortem grauiter timenti diceret, Ne timeas, sed firmissimè spera te conualiturum, & diutissimè victurum, quia te anima non priùs deseret, quàm lethalis morbus eam expulerit. Certè ad timorem illum auferendum, aut spem vitæ faciendam ridicula foret, & inepta huiusmodi exhortatio: & timenti, aut desperanti proponendum esset potiùs non deesse media certa & idonea, quibus euadi periculum, expelli morbus, & vita diu prorogari possit, si illis vti velit. Quare hæc euasio, æquè ac præcedentes, est de numero earum, de quibus meritò ait generaliter Petrus à S. Ioseph in Defensione 89.

sione Augustini contra Iansenium: *Sensum auctoris vix vnquam attingit: & quæ sibi aduersantur, vel cautè prætermittit, vel miserè torquet, vel pueriliter eludit.*



DISPVTATIO XXVI.

Contra præcipuum fundamentum Ianseníj, quòd Deus non velit generaliter omnes homines saluos fieri: ideóque non det omnibus auxilia sufficientia: neque Christus pro omnibus mortuus sit.

SECTIO PRIMA.

Refertur sententia Ianseníj, & Caluini, aliorúmque errantium.

1. *Negat Iansenius Deum velle omnes saluare.*



RÆCIPVVM fundamentum sententiæ Iansenij de gratia sufficiente ad salutem non omnibus datâ, est, quia certum putat, & à S. Augustino sæpius traditum, Deum non velle generaliter omnes homines saluos fieri, sed eos tantùm, quos pro suo mero beneplacito, nulla habita consideratione operum, secreuit è massa damnationis, seu peccati originalis, in qua omnes pariter includebantur: ceteros autem positiuè reprobauit, & sine mediis sufficientibus ad salutem relinquere statuit. Quam doctrinam fusè tradit libro 9. & 10. de Gratia Christi Saluatoris, breuiter autem attingit cap. 20. lib. 3. in quo refutando versamur. Verba illius cit. lib. 10. cap. 2. hæc sunt: *Non potest statui voluntas generalis, quâ Deus omnes homines in damnatione primi peccati positos, velit saluos fieri, & ex qua voluntate generali remedia & auxilia sufficientia sint omnibus præparata.* Addit libro 3. cap. 20. expositionem verborum Apostoli 1. Timoth. 2. *Vult omnes saluos fieri &c.* de voluntate generali Dei saluandi omnes homines quantum in ipso est, erroneam esse & ortam à Massiliensibus, indéque in Scholas Catholicorum deriuatam. Addit ibidem, antecedentem voluntatem omnes saluandi post Adæ lapsum (*si quæ in Deo est*) nihil aliud esse, quàm nudam velleitatem, qualem Deus habet erga iam damnatas creaturas, siue homines, siue Angelos, quâ non obstante potest Deus iam aliquos nolle saluos fieri, ac reipsa non vult longè maiorem hominum partem, eos scilicet omnes, qui reipsa damnantur. Quos idcirco ait destituisse mediis, quibus ad fidem, vel ad salutem adduci possent.

2. *Et Christum pro omnibus mortuum esse.* Eandémque ob causam docet cap. 21. eiusdem lib. tertij, Christum non esse mortuum pro redemptione & salute æterna omnium hominum, sed tantùm electorum: pro salute autem aliorum non magis sanguinem fudisse, aut etiam orasse, quàm pro salute ipsius diaboli: sic enim ait: *Christus pro infidelium in infidelitate morientium, aut iustorum non perseuerantium salute mortuus non est, nec sanguinem fudit, nec seipsum redemptionem dedit, nec Patrem orauit: imò non magis pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus est.* Addit ibidem, argumentum pro gratia sufficiente omnium, sumptum ex eo quòd Christus sit redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus, vsque ad nauseam à Pelagianis, præsertímque Massiliensibus inculcatum fuisse; vt mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere.

3. *Vtrumque negant etiam Caluinus, aliique Sectarij.* Hanc doctrinam, quatenus negat generalem Dei voluntatem saluandi omnes homines, accepit à Caluino in 1. ad Tim. cap. 2. vbi exponens verba Apostoli suprà relata, dicit sermonem ibi esse de hominum generibus, non de singulis personis: & sic ait: *Pueriliter hallucinantur, qui hunc Pauli locum prædestinationi opponunt. Si Deus, inquiunt, indifferenter vult omnes saluos fieri, falsum est alios ad salutem, alios ad exitium æterno eius consilio esse prædestinatos. Aliquid fortè dicerent, si Paulus hic de singulis hominibus ageret.* Et libro tertio Institut. capite 24. numero decimo-sexto, dicit Apostolum verbis illis nihil aliud significare, quàm nulli hominum ordini viam ad salutem præclusisse: quin potiùs misericordiam suam sic effudisse, vt nullum (ordinem) eius expertem esse velit.

4. Eandem quoque doctrinam, quatenus negat Christum esse mortuum pro salute omnium, accepit ab eodem Hæresiarcha, qui in epist. 1. Ioan. cap. 2. vers. 2. exponens quod ibi dicitur de Christo, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi:* affirmat hâc particulâ generali, *pro totius mundi*, siue *pro omnibus*, reprobos non comprehendi; sed eos designari, qui simul (cum Apostolis, & aliis fidelibus designatis hac voce *nostris*) crediturí erant, & qui per varias mundi plagas dispersi erant. Et in caput 17. Ioan. *Christus*, inquit, *proprij gregis solummodo fuit solicitus, & pro electis suis duntaxat orauit.* Similia dicit Zanchius insignis Lutheranus in Miscel. doctrina circa illud 1. Ioan 2. *Ipse est propitiatio &c.* vbi sic habet: *Sanguis Christi non est secundùm propositum Dei, & reipsa pro reprobis & incredulis effusus, sed tantùm pro quibusdam multis, hoc est electis, & quidem pro omnibus istis multis.* Similia quoque dicunt alij Lutherani, & Caluinistæ, quorum plura testimonia videri possunt apud Coccium tom. 1. lib. 2. art. 7.

5. *Idem senserunt Prædestinatiani.* Eandem sententiam tenuisse longè antea Prædestinatianos hæreticos, patet ex dictis disput. 11. sect. 1. & 2. inter quos insignis fuit Lucidus Presbyter, damnatus à Conciliis Arelatensi, & Lugdunensi, approbantibus epistolam Fausti contra illius errores scriptam: vt dicemus inferiùs sect. 6. & Goreschalcus Monachus Orbacensis, damnatus in Concilio Moguntino sub Rhabano, & Rhemensi sub Hincmaro, vt diximus disput. cit. num. 8. Intérque eiusdem sententiæ patronos fuit Lupus ille Seruatus, cuius libellum de tribus quæstionibus, de libero arbitrio, de Prædestinatione & Gratia, & de redemptione sanguinis Christi, recèns in lucem ediderunt Iansenistæ. Quanquam non erat

Oo

quòd ab eius auctoritate patrocinium sibi adsciscerent. Cùm ipsemet suam sententiam de taxatione sanguinis Christi (vt loquitur) suspectam hæresis fuisse ingenuè fateatur, & plerisque, atque inter eos præclaris Ecclesiæ luminibus, Gallicanis & Italis Episcopis displicuisse. Sic enim ait initio epistolæ ad Carolum Caluum: *Dudum in vrbe Bituricensi quæsiistis de Prædestinatione, & libero arbitrio, ac de redemptione sanguinis Christi, quid sentirem. Et ego quod in diuinis literis didiceram, & in maximis auctoribus inueneram, vestræ Maiestati strictim aperui. Et quoniam aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non piè fideliterque sentire &c.* Et pag. 61. de sententia sua limitante sanguinem Christi ad fideles, siue saluandos, siue non saluandos, sic ait: *Verùm hoc quidam velut blasphemum vehementer execrantur, & damnant, quòd derogetur plurimùm redemptori, nisi generaliter omnes homines redemerit.* Et pag. 43. dicit illustres aliquos Præsules sententiam suam de Prædestinatione exhorruisse: nimirum illos Galliæ & Italiæ Episcopos, qui Goteschalco errores suos iisdem in regnis disseminanti restiterunt: in quibus etiam turbas propter huiusmodi quæstionem fuisse excitatas affirmat in præfatione eiusdem libri. Verba illius sunt pag. cit. *De his prædestinationem Dei dici horrent plerique, atque refugiunt, in quibus & quædam præclara Præsulum lumina: scilicet ne credatur Deus libidine puniendi, aliquos condidisse, & iniustè damnare eos, qui non valuerint peccatum, ac per hoc nec supplicium declinare.* Sed nec in illa sententia de taxatione sanguinis Christi constans fuit: cùm post verba relata ex pag. 61. hæc addat: *Nos autem saluâ fide, hoc est, quòd suo sanguine Deus redemerit omnes quos voluerit, & nulli sint redempti nisi quos ipse redemerit, ita causam in medio relinquamus, vt si quilibet eundem sanguinem redemptoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare, non solùm resistamus nihil, verùm etiam libenter in eorum sententiam transeamus:* & pag. 63. liberum relinquat eligere sententiam Chrysostomi, affirmantis in cap. 2. ad Hebræos, Christum pro mundo vniuerso mortuum esse.

Speciatimque Lupus Seruatus.

6. Porro prædicti omnes in eo conueniunt, quòd velint Christum non esse mortuum pro salute æterna vllius reproborum: quia putant intentionem Christi sanguinem suum pro aliquo fundentis, & Patri offerentis pro æterna eius salute, non potuisse effectu suo carere. Sed in eo dissentiunt, quòd eorum aliqui dicunt nihilominus Christum mortuum esse aliquatenus pro quibusdam reprobis: illis scilicet, qui aliquando fidem, aut etiam iustitiam habuerunt. Illam enim, & auxilia vtrique obtinendæ necessaria accepisse volunt propter meritum passionis Christi, quæ illis eatenus profuit: vt de Iansenio videbimus sect. 6. & de Lupo Seruato liquet ex dictis paulò antè. Alij verò negant generaliter Christum pro reprobis mortuum esse: siue quia putant nullum eorum veram fidem habuisse: siue alia de causa, de qua in præsenti non disputo.

Quæ sit inter eos differentia.



SECTIO II.

Expenditur locus Apostoli 1. Timoth. 2. & ostenditur Deum velle generaliter omnes homines saluos fieri.

CONTRARIUM sentiunt Doctores Catholici: vnúmque de præcipuis argumentis ex Scriptura desumptis, quibus doctrinam de gratia sufficiente omnibus data confirmare solent, est quòd Deus velit omnes homines saluos fieri: vt affirmat Apost. 1. Timoth. 2. ver. 4. ideòque det omnibus media ad salutem sufficientia. Vbi nota 1. sermonem esse de hominibus in statu naturæ lapsæ, & quales sunt in præsenti illi, pro quibus Paulus orari præcipit, *pro regibus &c.* 2. Ibidem sermonem esse de præsenti voluntate, quâ nunc etiam velit Deus, & non tantùm voluerit in obedientia Adami. Alioqui Paulus non diceret de præsenti, *vult*; sed, *voluit*. Sicut non dicimus Deum velle saluare malos Angelos, sed voluisse antequam caderent, & dum erant in via salutis. 3. Sermonem esse de voluntate aliquatenus efficaci, & tendente ad opus; quandoquidem vult vt oremus pro eorum salute: non autem de simplici, & nuda complacentia, qualem Deus habet circa purè possibilia, quæ propterea non dicitur velle, neque vult vt pro illis oremus. Ex. gr. licèt dæmonum conuersio vt possibilis, illi placeat: non dicitur velle eorum conuersionem; neque pro illa orare nos iubet. 4. Apostolum loqui de omnibus generaliter & sine exceptione; quippe cuius propositio est de se generalis, *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Generales autem propositiones Scripturæ non debent sine necessitate restringi, sed vt sonant accipiendæ sunt, quantùm fieri potest: quemadmodum de omnibus Scripturæ locutionibus affirmant omnes Catholici cum D. Augustino libro tertio de doctrina Christiana cap. 10. Et alioqui nihil certi haberetur ex Scriptura, si fas esset eius verba pro libito restringere, & aliter quàm sonant, accipere. Nullam autem esse necessitatem restringendi propositionem supradictam patebit ex solutione obiectionum, quas Iansenistæ cum Caluinistis proponunt. 7.

Probatur Apostolum loqui generaliter.

Quin potiùs discursus Apostoli exigit vt hæc eius propositio generaliter accipiatur. Quippe qui immediatè antea obsecrat vt oretur pro omnibus hominibus: *Hoc enim bonum est*, inquit, *& acceptum coram Saluatore nostro Deo: qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* In quibus verbis particula vniuersalis, *omnis*, sine dubio eodem sensu in vtroque membro propositionis accipienda est: ne Paulus loquatur æquiuocè in tam breui contextu: néve ipsius ratio minùs idonea sit. Ita vt, sicut orandum est pro omnibus hominibus generaliter, & sine exceptione, (vt nemo negat esse de mente Apostoli, & ex caritate deberi) ita Deus velit omnes homines generaliter, & sine exceptione saluos fieri. Idque magis confirmat duplex ratio immediatè pòst subiuncta ab Apostolo; quâ probat 8.

Confirmatur ex verbis ibidem adiunctis.

Deum velle omnes saluos fieri : *Vnus enim Deus*, inquit: *vnus & Mediator Dei,& hominum homo Christus Iesus,qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Est enim Deus, vnus omnium Deus generalissimè, & sine vlla exceptione: cuius paternam erga omnes curam, & prouidentiam Paulus his verbis tacitè designat. Christus etiam est mediator omnium hominum, deditque semetipsum redemptionem pro omnibus generaliter, & sine exceptione: vt affirmat idem Apost. 2. Cor. 5. ver. 14. & 15. & 1. Tim. 4. ver. 10. & Hebr. 2. ver. 9. aliisque locis : & confirmabitur ampliùs sect. 5. Itaque sensus Apostoli est, Orandum esse pro omnibus hominibus generaliter, & sine exceptione, quia Deus est omnium Deus generaliter & sine exceptione, extendens ad omnes paternam suam prouidentiam, præcipuè circa ea, quæ pertinent ad salutem, pro qua præcipuè orandum est : & vnus est omnium mediator inter Deum & homines Christus Iesus, qui pro salute omnium procuranda sanguinem suum fudit in redemptionem peccatorum. Idque non minùs expressè docent alia Scripturæ loca, quibus Deus dicitur nolle quenquam perire : quâ negatione viam præcludit voluntariis aduersariorũ exceptionibus: vt 2. Petri 3. ver. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et Ezechiel. 18. ver. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Et ver. 32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.*

Et ex aliis Scripturæ locis.

9\. *Qualis sit illa Dei voluntas?*

Nec obest quòd non omnes saluantur reipsa. Duplex enim Dei voluntas distinguenda est. Vna efficax & absoluta: cuiusmodi fuit voluntas creandi mundum, Verbum incarnandi, &c. Altera conditionata ex parte obiecti: qualis est illa, quâ Deus vult saluare homines, posito quòd ipsis applicentur media ad salutem obtinendam instituta; vel vtantur auxiliis gratiæ sibi oblatis. Prior voluntas semper impletur: déque illa intelligendum est, quod dicitur Roman. 9. *Voluntati eius quis resistit?* Et Esther 13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati.* Posterior sæpè non impletur, defectu conditionis necessariæ ex parte creaturarum. Déque illa intelligendum est quod dicitur Matth. 23. *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti!* Et Ezechiel. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, & non magis vt conuertatur, & viuat?* Et 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Talem esse voluntatem Dei saluandi omnes homines, de qua loquitur Paulus 1. Timoth. 2. versu 4. necessarium est dicere: eò quòd Scriptura pluribus aliis locis affirmat non omnes homines saluari reipsa, sed plerosque in æternum perire. Idémque docet communi consensu sancti Patres Latini, & Græci. Vt è Latinis quidem, S. Paulin. epist. 2. sic dicens: *Omnem enim hominem, quantum in ipso est, saluum fieri vult, qui fecit omnes.* Itaque quòd multi non saluentur, non per Deum stat, sed per creaturam. Et Ambros. lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 3. *Omnibus*, inquit, *opem sanitatis detulit: vt quicunque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat: qui curari noluit, cùm remedium haberet, quo posset euadere; Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia, eò quòd illi qui pereunt, suâ pereant negligentiâ: qui autem saluantur, secundùm Christi sententiam liberentur: qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et Hieron. in caput 1. epist. ad Ephes. circa illa verba, *In quo & sorte vocati sumus: vult*, inquit, *saluari omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate saluatur (liberi enim arbitrij sumus) vult nos bonum velle: vt cùm voluerimus, velit & ipse suum in nobis implere consilium.*

Confirmatur ex Patribus Latinis.

Et D. August. lib. de Spirit. & lit. quem scripsit contra Pelagianos, cap. 33. *Vult Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes, iustissimè iudicentur. Quod cùm sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt: verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt.* Et Prosper Augustini discipulus, lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 1. *Quæritur*, inquit, *vtrum Deus velit omnes homines saluos fieri? Et quia hoc negari non potest, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur?* Respondétque deinceps id, quod suprà diximus; causam esse, quia vult cum aliqua conditione requisita ex parte liberæ voluntatis creaturarum, quam non ponunt. Et lib. 2. cap. 28. *Fit manifestum*, inquit, *quod diuersis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus saluos fieri: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.* Et in responsione ad 2. obiectionem Vincentij, *Sincerissimè credendum, atque profitendum est, Deum velle vt omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, absolutissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum.* Et in responsione ad Obiectiones Gallorum sententia super c. 8. *Qui dicit quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult saluos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire.* 10.

Specialimque ex Augustino & Prospero.

Ex Patribus verò Græcis idem non minùs expressè docent Dionysius, Origenes, & Ignatius Martyr, locis infrà citandis, Methodius Martyr lib. de resurrectione apud Oecumenium in cap. 9. epist. ad Rom. vbi sic habet: *Aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam. Non quòd alios bonos, alios non bonos faciat. Absit. Verùm Dei quidem bonitas ad omnes communiter pertinet, & quantum in ipso situm est, hoc est, secundùm ipsius consilium, & voluntatem, vellet omnes probos, & fideles esse, ac virtute præditos.* Et Basil. hom. in Psal. 29. circa illa verba, *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius:* sic illa exponens: *Quid ergo dicit? Nimirum hoc ipsum esse, quod vult Deus omnes vitæ fieri participes: quæ autem calamitates accidunt, eas non de ipsius voluntate fieri, sed pro eorum, qui peccauerunt, merito decerni.* Et Chrysost. homil. 9. de laudibus Pauli, *Ipse quidem vult omnes homines saluos fieri: at non omnium voluntas eius voluntati obsequitur, neque ab eo aliquis cogitur. Vnde & ad Ierusalem sic dicit: Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti! Quid* 11.

Et ex Patribus Græcis.

ergo? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Vides quòd Dominus saluare nos vult: nos autē, quia ei nos non adiungimus, manemus in interitu. Deus enim paratus est ad saluandum hominem, non inuoluntarium, neque non volentem. Et Damasc. l. 2. de fide c. 29. *Illud quoque nos non effugiat: Deum vt bonitate præstantem, omnes quidem homines saluari, ac regni sui compotes esse velle: neque supplicij ac cruciatus causâ, verùm ad hoc vt bonitatis ipsius participes simus; nos effinxisse: vt iustum autem, iis, qui peccant, pœnam inferri nihilominus velle. Ac prius illud antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans: secundum autem, consequens voluntas, atque permissio, à nostro vitio ortum ducens.* Et Oecumenius in locum Pauli citatum ex 1. Tim. 2. ver. 4. *Si Deus vult, quare non fit quod vult? Non fit, quia illi nolunt. Nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.*

12. Similique modo, generaliter & sine exceptione intelligendum esse Apostolum, Deúmque velle salutem omnium planè hominum docent præter citatos Clemens Rom. l. 2. Constit. c. 59. vbi affirmat se id ab ore ipsius Christi accepisse: & Dionysius c. 2. Eccl. Hierar. dicens, sacrorum Præfectum Dei similitudine salutem cupere omnibus, & agnitionem veritatis; atque ex vetis Euangeliis id prædicare omnibus. Et Ignatius Martyr epist. 6. ad Philadelph. affirmans *Amatorem hominum esse Deum nostrum, & velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Propter quod & solem oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos.* Et Origenes libro 4. contra Celsum, paulò post initium, vbi Iesum vocat *medicum vniuersorum, quantum in ipso est. Seruator enim venit omnibus hominibus:* & omnes alij Patres antiqui, quorum testimonia, ne lectori tædium afferamus, prætermittenda sunt. Neque verò tam multa protulissem, nisi aduersariorum confidentia errorem suum pro dogmate Catholico venditantium, multitudine testimoniorum reprimenda fuisset.

SECTIO III.

Soluuntur quæ Iansenius, & Caluinistæ contra expositionem allatam opponunt.

13. HIs non obstantibus audet nouus Dogmatistes affirmare l. 3. de Gratia Christi c. 20. hanc expositionem Pelagianismi suspectam esse debere: quippe traditam à Pelagio, eiúsque sequacibus. Et l. 8. de hæresi Pelag. c. 15. audacter pronunciat Erroneam esse sententiam recentiorum, qui exponunt locum Apostoli 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri,* de voluntate saluandi omnes, quātum in ipso est. Quam calumniam desumpsit ex Caluino libro de æterna Dei Prædest. pag. 106. vbi sic ait: *Nunc iactet Pighius Deum velle omnes saluos fieri. Agitatus olim fuit à Pelagianis locus iste. Quid Augustinus pluribus locis respondeat, dicere supersedeo.* Et à Beza in lib. eiusdem tituli, p. 419. vbi sic loquitur: *Primum affers eum Pauli locum, in quo dicitur Deus velle vt omnes salui fiant. Verùm hæc fuit Pelagianorum obiectio, ne tibi primò in mentem venisse putes &c.*

Calumnia Iansenij sumpta ex Caluino.

14. Sed quàm iniqua sit hæc suspicio, & censura Iansenij, ineptáque calumnia Caluinistarum, satis patet ex testimoniis Sanctorum Patrum suprà relatis, inter quos sunt illi ipsi, qui præcipuè restiterūt hæresi Pelagij, & Semipelagianorum, Hieronymus, Augustinus, & Prosper. Quis enim adeò desipiat, vt existimet Pelagianam esse interpretationem, quam SS. Patres Græci, & Latini communi consensu tradiderunt, atque illi ipsi, qui hæresim Pelagij detexerunt, impugnarunt, exterminauerunt? Non est erroneum, hæreticum, & Pelagianum, quidquid dixerunt, aut scripserunt Pelagiani: sed quod in illis erroris, & hæresis damnatum fuit à Cœlestino Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, & à Conciliis Palæstino seu Diospolitano, Carthaginēsi, Mileuitano, Arausicano, & aliis cōtra ipsos celebratis. In quorum nullo damnata fuit supradicta interpretatio: sed è contrario in Concilio Arelatensi, habito circa ann. Domini 490. aut 491. vel vt alij volunt, 524. approbata fuit epistola Fausti Rhegiensis ad Lucidum Presbyterū; quâ iacit anathema in eū, qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes saluos esse velit: & eum, qui periit, non accepisse, vt saluus esse posset. Eundémque errorē abiurauit Lucidus in epistola ad Synodum Lugdunensem, à qua de illo & quibusdam aliis fuerat monitus, & correctus; vt videre est tom. 3. Conciliorum nouæ edit. pag. 823. 824. & 825. Habetur quoque idem Concilium tom. 2. Conciliorum Galliæ p. 147. hoc titulo: *Concilium Arelatense à Leontio Arelatensi Episcopo, ad condemnandum prædestinationis errorem, congregatum:* & eiusdem mentionem facit Cardinalis Baron. ad annum Christi 490. num. 17. & seqq. vbi vtramque epistolam Fausti & Lucidi integram refert: & priorem, quæ Fausti est, dicit fuisse *vt verè Catholicam ab Episcopis illius Concilij Arelatensis probatam, & subscriptione munitam.*

Probatur expositionem datam esse catholicam.

Et approbatam à Conciliis.

Idémque affirmat Seuerinus Binius in notis ad illud Concilium, tom. 3. Conciliorum p. 823. 15.
dicens, Hac Synodo, subscriptione Episcoporum approbatam esse illam epistolam Fausti Rhegiensis, quam dedit ad Lucidum quendam magni nominis presbyterum, Prædestinatorum hæresim sectantem. Et Ioan. Maria Brasichellanus sacri Palatij magister, in Indice expurgat. Roman. in tomum 4. Bibliothecæ Patrum, de eodem ita scribit: *Sciendum epistolam Fausti ad Lucidum presbyterum, approbatam tot episcoporum subscriptione in Concilio Arelatensi, & epistolam Lucidi presbyteri ad episcopos congregatos in Synodo Lugdunensi, quæ ambæ operi Fausti præmittuntur, sanas esse, atque Catholicas, iudicio duarum Synodorum confirmatas.* Idem denique plures alij Scriptores Catholici affirmant, vt videre est apud Antonium Ricardum lib. 1. Defens. cap. 1. sect. 6. §. 4. vbi etiam quæcunque in contrarium à nouis Dogmatistis Iansenij defensoribus obiiciuntur, ab Vsserio quodam Caluinista desumpta fuisse, relatis vtrorumque verbis luculenter ostendit, eadémque refellit.

Opponit 2. Iansenius, Omnes antiquos, & genuinos defensores gratiæ, illam expositionem, tanquam dissonantem à veritate, reprobasse: vt S. Augustinum l. 4. contra Iulian. cap. 8. & in Enchir. c. 103. & epist. 107. ad Vitalem, Prosperum in epist. ad Ruffinum, & Fulgent. lib. de Incarn. & gratia c. 29. Respondeo Patres citatos illam reprobasse, quatenus asserebant Pelagiani velle 16.

Nec improbatam ab Augustino, nisi alio sensu.

Deum saluare omnes homines, naturalibus viribus petentes, consentientes, & ad eum accedentes; vel etiam ad salutem ipsam, vitámque æternam peruenientes per sola opera naturalia, vt existimabat Pelagius. Vel etiam quatenus volebant Deum non procurare speciali modo salutem fidelium & electorum: quo postremo sensu potest intelligi quod obiicitur ex Fulgentio, vt dicemus paulò pòst. Vel etiã sensus Patrum est, quòd Deus non velit efficaciter & absolutè saluare omnes: vt patet ex ipsismet locis ab aduersario prolatis. Sed non negant Deum habere generalem voluntatem simplicis desiderij, seu beneplaciti, saluandi omnes sine exceptione. Alioquin sibimetipsis apertè contradicerent: quippe qui hanc generalem voluntatem in Deo agnoscunt expressissimè, éq; illa Paulum interpretãtur locis suprà relatis n. 9. & sequentibus. Nam quod ait Iansenius D. August. lib. de Spirit. & lit. c. 33 expositionem illam non esse amplexum, sed obiectionem Pelagianam esse, quod nos, post Bellarminum, Suarem, Molinam, Lessium, & plures alios summos Theologos, pro eius solutione accipimus: liquidò falsũ est, nec nisi malâ fide ab illo assertum, vt solitâ calliditate veritati tenebras offundat. Solutionem enim illam esse, non obiectionem Pelagij, constat ex his Augustini verbis loco citato, vbi ostensurus credendi voluntatem esse donum Dei, & quærẽs cur non omnibus detur, cùm Deus omnes saluos esse velit: disputationem illam sic orditur initio capitis 33. *Consequens est paululùm quærere vtrum voluntas illa, quâ credimus etiam ipsa Dei donum sit?* Et paulò pòst: *De hac quæritur vnde sit nobis? Si naturâ: quare non omnibus, cùm sit idem Deus omnium creator? Si dono Dei: etiam hoc quare non omnibus, cùm omnes homines velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Tum responsionem hãc adhibet immediatè pòst: *Prius igitur illud dicamus, & videamus vtrum huic satisfaciat quæstioni, quòd liberum arbitrium, naturaliter attributũ à creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intẽdi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Deinde nonnullis interiectis addit: *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen vt eis adimat liberũ arbitrium, quo bene vel malè vtentes, iustissimè iudicentur.* Quam solutionem postquam fusissimè prosecutus est vsque ad finem capitis, addit initio capitis 34. *Hæc disputatio, si quæstioni soluendæ sufficit, sufficiat.* Quasi dicat, sufficere potest rectè intelligenti. Non sufficeret autem, si errorem Pelagij contineret, eiúsque obiectio esset, vt vult Iansenius, non solutio D. Augustini. Tum ad cauendam sinistram eius interpretationem, hoc solum monet attendendum esse, & videndum, *non ideo tantùm istam voluntatem diuino muneri tribuendam esse, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est: verùm etiam quòd visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes, siue intrinsecùs, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Et immediatè pòst ita concludit, confirmans solutionem suprà datam, quam Iansenius ipsammet Pelagij obiectionem esse vult: *His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali vt ei credat; neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat: profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.*

Impostura Iansenij.

17. *Quid ille improbauit*

Immeritò igitur exprobrat, & parum modestè insultat Theologis suprà nominatis Iansenius, quòd obiectionem Pelagij pro Augustini solutione arripuerint. Potiùs enim Augustinus, præcipuè verbis postremò relatis, clarè significat veram illam & suam esse: & confirmat, quod suprà diximus, se non aliud improbâsse circa expositionem illam verborum Apostoli, *Vult omnes saluos fieri*, nisi quod volebant Pelagiani, Dei voluntatem esse vt salutem assequamur viribus naturalibus, sine gratia propriè dicta. Quod etiam patet ex verbis ipsis Augustini primo loco relatis à Iansenio ex l. 4. contra Iulian. cap. 8. vbi sic eum alloquitur: *Sed ponis Apostolicum testimonium, & ab eo dicis pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: vt videlicet intelligamus. dicentibus vobis, ideo non omnes saluos fieri, & in agnitionẽ veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm Deus velit ostendere: nolunt pulsare, cùm Deus velit aperire.* Loquebatur autem Iulianus, vt & alij Pelagiani, de petentibus, quærentibus, & pulsantibus, solis viribus naturalibus. Aliis verò duobus locis productis ab aduersario, id est, c. 103. Enchir. & ep. 107. manifestè loquitur Augustinus de volũtate efficaci saluandi omnes (quam fatemur non esse generalem) vt patet ex antecedentibus, & consequentibus vtrobique. De eadémque volũtate efficaci loquuntur Prosper in epist. ad Ruffinum, & Fulgent. lib. de Incarnat. & gratia c. 29. vt sequentia vtriusque verba perspicuè indicant: & vterque ibidem disputat contra Pelagianos, & Semipelagianos, asserentes nostram salutem incipere à mutatione voluntatis de mala in bonam, factâ naturæ viribus.

18. *Eandem Prosper improbauit.*

Prorsus autem à veritate alienum est, quod addit Iansenius, Nunquam Prosperum expositionem nostram, ne quidem in libris de Vocat. Gentium, docuisse. Nam contrarium manifestè liquet ex eius testimoniis relatis nu. 10. Quibus adde quod lib. 1. de Vocat. Gent. c. 12. Apostoli verba, *Vult omnes homines saluos fieri, integrè, plenéque vult suscipi à regula, quâ vniuersalis Ecclesia imbuitur, ne in diuersum intellectum nostro euagemur arbitrio.* Et lib. 2. c. 1. affirmat id, quod de saluatione omnium hominum in scriptura reperitur, *nulla contraria argumentatione esse temerandum.* Et cap. 31. eiusdem libri, *Elaboratum est,* inquit, *quantum Dominus adiuuet, vt non solùm in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis, probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, prouidentia pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diuersâque mensurâ: quoniam siue occultè, siue manifestè, ipse est, vt Apostolus ait, saluator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ sententia sublimissimæ veritatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controuersiam dirimit. Dicendo enim, Qui est saluator omnium hominum, confirmauit bonitatem Dei super vniuersos homines esse generalem. Adiiciendo autem, maximè fidelium, ostendit esse partem humani generis, quæ merito fidei diuinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis prouehatur.*

19. *Quo sensu Deus vult nos saluare si velimus?* Opponit 1. nostram expositionem refelli ex eo, quòd illa ipsa conditio, quam adiicimus, *si homines velint, aut consentiant*, non minùs pendet à voluntate Dei, quàm ipsa salus. Non enim potest ab humana voluntate poni, nisi diuina voluntate præstetur: hoc est, nisi à Deo detur, vt velint, vt gratiam acceptent, vt consentiant: quemadmodum docet Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 8. & lib. de Prædest Sanct. cap. 8. Cùm igitur ista conditio, propter cuius defectum non omnes salui fiunt, Deo miserente dari debeat: frustra dicitur Deum omnes omnino velle saluos fieri, si ipsi velint, si ipsi consentiant, si ipsi diuinæ gratiæ cooperentur.

20. *Quomodo dat vt velimus?* Respondeo, Deum dare vt velimus, & consentiamus, præueniendo nostram voluntatem, & consensum liberum, auxiliis gratiæ; non necessitantibus ad consensum, vt falsò supponit aduersarius alibi refutatus; sed inuitantibus, & excitantibus, sic tamen vt liberum maneat humanæ voluntati dissentire si velit, & inspirationem diuinam abiicere: quemadmodum definiuit Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. Sæpiúsque affirmant Scriptura, & sancti Patres locis relatis disp. 22. sect. 3. & 4. Idque non solùm verum est de prima conuersione ad Deum; sed & de aliis bonis operibus, quibus ad vitam æternam promouemur: ita vt, iuxta veram sententiam, Deus non velit efficaciter adultos suam in gratiam recipere, & iustificare, neque saluare; nisi ipsi liberè consentiant, & gratiæ auxiliis sibi oblatis cooperētur. Non ergo frustra dicitur Deum velle saluare homines si ipsi velint, si consentiant, si gratiæ diuinæ cooperentur: cùm totum hoc negotium pendeat à libero eorum consensu elicito cum auxilio gratiæ. Neque frustra dicit Scriptura, *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te*: Ecclesi. 15. ver. 16. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*: Isaïæ 1. ver. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, Matth. 19. ver. 17. quamuis illa bona voluntas audiendi Deum, & seruandi mandata, non minùs pendeat à voluntate Dei, eiúsque gratiâ; quàm salus ipsa.

SECTIO IV.

Soluuntur aliæ obiectiones aduersariorum.

21. *Obiectio de paruulis sine baptismo morientibus.* OPPONIT 4. Iansenius eodem cap. 20. lib. 3. de Gratia Christi Saluatoris, expositionem nostram refelli ex causa paruulorum, qui sine baptismo & consequenter sine salute & veritatis agnitione moriuntur. Quod argumentum, inquit, sæpiùs vrget Augustinus aduersus istam loci Apostolici explicationem: vt lib. 4. contra Iulian. cap. 8. & in Enchirid. cap. 97. qui etiam lib. 6. contra Iulian. cap. 14. & lib. de Bono perseuer. cap. 14. & epist. 107. ad Vitalem, & lib. 2. ad Bonif. cap. 6. expresè dicit, hominibus volentibus quosdam paruulos saluos facere, nolle Deum vt salui fiant, quos iusto iudicio à regni sui felicitate exclusit.

22. *Quomodo Deus illis prouidit?* Respondeo generalem Dei voluntatem inefficacem, & conditionatam saluandi omnes homines, ad paruulos etiam extendi: vt expressè docet Prosper Augustini discipulus, lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. his verbis: *Cum quærimus; Quomodo omnes homines saluos fieri velit, qui non omnibus tempus illud impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces? Non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quod isti paucorum dierū homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus, quâ vtique si bene eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur. Omnium namque exordia paruulorum, totáque illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio iacent voluntatis alienæ; nec vllo modo eis, nisi per alios consuli potest &c.* Itaque Deus vult eorum salutem procurari per eos, ad quos pertinent: & ad hoc gratiam illis sufficientem suppeditat: quâ si bene vterentur, paruuli vel à morte præseruarētur Dei beneficio, vel ante mortem fruerentur medio salutis necessario. Neque tantùm voluit Deus eorum salutem, & media ad illam sufficientia prouidit in Adamo, ante ipsius lapsū: verùm etiam post, instituendo remedia generalia peccati originalis, quæ talia sunt, vt prosint omnibus infantibus, quibus applicantur, & quantum est de se possint omnibus applicari, atque reipsa applicarentur, nisi per eos staret, quibus Deus commisit salutem paruulorum: qui sicut aliena solùm voluntate peccarunt, ita saluantur per media, aliorum voluntati permissa.

Itaque nisi eorum culpa siue in generatione, siue in conseruatione fœtus, vel educatione, vel aliter contracta, obsisteret: omnes omnino paruuli perducerentur ad potentiam proximam recipiendi remedium peccati originalis: diuinâ prouidentiâ differente potiùs mortem, propter Christi Domini merita. Neque propterea opus est parentes, vel alios, quibus cura salutis paruulorum incumbit, scire in quo consistat tale impedimentum, propter quod Deus non vtitur hâc speciali prouidentiâ erga paruulos: sed sufficit eos generatim scire, quòd prudenter, & ex conscientia secundùm rectam rationem gerere se debeant in prole generanda, fouenda, & conseruanda. Sicut adultis inter Ethnicos educatis Deus negat specialem prouidentiā; quâ alioqui perducendi essent ad finem supernaturalem per fidem, aliáque media; quia ipsi ponunt obicem per peccata propria: quamuis nesciant speciatim quando ponant, aut etiam quòd ponant. Cùm autem affirmat D. Augustin. locis citatis in obiectione, Deum nolle tales paruulos saluos facere; & eos non saluari, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult: intelligēdum est quòd Deus non velit efficaciter, neque impediat causas naturales, aut morales, quibus mors illis infertur, antequam per baptismum, vel aliud remedium, expiationem peccati originalis obtineant. Videri possunt Andreas du Val tract. de Gratia q. 5. cap. 3. Ysambert. ibid. q. 2. art. 3. Gamach. tom. 3. tract. de baptismo q. 68. cap. 2. Lessius sect. 6. de Prædest. assert. 1. & Valent. Hetice disp. 35. n. 7. & 8. vbi nobiscum sentiunt, & eorum aliqui fusiùs id exponunt, latiúsque extendunt medium salutis paruulorum ad orationes parentum, quibus etiam morientes in vtero iuuari possint. 23. *Pendent à cura adultorum.* *Quo sensu ait Augustinus, Deum nolle eos saluare?*

Opponit 5. expositionem nostram manifestè repugnare intentioni Apostoli, qui, secundùm nos, hortatur ibi vt pro omnibus hominibus oremus Deum; propterea quòd vult omnes homines saluos fieri. Nam si Deus id vult, quantum est ex se: non est rogandus pro omnium salute: vtpote qui quod suarum est partium iam præstiterit, dato omnibus sufficienti adiutorio: sed admonendi tantùm erunt homines vt auxilio si- 24.

bi dato vti velint. Vt quid enim dari petas, quod semper præsto, imò iam datum est, & positum in hominis potestate?

25. *Quare vult Deus nos orare pro salute omnium.* Respondeo, sequelam planè ineptam esse. Nam Deus ita vult omnes homines saluos fieri, vt velit eorum salutem mutuis precibus adiuuari, & earum intuitu det sæpissimè auxilia maiora, & copiosiora; quibus salus reipsa tandem obtineatur, & sine quibus non obtineretur. Certè vult etiam Deus, quantum est ex se, suppeditare humano generi, quæ ad vitam corporalem tuendam sunt necessaria; causásque generales, & sufficientes ad hunc finem instituit: neque tamen frustra rogatur à fidelibus, & ab ipsa Ecclesia in publicis officiis, vt fructus terræ dare, & conseruare dignetur: & panem nostrum quotidianum postulare Christus ipse nos docuit. Nimirum, quia vult dare modò petamus, & preces nostræ sæpe faciunt vt abundantiùs det, auertátque imminentes sterilitatis causas. Quàm bellè autem nostra expositio conueniat intentioni Apostoli, imò ex illa necessariò sequatur, ostendimus sect. 1.

26. *Alia tres expositiones Pauli verba restringentes.* Opponit 6. D. Augustinum tribus aliis modis locum Pauli exponere. Nimirum, vel quòd Deus velit saluos fieri eos omnes, qui saluantur: siue, quòd nemo sit saluus, nisi quem saluare voluerit. Vel 2. quòd particula, *omnes homines*, sit accipienda non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum: id est, velit aliquos ex omnibus hominum generibus; Iudæis, & Gentilibus; seruis, & liberis; principibus, & priuatis; doctis, & indoctis; adultis, & paruulis; viris & mulieribus. Vel 3. quòd dicatur velle omnes homines saluos fieri, quia facit vt sancti homines salutem omnium velint, & optent, & orando desiderent, non tantùm voluntate signi, præcipiendo vt omnium salutem velint; sed etiam eis hanc ipsam voluntatem, hoc desiderium, hanc solicitudinem inspirando.

27. *Intelligendæ sunt de voluntate efficaci.* Respondeo duplicem esse voluntatem Dei saluandi homines. Vnam conditionatam: saluandi scilicet, si non desit conditio ex parte ipsorum requisita: sique vel paruulis applicentur, vel adulti vtantur mediis sufficientibus, & de se efficacibus vt salutem consequantur. Alteram absolutam, & efficacem, saluandi eos, quibus reipsa applicabuntur, vel qui vtentur de facto talibus mediis. De posteriori voluntate loquitur D. Augustinus iis locis, vbi tres illas expositiones dat. De priori autem in lib. de Spiritu & lit. capite 33. aliisque locis, quibus affirmat Deum generaliter, & sine exceptione velle omnes homines saluos fieri. Sic enim illum exponere necessarium est, tum vt ne sibimetipsi contradicat: tum etiam quia lib. 1. Retract. c. 10. ita seipsum explicat, sic aiens: *Quod dixi in lib. 1. de Genesi, Diuinum lumen pascit pura corda eorum, qui ab amore visibilium se ad eius præcepta implenda conuertunt, quod omnes possunt si velint: non existiment Pelagiani secundùm eos esse dictum. Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint: sed præparatur voluntas à Domino:* id est, non volunt sine Dei gratia auxiliante, quam Deus omnibus, & maximè fidelibus offert, quantum sufficit, & necessarium est, vt possint seruare præcepta, adeòque saluari, si velint. Tum denique, quia Prosper eius discipulus, eiúsque mentis optimè conscius, sic eum interpretatur in respons. ad 3. obiectionem Gallorum, vbi affirmat, Quòd aliqui pereunt, non ex eo prouenire, quòd Deus antecedenter non voluerit eos saluare: sed ex eo quòd ipsi voluntariè peccantes, & impœnitentes, se indignos reddiderunt: & quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt. Et in responsione ad 9. obiectionem, eodem sensu ait, tametsi Christus pro totius mundi redemptione crucifixus est: *potest tamen dici pro iis tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit:* efficaciter scilicet, id est, effectu redemptionis, & salutis in illis secuto. Et in respons. ad 2. obiect. Vincent. testatur hanc esse non solùm Augustini, sed & totius Ecclesiæ fidem: cùm sic ait: *Sincerissimè credendum, atque profitendum est, Deum velle vt omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus, quòd multi pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum.* Quibus postremis verbis perspicuè significat Deum velle saluare non eos tantùm, qui saluantur, sed eos etiam qui pereunt.

Sed neque tres illæ expositiones intentioni Pauli conueniunt. Nam prima & secunda non bene cohærent cum eius verbis, quibus ibidem iubet orari pro omnibus hominibus. Certum enim est debere nos orare pro omnibus generaliter, & sine exceptione, non autem pro saluandis tantùm: deberéque omnium salutem procurare quando opera nostra est illis necessaria. Ergo quando Paulus dicit orandum esse pro omnibus hominibus, quia Deus vult omnes homines saluos fieri; affértque pro motiuo orandi pro omnibus, quòd Deus velit omnes saluos fieri; particula, *omnis*, vtrobique generaliter, & sine exceptione accipienda est. Contra tertiam facit, quòd, vt docet ipse Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. Scripturæ verba in proprio sensu, quoad fieri potest, intelligenda sunt, nec debent ad sensum improprium, & metaphoricum detorqueri sine necessitate. Sensus autem ille, quòd velit, id est, faciat nos velle omnium salutem, metaphoricus est: & nulla est necessitas recedendi à proprio sensu, quem verba præ se ferunt, quòd scilicet Deus antecedenti voluntate, & conditionata, velit generaliter omnes homines saluare: vt exponunt communiter sancti Patres, Ambros. Hieron. Chrysost. Clemens Roman. Clemens Alexand. Origenes, Ignatius, Dionys. & alij, quorum verba retulimus num. 9. 28. *Alioqui non conuenirent intentioni Apostoli.*

29. *Iansenius malè sentit de Patribus Græcis.* Neque diffitetur Iansenius Chrysostomum, & alios Græcos ita Paulum exposuisse: sed ait hoc nihil iuuare: quia Chrysostomus ante exortam hæresim Pelagij Commentarios suos exarauit: & nulli imperfectiùs de gratia, quam Græci locuti sunt. Nec vlla difficultas de gratia magis lubrica est, quàm ista, in cuius intelligentia & ipse Augustinus vsque ad Episcopatum hallucinatus est. Verùm quis non absurdum putet, & intolerabile, existimare omnes Patres Græcos, quorum communis fuit illa expositio, in errore Pelagij versatos esse? imò & Latinos, qui eandem expositionem tradiderunt communiter, vt ostendimus num. cit. Cúmque Augustinus lib. 1. contra Iulian. cap. 5. & 6. alibique

sępius, in materia de peccato originali, de gratia, & aliis cum Pelagio controuersis, prouocet ad auctoritatē Patrum Græcorum; quis dubitet eos sinceram de illa doctrinam tradidisse? licèt non adeo fusè tractatam, & explicatam; atque fuit post exortam hęresim Pelagij, vt contigit in plerisque aliis fidei dogmatibus, quæ occasione errorum insurgentium fuerunt latiùs à Patribus, & à Conciliis exposita. Quod verò addit, nullum ex Latinis antiquioribus expositionem illam tradidisse: falsóque tribui Ambrosio, & Hieronymo, suis in Paulum commentariis, cùm illi commentarij non sint verè Ambrosij, & Hieronymi: sed qui tribuitur Hieronymo, sit Pelagij: alter, qui Ambrosio adscribitur, sit alterius, Pelagianis erroribus infecti. Hoc, inquam, liquidò falsum esse constat testimoniis productis ex Hieronymi, & Ambrosij locis indubitatis, & pluribus aliis Patribus Latinis, illis etiam, qui fortiùs Pelagio restiterunt, quorum verba retulimus nu. 10. Quod denique insinuat, Apostolum posse intelligi de voluntate simplicis complacentiæ, qualem Deus habet circa bona purè possibilia, & circa dæmonum salutem vt purè possibilem: manifestè falsum est. Nam Deus non dicitur velle, quod ei tantùm hoc modo placet. Nec quisquam dicit Deum velle saluare dæmones, quamuis eorum salus vt merè possibilis ei placeat. Et perspicuum est Apostolum non loqui de simplici complacentia, sed de voluntate tendente ad opus: propter quod vult vt oremus pro salute omnium, & aliis modis eos iuuemus. Certè autem non vult nos orare pro salute dæmonum, & pro ea laborare.

Imponit etiam Latinis.

SECTIO V.

Ostenditur Christum generaliter pro omnibus hominibus mortuum esse.

30. *Probatur ex Scriptura.* ALIVD argumentum efficax, ex Scriptura desumptum pro gratia sufficiente contra nouos Dogmatistas est, quòd Christus generaliter pro omnibus hominibus mortuus sit, omnésque à peccato redemerit, quantùm est ex se: id est, pretium sufficiens Deo Patri ad omnium redemptionem obtulerit, volueritque vt illis prodesset, & applicaretur: iuxta illud 1. Timoth. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Nam quod Apostolus ibi loquatur de omnibus generaliter, & sine exceptione, patet ex verbis immediatè præcedentibus, quibus affirmat, orandum esse pro omnibus hominibus, quia *Vnus est Deus omnium, qui vult omnes homines saluos fieri, &c.* Quæ verba de omnibus hominibus generaliter, & sine exceptione intelligenda esse ostendimus sect. 2. Et confirmatur ex pluribus aliis Scripturæ locis, quæ pari vniuersalitate loquuntur de redemptione Christi, & non debent absque necessitate restringi: Rom. 5. ver. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Vbi notanda est illa comparatio, quòd sicut Adæ peccatum ad omnes pertinet: ita Christi iustitia omnibus prodest quantùm est ex se. Et 1. Corinth. 5. vers. 14. *Æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Quibus verbis comparat Apostolus generalitatem remedij cum generalitate mali; & ex vniuersalitate mali, colligit vniuersalitatem remedij. Quare sicut malum ad omnes pertinet: ita & remedium. Et 1. Timoth. 4. vers. 10. *Qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium.* Vbi cùm addit, *maximè fidelium:* ostendit non pro illis solis, sed etiam pro infidelibus esse mortuum: & particulam, *omnium hominum* generaliter, & sine exceptione intelligi debere. Si qui enim excipiendi essent, certè præcipuè infideles. Et Heb. 2. ver. 9. *Videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Et 1. Ioan. 2. vers. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi* atque etiam pro illis ipsis, qui pereunt, vt perspicuè docet Apostolus 1. Corinth. 8. vers. 11. *Peribit infirmus in tua conscientia frater, pro quo Christus mortuus est.* Et Ioan. 3. vers. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Vbi mundi vocabulo comprehendit omne genus hominum, non solùm fidelium, aut electorum; sed etiam infidelium & reproborum, in quorum omnium gratiam Deus filium suum misit, & quantùm est ex se illos omnes saluare voluit: vt patet ex eo, quòd postquam dixit Deum misisse filium, *vt saluetur mundus per ipsum:* mox exponens quid mundi nomine comprehenderit, illius vocis significationem duas in partes distinguit: vnam credentium, & nimirum alias conditiones ad salutem necessarias habentium: alteram non credentium. Déque illis subiicit: *Qui credit, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Vtrique igitur mundi vocabulo comprehenduntur, electi scilicet, & reprobi: fideles, & infideles.

Idem communi consensu docent, & in eundem sensum Scripturas citatas exponũt SS. Patres Græci, & Latini, quorum aliquot testimonia illustriora referre sufficiet. E Græcis igitur id perspicuè, & expressis verbis docent Clemens Alexand. lib. 7. Stromat. paulò post initium, *Seruator est*, inquit, *non horum quidem, aut illorum*, sed omnium. Cyrill. Hierosol. catech. 18. aliquanto ante finem: *Multimoda sanè*, inquit, *quædam relicta est ratio consequendæ vitæ æternæ propter illius passionem, &c. vt omnes, quantum in ipso est, absque impedimento illâ potiri possent.* Nazianz. orat. 25. *Omnes citra vllam exceptionem instaurati sumus per cælestem Adamum, qui primi Adæ participes fuimus, & à serpente decepti, & peccato mortui.* & Chrysost. hom. 4. in cap. 2. epist. ad Hebr. *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem: non pro fidelibus tantùm, sed pro vniuerso mundo. Ipse enim pro omnibus mortuus est.* 31. *Et ex Patribus Græcis.*

E Latinis verò idem disertè affirmant Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. vers. 64. cuius verba sunt: *Mysticus Sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: vt si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideò sol non est ortus* 32. *Et ex Latinis.*

omnibus, quia calore eius se ipse fraudauit: sed quod solis est, prerogatiuam suam seruat; quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit. Et Hieron. epist. 83. ad Oceanum, initio; *Mentitur*, inquit, *Ioannes Baptista, & digito Christum, & voce demonstrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.* Et August. lib. 6. contra Iulian. cap. 4. *Vnus, inquit Apostolus, pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse vt moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus. Impingo, inculco, infercio recusanti, &c. Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat vt in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet; qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.* Quæ verba tametsi perspicuè significant Christi mortem ad omnes homines sine exceptione, æquè ac peccatum originale pertinere: lubet tamen Esthij, (quem Iansenius magni facit, & doctissimum inter Pauli interpretes appellat) commentarium hîc attexere. Sic igitur habet in cap. 5. epist. 2. ad Corinth. circa vers. 14. relata Pauli verba exponens: *Bona est sequela: si pro omnibus mortuus est Christus, omnes mortuos esse morte peccati. Siquidem Christus ad hoc mortuus est, vt homines à peccati morte redimeret. Quare si nullus est hominum, pro quo Christus non sit mortuus; vtique consequens est nullum esse, qui sit à peccato saltem originali immunis. Hic Commentarius supponit sensum generalem: scilicet pro omnibus in vniuersum hominibus mortuum esse Christum, & non solùm pro prædestinatis. Non enim aliter ex hoc loco colligi potest omnes in vniuersum homines morte peccati mortuos esse. Vnde & Augustinus aduersus Pelagianos originale peccatum negantes vtitur inter alia huius Scripturæ testimonio, quo doceat ne quidem infantes recenter natos à peccato liberos esse, quoniam & pro eis mortuus sit Christus: vt lib. 4. de baptismo paruulorum cap. 27. & libro 6. in Iulian. capite quarto. Qui & eiusdem doctrinæ generalitatem expressit libro 20. de Ciuitate capite sexto, recitatis ex hoc loco verbis Apostoli.* Verba Diui Augustini loco postremo hæc sunt: *Ait Apostolus, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est vnus; vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine excepto, siue in originalibus, siue etiam in voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, & non faciendo, quod iustum est.* Ergo similiter pro omnibus, nemine excepto, mortuus est Christus iuxta ratiocinationem Apostoli. Et tract. 1. in epist. Ioan. dicit illud de Christo, *Qui est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*, pronunciatum esse propter illos, qui Christum diuisuri essent; & *vellent ostendere eum in parte, qui emit totum.*

Speciatimque ex Augustino.

33. *Et ex Prospero.* His adde Prosperum Augustini discipulum, libro secundo de Vocat. Gent. capite 16. vbi dicit nullam rationem dubitandi esse, quòd Christus pro impiis, & peccatoribus mortem obierit: *à quorum numero si aliquis liber inuentus est, non est pro omnibus mortuus Christus. Sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus.* Et capite tricesimo primo, affirmat Apostolum his verbis 1. Timoth. 4. vers. 10. *Qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium*, dicendo *omnium*, confirmâsse bonitatem Dei *super vniuersos homines esse generalem*. Et in responsione ad 1. obiect. Vincent. dicit eos etiam, qui non regenerantur, pertinere ad redemptionem Christi, quippe qui pro omnibus mortuus est. *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.* Et in responsione ad 9. obiection. Gallorum, *Cum itaque*, inquit, *rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram naturæ humanæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro iis tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit:* nimirum efficaciter, seu cum effectu applicationis meritorum eius, & pretij redemptionis. Et in respons. ad obiect. 15. capite decimo-sexto num. 9. *Qui dicit*, inquit, *quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem reuersi.* Et sanctus Leo serm. 1. de Natiuitate Domini, *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et Primasius circa illud 1. Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, hunc Commentarium addit: *Pro omnibus quidem effusus est sanguis Christi. Sed credentibus prodest: incredulis verò erit in condemnationem: sicut alibi ipse dicit: Aliis sumus odor vitæ in vitam: aliis odor mortis in mortem.* Et Anselmus in eundem locum, *In hoc patet*, inquit, *quantum Deus homines diligat, & eos velit omnes saluos fieri, si peruersitas eorum non obstiterit: quia mediator, quem Deus inter se, & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, vt omnes à morte redimeret. Et ideò, qui non saluantur, non est, quòd de Deo, vel de mediatore possint conqueri; sed de seipsis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit; nec salutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere.* Plura Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum testimonia ex singulis sæculis distinctè collecta videri possunt apud Illustrissimum D. Isaac. Habert. in Defensione fidei 2. p. c. 9. & seqq. quibus ostendit constantem illam Ecclesiæ doctrinam ab initio huc vsque fuisse.

Vide apud D. August. tom. 7.

Eadémque veritas expressè traditur à Tridentino sess. 6. cap. 3. his verbis: *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen beneficium mortis eius recipiunt: sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.* Et longè antea Conc. Arelatense celebratũ circa ann. 490. vel 491. vel, vt alij malunt, 524. approbauit epistolam Fausti, iacientis anathema in eum, qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit: & insuper suo anathemate percussit affirmantes eum qui periit, non accepisse vt saluus esse posset. Et Concil. Carisiacense ann. 846. cap. 4. sic pronunciauit: *Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius in illo natura assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo* 34.

Et ex Conciliis.

passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur, efficaciter scilicet. Quódque non tantùm pro electis, sed etiam pro reprobis mortuus sit, docet Concil. Valent. III. celebratum ann. 855. sic aiens cap. 5. *Ex ipsa multitudine fidelium, & redemptorum, alij saluantur æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent: alij, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt; redemptionísque gratiam potius irritam facere prauâ doctrinâ, vel vitâ, quàm seruare, elegerunt; ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo perueniunt.*

35. *Et ex Symbolo Nicæno.* Denique in Symbolo Nicæno, ab omnibus & singulis fidelibus tenendo, & profitendo quoad omnes eius articulos, vnus illorum est, *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est.* Iuxtáque doctrinam, & institutionem Ecclesiæ tenetur vnusquisque credere Christum esse suum redemptorem: non minùs quàm Deum esse suum Creatorem:& illum vt talem inuocare. At hoc non potest credere, si Christus aliquorum tantùm redemptor est. Ergo doctrina aduersariorum non est conformis institutioni Ecclesiæ. Quod argumentum maiorem vim habet, si dicatur esse tantùm redemptor electorum: de quorum numero se esse nemo credere potest sine speciali reuelatione, vt definit Trid. sess. 6. c. 13. imò ne probabiliter quidem id coniicere potest, suppositâ doctrinâ Iansenij de electione,& reprobatione hominum, factâ absolutè, & antecedenter ad omnem præscientiam futurorum ex parte creaturæ, solo peccato originali præsupposito: vi cuius infectâ, & damnationis æternæ reâ factâ massâ totius humani generis, Deus pro suo mero beneplacito decreuit efficaciter ex illa extrahere quotquot saluare voluit,& quotquot reipsa saluantur: ceteros omnes in massa perditionis reliquit, & positiuè reprobauit: & virtute huius decreti negat auxilia sufficientia quibuscunque non prædestinatis,ad hoc saltem vt perseuerent, quamuis aliquo tempore credant, & iusti sint, piéque,& sanctè viuant. Quis enim hâc doctrinâ præsuppositâ,vel probabiliter existimare, & sperare potest,se tametsi piè, & sanctè iã viuat, perseueraturum esse,cùm id omnino pendeat à Dei consilio,de quo ne probabiliter quidem iudicare possumus nisi reueletur,vel habeamus aliquod saltem probabile eius indiciũ. Atqui neque reuelatum est huic, aut illi, quòd sit perseueraturus:neque habet probabile eius rei indicium, si quantumuis credat,& rectè,piéque viuat, non sequitur esse hoc illi decretum; siquidem aliqui alij,æquè piè, ac iustè viuentes, non fuerunt electi ad perseuerantiam:neque pendet à pia eius vita, quòd illi fuerit decreta, vel non fuerit: sed à mero Dei beneplacito absoluto, & efficaci,independenter à præuisione vitæ illius bonæ, vel malæ. Ex qua doctrina quantopere minuatur spes, & amor hominum erga Christum, quisque facilè videt.

SECTIO VI.

Respondetur iis, quæ opponunt noui Dogmatistæ cum Caluinistis aduersus doctrinã propositã.

36. *Opponunt hanc expositionem esse Pelagianã.* CONTRA hæc omnia opponit Iansenius lib. 3. de grat. Christi c. 21. istud quoque argumentum iam olim vsque ad nauseam fuisse à Pelagianis, præsertímque Massiliensibus inculcatum, qui tanquam firmissimam erroris sui basim collocarunt ista Scripturæ loca, quibus dicitur Deus velle omnes homines saluos fieri, esséque redemptor omnium: atque inde fabricarunt aduersus illud peculiare, & rigidum Dei propositum saluandi, quos elegit, generalem quandam, & indifferentem erga vniuersos voluntatem: deinde ex illa generali voluntate salutis omnium, vocationem quoque generalem, sufficientémque omnibus deriuarunt: quam qui vellet, arriperet, aut abiiceret; atque operationem eius, consentiendo, aut dissentiendo, fructuosam, aut cassam redderet pro suo libero arbitrio voluntatis.

37. *Sed absurdissimè.* Verùm quàm ineptè, & calumniosè Pelagianismi accusetur hæc doctrina, satis liquet ex suprà relatis, & expensis Scripturæ, Patrum, & Conciliorum testimoniis, à quibus apertissimè traditur. Cúmque ab ipso exordio Ecclesiæ communiter fuerit recepta,constantérque proposita à sanctis Patribus, tanquam dogma in sacris literis contentum, nemine ante Augustinum ne apparenter quidem contradicente: manifestè consequens est, vel hanc doctrinam non esse Pelagianam; vel Ecclesiam totis quatuor primis sæculis Pelagiano errore laborasse:quod sine hæresi intoleranda dici nequit. Non est tamen Iansenius primus auctor istius calumniæ, quam accepit à Dordracena Synodo Caluinistica,cap. 2. art. 6. & à Roberto Sarisburiensi, Petro Molinæo, Amesio, & aliis Caluini discipulis affirmantibus, *Sine Pelagiano errore dici non posse Christum pro omnibus hominibus mortuum esse*, & Tridentinam Synodum Pelagianismi insimulantibus, eò quòd scripserit sess. 6. cap. 3. *Etsi ille*, Christus scilicet, *pro omnibus mortuus est: non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt: sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.*

38. *A quibus sumpta hæc calumnia!* Hunc autem errorem Iansenius,& Caluinistæ modò nominati, aliíque plures eiusdem farinæ, acceperunt à Luthero, & Melanchone, primis illius assertoribus sæculo præterito, & erroris Gothescalci recoctoribus, vt affirmat Paul. Vindec. in Controuersia de efficacia mortis Christi, c. 12. Proœmij, vbi sic ait: *Huius noui, & blasphemi dogmatis semina iecerunt Lutherus, & Melancthon: hos impietatis magistros sequutus Bucerus asserit in Commentariis supra Ioannem, pag. 34. Christum tantùm electorum peccata morte suâ expiasse. Hanc doctrinam, præmonstratore Bucero, auidè Caluinus arripuit, qui in cap. 17. Ioan. scribens, ait, Christum proprij gregis solummodo fuisse solicitum, quódque pro electis suis duntaxat orauit: & lib. contra Heshusium affirmat carnẽ Christi pro impiis non esse crucifixam, nec sanguinem eius pro eorum peccatis expiandis effusum esse.* Caluinum sequutus est Beza, qui, vt ait Malderus Episcopus Antuerp. in Antisynod. cap. 7. lib. 3. *Eandem blasphemiam cum suis defendit*; & vt ait Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicensis, in Atheismis Caluini, pag. 321. Mirâ fœcunditate blasphemias euomens, hanc aliis addidit, Christum non obtulisse redemptionem pro vnoquoque, nec mortuum esse pro omnibus, sed pro solis electis,ac prædestinatis ad vitam æternam. Ad hos maluit accedere Iansenius, vt solet,

quàm stare à Catholicorum partibus: ab iisdémque sequentem obiectionem, æquè ac istam Pelagianismi criminationem mutuatus est.

39. *Altera expositio Ianseniana.* Opponit enim 2. Quando Christus ab Apostolo dicitur *redemptionem semetipsum dedisse pro omnibus*, vel sensus est, quòd eius sanguis effusus, sit pretium sufficiens pro redemptione omnium, sed non fuerit ex intentione Dei, & Christi, ad hoc ordinatum: vel particula, *pro omnibus*, significat idem ac, pro vniuersa Ecclesia toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, & priuatis; nobilibus, & ignobilibus; &c. itémque pro hominibus omnium nationum, linguarum, & gentium, Iudæis videlicet, ac gentilibus, ex quibus congregatur vniuersus populus Dei: iuxta illud Apocalyp. 5. *Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni lingua, & tribu, & populo, & natione.* Eodémque sensu intelligendum esse dicit illud 1. Ioan. 1. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*, id est, pro vniuerso populo fidelium; seu Ecclesiâ toto mundo dispersâ: vel, quod eódem redit, non pro nostris tantùm Iudæorum, sed etiam Gentilium, ex quibus vna Christi Ecclesia constituitur. Ad quod confirmandum adducit aliquot alia loca Scripturæ, & D. Augustini.

40. *Impugnatur prima illius pars.* Sed ad prius membrum huius responsionis, Dico ipsummet Iansenium eodem lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. fateri particulam *pro omnibus*, aliquid ampliùs significare, quàm prima illa expositio illi tribuat. Neque enim dicimus Christum se dedisse redemptionem pro dæmonibus, aut pro illis mortuum esse; tametsi eius mors sufficiebat ad eos redimendos, si ad hoc ordinata fuisset. Nimirum, quia particula *pro omnibus*, significat aliquam ordinationem ad eos, pro quibus mortuus esse dicitur: & phrasis illa, quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videtur redemptionem, ex redimentis animo, in vsum ac liberationem illius offerri ac dirigi. vt ait Iansenius loco proximè cit.

41. *Altera pars sumpta est ab hæreticis.* Ad posterius membrum eiusdem responsi dico, simili modo prædicta Scripturæ loca detorqueri à Beza in Colloquio Mompelgartensi, pag. 313. aliisque locis, vt videre est apud Claudium de Sainctes in Atheismis Caluini pag. 311. & 312. & à Zanchio in Miscell. fol. 200. Kimendocio in Synopsi de Redemptione pag. 51. & aliis Caluini Ministris, qui etiam iisdē D. Augustini testimoniis abutuntur. *Impugnatur multipliciter.* Deinde huic expositioni, seu potiùs elusioni Caluinisticæ, oppono 1. Scripturæ verba, locis citatis, esse de se vniuersalia; & non debere limitari sine euidenti necessitate, quæ hîc nulla est. 2. Eadem Scripturæ loca vniuersalitatem illam exigere, si bene expendantur: vt de verbis Apostoli 1. Timoth. 2. ostendimus num. 30. & de aliis videri potest apud Cornelium à Lapide, & alios Interpretes accuratiores. 3. Eadem Scripturæ loca vniuersaliter, & sine vlla exceptione intelligi à SS. Patribus: quorum communi sententiæ in expositione Scripturæ adhærendum esse definit Trid. sess. 4. in Decreto *de editione, & vsu sacrorum librorum*, vbi præcipit vt nemo aliter Scripturam sacram interpretari audeat. 4. Eundem fuisse communem sensum omnium Catholicorum, ante Iansenium, qui alterum illum tanquam Lutheranum, & Caluinisticum, impiúmque, & blasphemum execrantur, vt relatis aliquorum verbis paulò antè ostendimus, & plures refert Antonius Ricardus lib. 1. Defens. cap. 1. sect. 4. §. 3. Et denique Augustinum, locis relatis ab aduersario, & vbicunque aliàs Christi redemptionem ad solos electos restringere videtur, intelligendum esse de redemptione efficaci, & sortiente effectum suum per applicationem pretij pro nobis soluti.

Pro quo notandum est, dupliciter intelligi, & dici posse Christum nos redemisse. Primò, quoad sufficientiam pretij, quod exhibuit; & voluntatem sinceram per modum desiderij vt applicetur. Secundò, quoad efficientiam, & actualem liberationem à statu peccati, æternáque damnatione. Priori sensu Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus hominibus generaliter, & sine vlla exceptione; quatenus exhibuit Deo pretium sufficiens, vt ex sua intentione omnibus prodesset: sicut reipsa profuit aliquatenus, siue præsentibus, siue anteris, aut posteris: nimirum quatenus mors Christi fuit causa meritoria omnium gratiarum, quæ pro eorum liberatione à peccato, & à morte æterna, fuerunt eis vnquam collatæ, vel aliis in eorum fauorem: & quibus, si ritè cooperati essent, fuissent reipsa efficaciter redempti, siue exempti à morte æterna. Neque enim dubitandum est Christum se Patri offerentem in sacrificium pro salute omnium hominum, vt ait Apostol. Hebr. 10. vers. 5. 6. & 7. habuisse intentionem voluntati Patris sui conformem, qui, vt ait idem Apostolus 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri.* Ideóque pro omnibus se obtulit, & omnibus prodesse voluit. Posteriore sensu eius redemptio ad eos solos pertinet, qui reipsa eruuntur à morte peccati per iustificationem; vel etiam ab æterna damnatione per glorificationem. 42. *Christus redemit omnes quoad sufficientiam, non quoad efficaciam.*

De priori loquitur D. Augustinus locis relatis num. 32. De posteriori intelligenda sunt alia eius loca producta à Iansenio: tum ne sibi Diuus Augustinus manifestè contradicat: tum etiam, quia hunc esse illius sensum docet Prosper eius discipulus, respondens obiectionibus Vincentianis contra doctrinam Diui Augustini propositis. Sic enim ait responsione 1. *Quod ad magnitudinem, & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam, à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eruti: redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Et paulò inferiùs: *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuinâ, habet quidem in se vt omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.* Similia sunt, quæ ex eodem retulimus suprà, num. 33. ex responsione ad caput 9. Gallorum, & ex responsione ad obiectionem 15. cap. 16. Neque dicas redemptionem non fieri nisi quando captiuus reipsa liberatur à captiuitate; ac proinde Christum non fuisse redemptorem eorum omnium, qui 43. *Ita docet Augustinus.*

manent in captiuitate peccati, & miserabilis seruitutis. Nam, vt rectè dicit Augustinus sermon. 48. de Verbis Domini secundùm Ioannem, Verè redemptor dicitur, qui pretium redemptionis exhibet, & venit ad captiuum liberandum: idque licèt effectus non sequatur. Nam, vt ait Prosper in responsione ad obiectiones Vincentianas cap. 1. *Rectè, inquit, dicuntur omnes redempti, & tamen non omnes à captiuitate eruti.*

44. *Iansenius Prosperum reprehendit.* Ex his Prosperi verbis sumpta est distinctio Theologorum, quâ dicunt Christum omnes redemisse sufficienter, non efficienter; vt fatetur Iansenius, istámque solutionem facilem esse concedit. Illam tamen statim reiicit, eò quòd, inquit, *Phrasis illa, quâ quis dicitur, se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videtur redemptionem, ex redimentis animo, in vsum, ac liberationem captiuorum offerri, ac dirigi: quæ directio, & oblatio Christi inanis esse non potest.* Ideòque *Diuus Augustinus Prospero antiquior, & doctior, nunquam dicit Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptorem, vel crucifixum esse, vel mortuum: sed tantummodo pro illis quibus mors eius profuit.*

45. *Sed ineptè.* At quis sanæ mentis non facilè videt vtri verus Augustini sensus meliùs notus sit: Prospero eius contemporaneo, & eximio discipulo, in eius sinu quodammodo educato? An Iansenio tot sæculis ab eo distanti, qui tot aliis locis in eius sensu inuestigando manifestè hallucinatus est? maluítque ferè semper à Caluinistis, & Lutheranis potiùs, quàm à Catholicis illum accipere; & in partem deteriorem, fauentémque hæreticis vbique ferme illum interpretari? Euidentérque falsum est, quod addit, non aliter Augustini iudicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse, seu propitiationem pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus vna constituitur Ecclesia, redemptio ac propitiatio est: nec in vniuersis Augustini operibus locum esse, vbi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro illis dedisse se redemptionē.

46. *Augustinus docet Christum mortuum esse pro infidelibus.* Nam contrarium manifestè liquet ex verbis eius suprà relatis ex libro sexto contra Iulianum cap. 4. vbi affirmat Christum mortuum esse pro illis omnibus, ad quos peccatum originale pertinet; pertinet autem sine dubio ad infideles in infidelitate permanentes. Idémque repetit cap. 9. sic dicens: *Apostolus vnum dixit fuisse, in quo omnes peccauerunt. In illo mortui sunt omnes, vt moreretur alius vnus pro omnibus. Vnus enim pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.* Similia habet libro primo de peccatorum merit. & remiss. cap. 27. & tract. 4. in Ioan. loquens de Iudæis infidelibus, credere in Christum nolentibus, & mortuis in infidelitate, sic ait: *Populi autem spernentes, propter superbiam suam, humilitatem Dei, crucifixerunt Saluatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* Erat ergo Saluator illorum etiam infidelium, & reipsa eos saluâsset, si credere voluissent, eiúsque intentioni, & gratiæ cooperari. Et lib. 2. de symbolo ad Catechumenos cap. 8. inducit Christum sic loquentem Iudæis incredulis, & vsque ad mortem obstinatis, ideóque damnatis: *Videtis vulnera, quæ inflixistis? Agnoscitis latus, quod pupugistis? Quoniam & per vos, & propter vos apertum est, neque tamen intrare voluistis.*

Ex iisdem, & similibus eius locis constat falsum pariter esse, quod multò pòst ait Iansenius eodem cap. 21. Tametsi Christus dici possit esse mortuus pro omnibus fidelibus, quippe qui eius beneficio fidem acceperunt, & pro omnibus iustis, qui per illum remissionem peccatorum suorum obtinuerunt: licèt ad tempus tantùm credant, aut perseuerent, & finaliter à salute excidant: quia tamen vtilitas illa mortis, & redemptionis Christi, valde exigua est, idcirco D. Augustinum passim omnes locutiones Scripturæ, quæ quandam vniuersitatem effectuum passionis, aut mortis, aut redemptionis, aut diuinæ gratiæ insinuant, ad solos prædestinatos reuocare, ac restringere: quippe quibus maximè competit proprietas redemptionis: quorúmve liberationem ex massa perditionis, & salutem absolutè voluit: reliquorum autem eatenus duntaxat, quatenus aliquo temporalis sanctificationis gustu nonnihil ex ista salute, & liberatione participant. 47. *Confirmatur aliis eius testimoniis.*

Nam contrà, licèt frequenter D. Augustinus ad electos, & saluandos reipsa, restringat Christi redemptionem; iis scilicet in locis, in quibus agit de perfecta eius applicatione, & efficacia: in plerisque tamen aliis expressè docet, Christum quoad sufficientiam, & intentionem, ad omnes extendisse, voluisséque vt prodesset omnibus ad salutem consequendam, quantum erat ex parte sua: sicut reipsa profuisset, nisi ex parte creaturarum defuisset cooperatio, vel exhibitio conditionis necessariæ, positæ in earum potestate. 48.

Iuxta eandem distinctionem explicanda sunt, quæ opponit tertio loco aduersarius ex libro Ecclesiæ Lugdunensis *De tenenda Scripturæ veritate*, qui habetur in Auctario Bibliothecæ SS. Patrum tom. 2. vbi dicitur Christum mortuum esse, efficaciter scilicet, pro solis fidelibus, qui fuerunt, aut sunt, vel erunt: & ex altero libro eiusdem Ecclesiæ, *De tribus epistolis*, vbi (vt rectè ait Andreas Du-Vallius regius Professor Sorbon. in notis ad eundem librum, circa pag. 1174.) quòd affirmat, Christum non fuisse passum pro iis, qui in infidelitate moriuntur, & passionem eius fuisse duntaxat pro multis, & non pro omnibus, benignâ indiget interpretatione, de merito, & satisfactione quoad efficaciam; non autem quoad sufficientiam, quo modo pro omnibus planè hominibus passus est. Quâ quidem distinctione, inquit, facile est omnibus Ecclesiæ Lugdunensis rationibus occurrere, vt legendo cuiuis facilè constabit. Si quid verò ampliùs ab auctore libri citati intenditur, affirmat nihilominus pag. 1179. circa medium, non renuendam esse sententiam dicentium, generaliter, & sine exceptione Christum pro omnibus mortuum esse. Aliáque multa in eodem libro esse cautè legenda, & benignè interpretanda, dicit passim Du-Vallius in annotationibus citatis. 49. *Eodem cap. 21. lib. 3. de Gratia Christi. Soluitur obiectio ex libro Ecclesiæ Lugdunensis.*



SECTIO VII.

Respondetur aliis Iansenistarum argumentis.

50. *Soluitur obiectio ex Concilio Valentino.* EODEM quoque sensu accipiendum est, quod opponitur 4. ex Concilio Valentino III. celebrato circa annum 855. cap. 4. vbi sic ait: *De redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui hac de causa exortus est, ita vt quidam etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio vsque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud Propheticum, Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum, ac docendum placet, iuxta Euangelicam, & Apostolicam veritatem, quòd pro illis datum hoc pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster dixit; sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Loquitur enim de redemptione quoad efficacem applicationem, ad hunc saltem effectum: quo pacto non profuit infidelibus illis ante Christi passionem defunctis, neque aliis perpetuò in infidelitate versantibus. Non enim Christus passus est, vt iam damnatos propter infidelitatem, ex inferis erueret: neque ad salutem æternam profuit efficaciter iam anteà defunctis, nisi iis solis, qui piè sanctéque mortui, in sinu Abrahæ detinebantur, inde per eius aduentum educendi, & ad cælestem gloriam traducendi.

51. *Et altera ex Prudentio Episcopo.* Ineptum verò est, quod addunt Apologistæ Iansenij pag. 302. Prudentium Episcopum Trecensem, scribentem Episcopis ad consecrandum Æneam Episcopum Parisiensem conuocatis, declarasse nolle se eius ordinationi consentire, nisi profiteretur, Deum non velle omnes homines saluos fieri. Pessimâ enim fide dissimulant omnes alios Episcopos Prouinciæ Senonensis, intra cuius fines tunc erat Episcopatus Parisiensis, sese Prudentio opposuisse. Et non est nouum, vnum aliquem Episcopum, imò etiam plures interdum à recto fidei tramite ad errorum anfractus deuiare. Ac si tanti faciunt Episcopum illum errantem: cur non audiunt alium resipiscentem, sibi notissimum, Marcum Antonium de Dominis, suum illum errorem, æquè ac Prudentij, & hæreticorum huius temporis, retractantem his verbis, in libro de causis suæ reuersionis ad Ecclesiam Catholicam: *Notoria est heresis Puritanorum, Christus non est passus pro omnibus.*

52. *Obiicitur Christi oblationem non potuisse esse inanem.* Opponit 5. Iansenius eodem cap. 21. Cùm non possit esse inanis oblatio mortis, & propitiationis, & orationis Christi, qui de seipso dicit Ioan. 11. *Ego sciebam quia semper me audis:* & de eodem Paulus ait Hebr. 5. quod *exauditus est pro sua reuerentia:* Fieri non potest, vt pro quo sanguinem fuderit Christus, & mortuus fuerit, & rogauerit Patrem suum, eam ob causam vt sanguis suus propitiatio peccatorum eius fieret, non assequatur istius mortis, & propitiationis, & deprecationis effectum. Et paulò pòst: Proderit illi, inquit, necessariò Christi sanguis & mors, pro quo sanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit. Et cui nullo modo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit. Eatenus autem prodest, quatenus prodesse voluit, qui aliquid inaniter velle non potuit, vt credat quidem, vel vt iustificetur, vel vt perseueret, atque saluetur, si pro illo vt credat, vel iustificetur, vel perseueret, atque saluetur, mortuus fuerit. Et post multa addit, Christum non magis orasse pro salute æterna infidelium morientium in infidelitate, vel etiam iustorum non perseuerantium, quàm pro salute ipsius diaboli. Eóque pertinere putat verba illa Christi, *non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*, Ioan. 17. & alia quædam Scripturæ loca inferiùs referenda & explicanda.

Respondeo 1. Eodem argumento vsos esse hæreticos, Caluinum in caput 17 Ioan. vbi ex verbis proximè relatis colligit Christum proprij tantùm gregis saluandi fuisse solicitum, próque electis suis duntaxat orasse: & Dordrac. Synodum, cuius ministros ita esse ratiocinatos refert Malderus Episc. Antuerp. in Antisynodicis cap. 7. *Non est verisimile Christum, cui omnis potestas in cælo, & in terra data fuit, intendere aliquid sapientissimo consilio potuisse, cuius effectum assequutus non esset. Non ergo intendit liberare, quos sciebat damnandos.* Et pag. 658. eiusdem Synodi, Ministri Embdenses affirmant Christum *pro solis ouibus suis, hoc est, electis, nequaquam autem pro hædis animam suam posuisse:* idque colligunt ex Ioan. 10. ver. 15. quo etiam loco abutuntur Iansenistæ ad eundem finem: neque vllus alius à Iansenio, vel ab eius sectatoribus profertur locus, quem non antea Lutheri, aut Caluini partiarij ad eundem finem protulerint. 53. *Idem obiiciunt hæretici.*

Respondeo 2. sicut in Deo duplex voluntas distinguenda est, vt alibi diximus num. 27. ita pariter duplicem in Christo vt homine voluntatem distinguendam esse. Vnam efficacem, & absolutam: alteram per modum desiderij conditionati ex parte obiecti, id est, exigentis ex parte alterius conditionem aliquam, cuius defectu potest non impleri. Prior semper impleta fuit: déque illa intelligendum est, quod refertur ex Ioan. 11. & Hebr. 5. De posteriori dicitur Matth. 23. *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluisti!* & cap. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Marci 7. *Neminem voluit scire, & non potuit latere.* Et hæc semper impleta non fuit, vt patet ex verbis & exemplis relatis. Talis autem fuit voluntas, quâ desiderauit, & orauit Patrem, mortémque suam illi obtulit, vt omnibus prodesset ad remissionem peccatorum, & æternam salutem consequendam: si nimirum ex parte ipsorum non deesset vsus mediorum, & auxiliorum, quæ in eundem finem, propter eiusdem Christi merita, fuerunt instituta, & parata omnibus. Quamuis autem non decuerit Christum velle quicquam efficaci, & absoluta voluntate, quod non obtinuerit; siue ab ipso solo penderet, siue etiam ab aliis: quia cùm prudentissimè vellet, non potuit velle efficaciter, & absolutè facere per seipsum id, quod non poterat: & quoad ea, quæ pendebant ab alio, habebat adiunctam infallibiliter Dei omnipotentiam ad id omne, quod 54. *Voluntas Christi duplex: absoluta & conditionata.*

absolutè efficacitérque volebat, quemadmodum personæ tantæ maiestatis erat conuenientissimum: neque sapienter intendisset absolutè, & efficaciter illud assequi, si non potuisset: secus tamen est de voluntate per modum desiderij conditionati, quæ ne quidem in Deo semper impletur. Nam Deus sine dubio vult sincerè sua præcepta seruari; quæ tamen à plerisque non seruantur. Vult conuerti peccatores, eósque ad conuersionem inuitat, & expectat: quorum tamen plerique non conuertuntur. Vult neminem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti: & tamen multi pereunt.

55. *Mors Christi profuit omnibus aliquatenus.* Respondeo 3. sicut Christi mors, & passio iuxta aduersar. prodest aliquatenus ad fidem, vel ad iustificationem illis, qui credunt, vel qui iustificantur, & non perseuerant, neque saluantur: sic, iuxta veram, & communem doctrinam Catholicorum, prodest omnibus absolutè, quatenus eius intuitu, & merito, in omni lege, naturali, Mosaïca, & Euangelica, fuerunt instituta, vel acceptata à Deo media quędam generalia salutis tam pro paruulis, quàm pro adultis: & istis data fuerunt auxilia tum pro salute propria ipsorum procuranda, tum etiam paruulorum, quorum salus cõmissa fuit solicitudini, & curæ adultorum. Ad eundémque finem valuit oratio Christi fusa generaliter pro omnibus. Nam quod Christus non pro solis electis, aut fidelibus orauerit, sed etiam pro reprobis, & infidelibus nunquam credituris, patet ex eo, quòd *pro transgressoribus rogauit,* Isaiæ 53. ver. 12. id est, pro Iudæis, & Gentilibus, à quibus spernebatur, illudebatur, variísque tormentis, & contumeliis, & tandem morte crucis afficiebatur: pro quibus etiam Patrem sic orauit, dum crucifigeretur, Luc. 23. v. 34. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Eorum autẽ aliqui sine dubio in infidelitate mortui sunt: idque meritò supponit Augustinus verbis suprà relatis nu. 46. Et certè quòd non sit tantùm redẽmptor fidelium expressè docet Apost. 1. Tim. 4. ver. 10. cùm de Christo sic ait: *Qui est Saluator omnium, maximè fidelium.* Nam particula, *maximè,* ostendit eius redemptionem non ad solos fideles pertinere, sed ad infideles extendi, vt paulò antea notauimus.

56. *Exponitur illud. Non pro mundo rogo.* Nec obest, quod opponitur ex Ioan. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Nam sermo ibi est de oratione illa peculiari, quam tunc Christus post cœnam vltimam fundebat pro solis Apostolis. Ex qua nonnisi ineptissimè potest inferri nunquam orasse pro aliis. Quod autem pro solis Apostolis, quos præsentes habebat, & alloquebatur, orauerit tunc temporis, patet ex eo, quod deinde addit, v. 20. extendens ad plures alios orationem suam: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Et ver. 21. orat *vt mundus credat quia tu me misisti.* Et sine dubio pro illis omnibus orauit, pro quorum salute in mundum venit. Atqui venit etiam pro salute infidelium, etiam illorum, qui moriuntur in infidelitate, & pereunt, vt ostendimus num. 30. ex illis Christi verbis Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nam quod nomine mundi non intelligat solùm fideles, aut electos, sed etiam infideles & damnandos, patet ex verbis immediatè sequentibus: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est.* Sicut autem reprobi, & infideles resistentes Spiritui sancto, reddunt operationem eius inefficacem: ita & Christi orationem pro eorum salute.

Neque magis obsunt alia Scripturæ loca, quæ opponuntur ex Ioan. 10. *Animam meam pono pro ouibus meis.* & Psalm. 110. *Redemptionem misit Dominus populo suo.* & Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum:* & Ioan. 3. *Exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat,* &c. & Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* Nam hæc omnia loca affirmant quidem Christum esse passum pro ouibus suis, vt non pereant, sed habeant vitam æternam: attamen non negant esse passum etiam pro aliis, neque repugnant pluribus Scripturæ locis, affirmantibus Christum esse mortuum *pro peccatis totius mundi*, 1. Ioan. 2. ver. 2. & *gustasse mortem pro omnibus*. Hebr. 2. ver. 9. & *dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus*, 1. Timoth. 2. ver. 6. & *Saluatorem esse omnium maximè fidelium*, 1. Timoth. 4. ver. 10. & *sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*, quoad sufficientiam, & intentionem Christi vt omnibus applicetur, & prosit, sicut delictum omnibus nocuit, Rom. 5. ver. 18. Ineptúmque prorsus est argumentandi genus, ex affirmatione vnius inferre negationem alterius non incompatibilis: præsertim si Scriptura vtrumque variis locis affirmat, vt in præsenti contingit. Et si valeret hoc argumentum aduersariorum, probaret Christum pro solis electis passum esse: nam illi soli non pereunt, sed habent vitam æternam: quod tamen ipsi falsum esse concedunt: fatentur enim pro quibuscunque saltem fidelibus mortuum esse, licèt ad tempus tantùm credant: & pro quibuscunque iustis, illis etiam, qui non perseuerant, & ab æterna salute tandem excidunt. Adde quòd Christus vult omnes esse suas oues, populum suum, & membra suæ Ecclesiæ. Vult enim omnibus Euangelium suum prędicari, vult omnes credere, & baptizari, vt habeant vitam æternam: vult omnes iustificatos seruare mandata, quæ iubet etiam proponi omnibus; inter quæ vnum est perseuerandi vsque in finem: & si omnia seruentur, perseueratur sine dubio. Quare Scripturæ loca citata, quibus dicitur Christum posuisse animam pro ouibus suis, venisse vt saluum faceret populum suum, & seipsum tradidisse pro Ecclesia; non aduersantur, sed potiùs fauent intentioni Christi generali saluandi omnes. 57. *Christus non est mortuus pro solis ouibus & electis.*


Nihilo magis proficit, quod obiicitur ex Apoc. 5. *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & populo, & lingua, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.* Et cap. 14. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno.* Quæ verba si eum sensum haberent, quem volunt aduersarij, valeréntque ad ostendendum Christi redemptionem ad nullos alios pertinere, id est, non extendi ad omnes, sed ad eos solos, qui de illis electi sunt vt redimerentur, quíque dicuntur esse redempti 58.


de hominibus, id est inter homines: si, inquam, ad hoc probandum valerent, æquè probarent ne quidem pro omnibus fidelibus, & pro iustis minimè perseuerantibus Christum mortuum esse. Nam ibi de solis Beatis cum Christo regnantibus in cælo, æternâque gloriâ fruentibus sermo est: imò duobus locis posterioribus sermo est de solis virginibus, qui speciali prærogatiuâ sequuntur agnum quocunque ierit. Ex quo non nisi stolidè inferri potest Christum pro illis solis mortuum esse. Neque minùs ineptè colligitur ex loco primùm citato, mortuum esse pro solis electis: cùm ibi sermo tantùm sit de redemptione quoad efficacem, & perfectam applicationem; non autem quoad sufficientiam duntaxat, & intentionem Christi vt aliis applicetur, reipsáque prosit ad salutem æternam consequendam. Quod non possunt negare aduersarij nisi sibi contradicendo. Fatentur enim redemptionem Christi pertinuisse ad alios, saltè ad omnes fideles, & ad omnes iustos quamuis non perseuerantes: vt paulò antè ipsorum verbis ostendimus, & cogimur sæpius repetere, quoniam illi ad eundem lapidem sæpe impingunt, sibíque ferè perpetuò contradicunt, plus probando quàm velint.

59. *Exponuntur alia Scripturæ loca.* Eiusdem generis est, quod opponitur ex Matth. 26. ver. 28. *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si pro multis, inquiunt, ergo non pro omnibus. Et cap. 15. ver. 24. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Ergo non est passus pro aliis. Et Ioan. 6. ver. 38. *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me Patris. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die, &c. vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Nam in primo testimonio, particula, *multis,* sumitur pro *omnibus*, id est, pro multitudine, & plebe vniuersa: sicut Rom. 5. ver. 15. *Vnius* Adami *peccato multi mortui sunt*, id est, tota multitudo posterorum. Et si strictiùs sumeretur, deberet intelligi de effusione quoad applicationem efficacem, vt suprà diximus. In secundo, Christus dicit se non venisse ad prædicandum per seipsum, & patrandum miracula, nisi apud Iudæos præcipuè: ita vt non nisi obiter, aut incidenter apud alios id fecerit, sed hoc Apostolis suis, & discipulis, eorúmque successoribus reliquerit. Ex quo inferre, pro nullis aliis missum, aut passum fuisse, ineptissimum est, & repugnans doctrinæ aduersariorum, qui non pro solis Iudæis, sed pro omni genere hominum, id est, pro aliquibus ex quacunque natione venisse, & mortuum esse volunt. In tertio dicitur solùm voluntatem Dei fuisse vt saluentur omnes quos Christo dedit: Ipséque præstet ex parte sua, quæ sunt eorum saluti necessaria: ita vt nullus eius defectu pereat. Sed non dicit illam Dei voluntatem fuisse absolutam, & efficacem: ita vt nullus eorum perierit suâ ipsius culpâ, vel defectu conditionis requisitæ ex parte creaturarum. Perperámque inde colligunt aduersarij, Deum non dedisse Christo omnes prorsus homines, quandoquidem multi eorum pereunt; sed solos electos, & efficaciter prædestinatos. Nam longè aliud est, Deum velle vt nullus pereat eorum, quos Christo dedit: & aliud, nullum perire de facto. Deus quidem id vult voluntate beneplaciti: sed quidquid Deus eo modo vult, non fit reipsa; vt multis exemplis & Scripturæ testimoniis suprà ostendimus. Et Christus ipse Ioan. 17. disertè affirmat periisse aliquos eorum, quos à Patre sibi datos acceperat: cùm loquens de duodecim Apostolis, sic ait ver. 12. *Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Sicut autem Iudas periit inter Apostolos Christo datos à Patre, tótque specialibus beneficiis affectos, & auxiliis gratiæ extraordinariis adiutos: sic multi alij pereunt inter homines vniuersim acceptos, licèt omnes Christo dati fuerint, iuxta illud Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* sed pereunt contra intentionem Christi, & contra Dei voluntatem, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Quod verò ait Aug. ep. 102. *Non perit vnus ex illis, pro quibus Christus mortuus est:* intellige, nisi velit. Loquitur enim ibi de adultis, dicitque non esse necessariam ad salutem viuacitatem intelligendi: alioqui simplices, & indocti saluari non possent. At (inquit Augustinus) non perit vnus ex illis, pro quibus Christus mortuus est, supple, ex incapacitate, & impotentia, sine sua culpa. Et verò alioqui perire aliquos, pro quibus Christus mortuus est, docet Apostolus 1. Corinth. 8. ver. 11. *Peribit in tua conscientia frater infirmus, pro quo Christus mortuus est.* Idémque docet Augustinus locis relatis num. 32. & præcipuè lib. 2. de Symbolo ad Catech. c. 8. vbi Christum in die iudicij reprobis ita loquentem inducit: *Agnoscitis latus, quod pupugistis: quoniam & per vos, & propter vos apertum est, neque tamen intrare voluistis.* Posset etiam dictum illud Augustini intelligi de iis, pro quibus Christus efficaciter mortuus est, id est cum perfecta applicatione mortis eius, & pretij salutis ipsorum. Estque obseruandum, quando aliquid volumus ad multos pertinens, sub aliqua conditione requisita ex parte ipsorum; posse vno sensu rectè dici nos illud velle omnibus, voluntate scilicet beneplaciti, quâ cupimus omnes habere eiusmodi conditionem: & alio sensu posse dici nos id non velle, nisi illis; qui habent reipsa eiusmodi conditionem: nimirum voluntate efficaci, & absoluta. Sic v. g. belli dux proponens mercedem omnibus militibus strenuè pugnaturis, vno sensu vult dare omnibus, quia vult omnes strenuè pugnare. Quia tamen non omnes strenuè pugnabunt, non vult absolutè, & efficaciter omnibus; neque dabit, nisi illis solis, qui strenuè pugnauerint. Eodem igitur modo dici potest vno sensu Christus mortuus esse pro omnibus hominibus: & alio sensu, non esse mortuus nisi pro aliquibus saluandis reipsa: & orasse similiter: & quæcunque alia Scripturæ loca videntur restringere ad aliquos redemptionem Christi, possunt ac debent simili modo intelligi.

60. *Explicatur locus Augustini.*





DISPVTATIO XXVII.

De differentia inter gratiam sufficientem & efficacem.

SECTIO PRIMA.

Referuntur, & reiiciuntur duæ priores sententiæ.

1. *Differentia Ianseniana & Caluinistica.*



PRIMA sententia est Iansenij lib. 3. de Gratia Christi Saluatoris cap. 1. vbi gratiam sufficientem in eo distinguit ab efficaci, quòd sufficiens relinquat vsum libertatis indifferentiæ, pendeátque in operando à libero consensu voluntatis, qualem fuisse dicit gratiam status innocentiæ, quam etiam vocat adiutorium *sine quo non*: Efficax autem necessitet voluntatem ad consensum, neque possit ab illa respui, si velit, aut subiaceat eius arbitrio vt operetur vel non operetur, sed illi inuictè & insuperabiliter dominetur, faciátque vt velit: ideóque sit auxilium *quo*: qualem esse vult omnem gratiam auxiliantem datam in statu naturæ lapsæ: quia cùm in eo statu carere putet homines libertate indifferentiæ, amissâ per peccatum Adæ: frustrà daretur illis gratia, quæ libertatem illam supponeret, & ab eius vsu penderet. Similique modo gratiam status innocentiæ à gratia naturæ lapsæ distinguit Caluinus in Antidoto Tridentini ad sessionem sextam, & libro quinto contra Pighium pagina 204. & libro secundo Institut. cap. 3. numero 10. & 13. cuius verba retulimus disputatione vigesima secunda, numero vndecimo & duodecimo, eadémque disputatione & sequenti distinctionem illam falsam esse demonstrauimus & erroneam.

2. *Altera differẽtia iuxta prædeterminantes.*

Secunda sententia est assertorum physicæ prædeterminationis, qui volunt gratiam efficacem esse illam, quæ physicè prædeterminat ad operandum, adeóque semper & infallibiliter obtinet effectum, quia voluntas vel alia potentia physicè prædeterminata non potest non operari, éstque impossibile vt effectus non sequatur posita prædeterminatione, siue in sensu composito cum illa. Sufficientem verò esse omnem illam, quæ non physicè prædeterminat: ideóque caret semper effectu, quia causa secunda non potest operari nisi physicè prædeterminata à prima: Et à causa indifferente & indeterminatâ non potest prodire effectus determinatus, vt ipsi philosophantur: & alioqui causa secunda non subordinaretur primæ, neque ageret dependenter ab illa. Nam vt ait Didacus Aluarez, qui hac de re fusiùs inter Thomistas, & exactiùs scripsit in Opere de auxiliis disputatione decima octaua numero tertio, vt causæ secundæ naturales producant suas operationes, necessarius est præuius Dei influxus in ipsas causas, quo ad operandum moueantur, & applicentur: quem influxum dicit disputatione vigesima tertia numero 9. esse motionem præuiam quâ Deus efficaciter applicat voluntatem creatam, vt liberè & infallibiliter operetur, sicut etiam applicat alias causas secundas, vt naturaliter operentur. Atque hanc motionem dicit ibidem numero 16. non tantùm esse moralem, sed etiam physicam, neque esse motionem solùm per modum suadentis, conciliantis, allicientis, seu quomodolibet etiam interiùs moraliter attrahentis: sed se tenere ex parte potentiæ in ipsa receptam, esséque motionem per modum causæ verè & propriè agentis, quâ videlicet verè & efficaciter Deus facit, quòd voluntas cooperetur & consentiat. Esséque hæc duo incompossibilia, quòd scilicet huiusmodi auxilium prædeterminans, sit in libero arbitrio, & liberum arbitrium non operetur actum liberum, ad quem mouet; quamuis semper possit non operari eundem actum, si velit; vt ait eadem disputatione vigesima tertia numero vigesimo tertio. Addit disputatione vigesima quinta numero secundo, cum libertate arbitrij creati, nullâ præsuppositâ scientiâ mediâ, seu conditionatâ, admittendam esse necessitatem ex suppositione absoluti, & efficacis decreti voluntatis diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis eius atque auxilij efficacis præoperantis gratiæ. Et disputatione 83. num. 12. & 17. ait congruitatem, quam gratia efficax secum affert (vi sua scilicet, & non ex præsuppositione scientiæ conditionatæ, vt paulò antè eum dixisse retulimus) talem esse vt contradictionem implicet illam aliquando deficere, & non conuerti ad Deum cor hominis, cui confertur. Licèt enim absolutè loquendo, & in sensu diuiso possit liberum hominis arbitrium dissentire vocationi efficaci: id tamen est impossibile in sensu composito. Eodémque sensu dixerat disputatione 87 numero secundo, hæc duo simul esse incompossibilia, quod auxilium efficax consideratum secundùm omnem realem virtutem quam habet, vt venit à Deo, sit in homine: & homo non cooperetur cum illo: quamuis possit, si velit, non cooperari. Et disputatione 90. numero sexto: Si loquamur, inquit, de efficacia diuini auxilij gratiæ in prima & propria significatione, quatenus videlicet importat realem & intrinsecam virtutem auxilij, per quod Deus efficit vt liberum arbitrium cooperetur, & consentiat: Dicendum est eiusmodi efficaciam non pendere ex libera cooperatione arbitrij, sed illam præuenire ordine rationis, & causalitatis. Idem disputatione 115. num. quinto hæc dicit: *Non esse de ratione aut definitione liberi arbitrij, quòd positis omnibus secundum ordinem causalitatis antecedenter prærequisitis ad operandum talem actum, possit eundem actum non operari in sensu composito, si compositio fiat inter huiusmodi prærequisita, & carentiam talis actus, seu actum contrarium. Itaque hæc duo simul sunt incompossibilia, quòd scilicet in libero arbitrio, pro aliquo instanti temporis, sint omnia antecedenter prærequisita secundum ordinem causalitatis ad*

productionem talis actus, & non producat illum, sed producat actum contrarium. Et nihilominus cum hac incompossibilitate stat simul libertas arbitrij. Probatur, quia inter prærequisita antecedenter ad concursum liberi arbitrij, vt homo producat actum (dilectionis v. g.) *enumeratur absolutum, & efficax Dei decretum, quo statuit vt liberum arbitrium producat talem actum: & auxilium efficax, quo in tempore præmouet voluntatem ad eundem actum. Sed cum prædicto decreto, & auxilio efficaci non stat simul quòd liberum arbitrium non producat illum actum dilectionis, aut eliciat actum odij contrarium.*

3. Idem cum Aluare sentiunt recentes alij Thomistæ: nisi quod aliqui dicunt physicam prædeterminationem non fieri per ens aliquod impressum causæ secundæ, sed per actum absolutum, & efficacem voluntatis diuinæ, cui resisti nequeat. Qui actus physicè, & necessariò ex hypothesi sui, trahat consequenter hîc & nunc operationem causæ secundæ. Quod ideò dicunt, ne si physica prædeterminatio sit aliquid creatum, egeat ipsa prædeterminatione, & hæc iterum aliâ, & sic abeatur in infinitum: cùm se habeat per modum causæ verè & propriè agentis, vt suprà dicit Aluares, id est, verè & propriè agat, adeòque sit verè & propriè causa: nulla autem causa creata potest agere nisi prædeterminata: quia à causa indeterminata non potest prodire effectus determinatus, vt ipsi philosophantur. Alij verò cum Aluare admittunt, præter actum illum, ens aliquod productum in creatura à Deo solo vt agente, quod similiter determinat. Item cùm Aluares extendat prædeterminationem ad actus etiam malos, quoad totam eorum entitatem & actum physicum: alij illos excipiunt, ne Deus videatur esse auctor peccati. In quo reuerentiùs quidem erga Deum loquuntur, sed minùs cohærenter iuxta suam sententiam, cùm requirant prædeterminationem propter limitationem causæ secundæ indigentis ad operandum influxu præuio, & prædeterminante causæ primæ, sine quo nequit operari: & propterea quòd à causa indifferente & indeterminata non potest oriri effectus determinatus, vt ipsi putant. Quæ duæ rationes æquè locum habent in voluntate respectu actuum malorum.

4. Contra hanc sententiam de physica prædeterminatione multa hoc loco dici possent, si luberet in præsens contra illam ex professo disputare: quibus omissis, donec Sedi Apostolicæ visum fuerit liberam dare facultatem hac de re disputandi scriptis in lucem editis; ideóque resectâ etiam *Sectione secundâ*, in qua inter cætera Anonymus quidam refutatur Auctor Opusculi de sensu Composito & Diuiso, ad tertiam sententiam accedemus, insuperhabita huius secundæ refutatione prolixiori.



SECTIO II.

Refutatur ampliùs secunda sententia.

Integram hanc Sectionem cum fine præcedentis in aliud tempus reiecimus, necnon Sectiones duodecim Disputationis XXXVI. à quarta videlicet ad decimam quintam, vt monebimus lectorem infrà suo loco pagina 600. Sufficiat modò lectorem, Theologicæ huius concertationis sedulum indagatorem, amandare ad Ludouici Molinæ, Francisci Suaris, Gabrielis Vasquis, Ferdinandi Mascarenia, Leonardi Lessij, Ægidij Coninc, Didaci de Ruis, Ludouici Maratij, Theophili Raynaudi, Francisci Annati, Petri à Sancto Ioseph Ordinis Fuliensium, & plurium aliorum Theologorum eruditissimas iuxtà ac subtilissimas lucubrationes.

SECTIO III.

Refertur tertia sententia, & improbatur.

Tertia sententia est eorum, qui volunt gratiam sufficientem in eo differre ab efficaci, quòd ista moraliter prædeterminat, illa non. Licèt enim physicam prædeterminationem nobiscum reiiciant: volunt tamen efficaciam gratiæ in eo consistere, quòd habeat vim necessitandi moraliter voluntatem ad consensum, id est, tam fortiter eam mouendi ad consentiendum, vt infallibiliter consentiat, neque moraliter possibile sit eam non consentire, quàuis habeat veram & completam potentiam physicam ad oppositum. In quo hæc sententia differt à præcedente, quæ talem potentiam excludit, hoc ipso quòd affirmat voluntatem physicè prædeterminari ad vnum, id est, ad consensum: ita vt non possit vllo modo componere dissensum cum gratia efficaci, seu dissentire præsente, & mouente auxilio talis gratiæ. In hac autem sententia gratia efficax relinquit potẽtiam physicam ad dissensum cum gratia componendum: quippe quæ tantùm suadet, & inducit moraliter voluntatem ad consensum: adeò tamen potenter vt indifferentiam moraliter auferre, seu notabiliter minuere videatur. 23. *Tertia differentia, quòd gratia efficax moraliter prædeterminet.*

Dupliciter autem explicatur ab eius auctoribus hæc sententia. Aliqui enim volunt moralem hanc necessitatem ex eo esse, quòd gratia præueniens liberum consensum, quæ vocatur auxilium efficax, sit adeò vehemens voluntatis motio, vel tam clara mentis illuminatio, vt infallibiliter consensum obtineat, sitque moraliter impossibile cuilibet homini ita præuento, dissentire. Contrà verò, auxilium sufficiens esse gratiam præuenientem adeò debilem & remissam, vt nullus ita præuentus consentiat, sitque infallibiliter, & morali quadam necessitate non consensurus. Alij dicunt efficaciam gratiæ consistere in proportione, attemperatione, & congruitate quadam auxilij cum voluntate hominis taliter affectâ, vt infallibiliter sequatur consensus, neque possit moraliter non sequi, si voluntas in his circumstantiis tali gratiâ præueniatur. Hæc autem hominis affectio & dispositio sumitur ex naturali eius complexione, & ingenio siue indole, atque etiam ex affectibus anticipatis gaudij, tristitiæ, spei, metus, & similibus, quauis occasione ortis: & ex circumstantiis lo- 24. *Dupliciter explicatur.*

ci, temporis, personarum, &c. Itaque iuxta hunc explicandi modum, auxilium non dicitur efficax ratione suæ entitatis solius, quæ tantæ sit virtutis, vt consensum infallibiliter obtineat, & moralem necessitatem inducat: sed dicitur efficax ratione illius proportionis, & contemperationis cum hominis dispositione; quia scilicet præuenit hominem eo modo, quo hîc & nunc facilius est eum mouere ad consensum; quóve tam potenter mouet, vt homini sic affecto, & disposito, sit moraliter impossibile resistere, id est, summè difficile, & adeò, vt nullus vnquam sic affectus resistat. Ita docet Ferdinandus Mascarenias in tract. de auxiliis disp. 3. parte 4. Petrus à S. Ioseph Fuliensis in tract. de suaui concordia, & quidam alij recentiores.

25. *Impugnatur multipliciter.* Quocunque modo hæc sententia explicetur, displicet primò, quia cùm homo nunquam sine gratia efficaci consentiat ad actus salutares; sequeretur hominem nunquam consentire sine eiusmodi vehementi motione, tam potenter vrgente, vel vi suæ entitatis duntaxat, vel in talibus circumstantiis, vt moraliter impossibile sit ei resistere: quod est contra experientiam; cùm multi sæpe leui occasione flectantur. Secundò, Trident. sess. 6. cap. 5. definiens hominem non nihil agere recipientem Dei inspirationem, & posse illam abiicere; & can. 4. anathematizans eum, qui dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, neque posse dissentire si velit: Concilium, inquam, loquitur non de potentia tantùm physica, sed de potentia morali, quæ sæpe reducatur ad actum. De huiusmodi enim potentia solent loqui Concilia, præsertim in rebus moralibus; eámque indicat particula, *si velit*, secundùm modum loquendi communem, & vsitatum accepta. Et confirmatur: quia idem Concilium sess. eadem can. 23. definit non posse hominem iustificatum totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare nisi ex speciali Dei priuilegio. Hoc autem sine dubio intelligit de potentia morali: nemo enim peccat venialiter sine potentia physica ad oppositum. Ergo quando definit posse liberum arbitrium dissentire si velit, loquitur similiter de potentia morali. Quocirca auxilia, quæ ob consensum præstitum vocantur efficacia, non sunt talia generatim, vt voluntas moraliter resistere, & dissentire nequeat, reddereque inefficacia in actu secundo. Tertiò, si tanta motio, & excitatio necessaria est moraliter ad conuersionem: ergo qui minorem recipiunt, non habent auxilium moraliter sufficiens: atque ita quotquot non conuertuntur, carent auxilio sufficienti moraliter ad conuersionem, éstque illis moraliter impossibile vt conuertantur. Vnde huiusmodi querimonia, & exprobratio metaphysica esset, non moralis, & rationabilis, quod absit: *Quid est, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci, &c.* Isaiæ 5. Possent enim meritò Iudæi respondere: Debebas nobis dare auxilium moraliter sufficiens; non autem tale, cum quo fuit moraliter impossibile conuerti, & quo præuentus nemo conuerteretur. Quomodo expectasti vuas ab iis, quibus impossibile moraliter fuit non ferre labruscas?

26. *Repugnat Scripturæ.* Vana item esset illa Christi admiratio, *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, &c.* Matth. 23. Quid enim mirum, si noluerint id, quod summè difficile, & moraliter impossibile erat velle: adeò vt nullus tali modo præuentus vellet: Neque fuit tam eximius Christi affectus erga Ierusalem, quàm præ se fert illa comparatio cum gallina pullos sub alas congregante, si Christus tam languidè, & incongruè filios eius ad se vocauit, vt moraliter illis impossibile fuerit venire. Quomodo autem Christus fleuit supra Ierusalem, sicut Lucæ 19. narratur fleuisse; si illam tantùm præuenit, & iuuit iis auxiliis, cum quibus erat moraliter impossibile vt saluaretur? Vanæ item erunt, & irrationabiles illæ Christi comparationes, & exprobrationes, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Poterant enim meritò dicere, Domine, si Tyrij & Sidonij fuissent tali auxilio præuenti, nunquam essent conuersi. Da nobis par auxilium, & conuertemur. Denique Christus verbis illis Matth. 12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio, &c. & ecce plusquam Ionas hic*, significat Iudæos plus opis habuisse ad conuersionem, quàm Niniuitas, & potuisse faciliùs conuerti. Neque esset iusta comparatio, si Niniuitæ habuerunt auxilium cum quo erat moraliter impossibile non conuerti: Iudæi verò, auxilium cum quo erat moraliter impossibile conuerti.

Neque dicas Christum nihilominus meritò exprobrare, quia ipsi fuerunt causa talis dispositionis. Nam iuxta hanc sententiam, vt fuerint causa, debuerunt carere auxilio efficaci, & habere tantùm sufficiens, cum quo fuit moraliter impossibile aliter disponi. Quia scilicet debuerunt esse causa culpabiliter aliquo actu suo malo, vel omissione libera, vnde secuta est mala illa dispositio. Atqui vt esset actus ille malus, aut omissio, debuerunt carere auxilio efficaci ad nõ peccandum: & habere tantùm sufficiens, cum quo moraliter impossibile fuit non peccare. Adde quòd Deus immediatè exprobrat, quòd non consenserint vocationi; & non tantùm, quòd obicem vocationi congruæ posuerint: Prouerb. 1. *Vocaui & renuistis*, &c. Adde etiam quòd illud auxilium, quod est tale, vel ratione suæ solius entitatis, vel ratione proportionis cum dispositione hominis, vt habeat vim obtinendi cõsensum infallibiliter, sitque illud infallibile antecedenter, & non tantùm ex hypothesi consensus futuri per scientiam mediam præcogniti: tale, inquam, auxilium videtur repugnare exercitio libertatis: quia necessitat ad cõsensum. Nisi enim necessitaret, incredibile est fore vt semper & infallibiliter voluntas consentiat, ita vt planè in nullo casu dissentiat in tanto numero vocationum, & operationum. Maximè verò cùm, iuxta aliquos auctores huius sententiæ, certitudo diuinæ prædestinationis factæ antecedenter, & omnium prædefinitionum, fundetur in eiusmodi infallibilitate Ex quo fit, vt quã est impossibile Deum non falli in suis decretis absolutis, tam sit infallibile sequi consensum ex tali auxilio antecedenter se habente ad illũ. Atqui est impossibile non moraliter tantùm, sed etiam metaphysicè & simpliciter, Deũ falli. Ergo est quoque metaphysicè & simpliciter impossibile nõ sequi consensum ex tali auxilio. Ergo illud auxilium inducit necessitatẽ antecedentem, 27. *Refutatur euasio.*

non moralem tantùm, sed metaphysicam & absolutam: adeóque repugnat libertati, quia tollit indifferentiam voluntatis, & potentiam ad oppositum.

28. *Inducit gratiam necessitantem, & excludit sufficientem.* Quare hæc sententia incidit in vtrumque incommodum, quod præcedenti obiecimus: nimirum quòd pro gratia efficaci necessitantem inducat, & gratiam sufficientem è medio tollat, assignans pro gratia verè sufficiente gratiã planè insufficientem. Quod de morali insufficientia manifestissimum est: & ampliùs cõfirmatur, quia cum tali gratia sola, est moraliter impossibile benè operari. Dicitur enim esse moraliter impossibile id, quod adeò difficile est, vt nemo illud faciat. Quare sicut prior sententia negat dari auxilium physicè sufficiens: ita hæc negat euidenter dari sufficiens moraliter. Quorum vtrumque alienum esse mihi videtur à sincera Dei voluntate saluandi omnes homines, & eos præcipuè, quos per gratiam sanctificantem iam in filios, & regni sui hæredes adoptauit: miniméque consentire cum supradictis Scripturæ protestationibus, *Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? An quia expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Isaïæ 5. ver. 4. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti!* Matth. 23. ver. 37. Numquid enim responderi iure posset agricolæ, vel domino vineæ, qui sic loqueretur: Frustra expectasti vt faceret vuas, adhibitâ tantùm eâ culturâ, cum qua neque vnquam vlla alia vinea ab orbe condito fructum tulit, neque physicè, aut moraliter possibile erat vt ferret: & debebas aliquid vltrà facere, vt prudenter & rationabiliter fructum ab illa sperares? An verò etiam cõuenit tanto desiderio congregãdi filios Ierusalem, & affectui tam solicito, qualis est affectus gallinæ erga pullos suos, vocare tantùm, & iuuare iis auxiliis, quibuscum physicè, aut moraliter impossibile erat eos congregari, nec quisquam hominum ita præuentus & vocatus, congregare volenti se adiungeret?

SECTIO IV.

Proponitur quarta sententia, & impugnatur.

29. *Quarta differentia petita ex solo euentu.* REIECTIS tribus sententiis huc vsque explicatis, sunt qui existiment gratiam efficacem non distingui à sufficiente nisi penes euentum: nimirum quia illa sortitur effectum propter cõsensum liberum voluntatis: ista verò caret effectu propter eius dissensum. Putant enim efficaciam gratiæ nihil ipsi addere præter extrinsecam denominationem ab effectu, quia de facto volũtas cum illa conuertitur, seu consentit. Vnde negant auxilium esse ex se efficax (nisi eo sensu, quo *efficax* dicitur habens vim efficiendi, quod omni auxilio sufficienti commune est) sed accedente tantùm consensu libero voluntatis, à quo pẽdet vt auxilium sufficiens fiat efficax, id est, habeat effectum. Indéque inferunt auxilium sufficiens, & auxilium efficax non differre inter se antecedenter, & in actu primo, generatim loquendo: sed tantùm consequenter, & in euentu, siue in actu secundo. Quod præcipuè probant, quia licèt vox illa, *efficax*, significet aliquãdo specialem virtutem causæ, & energiam antecedentem ad effectum; vt quando medicina dicitur efficax, quia virtutem sanandi habet: sæpe tamen nihil aliud significat, quàm causam reipsa operantem. Vt quando oratio dicitur efficax, quia reipsa impetrat id, quod petit: inefficax verò quia non impetrat. Quo sensu Ecclesia in oratione quadam officij diuini precatur, *vt quod fideliter petimus efficaciter consequamur*; & pro fidelibus postulat, *vt in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces.* Supposito autẽ quòd vox *efficacis*, possit eo sensu accipi, probant per auxilium efficax nihil aliud debere intelligi, quàm auxilium reipsa habens effectum, absque alia differentia in actu primo: *Præcipuum illius fundamentum.* quia sic meliùs saluatur libertas, & nihil aliud necessarium est ad differentiam eorum, qui consentiunt auxilio, & eorum qui non consentiunt: cùm voluntas pro sua libertate possit auxilio de se efficaci cooperari, vel repugnare, prout voluerit: & Scriptura satis declarat idem auxilium similiter omnino antecedenter se habens ad diuersos, aut aptiùs ad vnum, quàm ad alium, non habere effectum in eo, ad quem æqualiter, aut meliùs se habet; & habere in alio, ad quem minùs bene, vel non meliùs: vt Matth. 11. v. 21. & c. 12. ver. 41. & seqq. vbi nisi omnia antecedentia consensum, vel dissensum liberum, supponãtur saltem æqualia; vana est Christi exprobratio, & querela. Ineptè enim exprobratur alicui, si non faciat cum minori auxilio, quod alius cum maiori facit. Quòd autem gratia se sola non sit efficax, & sine concursu liberi arbitrij, non est tribuẽdum imperfectioni gratiæ, quæ non datur vt sit principium consensus in omni genere: qui consensus cùm sit actus vitalis & liber, pendet essentialiter, vt talis, à potentia vitali & libera; sed datur, vt principium adiuuans liberum arbitrium ad cooperandum, si velit. Vnde fit vt auxilium gratiæ, quod de se est efficax in actu primo, id est, vim & efficacitatem habens, desinat esse efficax in actu secundo, solùm ex defectu, & potestate liberi arbitrij: quod cũ nihil supernaturalis boni possit per se solum agere; potest tamen tale bonum impedire, & diuinæ gratiæ resistere: idque non prouenit ex impotentia diuinæ gratiæ, sed ex suauitate prouidẽtiæ diuinæ, quæ ita mouet creaturam liberam, vt eam liberè agere patiatur, prout vult. Hæc sententia tribuitur Molinæ in Concordia ad quæst. 14. art. 13. disp. 40. & ad quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. & Lessio in disp. de grat. c. 10. num. 9.

30. *Impugnatur ex Augustino.* Hæc opinio displicet in eo, quòd gratiam efficacem à sufficiente non distinguit nisi penes euentum: nullámque aliam differentiam eo nomine significari contendit, nisi quòd vna operetur, altera non. Puto enim hanc sententiam esse alienam à mente SS. Patrum, præcipuè D. Aug. ex quo gratiæ efficacis nomen & doctrina præcipuè desumpta fuerunt. Quippe qui aliquid amplius intendit, cùm loquens de gratia efficaci, eam vocat altam, secretam, & secundùm Dei propositum: & ait, omnes, qui ita audiunt à Patre, venire ad Christum; eámque vocationem à nullo duro corde respui: vt loquitur epist. 107. ad Vitalem, & lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. Quibus & similibus locis D. August. gratiam efficacem constituit in quadam vocatione, quâ Deus hominem ita vocat, & in illo ita operatur, vt illum operari & consentire faciat. Nimirum quia dat illam eo tempore, & modo, quo nouit esse profuturam, & obtenturam consensum, vt ipsemet

exponit lib. 1. ad Simplician. q. 2. cuius verba referemus paulò pòst.

31. *Augustinus efficaciam ponit in congruitate.* Præterea idem Augustinus lib. de spirit. & lit. c. 34. miratur vt altum, & secretum mysterium, quòd Deus vnum ita vocet vt consentiat, alterum non. At nulla esset admirationis ratio, si gratia solùm efficax diceretur ex cooperatione voluntatis, & Deus planè indifferenter se haberet ad vtrumque, ita vt neutri maius beneficium antecedenter vllo modo conferret. Quærenti enim, cur ex duobus æqualiter vocatis vnus consentiat, alter non? aptè responderetur, & facilè, nullam aliam causam esse, nisi quia vnus reddidit gratiam efficacem suo consensu: alius verò id facere neglexit: nihilque aliud ibi subesse mysterij. Augustini verba sunt, *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadetur* vocatione diuina; *vt persuadeatur: illi autem non ita? Duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: ô altitudo diuitiarum, &c. Rom. 11. &, Numquid iniquitas apud Deum? Rom. 9. Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.* Et lib. de Bono perseuerantiæ cap. 14. gratiam efficacem congruam vocat, quia datur eo tempore, vel modo, quo Deus nouit fore opportunam, & profuturam. Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Non volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Nam cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere vt vocationem non respuat.* Et epistola 107. dicit Deum per illam vocationem altam, & secretam, sic agere sensim, vt accommodet assensum.

32. *Gratia efficax est maius beneficium.* Denique negari nequit aliquid esse discriminis inter auxilium sufficiens, & efficax; ratione alicuius beneficij moralis ob talem modum eligendi, & distribuendi auxilia, eâ occasione, eòque tempore, & alijs circumstantijs, quibus Deus præscit consensum habitura, & dat ex intentione, & affectu obtinendi consensum. maior enim congruitas vniuersim asserenda non est. Quæ differentia est partim antecedens, partim etiam consequens. Est enim consequens, quatenus præscientia diuina est ratione posterior consensu futuro. Ideo enim Deus præscit conditionatè consensum esse futurum, si ponatur talis conditio; quia consensus esset reipsa futurus, si conditio illa poneretur. Et ideo præscit absolutè consensum esse futurum; quia voluntas reipsa ponetur in talibus circumstantijs, & consentiet. Est verò antecedens, quatenus Deus præsciens per scientiam mediam tale auxilium esse profuturum si daretur, & aliud non esse profuturum: nulla data occasione ex parte creaturæ cur hoc potiùs, quàm illud eligeret, adeóque antecedenter, & à seipso, id est, ex suo beneplacito, elegit auxilium profuturum, præ alio non profuturo. In quo magis & specialiter benefecit ei, cui tale auxilium destinauit. Et posita tali electione, futurum fuit infallibiliter vt ille consentiret: quemadmodum ampliùs explicabitur, & confirmabitur sectione sequenti.



SECTIO V.

Resolutio quæstionis: & vera differentia inter gratiam sufficientem, & efficacem.

DICO igitur, nomine gratiæ efficacis, prout specialiter sumitur, & distinguitur à sufficiente, significari vltra vim efficiendi communem vtrique gratiæ, atque etiam vltra euentum, seu effectum, speciale Dei beneficium, & connexionem infallibilem cum effectu, in eo consistentem, quòd Deus infinitâ suâ sapientiâ præuidens quid vnaquæque creata voluntas in omni euentu, & occasione operatura sit, si in ea constituatur, atque ita cognoscens cui vocationi voluntas, si eâ præueniatur, assensum præbitura sit: ex intentione, & proposito, seu desiderio conuertendi hominem, & consensum eius liberum obtinendi, gratiam illi dare constituit eo tempore, & modo, quo consensum habituram esse præsciuit: intendens vt haberet, & approbans quòd habitura esset, in eòque sibi complacens quòd ita euenturum esset. In quo specialiter & meliùs ei prouidit, quâ illi, cui præsciens non profutura hæc vel illa auxilia, tali tempore, vel modo collata; statuit nihilominus hæc dare, & non alia, nec aliter: quamuis non sic statuerit, quia præuidit non profutura, sed potiùs omnium salutem per se intenderit: ita tamen, vt quod in contrarium ex culpa creaturæ præsciuit euenturum, voluerit permittere, aut noluerit efficaciter, & absolutè impedire. Ex quo etiam fit, vt tale auxilium, datum cum tali præscientia, non modò habeat vim operandi, sicut habet sufficiens: sed etiam habeat connexionem determinatam & infallibilem cum effectu: adeóque sit speciali quodam modo efficax. Quamuis enim non sit ex se solo intrinsecè efficax hoc sensu, id est, vis eius non sit talis, vt sit de se habitura consensum infallibiliter: tamen vt subest scientiæ conditionatæ consensus futuri, si detur, & ab illa denominatur præscitum habiturum effectum; est infallibiliter connexum cum effectu; & est tale, vt illo dato sequatur consensus infallibiliter. 33. *Quid sit gratia efficax?*

Ita de differentia inter auxilium efficax, & sufficiens, sentiunt nobiscum Herice 1. p. disp. 7. cap. 5. & disp. 23. cap. 9. Præposit. ibid. q. 22. art. 4. dub. 4. num. 44. & seqq. Alarcon tract. 4. de Prædestinat. disput. 1. capite 6. à num. 70. Becan. in Opusc. de auxilijs gratiæ secundùm Catholicos, Mærat. disp. 6. de Gratia sect. 18. & 20. Franciscus Gonçales disp. 2. in lib. 2. Physic. & alij, qui dicunt auxilium efficax differre à sufficiente ante actualem operationem, per ordinem ad scientiam Dei, conditionatam, quâ præuidetur habiturum esse effectum, si detur tali tempore, & modo: Vnde licèt in se formaliter, & physicè non sit diuersum: est tamen moraliter diuersum, & inæquale in ratione beneficij, & efficaciæ specialis, prout subest huiusmodi scientiæ conditionatæ, à qua denominatur cognitum habiturum effectum, & cum qua datur tali modo, vt infallibiliter illum obtineat, cum complacentia voluntatis diuinæ, & intentione vt obtineat. Neque puto negari prorsus hoc discrimen à Molina, & Lessio in contrarium cita- 34. *Auctores sic eam definientes.*

tis

tis num. 29. Nam potiùs Molina videtur illud præsupponere citat. quæst. 23. disp. 1. memb. 11. §. *Quòd si nomine effectus,* alibique sæpiùs: cùm enim sæpissimè recurrat ad scientiam mediam, & illâ vtatur vt explicet Deum conferre maius beneficium illi, cui dat auxilium, quod præscit operaturum, quàm alteri, cui dat præsciens non operaturum; & hoc donum oriri ex speciali prouidentia Dei, & misericordia antecedente ad operationem: omnino agnoscit differentiam antecedentem, qualem asserimus. Illius quoque mentionem facit Lessius lib. 14. de Perf. diuin. cap. 2. num. 53. vbi sic ait: *Verùm, quia Deus per scientiam conditionatam sciebat per quam gratiam quisque esset perseueraturus, & per quam non perseueraturus: quisque singularis beneficij loco ducere debet, si eam gratiam à Domino accipiat, per quam sciebatur perseueraturus: cùm Deus aliam illi dare potuisset, per quam nouerat non perseueraturum. Idem dicendum de conuersione, & aliis bonis operibus. Vnde hanc gratiam semper petere debemus.* Huc vsque Lessius.

35. *Quomodo est maius beneficium?* Porrò in eo esse maius beneficium, non modò si gratia præuisa vt habitura effectum, detur, quia præuisa, & ex intentione antecedente efficaci, & absoluta obtinendi effectum, obligante ad electionem talis auxilij, vt multi volunt: verùm etiam licèt detur ex voluntate solùm conditionata effectus, & non quia præuisa, neque minùs danda licèt contrarium præuideretur: cum affectu tamen obtinendi effectum, & complacentiâ in eo, quòd præuidetur obtinendus; vt nos probabilius existimamus: in eo, inquam, maius esse beneficium, seu gratiam efficacem semper esse quodammodo maiorem gratiam in ratione gratiæ, & beneficij, quàm inefficacem, Probatur primò ex communi omnium iudicio: quia nemo est qui non existimet illud donum semper esse maius in ratione doni, ac beneficij, quod quis omnibus ritè perpensis prudenter anteponeret alteri, mallétque sibi conferri. Nemo autem non mallet conferri sibi gratiam illã, cui consensurus est. Secundò, quia gratia illa est maius beneficium, quæ futura est vtilior, & datur præuisa vt talis, cum affectu vt ita prosit. Quantitas enim beneficij non est solùm æstimanda ex physica illius entitate; sed etiam ex circumstantiis, & specialiter ex vtilitate, quam reportat is, cui confertur. Nam, vt rectè ait D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 5. & 6. & ex Seneca tradit, beneficij quantitas non ex sola rei magnitudine, sed maximè ex animo donantis attenditur; itémque ex opportunitate, & occasione, in qua donum confertur: sicut eleemosyna rei minutæ solet ex circumstantiis magna censeri, vt ait idem S. Doctor 2. 2. q. 32. art. 4. ad 3. Tertiò denique, quia illud est maius beneficium in ratione doni, & beneficij, in cuius collatione Deus magis miseretur. Maior enim misericordia maius beneficium est. Atqui Deus magis miseretur eius, cui dat gratiam præuisam habituram effectum, si detur. Quod adeo verum est, vt S. Augustinus, & Prosper absolutè dicant Deum illius solius misereri, cui dat gratiam efficacem: vt ostendit Mæratius disp. 6. de gratia, sect. 10. adductis pluribus eorum testimoniis ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. & lib. de Præd. Sanct. cap. 6. & 8. & lib. ad Excerpta Genuensium, responsione 4.

36. *Et maius etiam formaliter.* Neque obiicias, esse quidem maius beneficium materialiter, quòd Deus det auxilium reipsa profuturum: sed non esse maius formaliter, si non det quia profuturum est, sitque daturus perinde, quamuis non esset profuturum: sicut enim vt voluntas habeat specialem rationem honestatis, non satis est velle, quod honestum est, nisi etiam velimus, quia honestum est: ita vt electio talis auxilij habeat formaliter rationem specialis fauoris, & beneficentiæ, non satis est dare, quod reipsa futurum est fauorabilius, id est, quod reipsa proderit: nisi etiam detur, quia tale est. Respondeo enim, vt sit maius beneficium, etiam formaliter, sufficere quòd detur cum affectu complacentiæ circa ipsum vt profuturum, & præuisum vt tale per scientiam conditionatam: quamuis non detur quia præuisum, & alioqui non dandum nisi præuideretur esse profuturum. Quemadmodum enim sufficit affectus complacentiæ circa honestum, quà tale, ad dandam actui honestatem aliquam: ita sufficit affectus complacentiæ circa maiorem vtilitatem auxilij, vt detur formaliter tanquam maius beneficium.

Instabis, quia complacentia circa obiectum honestum, quà tale, non sufficit ad dandam honestatem aliquam actui, qui nullo modo pendet à tali complacentia. Ergo complacentia Dei circa futuritionem actus, vel circa vtilitatem auxilij, nullo modo ab ipsa pendentem, vel circa ipsum auxilium, in quod nullo modo influit, sicut nec in decretum illud dandi: hæc, inquam, complacentia non sufficit vt propter eam dicatur auxilium dari tanquam maius beneficium formaliter. Item, vel habet Deus huiuscemodi complacentiam circa omnes consensus conditionatè futuros: vel tantùm circa eos, qui reipsa futuri sunt. Si primum: consequenter dicendum est illam non esse liberam, sed sequi naturaliter scientiam mediam: sicut similis complacentia circa obiecta possibilia sequitur scientiam simplicis intelligentiæ. Et hoc posito, cùm aliunde hæc complacentia non sit actiua, nec habeat rationem intentionis: non apparet quomodo ex ea peti possit ratio specialis beneficij erga consentientem. Certè, nec minores, nec pauciores habet Deus eiusmodi complacentias circa Iudam, quàm circa Paulum; qui ambo, prout obiiciuntur scientiæ conditionatæ, & complacentiis, quæ illam sequuntur, sunt æquales: & istæ complacentiæ non sunt vtiliores Paulo, quàm Iudæ. Quomodo ergo potest in eas refundi excessus beneficij formaliter maioris? Si autem agatur de complacentia speciali, quæ feratur in consensum reipsa futurum, vel illa est antecedens, vel est concomitans, aut subsequens. Primum dici non potest, quin incurrantur omnes difficultates Prædefinientium. Secundum non est ad rem: nam euidens est collationem gratiæ non induere rationem beneficij formaliter maioris, ex aliqua complacentia, quæ per accidẽs se habeat ad ipsam collationẽ, vel eã subsequatur. 37. *Grauis obiectio.*

Ad priorem partem huius obiectionis respondeo, complacentiam circa obiectum honestum, quà tale, sufficere ad dandam honestatem aliquam non modò actibus ab ipsa pendentibus; sed & ipsimet actui, quo placet, & acceptatur honestas quà talis: ita vt actus ille sit formaliter honestus, eò quòd versatur circa honestum, prout honestum est. Similique modo complacentia circa gratiam profuturam, præuisam vt talem, & datam cum tali præuisione ex 38. *Soluitur prima eius pars.*

intentione effectus, & cum complacentia quòd profutura sit, sufficit vt gratia tali modo collata, & spectata cum huiusmodi adiunctis, dicatur dari vt maius beneficium: id est, facit vt beneficium, quod est maius materialiter, quia vtilius futurum est; spectetur formaliter vt maius, quatenus datur cum cognitione, & affectu versante circa illud, prout vtilius & melius.

39. *Satisfit posteriori.* Ad posteriorem respondeo, sermonem hîc esse de complacentia circa consensum reipsa futurum. Quæ complacentia, licèt antecedenter non se habeat ad collationem beneficij, quia non est causa cur istud præ alio eligatur: tamen facit vt beneficium cum ipsâ collatum, censeatur esse maius, non solùm materialiter, quatenus reipsa vtilius futurum est: verùm etiam formaliter quodammodo, prout subest præuisioni, & complacentiæ de euentu futuro, siue de eo, quod vtilius futurum sit: datúrque à Deo ratione priùs cognoscente per scientiam mediam, quod sit vtilius futurum, & eligente illud cum complacentia circa talem euentum. Qui enim dat aliquid alteri profuturum, meritò censetur illi benefacere specialiter, si dat sciens, & volens vtilitatem ex eo sequuturam; tametsi hæc scientia, vel complacentia, non sit causa cur det, sed concomitanter se habeat. Si, inquam, scienter & liberè sic eligit, ita vt posset eligere aliud præscitum minimè profuturum, & permittere vt non prodesset. Nam quisquis rectè æstimauerit, meritò iudicabit se specialiter esse obligatum ob talem electionem, magis sibi fauorabilem: præsertim in negotio tanti momenti, quanti est salus æterna. Et licèt culpâ ipsius futurum esset, vt non prodesset aliud auxilium, si eligeretur: Deo tamen debet, quòd tale auxilium non elegerit, præsciens abusum futurum; sed aliud habiturum meliorem euentum, ex quo euentu salus eius pendebat.

40. Dico itaque, tametsi Deus non eligat, neque det gratiam efficacem vt profuturam, & quia profuturam, quemadmodum rectè docent Valentinus Herice 1. p. disp. 23. c. 8. nu. 92. Lessius non modò in tract. de grat. & in disp. de Præd. sed & in opere longè pòst edito, magnâque omnium approbatione recepto, de perfectionibus, moribúsque diuinis, lib. 14. cap. 2. num. 53. Præpositus, Alarcon, Becanus, & Gonçales locis suprà citatis: sicut neque sufficientem tantùm elegit reprobis, vt non profuturam, & quia non profuturam: quod sine magna absurditate, & blasphemia contra Dei bonitatem dici nequit: habet nihilominus affectum voluntatis erga gratiam efficacem, quà profuturam, & quia profuturam: nimirum affectum complacentiæ de eo, quòd reipsa proderit, quódque positâ eius electione, scientia conditionalis de effectu vi illius futuro, transit in absolutam. Eligénsque cum eiusmodi affectu complacentiæ, magis bene vult, & maius beneficium non tantùm materialiter, sed etiam formaliter confert, in eo quòd talem gratiam eligit. Estque aliquo vero, & proprio sensu hoc beneficium antecedens, non quidem scientiam conditionalem (neque enim potuit Deus ante scientiam conditionalem eligere auxilia, præsciens esse profutura si daret: neque etiam hoc intendunt Suares, Arrubal, Didacus Ruis, & alij nobis hac in parte aduersantes, ceterique prædefinitionum assertores, exceptis prædeterminantibus) sed est antecedens, qua- *Quomodo beneficium illud est antecedens.* tenus, vt iam alibi diximus, Deus perfectissimè intelligens omnes series rerum possibiles, omnémque ordinem rerum, circumstantiarum, & auxiliorum possibilium, tum in hac rerum serie, quæ nunc est, tum in qualibet alia: cognoscens etiam per scientiam mediam, quid ex parte creaturarum liberè futurum esset, si hunc, aut illum ordinem eligeret, & hæc aut illa auxilia, ipsásque creaturas rationales in his, aut illis circumstantiis constitueret: elegit hanc seriem, & hunc ordinem rerum, auxiliorum, & circumstantiarum, in quo præuidit fore, vt effectum haberent; præ alio, in quo præsciebat futurum fuisse vt non haberent, si eligeretur. Elegit, inquam, quia sic illi placuit, potens eligere contrarium, si voluisset: neque ad id proximè, vel saltem remotè obligatus, aut inductus vllo merito creaturarum, vel occasione ab illis data, sed ex mero suo beneplacito.

SECTIO VI.

Inferuntur quædam ex dictis: & respondetur argumentis contrariis.

Ex his sequitur primò, differentiam inter gratiam efficacem, & inefficacem, non esse physicam, sed moralem; neque esse spectandam in ipsa vocatione secundùm se, vel secundùm illam entitatem, aut motionem, quam ponit in homine formaliter: sed prout procedit à Deo, & est sub intentione, & præscientia ipsius. Inde enim hæc gratia dicitur efficax specialiter, quia licèt non habeat ex se infallibiliter effectum; tamen vt subest Dei præscientiæ, est illum habitura infallibiliter. Vnde D. Aug. lib. de Bono perseuer. cap. 14. hanc vocationem pertinere ait ad ea beneficia, *quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* 41. *Differentia gratiæ sufficientis, & efficacis est tantùm moralis.*

Secundò, sequitur hanc differentiam non dici antecedentem, quasi antecedat consensum, & actum secundum sub conditione præscitum; sed tantùm, quatenus ante actum secundum absolutè futurum, Deus ex se, ac pro suo mero beneplacito, & eatenus etiam antecedenter ex parte voluntatis, eligit gratiam, quam per scientiam mediam præscit habituram effectum, si tali modo detur, eámque gratiæ congruitatem approbat speciali affectu erga eum, quem sic præuenit, & maiori eatenus, quàm erga alium, quem præuenit gratiâ præuisâ vt non habiturâ effectum, si detur in talibus circumstantiis, nolens quidem, sed permittens abusum. Dicitur enim voluntas antecedens vno sensu, illa, quam Deus habet à seipso, id est, ex suo mero beneplacito, non accepta occasione ex parte creaturarũ. Nulla autem occasio ab illis accepta eum mouit, vt ex multis possibilibus rerum, & mediorum seriebus hanc potiùs quàm illam eligeret vniuersim loquendo. 42. *Gratia efficax quomodo maneat antecedenter.*

Tertiò, sequitur hanc sententiam nostram mediam esse inter duos errores extremè oppositos: alterum Pelagij negantis gratiæ necessitatem ad opera salutis: alterum Caluini, Lutheri, & Iansenij, negantium libertatem arbitrij in operibus gratiæ. Per eandémque facilè explicatur, quomodo sit in hominis potestate vt ipsi detur auxilium efficax: quatenus potest efficere vt auxilium, quod ei datur, sit præuisum habiturum effectum. Præscientia enim diuina 43. *Quomodo pendet à nobis, vt gratia data sit efficax?*

circa futura libera, præsupponit ratione prius obiectum esse futurum. Et ideò Deus præscit absolutè, aut conditionatè, aliquid esse liberè futurum, quia liberè futurum est reipsa absolutè, aut sub conditione.

44. *Quomodo est alta, & secreta?* Quartò, hinc optimè intelligitur quomodo, & in quo consistat altum, & profundum mysterium diuinæ electionis, quod S. August. locis suprà cit. ad hanc vocationem congruam reuocat: quam propterea dicit *altæ, & profundæ ordinationis esse, siue in singulis hominibus, siue in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operetur*, vt ait lib. 83. quæst. q. 68. Cùm enim posset Deus vocationem congruam dare pluribus hominibus, dedit paucioribus: & interdum dat vni vocationem, quæ illi congrua futura non est; negat autem illi, cui futura esset accommodata, si ei data fuisset: vt Christus ipse de Tyriis, & Sidoniis affirmauit Matth. 11. Præterea ex duobus æquè dignis, vel æquè indignis, alteri datur vocatio congrua, alteri non datur. Et hoc est mysterium, de quo Paulus Rom. 9. loquitur, cùm sic ait: *O homo! Tu quis es, qui respondeas Deo?* & cap. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* iuxta interpretationem D. Augustini.

45. *Satisfit argumentis contrariis.* Argumenta verò contrariæ sententiæ suprà relata num. 29. tantùm probant, quod vltrò concedimus, gratiam sufficientem, & efficacem, secundùm se spectatas, & secundùm vim physicam, vel moralem, non differre ex seipsis generatim loquendo: & æqualem gratiam habere interdū consensum, esséque efficacem in aliquo, & inefficacē in alio: omnésque de se esse congruas, & aptas fini, & effectui à Deo præintento. Sed non probant huiusmodi gratias, prout subsunt præscientiæ diuinæ, & peculiari dilectioni, non differre aliquatenus in ratione maioris beneficij. Quæ differentia necessaria quidem non est per se, & ex natura rei, ad consensum voluntatis: quippe quæ æquè consentiret eidem gratiæ in iisdem circumstantiis, siue Deus præsciret, siue non: reipsa tamen, & de facto reperitur in omni gratia efficaci, secundùm ordinem prouidentiæ diuinæ, quæ nunc est, per quam Deus ab æterno præsciens mediorum euentum conditionatum, ea elegit, quæ profutura esse cognouit. Quo sensu D. Aug. lib. de Bono perseu. capite 14. affirmat non solùm sine vocatione efficaci neminem reipsa credere, & saluari; sed ne posse quidem credere & saluari, potestate scilicet, quæ reducatur in actum. Quàm enim impossibile est euenire id, quod Deus præsciuit non euenturum: tam est impossibile gratiam illam fore efficacem, siue habituram effectum, quam Deus præsciuit non habituram. Quòd tamen Deus præsciuerit, pendet à libertate creaturæ, quæ in actu primo, habens omnia prærequisita ad consensum, liberè illum præbet, aut negat. Ac si præbet, facit vt gratia tanquam efficax præuisa fuerit: sin minùs, inefficax, & sufficiens tantùm.

46. *Instantia bipartita.* Instabis; quia si gratia efficax hoc tantùm modo differt à sufficiente, sequitur primò eius efficaciam reducēdam esse ad liberum arbitrium, & ad euentum ipsum. Secundò, sequitur eundem modum gratiæ, & vocationis efficacis æquè necessarium esse ad bona opera moralia naturalia, atque ad supernaturalia: eundem, inquam, modum quoad efficacitatem, etsi non quoad gradum perfectionis, qui etiam inter opera ipsa supernaturalia diuersus est, prout alia sunt aliis nobiliora, & maiora petunt auxilia vt fiant. Probatur sequela: nam etiam ad bona opera naturalia necessaria est aliqua mentis excitatio, & apprehensio, quam Deus præscit habituram effectum, & eligit, atque approbat, cùm posset pro suo beneplacito aliam rerum seriem eligere, in qua aliter euenturum fuisset. Ergo in tali excitatione, vel apprehensione, speciale aliquod beneficium agnoscendum est, æquè ac in vocatione ad bona opera supernaturalia: quod videtur absurdum: tum quia ex eo sequeretur, ad singulos actus bonos naturales requiri speciale auxilium in quocunque statu naturæ, etiam integræ, quod alibi falsum esse ostendimus. Tum etiam, quia inde eneruantur omnia ferè principia Catholicæ doctrinæ de necessitate gratiæ contra Pelagianos. Dicere enim quis posset, omnem actum moraliter bonum esse dispositionem ad gratiam, quia ipse semper est à priori gratia: imò non esse necessarios vllos actus supernaturales, quia ex Scriptura, & Conciliis, solùm habemus necessarios esse illos actus, qui sine gratia speciali fieri nequeunt. Ergo si actus morales naturales hoc habent; verificatur in illis Catholica doctrina, neque erit sufficiens fundamentum ponendi alios actus.

Ad primum respondeo, negari non posse, quin efficacia gratiæ dicat ordinem ad actum secundum sub conditione præscitum, atque ab illo aliquo modo pendeat quoad aliquid significatum aut connotatum nomine gratiæ efficacis: nempe quoad præscientiam, & fauorem specialem electionis in illa fundatum. Falsum tamen est inde solùm pendere: aut differentiam totam in eo consistere. Quamuis enim gratia efficax, vt efficax, importet ordinem ad futurum voluntatis consensum, præscientiæ præuium: quòd tamen præuiso consensu conditionatè futuro Deus eligat talem rerum ordinem, in quo videt talem cooperaturum, illum verò minimè; pendet omnino ex mera Dei voluntate, nullúmque ordinem includit ad humanam voluntatem, quæ Deum mouerit ad sic eligendum potiùs, quàm aliam rerum seriem, in qua præsciuit euenturum oppositum. Et sicut in hanc gratuitam electionem primò, & præcipuè salutis nostræ analysis reuocanda est: sic in ipsius Dei dispositionem, æternúmque consilium, gratiæ efficacitas magnâ, & præcipuâ ex parte refundi debet. Cùm autem dicimus efficaciam gratiæ pendere aliquo modo à libero arbitrio: id non ita intelligimus, quasi liberum arbitrium solis viribus suis possit gratiam reddere efficacem: quod falsum est: neque enim potest sine auxilio gratiæ consensum liberum præstare. Verumtamen est, quòd efficacia gratiæ requirat vsum liberi arbitrij, & sine illius influxu esse nequeat, atque ex sola eius libertate impediri possit: nec vnquam in executionem redigatur efficacia gratiæ, sine cooperatione liberi arbitrij: quamuis hæc ipsa cooperatio non reducatur simpliciter, aut magis principaliter in liberum arbitrium, sed in gratiam vocantem, & adiuuantem. 47. *Soluitur prior eius pars.*

Ad secundum, respondeo differentiam esse 48.

Satisfit posteriori. quia quando bonum opus morale est tantùm ordinis naturalis: affectus diuinæ voluntatis,& opportunitas,ac congruentia cogitationis,prouenire potest ex sola generali prouidentia Dei, vt alibi ostendimus: & quamuis sit peculiare beneficium, quòd Deus ex tali prouidentia hunc hominem creauerit in tali rerum serie, & conditione; illud tamen pertinet ad beneficium naturæ. Sicut quòd Deus ita disposuerit causas naturales, vt ab illis producatur hic homo potiùs, quàm alius, qui nunquam erit: vel quòd producatur sanus & integer, vel robustus; cùm alter concipiatur mutilus, alter debilis, & infirmus: quæ integritas debetur speciei in quibusdam indiuiduis, & huic, vel illi, quando causæ naturales ad id dispositæ sunt, eòque tendunt, si Deus officio primæ causæ non desit.

49. *Altera obiectio.* Potest vlteriùs obiici,quòd iuxta nostram sententiam auxilium efficax non sit maius in ratione auxilij: sed tantùm in ratione beneficij. Hoc autem est contra S. Augustinum pluribus in locis, vt lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. vbi sic habet: *Certum est nos facere cùm facimus: sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis.* Quibus verbis agnoscit D. Augustinus peculiarem aliquam, & maiorem efficaciam consensui præuiam, talem vt certissimè inducat ad bene faciendum. Et lib. de Corrept. & grat. cap. 12. *Subuentum est*, inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò, quamuis infirma, non deficeret: neque aduersitate aliquâ vinceretur.* Et subiungit, à gratia fieri, vt homines inuictissimè nolint. Atqui non bene dicitur insuperabilis, nisi qui tales habet vires, vt ab hostibus quantumuis validis, & potentibus, vinci non possit. Et Prosper lib. 2. de Voc. Gent. c. 23. *Sicut autem circa maiores, præter illam generalem gratiã altiùs, atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute gratia specialis exeritur: ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifestatur electio.* Nota, *potentiore virtute:* quo nihil expressius dici potest ad significandum gratiam efficacem esse maiorem sufficienti, etiam in ratione auxilij.

50. *Quo sensu Augustinus gratiam vocet efficacissimam.* Respondeo sensum D. Augustini priori loco esse, Deum præbere vires efficacissimas, id est, valde potentes de se, atque etiam tali modo præuenientes, vt reipsa consensum obtineant: ideóque efficaces tam in actu primo, quàm in actu secundo. Posterioris loci sensus est, tantas vires per Dei gratiam suppeditari humanæ voluntati de se fragili, & infirmæ; vt, si velit cooperari, à nullo superari queat; sed inuincibiliter, & indeclinabiliter bono adhæreat: sicut faciunt reipsa, quicunque Dei gratiæ volunt cooperari. Prosper autem cap. cit. ita intelligendus est: quòd sicut Deus, præter gratias ordinarias, aliquando præuenit adultos quibusdam extraordinariis, & minùs communibus, potentioribúsque, & magis illustribus auxiliis: ita paruulos non rarò ad baptismum, & regenerationem perducit modo extraordinario: ita vt *multis sæpe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura seruierit: & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat prouidenda per proximos.*

SECTIO VII.

Vtrum ex duobus æquali auxilio præuentis contingat alterum conuerti, alterum non?

VT hæc difficultas, quam breuiter alibi tetigimus, pleniùs explicetur: Nota primò, quæstionem esse de auxilio æquali in ratione auxilij, id est, virtutis ad agendum: non autem de æquali in ratione beneficij. Constat enim ex dictis sect. præced. maius semper conferri beneficium, ei, cui datur auxilium præscitum fore vt habeat consensum. Nota secundò, quæstionem esse de auxilio præueniente tantùm, id est, de gratia excitante ad consensum. Nam alioqui manifestum est eum, qui consentit, plus accipere gratiæ, si gratia latiùs sumatur, etiam pro physicè adiuuante, seu cooperante, & pro concursu physico simultaneo, quam gratiam suâ culpâ non habet ille, qui non vult consentire. 51. *Status quæstionis.*

His præsuppositis, sunt qui existimant fieri non posse, vt è duobus æquali auxilio præuentis vnus consentiat, alter non. Fundamentum eorum præcipuum est, quia alioquin ille, qui consentit, discerneret se ab alio per aliquid, quod non accepit ex dono gratiæ: contra illud Apostoli 1. Corinth 4. *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* sequela probatur. Nam, vt supponimus, auxilia sunt æqualia: & tamen vnus discernitur ab alio: ergo non per auxilia, sed per seipsum, siue per innatam libertatem, discernit se ab alio. Quod repugnat Apostolo, vt patet ex Augustino lib. de Præd. Sanct. cap. 5. vbi prædictum locum Apostoli expendens, sic ait: *Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hîc autem priùs dixit, Quis enim te discernit? Et deinde addidit: Quid autem habes, quod non accepisti? Posset quippe dicere homo inflatus aduersus alterum: Discernit me fides mea? iustitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: Quid habes, inquit, quod non accepisti? A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi? Si autem & accepisti, ait, Quid gloriaris quasi non acceperis?* Et post pauca: *Gratia discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis & malis.* Ergo secundùm Augustinum bonus discernitur à peccatore per gratiam, quæ non est data alteri peccatori. Ita Iansenius lib. 2. de grat. Christi Saluatoris cap. 8. aliísque locis, & Didacus Aluarez disp. 108. de auxiliis, num. 3. vbi addit aliud argumentum: quia nemo consentit sine gratia efficaci. Hæc autem physicè prædeterminat voluntatem, & est maius auxilium, distinguitúrque secundùm aliquam realem virtutem ab auxilio, quod est tantùm sufficiens. Sed hoc argumentum satis superque iam refutatum est: sicut & discrimen assignatum à Iansenio inter auxilium sufficiens *sine quo non*, & auxilium *quo*, siue efficax, quod pariter in ipsa entitate, & interna virtute agendi positum esse vult. Ad aliud verò respondebitur paulò pòst. 52. *Sententia Iansenij.*

Vera enim sententia est, posse contingere, & reipsa euenire, vt ex duobus habentibus æquale auxilium, vnus consentiat, alter non. Ita docent Bellarm. lib. 6. de libero arbitrio cap. 15. 53. *Contraria, & vera sententia.*

fentent. 9. Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 20. num. 4. Mærar. disp. 7. de Gratia sect. 2. & 3. & alij ferè omnes Scriptores Societatis, post S. Bonauenturam; Altisiodorensem, Ruardum, Vegam, Sotum, Stapleton. & plures alios, quos illi citant.

54. *Probatur ex Scriptura.* Probatur primò ex Christi verbis Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quæ exprobratio, & comparatio, vt iusta sit, & rationabilis, supponit Tyrios, & Sidonios fuisse consensuros, & pœnitentiam acturos, si habuissent idem auxilium, aut par illi, quod Iudæi respuerunt. Par, inquam, non solùm quoad externa miracula, & virtutes; verùm etiam quoad gratiam internam præuenientem, sine qua impossibile est conuerti ad salutarem pœnitētiam. Alioqui enim potuissent meritò Iudæi respondere, malè sibi exprobrari, quòd non facerent cum minori auxilio id, quod Tyrij, & Sidonij facerent cum maiori: meritóque dixissent: Si Tyrij & Sidonij eodem, aut pari tantùm auxilio præuenti fuissent, non egissent pœnitentiam. Cur ergo nobis exprobratur comparatione Tyriorum, quòd illam non agamus? Detur nobis par auxilium præueniens, & erimus pares in conuersione, & in operibus pœnitentiæ. Atque hoc argumentum, quod euidens esse mihi videtur, maiorem vim habet contra Caluinum, & Iansenium, aliósque nouos Dogmatistas, affirmantes impossibile esse non consentire posito auxilio efficaci, quippe necessitante ad consensum: & impossibile esse in hoc statu naturæ lapsæ consentire sine illo. Quomodo enim potest iure exprobrari Iudæis, quòd non conuertantur cum auxilio, cum quo solo impossibile erat conuerti: comparatione Tyriorum, qui conuersi quoque non fuissent nisi dato maiori auxilio, & tali, vt non possent ei resistere?

55. *Refutatur euasio.* Respondent aliqui, habuisse quidem Iudæos par auxilium externum, & internum: at non habuisse parem dispositionem, consistentem in complexione, aut affectibus anticipatis: & ex hac parte semper esse aliquam differentiam in eo, qui consentit. Sed contrà: primò, qui sic respondent, admittunt par auxilium gratiæ præuenientis posse habere effectum in vno, & non habere in alio. Atque ita deserunt sententiam, quā profitentur. Secundò, exprobratio, & comparatio nō est iusta, si ratione dispositionis opus erat Iudæis maiori auxilio, vt possent conuerti: sique Tyrij similiter dispositi, non fuissent conuersi cum æquali auxilio. Hoc enim est perinde ac si quis infanti, vel ægroto exprobraret quòd ense non vtatur ad pugnandum, & vincendum, vt facit vir robustus, & sanus. Neque dicas illam differentiam fuisse Iudæis voluntariam, ideóque meritò illis exprobrari. Nam vt fuerit voluntaria, & culpabilis; debuerunt carere auxilio efficaci ad oppositum: quo si Tyrij æquè caruissent, fuissent æquè malè dispositi suâ culpâ. Tertiò, illa dispositio melior in vno, quàm in alio, non tollit libertatem. Ergo illâ non obstante potest vnus conuerti, alter non. Ac sicut pari auxilio gratiæ potest vnus consentire, alter non, propterea quòd tale auxilium non tollit libertatem: ita in pari dispositione, cum pari auxilio, potest vnus consentire, alter non. Imò etiam potest consentire qui minorem habet dispositionem, aut minus auxilium: quia est liber, & completè potens ad consentiendum. Atque hoc puto non obscurè significari à Christo his verbis Matth. 12. vers. 41. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio aduersus generationem istam, & condemnabunt eam,* comparatiuè scilicet, non auctoritatiuè: *Et ecce plusquam Ionas hic.* Nisi enim Christus plus vndequaque opis attulisset Iudæis ad conuersionem, quàm Ionas attulerit Niniuitis: non esset cur condemnarentur illi comparatiuè à Niniuitis, tanquam rebelles maiori auxilio.

Probatur 2. ex Trid. sess. 6. cap. 5. & can. 4. affirmante liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum per Spiritus sancti illuminationem, ita consentire gratiæ præuenienti, & excitanti, vt possit dissentire si velit, & inspirationem illam abiicere. Vbi nota sermonem esse de gratiæ auxilio, cui reipsa consentitur; adeóque de efficaci: & Concilium asserere hominem illo præuentum, & excitatum, adhuc ita se habere, non obstante illius excitatione, atque etiam non obstante præuiâ dispositione, vt possit dissentire si velit, & abiicere illam eandem inspirationem, cui consentit, id est, ponere dissensum loco consensus. Si autem potest vni, & eidem dissentire, æquè ac consentire eodem tempore; potest diuersis temporibus modò consentire, & modò dissentire eidem, aut pari auxilio gratiæ. Potest & alius dissentire eidem, aut pari auxilio, cui iste consentit. Porro, vt alibi notauimus, Tridentinum loquitur de potentia etiam morali, quæ interdum reducatur ad actum. Sicut quando eâdem sess. can. 23. definit neminem posse sine valde speciali priuilegio vitare omnia venialia, non loquitur de impotentia physica ad oppositum, sine qua nemo venialiter peccat: sed de impotentia morali: id est, de potentia, quæ propter rei difficultatem non reducitur ad actū. 56. *Confirmatur ex Tridentino.*

Probatur tertiò ex Sanctis Patribus, præcipuéque ex Augustino, cuius plura testimonia videri possunt apud Bellarminum, Suarem, & Mær. locis suprà cit. Illustrius est illud ex lib. 12. de Ciuit. cap. 6. quo docet non modò cum pari auxilio, seu virtute gratiæ, sed etiam cum pari dispositione vnum consentire, non alterum. *Si aliqui duo, inquit, æqualiter affecti animo, & corpore, videant vnius corporis pulchritudinem, quâ visâ vnus eorum ad illicitè fruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabilis perseueret: quid putamus esse causæ, vt in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala, quam illa res fecit, in quo facta est? Neque enim pulchritudo illa corporis. Nam eam non fecit in omnibus. Quandoquidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus. An caro intuentis in causa est? Cur non & illius? An verò animus? Cur non & vtriusque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus. An dicendum est alterum eorum occultâ maligni spiritus suggestione tentatum? Quasi non eidem suggestioni, & qualicunque suasioni propriâ voluntate consenserit. Hanc igitur consensionem, hanc malam, quam malè suadenti adhibuit, voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam vt hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur, si eâdem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat, atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseueret: quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse* 57. *Et ex Augustino.*

à castitate deficere? Vnde? Nisi propriâ voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis, & animæ affectio, amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo: amborum pariter instiit occulta tentatio. Hucvsque Augustinus.

58. Respondet Aluarez disp. 108. de auxiliis num. 5. Augustinum his verbis solùm docere, ex illis duobus hominibus vnum voluntariè peccare, alterum etiam voluntariè in castitate persistere: quod verissimum est: sed statim cap. 7. & 8. inquirere primam radicem vnde mala voluntas oriatur, & vnde bona. Et cap. 7. docere, quòd prima, & sola causa defectus, & peccati, est ex nostro arbitrio, quia ex nihilo factum est: vnde & peccabile est. Et cap. 9. addere quòd bona voluntas non est ex nobis, sed ex Deo, à quo est voluntas. Verùm hæc responsio non satisfacit. Nam ex verbis D. Augustini relatis clarè liquet ipsum docere, non modò vnum peccare voluntariè, alterum voluntariè persistere in castitate: sed etiam vnum pariter tentatum, & æqualiter affectum corpore, & animo, consentire tentationi, alterum resistere. Causámque huius rei esse, non inæqualitatem aliquam antecedentem consensum in corpore, vel in animo: sed quia vnus vult, alter non vult à castitate deficere. Notanda enim sunt illa verba. *Quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Certè aliud euidenter appareret, si ille, qui persistit, habuisset auxilium physicè, aut moraliter necessitans, aut maius alio quouis modo, vel meliorem dispositionem antecedentem, vt volunt anctores contrariæ sententiæ. Nec obest, quod addit S. August. Nam semper bona voluntas est ex Deo, & consensus est ex gratia: sicut dissensus est ex malitia, vel defectu voluntatis, etiam tunc quando posito æquali auxilio, atque æquali prædispositione, vnus consentit, alter dissentit.

Refellitur elusio.

59. Probatur quartò, ratione à priori: quia auxilium, cui consentimus, non necessitat voluntatem, ne moraliter quidem; vt patet ex tota disput. 22. & sect. 3. huius disputationis. Ergo voluntas est potens, etiam moraliter, ad dissentiendum. Ergo potest moraliter dissentire aliquando pari auxilio. Moraliter, inqnam, id est, ea potestate, quæ aliquando reducitur ad actum. Ergo etiam è duobus potest vnus consentire, & alter dissentire. Nam ambo sunt liberi, & potentes moraliter ad vtrumlibet. Quæ ratio concludit vlteriùs, posse vnum consentire minori auxilio, & alterum dissentire maiori. Sicut etiam potest vnus & idem, diuerso tempore, consentire minori, & maiori dissentire. Item, auxilium quod vocatur sufficiens, & cui reipsa dissentitur, non est tale, vt sit physicè impotens, vel moraliter ad consensum obtinendum: sed constituit voluntatem completè potentem, etiam moraliter, ad consentiendum, si velit: vt patet ex dictis sectione tertia. Ergo voluntas potest moraliter illi præbere consensum, & aliquando præbet æquali, atque etiam minori: nam minus quoque est sufficiens moraliter ad consensum.

Idem probatur ratione.

60. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondeo eum, qui consentit pari auxilio, discerni per Dei gratiam præuenientem, & per suam cooperationem liberam, quæ est moraliter ab illa gratia præueniente, & physicè à gratia cooperante: posséque respondere cum Apostolo, *Non ego, sed gratia Dei mecum:* posse etiam gloriari, id est, gloriam, & laudem habere apud Deum, non in seipso, sed in Domino: iuxta illud eiusdem Apostoli, 1. Corinth. 7. *Qui gloriatur, in Domino glorietur:* & Augustini ep. 106. vbi expendens eadem verba Apostoli, *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Sic ait: *Hoc totum,* (supple, dicitur ab Apostolo) *non ideò vt homo non glorietur; sed vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* In forma igitur, nego sequelam antecedentis, fore nimirum, vt qui consentit, discernat se per aliquid, quod non acceperit à gratia. Accipit enim consensum, quo discernitur, à gratia, tum præueniente, tum etiam cooperante, si loquamur de consensu supernaturali. Ad probationem sequelæ dico, hanc illationem esse vitiosam: auxilia sunt æqualia: ergo non discernitur per auxilium, sed per sei[illegible]. Nam quamuis auxilium sit æquale, influi[illegible] amen in consensum, quo discernitur; & est illius causa vnà cum voluntate liberè consentiente. Et quamuis inæqualitas non sit in auxilio: falsum tamen est, quòd non sit ab auxilio. Loquor autem de auxilio præueniente. Nam in auxilio cooperante physicè, falsum est non differre eum qui con[illegible]tit ab eo qui dissentit.

Exponitur illud, Quis te discernit?

Idem est sensus D. Augustini verbis à Iansenio, & ab Aluare relatis. Ibi enim disputat contra Pelagianos affirmantes fidem, & alia bona opera ad salutem pertinentia, esse ex viribus naturalibus, non ex gratia. Quos dicit argui per illa Pauli verba, dicētis nullum esse tale opus, quod non per Dei gratiam exerceatur: déque illo non esse gloriandum in seipso, sed in Domino. Cùm autem dicit initio verborum relatorum, *Numquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Loquitur de donis naturalibus, vt manifestè liquet ex verbis immediatè præcedentibus: *In hac Apostoli euidentissima intentione, quâ contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur: dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam perfectámque naturam, qualis in prima conditione donata est, siue vitiatæ naturæ qualescunque reliquias; nimis, quantum existimo, absurdum est. Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Quanquam etiam verum est non discerni eum qui consentit, per solum auxilium præuenien[illegible] æquale, & commune non consentiēti. Eget enim alio auxilio cooperante physicè, quod non est commune non consentienti. Eóque sensu intelligi possent vltima verba D. Augustini relata in obiectione, *Gratia discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis, & malis:* nisi etiam ibi per gratiam communem bonis, & malis, intelligeret ipsam naturam humanam gratuitò creatam: & per gratiam discernentem bonos à malis, intelligeret fidem, & gratiam sanctificantem, vt ostendimus alibi. Possent, inquam, sic intelligi: quia gratia discernens bonos à malis, nō est sola gratia excitās, sed & physicè cooperans. Vnde semper aliam habet gratiam, qui consentit, quàm qui non cōsentit. Præterquam quòd aliud est loqui de auxilio in ratione auxilij, quo sensu nunc de illo disputamus: & aliud, loqui de auxilio in ratione maio-

61. *Explicantur varia Augustini loca circa idem.*

ris beneficij, & gratiæ quomodocunque: quo sensu non negamus aliam esse moraliter, & maiorem in consentiente. Eodem denique sensu intelligi potest, quod ait Augustinus paulò antè: *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti? A quo nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod tibi donauit?* nempe maius illud beneficium; atque etiam auxilium physicè cooperans cum voluntate ad consensum.



DISPVTATIO XXVIII.

De essentia Gratiæ Christi, & variis eius diuisionibus.

SECTIO I.

Quæ sit essentia gratiæ efficacis, ex sententia Iansenij?

1. *Vult eam esse cælestem suauitatem.* HAc de re Iansenius libro 4. de Gratia Christi Saluatoris cap. 1. & decem consequentibus: vbi imprimis significat se de sola efficaci, siue, vt vocat, medicinali gratia Christi disputationem instituere, non autem generaliter de quacunque gratia. Tum illam definit esse cælestem quandam, atque ineffabilem suauitatem, seu spiritualem delectationem, quâ voluntas præuenitur ac flectitur ad volendum, faciendúmque quidquid eam Deus velle, & facere constituerit. Nullum enim est genus actionis, aut voluntatis bonæ, nullus effectus efficacis gratiæ, qui non isti cælesti delectationi tanquam veræ Christi gratiæ, veræque causæ tribuatur, vt docet Augustinus pluribus locis.

2. *Probat ex Augustino.* Primò enim, quando illam veram Christi gratiam, quâ Deus in nobis & velle operatur, & facere, ex Scripturis adstruit: plurimis locis illam Scripturam velut euidentissimam allegat, *Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum:* vt videre est in libro secundo de peccat. merit. & remiss. capite decimo-septimo & decimo-nono, & serm. 11. de verbis Apostoli capite vltimo, & serm. 4. capite octauo, & Enarratione in Psalm. 84. In eundémque finem allegat istam, *Praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Ipse est*, inquit, *cui veraciter fideliterque cantatur, Quoniam praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quàm ipsa, de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, cùm dulcescere incipit.* Et paulò pòst: *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quâ fit in nobis vt nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis. In qua si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Additque libro primo de nuptiis, cap. 30. & serm. 27. de verbis Domini, aliisque locis, dulcedinem illam designari ab Apostolo cùm ait, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, Rom. 7. & à Dauid Psalm. 118. sic exclamante, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* & Psalm. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et libro de spirit. & lit. capite 3. vbi distinguit verum Christi adiutorium à Pelagiano, dicit, vltra naturam, seu liberum arbitrium, & legem seu doctrinam, necessarium esse accipere Spiritum sanctum, *quo fiat in animo nostro delectatio, dilectióque iustitiæ summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est: inspirando videlicet virtutem, dando menti cælestem delectationem, quâ omnis terrena delectatio superetur*, vt ait libro de Corrept. & gratia, capite secundo.

Secundò, nullum est boni operis genus, quod Augustinus non ad istam diuinæ suauitatis inspirationem, tanquam ad adiutorium reuocet, quo Deus id in homine operatur. Tum quia, iuxta illius doctrinam, nulla bona actio, nullúmque bonum opus fit, nisi oriatur à cupiditate boni. Cupiditas autem boni non habetur sine tali delectatione. *Tunc enim bonum concupisci incipit, cùm dulcescere incipit:* vt suprà dixit Augustinus. Tum etiam quia, vt speciatim loquamur de bonis actibus: fides concipi nequit, nisi præueniat huiusmodi delectatio. *Veritas* enim, *quæ incipit non latere, nisi etiam delectet, non suscipitur:* vt ait lib. de spirit. & lit. c. 3. Et tract. 26. in Ioan. dicit per eandem nos ad Christum trahi, & in eum credere. Imò ne quidem verbum fidei sine tali delectatione audiri affirmat libro quarto de doctrina Christiana capite vicesimo-sexto. *Quis tenetur*, inquit, *vt audiat, nisi delectetur?* orationem quoque sine illa fundi non posse docet Enarratione in Psalm. 33. & 106. Idémque de amore, ac dilectione Dei asserit libro de spirit. & lit. capite tertio, & libro nono contra Faustum, capite vicesimo-quarto, eidem tribuit liberationem à dominatu concupiscentiæ, quâ *Deo non seruiliter, sed liberaliter seruitur*, libro vicesimo-secundo contra Faustum, capite vicesimo-septimo, & tract. 41. in Ioan. vbi exponens illud Apostoli, *Condelector legi Dei &c. Ecce*, inquit, *vnde liberi, vnde condelectamur legi Dei*, &c. idémque dicit lib. 1. de nupt. cap. 30. & in Psalm. 67. Et victoriam tentationum, serm. 6. de verbis Apostoli capite tertio, & libro primo ad Bonifacium capite 10. & in Psalm. 64. Itémque patientiam, seu rerum tristium tolerantiam, in Enarratione in Psal. 127. Et operationem boni, Enarrat. in Psal. 34. & 118. & serm. quarto de verbis Apostoli, capite octauo. Et denique perseuerantiam in via salutis, in Psal. 85. & libro de agone Christiano, capite nono. 3. *Qui omne opus bonum illi tribuit.*

Tertiò, idem S. Doctor, cùm affirmat delectationem terrenam esse causam cur ab Adami posteris iustitia deseratur, ac deserendo peccetur; innuit contrariam delectationem necessariam esse ad iustitiam operandam. Id autem disertè affirmat pluribus locis, vt videre est libro secundo de Genesi contra Manich. cap. 14. & libro vicesimo-secundo contra Faustum, capite 28. & lib. contra Secund. capite 16. & libro secundo de baptismo cap. 10. & libro 83. quæst. q. 66. & libro primo ad Bonifac. capite secundo, & in Psal. 146. initio, & tract. 49. in Ioan. & sermone sexto de verbis Apostoli, capite primo. 4. *Et eam opponit delectationi ad peccandum mouenti.*

Quartò, radicem vtriusque rei assignans, dicit esse in homine luctam quandam duarum de- 5. *Radix huius doctrinæ.*

lectationum, noxiæ, & beneficæ; terrenæ, & cælestis: quarum vtralibet vicerit, animum secum consentientem ac pronum trahit. Tunc verò hominem à peccato liberari, & bonum opus effici, cùm cælestis illa suauitas de cælo venerit, & aduersariam suam superauerit: vt docet lib. de continentia cap. 3. & ser. 6. de verbis Apostoli capite nono & decimo, & serm. 17. capite 4. & 5. idémque asserit in libris contra Pelagianos: vt libro de spirit. & lit. cap. 15. 28. 35. & in Enchirid. cap. 81. & lib. 2. de peccat. merit. cap. 17.

6. *Ait voluntatem necessariò sequi maiorem delectationem.* Addit Iansenius, hanc delectationem diuinæ gratiæ tam necessariam esse, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, vt nisi maior fuerit quàm terrena, quâ noster affectus detinetur, fieri non possit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Maior enim delectatio nunquam delectatione minore superabitur: sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo suauitate detinuerit. *Tanto enim vehementiùs volumus, quantò certiùs quid bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentiùs:* inquit Augustin. lib. de peccat. merit. cap. 17. idémque sæpius confirmat alijs locis proximè indicatis: & in epistolam ad Galat. vbi dicit regnare bona in homine, si *tantùm delectant, vt ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat. Quod enim ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Atque ideo solet hanc delectationem appellare *victricem*, vel alio æquiualenti vocabulo: vt libro secundo de peccat. merit. capite decimo-nono, & libro primo ad Bonifac. cap. 33. & lib. 15. de Ciuit. cap. 5. alijsque locis.

7. *Et causam esse, naturæ læsionem.* Quòd si quæras, propter quid delectatio debeat esse victrix, vt tentatio superari possit, vel opus iustitiæ ab humana voluntate fieri? Liberum enim voluntatis arbitrium videtur suâ naturali indifferentiâ posse se vertere quò voluerit, virésque suas exerere quantas voluerit; quàmuis vel nullâ vel non tantâ delectatione, quanta opposita est, mulceatur. Respondet Iansenius primò, visum quidem esse Philosophis Gentilibus, & Christianis eos secutis, non posse voluntatis libertatem ad vnam partem trahi, quamdiu rationis vsus integer manet; & Pelagianorum axioma fuisse, *sufficere hominem ingenitis sibi motibus leges dare:* Sed Augustinum Christianâ libertate eis restitisse veluti gratiæ necessitatem ad tentationes vincendas euertentibus. Respondet secundò, ideò iuxta eiusdem S. Doctoris principia, maiorem ac victricem delectationem cælestem esse necessariam, vt delectatio terrena superetur, quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non potest, seu tam intensè ac fortiter velle, quantum necesse est vt tentatio seu delectatio opposita superetur. Absurdum enim est existimare quòd voluntas suâ solâ volendi libertate possit quodlibet internum voluptatis dolorísve impedimentum superare. Hoc enim repugnat principiis fidei, quibus constat voluntatem per peccatum Adæ debilitatam & infirmatam esse: ideóque Saluatoris gratiam esse illi necessariam. Repugnat etiam principiis Augustini, sæpissimè affirmantis hominem sine gratia sub lege constitutum non modò tentationibus vincendis non sufficere, verùm etiam legis accessu fieri magis peccatorem. Repugnat quoque precibus Ecclesiæ, quæ nihil intensiùs orat, quàm vt voluntas roboretur: cuius vnusquisque imbecillitatem in resistendo carnalibus motibus experitur. Cúmque dicit Scriptura, *Si volueris, conseruabis mandatum*, non est sensus, quòd iam hoc ipso quo mandatur, & homo liberum habet voluntatis arbitrium, possit istud mandatum facere tantummodo si voluerit: sed sensus est, quòd mandatum istud non nisi libero arbitrio voluntatis implendum sit, quamuis reipsa nunc neque faciendi potestatem habeas, neque voluntatem, adeóque per teipsum, quantumlibet conatus fueris, habere non possis. Idcirco enim oramus, vt nobis Deus det potestatem, atque etiam voluntatem faciendi quod iubet; siue, vt loquitur Augustinus post Apostolum, det velle, & operari seu perficere, inspirando eiusmodi delectationem. *Nam voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo pacto potest: hoc autem vt occurrat, non est in hominis potestate:* vt ait libro primo qq. ad Simplician. quæst. secunda in fine. *Non enim amatur, nisi quod delectat:* vt idem ait sermone 17. de verbis Apostoli capite tertio, atque hoc etiam locum habet in peccatis. Nullum enim est peccatum quod non oriatur ex maiori aliqua delectatione mouente voluntatem, vt idem S. Doctor affirmat libro secundo de Genesi contra Manichæos capite 14. lib. 22. contra Faustum cap. 28. & in Enchirid. capite 24.

Quintò denique, victricem illam delectationem cælestem, esse veram Christi gratiam, quâ medetur imbecillitati nostræ, probat Iansenius ex eo quòd sicut velle, & fortiter velle, ac vincere; ita etiam constanter ac perseueranter velle, imò impeccabiliter velle, ex eadem delectatione proficiscitur: vt æquè perspicuè tradit S. Augustinus libro de corrept. & gratia cap. 8. & lib. 22. contra Faustum cap. 27. & 28. & in Psal. 75. alijsque locis. Neque verò impeccabilitas Angelorum & beatarum mentium, proficiscitur ex nuda & clara visione Dei, vt multi putant, & clarè negat Augustinus, qui docet frequẽter idcirco hominẽ in futura vita peccare non posse, quia cõpertæ veritati, & sapientiæ Dei, immobili amore coniungitur; ex cuius vinculi firmitate fiat vt omnia inferiora bona præ illius caritate contemnat, & ab eius cõtẽplatione auerti non possit, aut velit. Vt videre est lib. 4. contra Iul. cap. 3. vbi de mente humana sic dicit: *Quàm verò periculosè imò perniciosè sibi placeat cùm per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur, quandiu non videt, sicut videbit in fine, summum illud & incommutabile bonum, in cuius comparatione se spernat, sibique illius caritate vilescat, tantóque spiritu eius impleatur, vt id sibi non ratione sola, sed æterno quoque amore preponat, multum est disputando velle monstrare.* & paulò inferiùs, *Quando tantâ satiabitur anima visione, & tantâ inflammabitur caritate superioris boni, vt ad seipsam sibi placendo deficere ab illius dilectione non possit.* Et de Angelis idem asserit libro 12. de Genesi ad literam capite 36. & libro nono de Ciuitat. Dei capite 22. & libro 14. capite nono. Nimirum quia caritatis illa delectatio absorbet omnes oppositæ delectationis motus, quâ voluntas ad aliud diligendum, & per hoc peccandum pellici ac perduci posset: vt docet August. lib.

8. *Probat ex illa delectatione sequi impeccabilitatem, etiam Beatorum.*

de Spirit. & lit. capite vlt. & libro sexto contra Iulianum cap. 16. & libro 83. quæst. q. 70. Eadémque intellectum ita figit ad Deum contemplandum, vt ab illius intuitu auelli nequeat, & aliò auerti: vt idem affirmat libro primo Soliloq. cap. 7. & lib. 12. Confession. capite 15.

9. *Necessitas illius delectationis vnde petenda?* Porrò necessitas delectationis vt voluntas moueatur siue ad bonum, siue ad malum, non petenda est ex obiecto, inquit Iansenius capite nono, neque ex natura voluntatis; sed ex natura medicinæ, seu medicinalis adiutorij. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est. Ex quo fit, vt in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosâ præeunte ac titillante prouocetur; cui consentiendo peccat: neque possit à terrena cupiditate sursum erigi, vt sic blandienti delectantique spiritui affixa, & quasi suspensa ex Deo, non ampliùs in veterem libidinis seruitutem detrahatur.

10. Quia verò seruitus illa voluntatis sub concupiscentia, & difficultas bene agendi, malique vitandi, non est natura instituti hominis, sed pœna peccati; hinc est quòd Augustinus dicit hominem ante peccatum, sicut & Angelos, ita liberum fuisse, vt bene velle posset & malè: nunc autem non sit illa flexibilitas ad malum & bonum, sed peccandi necessitas, si abest gratia; & bene operandi, si adest. Ideóque arbitrium non est iam liberum vt erat ante peccatum Adæ, quando suo nutu ferebatur in bonum, vel in malum: in bonum, iuuante gratiâ; in malum, per se solum.

11. *In quo illa consistat?* Denique capite vndecimo explicans in quo consistat essentia delectationis cælestis, quam solam esse vult veram Christi gratiam, seu medicinalem, eius sanguine nobis acquisitam: dicit illam delectationem, quam ad omnia opera bona S. Augustinus exercenda postulat, non esse aliud, quàm actum quendam indeliberatum, cælitus, immissum in voluntatem, per quem ei bonum propositum vel suauiter tantùm placet, (qui actus subinde *simplex voluntas* dicitur, atque etiam *complacentia*, aut *amor voluntatis* respondens passioni amoris sensitiui) vel etiam in bonum appetendum commouetur: Sicut enim ad peccandum nos prouocant indeliberati quidam motus delectationis, aut etiam desiderij cuiusdam, quibus propellimur vt velimus, consentiamus, & peccemus; quibúsve interdum consentimus, & peccamus; interdum verò resistimus; vt docet Augustinus in Psal. 42. 64. 102. & 146. & libro secundo contra Iulian. capite nono, & libro quinto aduers. eundem capite tertio, & sermone sexto, 12. 13. de verbis Apostoli, quibus etiam plerisque locis vtrosque motus, hoc est, ipsum etiam desiderium nomine delectationis comprehendit: sic ad bene operandum prouocat voluntatem delectatio boni, vel etiam desiderium aliquod indeliberatum, quod pariter nomine cælestis delectationis Augustinus intelligit: vt videre est apud eundem lib. 10. de Genesi ad literam cap. 12. sermone 43. de verbis Domini, cap. 5. libro de Continentia cap. 3. & sermone sexto de verbis Apostoli capite nono. Huc vsque Iansenius.

SECTIO II.

Impugnatur doctrina superiùs proposita.

CONTRA quæ Dico primò, falsum esse quod ait Iansenius, nullum esse genus actionis, aut voluntatis bonæ; nullum effectum efficacis gratiæ, qui non tribuatur delectationi cælesti indeliberatæ, voluntatem præuenienti, & ad consensum inuitanti: ideóque illam solam esse veram Christi gratiam medicinalem ad omne opus bonum necessariam. 12. *Sola delectatio non est causa boni operis.* Nam id perspicuè repugnat Scripturæ docenti, nos etiam moueri timore salutari, & ex eo benè operari; nullâ factâ mentione delectationis supradictæ. Vt Isaiæ capite vicesimo-sexto, versu decimo-septimo. *A facie tua* (hoc est, *à timore tuo*, vt vertunt septuaginta interpretes) *Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis.* *Probatur ex Scriptura.* Et Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Feci iudicium & iustitiam.* Quibus verbis regius Propheta significat se timore illo inductum, & efficaciter motum fuisse ad seruandam iustitiam. Et Apocalyp. 14. versu primo, *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Per eundémque timorem nos à peccato retrahi, & affectu vitioso rerum temporalium, ipsiúsque vitæ mortalis, docet eadem Scriptura diuina Exod. 20. versu 20. Iob. 9. versu vicesimo-octauo, Prouerb. 14. versu vicesimo-septimo, & Luc. 12. ver. 5.

13. *Et ex Augustino & Prospero.* Repugnat quoque doctrinæ D. Augustini, qui licèt mentionem sæpius faciat delectationis, seu complacentiæ, & desiderij: alia tamen interdum non omittit: vt quando in lib. de catechizandis rudibus capite quinto dicit, *Rarissimè accidere, imò verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus.* Et serm. 214. de temp. dicit, timorem pœnæ facere *vt ametur præmium, quod Deus pollicetur. & sic per timorē pœna bona vita retineatur.* Et hom. 23. ex 50. c. 6. Deum ita loquentem inducit: *Vt non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius cui debes & quod non admisisti.* Et tract. 9. in epist. Ioan. *Opus est ergo*, inquit, *vt intret timor primò, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas.* Et libro de Gratia & libero arbit. capite decimo-octauo, dicit spiritum illum timoris esse sine dubio *magnum donum Spiritus sancti, &c. non quo timore Petrus Christum negauit, sed illius de quo dicit ipse Dominus Christus, Eum timete qui habet potestatem animam & corpus perdere in gehennam.* Idem docet Prosper insignis eius discipulus libro primo de Vocat. Gent. capite primo, vbi affirmat & probat ex Scriptura firmitatem in bono & in adhæsione ad Deum, gigni frequenter ex terrore. Quibus conforme est, quod ait Trident. sessione sexta, capite sexto, motum, *Et ex Tridentino.* quo peccator per gratiam præuenientem disponitur ad iustificationem, incipere ex parte voluntatis à timore diuinæ iustitiæ, quo vtiliter concussi peccatores confugiunt ad Dei misericordiam. Et sess. 14. capite quarto, dicit attritionem salutarem (quam ibi definit esse impulsum Spiritus sancti, disponerétque ad impe-

trandam in Sacramento pœnitentiæ iustificationem) concipi ex timore pœnarum, seu metu gehennæ, aut horrore turpitudinis peccati. Quare Scripturæ verba, & Augustini testimonia, quæ primo loco profert Iansenius, non eo rigore, aut sensu tam generali accipienda sunt, quasi velint nullum actum bonum fieri posse sine cælesti delectatione præuenienti; sed loquuntur de eo quod frequenter contingit, præsertim in statu legis Euangelicæ, quæ lex amoris est. Loquuntur etiam speciatim de amore boni, qui ab eius complacentia præueniente incipere solet: non autem de quocunque affectu bono, quale est odium, horror, & fuga peccati concepta ex displicentia præuia, & indeliberata: vt manifestum est ex verbis Augustini relatis, etiam illis in quibus præcipuè vim facit aduersarius, ex libro secundo ad Bonifac. capite 9.

14. *Idem probatur inductione, de actu fidei.* Dico secundò, tametsi actus boni speciatim enumerati à Iansenio capite 2. plerumque oriantur ex præuia quadam delectatione indeliberata, vt docet Augustinus locis ab eo relatis: quòd tamen aliunde interdum proficiscantur, affirmant tum idem S. Doctor, tum etiam sacræ literæ. Nam quòd fides plerumque à timore salutari oriatur, ac fere semper inde incipiat, asseruit Augustinus verbis suprà relatis ex libro de catechizandis rudibus, capite 5. vbi dicit, Rarissimè accidere vt quis velit fieri Christianus, nisi Dei timore præuentus atque perculsus. Eodémque motiuo Præcursor Christi Domini Iudæos ad eius agnitionem, & conuersionem incitabat, ac disponebat, Matth. 3. versu 7. & seqq. Timorem autem illum sequitur aliqua delectatio, siue in audiendo salubriter, siue in acceptando verbo Dei, per quod nobis salus æterna, & liberatio à peccato proponitur, certóque promittitur. Quo sensu Augustinus ait verbum fidei non audiri nisi delectet, libro quarto de doctrina Christiana, capite vicesimo-sexto.

15. *Et de oratione.* Orationem quoque ex timore imminentis periculi, aut perpessione malorum, & tribulatione oriri, vel ipsâ cuiusque experientiâ notissimum est: vsitatúmque à Sanctis: vt à Dauide Psal. 119. *Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me*: & ab Apostolo 2. Cor. 12. vbi affirmat se molestâ tentatione vexatum, ter Dominum rogasse vt ab ea liberaretur: & ab ipso Christo Luc. 22. qui *factus in agonia, prolixiùs orabat*: de quo etiam D. Augustin. in Psalm. 54. exponens verba illa, *exaudi Deus orationem meam*, sic ait: *Satagentis, solliciti, in tribulatione positi verba sunt ista. Orat multa patiens, de malo liberari desiderans*: illo scilicet, cuius apprehensio vehementissima, & tristitia de illo concepta ipsum ad orandum mouit, vt narratur Matth. 26. ver. 38. & Lucæ cap. citato.

16. *Et de amore Dei.* De amore & dilectione Dei idem affirmat Scriptura, cùm ait, Initium Sapientiæ esse timorem Domini, vt interpretatur Augustinus tract. 9. in epistolam Ioan. vbi de timente sic ait: *Nondum est in illo perfecta caritas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video? inquis: Ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium Sapientiæ timor Domini.* Ibidémque addit. *Opus esse vt intret timor primò, per quem venias caritas: Timor medicamentum, caritas sanitas*: adhibétque ad id confirmandum similitudinem setæ, per quam linum introducitur. *Si nullus est timor*, inquit, *non est quà intret caritas: sicut videmus per setam introduci linum &c.* Et libro de catechizand. rudib. cap. 5. *De ipsâ etiam seueritate, quâ corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, caritas ædificanda est.* Tridentinum quoque sess. 6. c. 6. explicans modum quo peccatores solent conuerti ad Deum, dicit eos à *diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem erigi, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illúmque tanquam omnis iustitiæ fontem incipere diligere.* Quamquam Tridentinum non loquitur determinatè de dilectione perfectâ, & propriâ caritatis, vt dicemus disputatione sequenti, sectione vltima num. 66.

De liberatione à motibus concupiscentiæ, & malarum cupiditatum mortificatione idem asserit tractatu citato in epistolam Ioan. sic dicens: *Initium Sapientiæ timor Domini. Quantùm autem mortificat iste, qui timere cœpit diem iudicij, membra sua super terram: tantùm surgunt, & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia, omnia opera bona.* Idémque motiuum adhibet Scriptura, cùm nos hortatur ad resistendum concupiscentiis metu impendentis mali, & ineuitabiliter futuri, si eas sequamur: cùm sic ait Eccles. 18. ver. 30. *Fili mi, post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et Rom. 8. ver. 13. *Si secundùm carnem vixeritis* (hoc est, si concupiscentias carnis non mortificaueritis) *moriemini.* Et Coloss. 3. ver. 5. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus: propter quæ venit ira Dei &c.* Eódem pertinet, quæ suprà retulimus ex Augustino de timore inchoante caritatem, quâ, posthabitis concupiscentiis, & quibuscunque vitiosis affectibus, liberaliter Dei seruitur. 17. *Et de liberatione à malis cupiditatibus.*

De victoria tentationum, & fuga peccati idem docet Scriptura Danielis 13. vbi Susanna, metu iudiciorum Dei, sese contra grauissimæ tentationis impetum armauit: déque illo victoriam retulit, malens non effugere manus hominum, id est, infame supplicium ab illis sibi imminens; quàm incidere in manus Dei. Et Augustin. in Psal. 127. vbi exponens illud, *Vermis eorum non morietur*, sic habet: *audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato.* Et serm. 13. de verbis Apostoli, cap. 13. *Timor*, inquit, *seruus est caritatis. Ne possideat diabolus cor tuum* (victum à tentatione) *præcedat seruus in corde tuo, & seruet dominæ venturæ locum. Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore iustitiæ.* 18. *Et de victoria tentationum.*

De patientia, & tolerantia rerum tristium, adeóque ipsius mortis, idem affirmat Scriptura Lucæ 12. ver. 5. vbi Christus metum æternæ gehennæ proponit discipulis, vt eos corroboret ad patienter & alacriter ferenda grauissima incommoda, mortémque temporalem sibi à Tyrannis, & fidei persecutoribus inferendam: sic dicens: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Ti-* 19. *Et de patientia.*

mete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Et Augustinus serm. 30. de Sanctis: *Quis nolit ad horam*, inquit, *vri Laurentij igne, vt aeternum gehennae non patiatur incendium? Beati ergo Laurentij exemplo prouocamur ad martyrium &c.* eiusdem etiam est celebris illa sententia: *Hic vre, hic seca, vt in aeternum parcas*, hoc est, vt grauiora & aeterna supplicia non inferas.

20. *Et de amore boni.* De amore boni idem asserit in Psal. 127. circa versum primum, *Beati omnes qui timent Dominum: ille timor*, ait, *nondum castus praesentiam Domini, & poenam timet: Timore facit quidquid boni facis, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum &c. Bonus est & iste timor, vtilis est.* Et Matth. 7. Christus hortatur ad ferendos fructus bonorum operum, metu aeternae combustionis, cùm ait: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Similique modo Ioannes hortabatur Iudaeos ad faciendos fructus dignos poenitentiae, Matth. 3. versu septimo & seqq. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum poenitentiae &c. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

21. *Et de perseuerantia.* Et denique de perseuerantia patet ex Apocalyp. capite tertio versu vndecimo, vbi Christus ad illam hortatur, & inducit metu amittendi aeternam beatitudinem: *Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et Christus Matth. 24. versu 45. & seqq. ad eandem hortatur adductâ parabolâ serui, qui moram faciente domino, deflectit à fidelitate; & obsequio debito, & in suos conseruos insolescit, gulaeque & ebrietati indulget: posteáque veniēte domino horâ quâ non putabat, seuerissimè punitur, amandatúrque ad eum locum, vbi erit fletus, & stridor dentium. Significans nos huius saltem poenae terrore moueri debere, vt constanter in officio vsque ad aduentum Domini perseueremus, & concludens his verbis: *Vigilate ergo, quia nescitis qua horâ Dominus vester venturus sit.* Augustinus quoque eundem timorem ad perseuerantiam multum conducere non minùs clarè indicat sermone 214. de tempore, sic dicens: *Cùm timetur poena, quam (Deus) minatur, dicitur amari praemium quod pollicetur: ac sic per timorem poenae bona vita retinetur: per bonam vitam bona conscientia comparatur, vt per bonam conscientiam, nulla poena timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.*

22. *Non sola delectatio est causa peccati.* Dico tertiò, Diuum Augustinum nusquam affirmare terrenam delectationem aut solam, aut semper, esse causam cur ab Adami posteris iustitia deseratur, & deserendo peccetur. Nam quòd ex aliis etiam motiuis, vt ex timore verbi gratia inducantur saepissimè ad peccandum, docet idem sanctus Doctor enarratione in Psal. 79. *Omnia peccata*, inquit, *duae res faciunt in homine: cupiditas, & timor. Cogitate, discutite; interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias, videte vtrum possint esse peccata nisi aut cupiendo aut timendo? Proponitur praemium vt pecces, id est, quod te delectat. Facis propter quod cupis. Sed fortè non induceris donis. Terreris minis, facis propter quod times. Corrūpere te vult aliquis, vt dicas verbi gratia falsum testimonium &c. Conuertit ille se ad incutiendum metum, qui praemio corrumpere non valuit. Incipit minari damnum, & expulsionem, caedes, fortassis mortem. Ibi iam si cupiditas non valuit, fortè timor valebit vt pecces.* Ibidémque dicit, Timorem illum malorum temporalium, timore maiorum & aeternorum suppliciorum superandum esse. *Veniat*, inquit, *contra timorem in mentem, Nolite timere eos qui occidunt corpus &c. Quidquid tibi iusto minatus fuerit mundus, numquid potest facere, quod facit iniquo Deus?* Et lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 18. ait, Timorem illum mali temporalis fuisse causam cur Petrus Christum negaret Matth. 29. & Marci 14. *Cauere debemus*, inquit, *ne nos arbitremur non accepisse Spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est donum Dei &c. non quo timore Petrus Christum negauit, sed illius timoris Spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus Eum timete, qui habet potestatem animam & corpus perdere in gehennam.* Similíque timore conabantur Ecclesiae persecutores deiicere Martyres de fidei constantia, efficeréque vt Christum negarent: & Daniel. 13. Senes impudici Susannam ad adulterium inducere fategerunt iniecto metu infamiae, & mortis, nisi consentiret. Et denique nemo est, qui non propriâ experientiâ nouerit se non solâ delectatione & cupiditate boni, sed etiam timore, vel aliis prauis affectibus indeliberatis, ad peccandum solicitari.

SECTIO III.

Continuatur suscepta refutatio.

Dico quartò, radicem bonarum aut malarum operationum, iuxta doctrinam Augustini; non esse tantummodo luctam quandam duarum delectationum, bonae & malae, quarum vtralibet vicerit, animum ad consensum bonum aut malum trahit: verùm etiam aliorum affectuum similiter inter se pugnantium. Vt de duplici timore, bono & malo, docet verbis proximè relatis ex Enarrat. in Psal. 79. & patet exemplo Susannae suprà commemorato, vbi nulla fit mentio delectationum, bonae & malae, inter se luctantium: sed è contrario Susanna affirmat se vndique angustiis oppressam fuisse: *Ingemuit Susanna, & ait: Angustiae sunt mihi vndique &c. Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini:* id est, malo subire mortem temporalem à vobis iniustè inferendam, quàm spiritualem, & aeternam per peccatum incurrere: ver. 22. & seqq. Ex quo etiam clarè patet falsum esse quod ait Iansenius, delectationem caelestem adeò necessariam esse, quando cum terrenarum rerum tentationibus, ac delectationibus dimicamus: vt nisi adfuerit, atque etiam maior quàm terrena fuerit, fieri non possit quin propriae voluntatis infirmitate vincamur: id est, non possumus aliter à peccato abstinere. Nam qui solo timore maioris, & aeterni supplicij à Deo inferendi, abstinent à peccato, vt suprà dixit Augustinus numero 22. non mouentur illâ caelesti delectatione, aut cupiditate bo- 23. *Quae sit radix bonorum aut malorum operum.*

ni: quæ duo motiua timoris mali, & cupiditatis boni, distinguit ibidem S. ille Doctor. Scriptura quoque victoriam Susannæ commemorans, nullam penitus facit mentionem delectationis, qua fidem coniugalem morti infami prætulerit: sed metus incurrendi mortem spiritualem & æternam, in pœnam adulterij.

24. Neque minùs falsum est, quod in suæ propositionis confirmationem adducit aduersarius; Voluntatem non moueri ad agendum, nisi per delectationem aliquam vel solam, vel coniunctam desiderio: quæ delectatio si contrariam non habet simul occurrentem voluntati, consensum obtinet necessariò: & si duæ simul occurrunt, maiorem nunquam à minori superari: sed voluntatem necessariò illam sequi: *Quod enim ampliùs delectat, secundùm id operemur necesse est*, vt ait August. in cap. 8. epist. ad Galat. indéque fieri vt voluntas succumbat tentationi, nisi maiore delectatione cælesti roboretur: quia alioqui tam magnas vires adhibere non potest, seu tam intensè & fortiter velle, quantùm necesse est vt tentatio seu delectatio opposita superetur.

25. *Voluntas non mouetur sola delectatione.* Nam contrà: primò, repugnat manifestæ experientiæ quod affirmat aduersarius, voluntatem nihil boni vel mali agere in hoc statu naturæ lapsæ, neque vllam in partem moueri per consensum, nisi præeunte aliqua delectatione bona, vel mala; spiritus, aut carnis; cælestis suauitatis, aut concupiscentiæ; & quidem tali, vt non possimus illi resistere. Vt enim paulò antè diximus, experimur quotidie nos aliis etiam passionibus, & affectibus prauiis excitari ad consensum, aut dissensum; vt timore mali impendentis, vel dolore præsentis, vel odio, vel displicentia, horrore, pudore, & similibus. Experimur etiam delectationes indeliberatas, quibus præuenimur, seu bonas, seu malas, non esse adeò vehementes, vt voluntatem necessariò pertrahant ad consensum: sed ordinariè liberum nobis esse consentire, vel dissentire; ita vt pro libito vel eas sequamur, vel reiiciamus: & plurimas adeò leues esse, ac tenues; vt omnium iudicio turpissimum, atque indignissimum habeatur illis cedere, cùm facillimè potuerit resisti. Ita vt omnino tam propriæ experientiæ, quàm sensui communi repugnare oporteat eos, qui contrarium censent. Et verò iuxta rei veritatem, & doctrinam Diui Augustini lib. de natura & gratia capite 67. & lib. de duabus animabus capite 11. & 12. & lib. 3. de libero arbitrio capite 18. aliisque locis, nunquam malæ delectationi consentitur imputabiliter, sine potentia resistendi. Quódque similiter liberum nobis sit consentire, aut dissentire cælesti motioni & delectationi diuinitus immissæ, allicienti ad consensum, patet ex verbis eiusdem S. Doctoris suprà relatis disput. 25. numero trigesimo-tertio, & ampliùs ex tota disput. 22.

Neque ab illa necessariò trahitur.

26. *Iansenius sibi contradicit.* Deinde, si hoc argumentum valeret, probaret Adamum in statu innocentiæ non habuisse libertatem indifferentiæ in vsu gratiæ, liberóque consensu: & gratiam sanitatis, æquè ac medicinalem, necessitasse ad consensum: quod tamen est contra doctrinam aduersarij. Probatur id sequi. Nam tametsi lib. 4. de Gratia Christi capite septimo & nono, docet *necessitatem delectationis cælestis ad bene volendum, & operandum, non ex natura voluntatis, sed ex eius pœna proficisci, & ex infirmitate per peccatum contracta, quâ fit vt nihil boni amplecti possit, nisi delectet: & veram rationem huius necessitatis petendam esse ex natura medicinæ. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est: ex quibus fit vt in omnibus actionibus, ante gratiam, delectatione quadam libidinosa praeunte ac titillante prouocetur.* Alibi tamen tum eodem capite sexto in fine, tum etiam capite octauo §. 1. affirmat illam necessitatem oriri ex ipsa conditione volendi, & naturâ voluntatis. Nam priore loco dicit *delectationem, vt quis bonum velit, non ex natura boni, aut supernaturalis operis, sed potiùs ex conditione volendi necessariam esse. Voluntas enim sine delectatione velle aut moueri nullo pacto potest. Quod sanè respectu cuiuslibet operationis locum habet.* Ergo etiam locum habuit in Adamo, & in quacunque ipsius operatione ante lapsum.

Posteriori loco docet, etiam in cœlo, vbi certè non est infirmitas voluntatis, nec libidinum imperium, & concupiscentiæ morbus, Beatos necessariò amare id, quod magis eos delectat: verámque causam cur Deum ament necessariò, non esse, quia ipsum clarè intuentur: sed quia præit delectatio circa tale obiectum, & abest omnis contraria delectatio concupiscentiæ; quæ nimirum si adesset, & maior esset, impediret amorem. Ergo etiam in statu innocentiæ motio illa cælestis, quæ primos parentes delectabat, & non impediebatur motu contrario delectationis concupiscentiæ, necessariò consensum ab eorum voluntate obtinebat. Nam quòd etiam tunc Deus eorum mentem non solùm illustrauerit, sed etiam voluntatem accenderit motione illâ cælesti, seu gratia præueniente, docet idem aduersarius libro de Gratia primi hominis, capite duodecimo, & libro secundo de Gratia Christi, capite vicesimo-nono, idque probat ex D. Augustino lib. decimo-quarto de Ciuit. capite 13. vbi de Adamo sic loquitur: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret, & accendebatur vt amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret.* Quibus relatis addit aduersarius priore loco, *Hanc illustrationem* mentis Adami *vt videret, & accensionem voluntatis vt amaret, ita efficaciter verissimum & propriissimum diuinæ gratiæ adiutorium secum ferre: vt pro vera gratia lapsi hominis evidentius, & efficacius testimonium ex Augustino, vel Conciliis proferre nequeamus:* adeóque, iudicio aduersarij, hoc testimonium D. Augustini probat efficaciter Adamum habuisse cælestem illam delectationem indeliberatam, quam solam esse veram Christi gratiam affirmat aduersarius libri quarti de Gratia Christi capite 1. & pluribus sequentibus. 27.

Sequeretur præterea, Adamum necessariò voluisse, & sine vsu libertatis indifferentiæ, quidquid boni voluit in statu innocentiæ: quod tamen est contra doctrinam aduersarij libri de Gratia primi hominis capite septimo, & aliis pluribus locis. Probatur sequela: quia vt ait eodem libro, capite septimo, & pluribus sequentibus, Adam in illo statu nihil boni velle 28. *Tollit Adamo libertatem.*

le & facere poterat sine gratia præueniente: & illa gratia consistebat non solùm in illustratione intellectus, sed etiam in succensione voluntatis, vt suprà dixit, & probauit ex Augustino: quæ succensio erat quædam complacentia obiecti, vel affectus indeliberatus desiderij; & quia non desideratur nisi quod placet & delectat, erat simul, aut coniunctim cum desiderio complacentia circa bonum desideratum, quam complacentiam intelligit aduersarius nomine delectationis præuenientis consensum, non autem gaudium ex possessione rei desideratæ iam obtentæ perceptum. Ergo si voluntas ex ipsa conditione volendi, non modò in statu naturæ lapsæ, sed etiam innocentis, atque etiam in Beatis, vt ait Iansenius, non vult sine præuia delectatione; vúltque necessariò id, quod magis delectat: nihil boni voluit Adamus in statu innocentiæ sine maiori delectatione præuia, quæ necessariò consensum obtineret. Similíque argumento probari potest Adamum in eodem statu peccasse necessariò consentiendo maiori delectationi ad peccandum allicienti: atque ita caruisse libertate indifferentiæ circa bonum & malum; quod est contra doctrinam ipsiusmet aduersarij cap. 6. libri cit. & hoc ipso lib. 4. de Gratia Christi Saluatoris cap. 10. Sed mirum est quàm frequenter auctor iste pugnantia loquatur.

29. *Et nobis etiam ad opera naturalia.* Vlteriùs, ex eadem doctrina sequeretur, vt bene obseruauit Ant. Ricar. lib. 2. Defension. cap. 4. sect. 3. §. 3. ne quidem in vllis operibus naturalibus habere nos libertatem indifferentiæ: vt in ambulando, quiescendo, loquendo, edendo, & similibus. Quod tamen adeò absurdum est, & tam repugnans euidenti experientiæ, vt ne ipsi quidem Caluinistæ iam ita sentiant. Probatur autem id sequi. Quia si verum est quod dixit aduersarius verbis suprà relatis ex lib. 4. de Gratia Christi, necessitatem præuiæ delectationis indeliberatæ oriri ex ipsa conditione volendi, quia voluntas sine delectatione, velle, aut moueri nullo pacto potest: non autem ex natura boni, aut supernaturalis operis: & si, vt docet aliis locis suprà citatis, delectatio tam potenter mouet voluntatem, vt eam necessitet ad consensum, & operationem, si sola est, vel si est maior, quàm contraria simul præueniens; si autem non sit maior, neutra potest obtinere effectum; quia æqualiter se impediunt: sequitur manifestè non posse nos ambulare, sedere, loqui, edere, sine præuia delectatione; quæ, si est sola, aut si est maior contrariâ simul occurrente, necessitat ad consensum: sin minùs, voluntas nullo pacto velle, aut moueri potest.

30. *Altera contradictio.* Sequeretur etiam (quod idem auctor rectè obseruauit) peccatorē, quotiescunque peccat, obstringi necessitate ad peccandum hîc & nunc in tali actione particulari. Quod tamen adeò absurdum est, vt aduersarius admittere non audeat: sed libro quarto de statu naturæ lapsæ, cap. 19. dicat illum quidem generali peccandi necessitate teneri, ita vt quocunque se verterit, in genere necesse sit illum malè agere: sic tamen vt in singulari nullum peccatum necessariò perpetret: adeóque peccatum, vt ibidem addit, *liberum sit quoad exercitium, vt loquuntur: necessarium verò quoad specificationem*, seu potiùs quoad genus, quia *ab illo peccato, quod hîc & nunc facit, potest liberè abstinere.* Probatur autem id sequi, quod diximus: quia sicut cælestis delectatio præueniens, sine qua voluntas nihil boni agere potest, iuxta aduersarium, eam necessitat in particulari ad illud bonum opus singulare, ad quod illam mouet: putà ad hoc opus castitatis, vel misericordiæ: quia non subiacet arbitrio libertatis, sed necessariò consensum obtinet, iuxta doctrinam eiusdem; Ita concupiscentialis delectatio, quæ (vt ipse docet) parem vim habet circa voluntatem, si sola est, vel si est maior cælesti delectatione simul occurrente, trahit necessariò ad consensum in illud opus singulare incontinentiæ, vel odij, furti, &c. ad quod mouet, & allicit. Vnde vlterius fieret, vt sicut iuxta doctrinā eiusdem nouorum dogmatum fabricatoris lib. de Grat. primi hominis, cap. 15. bona opera non sunt nobis tribuenda, sed gratiæ, & cælesti illi delectationi, eiúsque causæ, Deo scilicet: quia non fiunt concurrente nostro libero arbitrio, sed ex necessitate per illam impositā: ita nec mala opera essent nobis tribuenda, sed delectationi concupiscentiali, eiúsque causis, ex quibus necessariò sequitur quòd peccemus, absque vllo concursu liberi nostri arbitrij, siue quoad specificationem, siue quoad exercitium.

31. *Tollit etiam rationem peccati.* Adde quòd nisi vinci posset delectatio mala, quando illi consentitur, non peccaret culpabiliter, qui ab ea vinceretur: licèt tunc absit maior delectatio cælestis illi opposita, iuxta doctrinam aduersarij. Similitérque, nisi præueniente maiore delectatione cælesti, voluntas libero suo flexu amplecteretur bonum, non id faceret laudabiliter & meritoriè: vt enim rectè ait August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. *Motus quo huc, aut illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.* Similia dicit in libris contra Pelagianos exaratis: vt lib. de natura & gratia cap. 65. vbi approbat quod scripsit Hieron. liberi arbitrij nos esse, & neque ad virtutes, neque ad vitia necessitate trahi: & neque coronæ neque damnationi locum esse, vbi necessitas est.

32. *Explicatur illud August. Quod amplius nos delectat, &c.* Neque obest locus ab aduersario obiectus ex D. Augustino Enarratione in epistolam ad Galat. vbi non dicit, *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id velimus necesse est*: sed, *secundùm id operemur necesse est.* Et per vocem *delectat*, non intelligit motum complacentiæ, vel desiderij, indeliberatum, & præuenientem consensum voluntatis, vt vult aduersarius: sed actum ipsum liberum voluntatis amantis & volentis efficaciter, ad quem sequitur necessariò externa operatio, si est in nostra potestate: eóque sensu dicit nos operari necessariò secundùm id, quod ampliùs nos delectat. Ex. gr. *Occurrit*, inquit, *forma speciosa fœminæ, & mouet ad delectationem fornicationis. Sed si plus delectat pulchritudo illa intima, & sincera species castitatis* (id est, si magis amamus castitatem, & efficaciter eam seruare volumus) *per gratiam, quæ est in fide Christi, secundùm hanc viuimus, & secundùm hanc operamur.* Eodémque sensu lib. 22. contra Faustum cap. 28. quando sic ait, *Si nihil delecta-*

Rr

ret illicitum, nemo peccaret: delectationem accipit pro libero consensu, & complacentia voluntatis circa illicitum: vt indicant verba immediatè sequentia: *Vtrum autem sit aliqua rationalis creatura, quam nihil illicitum possit delectare, magna quæstio est. Quod si est: non in eo genere factus est homo, nec illa natura Angelica, quæ in veritate non stetit: sed in eo genere ista rationalia facta sunt, vt inesset eis possibilitas frenandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccauerunt*. Delectationem scilicet liberam: nam præuenientem, & indeliberatam circa illicita non habuerunt in statu innocentiæ, vt docet alibi D. Augustinus, & affirmat aduersarius lib. de Gratia primi hominis, & Angelorum, cap. 3. vbi plura eius loca ad id confirmandum adducit. Quod verò ait lib. 2. de peccatorum merit. cap. 17. *Tantò vehementiùs nos velle, quantò certiùs quid bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentiùs*: intelligendum est de eo quod ordinariè fit, quamuis liberè, & sine necessitate, cuius nulla fit ibi mentio. Quia nimirum solent homines sequi, quod eis magis placet, & pauci sunt, qui, vt par est, rationem potiùs, quàm passionem, aut vehementem inclinationem sequantur.

33. *Explicantur alia eius loca.* Alia quæ opponit toto cap. 4. & 5. minus habent difficultatis. Nam eorum aliqua loquuntur tantùm de libera delectatione, quam voluntas concipit adiuta per Dei gratiã, quando mauult, magísque delectatur amplecti bonum, quàm consentire malæ delectationi oppositæ. Alia nihil aliud dicunt, quàm nos bene agendo sequi aliquam delectationem præuiam, seu concupiscentiam indeliberatam eiusdem boni: sed non affirmant illam esse debere maiorem quacunque opposita simul occurrente: & voluntatem necessariò illam sequi: tametsi vincat, id est, consensum liberum obtineat. Alia tantùm asserunt nos debere sequi cælestem delectationem, quando ab illa præuenimur, & secundùm illam agere, quæcunque opposita simul occurrat: nósque admonent nostri officij: sed nullo modo affirmant id necessariò fieri, oppositúmque potiùs indicant hoc ipso, quod nos admonent. Nam quotiescunque monemur hoc aut illud agere libertas nostri arbitrij conuenitur: vt ait idem S. Doctor lib. de Gratia, & libero arbit. cap. 2. & 3. Alia denique nihil aliud asserunt, nisi non posse nos bonum velle & agere solis arbitrij viribus, sed egere Dei gratiâ præueniente, & adiuuante naturæ infirmitatem, quod plerumque facit per delectationem præuiam. Atque hæc omnia ita esse vt dicimus, nullúmque proferri ab aduersario testimonium D. Augustini, cui non possit aliqua ex his quatuor interpretationibus adhiberi, prudens, & attentus lector facilè intelliget loca citata consulendo, & expendendo.

34. *Soluuntur illius argumenta.* Cetera quæ addit Iansenius, vel nobis non obsunt, vel possunt ex dictis æquè facilè solui. Nam aliud est dicere quòd voluntas propter infirmitatem, & corruptionem naturæ lapsæ, indigeat gratiâ ad vincendas tentationes; quod verum esse fatemur: & aliud dicere, quòd eas vincere nequeamus, nisi eiusmodi gratia victrix sit necessitans; quod falsum & erroneum esse, contrariúmque doctrinæ Diui Augustini, breuiter suprà indicauimus, & fusè probauimus disputatione 22. Quàm verò sit ineptum quod ait sensum horum verborum, *Si volueris conseruabis mandatum*, esse quòd mandatum non nisi libero hominis arbitrio implendum sit, quamuis reipsa nunc neque faciendi potestatem habeat, neque voluntatem faciendi quod iubet, adeóque per seipsum, quantumlibet conatus fuerit habere non possit: patet ex dictis disput. 25. sect. 7. & seqq. vbi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, speciatimque ipsius Augustini testimoniis, rationéque manifestâ ostendimus non deesse gratiam sufficientem, & necessariam ad seruanda mandata, quotiescunque instat obligatio, & peccatur culpabiliter transgrediendo: sed stare per ipsum peccatorem quòd non impleat, vtendo gratiâ sibi exhibitâ, vel exhibendâ si postulet.

Similiter quod ait Angelorum & Beatarum mentium impeccabilitatem non oriri ex clara Dei visione, sed ex delectatione præuia, cui nulla contraria vel maior, vel æqualis occurrit eorum voluntati: præter insignem contradictionem, quam continet, vt suprà ostendimus num. 27. repugnat doctrinæ Augustini verbis ab ipsomet aduersario relatis ex lib. 4. contra Iulianum cap. 3. vbi manifestè illam tribuit & claræ visioni, & delectationi non præuiæ, sed consistenti, aut resultanti ex amore ardentissimo caritatis, quo Deum clarè visum & possessum toto conatu diligunt, illúmque infinitè rebus omnibus aliis anteponunt, non solùm ratione, seu intellectu, hoc est, per æstimationem quâ iudicant illis supereminere; sed etiam per affectum voluntatis, plus diligendo appretiatiuè, atque etiam intensiuè, quàm vllum aliud obiectum amabile. Verba Augustini retulimus suprà num. 8. Alibi verò docet claram Dei visionem esse radicem & causam illius amoris perpetui Beatorum, adeóque impeccabilitatis, cùm sit impossibile Deum super omnia diligere, & simul peccare. Vt lib. 1. de Trinit. cap. 8. vbi dicit claram Dei contemplationem *promitti nobis tanquam actionum omnium finem, atque æternam perfectionem* (efficienter scilicet, id est, causam effectricem, & perfectricem) *omnium gaudiorum. Filij enim Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus enim quia cùm apparuerit, similes ei erimus*, (felices omni ex parte, adeóque impeccabiles) *quoniam videbimus eum sicuti est*. Neque de infinita Dei excellentia sentiunt vt par est; qui putant claram eius visionem non sufficere ad rapiendam voluntatem, vt illum toto conatu diligat, & tota in eius amore absorbeatur. Quod denique ait de differentia inter statum naturæ stantis, & lapsæ, quoad libertatem & flexibilitatem circa bonum & malum, refutatum fuit disput. 22. sect. 6. & 7. vbi manifestis Augustini testimoniis demonstrauimus eum similiter loqui de vtroque statu, quod attinet ad libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, & vsum aut non vsum gratiæ. Alia quæ addit de delectatione & desiderio præuiis ad actus liberos bonos aut malos, vel nobis non obstant; vel si quid habent nobis aduersum, manent ex dictis soluta: nihil enim ferè continent præter supradictorum repetitionem.

35. *Radix impeccabilitatis Beatorum.*

SECTIO IV.
Quid sentiant Theologi de diuisionibus gratiæ?

36. *Prima diuisio in gratiam gratum facientem, & gratis datam.* VARIAS gratiæ generaliter sumptæ diuisiones tradunt Scholastici cum D. Thoma 1. 2. q. 111. quas breuiter hoc loco referemus. Prima est in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam. Prior dicitur illa, quæ datur primò & immediatè propter salutem ipsius accipientis, & propriam ipsius sanctificationem: cuiusmodi sunt illæ quibus vocatur & disponitur ad iustificationem, quibúsve iuuatur ad bene operandum, & perseuerandum in accepta iustitia: itémque gratia sanctificans, & virtutes infusæ, & septem dona Spiritus sancti si ab illis distinguuntur. Posterior est, quæ datur per se primò & immediatè propter salutem aliorum, quos Deus vult iuuare per eum, cui tales gratias confert: cuiusmodi sunt illæ quæ enumerantur ab Apostolo 1. Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem,* (supple aliorum) *alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu,* (id est, fides miraculorum, vel donum interpretandi res fidei) *alij gratia sanitatum in vno spiritu, aly operatio virtutum, aly prophetia, alij genera linguarum, aly interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.*

37. *2. In increatam & creatam.* Secunda diuisio est in gratiam creatam, & increatam. Increata est ipsemet Deus se donans multipliciter, vt Christo per Incarnationem, siue vnionem hypostaticam cum natura humana, Beatis per sui fruitionem, iustis per specialem inhabitationem: itémque amor æternus, quo Deus homines ad gratiam & gloriam destinauit. Est enim amor ille primum donum gratuitum, & causa aliorum quæ Deus confert in tempore ad eundem finem. Creata verò est, quodcunque aliud donum gratuitum, quod Deus in hominibus, aut propter homines extra se operatur.

38. *3. In æternam & temporalem.* Tertia diuisio est in æternam, & temporalem. Æterna est amor ille æternus, quem iam diximus: itémque prædestinatio, siue efficax electio quorundam ad gloriam, & præparatio mediorum conuenientium, præsertim efficacium, & Deus ipse se nobis dare paratus ab æterno. Temporalis est, quæ in tempore exhibetur: cuiusmodi sunt omnia beneficia gratuita creata, naturæ humanæ iam existenti superaddita.

39. *4. In internam & externam.* Quarta diuisio est in externam, & internam. Interna dicitur illa, quæ interiùs ipsos homines afficit: cuiusmodi sunt cogitationes & illustrationes diuinitus immissæ intellectui, & piæ motiones impressæ voluntati: itémque habitus infusi virtutum supernaturalium, & gratiæ sanctificantis. Externa est, quæ extra nos est, & obiectiuè tantùm, vel alio quodam modo externo confert ad nostram vel aliorum salutem: cuiusmodi sunt Scriptura & lex diuina, prædicatio Euangelij, exempla Christi in eo contenta, miracula ab eodem & ab aliis facta in confirmationem fidei; exhortationes, & aliæ occasiones bene agendi, specialiter à Deo procuratæ.

Quinta est in gratiam habitualem, & actualem. Prior dicitur illa, quæ vel est habitus quidam supernaturalis, cuiusmodi sunt virtutes infusæ; vel est aliquid permanens naturâ suâ, & habituali modo perdurans: vt gratia sanctificans si distinguitur à virtutibus, & actus beatifici, & vnio hypostatica. Posterior dicitur illa, quæ non est ex natura sua permanens, sed breui transiens, vt solent actus vitales quos in hac vita exercemus: huiusmodi sunt illustrationes, & motiones, quibus excitamur ad credendum, & bene agendum; & ipsi actus supernaturales, qui ita sunt nostra opera, vt sint etiam Dei dona; & concursus Dei ad illos exhibitus; & externæ multæ occasiones frequenter occurrentes. 40. *5. In habitualem & actualem.*

Sexta diuisio est gratiæ in vocantem, præuenientem, operantem, aut præoperantem; & in gratiam concomitantem, seu cooperantem, & adiuuantem; & denique in subsequentem. Quæ diuisio tribus modis explicatur. Prima explicatio est D. Thomæ q. cit. art. 2. & 3. vbi illam applicat gratiæ tam actuali, quàm habituali sanctificanti: dicítque gratiam actualem operantem illam vocari, quam Deus in nobis efficit sine nobis liberè cooperantibus: cooperantem verò illam, ad quam liberè cum Deo cooperamur. Applicando autem eandem distinctionem gratiæ habituali, dicit illam vocari operantem, quatenus animam sanat, vel iustificat, siue gratam Deo facit: & cooperantem, quatenus est principium operis meritorij quod ex libero arbitrio procedit: & denique vtramque gratiam vocari præuenientem, aut subsequentem, respectu diuersorum effectuum. Sunt enim, inquit, diuersi gratiæ effectus in nobis: quorum primus est, vt anima sanetur: secundus, vt bonum velit: tertius est, vt bonum quod vult efficaciter operetur: quartus est, vt in bono perseueret: quintus est, vt ad gloriam perueniat. Et ideo gratia secundùm quod causat in nobis primum effectum, vocatur præueniens respectu secundi effectus: & sicut vnus effectus est posterior vno effectu, & prior alio; ita gratia dici potest præueniens & subsequens, secundùm eundem effectum, respectu diuersorum. In cuius expositionis confirmationem profert quod ait Augustinus lib. de natura & gratia c. 31. *Præuenit vt sanemur, subsequitur vt sanati vegetemur; præuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur.* Et lib. de gratia & libero arbit. cap. 17. *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incœpit: quia ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* 41. *6. In præuenientem, cooperantem, & subsequentem.*

Altera explicatio, & communior Theologorum, quâ soli gratiæ actuali applicatur supradicta diuisio, per gratiam præuenientem & præoperantem intelligit illam, quâ Deus præuenit liberam nostram operationem, & per illuminationes intellectus, piásque motiones voluntatis indeliberatas, nos vocat & excitat ad credendum, pœnitendum, sperandum, diligendum, aliáque bona opera: de quo genere gratiæ loquitur Augustinus lib. de Spir. & lit. cap. 34. cùm sic ait: *Non est in hominu potestate quid* 42. *Altera explicatio huius diuisionis.*

ei veniat in mentem: *sed in omnibus misericordia Dei præuenit nos, consentire autem vel non consentire vocationi, propria voluntatis est.* Concomitans verò & cooperans, siue adiuuans dicitur illa, quâ Deus iam nobis liberè assentientibus gratiæ excitanti seu præuenienti, cooperatur ad consensum, id est, ad actus liberos credendi, sperandi, diligendi, &c. de qua loquitur idem S. Doctor lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 17. verbis paulò antè à D. Thoma relatis. Subsequens denique dicitur illa, quæ subsequitur voluntatis consensum, præbendo illi vires & opportunitatem exequendi quod vult. Quo sensu intelligi potest quod ait Augustinus cap. 32. Enchiridij, *Præcedit bona voluntas hominis multa dona Dei, sed non omnia &c. Vtrumque legitur in sacris eloquiis. Et misericordia eius praeueniet me: Et*
Psal. 58. *misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit vt velit: volentem sequitur ne frustra velit*, id est, vt opere impleat quod vult & desiderat exequi. Et quod ait Fulgentius Augustini discipulus lib. 1. ad Monimum c. 7. *Ipse enim donat gratis indigno gratiam, &c. vt præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordiâ bonum, quod vult, facere valeat.* Et quod ait Ecclesia in oratione Dominicæ 16. post Pentecosten, *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper & præueniat, & sequatur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.*

43. *Tertia eius expositio.* Tertia & postrema expositio magis placens quibusdam Theologis; vt testatur Malderus 1. 2. q. 111. art. 2. & 3. & inter alios Gabrieli Vasquez disp. 185. c. 10. num. 44. vbi eandem tribuit SS. Augustino, & Fulgentio, qui licèt priorem expositionem alibi tradant, interdum tamen per gratiam præuenientem intelligunt omnem illam gratiam actualem, quæ antecedit iustificationem, siue præueniat consensum nostrum liberum, siue non. Per subsequentem verò, illam omnem actualem quæ datur post iustificationem, siue detur præueniendo consensum liberum, siue illum comitando, aut sequendo. Priorem aiunt dari vt sanemur: posteriorem vt perseueremus, vegetemur, & vitam æternam assequamur. In eúmque sensum intelligendum esse dicit auctor proximè citatus illud suprà relatum ex Diuo Augustino libro de natura & gratia capite 31. *Præuenit gratia vt sanemur, subsequitur vt sanati vegetemur: præuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur: præuenit vt piè viuamus, subsequitur vt cum illo semper viuamus.* Et quod ait Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. *Præuenit impium vt fiat iustus: subsequitur iustum ne fiat impius &c. Præuenit elisum vt surgat: subsequitur eleuatum ne cadat.* Eodem sensu de gratia præueniente loqui videtur Concilium Arausicanum II. canone quarto & pluribus sequentibus: sic autem explicata hæc diuisio gratiam concomitantem & subsequentem pro eâdem accipit: quas tamen alibi & inter se, & à gratia præueniente iidem Sancti Patres & Concilia distinguunt: vt videre est apud eundem Fulgentium epist. 6. ad Theodor. vbi sic loquitur de Scriptura sacra: *Ibi inuenies & præuenientem gratiam, quâ potest elisus surgere; & comitantem, quâ viam recti possit itineris currere; & subsequentem, quâ valeat ad regni cælestis beatitudinem peruenire.*

Eamdem tribuit Augustino Molina in Concordia q. 14. a. 13. disp. 40.

44. Quod verò etiam de his gratiæ differentiis iuxta secundam expositionem interdum loquantur, & per gratiam præuenientem intelligant eam, quæ siue ante iustificationem, siue post, libertatem nostram præuenit, & per cooperantem, eam cui liberè cooperamur, siue nos disponendo ad iustificationem, siue post, ad bonum operandum, & in ea perseuerandum; patet ex Arausicano canone decimo-octauo, vbi de bonis etiam iustorum operibus sic ait: *Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant*: illa scilicet gratia quæ consistit in sanctis cogitationibus, & piis motionibus, quas Deus in nobis sine nobis operatur: iuxta id quod addit canone 20. *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet vt faciat homo.* & canone 23. *Quando id faciunt (homines) quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo præparatur, & iubetur quod volunt.* Generaliter quoque de bonis operibus sic ait canone 25. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus; quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem sui priùs inspirat, vt & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum (cum ipsius adiutorio) ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Eòdem pertinet quod suprà retulimus ex Augustino, generaliter dictum de bene operantibus: *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* & quod ait Tridentinum sess. 6. cap. 16. *Christum Iesum, tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influere, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Ex quibus omnibus locis manifestum est gratiam præuenientem non semper restringi à Patribus & Conciliis, ad illam solam, quæ datur ante iustificationem. Verum tamen est aliquando ad illam restringi: sicut etiam verum est gratiam concomitantem seu cooperantem, & gratiam subsequentem, interdum pro eadem accipi sub diuerso tantùm respectu: ita vt dicatur comitans respectu liberi consensus voluntatis, cui cooperatur simultaneo concursu: dicatur verò subsequens respectu gratiæ præuenientis, quam præsupponit: quia priùs est vocari hominem & excitari per gratiam præuenientem, quàm Deo vocanti & excitanti cooperari per liberum consensum, obsequendo diuinæ vocationi & excitationi.

Vtraque expositio est conformis Patribus.

45. Septima & vltima diuisio est gratiæ præuenientis liberum consensum in sufficientem quæ potest quidem habere effectum, sed non habet, defectu voluntatis nolentis consentire: & in efficacem, quæ reipsa consensum obtinet. De qua diuisione, & vtriusque membri explicatione sufficiunt quæ diximus tota disputatione 27. *7. Diuisio in sufficientem & efficacem.*



SECTIO V.

Quid de illis diuisionibus sentiat Iansenius.

46. *Expositio Iansenij.* CONTRA ea quæ diximus ex receptâ communiter sententiâ Theologorum multa opponit Iansenius lib. 4. de Gratia Christi Saluatoris cap. 11. & seqq. vsque ad finem libri, vbi persuadere conatur Doctores Scholasticos longè aberrare à mente Diui Augustini, & discipulorum eius Prosperi, & Fulgentij, verorum gratiæ interpretum, & defensorum. Nam Scholastici per gratiam præuenientem intelligunt eam omnem, quæ præuenit liberum consensum voluntatis in quibuslibet bonis operibus, illam præexcitando, seu præmouendo indeliberatè. At Augustinus, eiúsque discipuli gratiam præuenientem vocant, non respectu bonorum operum, quæ iustificati per totam vitam operantur, quamuis ad ea voluntatem excitet: sed tantùm respectu illius mutationis de mala in bonam, per quam incipit iustificari, hoc est, ex nolente volens, ex auersa conuersa, ex iniusta iusta fieri: respectu verò operum iam à credente ac diligente profluentium, gratia vocatur subsequens, quia sequitur meritum iam conuersæ & iustificatæ voluntatis. Hanc esse veram, & genuinam intelligentiam gratiæ præuenientis, & subsequentis, prout de illis Augustinus, ac discipuli eius, & Ecclesia, ipsáque adeò Scriptura loquuntur, probare conatur adductis plurimis eorum testimoniis toto capite 12. & duobus sequentibus.

47. *Quid intelligat per gratiam operantem, & cooperantem?* Tum cap. 15. dicit ex mente eorundem Patrum gratiam operantem non esse aliam, quàm præuenientem, diuersa tantùm consideratione hæc duo nomina sortitam. Dicitur enim præueniens, quia præuenit liberam hominis voluntatem, antequam quidquam boni vel operata sit, vel à Deo promeruerit. Operans verò dicitur, quia ipsa sola primam bonam voluntatem in homine operatur. Non quasi homo simul in illam vitaliter non influat: sed quia bonum illum motum operatur, nobis nihil ad eum habendum conferentibus, petendo, desiderando, studendo, meditando: atque ita nihil omnino boni meriti respectu illius voluntatis afferendo. Similiter gratiam cooperantem non esse aliam, quàm subsequentem: quæ quidem subsequens dicitur, quatenus subsequitur bonam illam voluntatem, quam sola præueniens gratia inspirauit, atque operata est. Sequitur verò, tanquam retributio quædam bonæ voluntatis, aut fidei, aut orationis. Cooperans autem vocatur, quia operatur aliquid in nobis, non sola, sed nobis simul operantibus, non per simultaneum tantùm influxum, vt Scholastici recentiores intelligunt, (sic enim etiam cooperamur gratiæ operanti) sed præuiè ad affectum istius gratiæ, volendo, credendo, desiderando, petendo, pulsando, satagendo, adeóque etiam promerendo: ita vt eius effectus sit vniuersim primæ voluntatis illius bonæ incrementum vsque ad apicem perfectionis humanæ.


48. *Quid per excitantem, & adiuuantem?* Sic etiam (inquit cap. 16.) non eodem modo, quo Scholastici, accipiunt illi gratiam excitantem, & adiuuantem. Nam excitantis nomine non intelligunt quamlibet incitationem, vel prouocationem ad actum, quæ cuilibet gratiæ competit: sed primam suscitationem, seu excitationem, seu emicationem sopitæ, mortuæ, extinctæ volitionis, seu voluntatis bonæ: prout voluntas, phrasi veterum, volitionem seu motum voluntatis denotat. Quâ phrasi etiam voluntas, hoc est, volitio seu propositum hominis tanquam infirmum, adiuuari dicitur: iuxta illud Pauli, quod de iam credentibus, & volentibus dixit: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Est enim hæc adiuuantis gratiæ proprietas, vt respiciat studium hominis, postquam iam esse cœpit, mutatámque in melius voluntatem: Atque ita gratia excitans idem est quod præueniens, & operans: adiuuans autem est idem atque subsequens, & cooperans.


Sed ad hæc dico primò, tametsi interdum Patres suprà nominati prædictas gratiæ diuisiones in hunc sensum accipiunt; (ad quod tamen probandum parum vtiliter, & appositè pleraque eorum loca adducit Iansenius, non tam delectum satagens, quàm multitudinem affectans) aliis tamen locis eas longè aliter explicare, vt fateri cogitur aduersarius toto cap. 13. libri suprà citati, vbi initio dicit antiquos illos Patres interdum gratiam præuenientem accipere pro omni actuali gratia, quæ in hac vita datur, non solùm vt velimus, aut credamus, sed etiam vt bene diuinorum mandatorum obseruatione viuamus: id est, non solùm vt incipiamus, & conuertamur ad Deum; sed etiam vt deinceps in virtute, & perfectione Christiana progrediamur. Ad quod probandum adducit locum Augustini ex lib. de natura & gratia cap. 31. *Præuenit autem* gratia *vt sanemur*, &c. additque eodem modo sumi gratiam præuenientem à Tridentino sess. 6. can. 3. quando sub anathemate definit, Neminem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet. Addere poterat ad idem confirmandum, id quod suprà retulimus ex Trident. eâdem sess. 6. cap. 16. Christum in ipsos iustificatos iugiter virtutem influere, vt caput in membra, & vitem in palmites, *quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* Quódque Ecclesia iubet fideles suos, etiam iustos, orare Deum vt sua gratia *semper eos præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Gratiam quoque operantem latiùs sumi à Patribus aliquando pro omni gratia, quæ aliquem actum quemcunque in voluntate, vel cum voluntate operatur. Quo etiam sensu dicit Apostolus Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere.* Similitérque cooperantem gratiam latiùs vsurpari pro omni gratia concurrente cum voluntate ad bonum opus quodcunque. Et denique gratiam excitantem, nonnunquam; adiuuantem verò, sexcentis locis ita generaliter vsurpari, vt omni prorsus gratiæ actuali competat. Omnis enim hoc ipso, quo potentiam voluntatis tangit, excitans dicitur. Omnis item hoc ipso, quo potentiæ voluntatis ad actum naturales vires excedentem, etiam primum, quo conuertitur ad Deum, suum auxilium præbet, adiuuans nuncupatur. Quo sensu D. Aug. epist. 105. ad Sixtum, *Spiritus*, inquit, *aliter adiuuat nondum inhabitans; aliter inhabitans. Nondum inhabitans adiuuat vt sint fideles: inhabitans adiuuat iam fideles.*

49. *Ostend tur Patres aliter quoque explicare.*

50. *Iansenij dissimulatio.* Dico secundò, illas ipsas acceptiones diuisionum gratiæ prædictarum, quas vt Doctoribus Scholasticis incognitas, & à se de tenebris erutas ostentat Iansenius, non fuisse illis ignotas, nec prætermissas: vt patet ex dictis num. 43. Nullam etiam esse explicationum à nobis suprà traditarum ex communi Theologorum sensu, quæ ab Augustino, aliísque Patribus non sit accepta; vt ostendunt eorum testimonia pro illis confirmandis, vel illustrandis sectione præcedenti adducta. Sed hoc Iansenius dissimulauit, vt videretur aliquid nouum, & reconditum promere: sumerétque, vt sæpiùs facit, ex illa dissimulatione occasionem carpendi Scholasticos, & in contemptum adducendi, veluti Patrum doctrinæ ignaros, & philosophiæ Aristotelicæ solùm addictos: quíque, vt ait initio capitis 12. magis attenti quid istis nominibus, filum philosophiæ suæ sequendo, significari opportunè possit; quàm quid eis Augustinus, ac discipuli eius Prosper, & Fulgentius significarent, mentem eorum nullo modo assecuti sunt. Et hæc de ista nominis quæstione sufficiant: neque enim lubet in re tam parui momenti diutiùs immorari.

51. *Detegitur eius fraus & calliditas.* Tantùm aduerto primò, ineptè ipsum Theologos monere initio capitis 14. vt videant vtrum sit expediens, ac tutum, in philosophica tantum vocabulorum interpretatione hærendo, discedere à mente Augustini, & discipulorum eius, adeóque Ecclesiæ Catholicæ, & Conciliorum. Nam præterquàm quòd, vt modò dixi, de nomine sola quæstio est: ipse potiùs ab eorum mente discedit, si negat supradictas gratiæ diuisiones, eodem illo sensu, quem Scholastici dant, fuisse interdum acceptas ab Augustino, eiúsque discipulis, & à Conciliis Tridentino, & Arausicano, atque ab ipsa Scriptura, adeóque à tota Ecclesia Catholica, vt ostendimus perspicuis eorum testimoniis. Secundò, veram causam cur Iansenio tantopere displiceat sensus eiusmodi diuisionum gratiæ à Theologis communiter traditus ex doctrina Patrum, & Ecclesiæ, esse quia datur per ordinem ad consensum liberum voluntatis: quem si gratia præuenit, quando scilicet Deus pias illustrationes, & motiones operatur in nobis sine nobis, id est, nobis non liberè cooperantibus; dicitur præueniens, operans, & excitans. Si autem illum comitatur, aut sequitur, dicitur adiuuans, & cooperans, seu concomitans, aut subsequens. Hunc autem liberum consensum voluntatis, veluti præcipuum hæresis Pelagianæ dogma, ceterorúmque fontem abhorret Iansenius, passim affirmans cum Caluino libertatem indifferentiæ fuisse per peccatum originale extinctam: nihílque boni fieri à voluntate in hoc statu naturæ lapsæ, nisi necessitet gratia: & è contrario, quidquid mali fit, non fieri ex vsu libertatis indifferentiæ, sed necessitante concupiscentia. Ideóque Patrum expositionem circa prædictas diuisiones, conatur aliò detorquere, atque ab ista cogitatione lectorem, quantùm potest, abducere.





DISPVTATIO XXIX.

De effectibus medicinalis Gratiæ Christi.

SECTIO I.

Quid de illis doceat Iansenius?



DE illis tractat Iansenius toto libro 5. de Gratia Christi Saluatoris: vbi docet 1. effectum gratiæ medicinalis in eo consistere, vt Deum seu iustitiam diligamus. Nam sola suauitas, quâ fit vt diligamus Deum, est gratia Christi medicinalis quam humano generi ægrotanti dedit: vt ait initio capitis 1. addens paulò pòst, solam caritatis inspirationem, quâ fit vt Deum verè, sincerè, & sicut oportet diligamus, esse, ex Augustini sententia, propriè gratiam Saluatoris mundi, prout gratia propriè dicta Christi à scientia distinguitur. Nam scientia, inquit, sicut & remissio peccatorum, reuera quoque sunt dona, & magna gratia: sed neutra est gratia illa, quæ nos facit velle, & facere bonum, vel quâ facit Deus vt in iustificationibus eius ambulemus: de qua propriè controuersia est, & fuit olim inter Augustinum, & Pelagianos. Probat, quia eiusmodi gratia est illa, quâ fit vt homo, qui fuit antea voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam: siue, quâ in homine inchoâtur voluntas bona, vt per gratiam bonum velit; eadémque voluntas adiuuatur, augetur, & accenditur, vt diuina mandata possit implere: vt docet August. epist. 144. & lib. 2. de peccati merit. & remiss. capite 18. & lib. de Gratia & libero arbitrio capite 15. & 20. aliísque locis. Atqui per hanc gratiam nihil aliud agitur, quàm vt caritas Dei in eo seminetur, & crescat. Quod vel ex eo satis manifestum est, quia iuxta constantem doctrinam Augustini, bona voluntas, seu voluntas, & cupiditas boni, nihil aliud est, quàm vera illa, & propriè dicta caritas Dei: vt patet ex libro de Gratia, & libero arbitrio capite 17. & 18. & libro de Gratia Christi cap. 18. & 47. & lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. & 9. & epist. 143. ad Iulianam. Verba illius sunt lib. de Gratia Christi cap. 18. *Quid verò aliud est bona voluntas, quàm caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à Patre datam, vt filij eius essemus.* Et lib. 2. ad Bonifac. cap. 9. *Quid est enim boni cupiditas, nisi caritas? de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens caritas ex Deo est.* Huic argumento alia quatuor subiungit Iansenius toto capite primo, quæ eódem reuoluuntur, & verbis magis, quàm sensu differunt. Additque capite secundo radicem huius doctrinæ esse, quia apud Augustinum, nullum est bonum, quandiu fit formidine pœnæ, non amore iustitiæ. Hæc autem iustitia, quam in operibus quibuscunque bonis diligendam esse

1. [illegible]

[illegible]

docet, non est aliquis habitus, vel actus animæ: sed est illa æterna, & incommutabilis iustitia, quæ Deus est: iuxta illud eiusdem, serm. 17. de Verbis Apostoli cap. 3. *Interrogo utrum ames iustitiam? Respondebis, Amo. Dominus autem iustitia est.*

2\. *Et virtutem non esse nisi amorem Dei.* Secundò docet toto cap. 3. virtutem apud Augustinum non esse aliud, nisi amorem Dei: vt patet, inquit, ex eius lib. de moribus Ecclesiæ cap. 15. vbi postquam ratione, & Scripturarum auctoritate docuit, summum hominis bonum, quò referenda sunt omnia, & cui inhærere beatissimum sit, esse solum Deum, nec ei inhærere nos posse, nisi dilectione, amore, caritate: tandem subiungendo dicit: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmauerim, nisi summum amorem Dei.* Et epist. 29. *Vt generaliter,* inquit, *breuiterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè viuendum attinet, virtus est caritas, quâ id, quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est.* Et epist. 52. ad Macedonium: *Quanquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus; nos ipsos diligere nescimus. Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando.* Ratio huius doctrinæ (inquit Iansenius) triplex est. Primò, quia virtus est, quâ diligitur id, quod diligendum est: vt ait August. epist. 29. & 52. Nihil autem est creaturæ rationali diligendum, nisi vnus, & solus Deus: vt idem affirmat pluribus locis. Secundò, Virtus non est, aut potest esse aliud, nisi voluntas bona, seu propositum voluntatis bonæ. Atqui bona voluntas non est aliud, quàm caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, vt ait Augustinus cap. 21. libri de Gratia Christi. Tertiò, quisquis rectè viuere constituit, (quod & inchoatæ, & prouectæ, & perfectæ virtutis officium est) debet animum regulis quibusdam incommutabilibus adhærere, in quibus videat quid cauendum, & faciendum sit; easque diligere, & sequi. Hæ verò regulæ, & quasi lumina virtutum immutabilia, & sempiterna, non sunt aliud, quàm lex æterna, quæ in ipsa æterna Dei veritate resplendet: quam proinde diligendo, non aliud diligit nisi ipsum Deum, seu veritatem, & iustitiam eius incommutabilem, à qua promanat, & ex cuius refulgentia lucis, fulget quidquid velut iustum, & rectum approbamus, siue facimus. Omnis igitur virtus in Dei ipsius, tanquam veritatis, & iustitiæ incommutabilis dilectione versatur, & ex illa rationem virtutis trahit.

3\. *Eamque diuidit in alias virtutes propter diuersos operandi modos.* Tertiò docet, virtutem istam, quæ est amor Dei, in quatuor virtutes cardinales, velut in membra diuidi. Nam ista diuisio (inquit cap. 4.) à diuerso modo operandi eius amoris sumitur; siue ab alio, & alio amoris affectu, quem vel in discernendis bonis, ac malis, vel in coërcendis libidinibus, vel in tolerandis difficilibus, vel in suo cuique tribuendo exerit. Ex quibus operandi modis, quos idem amor parit, quatuor virtutes oriuntur, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Et paulò pòst: *Iuxta doctrinam igitur S. Augustini,* inquit, *diuisio ista quadripartita non est in virtutes tanquam diuersas ab amore Dei: sed eiusdem amoris in diuersos afficiendi, & operandi modos. Vnde magis elucescit, virtutem creaturæ rationalis non aliud esse, quàm amorem Dei.* Ad quod probandum adducit aliquot testimonia D. Augustini, præcipuè ex lib. de morib. Ecclesiæ cap. 15. 21. 22. 24. & 25. ex quibus non obscurè patere dicit, frustra omnino, præter caritatem, alias virtutes morales à Scholasticis quæri, quibus caritas ad officia temperantiæ, & fortitudinis, & similium virtutum adiuuetur. Addit cap. 5. idem de religione sentiendum esse, omnibusque aliis virtutibus moralibus, quæ omnes ad quatuor prædictas, velut ad quosdam cardines reuocantur, & operandi modos planè similes habent: vt speciatim de religione affirmat Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 4. & epist. 29. & 120. cap. 18. & lib. 12. de Trinit. cap. 14. & in Psal. 52. & 77. *Quis cultus eius,* inquit lib. cit. de Trinit. *nisi amor eius, quo nunc desideramus eum videre, credimusque, & speramus eum nos esse visuros?* Et epist. 29. *Quid autem est pietas, nisi Dei cultus? Et vnde ille colitur, nisi caritate?* Et epist. 120. cap. 18. *Porro pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.* Idem denique sentiendum esse de virtutibus Theologicis, fide, & spe, probat cap. 6. quia iuxta D. Augustinum, voluntas illa, ex qua credimus Deo, & speramus in Deum, non alia est, quàm verus amor, seu caritas Dei; vt ex multis eius principiis demonstrari potest. Primò scilicet, quia initium fidei est initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis: vt dicit Augustinus epist. 107. ad Vitalem. Quid verò aliud est bona voluntas, quàm caritas? vt idem ait lib. de Gratia Christi cap. 2. Ergo necesse est in fide, multóque magis in spe, quæ prouectior fide est, esse initium caritatis. Secundò, Deus nos iubet primitus in se sperare, & credere. Sed nemo potest præceptis Dei obedire sine caritate, vt ait idem S. Doctor lib. de dono perseuer. cap. 16. *Preuenit,* inquit, *gratia fidem, &c. preuenit & caritatem, quâ vnâ veraciter, & suauiter obeditur.* Tertiò, cupiditas boni, etiam imperfecti, per quam homo ex reluctante consentit bono, & ex nolente fit volens, est ex gratia Dei; vt docet lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. Hæc autem prima cupiditas boni, quæ maximè in credendi voluntate manifestatur, est initium caritatis: vt idem ait cap. 9. lib. cit. Quartò, Initium iustificationis nostræ inchoatur à fide, & spe: vt affirmat libro primo ad Simplicianum. Sed nulla omnino, nec inchoata iustificatio hominis est absque caritate. *Caritas enim inchoata, inchoata iustitia est: caritas prouecta, prouecta iustitia est: caritas magna, magna iustitia est*: vt idem asserit cap. 70. lib. de natura & gratia. Quintò, Iuxta Augustinum nullum præceptum impleri potest, nisi iustitia diligatur. Ergo neque præceptum credendi Deo, & sperandi in Deum, sine iustitiæ dilectione impleri potest. Sed iustitia diligi non potest sine vera, & propriè dicta caritate, vt ipse docet pluribus locis. Non igitur potest præceptum fidei, & spei, sine eadem caritate seruari. Denique, inquit, ratio huius doctrinæ est, quia D. August. non agnoscit nisi duos amores; Creatoris, & creaturæ: ex quorum alterutro

necesse est, vt quæcunque actio voluntatis oriatur. Ille caritas est: iste cupiditas. Quarum illa de cælo est, Deo plantante: ista ex mundo, diabolo seminante. Caritate igitur, hoc est, dilectione Creatoris opus est, quæ voluntatem ad adhibendam fidem Deo, & in eo spem figendam inclinet, & flectat. Monet autem cap. 7. hanc caritatem non esse in tam perfecto gradu, vt super omnia diligatur Deus, sufficiátque ad iustificationem. Nam fides, & spes, non supponunt necessariò eiusmodi caritatem, ex qua nascantur: sed è contrario fides, & spes caritati isti perfectæ, sicut & peccatorum remissioni viam sternunt. Vnde S. August. epist. 106. ad Paulinum, docet fidem impetrare caritatem. Vult tamen Iansenius esse dilectionem, quâ verè, sincerè, & gratis ex animo propter seipsum, nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu diligatur Deus.

4. *Et spem esse fœtum caritatis.* Addit cap. 9. spem non esse fœtum amoris concupiscentiæ, sed caritatis, siue amoris amicitiæ, quæ desiderat frui Deo, quem amat, & gaudet de eius fruitione adepta. Est enim commune vtrique amori, concupiscentiæ, & amicitiæ, desiderare bonum, quod amat, si est absens; & de illo gaudere, si est præsens. Omnis, inquam, amor, siue amicitiæ, siue concupiscentiæ, appetit obiectum suum amatum obuenire sibi, vt eo præsente possit frui: nec esset amor nisi hoc appeteret. Nam omnis amor, qualiscunque fuerit, pro sui obiecti varietate in mille figuras vertitur. Amat, odit, desiderat, fugit, sperat, desperat, audet, irascitur, gaudet seu fruitur, ac tristatur. Vnde August. lib. 14. de Ciuit. cap. 7. *Amor ergo inhians habere, quod amatur, cupiditas est*, hoc est, desiderium. *Id autem habens, eóque fruens, lætitia. Fugiens, quod ei aduersatur, timor est: idque (si acciderit) sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus.* Itaque amor concupiscentiæ, & amicitiæ, non differunt per desiderium boni amati, cùm abest; vel gaudium de eodem, cùm adest: sed per hoc quòd amor concupiscentiæ, siue desideret, siue speret, siue fruatur, rem ita concupitam vltimò ad ipsum amantem refert. Amor verò sinceræ caritatis, & amicitiæ, tam carnalis, quàm spiritalis, siue desideret rem dilectam, siue speret, siue fruatur præsentiâ ipsius, vltimò torquet omnia ad id, quod diligit, vt illi bene sit, non sibi, quantumuis inde se beatitudinem quoque suam consecuturum esse cernat. Hoc autem posteriori modo spes in Deum tendit, eiúsque fruitionem. Neque enim Deum, eiúsq; fruitionem ad sperantem reflectit, velut ad finem, cui vltimò totum cedat, quémve idcirco præcipuè diligat; quod vitiosum est: sed è diuerso, nos ad Deum refert, eo ipso, quòd Deo, vt vltimo fine tam *quo*, quàm *cui*, vt rectore, & regulâ supremâ, vt summâ veritate frui volumus: cui iure competit dominatus in omnes, & omnium seruitus: & illi nosipsos suâ fruitione perfectos, perficiendósque subiicimus, vt ille regnet in omnibus. Fini enim vltimo, qui Deus est, repugnat vt vlteriùs quóquam referatur: nec aliò, nisi amandi peruersitate, referri potest.

5. *Et caritati non repugnare respectum ad mercedem.* Denique affirmat cap. 10. caritate gratis diligenti Deum non repugnare respectum mercedis, seu retributionis. Non enim, inquit, solus amor concupiscentiæ, sed & amor caritatis quàm maximè præmium respicit. Cùm enim caritatis proprium sit, & vnica voluptas, diligere Deum, non quia hoc sibi suaue, vel vtile, vel gloriosum est, vel alia quacunque consideratione redundat in se: sed quia ita est ordo creaturæ sub Creatore, qui suâ superexcellenti bonitate, & veritate dignus est, vt propter semetipsum super omnia ardentissimè diligatur: ita quoque vnicum præmium est, veritatem, & bonitatem Dei facie ad faciem contemplando, ardentiùs amare, & laudare Deum: nec istud, quia vtile, & beatificum est diligenti; sed quia æternæ veritati congruum, dilecto debitum, atque in seipso dignum, & iustum est. Amoris enim inchoati hac in vita, amor consummatus in patria, vnica merces est. Et vterque summè gratuitus est, quia est amor Dei propter Deum: eóque magis gratuitus, quò magis imperfectus amor amore perfecto veluti præmio perfici, & remunerari cupit. Quapropter Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli cap. 7. *Opera faciat*, inquit, *in caritate, non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei.* Et in epistola ad Galatas dicit, *Liberos*, id est, filios noui Testamenti *decere opera bona facere fine caritatis, quæ æterna sperat hinc præmia, & ex fide expectat.* Et in Psal. 134. dicit *Hoc esse gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis, quia ipsa merces tua summa, Deus ipse erit, quem gratis diligis, & sic amare debes, vt ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet: sicut Philippus desiderabat, cùm diceret: Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Hoc ergo est gratis diligere Deum, ipsum indesinenter mercedem expectare, nimirum in clara contemplatione diligendum, feruentissimâ, purissimâ, & sincerissimâ gratuiti amoris caritate, non propter nos, sed propter se. Quisquis enim delabitur ab illa caritatis puritate, vt amore concupiscentiæ incipiat velle, & cõcupiscere sibi Deum; totum dilectionis ordinem, quem natura docet, & lex æterna præcipit, diligendi peruersitate perturbat. Nam & Deum ad seipsum refert, & seipso fruitur: quorum vtrumque æternâ, & indispensabili lege proscriptum est. Quidquid enim nobis, in nobis sistendo, concupiscimus, hoc vltimò refertur ad nos, quos priùs diligimus, & quibus, tanquam cardine diligendi, fruimur. Hæc Iansenius, cuius doctrina quàm sit à vero aliena patebit ex seqq.

SECTIO II.

Refellitur doctrina præcedenti sectione relata.

6. *Gratia non est sola caritatis inspiratio.* NAM quod primò affirmat, veram Christi gratiam, & propriè dictam, de qua inter D. Augustinum & Pelagianos fuit olim controuersia, & nunc est, aliam non esse, quàm solam caritatis inspirationem, quâ solâ fiat vt in Dei iustificationibus ambulemus, vtque homo qui antea fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam; prorsus à veritate abest: cùm ex Scriptura manifestè liqueat Deum non sola caritatis inspiratione, quâ fit vt Deum verè, sincerè, & sicut oportet diligamus propter seipsum; verùm etiam timore pœnarum, & æter-

næ retributionis spe, aliisque piis affectibus, mouere nos ad salutarem conuersionem, & mandatorum suorum obseruationem. De timore pœnæ id iam probauimus præcedenti disputatione sectione secunda ex libro Ecclesiast. capite primo versu 16. & capite quinto versu 15. & Prouerb. 14. versu 27. & Isaiæ 26. versu 27. & Exodi 20. versu 20. & Lucæ 12. versu quinto. De spe autem retributionis affirmat vates regius Psal. 118. versu 112. cùm ait se spe retributionis propositæ seruantibus Dei mandata, fuisse motum ad eorum obseruationem: *Inclinaui cor meum, inquit, ad faciendas iustificationes tuas in æternum. propter retributionem*. Eiusdémque pollicitatione Christus ipse nos excitat ad victoriam tentationum, sic dicens Apocalyp. 2. versu 10. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et capite tertio versu 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, &c. Et Iacob. 1. versu 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et 1. Petri 5. vers. 2. & seqq. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, &c. & cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Et Eccles. 12. vers. 2. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certè à Domino.* Et Coloss. 3. vers. 24. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et 1. Corinth. 9. vers. 25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Probatur ex Scriptura.

7. *Et ex Tridentino.* Tridentinum quoque sess. sexta, postquam dixit capite quinto: *Iustificationis exordium à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse* (sine dubio à gratia Christi propriè dicta, de qua nunc est, & olim fuit cum Pelagianis controuersia) *hoc est, ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur:* postea capite sexto exponens quænam, & quotuplex sit eiusmodi gratia, quâ Deus peccatores excitat, & disponit ad iustificationem, quibúsve quasi passibus ad illam eos promouet; sic ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illúmque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt.* Itaque iuxta doctrinam Concilij, mouentur peccatores Dei gratiâ excitante, & iuuante, primò ad fidem: tum à fide ad timorem iustitiæ diuinæ, consideratione peccatorum suorum, & pœnarum illis à Deo constitutarum: Tertiò, ab illo timore, & consideratione diuinæ misericordiæ, eriguntur in spem, & fiduciam veniæ impetrandæ per Christi merita: Quartò, exinde ad amorem Dei tanquam fontis omnis iustitiæ, & reconciliationi locum dantis assurgunt.

Idémque Concilium sessione 14. capite 4. in fine, loquens de timore pœnarum, déque peccati detestatione ex illo concepta, dicit, *Hoc timore vtiliter concussos Niniuitas ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egisse, & misericordiam à Domino impetrasse.* Et paulò antea pronunciat, *Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur,* distinguitúrque à contritione perfecta, quæ detestatur peccatum ex motiuo caritatis propter Deum summè dilectum, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, *si voluntatem peccandi excludat, donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat,* sicut facit contritio caritate perfecta, cum solo Sacramenti voto, quod in illa includitur: *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.* Itaque sacris literis, & Concilij doctrinæ repugnat quod ait Iansenius, non aliam esse gratiam Christi propriè dictam, nisi solam dilectionem caritatis, eiúsque inspirationem, quâ solâ Deus faciat nos velle, & facere bonum: vel quâ faciat vt in iustificationibus eius ambulemus, vtque homo, qui fuit antea voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam: siue, quâ in homine inchoatur voluntas bona, vt per gratiam bonum velit; eadémque voluntas adiuuatur, augetur, & accenditur, vt diuina mandata possit implere. 8.

Repugnat etiam communissimæ doctrinæ Sanctorum Patrum, affirmantium non solâ dilectione caritatis propriè dictæ, eiúsque inspiratione excitari nos, iuuarique diuinitus ad peccatum detestandum, & fugiendum; rectéque, & piè operandum: sed etiam timore pœnarum æternarum, aut præmiorum spe, aliisque piis affectibus: vt videre est apud Cyprianum lib. de exhortatione martyrij cap. vltimo, Basil. in Psal. 33. circa illum versum, *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Chrys. homil. 15. ad populum Antioch. Hieron. in cap. 1. Malach. Ambros. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 9. August. serm. 214. de tempore, & in Psal. 127. & libro de catechisandis rudibus cap. 5. & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophet. cap. 16. & tract. 9. in epist. Ioan. aliísque locis, quorum aliquot testimonia retulimus disputatione præcedenti sect. 2. Quibus adde istud Gregorij Nysseni in explanatione in Cantica, paulò post initium: *Etenim qui omnes salutem consequi vult, & ad veritatis cognitionem peruenire, modum hic salutis, & perfectissimum, & planè beatum nobis demonstrat, qui est per dilectionem. Nam & per metum seruantur quidam, cùm ad minas supplicij gehennæ respicientes, à turpitudine nosmet disiungimus: nonnulli propter repositam eis, qui piè vixerint, præmiorum spem, vir-* 9. *Et ex Patribus.*

tutem colentes, non bonum illud per dilectionem, sed per expectationem compensationis acquirun.

10. *Non soli actus caritatis sunt boni.* Secundò, non minùs à vero alienum est, quod ait Iansenius in confirmationem præcedentis erroris, Bonam voluntatem, seu voluntatem, & cupiditatem boni, nihil aliud esse, quàm veram, & propriè dictam caritatem Dei: adeò vt nulla sit voluntas bona, quæ non sit actus caritatis propriè dictæ, id est, dilectio Dei propter se. Nam Scriptura diuina laudat, & commendat plurimos alios actus, ad eosdémque nos hortatur, tanquam bonos, & laudabiles: vt ad timorem Dei, quia habet potestatem mittere in gehennam Luc. 12. vers. 5. ad mandatorum obseruationem propter spem vitæ æternæ Matth. 19. vers. 17. ad eleemosynam, & misericordiam erga pauperes intuitu amplioris retributionis 2. Corinth. 9. vers. 6. ad honorem parentum, & seniorum, Matth. 15. vers. 4. & 1. Petri 5. ad obedientiam magistratibus, & dominis etiam temporalibus exhibendam, atque ad iustitiam erga omnes seruandam, Rom. 13. vers. 1. & pluribus sequentibus; aliáque id genus, quæ licèt non fiant ex motiuo caritatis propriè dictæ erga Deum summè dilectum propter seipsum, cuius motiui nulla ibi fit mentio, sunt nihilominus rectæ rationi consentanea, adeóque honesta, & moraliter bona. Est enim per se conueniens rectæ rationi reddere debitum cultum parentibus, subuenire pauperi in necessitate, diligere benefactores, reddere vnicuique quod suum est, viuere temperatè, modestéque se gerere, fortiter ferre aduersa, & aggredi ardua; atque in omnibus medium rationis tenere. *Probatur ex Scriptura.*

11. *Et ex Trid. sess. 6. c. 6.* Tridentinum quoque, vt paulò antè diximus, exponens modum quo Deus peccatores disponit ad iustificationem, affirmat priùs excitare ad actum fidei: tum timoris iustitiæ diuinæ: postea spei reconciliationis, & fiduciæ illius obtinendæ per Christi merita: ac denique dilectionis erga Deum fontem omnis iustitiæ, & auctorem reconciliationis. Quis autem dubitet actus illos dilectioni præuios esse bonos, quandoquidem fiunt ex auxilio gratiæ, & instinctu Spiritus sancti, vt Concilium docet ibidem, iuncto cap. 5. & sess. 14. cap. 4. & can. 5. affirmat attritionem, quam ibidem distinguit à contritione, eò quòd peccatum detestatur non ex motiuo caritatis propter Deum summè dilectum, sicut facit contritio perfecta; sed ex metu gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, & peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, ac denique esse motum bonum, vt addit in fine capitis citati. Erroneum ergo est, & repugnans doctrinæ Concilij; dicere bonam voluntatem nihil esse nisi veram, & propriè dictam caritatem Dei; hoc est, nullum esse actum bonum voluntatis, nisi sit actus propriè dictæ caritatis. Quod etiam repugnat vnanimi doctrinæ Patrum, qui ad timorem Dei propter pœnas vitæ futuræ, & ad bene agendum, peccatúmque vitandum, ne illas incurramus; ad spem vitæ æternæ, ad castitatem, eleemosynam, ieiunium, orationem, aliáque pia opera tam frequenter hortantur, vt superuacaneum sit eorum loca, vel libros integros hac de re scriptos indicare. *Et ex Patribus.*

Quare quod ait Diuus Augustinus, locis à Iansenio productis, caritatem non esse aliud, quàm bonam voluntatem; & boni cupiditatem, non esse nisi caritatem: intelligendum est de caritate non propriè sumpta pro dilectione Dei propter seipsum; sed latè, prout caritas apud Augustinum non rarò sumitur pro amore iustitiæ, generaliter sumptæ pro quacunque virtute, id est, pro amore cuiuscunque virtutis, & cuiuscunque boni honesti. Nam dilectio iustitiæ sexcentis locis ab Augustino vocatur caritas Dei, vt ait ipse Iansenius libro 5. de Gratia Christi Saluatoris cap. 34. circa medium: & idem Augustin. serm. 17. de verbis Apostoli, cap. 3. dicit diligere iustitiam, esse diligere Deum: quia Dominus iustitia est: & nimirum amatur aliquatenus, quando amatur iustitia, & honestas virtutis eminenter in eo contenta, excellentérque resplendens. Et lib. 8. de Trinitate cap. 10. *Quid est*, ait, *dilectio vel caritas, quam tantopere Scriptura diuina laudat, & prædicat, nisi amor boni? Amor autem alicuius amantis est, & amore aliquid amatur, &c.* Eodémque sensu dicit lib. de natura & gratia cap. 70. Caritas ergo inchoata, inchoata iustitia est: caritas prouecta, prouecta iustitia est: caritas magna, magna iustitia est: caritas perfecta, perfecta iustitia est. Nam per caritatem intelligit amorem iustitiæ, & per iustitiam intelligit obseruantiam omnium mandatorum, vt patet ex verbis immediatè præcedentibus. Et pluribus aliis locis manifestè docet aliquos esse actus bonos sine caritate, aut proprio eius motiuo, vt libro de Patientia cap. 26. vbi sic ait: *Si quis non habens caritatem, & in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, &c. nullo modo culpanda ista sunt: imò verò & hæc laudanda patientia est.* Et libro de Gratia & liber. arbit. cap. 18. dicit spiritum istum timoris *sine dubio esse magnum donum Dei: non quo timore Petrus Christum negauit, sed de quo dixit Dominus Christus, Eum timete qui habet potestatem & animam, & corpus perdere in gehennam.* Et alibi dicit Christum non fuisse cum tanta asseueratione commendaturum timorem gehennæ, nisi timor ille bonus esset. Et lib. 1. contra aduers. legis, & Proph. cap. 16. *Salubriter non solùm bonitatem, verum etiam seueritatem Dei sacra Scriptura commendat: quoniam & amatur Deus vtiliter, & timetur.* Amatur propter bonitatem; timetur propter seueritatem. Nec obest, quòd Augustinus, locis à Iansenio relatis, dicit caritatem illam, de qua loquitur, *esse ex Deo, & à Patre datam, vt filij eius essemus.* Nam dilectio boni honesti ex quocunque motiuo prouenien, si est vtilis ad vitam æternam, & sicut oportet ad salutem, prouenit ex Deo, & datur eo fine vt filij Dei efficiamur: quemadmodum docet Arausicanum pluribus locis, præcipuè can. 6. & 25. 12. *Augustinus sumit amorem caritatis pro amore boni generaliter.* *Agnoscit alios actus bonos præter caritatem.*

Tertiò, falsum etiam est, quod addit Iansenius, & D. Augustino tribuit, nullum esse bonum, quamdiu sit formidine pœnæ, non amore iustitiæ; id est, vt ipse exponit, amore Dei propter seipsum. Nam id apertè repugnat Tridentino sess. 14. cap. 4. affirmanti attritionem ex formidine pœnæ non ex motiuo carita- 13. *Actus ex timore pœnæ concepti, sunt boni.*

tis conceptam, esse actum bonum: & D. Augustinus contrarium docet manifestissimè locis suprà relatis, præcipuè concione in Psal. 127. dicens: *Timore facit, quidquid boni facit: non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum, &c. Bonus est, & iste timor vtilis est.* Idémque docent alij Patres: vt Basil. in Psal. 33. circa versum vndecimum, dicens timorem illum salutarem esse, *& sanctitatis operatorium*, animúmque veluti frænum quoddam in peccando compescere. Et Chrysost. homil. 15. ad populum Antioch. *Nisi bonus esset timor* (gehennæ) *non tam multos impendisset Christus sermones, & longos, de illa pœna, & supplicio loquens.* Et Ambr. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 9. *Quid tam beatificum, quàm hic timor, &c.* Et Hieron. epist. 127. ad Fabiolam mansione 23. *Iungit timorem, qui custos est beatitudinis: Virga tua, &c.* & est sensus: *Dum tormenta formido, seruaui gratiam, quam receperam.* Et Bernard. Tract. de præcepto, & dispensatione cap. 10. in fine: *Bonus quidem obedientiæ gradus est, si iuxta magistri nostri sententiam propter metum gehennæ quisquam obedierit: melior tamen, cùm ex Dei amore obeditur.* Itaque timor, & obedientia ex timore profecta, etiam citra caritatem propriè dictam, siue amorem Dei, bona sunt. Et quamuis amor Dei sit melior: timor tamen seorsim habet propriam, sed minorem bonitatem.

14. *Non omnis virtus est caritas.* Quartò, falsum pariter est, quod dicit Iansenius, Virtutem non esse aliud, nisi amorem Dei, seu caritatem propriè dictam. Hoc enim est apertè contra Scripturam, quæ plures alias virtutes agnoscit, & commendat pluribus locis: vt fidem, spem, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, castitatem, virginitatem, misericordiam erga indigentes, pietatem erga parentes, obedientiam erga superiores, gratitudinem erga benefactores, &c. Et contra Tridentinum loco suprà citato, definiens attritionem ex alio motiuo quàm caritatis elicitam, esse actum bonum: adeóque actum virtutis. Et contra D. Augustinum, aliósque Patres suprà citatos, affirmantes timorem gehennæ esse bonum, & salutarem: qui etiam passim aliarum virtutum mentionem faciunt, vt speciatim de Augustino videbimus sect. seq. Et denique contra omnes Theologos, & Philosophos, rationémque manifestam. Nam virtus ex receptissima definitione Aristotelis, est habitus cum recta ratione electiuus, id est, eligens, & agens prout rectæ rationi consentaneum est: & vt definit ipse Augustinus lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & lib. 83. quæst. q. 31. *Virtus est animi habitus, natura modo atque rationi consentaneus.* Atqui euidenter rectæ rationi consentaneum est, habere Deo fidem aliquid testificanti; & confidere de ipsius omnipotentia, vel ipsum amare, & desiderare vt summum bonum nostrum; & prudenter, sobriè, iustè, temperantérque viuere; & fortiter se gerere in periculis, & arduis, neque nimis audendo, neque etiam nimis metuendo: & colere parentes, iuuare indigentes, obedire superioribus, & similia: quæ etiam per se, & præcisa relatione ad Deum vt summè dilectum propter se, decent naturam rationalem, súntque rectæ rationi conformia: ideóque possunt honestè appeti: & quicunque appetit hæc facere, appetit rectè, honestéque viuere.

Quod verò ait Augustinus locis productis à Iansenio in huius erroris confirmationem, hoc sensu intelligendum est: quòd sola caritas erga Deum mereatur nomen virtutis antonomasticè: & quæ non fiunt ex caritate, non attingant gradum illum virtutis excellentissimum; quamuis in suo gradu sint bona, & honesta: neque per illa Deo perfectè adhæreamus, vt per amorem Dei: neque nosipsos perfectè diligamus, in supremo illo gradu perfectionis, nisi nos propter Deum, & Deum propter seipsum amemus: imò etiam malè faciamus, & nosipsos oderimus aliquatenus, nobísque grauiter noceamus, si diligendo, aliquid Deo præponimus, vel æquamus, qui sine dubio non potest nisi peruersissimè cum creaturis ita componi. 15. *Exponitur Augustinus.*

Ad rationes verò ab eodem allatas ita respondendum est. Ad primam, falsum est nihil aliud esse diligendum creaturæ rationali, nisi vnum, & solum Deum. Cùm Deus ipse iubeat diligi etiam proximum sicut nosipsos: & affirmet duo esse præcepta caritatis: vnum diligendi Deum propter se: alterum diligendi proximum sicut nosipsos: non vtique propter Deum tantùm: nam sic dilectio proximi contineretur sub primo mandato, & non aliud distinctum constitueret, vt fusiùs alibi expendimus. Et Matth. 5. præcipit Christus, vt diligamus etiam inimicos, & benefaciamus iis, qui oderunt nos. Et Philipp. 4. vers. 8. docet Apostolus opera ipsa virtutum esse amabilia: sic dicens: *De cetero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Quanquam nihil aliud præter Deum ita amandum est, vt non tandem aliquo actu in Deum referatur, in quem nosipsos, & nostra omnia referre debemus, velut in finem vltimum; quémve supra nosipsos, & reliqua omnia tenemur subinde diligere, vero & sincero amore caritatis, nihílque eius amori contrarium vnquam admittere. Quo sensu debet exponi Diuus Augustinus iis locis, quibus videtur dicere nihil esse amandum præter Deum; aut si quid aliud diligitur, debere diligi propter Deum. 16. *Soluuntur alia argumenta.*

Ad secundam, Diximus paulò antè, quo sensu intelligat Augustinus bonam voluntatem non esse aliud, quàm caritatem. Ad tertiam, Dico sufficere ad virtutem quòd agamus secundùm rectæ rationis præscriptum, amando, & prosequendo honesta; & auersando, fugiendóque opposita: iuxta definitionem virtutis suprà relatam, & ab omnibus Philosophis moralibus, Theologísque huc vsque approbatam, atque ab ipsomet Augustino æquiualenter traditam. Præscriptum autem rectæ rationis est quidem conforme legi æternæ existenti in mente diuina: sed non est necessarium de illa cogitare quotiescunque aliquis actus virtutis exercetur. Neque si de illa cogitatur, propterea exercetur actus amoris erga Deum propter seipsum: ita vt amor iusti v. grat. quia iustum est, aut temperati, quia temperatum est, sit amor Dei, quia Deus est: sed præcisè tendit in iustum, 17.

aut temperatum, & alia obiecta similia, quia rectæ rationi, & legi æternæ conueniens est illa amare, & prosequi. Falsum ergo est, quod ait Iansenius, Omnem virtutem in Dei ipsius, tanquam veritatis, & iustitiæ incommutabilis dilectione versari, & ex illa rationem virtutis trahere.

SECTIO III.

Amplior eiusdem doctrinæ refutatio.

18. *Probatur plures dari virtutes præter caritatem.* ATQVE hinc sequitur commentitium esse, quod docet tertio loco Iansenius, virtutem illam, quæ est amor Dei, diuidi in quatuor virtutes cardinales, non tanquam in virtutes diuersas, sed velut in diuersos afficiendi, & operandi modos eiusdem virtutis, siue eiusdem amoris Dei, qui sit vnica virtus creaturæ rationalis: idémque sentiendum esse de fide, & spe. Nam contrà: Nisi plures essent virtutes, & nisi aliæ distinguerentur à caritate, non diceret Psalmista Psal. 83. vers. 8. *Ibunt de virtute in virtutem:* neque Paulus 1. Corinth. 13. versu vlt. diceret, *Nunc autem manent, fides, spes, caritas, tria hæc.* Neque verum esset, quod ait Concilium Viennense sub Clemente V. infundi per baptismum paruulis, æquè ac adultis, *gratiam & virtutes:* vt habetur in Clementina vnica de summa Trinitate: quoad habitum scilicet, non quoad actum: vt dixerat antea Innocentius III. in capite *Maiores, de baptismo.* Verum quoque non esset quod ait Tridentinum sess. 6. capite septimo: *Hæc omnia simul infusa in iustificatione accipi, fidem, spem, & caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Quibus verbis significat ita distingui hos habitus, siue virtutes infusas, vt vna sine altera esse possit. Quod magis confirmat capite decimo-quinto, dicens, fidem non amitti quolibet peccato mortali, sicut gratiam, seu caritatem.

19. *Confirmatur ex Augustino.* Eandem distinctionem virtutum clarissimè agnoscit Diuus Augustinus pluribus locis, vbi etiam distincta vniuscuiusque officia, & obiecta designat: ex quibus vnum, aut alterum referre sufficiet. Sic ergo loquitur de virtutibus Theologicis tanquam realiter distinctis, & separabilibus, tomo decimo sermone 53. de tempore: *Hoc maximè hortamur, vt caritatem in vobis habere, & opere ostendere per omnia satagatis. Per ipsam enim, & cum ipsa beatitudinem veram habituros vos esse sciatis: quia sine hac nemo videbit Deum. Hæc autem ideo maior fide, & spe, ab Apostolo esse narratur: quia cæteris recedentibus, ipsa sola permanebit. Fidei enim succedit spes: & spei beatitudo: caritati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio. Hæc omnium arx est virtutum: hæc promissio regni: hæc præmium summum est sanctorum in cælo.* De cardinalibus autem, & aliis moralibus sic habet tom. 4. libro 83. quæst. q. 31. *Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus. Quare omnibus partibus eius cognitis tota erit vis simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & neutrarum scientia. Partes eius, memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit, quæ sunt. Prouidentia, per quam futurum aliquid videtur antequam factum est. Iustitia est habitus animi, communi vtilitate conseruata, suam cuique tribuens dignitatem.* Et paulò pòst: *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam* (aliàs cultum) *ceremoniámque affert. Pietas, per quam sanguine coniunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius, memoria, & remunerandi voluntas continetur.* Et post pauca: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Cuius partes magnificentia, fidentia, patientia, perseuerantia. Magnificentia est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, atque administratio. Fidentia est, per quam magnis, & honestis in rebus, multum ipse animus in se fiducia cum certa spe collocauit. Patientia est, honestatis, aut vtilitatis causâ rerum arduarum, aut difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio. Perseuerantia est, in ratione bene considerata, stabilis, & perpetua permansio. Temperantia est, rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio. Eius partes continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temerè in odium alicuius illecti, concitatique comitate retinentur. Modestia, per quam pudor honestus claram, & stabilem comparat authoritatem.* Hæc Augustinus, addens subinde, hæc omnia per se, vt honesta, non habita ratione emolumenti, siue vtilitatis appetenda esse; & propter se vitanda esse non ea modò quæ iis contraria sunt, vt fortitudini ignauia, & iustitiæ iniustitia: verùm etiam illa, quæ propinqua videntur, & finitima esse, absunt autem longissimè. Estque notandum in his omnibus virtutum moralium definitionibus nullam fieri mentionem amoris Dei.

Quare quod ait Augustinus libro de moribus Ecclesiæ capite decimo-quinto, & aliis locis à Iansenio productis, non est intelligendum de virtutibus moralibus nudè sumptis: sed vt formatis caritate, siue prout illi adiunguntur & seruiunt; atque ex illius imperio, & ductu exercentur propter Deum, quem caritas Dei in omnibus respicit, ceteráque ad ipsum refert & ordinat. Vel potiùs de ipsa caritate, quæ sola inter virtutes vim habet per se remittendi peccata, & promerendi vitam æternam, ad illámque perducendi: ceteræ verò non nisi ex illius adiunctione, saltem habituali: imò etiam actuali, iuxta veram sententiam: & sine qua ceteræ virtutes nihil sunt, & nihil prosunt ad illum finem, vt ait Apostolus 1. Corinth. 13. quæque eminenter continet omnes alias virtutes, earúmque officia nobiliùs exercet, atque ad illa fortem, & constantem reddit. Quo sensu Diuus Augustinus initio illius capitis decimi-quinti sic ait: *Quòd si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmauerim nisi summum amorem Dei:* quippe qui solus 20. *Explicantur aliqua eius loca.*

per

per se id præstat. *Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur:* prout scilicet valet ad meritum, & consecutionem vitæ æternæ. *Itaque illas quatuor virtutes, ita consideratas; quarum vtinam ita sit in mentibus vis, vt nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, vt temperantia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur: fortitudo, amor facile tolerans omnia propter id, quod amatur: iustitia, amor soli amato seruiens, & propterea rectè dominans: prudentia, amor ea quibus adiuuatur, ab iis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, vt temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum, incorruptúmque seruantem: fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem: iustitiam, amorem Deo tantùm seruientem, & ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini subiecta sunt: prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adiuuetur in Deum, ab iis, quibus impediri potest.*

21. Eodémque sensu intelligenda sunt, quæ conformiter ad supradicta prosequitur Augustinus de iisdem virtutibus, sequentibus capitibus 21. 22. 24. & 25. quæque ex aliis eius libris refert Iansenius eodem cap. 4. & ex Arausicano can. 17. cuius verba sunt: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quibus verbis Concilium significat fortitudinem Christianam, inuictam permanentem contra omnia pericula; & tormenta, vim suam, & constantiam trahere à caritate: quæ quò maior est, magis etiam mentem corroborat ad omnia pro Deo summè dilecto perferenda: sicut amor mundi, quò vehementior est, magis impellit ad omnia toleranda pro eo, quod diligitur: vt expressit Augustinus his verbis lib. de Patient. cap. 17. *Non intelligunt*, inquit, *& quemque iniquorum tantò esse ad quæcumque mala perferenda duriorem, quantò in eo maior est cupiditas mundi: & quemque iustorum tantò esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quantò in eo est maior caritas Dei.* Et paulò pòst: *Quantò ergo maior est in Sanctis caritas Dei, tantò magis pro eo, quod diligitur, omnia tolerantur: & quantò maior est in peccatoribus cupiditas mundi, tantò magis pro eo, quod concupiscitur, omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientia vera iustorum; vnde est in eis caritas Dei: & inde est patientia falsa iniquorum, vnde est in eis cupiditas mundi.*

22. Quod autem dicit Augustinus locis relatis à Iansenio toto c. 5. cultum Dei, & pietatem erga Deum non esse aliud, quã amorem Dei: & Deum non coli nisi amando: debet intelligi de cultu, & modo colendi præstantissimo, prout valet ad assequendam beatitudinem, modo suprà explicato. Vel de amore latiùs sumpto pro cultu Dei gratuito non propter aliquid temporale, sed propter supremam eius excellentiam supremo cultu dignam, omnibúsque præferendam: iuxta id quod ait, verbis ibidem relatis à Iansenio ex concione in Psal. 77. *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non vtique Deum, sed illa quærebant: quia eo modo timore sæculi, non liberali dilectione*, id est, propter seipsum, *Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur. Hoc enim colitur, quod diligitur:* id est, cui gratuitò propter seipsum honor exhibetur. *Vnde quia Deus rebus omnibus maior, & melior inuenitur; plus omnibus diligendus est vt colatur:* id est, non verè colitur, nisi per affectum, & æstimationem omnibus præferatur, atque ex huiusmodi affectu, & æstimatione honoretur. Alibi verò idem Augustinus agens ex professo de virtutibus moralibus, & religionem definiés, non dicit eam consistere in solo amore Dei, aut non esse aliud nisi amorem Dei; sed dicit esse virtutem, *quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam ceremoniámque affert:* vt suprà retulimus ex lib. 83. quæst. q. 31. Nec obest quod paulò inferiùs, quæst. 35. idem S. Doctor videtur dicere, nihil esse amandum, nisi quod æternum est, quódque æternitate animum afficit. *Quid verò æternum est, & quod æternitate animum afficiat, nisi Deus?* Hoc enim est intelligendum de eo quod amatur vt bonum beatificum, & finis simpliciter vltimus: non autem quòd nullum aliud bonum honestum pro suo modulo amari licitè possit: quod manifestè à ratione alienum est: grauémque faciunt D. Augustino iniuriam, qui tam absurdas sententias illi tribuunt, ac non potiùs benignè, sicut decet, in meliorem sensum illum interpretantur. Sed neque, licèt ille ita sensisset, esset eius auctoritas communi omnium aliorum hominum iudicio anteponenda, fauente Scripturâ, & Conciliis suprà citatis.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis Ianseny.

AD argumenta verò, quibus probat Iansenius cap. 6. & seqq. idem de fide, & de spe sentiendum esse; quòd scilicet non sint virtutes à caritate Dei distinctæ, sed diuersi eius affectus; & voluntatem illam ex qua credimus Deo, & speramus in Deum, non aliam esse, quàm verum amorem, seu caritatem Dei, iuxta principia D. Augustini: ita respondendum est. 23.

Ad primum, iam suprà diximus, quo sensu velit Augustinus bonam voluntatem non esse aliud quàm caritatem. Ad secundum: quando dicit Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 16. *Præuenit ergo & fidem gratia, &c. Præuenit & caritatem, quâ vnâ Deo veraciter, & suauiter obeditur:* vocem illam, *veraciter*, in qua est vis argumenti Iansenij, intelligendam esse eodem sensu, quo vulgò dicitur virtutes alias sine caritate non esse veras virtutes, id est, viuas, & vtiles efficaciter ac completè ad vitam æternam.

Quo etiam sensu D. Iacobus cap. 2. suæ epistolæ ver. 20. dicit fidem sine operibus mortuam esse: & Paulus 1. Corinth. 13. dicit fidem, & misericordiam erga pauperes, sine caritate nihil prodesse; & qui non habet caritatem nihil esse, licèt aliis virtutibus polleat: & idem August. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. sic ait, *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes.* 24. *Quo sensu caritas sola est vera virtus?*

25. *Et cupiditas boni est caritas?*

Ad tertium: non docet aliud Diuus Augustinus verbis relatis ab aduersario ex lib. 2. ad Bonifac. capite 9. quàm boni cupiditatem non esse aliud, nisi caritatem: *& benedictionem dulcedinis esse gratiam Dei, quâ fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis. In qua, si nos non præuenit Deus, non solùm non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis.* Quid autem intelligat per huiusmodi caritatem, exposuimus suprà numer. 12. Per illam verò benedictionem dulcedinis, non intelligit solam inspirationem, aut dilectionem caritatis propriè dictæ: sed quemcunque amorem boni honesti, & necessarij ex Dei præcepto, quod neque inchoari vtiliter ad vitam æternam, & sicut oportet ad salutem, neque perfici potest à nobis, sine gratia Dei. Quod enim ex doctrina Diui Augustini non solùm per inspirationem, aut dilectionem caritatis propriè dictæ; sed & per alias pias motiones, & affectus, possint, & soleant inchoari, virtutum opera salutaria, & seruari Dei præcepta, liquet ex pluribus eius testimoniis suprà relatis num. 9.

26. *Et perfectio iustitiæ est metienda ex caritate?*

Ad quartum: sensus D. Augustini verbis citatis ex capite 70. libri de natura & gratia, est, quòd pro mensura caritatis sit metienda perfectio nostræ iustitiæ: eóque meliùs & faciliùs seruemus Dei præcepta, quò maior illa est: non autem sensus est, quòd iustitia nostra incipiat à caritate, quæ fidem, & spem necessariò præcedat. Nam hoc minimè affirmat ibi Diuus Augustinus, & alibi docet apertè contrarium, serm. 20. de verbis Apostoli: initio, sic dicens: *A fide domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Quem loquendi modum sumpsisse videtur ex Origene in caput 4. epistolæ ad Roman. vbi sic ait: *Prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est. Profectus verò, & augmenta ædificij, spes est; perfectio autem, & culmen totius operis, caritas.* Et Tridentinum sess. 6. cap. 7. simili modo dicit, in iustificatione fidem inchoare nostram vnionem cum Christo: spem augere: caritatem perficere, & viua eius membra nos efficere. *Nam fides, inquit, nisi spes ad eam accedat, & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque viuum eius membrum efficit.*

27. *Possitne impleri præceptum sine caritate?*

Ad quintum, respondeo nullum quidem præceptum impleri posse actu positiuo recto, & honesto, nisi iustitia diligatur, sumendo dilectionem iustitiæ, pro amore virtuali aut formali boni honesti: sed iustitiam, id est, bonum honestum diligi posse sine caritate propriè dicta: neque contrarium doceri à Diuo Augustino, qui potius id affirmat locis suprà relatis numero nono. In aliis verò productis à Iansenio ad huius argumenti confirmationem, tantùm dicit Augustinus *gratiam, quâ infunditur caritas, iuuare ad legem seruandam, cui alioqui succumbit infirmitas*, vt ait libro primo ad Bonifac. capite 8. Quod nobis non obest: neque enim asserimus seruari posse omnino legem diuinam sine caritate. Vel tantùm affirmat solam caritatem velle bonum excellẽter, & modo perfectissimo: vel etiam velle simpliciter, sumendo latiùs caritatem pro amore iustitiæ generaliter sumptæ, vt interdum sumit Augustinus. Vel quòd caritas sit præceptum generale, quatenus cetera omnia comprehenduntur aliquatenus præcepto caritatis; & plenitudo legis est dilectio. Vel denique, quòd *præcepta dilectionis, id est caritatis, tanta & talia sunt, vt quidquid se putauerit homo facere, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene: quia non est fructus boni operis, qui non surgit de radice caritatis:* id est, non merentur eiusmodi opera, facta sine caritate, nomen virtutis, aut boni: quia sine illa non perducunt ad vitam æternam; iuxta illud eiusdem Augustini lib. 4. contra Iulianum capite 3. *Scito nos illud tantùm dicere bonum hominis, illam bonam voluntatem, illud opus bonum sine gratia Dei à nemine posse fieri, per quod solum potest homo ad æternum Dei donum regnúmque peruenire.* Alibi autem sæpius affirmat nullum bonum opus fieri posse sine gratia: accipiens scilicet pro eodem *bonum opus*, & opus per quod solum potest homo ad æternum Dei donum regnúmque peruenire: ita vt alia, licèt aliquatenus bona moraliter, & honesta in suo gradu, nomine boni indigna censeat.

Ad rationem denique à Iansenio allatam, respondeo non illam esse doctrinam Diui Augustini, sed continere errorem Michaëlis Baij, damnatum à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. propositione 37. quæ sic habet, *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Quando autem dicit Augustinus radicem omnium malorum esse cupiditatem; loquitur de vitiosa cupiditate profecta ex naturæ corruptione per peccatum originale: cui opponit caritatem latè sumptam pro amore boni honesti: non autem de cupiditate sumpta generaliter pro amore cuiuscunque rei præter Deum dilectum propter se ex caritate: cùm expressè doceat alibi, esse alios affectus bonos, & quædam bene amari, & fieri sine caritate; vt patet ex eius verbis relatis numer. 9. & 12. 28. *Non omnis amor est caritas, aut vitiosa cupiditas.*

Malè verò probat Iansenius spem non esse fœtum amoris concupiscentiæ, ex eo quòd caritas quoque, & quælibet alia virtus desideret habere bonum, quod amat, si est absens; & de illo delectetur, si est præsens. Neque enim per hoc spem distinguimus à caritate; sed per diuersum modum, quo vtraque tendit in Deum, siue amando, siue desiderando, aut gaudendo. Nimirum, quia spes in Deum tendit, vt summum bonum ipsius sperantis, per amorem concupiscentiæ, quo amamus bonum nostrum vt nostrum est. Propter quod dicit Augustinus cap. 8. Enchirid. spem non esse nisi rerum bonarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Eandémque ob causam D. Thomas 2. 2. quæst. 17. artic. 5. docet spem directè respicere proprium bonum; non autem, quod ad alium pertinet. Vnde concludit non posse nos sperare alteri vitam æternam, nisi in quantum est nobis vnitus per amorem, & eatenus aliquid nostrum est. At verò caritas, quæ vt dicit Apost. 1. Corinth. 13. *non quærit quæ sua sunt*, tendit in Deum, non vt bonum amantis, sed vt summè bonum in seipso absolutè, summéque diligendum propter se. Simi- 29. *Quomodo spes differt à caritate?*

literque, licèt vtraque virtus desideret Deum videre in cælo, eóque frui: diuerso tamen modo id præstant. Spes enim desiderat visionem Dei, & fruitionem, vt bonam ipsi speranti: quod est propriè illam desiderare, & sperare vt mercedem, & retributionem; instar videlicet mercenarij, vtilitatem suam quærentis. Caritas verò eam desiderat vt Deo gratam, volendo frui Deo propter ipsum, & non propter vtilitatem, & commodum ipsius amantis.

30. *Amor Dei vt boni nostri, bonus est.* Dicere autem amorem concupiscentiæ erga Deum vt summum bonum nostrum, esse peruersum, & totum ordinem amandi perturbare, erroneum est, & damnatum à Tridentino sessione 6. can. 31. vbi similem Lutheri assertionem proscribit, & anathematizat his verbis: *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit:* id est, dum operatur vt Dei visionem bene operantibus propositam tanquam mercedem, assequatur, & vt talem eam spectat & desiderat. Est etiam apertè contra rationem. Nam rectæ rationi consentaneum est amare quidquid amore dignum est. Deus autem est amore dignus non solùm quatenus est in se summè bonus absolutè: sed etiam respectiuè, quatenus est summum bonum nostrum: neque tantùm debet diligi propter sua attributa absoluta: sed etiam propter respectiua: quia noster Creator est, conseruator, redemptor, iustificator, glorificator. Vúltque ipse vt talis amari & honorari, iuxta illud Malach. 1. ver. 6. *Si Pater ego sum, vbi est honor meus? Si Dominus, vbi est timor meus?* Quando autem per spem amatur Deus vt bonum nostrum, non refertur ad nos, vt ad aliquid melius, aut magis dilectum, vel tanquam ad finem vltimum: sed refertur eius visio, & fruitio ad nos, tanquam illius subiectum; saluo ordine præcellentiæ Dei tanquam finis vltimi nostri, multò magis amabilis, quàm nos ipsi, qui per talem actum nobis illum expetimus, vt ex illius coniunctione felices & perfecti euadamus, & non nobis ipsis, sed Deo summo bono nostro per eius visionem fruamur in æternum.

SECTIO V.

Quid sit diligere Deum sicut oportet.

31. HVNC loquendi modum vsurpat Concil. Trident. sess. 6. can. 3. definiens sub anathemate, neminem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: Et Concil. Arausican. can. 25. fere initio, vbi dicit, secundùm Scripturas diuinas, & antiquorum Patrum definitionem, *prædicandum, & credendum esse, quòd per peccatum primi parentis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium; vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit.* Et superiùs can. 6. idem de actu credendi, & volendi, benéque operandi definit contra Semipelagianos, dicens, resistere Apostolo. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri: non autem diuinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem, & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur.* Et sequenti can. 7. *Si quis*, inquit, *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, euangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu*, &c.

Respondeo particulam illam, *sicut oportet*, significare modum operandi cum ea amplitudine, & vniuersalitate, seu generali adhæsione ad obiectum, & cum ea submissione intellectus, aut voluntatis, pietate, firmitate, puritate animi, aliísque conditionibus moralibus, & laudabilibus, quæ necessariæ sunt iis actibus, quibus disponimur ad iustificationem, aut qui ad salutem consequendam vtiles sunt. Ad quas conditiones, & actus adeò præstantes, non sufficiunt vires naturales; tametsi possunt aliquos actus bonos imperfectiores elicere, etiam circa eadem obiecta: sed auxilium diuinæ gratiæ est planè necessarium: vt contra Pelagianos, & Semipelagianos ab Ecclesia definitum fuit, & stabilitum canonibus suprà relatis. Qua de causa omnes illi actus dicuntur esse supernaturales, quia superant vires causarum naturalium, à quibus solis cum generali concursu eis debito, non possunt produci: vt malè negabant supradicti hæretici. 32. *Vera explicatio.*

Hæc expositio non placet Iansenio lib. 5. de Gratia Christi Saluatoris cap. 11. vbi reiectis aliis quorundam expositionibus, quæ nobis quoque non probantur, contendit, in doctrina D. Augustini, & consequenter Conciliorum Arausican. & Trident. quæ verbis illis eodem sensu vtuntur, fieri opus aliquod bonum *sicut oportet*, non esse aliud, quàm agi sicut agendum est, vt opus sit verè rectum & bonum. Et hoc ipsum non esse aliud, quàm opus agi non ex timore pœnæ, non ex aliqua terrena, vel reproba cupiditate, seu intentione carnali; sed ex dilectione iustitiæ, ita videlicet vt in agendo, ipsa iustitia legis diligatur. Talis autem iustitiæ dilectionem nullam esse aliam, nisi quâ diligitur Deus. Quod præcipuè probat his Augustini verbis cap. 121. Enchirid. *Omnis itaque præcepti finis est caritas, id est, ad caritatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur.* Et lib. de Corrept. & gratia cap. 2. *Ad hoc*, inquit, *eis ostenditur quid agere debeant, vt quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem, quam dedit Dominus vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Vbi, *agere sicut oportet*, exponit per *agere sicut agendum est*: & alibi explicat per *rectè facere, ex animo, & cum bona voluntate facere, bonum bene facere, verè bene facere, aut sicut liberos*, id est, filios noui Testamenti, *decet, aut* 33. *Expositio Iansenij.*

veraciter, & suauiter facere. Quod non aliter probat, quàm afferendo loca Augustini, quibus affirmat rectè fieri, ex animo fieri, & cum bona voluntate, &c. quando fit ex caritate, vel amore boni, non timore pœnæ, sed amore iustitiæ, & boni spiritalis delectatione.

34. *Probat ex Augustino.* Ex quo infert capite 12. multum hallucinari Doctores Scholasticos, qui prædictum loquendi modum aliter exponunt, & Augustinum alio sensu intelligunt. Eandémque vult esse causam cur S. ille Doctor velit gratiam esse necessariam ad *opera pia, opera pietatis, veræ pietatis, religionis, ad colendum rectè Deum ad veram iustitiam, vt bene & piè viuamus*, & similia. Nempe quia inter Christianos nulla est vera pietas, nullus verus cultus Dei, nisi amor Dei: & nullum est, aut esse potest Augustino opus bonum, nisi ex vero & gratuito Dei & iustitiæ amore nascatur. Cur ergo addat *veræ pietatis, recti cultus, veræ iustitiæ*, & huiusmodi, non est illa ratio (vt putant Scholastici) quasi esset aliqua pietas, cultus, iustitia, religio naturalis: quod vniuersis eius principiis repugnat: sed quia est aliqua pietas, cultus, religio, iustitia, fides, spes, pœnitentia, Dei dilectio, terrena atque carnalis: vt ait August. serm. 44. de diuersis capite 13. Hinc etiam fit vt idem Sanctus Doctor loquens de operibus bonis, meritorum subinde mentionem faciat, & ad ea facienda gratiam postulet. Non enim hoc ideò facit, quasi sint quædam opera verè bona, quæ non sint merita supernaturalis vllius gratiæ, vt volunt Scholastici: sed quia nulla omnino sunt, aut esse possunt opera verè bona, hoc est, non mala, quin illa sint simul merita veræ pietatis, & gratiæ, si non perfecta, & de condigno, saltem imperfecta, & de congruo. Propter quod D. Augustinus libro secundo ad Bonifac. capite 7. & lib. 4. contra Iulianum capite 3. aliísque locis reprehendit Pelagianos, & Semipelagianos affirmantes dari aliqua bona opera naturalis ordinis, quæ tamen essent ita sterilia, vt ad vitam æternam promerendam nihil conducerent: dicitque fieri non posse, vt sterile sit opus bonum: & fore vt gratia detur ex merito, ac proinde iam non sit gratia, si aliquod bonum opus eam præcedat.

35. *Dantur actus naturales boni.* Ad quæ dicendum est primò, falsò supponi à Iansenio nullum opus verè bonum, siue non malum, posse fieri naturaliter, & sine auxilio gratiæ. Nam, vt alibi ostendimus, hoc repugnat Apostolo Roman. 2. versu decimo quarto, affirmanti Gentiles naturaliter facere aliqua, quæ legis sunt, id est, iuxta meliorem, & communem expositionem Sanctorum Patrum, facere naturali ductu, & virtute, aliqua bona opera per legem Dei præcepta. Repugnat etiam Tridentino sess. 6. can. 1. vbi clarè supponit dari posse aliqua bona opera naturæ viribus elicita: quando definit contra Pelagianos, non posse quemquam iustificari operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque gratia per Iesum Christum. Nam per opera non intelligit mala, neque indifferentia, de quibus nemo vnquam asseruit nos per ea iustificari. Superest ergo vt intelligat aliqua opera bona naturæ viribus facta. Repugnat etiam definitioni summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, confirmata ab Vrbano VIII. vbi damnatur hæc eius propositio num. 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* Et 61. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus: & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit, & docet.* Ibidémque damnantur propositiones 33. & 37. in quibus simpliciter, & sine censura, vel alia exaggeratione affirmatur, omnem amorem naturalem creaturæ rationalis, qui non est à Spiritu sancto infundente caritatem, esse vitiosam cupiditatem. Simpliciter, inquam; ne quis dicat non sententias ipsas, sed exaggerationes, & censuras, ac modum loquendi damnari.

Repugnat denique Sanctis Patribus, & ipsimet Augustino lib. de spiritu & litera, scripto contra Pelagianos, cap. 28. vbi loquens de Gentilibus, quos Paulus ait, cùm legem non habeant, naturaliter facere quæ legis sunt: de iisdem sic affirmat: *Ipsi homines erant: & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit.* Et lib. de Perfectione iustitiæ cap. 19. exponens illud 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit:* dicit, velle nubere, de quo ibi sermo est, non esse tale opus (quamuis sit bonum opus, vt disertè ait Apostolus) qualia sunt ea, quæ requirunt Dei misericordiam, & gratiam. Ac Cælestio locum eundem obiicienti contra necessitatem gratiæ, respondet non esse huiusmodi in exemplum adducenda, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosiùs disputatur. Ex quo manifestè colligitur alienum esse à mente Augustini, quod ait Iansenius, [illegible] aliquod bonum opus sicut oportet, non esse [illegible]ud quàm opus agi sicut agendum est, vt sit verè rectum, & bonum, seu non malum. Nam ex Diuo Augustino nullum opus bonum fieri potest sicut oportet, sine gratia: vt fatetur Iansenius, & probat multis eius testimoniis capite 11. libri quinti de Gratia Christi Saluatoris. Atqui bonum aliquod opus verè bonum, & rectum, potest fieri sine gratia, iuxta doctrinam Augustini locis proximè citatis. Ergo non omne bonum opus, tametsi verè bonum, & rectum, est huiusmodi, vt fiat sicut oportet, iuxta sensum Diui Augustini. 36.

Dico secundò, falsum pariter esse, & Augustino repugnare, quod ait Iansenius, nullum fieri bonum opus nisi fiat ex caritate erga Deum: non autem ex timore pœnæ. Nam hæc assertio manifestè repugnat Tridentino, sessione decima quarta, capite 4. affirmanti attritionem non conceptam ex motiuo caritatis erga Deum, sed ex metu gehennæ, aut consideratione turpitudinis peccati, esse actum bonum. Augustinus quoque verbis suprà relatis ex concione in Psalm. 127. expresè docet aliqua bona opera fieri timore gehennæ: *Timore facit quidquid boni facit*, &c. Et lib. de gratia & libero arbitrio capite 18. dicit spiritum istum timoris gehennæ, sine dubio esse magnum donum Dei, & à Christo commendari Lucæ 12. versu quinto. Eundémque timorem caritati præire affirmat tractatu nono in epist. Ioann, 37. *Actus fidei & timoris sunt boni.*

ac proinde non esse actum caritatis: præsertim cùm addat ibidem, non esse quâ intret caritas, nisi timor præcedat: illúmque comparet setæ per quam linum introducitur. Tridentin. quòque sess. 6. capite septimo, plures alios actus recenset dilectioni Dei præuios, & ope gratiæ conceptos, quibus peccator sensim disponitur ad iustificationem.

38. *Non contradicit Augustinus.* Quod autem refertur in contrarium à Iansenio ex capite 121. Enchirid. intelligendum est de opere, quod neque actu, neque aptitudine refertur ad caritatem: id est, quod neque refertur actu, neque referri potest, quia non est bonum opus, quod Deo placere possit, ipsíque offerri: vel etiam, quòd non fiat, quemadmodum oportet fieri vt per se prosit ad regnum cælorum, nisi referatur ad caritatem, sine qua non est illius meritorium vi sua, iuxta veriorem Theologorum sententiam. Altero autem loco, qui obiicitur ex libro de Correptione & gratia capite secundo, latè sumit dilectionem, & delectationem iustitiæ, prout iustitia sumitur generaliter pro quacumque honestate, & non pro sola dilectione, & delectatione caritatis propriè dictæ; vt sæpiùs facere Augustinum suprà ostendimus. Eodémque sensu dicit libro secundo ad Bonifac. capite nono. *Tunc bonum concupisci incipere, quando dulcescere cœperit*, id est, placere voluntati. *Quando autem timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum*, id est, quando bonum ipsum non placet, sed malum potiùs, à quo pœna retrahit: *nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere; quando mallet homo non facere, si posset impunè:* Quando scilicet non detestatur omnino malum propter pœnam, sed affectum retinet ad illud, velléque illud prosequi nisi pœnæ metus arceret. Eodem denique sensu intelligenda sunt, quæ refert ex concione in Psalm. 118. & aliis Augustini locis, toto illo capite 11.

39. *Dantur aliqua bona opera naturalia, quæ tamen non sunt gratiæ meritoria.* Dico tertiò, non minùs falsum esse, quod ait Iansenius, repugnare omnibus principiis Diui Augustini dicere aliquam esse pietatem, cultum, iustitiam, religionem naturalem; & apud illum nulla esse opera verè bona, id est, non mala, quæ non sint etiam merita gratiæ supernaturalis. Nam prima istarum assertionum repugnat potiùs Augustino, affirmanti pluribus locis posse naturæ viribus fieri aliqua opera verè bona, seu non mala, vt adductis eius verbis ostendimus paulò superiùs numer. 36. Secundæ verò non minùs aduersatur quod ipse scribit in Præfatione expositionis Psalmi 31. *Ea opera quæ dicuntur bona ante fidem, quamuis laudabiliter fiant, inania sunt:* id est, inutilia ad salutem: vt clariùs ipse affirmat libro de spiritu & litera capite 28. Vbi postquam dixit, Impiorum, seu Gentilium quædam facta legi, vel nosci, vel audiri, *quæ secundùm iustitiæ regulam non modò vituperare non possumus, verùm etiam meritò, rectéque laudamus*: &, meritò dici posse, *etiam in ipsa impietate vita suæ Gentiles facere aliqua legis, vel sapere*: addit de huiusmodi bonis operibus paulò pòst: *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet hominis pessimi traducitur.* Vbi nota Diuum Augustinum opponere peccata venialia hominis iusti, huiusmodi bonis operibus hominis impij. Quæ oppositio vt bona sit, oportet illa bona opera impij non esse peccata. Nam alioqui non possent rectè opponi peccatis, si ipsa quoque essent peccata. Nota præterea, huiusmodi bona opera, tametsi non mala, & verè bona, non prodesse tamen ad salutem æternam, vt affirmat Augustinus. Atqui si essent meritoria gratiæ supernaturalis, prodessent ad vitam æternam. Ergo iuxta doctrinam Augustini dantur aliqua opera verè bona, quæ non sunt meritoria gratiæ supernaturalis. Ac proinde fallitur, & imponit Augustino Iansenius.

Ad id verò, quod opponit ex libro secundo ad Bonifacium capite octauo, & libro quarto contra Iulianum capite tertio, aliísque locis, respondeo Diuum Augustinum non idcirco reprehendere Pelagianos, aut Semipelagianos, quòd vellent esse aliqua bona opera ordinis naturalis, sterilia, siue inutilia ad salutem, & non meritoria gratiæ supernaturalis: quod ipsemet locis suprà relatis affirmauit: sed quòd vellent aliqua opera bona, facta sine gratia, dare initium saluti nostræ per modum meriti siue de congruo, siue de condigno, cur daretur gratia: ne alioquin Deus esset acceptor personarum, si daret gratiam sine aliquo merito præuio: quódque vellent Pelagiani posse viribus naturalibus fieri quodcumque bonum opus ad salutem æternam necessarium, ita vt gratia non esset necessaria ad illa opera facienda simpliciter, sed tantùm vt faciliùs fierent: vel vt volebant Semipelagiani, necessaria tantùm esset ad perficienda, non autem ad inchoanda salutis opera. Contra quos errores dicit libro secundo ad Bonifacium capite 7. & 8. inde sequi gratiam non esse gratiam, sed operibus reddi. Et libro quarto capite 9. *Quis prior, inquit, dedit ei, & retribuetur ei? &c. Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam defendentes, priores dare volunt Deo, vt retribuatur eis: priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt sit gratia retribuenda pro præmio: & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quòd se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, percepisse.* 40. *Pelagiani volebant illa esse gratia meritoria.*

De iisdémque operibus intelligendum est, quod refertur ex libro primo Retractat. capite 6. & libro quarto contra Iulianum capite 3. & libro de Prædestinat. Sanctor. capite secundo, vt vel ex ipsis eius verbis perspicuum est, quæ sic habent: *Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso Deo est? Quis autem dicat eum, qui iam cœperit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Vnde fit vt iam merenti cetera dicantur addi retributione diuina: ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse, damnauit.* Et paulò inferiùs, Semipelagianos qui volebant fidem salutarem, & vtilem ad iustificationem, à nobis esse sine auxilio gratiæ, 41. *Hoc sæpius in illis reprehendit Augustinus.*

sic alloquitur: *Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo: ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis. Debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cœpta fides aucta. Nec attenditur, cùm hoc dicitur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum istam mercedem credentibus imputari.*

42. *Et Prosper in Semipelag.* Similíque modo argumentatur contra eosdem Semipelagianos Prosper libro contra Collat. ferè initio, sic dicens Cassiano: *Quomodo autem non aduertis te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, conuinceris dicere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia.* Loquitur enim certissimè de fide Christiana, & salutari, déque simili pietate, & instantia, iuxta mentem Cassiani, & aliorum Semipelagianorum, de qua diximus alibi referendo fideliter eorum errores. Idque patet ex verbis sequentibus eodem libro, capite tertio, quibus vrget Cassianum, & doctrinæ malè cohærentis arguit, eò quòd diceret merita non præcedere gratiam: & tamen fidem Christianam, & salutarem, præcedere gratiam: tametsi fides non esset sine merito præuio: sic inquam illum vrget: *Quoquo versum te conferas à temetipso & vinciris, & vinceris. Si enim gratiam merita nulla præcedunt, & fides non potest esse sine meritis: fides gratiam non præcedit.* Vbi manifestè de fide Christiana, & ad salutem valente sermo est.

SECTIO VI.

Quid sentiat Iansenius de timore pœnæ, déque attritione ex illo concepta?

43. *Dicit attritionem esse bonam.* DE his disputat capite decimo-tertio, & sequentibus eiusdem libri quinti de gratia Christi Saluatoris, (vel vt habent codices editionis Parisiensis, capite 21. qui error in numerando continuatur deinceps vsque ad finem libri) vbi primò fatetur quidem timorem gehennæ secundùm se consideratum, licitum, bonum, & rectum esse: quia Tridentinum & D. Augustin. id docent, vt probat eorum testimoniis cap. 12. & 13. relatis. Fauente etiam ratione: quia, inquit, timor est quædam fuga mali. Fuga verò mali rationem suam sumit ex bono, cui opponitur istud malum: cùm malum odio haberi, ac fugi non possit, nisi quia aduersatur bono. Bonum autem, cui aduersatur gehenna tanquam malum, licito, bono, rectóque desiderio appeti potest. Licitum igitur, bonum, & rectum est gehennam, tanquam oppositum ei malum, timendo fugere.

44. *Sed non egere gratia Christi vt fiat.* Sed contendit capite 15. (aliàs 23.) & tribus sequentibus, ad hunc timorem concipiendum non esse necessariam veram Christi gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus est. *Nam ista gratia* (inquit) *effectum prorsus oppositum in voluntate facit. Est enim inspiratio cælestis delectationis, quâ Deus incipit dulcescere, quem timebat; quáque dulcedine perfusus animus iam non formidine pœnæ, sed iustitiæ dilectione operatur bonum,* &c. *Operatur igitur Deus pœnarum timorem per aliam longè inferioris notæ gratiam, quæ postquam infixa fuerit in animo, diuini iudicij sempiternæque pœnæ fides, fortassis gratiam peculiaris cuiusdam, siue interna, siue externa prouidentiæ, & operationis non excedit.* Et paulò pòst, explicatis tribus modis, quibus Deus iuuat ad hunc timorem: dicit illos omnes, supposita fide, externos esse: nec ad ipsa interiora voluntatis, nisi obiecti formidabilis propositione pertingere. Tum adductis aliquot Augustini locis, concludit, ex illis perspicuè patere timorem legis non modò non esse effectum gratiæ, sed potiùs distingui contra gratiam, & propterea cordibus adhuc terrenis incuti, vt ad gratiam perducantur. Hinc etiam fieri vt Augustino, quisquis ex diuinæ legis pœnas comminantis timore præcepta iustitiæ facit; non ex gratia Dei, sed ex propriis viribus ea implere velle censeatur. Nempe quia, quamuis & lex, & pœnarum comminatio sit ex Deo: non aliter tamen ista iuuant, nisi cognitionem afferendo: quâ perceptâ, si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit, quidquid facit. Quod etiam de ipso timore gehennæ, siue æternæ damnationis verum esse affirmat sequenti capite decimo-sexto (aliàs 24.) ad quem sufficere dicit vt fides antecedat, & eatenus Deo tribui debeat. *Quid est enim*, inquit, *timor gehennæ, nisi timor cruciatuum, quibus post hanc vitam, naturalis corporis, atque animi constitutio, integritas, ac salus tollitur: quam sicut omnis homo naturaliter diligit, simul atque sibi vel diuinâ fide, vel humana opinatione vitam aliquam corporis, atque animæ futuram esse persuaserit: ita quoque naturaliter violationem eius per dolores atque cruciatus exhorrescit. Nihil enim vetat ex supernaturali aliqua cognitione præeunte, naturaliter aliquos timores tristitiásque sequi, dummodo obiectum eorum naturalis ordinis fuerit.*

Secundò docet capite 19. (aliàs 27.) impossibile esse, vt ille qui in peccandi proposito constitutus est, solâ pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatúmque detestetur, vt non peccet. Nimirum quia, vt addit paulò pòst, timor ille manus quidem coërcet, ne malum faciant: at non malè faciendi voluntatem intus vigentem, quæ tunc in opere quoque sese proderet, si pœna comminata tolleretur. Ad quod probandum adducit plura Diui Augustini testimonia eodem capite, & sequenti vicesimo (aliàs 28.) Tum capite vicesimo primo (aliàs 29.) dicit primam radicem huius doctrinæ esse, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit; inuitus & animo repugnante fugit; ideóque non fugit peccatum, sed aliud quippiam. Nam, ex sententia omnium Philosophorum, ea quæ purè aguntur ex metu, sunt inuoluntaria secundùm quid, siue mixta ex voluntario, & inuoluntario: ita vt operans sentiat animi repugnantiam ad 45. *Et timorem non auertere voluntatem à peccato.*

id, quod metu facit, habeátque hunc actum voluntatis coniunctum, *Nollem hoc facere, vel nollem abstinere, nisi mali impendentis metu cogerer.* Alteram radicem ait capite vicesimosecundo (aliàs tricesimo) esse, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solus amor iustitiæ. *Impossibile est*, inquit, *eum, qui peccandi voluntate detinetur, solo pœnæ timore mutare voluntatem: sed hoc proprium officium est caritatis, quâ animus à peccati tanquam iniustitiæ dilectione, ad iustitiæ dilectionem transfertur. Timor enim pœnæ premit, non exhaurit cupiditatem: continet manum, non animum, qui eodem modo, ac si non timeret, peccato alicui affixus manet.* Et longè pòst, adductis pluribus in hanc sententiam Augustini locis, *Hinc igitur*, inquit, *consequenter nascitur vt tales homines, qui coacti timore pœnæ iustitiam legis operantur, aut operari videntur, non sint amici rectitudinis seu iustitiæ, hoc est, ipsius Dei, qui est iustitia; sed potiùs hostiles aduersus eum animos gerant.* Tertiam denique radicem eiusdem doctrinæ dicit esse, capite vicesimo tertio, (aliàs tricesimo primo) quia timor pœnæ, ab amore iustitiæ (id est, Dei) distinctus, nascitur ex amore sui ipsius, quatenus in creatura vltimò quiescit. Nam, inquit, *qui sic pœnas timet, vel temporales, vel etiam æternas, non quatenus impediunt ne liberè animus in Deum fruendum transeat, sed quatenus sibi tantùm incommodæ, & in ista consideratione requiescit, nihil vlterius de illo satagens, propter quem eas formidare debuisset, &c. ille in suiipsius amore requiescit, non in Deo, cuius malum ita formidare, sicuti bonum appetere debuisset, vt in vtroque tam amoris, quàm timoris affectu seipsum referret in Deum, qui sicut omnium actionum creaturæ rationalis, ita & omnium voluntatis motuum, & affectuum est quies, & finis. Quod qui non in omnibus actionibus suis, & affectibus facit, sine dubitatione delinquit.*

46. *Et attritionem non excludere peccandi voluntatem.* Tertiò docet capite vicesimo quinto (aliàs tricesimo tertio) repugnare magnopere Augustino doctrinam, quâ Scholastici affirmant, dolorem propter gehennæ metum, siue attritionem ex illo metu conceptam, excludere posse omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonæ vitæ, seu seruandi totam legem Dei. Nam inde pendet, inquit, illa tam operosa cum Pelagianis tractata controuersia, vtrum Christianus fide imbutus solâ lege terrente, hoc est, timorem incutiente, possit cauere malum, aut operari bonum. Nam profectò si timor pœnæ, quam lex minatur, omnem peccandi voluntatem eximere potest: certissimum est solâ lege minante nos operari posse bonum. Nec enim exiguum bonum est omnem peccandi abiicere voluntatem. *Neque esse sufficientem dispositionē ad Sacramenta.* Addit maiori admiratione dignum esse, quod iidem Scholastici docent, dolorem quo quis de peccatis ex solo timore pœnarum infernalium dolet, eáque detestatur, quam attritionem vocant, esse sufficientem dispositionem ad iustificationem in Sacramento pœnitentiæ, aut baptismi recipiendam. Dolor enim iste, cùm ex amore suiipsius, & salutis suæ corporalis oriatur; non maioris pretij est apud Deum, neque maiorem ad iustitiam acquirendam proportionem habet, quàm amor, quo quis integritatem corporis sui diligit: ideóque non potest disponere ad iustificationem. Nec enim animum conuertit ad Deum, à quo per peccatum auersus erat: nec auertit animum ab iniustitia peccatorum, sed à doloribus, quos paritura sunt: cùm tamen vtrumque ad iustificationem prorsus necessarium sit.

Quartò denique, contendit toto capite vicesimo-sexto (aliàs tricesimo-quarto) non mediocriter hallucinari, qui dicunt hanc doctrinam tradi à Tridentino sessionis decimæ-quartæ capite quarto. 47. *Et Tridentinum id docere.* Cùm potiùs, inquit, multis locis euidenter significet nunquam iustificationis gratiam, siue extra Sacramentum, siue in Sacramento tam pœnitentiæ, quàm baptismi, adultis dari, nisi contritio antecedat. Nam inprimis docet capite tertio, materiam Sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, eámque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et canone quarto, damnat eos anathemate, qui negauerint contritionem, confessionem, & satisfactionem esse tres partes pœnitentiæ. Quid sit autem ista contritio definit capite quarto, dicens illam esse animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero: eiúsque motum quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessarium: & hanc tandem contritionem non solùm nouæ vitæ propositum, & inchoationem, sed & veteris odium continere. Quamuis autem postea Tridentinum diuidat contritionem in perfectam caritate, & in imperfectam, quæ attritio dicitur, quam declarat esse donum Dei, &c. & quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere: nihilominùs significat istam attritionem esse veri nominis & rationis contritionem, sed, vti nominat, imperfectam: illique tribuit quidquid ad contritionem in definitione requisiuerat: nimirum animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, & propositum non peccandi de cetero. Nam eodem capite quarto postulat vt voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: & canone quinto, qui ex illo decreto sumptus est, detestationem peccatorum ei tribuit, cum proposito melioris vitæ. Quæ sunt ipsissima, quæ ad contritionem requisiuerat, & quibus duabus conditionibus ab huius imperfectæ contritionis, seu attritionis essentia reiicitur omnis illa attritio, quæ ex solo timore pœnæ, siue temporalis, siue æternæ proficiscitur. Nam timor ille, omnium etiam Scholasticorum iudicio, seruilis est. Timor autem seruilis sicut non corrigit voluntatem, ita non excludit etiam peccandi voluntatem. Nam ad vtrumque necessarium est, vt omnibus anteponat rebus dilectis Deum. Hoc enim quando non fit vel actu, vel affectu; persistit voluntas in peccato, dum adhuc aliquid supra Deum diligit, & aliquid magis quàm Dei offensam timet.

Hinc etiam fit, inquit, vt idem Concilium sessionis 6. capite 6. istam Dei dilectionem ad baptismum quoque veluti necessariam dispositionem postulet. Nam ad eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet, requirit fidem, spem, dilectionem Dei tanquam fontis omnis iustitiæ; & vt propterea, id est, quia Deum vt iustitiæ fontem diligit, aduersus peccata moueatur adultus ad baptismum accedens, per odium aliquod, & detestationem: ac denique postulat propositum inchoandi nouam vitam, & seruandi diuina mandata. Qui tam perspicuè sunt effectus diuinæ, cælestisque caritatis, vt nullo colore probabilitatis negari queant. Itaque (inquit paulò pòst) vniuersa Concilij doctrina de iustificatione, clamat veram contritionem, ex qua fiat cor contritum, verum peccatorum, non gehennarum, aut dolorum odium, ac detestationem, veram non peccandi voluntatem, veram iustitiæ dilectionem, ex qua oritur tristitia secundùm Deum, iustificationem quamlibet antecedere debere. Quorum profectò nullum ex dolore peccati propter solum gehennæ metum, sed ex sola illa contritione, quæ ex offensionis Dei pio dolore fluit, proficiscitur. Fallitur enim quisquis putat, per Sacramentum pœnitentiæ effectum esse, vt iam duplex sit iustificationis modus. Vnus per contritionem: alter per illam attritionem, quæ ex solo pœnarum timore de peccatis dolet: sed vnus & idem semper est, & fuit iustificationis modus, per dolorem de offensione Dei: quamuis pœnitentiæ Sacramenti institutio facilitatem assequendæ remissionis attulerit. Hæc ille, cuius doctrina tota, fideliter ipsismet eius verbis relata, contradictionibus & erroribus scatet, vt patebit ex sequentibus.

SECTIO VII.

Refutatur prædicta sententia.

49. *Iansenij cōtradictio.* NAM quod primò dicit, timorem gehennæ secundùm se consideratum, licitum, bonum, & rectum esse, verum quidem est, neque solùm à Tridentino, & Augustino locis infrà citandis, alijsque Patribus affirmatum: sed & ab ipsa Scriptura diuina, sæpius nos ad illum timorem inducente, cúmque commendante veluti bonum & salutarem: vt patet ex locis relatis disputat. praecedenti sect. 2. numer. 12. Veruntamen non potuit sine manifesta contradictione id admitti à Iansenio, qui docet hunc timorem nasci ex amore creaturæ, & amore sui, vt ait capite 16. (aliàs 24.) libri citati §. *Quod verò secundò*, his verbis: *Est enim certum, & perspicuum, ex eodem sui ipsius, & creaturæ, non Creatoris amore timorem gehennæ prosilire.* (Lib. 5. de Gratia Christi Saluatoris.) Ex toto capite 23. (aliàs 31.) probare contendit timorem pœnæ ab amore iustitiæ (id est, Dei, vt ipse intelligit, sæpiúsque ait) disiunctum, nasci ex amore sui ipsius, quatenus in creatura vltimò quiescit. Hunc autem amorem, & timorem ex illo profectum, vitiosum esse docet eodem cap. his verbis: *Timor malorum conformis est amori bonorum ex quo essentialiter nascitur; sicut & quilibet alius affectus animi, qui ex amore, veluti causâ fluit. Ex quo fit vt si amor boni quoquo modo vitietur, timor oppositi mali continuò inde labem similem contrahat, tanquam qui in amore, veluti fonte suo vitiatus est. Si quis igitur bona temporalia, vel seipsum, cui illa sibi placendo appetit, diligere cœpit, non tanquam vtens, sed tanquam fruens, hoc est, animo in illis bonis, vel in seipso inhærendo, non transeundo ad Deum in quo solo, delectando se, deberet conquiescere: non est mirum si timor inde nascens mali, parenti suo similis, hoc est, vitiosus oriatur. Timebit enim vel temporalia, vel æterna etiam mala, non quatenus impediunt ne animus liberè in Deum fruendum transeat: sed quatenus ea sibi tantùm incommoda sunt; & in ista consideratione requiescet, nihil vlterius de illo satagendo propter quem ea formidare debuisset.*

Neque Ianseniurn excusat à contradictione quod addit: hoc non tam timoris, quàm timentis esse vitium, qui in seipso, sibi placendo, séque amando stat, ex quo pergendum erat in Deum. 50. *Refellitur euasio.* Nam si vitiosus est affectus amoris, aut timoris qui stat in creatura, & non tendit in Deum, vt suprà dixit: & timor gehennæ est affectus sistens in creatura, in eáque vltimò quiescens, vt ibidem affirmat: manifestè sequitur timorem illum esse per se vitiosum. (Lib. 5. de Gratia Christi Saluatoris.) Potéstque id ampliùs confirmari ex eo quod dicit eodem capite paulò post verba suprà relata: *Debere hominem in vtroque tam amoris, quàm timoris affectu seipsum referre in Deum (dilectum ex caritate, vt ipse affirmat, & alibi sæpiùs inculcat) qui sicut omnium actionum creaturæ rationalis, ita & omnium voluntatis motuum & affectuum est quies & finis. Quod qui non in omnibus actibus suis, & affectibus facit, sine dubio delinquit.*

Confirmatur præterea ex aliis eius locis, quibus affirmat virtutem non esse aliud, nisi amorem Dei: & bonam voluntatem non esse aliud, quàm caritatem; vt fusè probare conatur libro quinto de Gratia Christi capite 3. 51. *Vrgetur aliis locis.* Et libro secundo de statu naturæ lapsæ toto capite 12. docet affectum amoris non posse sine peccato hærere in creatura: huiúsque rei rationem petendam esse ex natura cupiditatis, & peccati, seu mortalis, seu venialis. Nam, inquit, iuxta Augustinum, non est aliud peccatum, quàm amor rei temporalis, siue rei, quæ amanti inuito auferri potest, hoc est, amor cuiuscunque creaturæ. Et non obscurè approbat illam Baij propositionem damnatam à Pio V. & Gregorio XIII. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, (id est, creatura aliqua) quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Nam sequenti capite decimo-quarto, probandum suscipit, ipsum amare creaturarum, hærendo in creatura, esse peccare, etiamsi nullis aliis prauis vestiatur circumstantiis. Et capite decimo-quinto, pluribúsque sequentibus fusissimè docet omnem amorem cuiuscunque creaturæ propter seipsam, lege æterna prohiberi: adeóque vitiosum & illicitum esse secundùm se. Et capiti 19. libri tertij hunc titulum

præfigit, *Non datur medium inter caritatem, & culpabilem cupiditatem.* Et libri tertij capite 17. initio sic ait: *Nullum omnino fieri potest opus bonum, hoc est, sine peccato; nisi in finem, ad quem referri vera sapientia præcipit, hoc est, in Deum propter se dilectum referatur: alioquin neque rectè fit, neque bonum opus est, sed veri peccati contaminatione pollutum.* Vnde consequens est timorem mali non ex amore caritatis, sed ex amore sui profectum, esse vitiosum, & illicitum ex sui ipsius natura: & non tantùm propter aliquod adiunctum, vel aliud timentis vitium, aut defectum: iuxta doctrinam huius auctoris manifestè erroneam, & damnatam à Tridentino sess. 6. can. 8. cuius verba sunt. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Et sessione 14. capite 4. definit attritionem conceptam ex gehennæ, & pœnarum metu, distinctámque à contritione perfecta, seu dolore de peccatis ex motiuo caritatis, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, & motum, siue affectum bonum.

52. *Attritionem concipitur sine gratia Christi.* Secundò, Erroneum pariter est, quod ait, veram Christi gratiam, & propriè dictam, non esse necessariam ad concipiendum timorem gehennæ, & detestationem peccati propter illam; efficacem scilicet, & vtilem ad salutem, disponentémque ad iustificationem vi Sacramenti obtinendam, de quo timore loquuntur Theologi; sed præsupposita fide posse viribus naturalibus concipi. Hoc enim satis apertè repugnat Arausicano II. canon. 6. definienti, *hæretico falli spiritu* eum qui dicit *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere nos posse absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti.* Quis enim dubitet timorem illum esse aliquod bonum pertinens ad salutem vitæ æternæ? fallitur ergo spiritu hæretico, qui dicit illum posse concipi per solum naturæ vigorem sine illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, hoc est, sine gratia Christi propriè dicta, de qua sine dubio loquitur Arausicanum, quippe de qua erat illi controuersia cum Semipelagianis ab eo damnatis. Repugnat etiam Tridentino, sessionis sextæ canon. 3. definienti sub anathemate, neminem *sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio*, id est, sine eadem gratia verè & propriè dicta *credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.* Quod intelligit siue per Sacramentum iustificationem obtineat, siue extra Sacramentum. Respondet enim canon ille capiti 5. & 6. quibus docet generaliter, *exordium iustificationis in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione*, &c. & inter actus, quibus per eius gratiam, & liberam nostram cooperationem disponimur, numerat actum fidei, & *actum timoris diuinæ iustitiæ, quo vtiliter concussi peccatores ad considerandam Dei misericordiam se conuertunt.* Tum capite septimo inter causas iustificationis illius, ad quam adulti se ita disponunt, recenset baptismum: apertè significans se loqui de illa etiam, quæ per Sacramenta obtinetur, & ad quam sufficit attritio. Et sessionis decimæ quartæ capite quarto, declarat generaliter attritionem conceptam ex gehennæ & pœnarum metu, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non modò non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, & ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere. Quod autem falsò supponit Iansenius veram Christi gratiam non esse aliam, nisi delectationem caritatis, refutatum fuit sect. 2. numer. sexto, & seqq.

Tertiò, quod ait, impossibile esse timore pœnæ ita mutari voluntatem, inducique ad peccatum detestandum, vt non peccet; & manum tantùm cohiberi, non animum: repugnat Tridentino sessione 14. capite quarto, manifestè supponenti aliquem esse timorem pœnarum & gehennæ, talem vt absolutè voluntatem peccandi excludat: & talem esse declarat attritionem illam ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, quæ donum Dei est, & impulsus Spiritus sancti, sufficiénsque dispositio ad iustificationem cum Sacramento, vt ibidem affirmat: quamuis sine illo non sufficiat, vt perfecta contritio. Et verò, nisi timor ille, & dolor de peccatis, sit absoluta, & efficax detestatio omnis peccati mortalis, est inutilis ad finem, quem intendit: hoc est, ad gehennam, æternásque pœnas vitandas. Nam illæ incurruntur per quodlibet peccatum mortale: ideóque qui efficaciter & absolutè vult vitare gehennam, debet necessariò detestari, & fugere omnia peccata mortalia. Ex quo ampliùs confirmatur, quod suprà diximus, non posse talem actum concipi sine gratia Christi propriè dicta, seu speciali auxilio Spiritus sancti, per eius mortem nobis obtento. Quia non minùs est difficilis efficax timor & absolutus, detestans omne peccatum mortale, monénsque efficaciter ad illud vitandum, & gehennam, seu pœnam illi annexam; quàm actus plurimi aliarum virtutum, qui sine propria Christi gratia exerceri non possunt: neque etiam minùs est vtilis ad vitam æternam. Ergo non potest solis naturæ viribus haberi sine propria Christi gratia. 53. *Excludit omnem peccandi voluntatem.*

Nec obest, quod opponit Iansenius, eum, qui ex timore peccatum detestatur, habere animum repugnantem, & affectum ad peccatum, quod reipsa committeret, nisi obstaret pœna, quam etiam vellet non esse adiunctam, eo quòd ea, quæ fiunt ex metu, sunt inuoluntaria secundùm quid, seu mixta ex voluntario & inuoluntario. Respondeo enim, dupliciter nos velle, aut nolle aliquid ex metu. Primò, simpliciter, & absolutè: ita vt toto affectu in illud feramur, non autem diuiso partim ad hoc, & partim ad eius oppositum. Quo pacto dicimus veram attritionem ex timore gehennæ detestari peccatum absolutè, & efficaciter. Secundò, diminutè solùm, & secundùm quid: volendo scilicet, aut nolendo ex parte tantùm, & cum affectu diuiso ad oppositum. Vt quando aliquis metu naufragij merces in mare proiicit, quas amat etiam tunc, & ægrè, ac cum iacturæ dolore mauult proiicere, quàm naufragium pati; velletque retinere, nisi me- 54. *Non omnis timor mixtum habet affectum repugnantem.*

tus abiicere cogeret. Et de illo volendi, aut nolendi modo verum est quod obiicitur, mixtum esse inuoluntario; id est, inuoluere quandam affectuum repugnantiam. Neque negamus talem peccatum detestandi modum vitiosum esse, ob adiunctum illius affectum præsentem, & vigentem: sed negamus talem esse detestationem, de qua loquimur cum Tridentino, & communi Catholicorum doctrinâ.

55. *Conciliantur varia Augustini loca.* Iuxta hanc distinctionem concilianda sunt loca D. Augustini specie tenus inter se pugnantia: quorum aliquibus affirmat timorem peccati bonum, & salutarem esse: cuiusmodi illa sunt, quæ refert Iansenius lib. 5. de Gratia Christi cap. 13. & 14. (aliàs 21. & 22.) vt cùm ait serm. 18. de verbis Apostoli cap. 7. *Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? Malè times? vanè times? non audeo: quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subiecit timorem, & ait, vbi dixit; Nolite timere eos, qui corpus occidunt, postea non habent quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem & corpus, & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminauerit, dicturus ego sum, malè times? Ista non dicam? planè times: Nihil melius times. Nihil est quod magis timere debeas.* Et in Psalm. 127. *Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est, & iste timor, vtilis est.* Et lib. de Catechizandis rudibus capite 5. dicit, *Seueritate Dei corda mortalium saluberrimo timore quati.* Quæ loca, & similia debent intelligi iuxta primum membrum distinctionis supradictæ. In aliis verò vbi loquitur de timore pœnæ, & affectu contra peccatum diminuto solùm & secundùm quid, iuxta secundum membrum eiusdem distinctionis, dicit esse vitiosum: & peccatores ita timentes, atque à peccato ex tali metu abstinentes, comparat adulteræ, quæ habens animum adulterandi, abstinet solùm ab opere, timens ne à marito deprehendatur, & seuerè puniatur: vel lupo inuadenti ouile, & metu canum, & pastorum recedenti, sine præda quidem, sed non sine affectu auferendi, si potuisset. *Lupus enim venit, & lupus redit: venit fremens, & redit tremens: lupus est tamen & tremens, & fremens*: vt ait serm. 19. de verbis Apostoli cap. 9. Eiusmodi sunt alia eius loca producta à Iansenio capite 27. 28. & 29. libri citati.

56. *Aliquis timor auertit perfectè voluntatem.* Falsum verò est quod addit, timorem pœnæ non posse mutare voluntatem; sed solum amorem iustitiæ, qui est proprius caritatis. Nam licèt timor aliquis sit eiusmodi, vt amorem inefficacem, aut efficacem rei deserendæ secum admittat, & in voluntate simul viuere patiatur: datur tamen alius, qui omnem rei priùs dilectæ amorem, & voluntatis repugnantiam prorsus excludit. Qualem esse supponit Tridentinum sess. 14. capite 4. timorem absolutum, & efficacem gehennæ, ex quo communiter concipitur attritio salutaris, & sufficiens ad remissionem peccatorum cum Sacramento pœnitentiæ. *Huiusmodi est attritio ex Trident.* Dicit enim *illam contritionem imperfectam. quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse*, &c. Quibus verbis, *si voluntatem peccandi excludat*, manifestè supponit talem metum, talémque attritionem ex illo conceptam, dari posse, vt peccandi voluntatem non compatiatur. Manifestè quoque significat talem timorem, & attritionem, non solùm esse possibilem: verùm etiam reipsa dari; cùm ait *esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat*, vt addit immediatè pòst. Et verò inaniter id pronunciaret contra Lutherum, si nulla talis attritio esse posset: déque figmento impossibili cum illo litigaret: & quod peius est, diceret figmentum illud esse *donum Dei, & impulsum Spiritus sancti, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.* Talémque esse reipsa attritionem in Sacramento pœnitentiæ disponentem ad iustificationem, patet ex verbis immediatè pòst sequentibus, *Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Adde, timorem illum gehennæ fore inefficacem, & inutilem ad illam vitandam, si non excluderet omnem affectum voluntarium, & deliberatum ad omne peccatum mortale, quod est causa gehennæ. Cúmque vt affirmat Tridentinum ibidem, contritio generaliter sumpta, prout abstrahit à perfecta, & ab imperfecta, quæ est attritio, hoc habeat commune vtrique, quòd non solùm cessationem à peccato, & nouæ vitæ propositum, & inchoationem; sed veteris etiam odium contineat: non potest dici conformiter eius doctrinæ, timorem gehennæ, & attritionem ex illo conceptam, non planè mutare voluntatem malam; sed relinquere in timente affectum hostilem contra Deum, & contra rectitudinem iustitiæ: non exhaurire cupiditatem, sed premere: manúmque solam continere, non animum, qui eodem modo peccatis maneat affixus, ac si non timeret; vt affirmat Iansenius.

Falsum denique est, quod idem ait, ita timentem in sui ipsius amore requiescere, nihílque de illo satagere, propter quem pœnas formidare debuisset. Nam qui Deum vindicem, & pœnas æternas minantem timet absolutè, & efficaciter; atque ne Dei vltionem experiatur, gehennámque incurrat, detestatur eum offendere, & cupit ei reconciliari: ille sine dubio de Deo cogitat, atque ad illum se conuertit, cuius cùm vindictam refugit, misericordiam exoptat: & detestando gehennam æternam, in pœna damni, & sensus consistentem, id est, in carentia fruitionis Dei, & pœnâ sensibus illatâ per cruciatum ignis: hoc ipso, virtualiter saltem, & implicitè exoptat statum oppositum, id est, carentiam doloris sensibilis, & fruitionem Dei, ad quem etiam per talem actum, velut ad finem suum vltimum, & suum summum bonum se tacitè conuertit: non quidem 57. *Attritio respicit Deum.*

affectu caritatis, quæ fertur in Deum vt propter se diligendum absolutè ratione sui ipsius: sed affectu proprio spei, quæ in Deum tendit vt summum bonum ipsius sperantis. Dicere autem omnes affectus bonos debere in Deum referri vt propter se dilectum, & alioquin esse vitiosos; est omnes virtutes confundere cum caritate, aut negare vllam aliam esse virtutem præter caritatem: contra doctrinam Scripturæ, & Sanctorum Patrum, omniúmque Theologorum consensum: & apertè repugnat Tridentino sess. 14. cap. 4. docenti attritionem, non ex motiuo caritatis, sed ex timore gehennæ conceptam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, esse motum, siue affectum bonum; vt suprà diximus, & magis confirmabimus paulò pòst.

58. *Et excludit omnem peccandi voluntatem ex Aug.st.* Neque minùs à veritate alienum est, quod addit in tertio documento, dicere attritionem ex metu gehennæ conceptam posse excludere omnem peccandi voluntatem, repugnare magnopere doctrinæ D. Augustini. Nam è contrario S. ille Doctor sic affirmat serm. 214. de tempore: *Cùm timetur pœna, quam Deus minatur: discitur amari præmium, quod pollicetur: ac sic per timorem pœna bona vita retinetur. Per bonam vitam bona conscientia comparatur, vt per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.* Hæc certè non præstaret timor, si voluntatem peccandi non excluderet. Et in Psalm. 127. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato.* Et tract. 9. in epist. Ioan. *Quantùm mortificat iste, qui timere cœpit diem iudicij, membra sua super terram; tantùm surgunt & corroborantur membra cælestia: membra autem cælestia, omnia opera bona.* Itaque iuxta doctrinam D. Augustini, timor pœnarum, quas Deus minatur, excludit omnem peccandi voluntatem, quandoquidem facit vt bona vita retineatur, quæ certè non potest retineri peccando mortaliter; & vt bona conscientia comparetur, quæ certè non compatitur affectum ad peccatum mortale: & vt homines se contineant à peccato, mortificéntque membra sua super terram, & cælestia membra, id est, omnia opera bona exsuscitent, & in se viuere ac vigere faciant.

59. *Et est dispositio sufficiens ad Sacramentum.* Quod autem ibidem insinuat, & sæpius inculcat Iansenius, hunc timorem posse solis naturæ viribus concipi, Pelagianum est, & suprà refutatum nu. 52. Quódque attritio ex illo concepta, sit sufficiens dispositio ad iustificationem cum Sacramento, tam perspicuè docet Trident. sess. 14. capite 4. vt erroneum planè sit illud negare: meritóque Facultas Parisiensis contrariam Seguenoti assertionem hac censura notauit 1. Iunij anno 1638. *Quæ de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta caritate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ addit, & approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quàm declaratio iuridica peccati iam remissi; damnauit quoque facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbatiuas, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti imminutiuas, & insuper temerarias, ac erroneas.*

Neque verò dolor ille de peccatis ortus ex timore gehennæ, ex solo amore salutis corporalis proficiscitur, vt malè affirmat Iansenius: sed ex amore supernaturalis boni proprij, & salutis æternæ, consistentis in visione, & fruitione Dei ex parte animæ, & in optima dispositione, seu gloria corporis: cui è diametro opponitur gehenna, complectens pœnam damni, & sensus: id est, carentiam diuinæ visionis, æternúmque cruciatum acerbissimum corporis & animæ. 60. *Oritur ex amore boni supernaturalis.*

SECTIO VIII.

Ostenditur doctrinam Tridentini corrumpi ab aduersario.

NON mediocriter autem hallucinatur Iansenius, quando putat Tridentinum suo errori fauisse, atque ex illius mente contritionem propriè sumptam pro dolore de peccatis propter Deum summè dilectum amore caritatis, esse necessariam ad iustificationem in Sacramento obtinendam. Nam quando Concil. sess. 14. capite 3. definit contritionem, confessionem, & satisfactionem esse tres partes Sacramenti pœnitentiæ; latè sumit, & genericè contritionem, prout est genus ad contritionem strictè sumptam, & ad attritionem: quarum alterutra est Sacramento necessaria, tanquam materia illius intrinseca. Eodémque sensu accipit contritionem, quando initio capitis 4. definit illam esse *animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Additque fuisse quouis tempore necessarium hunc contritionis motum ad impetrandam veniam peccatorum: & non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum; sed etiam veteris odium continere. Tum posteà, circa medium capitis, diuidens illam in contritionem caritate perfectam, id est, tendentem contra peccatum ex motiuo caritatis: & in imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur: definit istam, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, esse donum Dei, & impulsum Spiritus sancti: & quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat*: sicut facit contritio caritate perfecta: *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.* Quibus verbis duplex inter vtramque discrimen assignat. Vnum, quòd attritio tendit in peccatum ex motiuo inferiori, quàm contritio perfecta: nimirum ex motiuo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ: non autem ex consideratione Dei summè dilecti propter se. Alterum, quòd contritio perfecta caritate per se sufficit ad iustificationem obtinendam, id est, sine Sacramento, cum solo illius voto: attritio verò disponit ad illam in Sacramento impetrandam, sed sine Sacramento reipsa percepto non sufficit. 61. *Tridentinũ distinguit cõtritionem in perfectã & imperfectam.* 62. *Definit attritionem esse dispositionem vltimam cum Sacramento.*

Loquitur autem Concilium de dispositione vltima, sufficiente cum Sacramento. Nam vt rectè notauit Martinon. tomo. 5. disp. 48. sect. 3.

simili modo dicit attritionem cum Sacramento ad iustificationis gratiam impetrandam disponere, quo paulò antè dixerat contritionem caritate perfectam hominem Deo per se reconciliare, priusquam actu hoc Sacramentum suscipiatur. Certum est autem contritionem caritate perfectam esse vltimam & per se sufficientem dispositionem ad iustificationem obtinendam. Ergo intelligit Tridentinum attritionem simili modo, id est, proximè & sufficienter in Sacramento disponere ad iustificationem. Confirmatur, quia si sermo esset de dispositione remota, & insufficiente: attritio, etiam extra Sacramentum remotè disponit, & insufficienter ad iustificationem, quando aliquis ab illa ad contritionem caritate perfectam ascendit. Concilium autem verbis relatis significat attritionem aliter extra Sacramentum, & aliter in Sacramento disponere. Ergo intelligit in Sacramento disponere proximè ad iustificationem. Quando enim dicit, *Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat*, vnum expresſè negat; & alterum tacitè affirmat. Expresſè negat attritionem per se solam, & sine Sacramento perducere peccatorem ad iustificationem. Tacitè verò affirmat, posse cum Sacramento: alioquin frustra adderet, *sine Sacramento, & per se*, si attritio, ne quidem cum Sacramento, potest peccatorem ad iustificationem perducere. Et omnino exceptio illa consultò addita à Tridentino *per se, & sine Sacramento*, significat aliter sentiendum esse de attritione vt coniuncta cum Sacramento, siue prout est pars illius intrinseca.

63. Adde quòd, vt ibidem rectè notauit auctor suprà citatus, idem Concil. cap. illo 4. sess. 14. postquam probauit attritionem esse actum bonum, & ex impulsu Spiritus sancti conceptum; in fine eiusdem capitis sic concludit: *Quamobrem, falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Quæ illatio nulla est, nisi Tridentinum Concil. tacitè sic argumentetur. Attritio concepta ex metu gehennæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati, est actus bonus. Ergo gratia non confertur in Sacramento pœnitentiæ sine actu bono suscipientiũm, etiam tunc quando Sacramentum recipitur cum sola attritione. Et Catholici Scriptores, qui dicunt gratiam conferri in Sacramento pœnitentiæ cum sola attritione, non propterea tradunt conferri gratiam in Sacramento pœnitentiæ absque bono motu suscipientium. Quòd si vltra attritionem requireretur contritio ad gratiam recipiendam in Sacramento pœnitentiæ; non erat quòd Concilium probaret attritionem esse actum bonum, vt inde inferret Sacramentum pœnitentiæ non conferre gratiam sine bono motu suscipientis. Sufficit enim ad hoc inferendum, quòd contritio caritate perfecta sit actus bonus, si Sacramentum pœnitentiæ non potest sine illa gratiam conferre.

64. *Inepta Ianseny ratiocinatio.* Cùm autem attritio sit vera species contritionis genericè sumptæ, prout sumitur à Tridentino priori parte capitis modò citati, definitúrque esse dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero; ideóque dicitur non solum vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed etiam veteris odium continere: verum est totam hanc rationem, seu definitionem generis, simul cum nomine conuenire attritioni: quia quidquid est de ratione generis conuenit, simul cum illius nomine, vnicuique speciei sub illo contentæ. Sed pueriliter inde infertur, Tridentinum, quando applicat rationem illam genericam attritioni, illíque tribuit quidquid anteà ad contritionem genericè sumptam in eius definitione requisiuerat, reiicere attritionem illam, quæ est detestatio peccati ex motiuo pœnarum, & gehennæ. Quasi verò genus excludat differentias à speciebus, per quas ad vnamquamque illarum contrahitur: & Tridentinum non expresſè doceat eiusmodi attritionem esse vnam ex speciebus, in quas contritio genericè sumpta diuiditur. Ibidémque clarè significet eandem attritionem excludere peccandi voluntatem; & esse motum siue affectum bonum. Quod è diametro repugnat Iansenio affirmanti timorem gehennæ, quia seruilis est, non corrigere, neque mutare posse peccandi voluntatem, sed id esse proprium caritatis officium: & vitiosum esse omnem affectum, qui non fertur in Deum, vt propter se dilectum, eúmque rebus aliis omnibus dilectis anteponit.

Est quidem vitiosum aliquid supra Deum diligere: & aliquid magis, quàm Dei offensam timere. At neutrum facit qui peccata detestatur absolutè, & efficaciter, proponítque omnino ab illis abstinere ex gehennæ, & pœnarum metu, ne scilicet Deum, iustum & seuerum vindicem experiatur. Neque enim propterea Deum vlli rei postponit: neque magis æstimatiuè gehennam timet, aut pluris facit, quàm offensam Dei. Sed cùm peccatum sit meritò, & secundùm rectam rationem detestabile, propterea quòd æternorum malorum causa est, præcisis etiam aliis rationibus, propter quas pari, vel maiori iure detestabile est, putà ratione ipsius turpitudinis peccati, vel quia Deo summè bono & amabili displicet: attritio, de qua loquimur, fertur in peccatum secundùm illam considerationem præcisè sumptam, non exclusis aliis, neque vitiosè cum illa comparatis: quasi verò dicat apud se, vel ita sit affectus, qui atteritur ex tali metu: Non detestarer peccatum, nisi esset causa malorum æternorum; vel, pluris facio quòd peccatum sit tantorum malorum causa, quàm quòd Deo summè bono displiceat. Neque fertur solùm in pœnas, sed & in ipsum peccatum, quod detestatur, & de quo dolet propter tale motiuum. Quod licèt Theologi constanter affirment; sæpe tamen aduersarius mala fide dissimulat, & negare videtur: sed interdum eidem parum memori, & non satis constanter dissimulanti affirmare contingit, aut inuito fateri. 65. *Quomodo attritio conuenienter tendit in peccatum.*

Perperam quoque ex verbis Tridentini sess. 6. cap. 6. colligit Iansenius, requiri in adultis contritionem caritatis propriam, ad iustificationem vi Sacramenti baptismi obtinendam. Nam amor, de quo Tridentinum ibi loquitur tanquam necessario ad baptismum adultorum, non est determinatè amor caritatis, tendens in Deum, vt summè diligendum propter se, ratione suæ bonitatis absolutè spectatæ: quasi non suffi- 66. *Attritio sufficit cum baptismo.*

sufficiat amor spei, quo peccatores Deum vt sibi ipsis bonum, & placabilem diligere incipiunt: quando, vt ait, *Diuinæ iustitiæ timore vtiliter concussi, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illúmque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem*, ex illa consideratione conceptam: id est, ex timore iustitiæ diuinæ, & spe veniæ, & amore aliquo Dei, vt propitij sibi futuri propter Christum, omnísque iustitiæ, id est, sanctitatis auctoris, à quo speranda, & expetenda, solicitúque cum ipsius ope procuranda est.

67. *Duplex iustificationis modus: per contritionem, & per attritionem cum sacramento.* Denique erroneum est quod ait, per Sacramentum pœnitentiæ effectum non esse vt iam duplex sit iustificationis obtinendæ modus. Vnus per contritionem: alter per attritionem: sed vnum semper esse, & fuisse iustificationis modum, per dolorem de offensione Dei, hoc est, vt ipse vult, prout Deo summè propter se diligendo aduersatur, & displicet. Quamuis, inquit, Pœnitentiæ Sacramenti institutio facilitatem assequendæ remissionis attulerit. Nam Tridentinum verbis suprà relatis, & expensis num. 53. & sequentibus, apertè docet duplicem nunc esse iustificationis modum. Vnum, per contritionem caritate perfectam, sine Sacramento in re suscepto, & cum solo illius voto: alterum, per attritionem cum Sacramento reipsa suscepto. Et si nunc etiam contritio caritatis requiritur ad iustificationem, quæ obtinetur per Sacramentum pœnitentiæ; quomodo verum est quod postremò ait Iansenius, eius institutionem attulisse facilitatem assequendæ remissionis: cùm potiùs eam longè difficiliorem reddiderit? Nam cùm antea sufficeret quæcunque absoluta, & efficax detestatio peccati ex motiuo caritatis erga Deum: nunc vlteriùs requiritur confessio omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum, secundùm speciem, & numerum, & circumstantias saltem mutantes speciem: quo onere nullum grauius in lege noua, & difficilius est plerisque Christianorum. Cúmque contritio caritatis nunc etiam vim habeat per se reconciliandi Deo, antequam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur, vt affirmat Tridentinum citato capite 4. sess. 14. quicunque dicunt illam esse necessariam dispositionem vt absolutio recipiatur, & Sacramentum pœnitentiæ operetur in nobis remissionem peccatorum: hoc ipso dicunt necessarium esse vt peccatum remissum fuerit, vi contritionis scilicet, antequam per Sacramentum pœnitentiæ remittatur. Idémque faciunt, ac qui diceret medicinam aliquam à prudente quopiam, & perito medico institutam fuisse ad tollendum genus morbi, quod nunquam ipsa tolleret, sed semper, & necessariò sublatum esse præsupponeret. Quod quàm ridiculum, & absurdum sit, Christíque sapientiâ Sacramentorum institutoris indignum, quisque facilè intelligit.

68. Eodémque argumento concluditur, neque etiam ad baptismum adultorum necessariò prærequiri contritionem caritatis de peccatis antea commissis, veluti necessariam dispositionem ad iustificationem vi illius obtinendam. Nam alioqui necessariò præsupponeret baptismus peccatorum remissionem, & iustificationem, iam antea obtentam fuisse vi contritionis, quæ tanquam dispositio deberet illius susceptionem legitimam, & operationem præcedere.

Respondebit Iansenius duplicem esse contritionem propriè dictam, seu caritatis. Vnam perfectam, quæ habet vim excludendi peccatum per se solam, & sine Sacramento: alteram imperfectam, id est, minùs perfectam, quæ talem vim non habet, vt ait cap. 34. eiusdem libri quinti. Sed hæc responsio falsò supponit non sufficere ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, quemcunque actum contritionis propriè, & specialiter dictæ, id est, conceptæ ex motiuo caritatis, quam idcirco Tridentinum appellat *caritate perfectam*, id est, quæ habet perfectionem caritatis, & peccatum detestatur ex proprio illius motiuo, quia scilicet Deo propter se dilecto, summéque amabili displicet: non autem ex metu gehennæ, vel alia consideratione distincta à motiuo caritatis. Nam hæc distinctio contritionis propriè dictæ nullum habet fundamentum siue in Scriptura, siue in Conciliis, aut Patribus; sed potiùs repugnat Tridentino citato cap. 4. pronuncianti absolutè, & sine vlla distinctione, contritionem caritate perfectam, id est, habentem perfectionem caritatis, & distinctam ab imperfecta, quam vocat attritionem, quæ ex gehennæ metu, aut turpitudinis peccati consideratione communiter concipitur, habere per se vim iustificandi cum solo voto Sacramenti, quod in illa includitur. Eadémque de causa, & eodem sensu Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. in Bullis contra Baium damnarunt has duas propositiones num. 30. & 31. *Caritas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Caritas illa quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* Deinde, si vera est responsio Iansenij, non potest negare absolutè factum esse per institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, vt sit iam duplex modus remittendi peccata, sed vnum semper & eundem esse, & fuisse, per dolorem de offensione Dei. Neque enim semper vnus idémque fuit, si ante institutionem Sacramenti requirebatur contritio perfecta, nunc autem imperfecta sufficit cum Sacramento, vt ipse affirmat. 69. *Refellitur euasio.*





DISPVTATIO XXX.

De libero arbitrio.

SECTIO I.

Doctrina Ianseny de nomine, & conceptu liberi arbitrij.

1. *Quid velit intelligi per liberum arbitrium?*



RIVSQVAM de concordia gratiæ cum libero arbitrio disputare aggrediatur Iansenius, multa præmittit de natura liberi arbitrij, toto libro 6. & 7. de gratia Christi Saluatoris. Ac primò docet liberum arbitrium secundùm aliquos significare actum rationis simul, & voluntatis: vt arbitrium idem sit ac iudicium; & ita dicatur iudicium propter rationem, liberum propter voluntatem. Ita S. Bernardus libro de libero arbitrio prope initium, & auctor Hypognost. lib. 3. capite 4. & Magister sentent. in 2. distinct. 24. Sed meliùs, iuxta doctrinam S. Augustini, per liberum arbitrium non nisi solius voluntatis potentiam, vel actum significari; vtpote qui solus propriè & immediatè liber sit, ratio verò non nisi mediante voluntate: qua de causa liberum arbitrium solet appellare *liberum voluntatis arbitrium, voluntatis arbitrium, arbitrium libertatis, liberam voluntatem* epist. 106. & 107. & lib. 2. de libero arbit. cap. 18. qui etiam iisdem locis, aliisque pluribus nomine voluntatis non potentiam volendi solùm, sed ipsum quoque actum sæpe intelligit. Quod quia nonnulli recentiores non aduertunt, plenissima eius verba in sensus alienos detorquere solent. Quin etiam interdum nomen voluntatis pro solo speciali bono eius motu vsurpat: vt lib. 1. Retract. cap. 15. vbi sic ait: *Quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè, si pia est, vt oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas: alioquin totiùs cupiditas, quàm voluntas propriè nuncupanda est.*

2. Cap. 2. *Quid per nomen libertatis?* Docet secundò ipsum nomen liberi arbitrij libertatem sonare. Libertas autem, inquit, dupliciter dicitur. Primò, pro euasione periculi, aut liberatione à molestiis, vt morte, infirmitate, naufragio. Quæ acceptio, inquit Augustinus tract. 41. in Ioan. *vsitata quidem est, sed non propria.* Secundò enim, & propriè, liberare est liberum facere. Libertas autem opponitur seruituti: vt Scriptura ipsa docet Ioan. 8. vbi cùm Christus dixisset, *Et veritas liberabit vos:* responderunt Iudæi: *Nemini seruiuimus vnquam. Quomodo tu dicis, liberi eritis?* Quibus iterum Christus: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et quia serui dicebantur captiui illi, qui cùm iure belli occidi possent, à victoribus seruabantur: hinc est quòd libertas propriè dicta solet opponi captiuitati, æquè ac seruituti, iuxta phrasim Augustini: vt videre est serm. 48. de Verbis Domini, & epist. 107. & libro primo Operis imperfecti fol. 123. Cùm autem seruus, vt talis, essentialem relationem ad dominum ipso nomine suo denotet: libertas verò respuat omnino seruitutem: hinc fit vt consequenter etiam libertas, vt talis, dominationem alterius respuat: qui enim dominum habet, in cuius est potestate, ille vt talis non est liber, sed potiùs sub eius dominatione captiuus ac seruus. Qua de causa sæpissimè Augustinus liberum opponit ei quod est *esse sub dominatione alterius:* vt epist. 90. & libro de Spiritu & litera capite 30. & libro 2. de peccat. merit. cap. 6. & libro primo de libero arbitrio, capite decimo-quinto. Hinc liberum subinde exponit Augustinus per *non esse in alterius potestate:* vt epist. 107. Hinc etiam fit vt liberum dicatur quasi *non ligatum*, seu *inalligatum, inimpeditum.* Vnde liberas habere manus dicitur, cui nullis impedimentis, vel vinculis astrictæ coërcentur. Impedimenta enim, & vincula libertatem agendi impediunt; & si sunt in ipsa voluntate, etiam volendi. Seruitus autem, captiuitas, & dominatio alterius, vincula quædam sunt, quibus libertas impeditur ab actibus suis, qui siue hominibus liberis, siue libero arbitrio conueniunt: à quibus cùm expediuntur, liberi fiunt.

Sed quia quæ hucusque dixit, per negationem tantùm exponunt liberi naturam arbitrij, 3. *Quid per se liberum?*
per non esse seruum, non captiuum, non subditum, inimpeditum, inalligatum: magisque significant quid non sit, quàm quid sit: idcirco ad explicandam positiuè illius naturam, Docet tertiò illam consistere in eo quod est esse Cap. 3.
dominum, esse suum, seu sui, non alterius gratiâ, esse, seu habere in sua potestate. Sic enim D. Augustinus libertatem aliquando per dominationem, & imperium indicat: vt libro 2. de Genesi contra Manich. cap. 17. Alibi verò, cùm libertatem generaliter, & libertatem arbitrij accuratè vult exprimere; libenter illâ vtitur notione, vt dicat illud idem esse, ac *esse in sua potestate*, seu *sui iuris*, habere actum *in sua potestate*, quæ prorsus idem sunt: vt videre est libro 14. de Ciuitat. capite 15. & libro de moribus Ecclesiæ capite 12. & in Psal. 40. & libro 11. de Genesi ad lit. capite 31. & sermon. 33. de verbis Domini capite 2. & libro secundo de libero arbitrio, capite tertio, vbi sic habet: *Voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro, quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus.* Ex quibus, & similibus eius verbis clarum fit, illa duo, *liberam* videlicet esse *voluntatem*, & *esse in hominis potestate*, prorsus esse reciproca, & conuertibilia apud Augustinum: & ex eius mente, hoc quod est *esse in potestate*, ipsissimam rationem libertatis, vnde arbitrium liberum dicitur, exprimere. In quo consentiunt Augustino alij Patres, præcipuè Græci, vt Basilius ferm. de liber. arb. initio, & lib. 4. contra Eunom. fol. 102. Gregorius Nyssen. in orat. catech. capite 31. Damascenus lib. 2. Orthodox. fidei cap. 7. 25. 26. 27. & aduersus Manich. fol. 436. Idémque sentiebant Pelagiani, vt refert August. libro de natura, & gratia capite 45. & seqq. Idem quoque hodie sentiunt Theologi cum D. Thom. 1. 2. in præfat. & q. 1. art. 1.

4. *Cap. 4. Negat libertatem consistere in indifferentia.*

Docet quartò, falli recentiores Scholasticos, & à mente Augustini grauiter aberrare, qui putant aliquem actum, aut rem esse in nostra potestate, adeóque in libero nostro arbitrio, idem esse, ac nos esse illius dominos, & pro libitu nostro positis omnibus ad agendum necessariò prærequisitis posse à nobis fieri, aut non fieri. Nam Diuus Augustinus iisdem locis, in quibus de natura liberæ voluntatis ex professo disputat, & vbi liberum id esse constituit quod est, seu quod habemus in potestate: mox definit id esse, seu habere nos in potestate, ***quod cùm volumus facimus*** : vt videre est libro 3. de liber. arbit. cap. 3. & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & lib. de Spirit. & lit. cap. 31. vbi sic ait: ***Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit.*** Et libro 1. Retract. cap. 31. ***Hoc in potestate nostra est, quod facimus cùm volumus.*** Et libro 2. cap. 1. ***Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus fit.*** Itaque vt cognoscamus vtrum aliquid sit in nostra potestate, seu nobis liberum sit; hoc intuendum est, vtrum fiat quando volumus. Si enim fiat quandocunque volumus, & non fiat quando nolumus, liberum est: si verò cùm volumus non fiat, vel si nolumus fiat; certissimum est non esse nobis liberum, quia non est in nostra potestate. Ideóque passiones non sunt nobis liberæ, & in nostra potestate, quia plerumque nobis nolentibus fiunt. Et actiones tam alienæ, quàm nostræ, & è nostris tam externæ, quàm internæ, & tam elicitæ, quàm imperatæ, tunc nobis liberæ sunt, & in nostra potestate, quando nobis volentibus fiunt, & nolentibus non fiunt. Si quæ autem actio aliena, vel nostra, & siue intellectus, aut aliarum potentiarum externarum, aut internarum, siue ipsius voluntatis, non fit nobis volentibus, non est nobis libera, & posita in nostra potestate. Sicque exempli gratiâ neque Deo, neque Beatis liberum est velle peccare, aut dæmonibus ac damnatis velle bene agere.

5. *Cap. 5. Docet volitionem hoc ipso esse liberam quòd volitio est.*

Docet quintò, cùm ceteræ actiones dicantur esse nobis liberæ per respectum ad volitionem, quâ si volumus, & cùm volumus fiunt, & cùm nolumus non fiunt: ipsam tamen volitionem non per respectum ad aliud, sed per seipsam immediatè liberam esse; quia per se immediatè fit cùm volumus, éstque intrinsecè, & per se voluntaria: volumus enim velle eo ipso quòd volumus, & omnis actus voluntatis est sui ipsius volitio, ac virtualiter in seipsum reflexus. Nihil enim magis volumus cùm facimus, quàm ipsam volitionem: ideóque nihil magis in potestate nostra, quàm ipsa voluntas seu volitio, constitutum est. Itaque libera est voluntas, hoc est, volitio, ratione sui; quia est essentialiter libera. Implicat enim contradictionem vt voluntas non sit libera: sicut implicat vt volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus; hoc est, vt voluntas non sit voluntas. Atque ita D. Augustin. lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. interrogatus ab Euodio, cum quo ibi colloquitur, Quomodo præscientia diuina non noceat libertati voluntatis nostræ, cùm necesse sit omnino fieri, quidquid præuidet futurum Deus, non aliud respondet, quàm per præscientiam diuinam non fieri vt non sit voluntas, id est, volitio, & consequenter vt fiat quando volumus, & non fiat quando nolumus, & idcircò sit in nostra potestate, & libera nobis. *Ita fit, inquit, vt & Deum non negemus esse præscium omnium futurorum: & nos tamen velimus, quod volumus. Cùm enim sit præscius voluntatis nostræ*, id est, volitionis: *cuius est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi voluntas adimitur; quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præscientia falli non potest, affuturam mihi esse præscivit.* Nec obest quòd voluntas necessariò velit. Nam, vt addit: *Non nego ita necesse esse fieri quæcunque præscivit Deus; & ita eum peccata nostra præscire, vt maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostrâ posita potestate.* Vnde fit vt apud Augustinum, esse liberum arbitrium, & esse aliquam hominis vel Angeli voluntatem, seu volitionem, pro eodem prorsus vsurpentur. Nimirum quia, iuxta eius doctrinam apertissimè traditam, voluntas seu volitio, & libera voluntas idem sunt; sicut velle, & liberè velle: & impossibile est vt velle non sit liberum: vt patet ex suprà citato cap. 2. libri tertij de libero arbitrio, & ex lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. vbi similiter præscientiam Dei conciliat cum nostra libertate; quia licet Deus præsciat omnia antequam fiant; tamen voluntate facimus quidquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus, & nouimus. Quæ ratiocinatio friuola esset, si potest esse voluntas seu volitio, quæ non sit libera: alioqui Tullius, contra quem disputat, respondere facilè potuisset, voluntates illas, quas Deus præscit, non esse liberas voluntates, sed necessarias. Eadémque de causa dicit libro de gratia & libero arbitrio, capite 15. *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Et cap. 3. eiusdem libri, *Vtique cui dicitur, noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur: velle enim, & nolle propriæ voluntatis est.* Hinc etiam fit, vt sicut volitionem nostram liberam esse probat, quia est in nostra potestate, & fit cùm volumus: ita è contrario, omne id non liberum sed necessarium esse docet, quod est extra potestatem, hoc est, quod fit cùm nolumus, vel non fit cùm volumus: vt patet ex serm. 36. de diuersis cap. vltim. & lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 10. Monet autem Iansenius se nomine voluntatis non intelligere motus inuoluntarios, & quod illis motibus subiacet, quibus subitò concupiscimus, irascimur, trepidamus, antequam ratio vigilet: sed id quod motibus istis resistit, aut cedit, hoc est, supremum illum apicem, cuius est irruentibus vndecunque motibus præbere nutum suum, siue assentiat, siue dissentiat. Tunc enim velle, & nolle dicimur, non cùm illis motibus percellimur infra apicem voluntatis tumultuantibus: sed cùm illis, aut consentimus, aut dissentimus.

Sextò denique docet duplicem esse necessitatem in doctrina Augustini. Vnam, quæ operatur effectum suum etsi nolis, seu quantumcunque renitaris. Alteram, quâ simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis. Prima semper apud Augustinum opponitur voluntati: & meritò quidem, quia impossibile est vt quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus: & è contrario, vt id quod fit necessitate, seu nobis nolentibus, fiat nostra volunta- 6. *Cap. 6. Vult solam necessitatem coactionis repugnare libertati.*

te. Et quia esse in nostra voluntate, esse in nostra potestate, & esse liberum, sunt idem apud Augustinum: quod est tali modo necessarium opponitur pariter potestati & libertati; in sententia eiusdem S. Doctoris. Ad quod probandum multa profert testimonia ex libro secundo de Genesi contra Manich. cap. vlt. epist. 105. enarrat. in Psal. 10. & 30. & lib. 26. contra Faustum cap. vlt. & lib. 29. contra eundem in fine, & tract. 9. in Ioan. aliisque locis. Eandémque necessitatem dicit ab Augustino vocari prementem, dominantem, pondus, & similibus nominibus; quia nunquam cedit voluntati, sed potiùs eam velut pondus vrget, atque premit. Eandem quoque à Patribus intelligi nomine necessitatis simpliciter dictæ: qua de causa dicunt Patrem æternum non genuisse filium necessitate, sed naturâ. Altera necessitas est, quæ est simul voluntaria: quâ scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate. Et hæc non repugnat libertati, sicut prior illa, quæ nihil aliud est, quàm quædam vis, aut violentia, aut coactio, quæ operatur id quod potest, etiam nolente voluntate. Ratio est, quia posterior ista necessitas, seu voluntaria, non impedit quin velimus cùm volumus, & quin velle sit in nostra potestate, quotiescumque etiam cum tali necessitate volumus: vt docet Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. idémque affirmat D. Thom. q. 22. de veritate art. 5. in corp. & ad 4. & quæst. 10. de potentia art. 2. ad 5. & prima parte q. 88. art. 1. ad 1. Aliis etiam pluribus locis docet Augustinus solam necessitatem coactionis adimere libertatem, non autem necessitatem illam simplicem, & voluntariam: vt lib. 3. de libero arbitr. cap. 3. vbi cùm necessitas ad destruendam libertatem arbitrij vrgeretur, duplicem distinguit necessitatem: vnam, quæ nobis inuitis, & nolentibus efficit id quod potest; nempe coactionis: alteram, simplicem. Illam dicit tollere voluntatem liberam: hanc non tollere. Huc vsque Iansenius, qui deinceps reliquâ parte libri sexti multa ad idem persuadendum producit argumenta, & aliorum Patrum, atque etiam Doctorum Scholasticorum testimonia.

SECTIO II.

Quæ causa mouit Iansenium ad sic opinandum de natura liberi arbitrij, & vnde hanc doctrinam hausit?

7. MOVIT autem Iansenium ad ita sentiendum de natura liberi arbitrij, non quòd Augustinus sic doceat: euidenter enim demonstrabimus longè aliam fuisse eius sententiam, pessiméque ab illo intellectam, vel potiùs malâ fide dissimulatam: sed cùm existimaret, & pro certo fidei dogmate haberi vellet amissam esse per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum: nullúmque actum moraliter bonum fieri nisi necessitante gratiâ, nullum malum nisi necessitante concupiscentiâ: ne liberum arbitrium negare penitus videretur, & manifestè conuenire cum hæreticis; nouam eius definitionem excogitauit, & Augustini auctoritate stabilire conatus est. Hæc enim est illius doctrina: fuisse quidem in Angelis, & in primis parentibus ante peccatum, libertatem indifferentiæ tum ad bonum agendum, tum ad malum vitandum: sed eam per peccatum originale hominibus ablatam esse; quippe qui, in hoc statu naturæ lapsæ necessitantur pondere concupiscentiæ ad malè agendum, quando abest gratia medicinalis: sin autem adest, necessitantur ipsius vi, & efficaciâ ad bene operandum. Verba illius hæc sunt tom. 3. libri septimi capite decimo: *Cum arbitrio in vtramque partem libero, & flexibili conditus est Angelus, & primus homo, &c. Ex hac igitur spontanea creaturæ rationalis in vtramque partem liberrima discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit.* Et tom. 2. libro tertio *de statu naturæ lapsæ,* capite secundo, & sex consequentibus, totus est in probando libertatem indifferentiæ ad faciendum bonum periisse per peccatum Adæ. Tum capite nono & vndecimo addit, non solùm libertatem ad agendum bonum; sed etiam ad abstinendum à peccato interiisse: & loco libertatis, peccandi necessitatem inductam esse: ad quod persuadendum reliquam partem huius libri insumit: & tum ibidem, tum libro sexto & octauo de gratia Christi Saluatoris, aliisque locis probare conatur, iuxta doctrinam Augustini, imò etiam iuxta fidem Catholicam, homines in hoc statu naturæ lapsæ, carere libertatis indifferentiâ ad bene agendum, vel malè. Et si bene agunt, id facere præsente, & necessitante auxilio gratiæ: si verò malè, necessitariâ concupiscentia, prædominante semper, & necessitante ad peccandum, quando abest auxilium gratiæ.

Error Iansenij de amissa libertate indifferentia.

Et nihil boni vel mali fieri nisi ex necessitate.

Quanta verò sit illa necessitas, & illa seruitus sub concupiscentia, disertiùs exprimit libro primo de gratia Christi Saluatoris, capite quarto, vbi sic habet: *Voluntas concupiscentiæ imperio, & ponderi ita indesinenter seruit, & eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus seruit diuinæ caritati.* Et tom. 2. libri quarti de statu naturæ lapsæ capite decimo-octauo dicit, Per peccatum originale adeò periisse libertatis indifferentiam ad bonum morale faciendum: vt ante gratiam propriè dictam non sit liberum à peccando abstinere: sed quocunque se verterit homo, hîc, & nunc in singulis actibus, quadam humanis viribus insolubili necessitate teneatur. Quòd verò neque gratiâ præsente liber sit ad bene agendum, sed necessariò eam sequatur, docet tom. 3. libro secundo, capite quarto his verbis: *Adiutorium gratiæ ante lapsum Adæ tale erat, vt ab illo liberæ voluntatis nutu penderet, saluáque maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò tale est, quod suâpte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipsius libero arbitrio subiaceat.* Et cap. 5. eiusdem libri sic habet: *Nullum adiutorium gratiæ, cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis, aut illo vtatur, aut non vtatur, vt illud amplectatur, aut deserat, vt illi consentiat, aut non consentiat, si voluerit, ad medicinale adiutorium* (siue veram gratiam Christi, quæ in statu naturæ lapsæ communicatur hominibus) *vllo modo pertinere potest.* Addit capite nono: *Cùm adiutorij gratiæ vsus, & non vsus, actio, & cessatio, libertati subditur, vel*

8. Quanta sit hæc necessitas?

cacis manifestum est, impossibile esse, vt sit aliud adiutorij genus, quàm possibilitatis, qualc Pelagianus error asseruit.

9. *Alter eius error, quòd sola coactio repugnet libertati.* Sic igitur negatâ libertate indifferentiæ, ne liberum arbitrium penitus adimere videretur Iansenius, & saltem verbo tenus Catholicam doctrinam retinere se profiteretur: Docet secundò, licèt voluntas hominis in hoc statu naturæ lapsæ feratur in bonum, aut in malum, ex necessitate antecedenti gratiæ, vel concupiscentiæ; & quidquid bene facit, necessariò faciat; quidquid etiam malè agit, necessariò agat: manere nihilominus in homine liberum arbitrium à coactione, quod est (inquit) esse verè, ac propriè liberum. Neque enim vera, & propriè dicta libertas consistit in indifferentia, neque opponitur antecedenti, & absolutæ necessitati; sed coactioni tantùm, & violentiæ. Loquitur autem de coactione, seu violentia simpliciter, & absolutè dicta, quâ fit aliquid à principio extrinseco, passo non conferente vim, sed reluctante quantùm potest. Vnde, cùm nullus actus voluntatis possit esse violentus, & coactus simpliciter, quia non potest fieri, nisi eliciente, & volente ipsâ voluntate: nullus etiam est non liber, iuxta doctrinam aduersarij: adeóque voluntas vult liberè, quidquid vult; idémque est velle, ac liberè velle. Illius verba sunt tom. 3. libro 6. capite 5. §. *Hinc ergo: Voluntas, seu volitio, & libera volitio, idem sunt, sicut velle, & liberè velle: & impossibile est, vt velle non sit liberum:* quia implicat, *vt volendo non velimus, hoc est, vt voluntas non sit voluntas*, inquit ibidem ferè initio capitis. Et capite sexto: *Omnis omnino voluntas, quantumcunque ad vnum determinata, nullâ tali necessitate, qua dicitur necesse esse vt velit, desinit esse libera.* Addit ibidem §. *Nunc verò; Sola necessitas coactionis adimit libertatem, non necessitas simplex.* Et capite 12. eiusdem libri, *Nihil aliud libero generaliter repugnat, quàm necessitatis illius prementis, cogentisque violentia.* Addit pluribus locis, contrariam de libertate doctrinam, quæ illam constituit in potestate indifferente ad vtrumlibet, non esse Christianam, & Augustinianam; sed philosophicam, & Aristotelæam, imò etiam Pelagianam, fundamentúmque Pelagianæ hæreseos.

10. *Priorem errorem sumpsit ex Luthero, & Caluino.* Hanc doctrinam quoad vtramque partem sumpsit ex Luthero, & Caluino, aliísque id genus hæreticis. Nam quòd libertas indifferentiæ circa bonum, & malum, per peccatum Adæ perierit, docuerat ante Iansenium Lutherus in libro de seruo arbitrio, & in articulis à Leone X. damnatis, quorum 36. hic erat: *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo.* Et in assertione eorundem articulorum; *Liberum*, inquit, *arbitrium est figmentum in rebus; seu titulus sine re.* Et à Caluino, in Antidoto ad sessionis sextæ can. 5. vbi prædictam Lutheri assertionem confirmans sic ait: *Quia per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini Concilij, aliíque Catholici) *eligendi facultatem, quæ sit in vtramque partem libera, & soluta, titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem, & Augustinum.* Et libro 1. Institut. cap. 15. num. 8. postquam affirmauit primum hominem in statu integritatis præditum fuisse libero arbitrio, quo si vellet, adipisci posset æternam vitam: potuisséque Adam stare, si vellet, quando non nisi propriâ voluntate cecidit: & in vtramque partem fuisse flexibilem eius voluntatem: addit paulò pòst, libertatem illam post peccatum non permansisse; & eos qui in homine perdito, & in spiritale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philosophorum placita, & cælestem doctrinam partiendo, planè desipere. Et libri secundi capite secundo, cuius titulus est, *Hominem arbitrij libertate nunc esse spoliatum*, &c. num. 4. dicit, Nimis philosophicè hac de re loquutos esse, qui se Christi iactabant esse discipulos, (Patres scilicet antiquos, Latinos æquè ac Græcos) *Nam quasi adhuc integer esset homo, semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non puduit multò arrogantius vsurpare vocabulum: si quidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset.* Et capite tertio eiusdem libri, quo probandum suscipit, *Ex corrupta natura hominis*, id est lapsâ in peccatum originale, *nihil nisi damnabile prodire:* num. 5. affirmat, humanam voluntatem libertate abdicatam, necessitate in malum vel trahi, vel duci, si nimirum absit Dei gratia. Quòd verò eius motionem, si adsit, necessariò sequatur, docet ibidem numero 10. dicens, gratiam mouere voluntatem, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, vt nostræ posteà sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, illúdque toties à Chrysostomo repetitum, repudiari necessariò debere, *Quem trahit, volentem trahit.* Et denique in Antidoto ad sess. 6. Tridentini, in eo dicit hallucinari Patres illius Concilij, quòd motum gratiæ nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat: atque in eo falli, quòd nullum obseruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen: quòd nimirum illa necessitet voluntatem, ista liberam ad vtrumlibet facultatem relinqueret.

Iam verò quòd libertas non opponatur necessitati antecedenti, sed coactioni; illáque sola in homine lapso remanserit circa bonum, & malum, quæ est expers coactionis, sed non simplicis necessitatis, docuerat ante Iansenium Caluinus libro 2. Institut. cap. 2. num. 6. & 7. cuius verba hæc sunt: *Pronunciat Lombardus non liberi arbitrij ideò nos esse, quòd ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peræquè polleamus; sed duntaxat quòd coactione soluti sumus. Quæ libertas non impeditur, etiamsi praui simus, & serui peccati, & nihil aliud quàm peccare possimus. Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione.* Et libro secundo contra Pighium: *Si coactioni*, inquit, *opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter asseuero: ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat. Si hoc*, inquam, *sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur, sed sponte agatur suâ, nihil moror.* Eundem errorem sumpserat Caluinus à Luthero in libro de seruo arbitrio, vbi sic habet: *Sequitur nos necessariò operari. Necessariò verò dico, non coactè: necessi-* 11. *Posteriorem hausit ab iisdem hæreticis.*

tate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo nolens facit malum; sed sponte, & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modò necessitatem immutabilitatis, quòd voluntas sese mutare, & vertere aliò non possit. Rursus ex altera parte, Si Deus in nobis operatur, mutata, & blandè assibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum merâ lubentiâ, & pronitate, ac sponte suâ vult, & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset. Nam coactio potiùs est, vt sic dicam, noluntas. Hæc Lutherus. Cuius discipulus, & Caluini Magister Bucerus in libro de concordia doctrinæ, *Pax est*, inquit, *Catholicos inter & Lutheranos, si sola coactio libertati repugnat. Quod enim Catholici dicunt, hominem esse liberi arbitrij; intelligi debet de arbitrio libero à coactione, non à necessitate. Quod verò dicunt Lutherani, hominem non esse liberi arbitrij; accipiendum est de arbitrio libero à necessitate, non à coactione.* Similique modo loquuntur, & sentiunt Petrus Molinæus in clypeo fidei ad artic. 9. Chamier. tom. 3. libro 2. cap. 1. Witakerus tom. 1. libro 5. contra Duræum, & alij recentes hæretici cum tota Synodo Dordrectana pag. 706. & 707. Eandémque fuisse doctrinam Wicleffistarum testatur Waldensis lib. 2. Doctrinalis fidei cap. 23. affirmantium omnia de necessitate absoluta euenire: & nihilominus manere liberum arbitrium; quia Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum, vel ad malum futurum; & illa sola tollit arbitrij dignitatem, non autem alia necessitas, præueniens absolutè futuritionem effectus.

SECTIO III.

Probatur hanc Iansenij doctrinam ab Ecclesia damnatam esse quoad vtramque partem.

11. *Error de amissa libertate indifferentia damnatur à Trident. & alijs Concil.* PRIOREM partem huius doctrinæ, quòd scilicet post peccatum Adæ non maneat libertas indifferentiæ circa bonum, & malum, damnauit Tridentin. sessione sexta, can. 5. vbi contra Lutherum, & Caluinum, sic pronunciat: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.* Et can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, &c. anathema sit.* Item can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac preparet, neque posse dissentire si velit, &c. anathema sit.* Et capite quinto dixerat, hominem excitanti, & adiuuanti gratiæ liberè assentiri, & cooperari: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, possit qui recipit, illam abiicere. Damnata etiam fuerat à Concilio Senonensi, celebrato Parisiis contra Lutherum paulò ante Tridentinum, ann. 1528. postquam enim in præfatione dixit Lutherum, dum vitare conatur Pelagianismum, prætextu gratiæ diuinæ commendandæ, factum esse Manichæum, negando liberum arbitrium: postea in decretis fidei capite decimo-quinto, sic pronunciat: *Cùm reliquerit Deus hominem in manu consilij sui, apposueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, vt ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam: nec abs re beatus ille indicetur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: quòd sub eo sit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti Scripturam sacram, passim obuium sit, quòd liberum vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret: satis esse visum est sacro Prouinciali Concilio libertatis eiusmodi vires, & metas exponere.* Itémque à Synodo Coloniensi, celebratâ contra eundem Lutherum, anno 1536. in Enchiridio doctrinæ Christianæ iussu ipsius edito, cuius verba hæc sunt loquentis de Sacramento Pœnitentiæ: *Septimò, retinendum est, situm esse in hominis voluntate, vt gratiam Dei oblatam, vel accipiat, vel repudiet.* Idque paulò pòst hoc exemplo familiari illustrat: *Oculus solem videre non potest, nisi solis lumen oculum praeueniat vt videat: tamen sole lucente, qui super omnes oritur, libera est intuitio, hominique liberum est oculos claudere, ne solis lumen admittat; aut aperire, vt recipiat. Haud secus impio liberum est, praeueniente se diuinæ illustrationis gratiâ à peccato resurgendi, eam accipere, vel non accipere: Deo praeuenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti, dare, vel negare consensum, velle vel nolle pœnitere. Non enim, vt sæpe diximus, in casu primi hominis voluntate spoliati, sed voluntatis sanitate priuati sumus.* Addit ibidem, rationem cur è duobus ad pœnitentiam vocatis vnus conuertatur, & non alius, esse, quia vnus Dei vocationem gratiámque præuenientem recipere voluit, alius respuit. *Nihil*, inquit, *mirum si ille peccato demersus succumbat, hic resurgat. Hic enim diuinæ gratiæ dexteram non neglexit, sed apprehensæ dexteræ ductu, & tractu è peccatorum fæcibus emersit. Ille verò diuinæ gratiæ dexteram sedulò oblatam, ac nunquam subtractam apprehendere neglexit, & sic in peccatorum luto defixus remansit. Ambo in peccati foueam corruerunt; sed hic funem gratiæ Dei demissum apprehendit, & mordicus tenuit, & extractus est; ille funem Dei demissum apprehendere neglexit.* Huc vsque Concilium Coloniense. Quibus verbis nihil clarius dici potest ad libertatem indifferentiæ; in operibus etiam gratiæ, bonísque, & malis actibus adstruendam. Eandem denique doctrinam euidenter repugnare sacris literis, & constanti traditioni Patrum, liquet ex testimoniis, quæ retulimus, & expendimus disputatione tertia, sectione secunda, numero quarto & sequentibus, & aliquot referemus inferiùs sectione 6. & 7.

Posterior quoque pars eiusdem doctrinæ, quâ asseritur non repugnare libertati arbitrij necessitatem, sed coactionem, fuit damnata tum à Concilio Constantiensi sessione octaua proscribente hunc articulum vicesimum-septimum Wicleffi, *Omnia de necessitate absoluta eueniunt*: iuxta sensum videlicet suprà relatum ex Valdensi: tum etiam à Conciliis Senonensi, Coloniensi, & Tridentino, 12. *Itémque error, quòd sola coactio repugnet libertati.*

locis citatis numero duodecimo. Damnant enim sine dubio Lutherum, & Caluinum eo sensu, quo ipsi negabant liberum arbitrium: nimirum sumptum pro libertate indifferentiæ, & non pro libertate à coactione. Satísque manifestè significant se loqui de potestate indifferenti, vt etiam agnoscunt hæretici cum Caluino in Antidoto ad sess. 6. Damnatus denique fuit idem error à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. in Bullis contra Michaëlem Baium, & Iansenium, quibus proscribuntur hæ propositiones: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Et, *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* D. Thom. quoque in quæstionibus disputatis, quæst. 6. de malo, artic. vnico in corp. disertis verbis affirmat hæreticam esse opinionem eorum, qui dicebant, voluntatem humanam sine vi quidem & coactione, at ex necessitate moueri ad aliquid eligendum. *Hæc opinio*, inquit, *est hæretica. Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitari non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones: quia non solum contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit.* Huc vsque D. Thom. cuius auctoritas nouorum Dogmatistarum temeritati anteponi deberet.

14. *Damnatus etiam fuit à Sorbonicis.* Simile iudicium de illa ferunt tum alij veteres, & moderni Theologi, quos longissimum foret enumerare: tum recentissimi Scriptores Sorbonici, Andreas Du-Val 1. 2. in tract. de actibus humanis, q. 3. art. 1. & Nicolaus Ysambertus tom. de Incarnat. ad quæst. 18. D. Thomæ disput. 2. art. 2. propositione 1. qui disertè pronunciant hæreticam esse, & Caluinisticam, penitúsque libertatem destruere. Prioris verba hæc sunt: *Prima opinio, eáque hæretica, est hominem nullo ad quascunque actiones suas libero arbitrio gaudere, sed absoluta necessitate (quam fatum philosophi veteres appellarunt) semper agere, & agi. Ita Simon Magus, Marcion, Vuicleffus, Lutherus, & Caluinus, qui censet abolendum esse nomen liberi arbitrij &c. Et quamuis alibi liberum arbitrium admittere videatur, reipsa tamen illud penitus destruit: quippe cùm tantùm existimet hominem esse liberum à coactione, ita vt eius voluntas cogi & violentari nequeat: non autem à necessitate; quia*, inquit, *necessariò trahitur, aut à tentatione dæmonis, aut à gratia Dei.* Denique vniuersa Schola Parisiensis in Censura lata 27. Iunij an. 1560. in Collegio Sorbonæ, damnauit octodecim propositiones, quarum prima sic habet: *Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita, nec illi conuenit ea potestas ex ipsius naturali, & intrinseca ratione.* Censura talis est: *Prima pars huius propositionis est hæretica; secunda est falsa, & erronea, & morali philosophiæ aduersa.* Secunda est huiusmodi: *Libertas, & necessitas eidem conueniunt respectu eiusdem: & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.* Cuius propositionis prima pars damnatur vt hæretica, & includens contradictioné. Secunda vt falsa. Octaua: *Liberum arbitrium liberè vult quidquid sponte sua voluntariè vult: ita vt quod necessariò vult, idem liberè velit.* Censura sic habet: *Huius propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est hæretica.* Decima-quinta: *Homo necessariò peccat etiam damnabiliter in aliqua specie peccati: & actus ad quem necessariò fertur, est illi peccatum. Quare vt liberè feratur in actum non est conditio necessaria ad peccandum.* De qua assertione Sorbonici sic pronunciant: *Hæc propositio est hæretica pro omnibus partibus.*

15. *Iansenius more hæreticorum Theologos Pelagianismi insimulat.* Ad eundem errorem refutandum valent quoque ea Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ disputat. 3. sect. 2. retulimus, & expendimus ad probandum nunc etiam in statu naturæ lapsæ habere homines libertatem indifferentiæ in iis; quæ bene & laudabiliter, aut malè & culpabiliter agunt. Quam doctrinam semper ab Ecclesia receptam, communémque omnium Theologorum, & Catholicorum, cùm philosophicam, per contemptum, & Aristotelæam, ac Pelagianam vocat aduersarius: more & exemplo Caluini facit, qui libro secundo Institut. capite 2. numero 4. dicit Patres Græcos & Latinos nimis philosophicè loquutos esse, quando dixerunt hominem esse liberi arbitrij. Et cap. 3. num. 13. *Audiamus*, inquit, *nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur; in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur.* Et cap. 5. num. 1. sibi sic obiicit ex sententia Catholicorum: *Si peccatum, aiunt, necessitatis est, iam desinit esse peccatum.* Tum respondet: *Hæc Pelagij quoque arma erant ad impetendum Augustinum.* Et num. 2. sic ait: *Subiiciunt, nisi ex liberi arbitrij electione tum vitia, tum virtutes procedunt; non esse consentaneum vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur.* Mox respondet. *Hoc argumentum etsi Aristotelicum est, fateor tamen à Chrysostomo, & Hieronymo alicubi vsurpatum. Pelagianis tamen fuisse familiare nec ipse Hieronymus dissimulat.* Simili modo loquuntur, & Pelagianismi hac in parte Papistas, vt vocant, seu Catholicos Doctores, nominatímque Sorbonistas, insimulant Lutherus in libro de seruo arbitrio, Melancthon in Apologia pro Luthero, Petrus Martyr tom. 1. locorum communium, titulo de libero arbitrio, Zanchius in Tractatibus Theologicis, libro 1. cap. 6. Thesi 7. Synodus Dordrectana pag. 718. & alij Scriptores Lutherani, & Caluinistæ, à quibus hanc calumniam noui Dogmatistæ mutuati sunt.

SECTIO IV.

Ostenditur veteres, & recentes hæreticos ab Ecclesia damnatos idem sensisse cum nouis Dogmatistis, in eo ipso propter quod damnati fuerunt.

SVPERIORIBVS addo, errorem illum circa libertatem toties ab Ecclesia fuisse damnatum, quoties proscripsit veteres hæreticos, & infideles, qui liberum nobis arbitrium adimere conati sunt: Stoicos, Marcionistas, Priscillianistas, Manichæos, Iouinianistas, Astrologos, Wicleffistas, & alios quibuscum no- 16.

ui Dogmatistæ æquè ac Lutherani, & Caluinistæ reipsa consentiunt in eo, propter quod reiecti ab Ecclesia, & damnati fuerunt. Quippe qui non eripiebant homini libertatem à coactione, neque ab Ecclesia damnati fuerunt, eò quòd illam tollerent: sed quia libertatem à necessitate adimerent, oppositam indifferentiæ, vt faciunt noui Dogmatistæ. Id non ita pridem luculenta inductione ostendit Antonius Ricardus in Defensione Censuræ Sorbonicæ suprà memoratæ, toto cap. 2. primæ editionis. Ego paucis perstringam quæ ille fusiùs prosecutus est: additis nonnullis ab eo prætermissis.

17. *Probatur 1. de illis qui existimarunt præscientiam Dei tollere libertatem.*

Primò igitur, hæretici & infideles, qui teste Augustino lib. 5. de Ciuit. cap. 9. & 10. Eusebio lib. 6. Præparat. cap. 11. Tertulliano lib. 2. contra Marcionem, & Valdensi lib. 1. Doctrinalis cap. 19. dixerunt per præscientiam diuinam tolli liberum arbitrium; non dixerunt per eam tolli libertatem à coactione, sed à necessitate: & tamen ab Ecclesia damnati fuerunt, vt euersores liberi arbitrij. Ergo in eorum damnatione inuoluuntur noui Dogmatistæ, qui pariter negant libertatem à necessitate, admittúntque solùm libertatem à coactione. Maior probatur primò ex argumentis, quibus illi contendebant non posse stare liberum arbitrium hominis cum Dei præscientia. Vnum est: Quia quod necessariò fit, nec potest non fieri, non est liberum. Sed quod subest certæ & infallibili præscientiæ Dei, necessariò fit, nec potest non fieri. Ergo quod subest certæ & infallibili præscientiæ Dei, non est liberum. Ita Marcion apud Tertullianum lib. 2. contra eundem, & Cicero apud Augustinum lib. 5. de Ciuit. capite 9. & Abailardus, ac Wicleffus apud Valdensem loco suprà citato. Alterum est, quia res à Deo præscita non potest aliter atque aliter se habere; alioqui præscientia diuina falli posset. Ergo res à Deo præscita non potest esse libera. Ita Wicleffus apud Valdensem vbi suprà. Idémque argumentum, vt difficillimum proponit Euodius D. Augustino, lib. 3. de libero arbitrio capite 2. *Ineffabiliter*, inquit, *me mouet, quomodo fieri possit, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter euenire posse aliquid, quàm Deus antè præsciuit: præscientiam Dei destruere insanissimâ impietate molitur &c. Itaque necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo igitur est voluntas libera, vbi tam ineuitabilis apparet necessitas?* Eodémque argumento permotos fuisse quamplurimos testatur idem S. Doctor ibidem paulò pòst: & illud resumens sic ait cap. 3. *Certè enim hoc te mouet, & hoc miraris, quomodo non sint contraria, & repugnantia, vt & Deus sit præscius omnium futurorum; & nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim præscius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem; necesse est vt peccet. Si autem necesse est; non est ergo in peccando voluntatis arbitrium, sed potiùs ineuitabilis, & fixa necessitas.* Vbi vides nullam coactionis, sed necessitatis duntaxat mentionem fieri ab auctoribus vtriusque argumenti: Euidens ergo est ex ipsismet eorum verbis, eos sic argumentari, quòd existimarent præscientiam diuinam tollere libertatem à necessitate: quippe quia res præscita debet necessariò euenire sicut præscitur à Deo, & non potest aliter se habere, nisi Deus fallatur: non autem quia existimarent per eam tolli libertatem à coactione: quasi ad saluandam infallibilitatem præscientiæ diuinæ non sufficiat fieri necessariò id quod præscitur: nisi etiam cogantur hominum voluntates, & inuitæ, atque renitentes quoad possunt, velint facere id, quod præscitum est. Qualis enim esset hæc illatio: Si homo esset liber à coactione, falli posset Dei præscientia, quamuis homo necessariò faciat quidquid Deus præscit illum esse facturum, neque possit aliter euenire? Certè ex eo quòd Deus sit liber à coactione in seipso amando, & Beati in amore & gaudio beatifico; nullum timeri potest falsitatis periculum ab eo qui dixerit fore, vt Deus semper se amet; & Beatos in æternum amore, & gaudio beatifico fruituros esse. Vtque Deus id præsciat infallibiliter, sufficit vtrumque necessariò & infallibiliter esse futurum. Par autem est ratio de aliis necessariò futuris, quamuis non coactè.

Probatur secundò, quia non adeò hæretici & infideles illi desipiebant, vt existimarent fieri præscientiâ diuinâ, vt non velimus, quæ volumus: vel vt volitio nostra sit à principio extrinseco, passo nihil conferente, imò planè reluctante; quæ est definitio coacti simpliciter. Id enim est contra manifestam experientiam, quâ non minùs constat nos velle, quàm nos sentire, & viuere. Síque, vt fatetur aduersariorum Antistes tom. 3. lib. 6. cap. 5. aliísque locis suprà relatis num. 5. est euidenter impossibile vllum esse actum voluntatis, qui sit violentus, & coactus simpliciter, seu non liber à coactione: ita vt hoc sensu voluntas seu volitio, & libera volitio idem sint; sicut velle, & liberè velle: Quis credat hæreticos illos, & infideles, negasse hominibus velle, & agere liberè hoc sensu, id est, velle sine coactione, quod non minùs euidens est, quàm ipsos velle? Imò quis credat negasse homines multa sponte velle, & appetere, & agere; quod infantibus, & amentibus, & belluis non negabant? 18. *Confirmatur pluribus argumentis.*

Probatur tertiò, quia Sancti Patres fatentur esse difficillimum conciliare præscientiam Diuinam cum libertate: vt videre est apud Diuum Augustinum lib. 3. de lib. arbit. cap. 2. & lib. 5. de Ciuit. cap. 9. Atqui nulla esset difficultas in ea concilianda cum libertate solùm à coactione, dicendo quòd licèt illa necessitatem rebus præscitis imponat, non tamen facit vt homines inuiti, & reluctantes quoad possunt, velint, & faciant quæcunque Deus præscit eos volituros, & facturos. Breuitérque, & clarè dici posset, quamuis id quod subest Dei præscientiæ, necessariò eueniat, non tamen euerti liberum arbitrium; cùm illud non simplici necessitate, sed solâ coactione violetur. Neque maior esset in eo difficultas, quàm sit in concilianda Dei præscientia cum appetitu brutorum; vel in conciliando eorum appetitu spontaneo cum instinctu præuio ad aliquid vnum determinato. 19. *Et ex sensu Patrum.*

Probatur quartò ex modis, quibus Sancti Patres conciliant infallibilitatem diuinæ præscientiæ cum libertate, & infidelium, aut hæreticorum argumentis satisfaciunt. Vnus est, quia præscientia diuina non est causa effectus liberi, sed potiùs effectus liber est causa præscientiæ, adeóque est in potestate hominis facere vt Deus hoc aut illud præsciuerit. Ita re- 20. *Et ex modis quibus vtrumque conciliant.*

spondent apud Iustinum Martyrem auctor quæstionum ad Orthodoxos quæst. 58. Origenes apud Eusebium lib. 6. Præparat. cap. 11. Athanasius in sermone de passione & cruce Domini, Chrysost. hom. 60. in Matthæum, Augustinus libro 5. de Ciuit. cap. 10. & tract. 53. in Ioannem, Epiphanius hæresi 58. post medium, Cyrillus lib. 9. in Ioannem, cap. 10. Damascenus contra Manichæos prope medium, Boëtius lib. 5. de Consolatione, prosâ tertiâ, & seqq. Anselmus in Elucidario circa medium. Alter est, quia Dei præscientia merè speculatiuè se habet; neque magis ad operandum nos adstringit, quàm præscientia hominis, qui præsciret quid alter operaturus esset: aut est veluti visio hominis alium operantem intuentis; qui suo intuitu non imponit illi necessitatem agendi, neque illius voluntatem ad vnam partem adstringit, sed quod volet eligendi & agendi potestatem relinquit, aut instar speculi repræsentantis quidquid illi obiicitur; quod non est causa, cur hoc aut illud sibi obiiciatur, neque ad obiiciendum necessitat. Ita Boëtius lib. cit. prosâ 6. Beda in libro Variarum quæstionum, quæst. 13. vbi id exponit exemplo hominis videntis alium iacere, qui propterea non facit illum iacere, & Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 4. Tertius est, quia licèt id, quod à Deo præscitur esse futurũ, non possit non esse futurum ex suppositione præscientiæ: id tamen non oritur ex necessitate antecedente, quæ facit operari: sed ex necessitate consequente tantùm, seu consequentiæ, quam facit ipse operans, ipsáque operatio; quæ quia non potest simul esse, & non esse; non potest esse non futura, ex suppositione quòd sit futura: non præscitur autem à Deo esse futura, nisi ex hypothesi quòd sit futura. Verùm quia pendet à libertate operantis quòd sit futura, vel non futura: pendet etiam ab illa obiicere Dei præscientiæ, veluti speculo, aut oculo intuenti omnia, sitne futura vel non futura. Idcirco enim Deus præscit esse futuram, quia futura est. Ita respondent Anselmus lib. de concordia liberi arbitrij cum prædestinatione & gratia, & lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. & D. Thom. quæst. 24. de verit. art. 1. ad 13. Hi certè omnes respondendi modi eò tendunt, vt ostendant præscientiam diuinam non adimere libertatem, quia non imponit antecedentem necessitatem, sed indifferentiam relinquit voluntati creatæ ad agendum vel non agendum. Ergo ex mente SS. Patrum libertas consistit in huiusmodi indifferentia: & libertatem planè destruit, qui hanc indifferentiam tollit; vt faciunt noui Dogmatistæ. Liquet igitur ex dictis illos cum primis illis hæreticis, & infidelibus conuenire in eo propter quod ab Ecclesia veluti creatæ libertatis euersores damnati fuerunt.

21. *Probatur 2. de fati assertoribus.* Secundò Priscillianistæ, & Astrologi iudiciarij, seu Planetarij, & Genethliaci, ac Gentiles quidam Philosophi, vt Stoici, qui dicebant omnia fato regi, & fatali quadam necessitate omnia euenire, quam constituebant in vi positionis syderum, siue in astrorum influentia, damnati fuerunt ab Ecclesia & Sanctis Patribus, velut humanæ libertatis euersores: vt constat ex Concilio Braccarensi I. can. 9. & ex D. Augustino lib. 5. de Ciuit. cap. 1. aliísque Patribus infrà citandis. Atqui per fatalem illam necessitatem non tollebant isti libertatem à coactione: sed solam libertatem à necessitate simplici, siue antecedenti determinatione ad vnum. Ergo censuit Ecclesia hanc necessitatem non consistere cum libero arbitrio; & non sufficere quòd sit liberum à coactione, sed debere liberum esse à simplici necessitate antecedenti, siue determinatione ad vnum. Ergo prædamnauit nouos Dogmatistas affirmantes sufficere quòd sit liberum à coactione, adimentésque libertatem à necessitate antecedenti. Minor, quæ sola probatione indiget, probatur, quia error illorum in eo consistebat, quòd existimarent quæcunque volunt & faciunt homines, necessariò euenire ex influxu & aspectu astrorum; neque posse aliter fieri, quàm syderum cursus & positio ferat. Sic enim illorum sententiam explicat D. Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 1. *Homines*, inquit, *fatum quando audiunt, vsitatâ loquendi consuetudine non intelligunt nisi vim positionis syderum:* Et Concilium Braccarense I. can. 9. illos damnat his verbis: *Si quis animas & corpora fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Et Eusebius lib. 6. de Præparat. cap. 9. *Non solùm*, inquit, *Gentiles, stellarum ex coniunctione & aspectu, quæ in terris fiunt, necessariò accidere credunt, quam vim fatum appellant: verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impossibile aliter fieri credentes, quàm stellarum cursus effecerit. Vnde sequitur, nullam in nobis esse libertatem, nullam operationem nostram laudari, aut vituperari posse.* Hæc Eusebius. Atqui non existimabant illi, omnia quæ homines volunt, & faciunt, euenire necessariò necessitate coactionis à syderibus illatæ, quasi homines nolint ea quæ volunt; aut faciant inuiti, & omnino reluctantes, quæcunque agunt: sed affirmabant, natos, v. gr. sub Mercurio, amare necessariò furta; sub Marte, rixas, bella, & homicidia; sub Venere, libidines; sub Ioue, superbiam, & dominatum: in eáque vitia non inuitos & renitentes, sed magnâ propensione ferri, neque posse aliter velle, & inclinari. Sic enim vnum ex illis loquentem refert Eusebius lib. 6. Præparat. cap. 5. aliàs 6. *Fiet illud omnino, si fatum meum ita tulerit: quorsum autem frustra molestus mihi sim?* id est, cur frustra nitar id impedire, & agere contrarium? Et paulò pòst refert eos sic respondere solitos, quando admonebantur officij sui: *Non integrum mihi est mentem hanc, consiliúmque mutare, quando iam fatum occupauit. Quid me porro iuuet contendere, vbi ne optandi quidem facultas arbitriúmque relinquatur? nisi optare, fatum quoque mihi sit. Optabo verò, si fatum erit, licèt nihil præcipias, ipsâ fati necessitate adductus &c. Nam in rem ipsemet incumbam vltrò, si fatum erit. Sin autem, inanis est vtriusque contentio.* Ex quibus verbis, præcipuéque postremis, manifestum est ipsos non loqui de necessitate coactionis, quandoquidem affirmant se vltrò incumbere in id, ad quod fatum necessitat; sed de necessitate determinationis ad vnum, opposita libertati indifferentiæ, seu potestati ad vtrumlibet.

Confirmatur ex eodem Eusebio, qui toto illo lib. 6. passim inculcat, ab iis qui ineluctabilem fati necessitatem asserunt, idcirco libertatem tolli, quia voluntatem vni parti affigunt. 22. *Confirmatur ex Eusebio & Augustino.*

Et ex D. Augustino lib. 2. contra Faustum cap. 5. vbi sic habes: *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Si ab omni vinculo necessitatis; Ergo non tantùm à coactione. Et hoc propter iustum Dei iudicium; quia vt idem Augustinus affirmat alibi, lib. de duab. animab. cap. 11. *Nemo vituperio suppliciòve dignus est, qui id non faciat, quod facere non potest*; aut faciat id, quod non potest non facere. Et cap. 12. addit non posse dici contrarium, nisi per summam iniquitatem, & insaniam. Nemesius quoque, Sanctorum Basilij, & Gregorij Nysseni, ac Nazianzeni contemporaneus, libro de natura hominis cap. 35. & D. Thom. 1. p. q. 115. art. 4. c. affirmant hominem non fore liberi arbitrij, si, vt volebant Stoici, & alij suprà nominati, non relinquatur in eius potestate vt aliter faciat, sed habeat actiones determinatas, sicut & ceteræ res naturales, id est, careat libertate indifferentiæ: & si astra influant in eius voluntatem, sicut influunt in appetitum brutorum, quibus certè astra non inferunt coactionem propriè dictam, sed determinationem ad vnum. Denique Astrologi iudiciarij eam solùm necessitatem inuehebant, quâ præcisè positâ, certò ex astris prædici queat quid homines facturi sint: id enim solum intendebant. Ad hoc autem sufficit necessitari homines vi astrorum per determinationem ad vnum; & vim astrorum bene perspectam esse. Planéque ad hoc impertinens est, quòd non nisi coactè, & non voluntariè velint ea quæ volunt. Neque vel hoc ipsi cogitarunt, vel vllus Catholicorum illis affinxit. Manet ergo probatum damnatos illos fuisse tanquam libertatis euersores, non quòd tollerent libertatem à coactione, sed à necessitate opposita indifferentiæ, vt faciunt noui Dogmatistæ.

SECTIO V.

Idem ostenditur de Manichæis, Iouinianistis, Adrumetinis, Lutheranis, & Caluinistis.

23. *Probatur 3. de Manichæis.* TERTIÒ, Manichæi quoque damnati fuerunt velut euersores liberi arbitrij, eò quòd assererent homines ferri necessariò in bonum, vel in malum: tametsi id non intelligerent de necessitate coactionis & violentiæ illatæ voluntati ab extrinseco: sed de necessitate determinationis ad vnum, ab interno principio, nimirum à propria cuiusque anima. Fingebant enim duas in quolibet homine animas esse: vnam bonam, & à bono principio, cuius particula quædam esset: alteram malam, & à malo principio. Quarum illa si præualeat, sponte quidem sed necessariò ferat in bonum: ista in malum. Et omnia quidem bona hominis, illi bonæ animæ tribuebant; omnia verò mala, illi malæ animæ; vt ait D. August. lib. 1. Retractat. cap. 15. & lib. de duabus animabus, vbi contra eos disputans, ostendit homines non fore liberos circa bonum & malum, si necessariò ita operentur: & non posse illis imputari quæ bene aut malè faciunt: quia, vt ait cap. 11. *omnibus notum est non esse dignum pœnâ, vel vituperio, eum qui facere non potest. Parque est ratio vi laude, vel præmio, qui facit id quod facere.* Et c. 12. contra eosdem arg loquitur; *Peccati reum teneri quem fecit quod facere non potuit, summa & insaniæ. Quamobrem si illæ anim. ciendum & non faciendum animi n denique bis abstinendi ab opere suo conceditur, peccato earum teneri no.* quibus verbis clarè liquet eos esl necessitate determinationis ad vn ait Augustinus, priuat libero m faciendum & non faciendum, & f tinendi ab opere suo. Quare ex m gustini, & omnium hominum sen nes ita sentire, nullámque docto rem, aut indoctorum turbam diffe ibidem D. Augustinus) talis nec gnat libertati, titulóque meriti, Ideóque pariter libertatem euertu sensum Ecclesiæ, omniúmque h quuntur & sentiunt noui Dogn buentes homini lapso libertatem t ctione, & affigentes illum necessi nationis, quâ sponte, sed necessa bonum, si mouetur à gratia: vel t ratur in malum, si mouet concupi

Fingunt enim duo interna princ tantia, vt Manichæi; gratiam & c tiam: & gratiam quidem, si adest, sitare voluntatem ad bonum: si concupiscentiam necessitare ad ma cùm similiter affirmet Lutherus (errorem sumpserunt noui Dogmati Concilium Senonense celebratum. Præfatione dixit illum dum vitare lagianismum prætextu gratiæ diuir dandæ, factum esse Manichæum, berum arbitrium. Idémque exprob Ruardus Tapperus articulo 2. pag. de editionis, vbi postquam hæc eius lit ex lib. 2. contra Pighium, *Si coacl tur libertas, liberum esse arbitrium constanter asseuero:* opponit Tapper bertatem voluntatis quæ coactione non fuisse negatam à Manichæis, ne hæreticis liberi arbitrij peremptoi enim, inquit, docebat Manichæus q tas violenter externo motu inuita bonum vel malum: sed quòd hom quam à malo habeat principio, sp voluntariè ferebatur in malum: par quæ à Deo est, in bonum, sed necess secundùm illam bonum eligere non malum secundùm istam: propter q negasse liberum in homine esse arbitr

Confirmatur, quia Manichæi cen illas animas, seu partes hominis ferr & malum, simili necessitate, quâ in runtur principium bonum, & princ lum, quorum particulas illas esse Cùm autem assererent duo illa pri æterna & independentia, nullique non censebāt illa cogi ab extrinseco vel malum volendum, & pati violen quo fortiori: sed tantùm necessitate nationis sponte in bonum aut in m Ergo pariter volebant duas illas a

spondet Caluinus, vt hanc infamiam à se repellat, séque à Manichæo secernat, refutabitur sect. 10. vbi similem euasionem nouorum Dogmatistarum tenciemus.

26. *Probatur 4. de Iouinian. & Adrumet.* Quartò Iouinianus, & monachi Adrumetini, aliique veteres hæretici, qui efficaciâ diuinæ gratiæ liberum arbitrium interimi putauerunt, non ideò à SS. Patribus, & ab Ecclesia damnati sunt, quòd putarent interimi libertatem à coactione; sed libertatem à necessitate. Ergo in illis prædamnati fuerunt noui Dogmatistæ, qui eandem libertatem non putant consistere cum efficacia gratiæ medicinalis, seu gratiæ illius, quæ post peccatum originale datur hominibus ad bene operandum; probatur antecedens, quia veteres illi non dicebant per efficaciam gratiæ perimi libertatem à coactione, quæ naturæ voluntatis repugnat: neque adeò stolidi erant, vt existimarent fieri per gratiam vt voluntas non velit id, quod vult; aut eius volitionem fieri à principio externo, ipsa reluctante quantùm potest: quod esse manifestè impossibile fatentur aduersarij: sed duntaxat volebant gratiam ita mouere voluntatem ad volendum bonum, vt non possit non velle, tametsi lubens, & magno affectu ad illud feratur; vt patet ex D. Augustino epist. 46. & 47. ad Valentinum, & ex libro de gratia & lib. arbir. quem contra monachos Adrumetinos scripsit.

27. Adde quòd idem August. vt liquet ex quatuor primis capitibus eiusdem libri cit. Anselmus lib. de Concordia, aliique Patres qui liberum arbitrium cum efficacia gratiæ conciliare conantur, manifestè loquuntur de libertate à necessitate, non à coactione. Dicunt enim magnam esse difficultatem in explicanda vtriusque concordia. Atqui nulla prorsus esset, si sufficeret dicere, voluntatem non cogi simpliciter ad actus elicitos, quod est euidenter impossibile, vt agnoscunt ipsi aduersarij, sed necessitari tantùm, & determinari ad bonum, efficaciâ gratiæ. Magna verò in eo est, quomodo gratia efficax ita dominetur voluntati, illámque moueat efficaciter, vt tamen sinat eam se liberè mouere cum potestate indifferenti ad oppositum: præsertim verò in eorum sententia, qui admittunt efficaces prædefinitiones non directas per vsum scientiæ mediæ. Eodem argumento vtitur contra Caluinum Ruardus Tapper articulo 2. vbi post verba relata superiùs numero 24. hæc addit: *Quando apud Augustinum disputatur, an gratia tollat liberum arbitrium, quod credebant monachi Adrumetini, non agitur de arbitrio libero à coactione, quæ natura voluntatis repugnat. Non enim ignorare poterant, quòd voluntas externo motu inuita non cogitur: nec inuitam velle, ex doctrina B. Augustini, monachi illi credebant: sed an gratia faciat opera salutis non esse in nostra potestate &c. Nullam enim hæc quæstio de gratia, & libero arbitrio, quam difficillimam dicit Beatus Augustinus, haberet difficultatem, si libertas intelligeretur coactionem excludere solùm, & non necessitatem.*

28. *Probatur* Similiter quando Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5. damnauit Lutherum, & Caluinum, ... Ergo in eorum damnatione inuoluuntur noui Dogmatistæ eandem libertatem negantes. Antecedens patet ex verbis ipsis Tridentini pronunciantis liberum arbitrium non esse extinctum post peccatum Adæ, quia ita cooperatur Deo excitanti, atque vocanti, vt possit dissentire si velit, & diuinæ gratiæ ita liberè cooperatur, vt possit abiicere inspirationem quam recipit: id est, habet potestatem faciendi oppositum: siue, vt ait Concilium Senonense cap. 15. Non est tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit, ideóque non præiudicat libero arbitrio. Probatur secundò, quia ex ipsorummet hæreticorum verbis, manifestum est eos non negasse libertatem à coactione, sed à necessitate. Quare bruta & inania essent anathemata Tridentini, locis suprà citatis, si eos damnaret, quasi tollerent libertatem à coactione. Antecedens patet ex verbis expressis Caluini, Lutheri, & Buceri suprà relatis num. 11. Quibus adde quod ait Zanchius insignis Lutheranus lib. 1. Tract. Theologic. cap. 6. Thesi 1. *Licèt*, inquit, *homo post lapsum factus sit seruus peccati, atque necessariò peccet, nec possit non peccare, non ideò tamen omnem libertatem amisit, cùm eius voluntas non amiserit eam libertatem, quæ à coactione dicitur.* Et aliquantò pòst: *Necessariò enim voluntas peccat dum est seruus peccati. Coacta tamen non peccat: quia non inuita, sed volens sponte & vltro peccat. Peccat enim non violentâ coactione, sed propensissimâ animi affectione; non ab extrinseco principio coacta: sed à propria libidinis motu, & natura prauitate necessariò acta.* Ibidémque probat voluntatem cum Dei gratia liberè agere, tametsi necessariò: quia libertati non repugnat necessitas, sed coactio. Et Caluinus in Antidoto Trident. ad can. 5. sess. 6. concessâ libertate coactionis, addit; *Quia Tridentini nomine liberi arbitrij intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in vtramque partem soluta: qui illud dixerit esse titulum sine re, Christum habet auctorem & Augustinum.*

Vbi prætereà vide non esse solùm quæstionem de nomine liberi arbitrij inter Tridentinum, & recentes hæreticos; quasi isti retentâ verâ Ecclesiæ doctrinâ, nomen tantùm negent, & aliter atque oportet, loquantur. Quod si ita esset, Tridentinum non eos absolutè damnasset, tanquam negantes liberum arbitrium: sed dixisset abuti voce, & verbo tantùm dissentire à doctrina Catholica; vt sic faciliùs eos ad illam reuocaret, quæ præcipua erat intentio Concilij. Estque manifestum ex eorum scriptis, non repudiare ipsos nomen liberi arbitrij, dummodo de libertate à coactione intelligatur: vt patet ex eodem Caluino lib. 2. Institut. cap. 2. num. 7. initio. *Liberi*, inquit, *arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem: sed quia malè voluntate agit, non coactione*; Et Chamierius nobilis Caluinista tom. 3. lib. 2. cap. 8. num. 21. *Retineatur sanè*, inquit, *non tantùm liberum arbitrium Latinorum, sed etiam τὸ αὐτεξούσιον Græcorum, ne inutili logomachia tempus teramus, dum nihil aliud significetur:* supple, nisi libertas à coactione. Et Petrus Molinæus in Clypeo fidei ad artic. 9. *Non auferi-* 29.

mus, inquit, *ab hominibus libertatem voluntatis. Filij Dei volentes bene agunt & non coactè. Necessitas ad peccandum non repugnat libertati, sed coactio.* Et denique vniuersa Synodus Dordrectana pag. 706. *Libertas*, inquit, *non pugnat cum omni necessitate, & determinatione: sed cum determinatione violentiæ, & coactionis.* Idémque loquuntur, & sentiunt Lutherani, vt Oecolampad. Petrus Martyr, & alij locis infrà citandis.

30. Ex his omnibus concludo manifestum esse, quod probandum suscepimus, veteres ac recentes hæreticos damnatos fuisse ab Ecclesia propter eundem errorem circa liberum arbitrium, quem noui Dogmatistæ pro dogmate Catholico ex doctrina B. Augustini deprompto, importunè & inuerecundè obtrudunt. Pudeat igitur homines sanæ mentis istis hæresum recoctoribus assentiri.

SECTIO VI.

Refutantur effugia nouorum Dogmatistarum: & primò circa verba Ecclesiastici cap. 15.

31. VT hæresis infamiam à se repellant noui Dogmatistæ, excogitarunt, seu potiùs ab hæreticis excogitata arripuerunt aliquot effugia, quibus partim argumentorum propositorum vim elidere conantur: partim etiam discrimen aliquod inter hanc suam, & hæreticorum doctrinam assignare. Sed ex dicendis apparebit nihil ipsos proficere; potiúsque cum illis consentire in his omnibus, quæ de libertate veluti noua, & Theologis incognita, suóque labore & assidua lectione operum D. Augustini de tenebris eruta fuisse gloriantur.

32. *Dicunt Ecclesiasticum loqui de statu innocentiæ.* Ac primò, Scripturæ & Patrum testimonia eludunt quidam illorum hoc responso, quòd in illis sermo sit de homine integro qualis à Deo conditus fuit; siue de primo parente, qui in statu innocentiæ indifferentem ad vtrumlibet potestatem habuit, & exercuit: non autem de homine lapso, qui vnà cum iustitia originali indifferentiam illam voluntatis amisit. Quod effugium sumpserunt ex Caluino lib. 2. Institut. cap. 5. num. 18. vbi proposito sibi testimonio Ecclesiastici cap. 15. dicentis hominem fuisse relictum in manu consilij sui; antéque illum positam vitam & mortem, bonum & malum: & quodcunque voluerit, ei datum iri: respondet accepisse hominem à sua creatione facultatem adipiscendæ vitæ, aut mortis; sed per peccatum eam perdidisse: & quidquid primæ creationi tribuitur, in vitiatam ac degenerem naturam minimè competere. Similique modo respondent eius sectarij, vt Daniel Chamierius tom. 3. lib. 2. cap. 2. numero 4. & lib. 3. capite 14. numero 18. dicens eo Scripturæ loco sermonem esse de homine, qualis fuit conditus ab initio, & non valere consequentiam à primo hominis statu ad alterum eiusdem corrupti statum, vt Caluinus iam pridem respondit. Simili quoque modo eundem locum Ecclesiastici eludit Iansenius lib. 9. de Gratia Christi Saluatoris, cap. 25. §. *Quòd si verò.*

33. Sed hoc effugium vanum esse manifestum est

ex verbis ipsis Ecclesiastici, q
quebatur Adamum iam à tri
rum millibus vitâ functum,
viuentes, increpans eos qui d
stare quò minùs ipsi bene fa
instituerent. *Non dixeris*, in
est: quæ enim odit, ne feceris.
implanauit; non enim necessari
pij. Tum ostendens quæ sit r
vitiorum causa, nimirum l
quam Deus liberam creau
possit bonum, aut malum
Deus ab initio constituit hom
lum in manu consilij sui. Adie
cepta sua. Si volueris mandat
bunt te: Apposuit tibi aqua
volueris, porrige manum tua
ta & mors, bonum & malu
dabitur illi. Quæ verba, *Si*
tibi aquam & ignem, mani
homines viuentes: & non
longè antea mortuum. Ill
minem vita & mors, bonum
cuerit ei, dabitur illi; non c
Eua prolata sunt, in quor
ampliùs vita & mors, bo
quod placuerit eis dabitur
de omnibus viuentibus ra
ante quos bonum & malu
ligenda sunt.

Confirmatur: quia Ecc
alludit ad verba Mosis D
Considera quòd hodie propo
vitam & bonum: & è contra
vt diligas Dominum Deum
viis eius, & custodias man
Atqui euidens est Mosem
innocenti, sed posteris ei
Iudæis tunc præsentibus
Ecclesiasticus loquitur fi
tibus, & in statu naturæ l
que ita hunc locum Eccle
ex eo probant liberum ir
nere post peccatum orig
aduersus hæreses cap. 71. C
ad Rom. Basilius homil.
sost. serm. 2. de fato seu
stasius Nicænus quæst. in
nus lib. 1. Parallelorum
de exhortatione ad Cast
contra Marcionem cap
lib. 6. in Lucam cap. 9.
tia & libero arbitrio cap
nus tract. 13. de Natali
p. q. 22. art. 2. ad 4. & q
& in corpore. Et lib. 3.
Et q. 24. de veritate ar
nense in decretis fidei,
huius loci expositione
refutationem videri p
num lib. 5. de Gratia, &
& pluribus sequentibu
tia proleg. 4. cap. 7. &
put. 39. de Scientia De

Alia quoque loca Sc
bitrij relata disput. 3.
quuntur de statu natu
probatione non egeat
ver. 7. *Nonne si bene eg*

& maledictionem: *elige ergo vitam, &c.* euidenter dicebatur, Iudæis præsentibus, quibus Moyses loquebatur, quósque ad boni præ malo electionem hortabatur. Et illud Iosuë vltimo, ver. 15. *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, &c.* euidentissimè dicebatur Israëlitis præsentibus, quos vir ille sanctus morti propinquus ad retinendam fidem auitam, pietatémque erga Deum inducebat. Et illud Ecclesiastici 31. ver. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* dicitur generaliter de iustis, Dei mandata seruātibus. Et illud 1. Corinth. 7. ver. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis*, dicitur de Corinthiis, & aliis virgines suas innuptas seruare volentibus. Et illud 2. Corinth. 9. ver. 7. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate*; dicebatur eisdem Corinthiis, quos Apostolus hortabatur ad eleemosynam liberaliter hilaritérque largiendam, & sic de aliis.

36. *Disput. 3. sect. 1. Et communi Patrum consensu.* Patres etiam Græci, & Latini, sect. suprà cit. relati, tam apertè loquuntur de hominibus in hoc statu; vt in eo confirmando immorari superuacaneum sit. Idque agnoscunt ipsimet hæretici; Caluinus lib. 2. Instit. cap. 2. num. 4. & Matthias Illyricus Centuria 2. cap. 4. colum. 59. quorum verba retulimus num. 23. patebitque ampliùs ex dicendis inferiùs tribus sequentibus disputationibus, vbi de mente D. Augustini, aliorúmque Sanctorum Patrum disputabitur: ostenderúrque valde inconsultò ab aduersario productos illos fuisse tanquam suo fauentes dogmati, à quo penitus abhorrent, & cui apertè contradicunt illis ipsis locis, quos sibi maximè fauere existimauit. Cùm autem toties hanc esse puram putam Augustini doctrinam inculcat, in quo legendo & vero eius sensu inuestigando, plusquam 20. annos insumpserit; planè Lutherum & Caluinum imitatur, qui, vt ex ipsorum verbis retulimus disp. 1. sect. 5. num. 48. & seqq. non minùs gloriabantur Augustinum totum suum esse, séque in illius lectione diutissimè versatos esse, verúmque ipsius sensum assecutos. Sed hac de re fusiùs alibi. Nunc verò vt ad propositum redeamus, alia eorum effugia, nihilo meliora, referenda nobis & expendenda sunt.

SECTIO VII.

Refutatur alterum effugium circa eadem verba Ecclesiastici.

37. *Expositio Iansenij.* ALITER locum suprà citatum Ecclesiastici 15. eludit Iansenius cap. 34. libri 6. de Gratia Christi Saluat. vbi fatetur quidem Scripturam verbis illis, *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Fatetur, inquam, Scripturā his verbis satis explicare quid sit esse in manu sui consilij, cùm dicit hominem, si voluerit, mandata seruare; & consequenter ne libertatem & contrarietatis, & contradictionis, & non solam libertatem à coactione. Idem etiám conuincere omnia mandata, quibus aliquid vel iubetur, vel vetatur: significant enim hominem ad vtrumuis posse flecti: ad bonum, ad malum; ad agendum, ad abstinendum. Quibus consentanea, inquit, Patres omnes clamant, iudicantes passim homines posse quæ iubentur facere & non facere, vt visum fuerit: & *habere*, vt ait Nazianzenus, *in vtramque partem liberi arbitrij motus*: neque Deum homini *necessitatem*, vt ait Hilarius, *in alterutrum affigere*. Addit denique hoc argumentum esse verissimum, ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo, & ceteris non solùm admissum; sed velut Catholicæ fidei immobilem basim aduersus Manichæos, aliásque pestes, veritatis & libertatis inimicas, inuictissimè defensum fuisse, ac defendi debere. Nazianz. in Apolog. Hilar. in Psal. 2.

Sed contendit nihil hæc ad propositum facere. Quia, inquit, Scripturæ istæ, ac similes de viatorum hominum libertate loquuntur. Illi quippe sunt quibus præcipitur bonum, & vetatur malum; & quibus apponūtur ignis & aqua, vita & mors: quíque parem in vtramque partem habent volūtatis motum: ac denique possunt præcepta facere vel non facere, seruare vel transgredi. Verùm sicut ex istiusmodi Scripturæ testimoniis perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret: ergo Angeli, ergo beati homines, ergo dæmones libertatis expertes sunt: ergo ipse Christus Dominus, dum in via ad patriam tenderet, libertate caruit: cùm neque Beati peccare, neque Christus Dominus præcepta transgredi possit, aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec dæmones bonum: ita neque rectè concluditur actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem non esse liberum. Nam inter actum liberum, & statum libertatis magna est differentia: & aliter Deus, aliter Angeli viatores, & primus homo, aliter Beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus in via constitutus fuit liber: quęque sunt aut requiruntur in vno statu libertatis, non debent extendi ad alium. Itaque hominum viatorū non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad vtrumque indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino, & Patribus, & Catholica fide fatendum est. Sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrij libertatē iidem Patres pernegarent. Nec quisquam dixerit hominem viatorem priuatum iri libertate, si eius voluntatem Deus ita firmaret in bono, vt non minùs inflexibilis ad malum esset, quàm voluntas Beatorum. Aliunde igitur quàm ex natura libertatis oritur indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum. Quæ indifferentia non est causa vel ratio libertatis, sed tantùm illius indicium certissimum in rationali creatura: potéstque adesse vel abesse sine eius dispendio, vt in Deo manifestum est, qui est libertrimus, & tamen nec malum eligere, nec ab eligendo bono quod ab æternitate sibi eligendum præfixit, vllā mutatione desistere potest. Quare si Deus communicaret creaturæ per gratiam similem immutabilitatem, & firmitatem adhæsionis ad bo- 38. *Inepta eius elusio.*

Vu

te. Et quia esse in nostra voluntate, esse in nostra potestate, & esse liberum, sunt idem apud Augustinum: quod est tali modo necessarium opponitur pariter potestati & libertati; in sententia eiusdem S. Doctoris. Ad quod probandum multa profert testimonia ex libro secundo de Genesi contra Manich. cap. vlt. epist. 105. enarrat. in Psal. 10. & 30. & lib. 26. contra Faustum cap. vlt. & lib. 29. contra eundem in fine, & tract. 9. in Ioan. aliísque locis. Eandémque necessitatem dicit ab Augustino vocari prementem, dominantem, pondus, & similibus nominibus; quia nunquam cedit voluntati, sed potiùs eam velut pondus vrget, atque premit. Eandem quoque à Patribus intelligi nomine necessitatis simpliciter dictæ: qua de causa dicunt Patrem æternum non genuisse filium necessitate, sed naturâ. Altera necessitas est, quæ est simul voluntaria: quâ scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate. Et hæc non repugnat libertati, sicut prior illa, quæ nihil aliud est, quàm quædam vis, aut violentia, aut coactio, quæ operatur id quod potest, etiam nolente voluntate. Ratio est, quia posterior ista necessitas, seu voluntaria, non impedit quin velimus cùm volumus, & quin velle sit in nostra potestate, quotiescumque etiam cum tali necessitate volumus: vt docet Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. idémque affirmat D. Thom. q. 22. de veritate art. 5. in corp. & ad 4. & quæst. 10. de potentia art. 2. ad 5. & prima parte q. 88. art. 1. ad 1. Aliis etiam pluribus locis docet Augustinus solam necessitatem coactionis adimere libertatem, non autem necessitatem illam simplicem, & voluntariam: vt lib. 3. de libero arbitr. cap. 3. vbi cùm necessitas ad destruendam libertatem arbitrij vrgeretur, duplicem distinguit necessitatem: vnam, quæ nobis inuitis, & nolentibus efficit id quod potest; nempe coactionis: alteram, simplicem. Illam dicit tollere voluntatem liberam: hanc non tollere. Huc vsque Iansenius, qui deinceps reliquâ parte libri sexti multa ad idem persuadendum producit argumenta, & aliorum Patrum, atque etiam Doctorum Scholasticorum testimonia.

SECTIO II.

Quæ causa mouit Iansenium ad sic opinandum de natura liberi arbitrij, & vnde hanc doctrinam hausit?

7. Movit autem Iansenium ad ita sentiendum de natura liberi arbitrij, non quòd Augustinus sic doceat: euidenter enim demonstrabimus longè aliam fuisse eius sententiam, pessiméque ab illo intellectam, vel potiùs malâ fide dissimulatam: sed cùm existimaret, & pro certo fidei dogmate haberi vellet amissam esse per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum: nullúmque actum moraliter bonum fieri nisi necessitante gratiâ, nullum malum nisi necessitante concupiscentiâ: ne liberum arbitrium negare penitus videretur, & manifestè conuenire cum hæreticis; nouam eius definitionem excogitauit, & Augustini auctoritate stabilire conatus est. Hæc enim est illius doctrina: fuisse quidem in Angelis, & in primis parentibus ante peccatum, libertatem indifferentiæ tum ad bonum agendum, tum ad malum vitandum: sed eam per peccatum originale hominibus ablatam esse; quippe qui, in hoc statu naturæ lapsæ necessitantur pondere concupiscentiæ ad malè agendum, quando abest gratia medicinalis: sin autem adest, necessitantur ipsius vi, & efficaciâ ad bene operandum. Verba illius hæc sunt tom. 3. libri septimi capite decimo: *Cum arbitrio in vtramque partem libero, & flexibili conditus est Angelus, & primus homo, &c. Ex hac igitur spontanea creaturæ rationalis in vtramque partem liberrima discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit.* Et tom. 2. libro tertio *de statu naturæ lapsæ*, capite secundo, & sex consequentibus, totus est in probando libertatem indifferentiæ ad faciendum bonum periisse per peccatum Adæ. Tum capite nono & vndecimo addit, non solùm libertatem ad agendum bonum; sed etiam ad abstinendum à peccato interiisse: & loco libertatis, peccandi necessitatem inductam esse: ad quod persuadendum reliquam partem huius libri insumit: & tum ibidem, tum libro sexto & octauo de gratia Christi Saluatoris, aliísque locis probare conatur, iuxta doctrinam Augustini, imò etiam iuxta fidem Catholicam, homines in hoc statu naturæ lapsæ, carere libertatis indifferentiâ ad bene agendum, vel malè. Et si bene agunt, id facere præsente, & necessitante auxilio gratiæ: si verò malè, necessitari à concupiscentia, prædominante semper, & necessitante ad peccandum, quando abest auxilium gratiæ.

Error Ianseny de amissa libertate indifferentiæ.

Et nihil boni vel mali fieri nisi ex necessitate.

8. Quanta verò sit illa necessitas, & illa seruitus sub concupiscentia, disertiùs exprimit libro primo de gratia Christi Saluatoris, capite quarto, vbi sic habet: *Voluntas concupiscentiæ imperio, & ponderi ita indesinenter seruit, & eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus seruit diuinæ caritati.* Et tom. 2. libri quarti de statu naturæ lapsæ capite decimo-octauo dicit, Per peccatum originale adeò periisse libertatis indifferentiam ad bonum morale faciendum: vt ante gratiam propriè dictam non sit liberum à peccando abstinere: sed quocunque se verterit homo, hîc, & nunc in singulis actibus, quadam humanis viribus insolubili necessitate teneatur. Quòd verò neque gratiâ præsente liber sit ad bene agendum, sed necessariò eam sequatur, docet tom. 3. libro secundo, capite quarto his verbis: *Adiutorium gratiæ ante lapsum Adæ tale erat, vt ab illo liberæ voluntatis nutu penderet, saluáque maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò tale est, quod suâpte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipsius libero arbitrio subiaceat.* Et cap. 5. eiusdem libri sic habet: *Nullum adiutorium gratiæ, cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis, aut illo vtatur, aut non vtatur, vt illud amplectatur, aut deserat, vt illi consentiat, aut non consentiat, si voluerit, ad medicinale adiutorium* (siue veram gratiam Christi, quæ in statu naturæ lapsæ communicatur hominibus) *vllo modo pertinere potest.* Addit capite nono: *Cùm adiutorij gratiæ vsus, & non vsus, actio, & cessatio, libertati subditur; vel*

Quanta sit hæc necessitas?

cacis manifestum est, impossibile esse, ut sit aliud adiutory genus, quàm possibilitatis, quale Pelagianus error asserit.

9. *Alter eius error, quòd sola coactio repugnet libertati.* Sic igitur negatâ libertate indifferentiæ, ne liberum arbitrium penitus adimere videretur Iansenius, & saltem verbo tenus Catholicam doctrinam retinere se profiteretur: Docet secundò, licèt voluntas hominis in hoc statu naturæ lapsæ feratur in bonum, aut in malum, ex necessitate antecedenti gratiæ, vel concupiscentiæ; & quidquid bene facit, necessariò faciat; quidquid etiam malè agit, necessariò agat: manere nihilominus in homine liberum arbitrium à coactione, quod est (inquit) esse verè, ac propriè liberum. Neque enim vera, & propriè dicta libertas consistit in indifferentia, neque opponitur antecedenti, & absolutæ necessitati; sed coactioni tantùm, & violentiæ. Loquitur autem de coactione, seu violentia simpliciter, & absolutè dicta, quâ fit aliquid à principio extrinseco, passo non conferente vim, sed reluctante quantùm potest. Vnde, cùm nullus actus voluntatis possit esse violentus, & coactus simpliciter, quia non potest fieri, nisi eliciente, & volente ipsâ voluntate: nullus etiam est non liber, iuxta doctrinam aduersarij: adeóque voluntas vult liberè, quidquid vult; idémque est velle, ac liberè velle. Illius verba sunt tom. 3. libro 8. capite 5. §. *Hinc ergo: Voluntas, seu volitio, & libera volitio, idem sunt, sicut velle, & liberè velle: & impossibile est, vt velle non sit liberum:* quia implicat, *vt volendo non velimus, hoc est, vt voluntas non sit voluntas*, inquit ibidem ferè initio capitis. Et capite sexto: *Omnis omnino voluntas, quantumcunque ad vnum determinata, nullâ tali necessitate, qua dicitur necesse esse vt velit, desinit esse libera.* Addit ibidem §. *Nunc verò; Sola necessitas coactionis adimit libertatem, non necessitas simplex.* Et capite 12. eiusdem libri, *Nihil aliud libero generaliter repugnat, quàm necessitatis illius prementis, cogentisque violentia.* Addit pluribus locis, contrariam de libertate doctrinam, quæ illam constituit in potestate indifferente ad vtrumlibet, non esse Christianam, & Augustinianam; sed philosophicam, & Aristotelæam, imò etiam Pelagianam, fundamentúmque Pelagianæ hæreseos.

10. *Priorem errorem sumpsit ex Luthero, & Caluino.* Hanc doctrinam quoad vtramque partem sumpsit ex Luthero, & Caluino, aliisque id genus hæreticis. Nam quòd libertas indifferentiæ circa bonum, & malum, per peccatum Adæ perierit, docuerat ante Iansenium Lutherus in libro de seruo arbitrio, & in articulis à Leone X. damnatis, quorum 36. hic erat: *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo.* Et in assertione eorundem articulorum; *Liberum*, inquit, *arbitrium est figmentum in rebus; seu titulus sine re.* Et à Caluino, in Antidoto ad sessionis sextæ can. 5. vbi prædictam Lutheri assertionem confirmans sic ait: *Quia per liberum arbitrium intelligunt* (Patres Tridentini Concilij, aliíque Catholici) *eligendi facultatem, quæ sit in vtramque partem libera, & soluta, titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem, & Augustinum.* Et libro 1. Institut. cap. 15. num. 8. postquam affirmauit primum hominem in statu integritatis præditum fuisse libero arbitrio, quo si vellet, adipisci posset æternam vitam: potuisséque Adam stare, si vellet, quando non nisi propriâ voluntate cecidit: & in vtramque partem fuisse flexibilem eius voluntatem: addit paulò pòst, libertatem illam post peccatum non permansisse; & eos qui in homine perdito, & in spiritale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philosophorum placita, & cælestem doctrinam partiendò, planè desipere. Et libri secundi capite secundo, cuius titulus est, *Hominem arbitrij libertate nunc esse spoliatum*, &c. num. 4. dicit, Nimis philosophicè hac de re loquutos esse, qui se Christi iactabant esse discipulos, (Patres scilicet antiquos, Latinos æquè ac Græcos) *Nam quasi adhuc integer esset homo, semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non puduit multò arrogantius vsurpare vocabulum: si quidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset.* Et capite tertio eiusdem libri, quo probandum suscipit, *Ex corrupta natura hominis*, id est lapsâ in peccatum originale, *nihil nisi damnabile prodire:* num. 5. affirmat, humanam voluntatem libertate abdicatam, necessitate in malum vel trahi, vel duci, si nimirum absit Dei gratia. Quòd verò eius motionem, si adsit, necessariò sequatur, docet ibidem numero 10. dicens, gratiam mouere voluntatem, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, vt nostræ posteà sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, illúdque toties à Chrysostomo repetitum, repudiari necessariò debere, *Quem trahit, volentem trahit.* Et denique in Antidoto ad sess. 6. Tridentini, in eo dicit hallucinari Patres illius Concilij, quòd motum gratiæ nobis offerri somnient, qui mediam electionem nobis relinquat: atque in eo falli, quòd nullum obseruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen: quòd nimirum illa necessitet voluntatem, ista liberam ad vtrumlibet facultatem relinqueret.

11. *Posteriorem hausit ab iisdem hæreticis.* Iam verò quòd libertas non opponatur necessitati antecedenti, sed coactioni; illáque sola in homine lapso remanserit circa bonum, & malum, quæ est expers coactionis, sed non simplicis necessitatis, docuerat ante Iansenium Caluinus libro 2. Institut. cap. 2. num. 6. & 7. cuius verba hæc sunt: *Pronunciat Lombardus non liberi arbitrij ideò nos esse, quòd ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peræquè polleamus; sed duntaxat quòd coactione soluti sumus. Quæ libertas non impeditur, etiamsi praui simus, & serui peccati, & nihil aliud quàm peccare possimus. Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactione.* Et libro secundo contra Pighium: *Si coactioni*, inquit, *opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter assevero: ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat. Si hoc*, inquam, *sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur, sed sponte agatur suâ, nihil moror.* Eundem errorem sumpserat Caluinus à Luthero in libro de seruo arbitrio, vbi sic habet: *Sequitur nos necessariò operari. Necessariò verò dico, non coactè: necessi-*

tate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo nolens facit malum; sed sponte, & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modò necessitatem immutabilitatis, quòd voluntas sese mutare, & vertere aliò non possit. Rursus ex altera parte, Si Deus in nobis operatur, mutata, & blandè assibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum merâ lubentiâ, & pronitate, ac sponte suâ vult, & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset. Nam coactio potiùs est, vt sic dicam, noluntas. Hæc Lutherus. Cuius discipulus, & Caluini Magister Bucerus in libro de concordia doctrinæ, *Pax est*, inquit, *Catholicos inter & Lutheranos, si sola coactio libertati repugnat. Quod enim Catholici dicunt, hominem esse liberi arbitrij; intelligi debet de arbitrio libero à coactione, non à necessitate. Quod verò dicunt Lutherani, hominem non esse liberi arbitrij; accipiendum est de arbitrio libero à necessitate, non à coactione.* Similique modo loquuntur, & sentiunt Petrus Molinæus in clypeo fidei ad artic. 9. Chamier. tom. 3. libro 2. cap. 1. Witakerus tom. 1. libro 5. contra Duræum, & alij recentes hæretici cum tota Synodo Dordrectana pag. 706. & 707. Eandémque fuisse doctrinam Wicleffistarum testatur Waldensis lib. 2. Doctrinalis fidei cap. 23. affirmantium omnia de necessitate absoluta euenire: & nihilominus manere liberum arbitrium; quia Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum, vel ad malum futurum; & illa sola tollit arbitrij dignitatem, non autem alia necessitas, præueniens absolutè futuritionem effectus.

SECTIO III.

Probatur hanc Iansenij doctrinam ab Ecclesia damnatam esse quoad vtramque partem.

11. *Error de amissa libertate indifferentiæ damnatur à Trident. & aliis Concil.*

PRIOREM partem huius doctrinæ, quòd scilicet post peccatum Adæ non maneat libertas indifferentiæ circa bonum, & malum, damnauit Tridentin. sessione sexta, can. 5. vbi contra Lutherum, & Caluinum, sic pronunciat: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.* Et can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, &c. anathema sit.* Item can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, &c. anathema sit.* Et capite quinto dixerat, hominem excitanti, & adiuuanti gratiæ liberè assentiri, & cooperari: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, possit qui recipit, illam abiicere. Damnata etiam fuerat à Concilio Senonensi, celebrato Parisiis contra Lutherum paulò ante Tridentinum, ann. 1528. postquam enim in præfatione dixit Lutherum, dum vitare conatur Pelagianismum, prætextu gratiæ diuinæ commendandæ, factum esse Manichæum, negando liberum arbitrium: postea in decretis fidei capite decimo-quinto, sic pronunciat: *Cùm reliquerit Deus hominem in manu consilij sui, apposueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum, vt ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam: nec abs re beatus ille iudicetur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: quòd sub eo sit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti Scripturam sacram, passim obuium sit, quòd liberum vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret: satis esse visum est sacro Prouinciali Concilio libertatis eiusmodi vires, & metas exponere.* Itémque à Synodo Coloniensi, celebratâ contra eundem Lutherum, anno 1536. in Enchiridio doctrinæ Christianæ iussu ipsius edito, cuius verba hæc sunt loquentis de Sacramento Pœnitentiæ: *Septimò, retinendum est, situm esse in hominis voluntate, vt gratiam Dei oblatam, vel accipiat, vel repudiet.* Idque paulò pòst hoc exemplo familiari illustrat: *Oculus solem videre non potest, nisi solis lumen oculum praeueniat vt videat: tamen sole lucente, qui super omnes oritur, libera est intuitio, hominique liberum est oculos claudere, ne solis lumen admittat; aut aperire, vt recipiat. Haud secus impio liberum est, praeueniente se diuinæ illustrationis gratiâ à peccato resurgendi, eam accipere, vel non accipere: Deo præuenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti, dare, vel negare consensum, velle vel nolle pœnitere. Non enim, vt sæpe diximus, in casu primi hominis voluntate spoliati, sed voluntatis sanitate priuati sumus.* Addit ibidem, rationem cur è duobus ad pœnitentiam vocatis vnus conuertatur, & non alius, esse, quia vnus Dei vocationem gratiámque præuenientem recipere voluit, alius respuit. *Nihil*, inquit, *mirum si ille peccato demersus succumbat, hic resurgat. Hic enim diuinæ gratiæ dexteram non neglexit, sed apprehensæ dexteræ ductu, & tractu è peccatorum fæcibus emersit. Ille verò diuinæ gratiæ dexteram sedulò oblatam, ac nunquam subtractam apprehendere neglexit, & sic in peccatorum luto defixus remansit. Ambo in peccati foueam corruerunt; sed hic funem gratiæ Dei demissum apprehendit, & mordicus tenuit, & extractus est; ille funem Dei demissum apprehendere neglexit.* Huc vsque Concilium Coloniense. Quibus verbis nihil clarius dici potest ad libertatem indifferentiæ; in operibus etiam gratiæ, bonísque, & malis actibus adstruendam. Eandem denique doctrinam euidenter repugnare sacris literis, & constanti traditioni Patrum, liquet ex testimoniis, quæ retulimus, & expendimus disputatione tertia, sectione secunda, numero quarto & sequentibus, & aliquot referemus inferiùs sectione 6. & 7.

Posterior quoque pars eiusdem doctrinæ, quâ asseritur non repugnare libertati arbitrij necessitatem, sed coactionem, fuit damnata tum à Concilio Constantiensi sessione octaua proscribente hunc articulum vicesimum-septimum Wicleffi, *Omnia de necessitate absoluta eueniunt:* iuxta sensum videlicet suprà relatum ex Valdensi: tum etiam à Conciliis Senonensi, Coloniensi, & Tridentino, 12. *Itémque error, quòd sola coactio repugnet libertati.*

locis citatis numero duodecimo. Damnant enim sine dubio Lutherum, & Caluinum eo sensu, quo ipsi negabant liberum arbitrium: nimirum sumptum pro libertate indifferentiæ, & non pro libertate à coactione. Satísque manifestè significant se loqui de potestate indifferenti, vt etiam agnoscunt hæretici cum Caluino in Antidoto ad sess. 6. Damnatus denique fuit idem error à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. in Bullis contra Michaëlem Baium, & Iansenium, quibus proscribuntur hæ propositiones: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Et, *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* D. Thom. quoque in quæstionibus disputatis, quæst. 6. de malo, artic. vnico in corp. disertis verbis affirmat hæreticam esse opinionem eorum, qui dicebant, voluntatem humanam sine vi quidem & coactione, at ex necessitate moueri ad aliquid eligendum. *Hæc opinio*, inquit, *est hæretica. Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitari non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones: quia non solùm contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit.* Huc vsque D. Thom. cuius auctoritas nouorum Dogmatistarum temeritati anteponi deberet.

14. *Damnatus etiam fuit à Sorbonicis.* Simile iudicium de illa ferunt tum alij veteres, & moderni Theologi, quos longissimum foret enumerare: tum recentissimi Scriptores Sorbonici, Andreas Du-Val l. 2. in tract. de actibus humanis, q. 3. art. 1. & Nicolaus Ysambertus tom. de Incarnat. ad quæst. 18. D. Thomæ disput. 2. art. 2. propositione 1. qui disertè pronunciant hæreticam esse, & Caluinisticam, penitúsque libertatem destruere. Prioris verba hæc sunt: *Prima opinio, eáque hæretica, est hominem nullo ad quascunque actiones suas libero arbitrio gaudere, sed absoluta necessitate (quam fatum philosophi veteres appellarunt) semper agere, & agi. Ita Simon Magus, Marcion, Vuicleffus, Lutherus, & Caluinus, qui censet abolendum esse nomen liberi arbitrij &c. Et quamuis alibi liberum arbitrium admittere videatur, reipsa tamen illud penitus destruit: quippe cùm tantum existimet hominem esse liberum à coactione, ita vt eius voluntas cogi & violentari nequeat: non autem à necessitate;* quia, inquit, *necessariò trahitur, aut à tentatione dæmonis, aut à gratia Dei.* Denique vniuersa Schola Parisiensis in Censura lata 27. Iunij an. 1560. in Collegio Sorbonæ, damnauit octodecim propositiones, quarum prima sic habet: *Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita, nec illi conuenit ea potestas ex ipsius naturali, & intrinseca ratione.* Censura talis est: *Prima pars huius propositionis est hæretica; secunda est falsa, & erronea, & morali philosophiæ aduersa.* Secunda est huiusmodi: *Libertas, & necessitas eidem conueniunt respectu eiusdem: & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.* Cuius propositionis prima pars damnatur vt hæretica, & includens contradictioné. Secunda vt falsa. Octaua: *Liberum arbitrium liberè vult quidquid sponte sua voluntariè vult: ita vt quod necessariò vult, idem liberè velit.* Censura sic habet: *Huius propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est hæretica.* Decima-quinta: *Homo necessariò peccat etiam damnabiliter in aliqua specie peccati: & actus ad quem necessariò fertur, est illi peccatum. Quare vt liberè feratur in actum non est conditio necessaria ad peccandum.* De qua assertione Sorbonici sic pronunciant: *Hæc propositio est hæretica pro omnibus partibus.*

Ad eundem errorem refutandum valent quoque ea Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ disputat. 3. sect. 2. retulimus, & expendimus ad probandum nunc etiam in statu naturæ lapsæ habere homines libertatem indifferentiæ in iis, quæ bene & laudabiliter, aut malè & culpabiliter agunt. Quam doctrinam semper ab Ecclesia receptam, communémque omnium Theologorum, & Catholicorum, cùm philosophicam, per contemptum, & Aristotelæam, ac Pelagianam vocat aduersarius: more & exemplo Caluini facit, qui libro secundo Institut. capite 2. numero 4. dicit Patres Græcos & Latinos nimis philosophicè loquutos esse, quando dixerunt hominem esse liberi arbitrij. Et cap. 3. num. 13. *Audiamus*, inquit, *nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ, totam vetustatem nobis aduersam pro suo more criminentur; in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur.* Et cap. 5. num. 1. sibi sic obiicit ex sententia Catholicorum: *Si peccatum, aiunt, necessitatis est, iam desinit esse peccatum.* Tum respondet: *Hæc Pelagij quoque arma erant ad impetendum Augustinum.* Et num. 2. sic ait: *Subiiciunt, nisi ex liberi arbitrij electione tum vitia, tum virtutes procedunt; non esse consentaneum vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur.* Mox respondet. *Hoc argumentum etsi Aristotelicum est, fateor tamen à Chrysostomo, & Hieronymo alicubi vsurpatum. Pelagianis tamen fuisse familiare nec ipse Hieronymus dissimulat.* Simili modo loquuntur, & Pelagianismi hac in parte Papistas, vt vocant, seu Catholicos Doctores, nominatímque Sorbonistas, insimulant Lutherus in libro de seruo arbitrio, Melancthon in Apologia pro Luthero, Petrus Martyr tom. 1. locorum communium, titulo de libero arbitrio, Zanchius in Tractatibus Theologicis, libro 1. cap. 6. Thesi 7. Synodus Dordrectana pag. 718. & alij Scriptores Lutherani, & Caluinistæ, à quibus hanc calumniam noui Dogmatistæ mutuati sunt. 15. *Iansenius more hæreticorum Theologos Pelagianismi insimulat.*

SECTIO IV.

Ostenditur veteres, & recentes hæreticos ab Ecclesia damnatos idem sensisse cum nouis Dogmatistis, in eo ipso propter quod damnati fuerunt.

SVPERIORIBVS addo, errorem illum circa libertatem toties ab Ecclesia fuisse damnatum, quoties proscripsit veteres hæreticos, & infideles, qui liberum nobis arbitrium adimere conati sunt: Stoicos, Marcionistas, Priscillianistas, Manichæos, Iouinianistas, Astrologos, Wicleffistas, & alios quibuscum no- 16.

ui Dogmatistæ æquè ac Lutherani, & Caluinistæ reipsa consentiunt in eo, propter quod reiecti ab Ecclesia, & damnati fuerunt. Quippe qui non eripiebant homini libertatem à coactione, neque ab Ecclesia damnati fuerunt, eò quòd illam tollerent: sed quia libertatem à necessitate adimerent, oppositam indifferentiæ, vt faciunt noui Dogmatistæ. Id non ita pridem luculenta inductione ostendit Antonius Ricardus in Defensione Censuræ Sorbonicæ suprà memoratæ, toto cap. 2. primæ editionis. Ego paucis perstringam quæ ille fusiùs prosecutus est: additis nonnullis ab eo prætermissis.

17. *Probatur 1. de illis qui existimarunt præscientiam Dei tollere libertatem.* Primò igitur, hæretici & infideles, qui teste Augustino lib. 5. de Ciuit. cap. 9. & 10. Eusebio lib. 6. Præparat. cap. 11. Tertulliano lib. 2. contra Marcionem, & Valdensi lib. 1. Doctrinalis cap. 29. dixerunt per præscientiam diuinam tolli liberum arbitrium; non dixerunt per eam tolli libertatem à coactione, sed à necessitate: & tamen ab Ecclesia damnati fuerunt, vt euersores liberi arbitrij. Ergo in eorum damnatione inuoluuntur noui Dogmatistæ, qui pariter negant libertatem à necessitate, admittúntque solùm libertatem à coactione. Maior probatur primò ex argumentis, quibus illi contendebant non posse stare liberum arbitrium hominis cum Dei præscientia. Vnum est: Quia quod necessariò fit, nec potest non fieri, non est liberum. Sed quod subest certæ & infallibili præscientiæ Dei, necessariò fit, nec potest non fieri. Ergo quod subest certæ & infallibili pręscientiæ Dei, non est liberum. Ita Marcion apud Tertullianum lib. 2. contra eundem, & Cicero apud Augustinum lib. 5. de Ciuit. capite 9. & Abailardus, ac Wicleffus apud Valdensem loco suprà citato. Alterum est, quia res à Deo præscita non potest aliter atque aliter se habere; alioqui præscientia diuina falli posset. Ergo res à Deo præscita non potest esse libera. Ita Wicleffus apud Valdensem vbi suprà. Idémque argumentum, vt difficillimum proponit Euodius D. Augustino, lib. 3. de libero arbitrio capite 2. *Ineffabiliter, inquit, me mouet, quomodo fieri possit, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter euenire posse aliquid, quam Deus antè præsciuit: præscientiam Dei destruere insanissimâ impietate molitur &c. Itaque necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo igitur est voluntas libera, vbi tam ineuitabilis apparet necessitas?* Eodémque argumento permotos fuisse quamplurimos testatur idem S. Doctor ibidem paulò pòst: & illud resumens sic ait cap. 3. *Certè enim hoc te mouet, & hoc miraris, quomodo non sint contraria, & repugnantia, vt & Deus sit præscius omnium futurorum; & nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim præscius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est vt peccet. Si autem necesse est; non est ergo in peccando voluntatis arbitrium, sed potiùs ineuitabilis, & fixa necessitas.* Vbi vides nullam coactionis, sed necessitatis duntaxat mentionem fieri ab auctoribus vtriusque argumenti: Euidens ergo est ex ipsismet eorum verbis, eos sic argumentari, quòd existimarent præscientiam diuinam tollere libertatem à necessitate: quippe quia res præscita debet necessariò euenire sicut præscitur à Deo, & non potest aliter se habere, nisi Deus fallatur: non autem quia existimarent per eam tolli libertatem à coactione: quasi ad saluandam infallibilitatem præscientiæ diuinæ non sufficiat fieri necessariò id quod præscitur: nisi etiam cogantur hominum voluntates, & inuitæ, atque renitentes quoad possunt, velint facere id, quod præscitum est. Qualis enim esset hæc illatio: Si homo esset liber à coactione, falli posset Dei præscientia, quamuis homo necessariò faciat quidquid Deus præscit illum esse facturum, neque possit aliter euenire? Certè ex eo quòd Deus sit liber à coactione in seipso amando, & Beati in amore & gaudio beatifico; nullum timeri potest falsitatis periculum ab eo qui dixerit fore, vt Deus semper se amet; & Beatos in æternum amore, & gaudio beatifico fruituros esse. Vtque Deus id præsciat infallibiliter, sufficit vtrumque necessariò & infallibiliter esse futurum. Par autem est ratio de aliis necessariò futuris, quamuis non coactè.

Probatur secundò, quia non adeò hæretici & infideles illi desipiebant, vt existimarent fieri præscientiâ diuinâ, vt non velimus, quæ volumus: vel vt volitio nostra sit à principio extrinseco, passo nihil conferente, imò planè reluctante; quæ est definitio coacti simpliciter. Id enim est contra manifestam experientiam, quâ nonminùs constat nos velle, quàm nos sentire, & viuere. Síque, vt fatetur aduersariorum Antistes tom. 3. lib. 6. cap. 5. aliísque locis suprà relatis num. 5. est euidenter impossibile vllum esse actum voluntatis, qui sit violentus, & coactus simpliciter, seu non liber à coactione: ita vt hoc sensu voluntas seu volitio, & libera volitio idem sint; sicut velle, & liberè velle: Quis credat hæreticos illos, & infideles, negasse hominibus velle, & agere liberè hoc sensu, id est, velle sine coactione, quod non minùs euidens est, quàm ipsos velle? Imò quis credat negasse homines multa sponte velle, & appetere, & agere; quod infantibus, & amentibus, & belluis non negabant? 18. *Confirmatur pluribus argumentis.*

Probatur tertiò, quia Sancti Patres fatentur esse difficillimum conciliare præscientiam Diuinam cum libertate: vt videre est apud Diuum Augustinum lib. 3. de lib. arbit. cap. 2. & lib. 5. de Ciuit. cap. 9. Atqui nulla esset difficultas in ea concilianda cum libertate solùm à coactione, dicendo quòd licèt illa necessitatem rebus præscitis imponat, non tamen facit vt homines inuiti, & reluctantes quoad possunt, velint, & faciant quæcunque Deus præscit eos volituros, & facturos. Breuitérque, & clarè dici posset, quamuis id quod subest Dei præscientiæ, necessariò eueniat, non tamen euerti liberum arbitrium; cùm illud non simplici necessitate, sed solâ coactione violetur. Neque maior esset in eo difficultas, quàm sit in concilianda Dei præscientia cum appetitu brutorum; vel in conciliando eorum appetitu spontaneo cum instinctu præuio ad aliquid vnum determinato. 19. *Et ex sensu Patrum.*

Probatur quartò ex modis, quibus Sancti Patres conciliant infallibilitatem diuinæ præscientiæ cum libertate, & infidelium, aut hæreticorum argumentis satisfaciunt. Vnus est, quia præscientia diuina non est causa effectus liberi, sed potiùs effectus liber est causa præscientiæ, adeóque est in potestate hominis facere vt Deus hoc aut illud præsciuerit. Ita re- 20. *Et ex modis quibus vtrumque conciliant.*

ſpondent apud Iuſtinum Martyrem auctor quæſtionum ad Orthodoxos quæſt. 58. Origenes apud Euſebium lib. 6. Præparat. cap. 11. Athanaſius in ſermone de paſſione & cruce Domini, Chryſoſt. hom. 60. in Matthæum, Auguſtinus libro 5. de Ciuit. cap. 10. & tract. 53. in Ioannem, Epiphanius hæreſi 38. poſt medium, Cyrillus lib. 9. in Ioannem, cap. 10. Damaſcenus contra Manichæos prope medium, Boëtius lib. 5. de Conſolatione, proſâ tertiâ, & ſeqq. Anſelmus in Elucidario circa medium. Alter eſt, quia Dei præſcientia merè ſpeculatiuè ſe habet; neque magis ad operandum nos adſtringit, quàm præſcientia hominis, qui præſciret quid alter operaturus eſſet: aut eſt veluti viſio hominis alium operantem intuentis; qui ſuo intuitu non imponit illi neceſſitatem agendi, neque illius voluntatem ad vnam partem adſtringit, ſed quod volet eligendi & agendi poteſtatem relinquit, aut inſtar ſpeculi repræſentantis quidquid illi obiicitur; quod non eſt cauſa, cur hoc aut illud ſibi obiiciatur, neque ad obiiciendum neceſſitat. Ita Boëtius lib. cit. proſâ 6. Beda in libro Variarum quæſtionum, quæſt. 13. vbi id exponit exemplo hominis videntis alium iacere, qui propterea non facit illum iacere, & Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 4. Tertius eſt, quia licèt id, quod à Deo præſcitur eſſe futurū, non poſſit non eſſe futurum ex ſuppoſitione præſcientiæ: id tamen non oritur ex neceſſitate antecedente, quæ facit operari: ſed ex neceſſitate conſequente tantùm, ſeu conſequentiæ, quam facit ipſe operans, ipſáque operatio; quæ quia non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe; non poteſt eſſe non futura, ex ſuppoſitione quòd ſit futura: non præſcitur autem à Deo eſſe futura, niſi ex hypotheſi quòd ſit futura. Verùm quia pendet à libertate operantis quòd ſit futura, vel non futura: pendet etiam ab illa obiicere Dei præſcientiæ, veluti ſpeculo, aut oculo intuenti omnia, ſitne futura vel non futura. Idcirco enim Deus præſcit eſſe futuram, quia futura eſt. Ita reſpondent Anſelmus lib. de concordia liberi arbitrij cum prædeſtinatione & gratia, & lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. & D. Thom. quæſt. 24. de verit. art. 1. ad 13. Hi certè omnes reſpondendi modi eò tendunt, vt oſtendant præſcientiam diuinam non adimere libertatem, quia non imponit antecedentem neceſſitatem, ſed indifferentiam relinquit voluntati creatæ ad agendum vel non agendum. Ergo ex mente SS. Patrum libertas conſiſtit in huiuſmodi indifferentia: & libertatem planè deſtruit, qui hanc indifferentiam tollit; vt faciunt noui Dogmatiſtæ. Liquet igitur ex dictis illos cum primis illis hæreticis, & infidelibus conuenire in eo propter quod ab Eccleſia veluti creatæ libertatis euerſores damnati fuerunt.

21. *Probatur 2. de fati aſſertoribus.* Secundò Priſcillianiſtæ, & Aſtrologi iudiciarij, ſeu Planetarij, & Genethliaci, ac Gentiles quidam Philoſophi, vt Stoici, qui dicebant omnia fato regi, & fatali quadam neceſſitate omnia euenire, quam conſtituebant in vi poſitionis ſyderum, ſiue in aſtrorum influentia, damnati fuerunt ab Eccleſia & Sanctis Patribus, velut humanæ libertatis euerſores: vt conſtat ex Concilio Braccarenſi I. can. 9. & ex D. Auguſtino lib. 5. de Ciuit. cap. 1. aliiſque Patribus infrà citandis. Atqui per fatalem illam neceſſitatem non tollebant iſti libertatem à coactione: ſed ſolam libertatem à neceſſitate ſimplici, ſiue antecedenti determinatione ad vnum. Ergo cenſuit Eccleſia hanc neceſſitatem non conſiſtere cum libero arbitrio; & non ſufficere quòd ſit liberum à coactione, ſed debere liberum eſſe à ſimplici neceſſitate antecedenti, ſiue determinatione ad vnum. Ergo prædamnauit nouos Dogmatiſtas affirmantes ſufficere quòd ſit liberum à coactione, adimentéſque libertatem à neceſſitate antecedenti. Minor, quæ ſola probatione indiget, probatur, quia error illorum in eo conſiſtebat, quòd exiſtimarent quæcunque volunt & faciunt homines, neceſſariò euenire ex influxu & aſpectu aſtrorum; neque poſſe aliter fieri, quàm ſyderum curſus & poſitio ferat. Sic enim illorum ſententiam explicat D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. cap. 1. *Homines*, inquit, *fatum quando audiunt, vſitatâ loquendi conſuetudine non intelligunt niſi vim poſitionis ſyderum:* Et Concilium Braccarenſe I. can. 9. illos damnat his verbis: *Si quis animas & corpora fatalibus ſtellis credit adſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Et Euſebius lib. 6. de Præparat. cap. 9. *Non ſolùm*, inquit, *Gentiles, ſtellarum ex coniunctione & aſpectu, quæ in terris fiunt, neceſſariò accidere credunt, quam vim fatum appellant: verùm etiam multi ex fidelibus conturbantur, impoſſibile aliter fieri credentes, quàm ſtellarum curſus effecerit. Vnde ſequitur, nullam in nobis eſſe libertatem, nullam operationem noſtram laudari, aut vituperari poſſe.* Hæc Euſebius. Atqui non exiſtimabant illi, omnia quæ homines volunt, & faciunt, euenire neceſſariò neceſſitate coactionis à ſyderibus illatæ, quaſi homines nolint ea quæ volunt; aut faciant inuiti, & omnino reluctantes, quæcunque agunt: ſed affirmabant, natos, v. gr. ſub Mercurio, amare neceſſariò furta; ſub Marte, rixas, bella, & homicidia; ſub Venere, libidines; ſub Ioue, ſuperbiam, & dominatum: in eáque vitia non inuitos & renitentes, ſed magnâ propenſione ferri, neque poſſe aliter velle, & inclinari. Sic enim vnum ex illis loquentem refert Euſebius lib. 6. Præparat. cap. 5. aliàs 6. *Fiet illud omnino, ſi fatum meum ita tulerit: quorſum autem fruſtra moleſtus mihi ſim?* id eſt, cur fruſtra nitar id impedire, & agere contrarium? Et paulò pòſt refert eos ſic reſpondere ſolitos, quando admonebantur officij ſui: *Non integrum mihi eſt mentem hanc, conſiliúmque mutare, quando iam fatum occupauit. Quid me porro iuuet contendere, vbi ne optandi quidem facultas arbitriúmque relinquatur? niſi optare, fatum quoque mihi ſit. Optabo verò, ſi fatum erit, licèt nihil præcipias, ipsâ fati neceſſitate adductus &c. Nam in rem ipſemet incumbam vltrò, ſi fatum erit. Sin autem, inanis eſt vtriuſque contentio.* Ex quibus verbis, præcipuéque poſtremis, manifeſtum eſt ipſos non loqui de neceſſitate coactionis, quandoquidem affirmant ſe vltrò incumbere in id, ad quod fatum neceſſitat; ſed de neceſſitate determinationis ad vnum, oppoſita libertati indifferentiæ, ſeu poteſtati ad vtrumlibet.

Confirmatur ex eodem Euſebio, qui toto illo lib. 6. paſſim inculcat, ab iis qui ineluctabilem fati neceſſitatem aſſerunt, idcirco libertatem tolli, quia voluntatem vni parti affigunt. 22. *Confirmatur ex Euſebio & Auguſtino.*

Et ex D. Augustino lib. 2. contra Faustum cap. 5. vbi sic habet: *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Si ab omni vinculo necessitatis; Ergo non tantùm à coactione. Et hoc propter iustum Dei iudicium; quia vt idem Augustinus affirmat alibi, lib. de duab. animab. cap. 11. *Nemo vituperio suppliciòve dignus est, qui id non faciat, quod facere non potest*; aut faciat id, quod non potest non facere. Et cap. 12. addit non posse dici contrarium, nisi per summam iniquitatem, & insaniam. Nemesius quoque, Sanctorum Basilij, & Gregorij Nysseni, ac Nazianzeni contemporaneus, libro de natura hominis cap. 35. & D. Thom. 1. p. q. 115. art. 4. c. affirmant hominem non fore liberi arbitrij, si, vt volebant Stoici, & alij suprà nominati, non relinquatur in eius potestate vt aliter faciat, sed habeat actiones determinatas, sicut & ceteræ res naturales, id est, careat libertate indifferentiæ: & si astra influant in eius voluntatem, sicut influunt in appetitum brutorum, quibus certè astra non inferunt coactionem propriè dictam, sed determinationem ad vnum. Denique Astrologi iudiciarij eam solùm necessitatem inuehebant, quâ præcisè positâ, certò ex astris prædici queat quid homines facturi sint: id enim solum intendebant. Ad hoc autem sufficit necessitari homines vi astrorum per determinationem ad vnum; & vim astrorum bene perspectam esse. Planéque ad hoc impertinens est, quòd non nisi coactè, & non voluntariè velint ea quæ volunt. Neque vel hoc ipsi cogitarunt, vel vllus Catholicorum illis affinxit. Manet ergo probatum damnatos illos fuisse tanquam libertatis euersores, non quòd tollerent libertatem à coactione, sed à necessitate opposita indifferentiæ, vt faciunt noui Dogmatistæ.

SECTIO V.

Idem ostenditur de Manichæis, Iouinianistis, Adrumetinis, Lutheranis, & Caluinistis.

23. *Probatur 3. de Manichæis.* TERTIÒ, Manichæi quoque damnati fuerunt veluteuersores liberi arbitrij, eò quòd assererent homines ferri necessariò in bonum, vel in malum: tametsi id non intelligerent de necessitate coactionis & violentiæ illatæ voluntati ab extrinseco: sed de necessitate determinationis ad vnum, ab interno principio, nimirum à propria cuiusque anima. Fingebant enim duas in quolibet homine animas esse: vnam bonam, & à bono principio, cuius particula quædam esset: alteram malam, & à malo principio. Quarum illa si præualeat, sponte quidem sed necessariò ferat in bonum: ista in malum. Et omnia quidem bona hominis, illi bonæ animæ tribuebant; omnia verò mala, illi malæ animæ; vt ait D. August. lib. 1. Retractat. cap. 15. & lib. de duabus animabus, vbi contra eos disputans, ostendit homines non fore liberos circa bonum & malum, si necessariò ita operentur: & non posse illis imputari quæ bene aut malè faciunt: quia, vt ait cap. 11. *omnibus notum est non esse dignum pœnâ, vel vituperio, eum qui non facit quod facere non potest. Parque est ratio vt non sit dignus laude, vel præmio, qui facit id quod non potest non facere.* Et c. 12. contra eosdem argumentans sic loquitur; *Peccati reum teneri quemquam, qui non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ. Quamobrem si illæ animæ libero ad faciendum & non faciendum animi motu carent; si denique his abstinendi ab opere suo facultas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Ex quibus verbis clarè liquet eos esse locutos de necessitate determinationis ad vnum, quæ, vt ait Augustinus, priuat libero motu animi ad faciendum & non faciendum, & facultate abstinendi ab opere suo. Quare ex mente D. Augustini, & omnium hominum sensu (nam omnes ita sentire, nullámque doctorum paucitatem, aut indoctorum turbam dissentire affirmat ibidem D. Augustinus) talis necessitas repugnat libertati, titulóque meriti, vel demeriti. Ideóque pariter libertatem euertunt, & contra sensum Ecclesiæ, omniúmque hominum loquuntur & sentiunt noui Dogmatistæ, tribuentes homini lapso libertatem solùm à coactione, & affigentes illum necessitati determinationis, quâ sponte, sed necessariò feratur in bonum, si mouetur à gratia: vel necessariò feratur in malum, si mouet concupiscentia.

24. *Noui dogmatistæ similes Manichæis.* Fingunt enim duo interna principia necessitantia, vt Manichæi; gratiam & concupiscentiam: & gratiam quidem, si adest, aiunt necessitare voluntatem ad bonum: si verò abest, concupiscentiam necessitare ad malum. Quod cùm similiter affirmet Lutherus (à quo hunc errorem sumpserunt noui Dogmatistæ) meritò Concilium Senonense celebratum anno 1528. in Præfatione dixit illum dum vitare conatur Pelagianismum prætextu gratiæ diuinæ commendandæ, factum esse Manichæum, negando liberum arbitrium. Idémque exprobrat Caluino Ruardus Tapperus articulo 2. pag. 237. secundæ editionis, vbi postquam hæc eius verba retulit ex lib. 2. contra Pighium, *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter asseuero:* opponit Tapperus hanc libertatem voluntatis quæ coactionem excludit, non fuisse negatam à Manichæis, neque ab aliis hæreticis liberi arbitrij peremptoribus. Non enim, inquit, docebat Manichæus quòd voluntas violenter externo motu inuita trahitur ad bonum vel malum: sed quòd homo eâ parte, quam à malo habeat principio, sponte sua & voluntariè ferebatur in malum: parte verò aliâ quæ à Deo est, in bonum, sed necessariò: ita vt secundùm illam bonum eligere non possit; nec malum secundùm istam: propter quod dicitur negasse liberum in homine esse arbitrium.

25. Confirmatur, quia Manichæi censebant duas illas animas, seu partes hominis ferri in bonum & malum, simili necessitate, quâ in eadem feruntur principium bonum, & principium malum, quorum particulas illas esse volebant. Cùm autem assererent duo illa principia esse æterna & independentia, nullíque subiecta; non censebāt illa cogi ab extrinseco ad bonum vel malum volendum, & pati violentiam ab aliquo fortiori: sed tantùm necessitate determinationis sponte in bonum aut in malum ferri. Ergo pariter volebant duas illas animas, seu

partes hominis, ferri necessariò in bonum, aut in malum, non necessitate coactionis, sed determinationis, seu inclinationis propriæ, naturaliter ad hoc determinatæ. Quod autem respondet Caluinus, vt hanc infamiam à se repellat, séque à Manichæo secernat, refutabitur sect. 10. vbi similem euasionem nouorum Dogmatistarum reiciemus.

26. *Probatur 4. de Iouinian. & Adrumet.* Quartò Iouinianus, & monachi Adrumetini, aliique veteres hæretici, qui efficaciâ diuinæ gratiæ liberum arbitrium interimi putauerunt, non ideò à SS. Patribus, & ab Ecclesia damnati sunt, quòd putarent interimi libertatem à coactione; sed libertatem à necessitate. Ergo in illis prædamnati fuerunt noui Dogmatistæ, qui eandem libertatem non putant consistere cum efficacia gratiæ medicinalis, seu gratiæ illius, quæ post peccatum originale datur hominibus ad bene operandum; probatur antecedens, quia veteres illi non dicebant per efficaciam gratiæ perimi libertatem à coactione, quæ naturæ voluntatis repugnat: neque adeò stolidi erant, vt existimarent fieri per gratiam vt voluntas non velit id, quod vult; aut eius volitionem fieri à principio externo, ipsa reluctante quantùm potest: quod esse manifestè impossibile fatentur aduersarij: sed duntaxat volebant gratiam ita mouere voluntatem ad volendum bonum, vt non possit non velle, tametsi lubens, & magno affectu ad illud feratur; vt patet ex D. Augustino epist. 46. & 47. ad Valentinum, & ex libro de gratia & lib. arbit. quem contra monachos Adrumetinos scripsit.

27. Adde quòd idem August. vt liquet ex quatuor primis capitibus eiusdem libri cit. Anselmus lib. de Concordia, aliique Patres qui liberum arbitrium cum efficacia gratiæ conciliare conantur, manifestè loquuntur de libertate à necessitate, non à coactione. Dicunt enim magnam esse difficultatem in explicanda vtriusque concórdia. Atqui nulla prorsus esset, si sufficeret dicere, voluntatem non cogi simpliciter ad actus elicitos, quod est euidenter impossibile, vt agnoscunt ipsi aduersarij, sed necessitari tantùm, & determinari ad bonum, efficaciâ gratiæ. Magna verò in eo est, quomodo gratia efficax ita dominetur voluntati, illámque moueat efficaciter, vt tamen sinat eam se liberè mouere cum potestate indifferenti ad oppositum: præsertim verò in eorum sententia, qui admittunt efficaces prædefinitiones non directas per vsum scientiæ mediæ. Eodem argumento vtitur contra Caluinum Ruardus Tapper articulo 2. vbi post verba relata superiùs numero 24. hæc addit: *Quando apud Augustinum disputatur, an gratia tollat liberum arbitrium, quod credebant monachi Adrumetini, non agitur de arbitrio libero à coactione, quæ naturæ voluntatis repugnat. Non enim ignorare poterant, quòd voluntas externo motu inuita non cogitur: nec inuitam velle, ex doctrina B. Augustini, monachi illi credebant: sed an gratia faciat opera salutis non esse in nostra potestate &c. Nullam enim hæc quæstio de gratia, & libero arbitrio, quam difficillimam dicit Beatus Augustinus, haberet difficultatem, si libertas intelligeretur coactionem excludere solùm, & non necessitatem.*

28. *Probatur 5. de Luthero & Caluino.* Similiter quando Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5. damnauit Lutherum, & Caluinum, aliósque recentes hæreticos, eò quòd libertatem hominibus adimerent; non id fecit, quia tollerent libertatem à coactione, sed quia tollebant libertatem indifferentiæ. Ergo in eorum damnatione inuoluuntur noui Dogmatistæ eandem libertatem negantes. Antecedens patet ex verbis ipsis Tridentini pronunciantis liberum arbitrium non esse extinctum post peccatum Adæ, quia ita cooperatur Deo excitanti, atque vocanti, vt possit dissentire si velit, & diuinæ gratiæ ita liberè cooperatur, vt possit abiicere inspirationem quam recipit: id est, habet potestatem faciendi oppositum: siue, vt ait Concilium Senonense cap. 15. Non est tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit, ideóque non præiudicat libero arbitrio. Probatur secundò, quia ex ipsorummet hæreticorum verbis, manifestum est eos non negasse libertatem à coactione, sed à necessitate. Quare bruta & inania essent anathemata Tridentini, locis suprà citatis, si eos damnaret, quasi tollerent libertatem à coactione. Antecedens patet ex verbis expressis Caluini, Lutheri, & Buceri suprà relatis num. 11. Quibus adde quod ait Zanchius insignis Lutheranus lib. 1. Tract. Theologic. cap. 6. Thesi 1. *Licèt*, inquit, *homo post lapsum factus sit seruus peccati, atque necessariò peccet, nec possit non peccare, non ideò tamen omnem libertatem amisit, cùm eius voluntas non amiserit eam libertatem, quæ à coactione dicitur.* Et aliquantò pòst: *Necessariò enim voluntas peccat dum est serua peccati. Coacta tamen non peccat: quia non inuita, sed volens sponte & vltro peccat. Peccat enim non violentâ coactione, sed propensissimâ animi affectione; non ab extrinseco principio coacta: sed à propria libidinis motu, & naturæ prauitate necessariò acta.* Ibidémque probat voluntatem cum Dei gratia liberè agere, tametsi necessariò: quia libertati non repugnat necessitas, sed coactio. Et Caluinus in Antidoto Trident. ad can. 5. sess. 6. concessâ libertate coactionis, addit; *Quia Tridentini nomine liberi arbitrij intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in vtramque partem soluta: qui illud dixerit esse titulum sine re, Christum habet auctorem & Augustinum.*

Vbi præterea vide non esse solùm quæstionem de nomine liberi arbitrij inter Tridentinum, & recentes hæreticos; quasi isti retentâ verâ Ecclesiæ doctrinâ, nomen tantùm negent, & aliter atque oportet, loquantur. Quod si ita esset, Tridentinum non eos absolutè damnasset, tanquam negantes liberum arbitrium: sed dixisset abuti voce, & verbo tantùm dissentire à doctrina Catholica; vt sic faciliùs eos ad illam reuocaret, quæ præcipua erat intentio Concilij. Estque manifestum ex eorum scriptis, non repudiare ipsos nomen liberi arbitrij, dummodo de libertate à coactione intelligatur: vt patet ex eodem Caluino lib. 2. Institut. cap. 2. num. 7. initio. *Liberi*, inquit, *arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem: sed quia malè voluntate agit, non coactione*; Et Chamierius nobilis Caluinista tom. 3. lib. 2. cap. 8. num. 21. *Retineatur sanè*, inquit, *non tantùm liberum arbitrium Latinorum, sed etiam τὸ αὐτεξούσιον Græcorum, ne inutili logomachia tempus teramus, dum nihil aliud significetur:* supple, nisi libertas à coactione. Et Petrus Molinæus in Clypeo fidei ad artic. 9. *Non auferi-* 29.

mus, inquit, *ab hominibus libertatem voluntatis. Filij Dei volentes bene agunt & non coactè. Necessitas ad peccandum non repugnat libertati, sed coactio.* Et denique vniuersa Synodus Dordrectana pag. 706. *Libertas*, inquit, *non pugnat cum omni necessitate, & determinatione: sed cum determinatione violentiæ, & coactionis.* Idémque loquuntur, & sentiunt Lutherani, vt Oecolampad. Petrus Martyr, & alij locis infrà citandis.

30. Ex his omnibus concludo manifestum esse, quod probandum suscepimus, veteres ac recentes hæreticos damnatos fuisse ab Ecclesia propter eundem errorem circa liberum arbitrium, quem noui Dogmatistæ pro dogmate Catholico ex doctrina B. Augustini deprompto, importunè & inuerecundè obtrudunt. Pudeat igitur homines sanæ mentis istis hæresum recoctoribus assentiri.

SECTIO VI.

Refutantur effugia nouorum Dogmatistarum: & primò circa verba Ecclesiastici cap. 15.

31. VT hæresis infamiam à se repellant noui Dogmatistæ, excogitarunt, seu potiùs ab hæreticis excogitata arripuerunt aliquot effugia, quibus partim argumentorum propositorum vim elidere conantur: partim etiam discrimen aliquod inter hanc suam, & hæreticorum doctrinam assignare. Sed ex dicendis apparebit nihil ipsos proficere; potiúsque cum illis consentire in his omnibus, quæ de libertate veluti noua, & Theologis incognita, suóque labore & assidua lectione operum D. Augustini de tenebris eruta fuisse gloriantur.

32. *Dicunt Ecclesiasticum loqui de statu innocentiæ.* Ac primò, Scripturæ & Patrum testimonia eludunt quidam illorum hoc responso, quòd in illis sermo sit de homine integro qualis à Deo conditus fuit; siue de primo parente, qui in statu innocentiæ indifferentem ad vtramlibet potestatem habuit, & exercuit: non autem de homine lapso, qui vnà cum iustitia originali indifferentiam illam voluntatis amisit. Quod effugium sumpserunt ex Caluino lib. 2. Institut. cap. 5. num. 18. vbi proposito sibi testimonio Ecclesiastici cap. 15. dicentis hominem fuisse relictum in manu consilij sui; antéque illum positam vitam & mortem, bonum & malum: & quodcunque voluerit, ei datum iri: respondet accepisse hominem à sua creatione facultatem adipiscendæ vitæ, aut mortis; sed per peccatum eam perdidisse: & quidquid primæ creationi tribuitur, in vitiatam ac degenerem naturam minimè competere. Similique modo respondent eius sectarij, vt Daniel Chamierius tom. 3. lib. 2. cap. 2. numero 4. & lib. 3. capite 14. numero 18. dicens eo Scripturæ loco sermonem esse de homine, qualis fuit conditus ab initio, & non valere consequentiam à primo hominis statu ad alterum eiusdem corrupti statum, vt Caluinus iam pridem respondit. Simili quoque modo eundem locum Ecclesiastici eludit Iansenius lib. 9. de Gratia Christi Saluatoris, cap. 25. §. *Quod si verò.*

33. Sed hoc effugium vanum esse manifestum est ex verbis ipsis Ecclesiastici, qui certè non alloquebatur Adamum iam à tribus circiter annorum millibus vitâ functum, sed Iudæos tunc viuentes, increpans eos qui dicebant per Deum stare quò minùs ipsi bene sapienterque vitam instituerent. *Refelluntur ex verbis ipsis Ecclesiastici.* *Non dixeris*, inquit, *per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanauit; non enim necessarij sunt ei homines impij.* Tum ostendens quæ sit malæ vitæ origo, & vitiorum causa, nimirum hominis voluntas, quam Deus liberam creauit, vt pro arbitrio possit bonum, aut malum eligere; subiicit: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te: Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ verba, *Si volueris &c. Apposuit tibi aquam & ignem*, manifestè diriguntur ad homines viuentes: & non ad solum Adamum longè antea mortuum. Illa quoque, *Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi*; non de vnico Adamo, vel Eua prolata sunt, in quorum optione non est ampliùs vita & mors, bonum & malum; & quod placuerit eis dabitur illis: sed generaliter de omnibus viuentibus rationéque vtentibus, ante quos bonum & malum proponitur, intelligenda sunt.

Confirmatur: quia Ecclesiasticus sine dubio alludit ad verba Mosis Deuteron. 30. ver. 15. *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius, & viuas.* 34. *Et ex Deuteron. Patrúmque interpretatione.* Atqui euidens est Mosem ibi loqui non Adamo innocenti, sed posteris eius post lapsum, id est, Iudæis tunc præsentibus, & audientibus. Ergo Ecclesiasticus loquitur similiter Iudæis præsentibus, & in statu naturæ lapsæ existentibus. Atque ita hunc locum Ecclesiastici intelligunt, & ex eo probant liberum in nobis arbitrium manere post peccatum originale, Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 71. Origenes lib. 1. in epist. ad Rom. Basilius homilia in Psalm. 61. Chrysost. serm. 2. de fato seu de prouidentia, Anastasius Nicænus quæst. in Script. q. 59. Damascenus lib. 1. Parallelorum cap. 9. Tertullian. lib. de exhortatione ad Castitatem cap. 2. & lib. 2. contra Marcionem capite quinto, Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. Augustinus lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 2. Gaudentius Brixianus tract. 13. de Natali Domini, D. Thom. 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. & q. 83. art. 1. §. *Sed contrà*, & in corpore. Et lib. 3. contra Gentes cap. 73. Et q. 24. de veritate artic. 1. Concilium Senonense in decretis fidei, decreto 15. Plura circa huius loci expositionem & effugij supradicti refutationem videri possunt apud Bellarminum lib. 5. de Gratia, & libero arbitrio cap. 24. & pluribus sequentibus, Suarem tom. de Gratia proleg. 4. cap. 7. & Didacum Ruis tota disput. 39. de Scientia Dei.

Alia quoque loca Scripturæ pro libertate arbitrij relata disput. 3. sect. 2. tam perspicuè loquuntur de statu naturæ lapsæ, vt id maiori probatione non egeat. 35. *Et ex aliis Scripturæ locis.* Nam illud Genesis 4. ver. 7. *Nónne si bene egeris, recipies? &c.* manifestè

festè dicebatur Caïno diu post lapsum Adami. Et illud Deuteron. 30. ver. 19. *Testes inuoco cælum & terram, quòd proposuerim vobis hodie vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, &c.* euidenter dicebatur, Iudæis præsentibus, quibus Moyses loquebatur, quósque ad boni præ malo electionem hortabatur. Et illud Iosue vltimo, ver. 15. *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, &c.* euidentissimè dicebatur Israëlitis præsentibus, quos vir ille sanctus morti propinquus ad retinendam fidem auitam, pietatémque erga Deum inducebat. Et illud Ecclesiastici 31. ver. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* dicitur generaliter de iustis, Dei mandata seruātibus. Et illud 1. Corinth. 7. ver. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis*, dicitur de Corinthiis, & aliis virgines suas innuptas seruare volentibus. Et illud 2. Corinth. 9. ver. 7. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate*; dicebatur eisdem Corinthiis, quos Apostolus hortabatur ad eleemosynam liberaliter hilaritérque largiendam, & sic de aliis.

36. *Disput. 3. sect. 1. Et communi Patrum consensu.* Patres etiam Græci, & Latini, sect. suprà cit. relati, tam apertè loquuntur de hominibus in hoc statu; vt in eo confirmando immorari superuacaneum sit. Idque agnoscunt ipsimet hæretici; Caluinus lib. 2. Instit. cap. 2. num. 4. & Matthias Illyricus Centuria 2. cap. 4. colum. 59. quorum verba retulimus num. 23. patebítque ampliùs ex dicendis inferiùs tribus sequentibus disputationibus, vbi de mente D. Augustini, aliorúmque Sanctorum Patrum disputabitur: ostendetúrque valde inconsultò ab aduersario productos illos fuisse tanquam suo fauentes dogmati, à quo penitus abhorrent, & cui apertè contradicunt illis ipsis locis, quos sibi maximè fauere existimauit. Cùm autem toties hanc esse puram putam Augustini doctrinam inculcat, in quo legendo & vero eius sensu inuestigando, plusquam 20. annos insumpserit; planè Lutherum & Caluinum imitatur, qui, vt ex ipsorum verbis retulimus disp. 1. sect. 5. num. 48. & seqq. non minùs gloriabantur Augustinum totum suum esse, séque in illius lectione diutissimè versatos esse, verúmque ipsius sensum assecutos. Sed hac de re fusiùs alibi. Nunc verò vt ad propositum redeamus, alia eorum effugia, nihilo meliora, referenda nobis & expendenda sunt.

SECTIO VII.

Refutatur alterum effugium circa eadem verba Ecclesiastici.

37. *Expositio Iansenij.* ALITER locum suprà citatum Ecclesiastici 15. eludit Iansenius cap. 34. libri 6. de Gratia Christi Saluat. vbi fatetur quidem Scripturam verbis illis, *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Fatetur, inquam, Scripturā his verbis satis explicare quid sit esse in manu sui consilij, cùm dicit hominem, si voluerit, mandata seruare; & consequenter non seruare, si noluerit: rursúmque ex duobus oppositis vitā & morte, bono & malo, eligere posse quod placuerit: ac proinde esse in homine libertatem & contrarietatis, & contradictionis, & non solam libertatem à coactione. Idem etiam conuincere omnia mandata, quibus aliquid vel iubetur, vel vetatur: significant enim hominem ad vtrumuis posse flecti: ad bonum, ad malum; ad agendum, ad abstinendum. Quibus consentanea, inquit, Patres omnes clamant, iudicantes passim homines posse quæ iubentur facere & non facere, vt visum fuerit: *& habere*, vt ait Nazianzenus, *in vtramque partem liberi arbitrij motum:* neque Deum homini *necessitatem*, vt ait Hilarius, *in alterutrum affigere.* Addit denique hoc argumentum esse verissimum, ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo, & ceteris non solùm admissum; sed velut Catholicæ fidei immobilem basim aduersus Manichæos, aliásque pestes, veritatis & libertatis inimicas, inuictissimè defensum fuisse, ac defendi debere. *Nazianz. in Apolog. Hilar. in Psal. 2.*

38. *Inepta sint elusio.* Sed contendit nihil hęc ad propositum facere. Quia, inquit, Scripturæ istæ, ac similes de viatorum hominum libertate loquuntur. Illi quippe sunt quibus præcipitur bonum, & vetatur malum; & quibus apponūtur ignis & aqua, vita & mors: quíque parem in vtramque partem habent volūtatis motum: ac denique possunt præcepta facere vel non facere, seruare vel transgredi. Verùm sicut ex istiusmodi Scripturæ testimoniis perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret: ergo Angeli, ergo beati homines, ergo dæmones libertatis expertes sunt: ergo ipse Christus Dominus, dum in via ad patriam tenderet, libertate caruit: cùm neque Beati peccare, neque Christus Dominus præcepta transgredi possit, aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec dæmones bonum: ita neque rectè concluditur actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem non esse liberum. Nam inter actum liberum, & statum libertatis magna est differentia: & aliter Deus, aliter Angeli viatores, & primus homo, aliter Beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus in via constitutus fuit liber: quęque sunt aut requiruntur in vno statu libertatis, non debent extendi ad alium. Itaque hominum viatorū non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad vtrumque indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino, & Patribus, & Catholica fide fatendum est. Sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrij libertatē iidem Patres pernegarent. Nec quisquam dixerit hominem viatorem priuatum iri libertate, si eius voluntatem Deus ita firmaret in bono, vt non minùs inflexibilis ad malum esset, quàm voluntas Beatorum. Aliunde igitur quàm ex natura libertatis oritur indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum. Quæ indifferentia non est causa vel ratio libertatis, sed tantùm illius indicium certissimum in rationali creatura: potéstque adesse vel abesse sine eius dispendio, vt in Deo manifestum est, qui est liberrimus, & tamen nec malum eligere, nec ab eligendo bono quod ab æternitate sibi eligendum præfixit, vllâ mutatione desistere potest. Quare si Deus communicaret creaturæ per gratiam similem immutabilitatem, & firmitatem adhæsionis ad bo-

num; non propterea desineret illa esse libera, sed potiùs tantò liberior foret, quantò Deo similior. Quapropter liberum arbitrium in omnibus siue Beatis, siue damnatis, siue viatoribus, siue Deo, siue creaturâ, vniformem libertatis rationem obtinet, etsi difformem statum. Nam in Deo per naturæ constantiam, in Beatis per gratiæ beneficium ad bonum semper determinatum est: in dæmonibus ad malum: in Christo quoque ad malum flecti non potuit: cùm tamen nihil illis detractum fuerit ad libertatem arbitrij necessarium. At verò in Angelis, & primo homine fuit indifferens ad bonum & malum: & adhuc est in homine lapso, sed multò minùs, quippe qui videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem sub lege peccati. Ita fit vt liberum arbitrium pro naturæ cuiusque, vel ordinis diuinitus instituti, vel meritorum diuersitate, diuersum statum sortiatur, in quo ad diuersa actionum genera potens, promptum, & expeditum fiat, citra tamen vllam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem. Eadem quippe ratio libertatis in omnibus istis actuum, & cessationum generibus dominatur: siue voluntas ita in alteram partem fixa sit, vt non possit velle nisi vel tantùm bonum, vel tantùm malum: vel ita indifferens, vt adhuc in alteram partem flecti queat. Hoc est enim in omnibus liberum, *quod habent in sua potestate*, hoc est, *quod fit cùm volunt*. Quamobrem, inquit, quando Scripturæ, vel Patres, vel Concilia indifferentiam illam agendi boni & mali, & arbitrij flexibilitatem ad vtramlibet partem vrgent, aut indicant, aut prouocant, per quam videlicet possimus, si volumus, bene vel malè viuere, velle vel nolle diuinæ inspirationi liberè consentire, eámque abiicere, Deo vocanti consentire vel dissentire: certum liberi arbitrij statum respiciunt, cui huiusmodi flexibilitas propria & semper præsto est: non autem quasi continuò non esset liberum quidquid huiusmodi in vtrumlibet potestate caret. Huc vsque Iansenius.

39. *Probatur Ecclesiasticum loqui de libertate indifferentia.*

Contra quæ dico primò, locum illum Ecclesiastici proferri à Catholicis contra errorem Lutheri, & Caluini (quos Iansenius sequi maluit) vt ex eo probent non periisse per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, sed esse in eorum potestate bene vel malè viuere, præcepta seruare & non seruare, virtutem aut vitium, vitam aut mortem eligere. Non potest autem nisi ineptissimè dici nihil hoc ad tale propositum facere: cùm tam euidens sit Ecclesiasticum loqui de libertate indifferentiæ ad eligendum bonum vel malum, vt vel ipse Caluinus id fateri coactus sit lib. 2. Institut. cap. 5. num. 18. Quid enim aliud sibi vult, *Reliquit hominem in manu consilij sui, Apponet tibi aquam & ignem, ad quodcunque volueris porrige manum tuam?* Potéstne dici esse relictus in manu consilij sui ille, qui ex antecedenti necessitate adigitur ad volendum & agendum quidquid vult & facit: quíque non potest nisi illud vnum ad quod insuperabili necessitate adactus est? Ad quid consilium, aut consultatio, vbi est antecedens ad vnum determinatio, & & necessitas illud vnum agendi? Ideóque meritò D. Thomas 1. 2. q. 14. art. 3. Damascenus lib. 2. de fide cap. 26. & Nemesius lib. de natura hominis cap. 34. dicunt consilium non esse de necessariis, sed de contingentibus singularibus, & consilium de eo tantùm esse, quod idem possumus & eius oppositum. Potéstne etiam verè dici propositis aquâ & igne, id est, bono & malo, *ad quod volueris extende manum tuam*, illi qui caret indifferentia ad vtrumlibet, seu potestate alterutrum eligendi vt voluerit, seu prout libuerit, sed ex necessitate ad vnum illorum adstrictus est, impoténsque ad alterum? Potéstne denique rectè dici quod sequitur, *Ante hominem vita & mors: quod placuerit ei, dabitur illi:* si non est in eius potestate alterutrum eligere prout maluerit, sed ineuitabili necessitate mortem subire adigitur. Quis non rideret hominem, qui reo ad mortem damnato irreuocabiliter, & mox in ignem coniiciendo diceret, ante te vita & mors, ignis & aqua: quod placuerit è duobus, dabitur tibi? Quapropter D. Aug. lib. de Gratia & lib. arbitr. cap. 2. ex eodem loco Ecclesiastici argumentatur contra Monachos Adrumetinos, ad eundem finem, propter quem Theologi illum vrgent contra Lutherum, & Caluinum; vt illis ostendat manere in hominibus lapsis libertatem indifferentiæ, illiúsque vsum non impediri per gratiam, vt perperam illi existimabant.

Dico secundò, Non adeò ignaros, aut stupidos esse Theologos, vt velint ex hoc Ecclesiastici loco inferre neminem esse liberum, qui non habeat libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, & consequenter neque Deum, neque Christum, neque Angelos, aut homines beatos, esse liberos, quia non habet potestatem indifferentem circa bonum & malum: sed dicunt Ecclesiasticū loqui de hominibus viatoribus, quod fatetur Iansenius: id est, de libertate eorum propria, quam Ecclesiasticus verbis suprà relatis expressit, docuítque sitam esse in potestate indifferētiæ ad bonum & malum, ignem & aquam vitam aut mortem eligendam. Quam ob causam D. Augustinus loco suprà citato verbis iisdem relatis exclamat: *Ecce apertissimè videmus expressum humanæ voluntatis arbitrium:* quale nimirum est in hominibus viatoribus. Sciunt autem, & expressè docent, quod & nos paulò fusiùs exponemus disputatione sequenti sect. 7. libertatem indifferentiæ secundùm conceptum generalissimum, abstractum à Deo & à creaturis, & tam à Beatis quàm à viatoribus, non consistere in huiusmodi potestate indifferenti circa bonum & malum: sed in potestate ad agendum vel non agendum, quæ dicitur libertas contradictionis, siue exercitij: vel ad hoc potiùs quàm illud volendum, quæ dicitur libertas contrarietatis, aut specificationis. Quæ vtraque potestas conuenit omnibus agentibus liberis in quocunque sint statu, ita vt eatenus tantùm sint liberi, & circa illos actus, vel obiecta, in quibus, aut circa quæ possunt huiusmodi potestatem indifferentiæ exercere. Atque ita Deus liber est, non quidem ad malè quidquam agendum, aut omittendum, vel desistendum à sui amore: quia ad hoc agendum, aut omittendū non habet libertatem indifferentię: sed tantùm est liber ad ea omnia, quæ potest velle, aut non velle, aut loco illorum velle diuersa, aut opposita: putà ad mundum creandum vel non creandum, ad hæc aut illa beneficia conferēda hominibus vel non conferenda, vel alia loco istorum elargienda. Sic

40. *Libertas non est in omnibus eiusdem speciei.*

militérque Christus, & Angeli, hominésque Beati non sunt liberi ad cessandum ab amore beatifico, ad quem necessitantur per claram Dei visionem; neque ad peccandum, volendúmque aut faciendum aliquid indecens, & indignum eorum sanctitate: sed tantùm ad ea, quę sine peccato & indecentia possunt velle aut non velle, aut eorum loco velle aliquid aliud: vt ad orandum, vel non orandum pro hoc aut illo: ad tale beneficium vel aliud diuersum à Deo postulandum, & similia. At verò puri viatores, quia sunt vlteriùs indifferentes ad bonum vel malum eligendum, & ad peccandum, vel non peccandum; sunt etiam eatenus liberi, & rationem aliquam seu partem suæ libertatis exercent, quando ita peccant, vt possint non peccare; id est, quando volunt quod non possunt licitè velle, & à quo possunt aut debent abstinere; & quando omittunt velle aliquid, quod tenentur & possunt velle.

41. *Qualis sit libertas viatorum?* In casu autem quo Deus ita firmaret aliquem viatorem in bono, vt malum velle non posset, neque minùs ad illud esset inflexibilis, quàm voluntas Beatorum: retineret ille quidem libertatem ad ea facienda vel omittenda, quæ sine peccato facere vel omittere posset; qualem habent Beati: sed non haberet similem libertati viatorum, qui non solùm habent talem indifferentiam peccandi incapacem, sed vlteriùs flexibilem & indifferentem ad malum. Quæ flexibilitas & indifferentia est ratio quædam specifica libertatis propriæ viatorum, contrahens ad illos rationem genericam libertatis abstractiùs sumptæ, & communis Deo, & Angelis, hominibusque Beatis, ipsique Christo Domino: potéstque adesse vel abesse, saluo illo conceptu generico libertatis. Et ratio quidem illa generica in omnibus siue Beatis, siue damnatis, siue viatoribus, siue Deo, siue creatura, vniformis est, in eo præcisè consistens, quòd sit potestas indifferentiæ circa ea omnia, circa quæ liberi esse verè dicuntur: sed rationes specificæ, seu differentiæ, per quas ad hos aut illos contrahitur, sunt diuersæ: & alia est ratio specialis libertatis propriæ Dei, aut Christi, & Beatorum: & alia illius, quæ est propria hominum viatorum. Nusquam verò vel in Deo, vel in vlla creatura siue beata, siue in statu viæ posita, extenditur ad ea ad quæ sunt antecedenti necessitate determinati: sed vt rectè ait S. Thom. 1. p. q. 19. art. 10. Deus habet liberum arbitrium respectu aliorum à se, quæ non necessariò vult: respectu verò sui nullam habet libertatem, cùm se necessariò velit. Liberum enim arbitrium habemus, inquit, respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu: non enim ad liberum arbitrium pertinet quòd velimus esse felices, sed ad naturalem instinctum, &c. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate: respectu illorum quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet. Eandémque ob causam, quia Deus necessariò persistit in retinendo actum libertatis quem habet ab æterno, quia ratione suæ immutabilitatis non potest illum deponere, aut mutare; non est liber ad eum deponendum, aut mutandum: sed eatenus tantùm circa illum liber est, quatenus illum sic habet vt potuerit non habere, aut etiam loco istius habere alium si ab æterno ita voluisset. Similitérque creatura, si per gratiam, vel naturam, non posset desistere ab actu semel liberè suscepto; non foret libera circa illius continuationem, à qua non posset desistere.

Dico tertiò, illudere Iansenium simplicitati lectorum, cùm primò quidem specie tenus fatetur Ecclesiasticum loqui de libertate indifferentiæ circa bonum & malum, quæ est in viatoribus, per quam sunt in manu sui consilij, & possunt si velint seruare aut non seruare mandata: & ex duobus oppositis vitâ & morte, bono & malo eligere quod placuerit: ac proinde esse in homine libertatem & contrarietatis & contradictionis, & non solam libertatem à coactione, sed nimirum etiam à necessitate: addítque illam se libenter fateri, & ab omnibus Catholicis admittendam esse. Postea verò dicens libertatem istam minorem esse in statu naturæ lapsæ, quàm in statu innocentiæ: quia nunc sentiunt homines in membris suis legé repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem eos in lege peccati; subobscurè insinuat id quod apertè dicturus est sequenti lib. 7. cap. 13. indifferentiam illam in eo positam esse, *quòd animus imbecillè, solubiliter & inconstanter rebus adhæreat; ita vt ab vna, quam velut vltimum finem diligit, in alteram, à bono in malum, à malo in bonum possit transilire*: ita tamen vt quotiescunque vult bonum, necessitetur à gratiâ: & quotiescunque vult malum, necessitetur à concupiscentia: vt passim docet lib. 3. de statu naturæ lapsæ, & lib. 2. de Gratia Christi Saluat. aliísque locis. Hoc enim est pro libertate indifferentiæ, quam apertissimè expressit Ecclesiasticus, teste D. Augustino, obtrudere Lutheranam vertibilitatem, de qua dicemus sectione sequenti, siue inconstantiam voluntatis, quæ modò potest velle bonum, postea malum, sed vtrumque necessariò. Hoc, inquam, est dicere hominem non esse relictum in manu sui consilij; sed esse positum in manu necessitatis, & vel seruire dominio gratiæ necessitantis, quando bonum vult, vel dominio concupiscentiæ, quando malum. Hoc denique non est dicere hominem extendere posse manum ad ignem vel aquam, ad bonum vel malum, prout vult: & vitam aut mortem illi obuenire prout ei placuerit: sed necessitate velle & amplecti bonum & vitam, si præuenitur gratia: malum autem & mortem, si abest gratia: Neque verò Adrumetini, contra quos hunc locum vrget Augustinus cap. suprà cit. negabant arbitrium esse hoc sensu liberum, seu potiùs vertibile: sed volebant non esse indifferens ad bonum volendum, & non posse illud non velle eo ipso tempore quo illud vult: quia putabant gratiam inferre illi necessitatem volendi. Supponit ergo D. Augustinus Ecclesiasticum non loqui de illa vertibilitate successiua; sed de huiusmodi indifferentia, quâ ita consentimus gratiæ, vt possimus non consentire hîc & nunc; & ita peccamus, vt possimus non peccare. Hoc etiam est quod iuxta communem & vsitatum loquendi modum dicimur habere in potestate, & facere si volumus, non facere si nolumus: vt patebit ampliùs ex dicendis sequenti disputatione sect. 3. & 4. vbi etiam refutabuntur quæ hac de re addit Iansenius sequenti cap. 35.

42. *Ostenditur Ecclesiasticum non loqui de vertibilitate successiua.*

SECTIO VIII.

Refellitur tertium effugium de mutabilitate voluntatis.

43. *Doctrina Ianfenij de vertibilitate arbitrij.* SCRIPTVRÆ & Patrum testimoniis conuicti Dogmatistæ, coactíque fateri esse adhuc in homine post lapsum Adami libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum: respondent secundò, Scripturam loqui de libertate hominum secundùm statum huius vitæ: illíque tribuere aliquam indifferentiam: sed illam nihil esse aliud, nisi mutabilitatem & vertibilitatem arbitrij, siue instabilitatem & inconstantiam voluntatis, quâ homo in statu vitæ præsentis modò vult malum, premente concupiscentiâ, modò vult bonum dominante gratiâ: & tametsi necessariò velit malum pressus concupiscentiâ; retinet tamen potestatem volendi bonum præsente gratiâ: similitérque, licèt velit necessariò bonum motus à gratia, retinet tamen potestatem volendi malum, quando aberit gratia, & mouebit concupiscentia. Quæ potestas est naturalis ipsa voluntas hominis, non perdita per peccatum, neque affixa immutabiliter bono, vt voluntas Dei, & Beatorum; vel malo, vt voluntas dæmonum, & damnatorum: sed est flexibilis ad vtrumque; & reipsa nunc flectitur in bonum per gratiam, nunc in malum per concupiscentiam.

44. *Sumpta est à Luthero.* Hoc effugium sumptum est ex Luthero in libro de seruo arbitrio folio 476. vbi reiectâ libertatis indifferentiâ, *quam*, inquit, *Papistarum, & Pelagianorum Schola profitetur*, admittit vertibilitatem, & mutabilitatem arbitrij, eóque sensu liberum dici permittit; *quamuis*, inquit, *rectius vertibile, vel mutabile arbitrium diceretur, quàm liberum.* Et paulò antè, folio 468. dixerat humanam voluntatem in medio positam esse, *ceu iumentum. Si insederit Satan, vult & vadit quò vult Satan.* Quæ imaginatio, & comparatio tam eleganter expressa, Lutheri sanè ingenio digna est, meritóque laudata insigniter à Petro Martyre in loco *de libero arbitrio*, pag. 974. Idem cum Luthero, ciúsque Partiariis sentiunt Caluinistæ; neque enim quisquam illorum negat, quod ipsâ experientiâ quotidianâ notissimum est, voluntatem hac in vita esse hoc sensu liberam, seu vertibilem; & posse bene vel malè agere, prout mouetur à gratia, vel à concupiscentia: cúmque bene agit necessitata vi gratiæ (vt ipsi existimant) retinere facultatem non bene agendi, absente gratia; maléque agendi, premente concupiscentiâ. *Non sufficit ad vitandam condemnationem Ecclesiæ.* Stoici quoque, Marcionistæ, Manichæi, Astrologi, Priscillianistæ, Wiclefistæ, aliíque veteres hæretici non negabant homines esse vertibilis arbitrij, & quandoque bene, quandoque malè agere, prout Dei præscientia, vel fatum, seu positio syderum, vel aliæ causæ necessitantes ferebant. Qui omnes cùm nihilominus fuerint ab Ecclesia damnati, eò quòd negarent liberum arbitrium; manifestè ex eo patet non sufficere quòd arbitrium sit vertibile, vt in sensu Catholico, & semper ab Ecclesia retento dicatur esse liberum. Sic enim argumentor: Veteres illi & recentes hæretici damnati fuerunt ab Ecclesia velut euersores liberi arbitrij, eò quòd inducerent necessitatem antecedentem voluntatis in bene vel malè operando, tametsi non negarent successiuam vertibilitatem. Ergo non sufficit Dogmatistis, vt euadant Ecclesiæ condemnationem, admittere illam vertibilitatem, inducendo necessitatem antecedentem operandi, sicut reipsa faciunt.

Adde quòd libertas arbitrij, quam Scriptura, Patres, & Concilia nobis inesse docent circa bonum quod laudabiliter facimus, aut malum quod culpabiliter admittimus, non est illa mutabilitas voluntatis, quâ possit bene vel malè agere successiuè: subiecta in vtroque necessitati illatæ à gratia, vel à concupiscentia: sed facultas quâ potest homo appetitui suo dominari, vt dicitur Genes. 4. ver. 7. Non dominatur autem appetitui peccati seu concupiscentiæ, si necessariò illi subest. Est item facultas quâ homo positus in manu consilij sui, potest bonum aut malum, vitam aut mortē eligere, manúmque suam ad ignem vel ad aquam extendere prout voluerit, vt dicitur Ecclesiastici 15. ver. 14. eligeréque è duobus alterutrum, vt dicitur Deuteron. 30. ver. 19. & Iosuë 24. ver. 15. Non potest autem eligere, qui ad vnum ex necessitate determinatus est. Quâ denique potest peccare, vel non peccare, transgredi Dei mandata, vel non transgredi, Ecclesiastici 31. ver. 10. & sequi Dei vocationem sibi oblatam, aut respuere, Prouerb. 1. ver. 24. & in quam velit partem inclinare iudicium suum, quámve probauerit, eligere viam; vnde cōstat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem, vt ait Clemens Rom. epist. 3. Eos qui operantur bonum, percipere gloriam & honorem, quoniam operari sunt bonum, cùm possent non operari illud: qui autem illud non operantur, iustum Dei iudicium recipere, quoniam non operati sunt bonum, cùm possent operari illud, inquit Irenæus l. 4. aduers. hær. c. 71. Sui arbitrij esse animam, & in quam voluerit partem, liberum illi esse declinare, vt ait Origenes homil. 20. in Numeros. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam esse, iuxta illud Deuteron. *Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum; Elige vitam vt viuas*, inquit Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 1. num. 52. Animam liberam esse, & sui arbitrij, quia potest vt ad bona se inclinare, ita & auersari, & in vtramque partem membris corporeis vti, inquit Athanasius oratione contra Idola. Deum vnicuique nostrûm libertatem vitæ, sensúsque permisisse, non necessitatem in alterutrum affixisse, inquit Hilarius in Psalm. 2. ad versum illum, *Tunc loquetur ad eos in ira sua:* & vnicuique ad id quod volet, viam esse propositam, viuendi & appetendi, atque agendi permissam libertatem: atque ob id vniuscuiusque electionem pœna aut præmiis affici, vt idem addit in Psal. 118. lit. Tau. Animam solutam ab omni necessitate, potestatem habere adhærendi bono, vel ab eo deflectēdi, inquit Basilius in oratione, *Quòd Deus non sit auctor malorum:* & quæ ad vitam instituēdam eligenda sunt, probare nos per liberum arbitrium, quod Scriptura staterā nominauit, quia momentum æquale ad vtrumlibet potest capere, vt addit in Psal. 61. circa illa verba, *Mendaces filij hominum in stateris.* Virtutem nostram per voluntatem, liberique arbitrij in vtramque partem agitationes excoli, inquit Gregor. Nazianz. Apologet. orat. 1. Nos seruili

45. *Neque est libertas quam Scriptura & Ecclesia docet.*

Et quam tradunt sancti Patres.

ad obediendum necessitate non constringi, sed voluntate arbitrâ siue ad virtutem propendere, siue ad culpam inclinari; & ideò libero affectu ad errorem trahi, vel ab eo per rationem reuocari, inquit Ambrosius lib. 1. de vita beata cap. 1. In nostra positum esse potestate vel peccare, vel non peccare; vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium, inquit Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos. Et, liberi arbitrij nos à Deo fuisse conditos, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahi; alioquin vbi necessitas est, nec damnatio nec corona est, vt idem addit libro secundo contra Iouinianum, capite secundo. Et, vitia, atque virtutes ex vno cordis fonte procedere, dum ex arbitrij libertate in vtramque partem, vt volumus, declinamus, vt idem habet in caput 1. Malachiæ. Manifestum esse quemuis suâ voluntate, vel virtutem, vel malitiam eligere; inquit Chrysostomus homil. 22. in Genesim. Neque minùs perspicuum esse, quod in nobis situm est, vt vel obtemperemus, vel non obtemperemus diaboli insidiis, nullámque necessitatem nos ab illo pati, vt addit homil. 2. de Lazaro. Habere vnumquemque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, vt sit arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, vt sit arbor mala, inquit Augustinus libro secundo de Actis cum Felice Manichæo, capite quarto. Et in cuiusque arbitrio Deum posuisse cui parêt locum, Deo an diabolo, vt addit homil. 16. ex 50. Et motum qui naturâ vel necessitate existit, culpabilem esse nullo modo posse: ac sine peccato esse voluntatem cui ceditur, quando non potest resisti, vt ait lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. & 18. & lib. de natura & gratia cap. 67. vbi idem repetit & approbat.

46. *Expenduntur eorum verba.* Quæ & alia plurima his similia Sanctorum Patrum testimonia manifestè significant voluntatem non solùm posse successiuè modò bene, modò malè agere: verùm etiam tunc cùm bene agit, posse loco bonæ actionis malam eligere: & si bene agit, obtemperátque gratiæ & vocationi diuinæ, non id facere ex necessitate, sed ex electione: cum potestate scilicet ad non faciendum, & ad resistendum si velit: alioqui enim qui ad vnum necessitatur, & non potest nisi vnum, non habet facultatem eligendi alterutrum. Similitérque quando malè vult, obtemperátque diaboli suggestionibus, aut stimulis concupiscentiæ, aliisque peccandi occasionibus, non id facere necessariò, sed voluntaria electione, posséque resistere si velit, & alioqui non peccare culpabiliter. Notandum est etiam, Clementem, Cyprianum, Athanasium, Hilarium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, & Augustinum locis citatis, liberi arbitrij naturam explicare non per illam vertibilitatem successiuam, necessitate semper dominante voluntati, nunc vi gratiæ, nunc vi concupiscentiæ, vt volunt aduersarij: sed per hoc quòd homo possit, quam probauerit, eligere viam, vt loquitur Clemens Romanus. In quam voluerit partem declinare, vt ait Origenes. Eligere vt credat, aut non credat, & bonum aut malum sequatur, vt ait Cyprianus. Posse ad bona se incliuare, vel auersari, & in vtramque partem membris corporeis vti, vt loquitur Athanasius. Non esse affixum necessitati in alterutrum, sed libertati suæ permissum, vt ait Hilarius. Momentum æquale ad vtrumlibet capere instar stateræ, vt ait Basilius. Per agitationes in vtramque partem virtutes excolere, vt ait Nazianzenus. Non seruili necessitate ad obediendum constringi, sed in vtramque partem declinare, vt volumus, inquit Hieronymus. Nullam pati necessitatem à diabolo, sed in nobis situm esse vt obtemperemus eius insidiis, quemadmodum ait Chrysostomus. Et denique non esse culpabiles motus qui naturâ vel necessitate fierent, & quibus non posset resisti, vt ait Augustinus. Quibus omnibus nihil clarius & expressius dici potest contra errorem quem refutamus.

Neque minùs apertè repugnat ille definitionibus Conciliorum suprà relatis. Euidens enim est libertatem arbitrij non ab illis constitui in vertibilitate, quæ successiuè modò bene agat, necessitante gratiâ, modò malè, necessitante concupiscentiâ: sed in libera facultate malè agendi etiã tunc cùm bene agitur, aut bene agendi quando malè agitur, stantibus licèt iisdem antecedentibus; id est, eligendi, & exercẽdi malam actionem loco bonæ, aut bonam loco malæ: & dissentiendi vocationi diuinæ, quando illi assentit; aut è contrario assentiendi quando dissentit. Id enim clarè docet Concilium Senonense Decreto 15. dicens gratiam auxiliantem non præiudicare libero arbitrio, quia *non est tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Potest ergo resistere illi ipsi auxilio cui assentit: atque ita potest assentire, & dissentire in sensu composito cum auxilio. Et Enchiridion Concilij Coloniensis cap. de Sacramento Pœnitentiæ, dicit situm esse in hominis voluntate vt gratiam Dei oblatam vel accipiat, vel repudiet; Deóque præuenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitãti det, aut deneget consensum; velit, aut nolit pœnitere: quia per casum primi hominis non sumus libertate priuati. Et Trident. sess. 6. cap. 5. ex eo probat aut declarat hominem liberè assentiri, & cooperari Dei gratiæ, quia tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, ita illam recipit, vt abiicere possit. Et can. 4. anathematizat eum qui dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit. Vbi vides vtroque loco liberam arbitrij cooperationẽ explicari per hoc quòd possit voluntas dissentire illi ipsi auxilio, cui consentit; adeóque possit, etiam prout coniuncta cum auxilio, assentiri, & dissentire: assentiri quidem, quia reipsa assentitur, & sequitur inspirationem, vt supponimus cum Tridentino: dissentire autem, quia potest abiicere, seu non sequi, & respuere inspirationem quam recipit, & dissentire Deo excitanti, atque vocanti, vt idem Tridentinum expressè affirmat. 47. *Confirmatur ex Conciliis.*

Et verò, si Concilium diceret tantùm, vt volunt noui Dogmatistæ, liberũ arbitrium, tametsi necessariò consentit gratiæ excitanti, posse tamen quando illa subtracta erit, non consentire; brutum esset illius anathema contra Lutherum, & Caluinum, qui id non negant; & valde impropriè loqueretur. Nam propriè & moraliter 48. *Tridentinum docet posse dissentiri gratiæ, cui consentitur, & quando consentitur.*

loquendo, qui dicit voluntatem posse dissentire auxilio, cui consentit; vel ita illi assentiri, vt dissentire possit, si velit; & inspirationem diuinam ita recipere, vt possit illam respuere: planè significat posse tunc, quãdo consentit gratiæ excitãti, eidem negare consensum pro suo arbitrio, & respuere inspirationem quam recipit: vt perspicuè quoque & expresè affirmat Senonense Concilium verbis suprà relatis. Et alioqui non potest verè dissentire gratiæ cui consentit. Dissensus enim, æquè ac consensus, significat respectum ad id cui datur consensus aut dissensus, tanquam oblatum impræsens, & inuitans ad consensum. Itaque iuxta doctrinam aduersariorum non verè potest voluntas dissentire gratiæ sibi oblatæ: nam illi necessariò consentit, & non potest non consentire. Sed tantùm potuit antea, vel poterit aliàs carere actu, quem necessariò nunc elicit; quando scilicet gratia non ad illum mouit, aut mouebit. Quare hæc euasio Iansenij lib. 6. de Gratia Christi cap. 34. & lib. 8. cap. 20. aliisque locis, non satisfacit verbis Concilij, neque illum eius anathemati subtrahit.

49. *Vertibilitas non sufficit ad libertatem.* Denique ad libertatem arbitrij requiritur dominium voluntatis in actum liberè elicitum, vt Scriptura significat Genes. 4. ver. 7. & clariùs Patres suprà citati. At illa vertibilitas Lutherana non facit vt voluntas sit domina sui actus, sed vt semper necessitati subiaceat, modò gratiæ, modò concupiscentiæ; & instar iumenti necessariò vtrique seruiat. Ergo libertas arbitrij non consistit in eiusmodi vertibilitate. Quod ampliùs ex eo patet, quia libertas arbitrij est propria naturæ rationalis, & specialis imago Dei, quâ creaturæ intellectuales præcellunt omnibus aliis: atqui vertibilitas illa communis est brutis, quæ prout hæc aut illa imaginatio prædominatur, modò vigiliam appetunt, modò somnum, modò quietem, posteà motum. Neque dicas bruta non appetere, vt homines, cum perfecta notitia obiecti, finis, & circumstantiarum. Hoc enim verum quidem est: sed si homines aliunde parem necessitatem in agendo patiuntur, habent quidem plus cognitionis, sed non plus libertatis indifferentiæ, & dominij in suos actus: neque magis his aut illis potest id quod agunt, imputari ad pœnam: aut præmium, vt rectè dicunt Hieronymus & Augustinus locis relatis num. 45.

SECTIO IX.

Refutatur quartum effugium, Scripturam, Patres, & Concilia loqui tantùm hypotheticè.

50. *Inepta euasio Iansenij.* RIDICVLVM verò est & prorsus ineptum, quod tertio loco respondent aduersarij, Scripturam affirmantem Genes. 4. Posse hominem dominari appetitui & concupiscentiæ peccati: & Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. definiens hominem gratiâ Dei motum, & excitatum, posse illi dissentire: non loqui absolutè, sed hypotheticè, si homo velit: & hanc hypotheticam non ita esse explicandam, quasi homo possit absolutè, & reipsa dissentire gratiæ excitanti: sed quia velle dissentire gratiæ, & dissentire sunt idem, si vellet dissentire, dissentiret; ideóque bene dicitur posse dissentire, si velit, id est, si dissentiat. Simili cauillo conatus est Lutherus lib. de seruo arbitrio, fol. 480. eludere locum illum Ecclesiastici, *Si volueris mandata seruare, seruabunt te.* Non video, inquit, quomodo istis verbis liberum arbitrium probatur. Est enim verbum coniunctiui modi (si volueris) quod nihil asserit: sicut Dialectici dicunt conditionalem indicatiui modi nihil asserere: vt si diabolus est Deus, meritò adoratur: si asinus volat, asinus habet alas. Similique modo Wicleffus, vt testatur Waldensis lib. 1. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 15. cùm diceret Deum ex necessitate facere, quidquid facit, necessitatum vi suæ præscientiæ; vrgeretúrque his Scripturæ testimoniis, quæ significant Deum posse aliud quàm quod fecit, aut facit: respondebat Deum posse aliud, si velit; & tametsi non potest id velle, posset tamen si vellet, quia potest quidquid facere vult. *Sumpta est ex Luthero.*

51. *Ineptas reddit Concilij & Scripturæ locutiones.* Sed contrà primò, hoc effugium reddit ineptam, & ridiculam Concilij & Scripturæ locutionem, cùm hunc sensum illi affingit. Quid enim opus erat Concilium definire voluntatem posse dissentire, si dissentiat: & contra id negantes anathema iacere? Quasi vel hæretici quos damnat, vel quisquam alius adeò sit hebes, & plumbeus, vt id neget, aut de eo dubitet. Quid etiam opus erat Scripturam id nobis reuelare? Secundò, eodem loquendi modo dici posset Deum posse peccare, si velit: posse seipsum odisse, si velit: posse Beatos ab amore beatifico cessare, si velint: posse voluntatem amare malum quà malum, si velit: & odisse bonum quà bonum, & sub pura ratione boni, si velit. Quas locutiones esse absurdas, & intolerabiles nemo non videt. Probatur autem pares illas esse: quia sicut ex eo quòd velle dissentire gratiæ, est dissentire reipsâ, inferunt aduersarij Scripturam & Concilium affirmando posse homines seruare mandata si velint, obtemperando gratiæ ad seruandum oblatæ, & liberum arbitrium dissentire posse si velit: nihil aliud his verbis affirmare, quàm posse gratiæ dissentire, si dissentiat, tametsi absolutè non potest illi dissentire reipsa: sic quia Deum velle peccare, esset peccare reipsâ; posset eodem sensu dici, Deum posse peccare, si velit, tametsi est illi impossibile peccare. Et quia velle odisse est odisse: posset dici, odium Dei esse ipsi possibile si velit, tametsi est illi absolutè impossibile. Et sic de aliis exemplis allatis. Quin etiam simili modo dici posset infantes, & amentes rationis vsu carentes peccare posse si velint: & lapides ac stipites posse peccare si velint: quia si vellent peccare, peccarent. Tertiò, quando propositio conditionara est de conditione impossibili; id quod dicitur esse possibile sub illa conditione, est simpliciter & absolutè impossibile: neque verè potest enunciari absolutâ propositione esse possibile; sicut in exemplis allatis non potest verè dici absolutè, Deus potest peccare, Deus potest seipsum odisse. Et vt exemplis Lutheri vtar, non potest dici absolutè, *Asinus potest volare; Diabolus potest adorari.* At Scriptura, & Concilium dicunt absolutè hominem posse seruare Dei mandata Deuteron. 30. ver. 11. Matth. 11. versu 28. & 1. Ioan. 5. versu 3. Et liberum arbi-

trium posse dissentire gratiæ excitanti: abiiceréque inspirationem quam recipit, vt absolutè pronunciat Trident. sess. 6. cap. 5. Ergo non est ille sensus Scripturæ & Tridentini Concilij, quem aduersarij perperam illis affingunt.

52. *Confirmatur ex D. Thoma.* Confirmatur ex Diuo Thoma Quodlib. 5. q. 2. art. 4. vbi sic ait: *De quocunque possum dicere quòd homo potest facere si vult, potest etiam dici simpliciter quòd homo potest facere illud.* Et quæst. 16. de malo, articulo 5. respondens 7. argumento, quod huiusmodi erat, *Ista consequentia valet, Possum currere, si volo: ergo possum currere: Sed diabolus potest conuerti ad bonum si vult: ergo diabolus potest conuerti ad bonum.* Dicit consequentiam illam non esse bonam, nisi quando antecedens est possibile. Est autem impossibile diabolum velle conuerti ad bonum: ideóque dici non debet, Potest conuerti.

53 *Et ex communi sensu ac loquendi modo.* Confirmatur secundò, quia Scripturæ verba & Conciliorum debent intelligi, quoad fieri potest, iuxta sensum communem, & vsitatum inter homines loquendi modum. Atqui inter illos communis sensus est, posse reipsâ nos id quod per eiusmodi propositiones conditionales significatur, *Si volueris mandata seruare, seruabunt te: si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, gladius deuorabit vos. Liberum arbitrium potest dissentire gratiæ si velit.* Quare, vt meritò opponit Erasmus Luthero in Diatriba de libero arbitrio, *Ecclesiasticus dicendo, si volueris seruare, significat esse voluntatem homini ad seruandum, & non seruandum. Alioquin quid sonat dicere ad eum qui libertatem non habet, si volueris? Nónne ridiculum est si quis ad cæcum dicat, si volueris videre, inuenies thesaurum? Aut ad surdum, si volueris audire, narrabo tibi bonam historiam?*

54 *Et confessione ipsius aduersarij.* Quando igitur Tridentinum sess. 6. cap. 5. affirmat liberum hominis arbitrium ita cooperari assentiendo Deo excitanti, vt possit dissentire si velit: perspicuè affirmat liberum arbitrium habere potentiam ad vtrumlibet: nempe & ad assentiendum, quandoquidem reipsa assentitur: & ad dissentiendum, quia potest dissentire si velit, abiiceréque inspirationem quam recipit. Certè aduersarius loquens de libertate indifferentiæ, quam fuisse fatetur in statu innocentiæ, non aliter eam exprimit, nisi dicendo potuisse Adamum vti vel non vti gratiâ, prout vellet; potuisse consentire, vel non consentire, si vellet: & ita præceptum Dei non seruâsse, vt seruare potuerit, si voluisset. Quemadmodum videre est tom. 2. lib. de Gratia primi hominis & Angelorum cap. 8. 14. & 15. & tom. 3. libro 2. de Gratia Christi Saluat. cap. 4. 5. 6. 7. & 8. Est igitur ista responsio, seu potiùs maligna cauillatio, supra modum inepta. Præsertim cùm, vt paulò anteà notauimus, idem Concilium cap. 5. eiusdem sess. 6. absolutè dicat, Hominem assentientem Dei vocationi, & gratiæ excitanti, *posse illam abiicere*; non additâ particulâ, *si velit*, in qua vim faciunt, seu potiùs latebras quærunt, & effugium captant aduersarij. Esset enim euidenter falsum, quod ait Tridentinum, posse gratiam excitantem abiici, si illa talis esset naturæ, tantæque efficaciæ, vt non possit illi resisti, necessitétque voluntatem ad consensum, vt affirmat Iansenius.

55 Neque minùs à ratione, & à sensu Tridentini alienum est quod ait lib. 8. de gratia Christi Saluat. cap. 21. aliisque locis, Concilium verbis illis, *posse dissentire si velit*, &, *posse inspirationem abiicere*, noluisse explicare libertatem arbitrij per indifferentiam: quia (inquit) cùm sciret controuerti apud Philosophos vtrum indifferentia sit de conceptu libertatis, prudenter abstinuit à vocibus indifferentiam significantibus; nec vnquã dixit posse vti vel non vti gratiâ, posse consentire vocationi, aut dissentire, posse inspirationem recipere vel respuere: sed semper hanc distinctionem consultò prætermisit: ac denique non alia de causa dixit posse arbitrium dissentire, nisi vt refelleret Lutheranos, & Caluinistas affirmantes voluntatem hominis nihil omnino agere, sed velut inanime quoddam merè passiuè se habere, vt loquitur Tridentin. cit. can 4. contra quem errorem pronunciat voluntatem agere consentiendo, quia sic elicit consensum præsente gratiâ, vt illâ subtractâ dissensum possit elicere per eandem facultatem vitalem, quâ nunc consentit. Vel etiam (quod eódem recidit) Concilium nihil aliud significare intendit, quàm voluntatem habere consensum in sua potestate, esséque illius dominam. Habet autem eo ipso quòd vult consentire quando consentit. Nam, vt ait Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. *Nihil tam est in nostra potestate, quàm ipsa voluntas.* Et quidquid fit quandocunque volumus, & non fit quando nolumus, liberum est. *Inepta euasio.*

Ad cuius euasionis primam partem dico, manifestum esse ex ipsis Concilij verbis sess. 6. cap. 5. voluisse ipsum explicare libertatem arbitrij per indifferentiam, seu potentiam ad opposita. Nam postquam dixit hominem liberè assentiendo, & cooperando, disponere se ad iustificationem; subiungit immediatè pòst ad explicandum quomodo liberè assentiat, & cooperetur, *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest.* Quibus particulis, *ita vt*, &, *quippe qui*, manifestè significat modum quo liberè operatur homo, in eo consistere, quod potest abiicere inspirationem quam recipit, id est, potest recipere vel respuere, vti vel non vti, cõsentire, vel non consentire. Hæc enim disiunctio manifestè continetur æquiualenter in verbis relatis Concilij. Quia cùm dicit hominem recipere inspirationem, sufficienter dicit posse illam recipere; neque necesse fuit illud aliter exprimere, cùm sit per se manifestũ: cùm autem addit, posse illam abiicere, exprimit id de quo solo poterat esse dubitatio, quódque negatur ab aduersariis, & ab hæreticis; hominem scilicet ita eam recipere, vt nihilominus possit eam respuere; & ita ei consentire, vt possit dissentire si velit, quemadmodum ait Concilium cap. 5. & can. 4. sessionis citatæ. 56. *Tridentinum explicat libertatem per indifferentiam.*

Ad secundum respondeo, quando Lutherani & Caluinistæ dicunt liberum arbitrium nihil omnino agere, meréque passiuè se habere, non intelligunt voluntatem non agere penitus, sed pati tantùm & recipere consensum vi gratiæ solius elicitum: id enim falsum esse ostendemus ex ipsorum verbis sectione 12. num. 75. Sed illorum sensus est, voluntatem non agere liberè: eodem loquendi & intelligendi modo, quo dicunt Theologi gratiam diuinæ 57. *Hæretici non negant voluntatem agere.*

illuminationis, & piæ motionis, præuenientem liberum consensum, fieri in nobis sine nobis: id est, non quidem sine nobis vitaliter concurrentibus ad eiusmodi actus voluntatis; sed sine nobis liberè ad eos cooperantibus. Quare vt Tridentinum hunc errorem hæreticorum refelleret, pronunciauit voluntatem liberè consentire, & cooperari: hoc est, ita vt possit abiicere inspirationem quam recipit, & dissentire gratiæ cui consentit: quemadmodum Concilium seipsum exponit.

58. *Quo sensu negant actum esse in nostra potestate?* Ad tertium dico Lutherum, & Caluinum, eorúmque Sectatores non negare voluntatem habere actum in sua potestate, esséque illius dominam, eo sensu quem volunt aduersarij in eo solùm consistere, quòd voluntas velit cùm vult; siue quòd eius actus sit illi voluntarius; quod est inseparabile ab omni actu voluntatis, vt expressè dicunt iidem aduersarij, & per se notum est. Aliud ergo intendit Concilium, quando pronunciat contra Lutherum & Caluinum, liberum arbitrium posse abiicere inspirationem quam recipit, & posse dissentire, si velit. *Quid sit esse dominum sui actus?* Deinde dico voluntatem non esse propriè dominam eius actus, quem elicit ex necessitate; sed eius de quo potest disponere, eliciendo vel non eliciendo vt volet. Nam subesse, & seruire necessitati agendi, non est dominari actioni suæ. Similitérque quod ait Augustinus, Nihil tam situm esse in potestate nostra, quàm ipsam voluntatem, intelligendum est de voluntate, aut volitione libera, de qua disponimus vt volumus: non autem de necessitatâ ad vnum, & cuius actum non possumus impedire. *Et facere si volumus, aut cùm volumus?* Eodémque sensu liberum est nobis quidquid quandocunque volumus, facimus, & cùm nolumus, non facimus: id est, quidquid in nostra est potestate velle, aut nolle; & facere, aut non facere. Nam vt ait idem S. Doctor lib. de Spirit. & lit. cap. 31. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* Et vt fatetur Dogmatistarum coryphæus tom. 3. lib. 6. cap. 35. *Omnibus à natura indita est illa notio, quâ liberum dicitur quod fit cùm volumus, non fit cùm nolumus.* De iis autem quæ necessariò volumus, & facimus, quæque non possumus non velle, & non facere, ille loquendi modus non rectè vsurpatur, facimus hoc cùm volumus, aut si volumus: & non facimus cùm nolumus, aut si nolumus. Ex. gr. Neque Beati de seipsis, neque nos de Beatis dicere possumus, iuxta sensum communem hominum, & vsitatum loquendi modum, amare ipsos Deum quando volunt, & non amare quando nolunt: frui Deo si volunt per gaudium beatificum, & non frui, si nolunt: aut Deum diligere seipsum quando vult, & non diligere quando non vult: vel Patrem æternum generare Filium, & ambos spirare Spiritum sanctum, quando volunt; non generare autem, & non spirare, quando nolunt, aut si nolunt.



SECTIO X.

Refellitur quintum effugium circa Censuram Pij V.

Denique ad Censuram Pij V. & Gregorij XIII. proscribentem has propositiones Michaëlis Baij, *Quod voluntariè fit etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*: &, *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*: Respondet Iansenius cap. 36. libri cit. Primò, incredibile esse voluisse duos Pontifices damnare, vel notare doctrinam tot doctissimorum, & magna ex parte sanctissimorum virorum, quot ipse suo errori patrocinari fingit, sed potiùs illos respectum habuisse ad significationem huius temporis, quo liberum nihil dicitur à Scholasticis, nisi quod fit cum indifferentia saltem contradictionis: quam significationem non ita fuisse à Patribus vsurpatam, ex allegatis, inquit, eorum testimoniis id expressè contestantibus est apertissimum. Idcirco verò vtramque propositionem damnandam censuisse, quia tendebant eò, vt motus illi concupiscentiæ, qui rationem anteuertunt, essent liberi: quod est falsum, & tantùm ab hæreticis assertum in perniciosum humanæ vitæ errorem. 59. *Elusio Iansenij.*

Hoc verò non est respondere, sed nequiter illudere, & summorum Pontificum Censuram superbè damnare: quippe qui loquantur, & censeant iuxta errorem Scholasticorum huius temporis, qui sæpius ipse Pelagianismi notam inurit: non autem iuxta doctrinam orthodoxam Sanctorum Patrum, quam dicit esse expressè, & apertissimè contrariam. Hoc, inquam, est dicere, censuram illam stabilire Scholasticorum errorem, & secundùm illum pronunciare contra duas propositiones veras, & conformes orthodoxæ doctrinæ Patrum: quæ si est expressa, & apertissima, vt ipse ait; non potuit sine crassa, & intolerabili ignorantia latere supradictos Pontifices: nec sine graui errore damnari. Simili modo illudere potuisset Caluinus definitionibus Concilij Tridentini contra suos errores, dicendo Concilium respectum habuisse ad doctrinam Scholasticorum huius temporis de fide, de iustificatione, de libero arbitrio, de bonis operibus, de numero, & efficacia Sacramentorum, de præsentia corporis Christi in Eucharistia, & similibus: non autem ad veram & orthodoxam, Scripturæ & Patrum testimoniis à se allegatis compertam & expressam. 60. *Damnat censuram Sedis Apost.*

Vanum autem est quod secundò respondet, & inanibus coniecturis persuadere nititur, Pontifices prædictos locutos esse de motibus concupiscentiæ indeliberatis: cùm eorum censura nullam ibi de eiusmodi motibus mentionem faciat, sed damnet simpliciter & absolutè, id est, absque vlla restrictione ad huiusmodi motus, has duas propositiones Baij, *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*; &, *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*: quas tamen iisdem ferè terminis, non sine magno Sedis Apostolicæ contemptu, renouauit auctor iste, cùm ita scripsit tom. 3. lib. 6. cap. 6. §. *Doctrina igitur. Necessitas quæ est volunta-* 61. *Quid damnet Censura?*

ria, quâ simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnat libertati. Sola necessitas coactionis adimit libertatem, non necessitas simplex. & cap. 12. *Nihil aliud libero generaliter repugnat, quàm necessitatis illius prementis cogentisque violentia.* Illarum autem propositionum Michaelis Baij genuinus sensus est, vt ex verbis ipsis satis apparet, quòd necessitas non repugnet libertati, sed coactio tantùm, & violentia. Hoc igitur damnatur à Summis Pontificibus: & consequenter damnatur cum illo aduersarius, qui hunc errorem, aliósque plurimos eâdem censurâ damnatos, à Baio accepit, & auctoritate D. Augustini stabilire conatus est.

62. *Notat separatim duos errores Baij.* Quanquam autem verum est errasse præterea Baium in eo quòd existimaret *Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, esse prohibita præcepto Non cōcupisces:* adeóque esse peccata contra eiusmodi præceptum admissa: vt habet eius propositio 48. Et, *concupiscentiam, siue legem membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, esse veram legis inobedientiam:* vt addit proposit. 49. non propterea existimandum est has duas propositiones easdem esse cum præcedentibus: aut eundem sensum habere: neque duo errores separatim damnati, sunt pro vno & eodem habendi: cùm manifestum sit ex verbis quibus referuntur, & ex quibus de eorum sensu iudicandum est, non ex Iansenij coniecturis, errores esse diuersos, ideóque separatim damnatos à prædictis Pontificibus: & priorem quidem generaliter affirmare. *Quidquid voluntariè fit, tametsi necessariò fiat, liberè tamen fieri: Solámque violētiam repugnare libertati hominis naturali.* Posteriorē speciatim loqui de prauis desideriis, & motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos affirmat esse peccata, diuina lege prohibita. Neque contrarium affirmat Vasques citatus ab aduersario 1.2. disp. 190. c. 18. sed tantùm ait Baium ita putâsse hominem peccare in omnibus affectibus, & motibus suis qui non sunt virtutis: vt etiam in his quæ sine libertate fiunt, peccatū esse diceret, iuxta illud alterum eius dogma generale, *Sola violentia repugnat libertati* &c. Et, *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Quare impertinēter hunc locum Vasquis allegat Iansenius, ad probandum quod intendit.

63. *Contradictio Iansenij.* Non vacat etiam contradictione quod addit paulò pòst, §. *Quanquam secundò*, meritò notatas fuisse duas illas propositiones Baij, etiamsi generatim de libertate intelligantur, sumptâ prout ipse contendit ab Augustino sumi, aliisque antiquis: quia, inquit, constat eiusmodi improuisos motus voluntaris esse voluntarios, & sine violentia ex voluntate fluere; nec tamen etiam illo sensu esse liberos. Deest illis quippe id quod præcipuum est; quia non sunt in hominis potestate; non sumus eorum domini; fiunt sine plena rationis aduertentia; profluunt inuitâ & repugnante voluntate: quæ singula, inquit, essentialiter repugnant libertati. Hæc, inquam, manifestè contradicunt eiusdem auctoris doctrinæ. Nam, si omnis volitio, eo ipso quod est volitio, est libera; idémque est velle, & liberè velle; támque implicat contradictionem vt volitio non sit libera, quàm vt velle non sit velle, quemadmodum docet tom. 3. lib. 6. cap. 5. ferè initio: quomodo fieri potest, vt illi motus improuisi voluntatis non sint liberi, cùm sint volitiones? Item quomodo non sunt in hominis potestate, si actus volūtatis sunt eo ipso in nostra potestate, quòd sunt volitiones? ita vt impossibile sit volitionem non esse in nostra potestate, vel non esse liberam; quia impossibile est, vt cùm volumus non velimus; impossibile, vt quod fit cùm volumus, non sit in nostra potestate: impossibile vt quod ita est in nostra potestate, non sit liberum nobis: & nihil tam est in nostra potestate, quàm voluntas seu volitio: vt idem ait cap. cit. Rursus quomodo volitiones illæ, seu motus voluntatis, facti licèt absque plena rationis aduertentia, non sunt liberi; si tam implicat contradictionem velle, & non liberè velle; quàm implicat vt volendo non velimus, quemadmodum ibidem affirmat? Quomodo denique profluunt inuitâ repugnantéque voluntate, si sunt voluntarij, súntque motus, siue actus ipsius voluntatis, quæ non simpliciter potest cogi, & pati violentiam, seu velle planè inuita, & omnino repugnans, vt sæpius fatetur aduersarius? Loquitur autem de simplici & omnimoda coactione, quam solam putat repugnare libertati incompatibiliter: non autem de coactione secundùm quid, quæ ne quidem repugnat libertati indifferentiæ, sed tantùm facit vt voluntas ad vitandum aliquod incommodum eligat liberè id, quod alioqui non eligeret.

Respondebit id quod ait alibi, se per voluntatem & volitionem intelligere non quamcunque, sed illam quæ cum rationis aduertentia motibus voluntatis inordinatis, & improuisis consentit. At hæc responsio apertè repugnat principiis ab ipso positis, & D. Augustini auctoritate (vt putat) stabilitis: quæ vel nihil probant, vel euincunt quamcunque volitionem esse liberam, quia scilicet impossibile est vt volendo non velimus: impossibile, vt quod fit cùm volumus, non sit in nostra potestate: & quod ita est in nostra potestate, non sit liberum nobis. Quare quocunque se vertat aduersarius, contradictionem vitare nequit, inconstantiámque doctrinæ, quæ illi parùm in Philosophia, & Theologia versato, minúsque attendenti quid ex quo sequatur, valde familiaris est. 64. *Refutatur euasio.*

SECTIO XI.

Aliæ quædam euasiones aduersariorum refelluntur.

HVc vsque diximus de priori genere euasionum, quibus noui Dogmatistæ conantur eludere testimonia Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, summorúmque Pontificum iudicia contra ipsos producta. Superest agere de aliis, quibus persuadere volunt se aliter sentire ac hæreticos in eo ipso propter quod ab Ecclesia damnati semper, & reiecti fuerunt velut euersores liberi arbitrij. 65.

Ac primò, Dicunt se longè distare ab antiquis hæreticis, & infidelibus; quia illi fingebant impositam esse hominibus necessitatem bene vel malè agendi à Dei præscientia, vel ab astris, vel ab aliquo bono, aut malo principio à natu- 66. *Primum discrimen quo discerni volunt ab hæreticis.*

ra insito; quæ necessitas à peccato excusabat. Nos verò, inquiunt, dicimus peccandi necessitatem esse à concupiscentia, quæ à culpa non excusat, quia nostrâ culpâ illam contraximus in Adamo. Habuimus enim in prima creatione liberam agendi facultatem: sed per originale peccatum necessitatem peccandi incurrimus. Simili responso se suósque à Marcionistis, & à Manichæis discernit Caluinus lib. 5. in Pighium pag. 181. *Dixi*, inquit, *iam antè, & quasi digito indicari, quàm putida sit calumnia quæ nos ita Marcioni, & Manichæis subinde adiungit: à quibus non minùs dissidemus, quàm Pighius ipse à nobis. Nam cùm illi essentialem in natura malitiam constituant, eámque ab ipso creationis initio talem esse imaginentur: nostri ex naturæ corruptione vitium esse definiunt: naturam verò non cælesti aliquo influxu, sed voluntario hominis lapsu corruptam fuisse constanter profitentur* &c. Idémque dicunt communiter Caluini & Lutheri sectatores.

Sumptum est ex Caluino.

67. *Patres dicunt necessitatem repugnare libertati, titulóque meriti.*

Sed hæc euasio refellitur primò, quia Sancti Patres argumentantes contra infideles, Marcionistas, Astrologos, Manichæos, & alios euersores liberi arbitrij, argumentum suum quo probant illos tollere libertatem, & dignitatem pœnæ vel præmij, fundant præcisè in necessitate opposita indifferentiæ, quam dicunt planè repugnare libertati, titulóque meriti, vel demeriti. Atqui necessitas peccandi inducta per peccatum originale, est verè necessitas opposita indifferentiæ. Ergo ex mente Sanctorum Patrum illa quoque euertit libertatem, titulúmque meriti, vel demeriti. Ergo noui Dogmatistæ inducentes eiusmodi necessitatem, errant in eo, propter quod veteres hæretici, & infideles, damnati fuerunt à Sanctis Patribus, & ab ipsa Ecclesia, cuius fides, & sensus in rebus fidei, nunquam fuit diuersus à communi Sanctorum Patrum consensu. Maior, quæ sola probatione indiget, patet ex testimoniis relatis disp. 3. sect. 2. & 4. & disput. 18. sect. 1. Irenæi lib. 4. contra hæreses cap. 9. & 71. Iustini Apolog. 1. ad Senatum, & Apolog. 2. ad Antoninum, Basilij homil. 9. Hieronymi Dialog. 3. contra Pelagianos, Augustini lib. 2. contra Faustum Manichæum cap. 5. & lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. & 18. & lib. de duab. animab. contra Manichæos cap. 11. aliísque pluribus. Quibus adde Tertullianum lib. 2. contra Marcionem cap. 6. vbi totam hac de re disputationem contra illum hæreticum, & hostem libertatis ita concludit: *Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem concessa est homini, vt sui dominus constanter occurreret, & bono sponte seruando, & malo sponte vitando: quoniam oportebat hominem iustum effici de arbitrij sui meritis liberè. Cæterum nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset, non voluntate:* libera scilicet, seu non necessitata: quod enim fit voluntate necessitatâ, fit necessitate. Quæ verba sunt adeo perspicua, & efficacia ad probandum quod volumus, vt maiori explicatione, aut expensione non egeant. Neque minùs illustria sunt hæc Augustini lib. 2. contra Faustum Manichæum cap. 5. *Nos quidem*, inquit, *sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene, vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei, ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Et lib. de duab. animab. cap. 12. sic contra Manichæos argumentatur: *Peccati reum teneri quenquam quia non fecit quod facere non potuit, summa iniquitatis est, & insaniæ, &c. Quamobrem si illæ animæ* (quas scilicet Manichæi dicebant esse duas in quolibet homine) *libero ad faciendum & non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.*

Ex quibus testimoniis, aliísque plurimis, quæ breuitatis causâ prætereo, clarè liquet id quod intendimus; Patres scilicet argumentari præcisè ex necessitate opposita indifferentiæ, seu potestati ad oppositum, nihilque aliud præter illam attendere, vt inferant destrui libertatem, titulúmque meriti vel demeriti ab hæreticis illis, & infidelibus necessitatem hanc voluntati affigentibus. Vnde sequitur necessitatem eiusmodi, vndecunque sit orta, siue à culpa, siue aliunde; & siue à Dei præscientia, siue ab astris; siue à bono, aut malo principio, vel à concupiscentia, libertatem euertere. Et verò, si non magis potest voluntas illi resistere; non minor est agendi necessitas, vndecunque illa inducta sit. Neque minùs necessitat concupiscentia per peccatum inducta, quàm si absque peccato, naturali solâ conditione nobis inesset. Hoc enim motibus illius planè iisdem, aut æqualibus, non dat maiorem necessitandi vim. Quin etiam, quia concupiscentia strictè sumpta, & prout communiter sumitur, mouetur astrorum influxu, cùm sit pars organica & sensibilis corporis humani, certè non minùs mouetur ab illis ex eo quòd per peccatum inducta sit: hic enim respectus non minuit, aut impedit influxum astrorum. Et si res bene consideretur, consentiunt hac in parte noui Dogmatistæ cum Astrologis illis, seu Planetariis, qui dicebant actiones humanas necessariò euenire ex influxu astrorum: neque minùs quàm illi destruunt libertatem arbitrij in operibus malis, quæ fiunt (secundùm illos) necessitante illâ concupiscentiâ. Nam, vt rectè ait D. Thom. 1. p. q. 115. art. 4. c. Si intellectus & voluntas essent vires corporeis organis alligatæ, ex necessitate sequeretur quòd corpora cælestia essent causa electionum, & actuum humanorum. Et ex hoc sequeretur, quòd homo naturali instinctu ageretur ad suas actiones, sicut cetera animalia, in quibus non sunt nisi vires animæ corporeis organis alligatæ. Nam illud quod fit in istis inferioribus ex impressione corporum cælestium, naturaliter agitur. Et ita sequeretur quòd homo non esset liberi arbitrij, sed haberet actiones determinatas, sicut & ceteræ res naturales. Hæc D. Thomas: cuius ratiocinatio non minorem vim habet in iis quæ dicuntur necessariò fieri vi concupiscentiæ necessitantis supradictæ, quæ est potentia organica, cælorum influentiis subiecta.

68. *Vndecunque illa necessitas oriatur.*

Confirmatur: quia si Patres tantùm reprehendebant in eiusmodi hæreticis, & infidelibus, quòd necessitatem peccandi malè assignarent, eámque refundendo in præscientiam Dei, vel in astra, vel in alias causas naturales, ex eo redderent homines à culpa excusabiles: debebant illos specialiter huius erroris admonere, doceréque refundendam esse in concupiscentiam ortam ex culpa primi parentis. Et non debebant affirmare simpliciter illos tollere libe-

69. *Confirmatur.*

rum arbitrium: præſertim in ſententia aduerſariorum, qui cenſent non tolli per neceſſitatem, ſed tantùm per coactionem, quam illi certè non inuehebant. Non debebant etiam docere liberum arbitrium ſolutum eſſe ab omni vinculo neceſſitatis, alioqui non peccare culpabiliter; & non eſſe vni parti neceſſitate affixum, aut peccandi, & diabolo parendi neceſſitate conſtrictum, vt loquuntur Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, & plures alij è Patribus ſuprà citatis. Adde quòd Patres non fuerunt in eo errore quem ſupponunt Dogmatiſtæ, quémve acceperunt à Caluino lib. 2. Inſtitut. cap. 5. num. 1. Bezâ in lib. de æterna Prædeſtinatione contra Caſtellionem pag. 414. & 415. Zanchio Tract. Theologic. lib. 1. cap. 6. Chamierio tom. 3. lib. 3. cap. 2. Petro Molinæo in Clypeo fidei ad artic. 9. Actus voluntatis inordinatos, quamuis neceſſariò fiant, ita vt voluntas non poſſit aliter agere, eſſe tamen culpabiles; quia fiunt ex neceſſitate per peccatum originale inductâ, & propter hoc ſunt imputabiles etiam illis, quibus originale peccatum remiſſum fuit per baptiſmum. Quem errorem refutauimus alibi.

70. *Ianſeniſtæ non differunt ab Adrumetinis.*

Impugnatur ſecundò eadem euaſio, quià quoad actus bonos nullum aſſignant diſcrimen aduerſarij inter ſuam doctrinam, & hæreſim Monachorum Adrumetinorum affirmantium gratiam tollere liberum arbitrium: neque oſtendunt quomodo bona opera facta ex neceſſitate impoſitâ à gratia, vt ipſi volunt, ſint magis laudabilia, & imputabilia; quàm quæ alij hæretici volebant neceſſariò fieri neceſſitate impoſitâ à Dei præſcientia, vel ab aſtris, vel à bono principio interno, bona ſcilicet anima: de quibus tamen operibus, eorúmque imputabilitate diſputauit Eccleſia contra eoſdem hæreticos, & Sancti Patres, vt patet ex eorum teſtimoniis locis ſuprà citatis. Omnino dici non poteſt quomodo hac in parte differant aduerſarij à Manichæis, qui ſtatuebant in homine duo interna principia, duas ſcilicet animas, bonam & malam perpetuò inter ſe pugnantes: quarum illa, ſi præualeret, neceſſitaret ad bonum, iſta ad malum. Sic enim ipſi duo principia interna conſtituunt, gratiam, & concupiſcentiam, ſibi inuicem aduerſantes; quarum illa ſi adſit, dominatur, & neceſſitat ad bonum: ſi verò abſit, altera neceſſitat ad malum. Quod enim Manichæi vellent, duo illa interna principia eſſe naturaliter inſita; iſti autem volunt gratiam eſſe donum Dei, concupiſcentiam eſſe effectum peccati originalis; omnino nihil confert vt bona opera ſint homini magis imputabilia, in ſententia aduerſariorum. Multóque minùs dici poteſt, quomodo hæc euaſio eos ſegreget à Lutheranis, & Caluiniſtis, qui non minùs affirmant gratiam eſſe donum Dei, concupiſcentiam eſſe effectum peccati: & bonum vi illius, quando adeſt, neceſſariò fieri: malum, vi iſtius, quando auxilio gratiæ deſtituimur. Idque magis patebit examinando triplex diſcrimen, quo ab hæreticis recentioribus conantur ſe diſcernere.

Quomodo conueniant cum Manichæis?

Et cum Lutheranis & Caluiniſtis.

SECTIO XII.

Reiiciuntur differentiæ, quibus Dogmatiſtæ videri volunt diſcerni ab hæreticis.

PRIMVM diſcrimen eſt, quia, inquiunt, Lutherus & Caluinus, eorúmque ſectarij dicunt ademptam eſſe libertatem hominibus per peccatum primi parentis: nos autem contrà dicimus adhuc remanere. Verùm ex dictis ſuprà liquet eodem planè ſenſu, vtroſque dicere ademptum eſſe hominibus liberum arbitrium, nempe liberum à neceſſitate: & eodem ſenſu dicere adhuc remanere, videlicet liberum à coactione & violentia. Quare ſi quæ inter illos eſt differentia hac in parte, nominis tantùm eſt, & modi loquendi; ſi Lutherani & Caluiniſtæ reſtringunt nomen liberi arbitrij ad libertatem à neceſſitate, (quæ eſt propria vocis huius ſignificatio) ideóque dicunt illud funditus periiſſe: Dogmatiſtæ verò extendunt ad libertatem à coactione, ideóque dicunt adhuc remanere, quamuis libertas à neceſſitate perierit. Reipſa enim idem ſentiunt, quod hæretici; idémque affirmant aut negant, quamuis ab illis differre velint in modo loquendi. Quod non ſufficit ad vitandam labem hæreſeos, quæ in ſenſu magis, quàm in verbis conſiſtit. 71. *Non differunt in ſenſu, quo negant liberum arbitrium.*

At neque etiam in modo loquendi diſſentiunt. Quamuis enim Luthero, & Caluino, eorúmque partiariis diſplicuerit nomen liberi arbitrij, optauerintque illud aboleri, vt videre eſt apud Lutherum in libro de ſeruo arbitrio, & Caluinum libro 2. Inſtit. cap. 2. num. 7. patiuntur tamen illud vſurpari, dummodo libertatem à coactione ſignificet; profitentúrque nolle ſe de nomine litigare cum Catholicis, ſi de ſenſu, & reipſa conueniat. Ita enim ſcribit Caluinus libro ſecundo in Pighium pag. 153. edit. Geneuenſ. *Ego verò, quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor, quod in mea inſtitutione teſtatus ſum, non adeò me ſuperſtitioſum eſſe in verbis, vt eius causâ velim contentionem aliquam mouere, modò intelligentia ſana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſeuero.* Et libro tertio contra eundem Doctorem pag. 163. *Semper*, inquit, *teſtatus ſum me de nomine pugnare nolle, ſi hoc ſemel conſtitueretur, libertatem non ad facultatem boni aequè ac mali eligendi, ſed ad ſpontaneum motum, & conſenſum referri debere.* Idémque repetit in Antidoto Tridentini ad ſeſſ. 6. can. 5. Simili quoque modo loquuntur Oecolampadius in illud Iſaiæ 9. *Si volueritis, & audieritis me*, Petrus Martyr tom. 1. locorum communium, tit. de lib. arbit. Zanchius in tract. Theologic. lib. 1. cap. 6. Chamier. tom. 3. lib. 2. cap. 8. num. 21. Petrus Molinæus in Clypeo fidei ad art. 9. aliíque recentiores Caluiniſtæ, & Lutherani. Chamieri verba hæc ſunt: *Retineatur ſanè non tantùm liberum arbitrium Latinorum, ſed & τὸ αὐτεξούσιον Græcorum, ne inutili λογομαχίᾳ tempus teramus; & concedamus illud canis veterum Doctorum, vt potuerint vocabula trita vſurpare, ſed & poſte-* 72. *At neque idem in modo loquendi.*

ris tradere, dum ne Papistæ nobis inde faciant insidias: hoc saluo pax esto. Patet igitur hoc primum discrimen inter Dogmatistas & hæreticos prorsus nullum esse.

73. Alterum discrimen, quo à Lutheranis & Caluinistis conantur se discernere, est, quia, inquiunt, illi volunt gratiam solam agere, quando homo se disponit ad iustificationem, aut aliter bene operatur: & voluntatem merè passiuè se habere, velut quoddam inanime; vt patet ex Luthero super Psal. 5. & Caluino lib. 2. Instit. cap. 3. num. 9. & sequentibus, & lib. 3. cap. 14. num. 1. Ideóque Trident. sess. 6. can. 4. contra illos ita pronunciauit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti &c. sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere, anathema sit.* Nos autem asserimus voluntatem verè agere, & cooperari gratiæ.

74. *Eodem sensu dicunt vtrique voluntatem passiuè se habere.* Verùm, si hac in parte aliqua est inter illos dissensio; verborum tantùm est, & in modo loquendi; non in sensu, & re ipsâ, de qua planè conueniunt. Nam, vt paulò antè diximus, & nunc ampliùs confirmandum est: quando hæretici dicunt, voluntatem non agere, sed merè passiuè se habere; intelligunt non agere liberè, seu non cooperari gratiæ excitanri, cum potestate dissentiendi si velit, & resistendi gratiæ: eodem sensu quo Theologi dicunt gratias præuenientes, id est, diuinas illustrationes intellectus, & pias motiones voluntatis nostræ, à Deo fieri in nobis sine nobis, id est, sine nostro concursu libero; quamuis non fiant sine concursu physico intellectus, & voluntatis, cùm sint actus vitales. Quo etiam sensu Paulus Rom. 7. dicebat se non operari motus concupiscentiæ indeliberatos, & inuoluntarios; quia non eos liberè eliciebat, aut permittebat, quamuis ad illos vitaliter concurreret. Ratio huius modi loquendi est, quia, vt ait S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. in corp. Homo non dicitur propriè agere vt homo, nisi quando liberè agit. Differt enim homo ab aliis irrationalibus creaturis, quòd est suorum actuum dominus. Vnde illæ solæ vocantur actiones humanæ, quarum homo est dominus.

75. *Probatur ipsis hæreticorum verbis.* Quòd autem ille sit hæreticorum sensus perspicuum fit ipsorum testimoniis. Sic enim scribit Lutherus lib. de seruo arbitrio pag. 468. *Necessariò operamur: necessariò dico, non coactè. Hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum; sed sponte & lubenti voluntate facit &c. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata, & blandè assibilata per Spiritum Dei voluntas, merâ lubentiâ ac pronitate, & sponte sua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset.* Hæc ille. Ex quibus manifestum est non intelligere voluntatem ita merè passiuè se habere vt nullo modo agat; sed ita vt non liberè, quamuis sponte suâ, id est, sine coactione velit, & faciat. Quod expressiùs dicit Kemnicius in Examine Tridentini ad Sess. 6. vbi Lutherum in eundem sensum locutum esse affirmat, & ab illa calumnia vindicat: *Exagitant*, inquit, *illud quod Lutherus dicit, hominem ad regenerationem, renouationem, seu conuersionem, habere se merè passiuè. Et sanè hac phrasi offendi posset aliquis, qui non esset assuetus modis loquendi, qui Scholasticis Scriptoribus vsitati sunt: quasi sensus sit, Spiritum Sanctum ita operari conuersionem, vt in voluntate, qua renouari cœpit, nulli omninò sequantur noui motus; sed planè sit otiosa & iners, & tanquam brutâ agitatione percellatur & protrudatur. Quod Luthero nunquam in mentem venit: sed hoc vnum voluit, vsus Theologorum phrasi, Deum quos conuertit, trahere voluntatibus eorum, quas ipse in illis per Spiritum Sanctum operatus est, sicut Augustinus loquitur.* Et Caluinus lib. 2. Instit. cap. 5. num. 14. *Quis ita desipit*, inquit, *vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet; Neque verò quidquam simile consequitur ex nostra doctrina. In naturales hominis facultates referimus, approbare, respuere; velle, nolle; eniti, resistere.* Quod paulò pòst confirmat his verbis Augustini: *Dices mihi, Ergo agimur, & non agimus. Imò agis, & ageris; & tunc bene ageris, si à bono agaris.* Et l. 5. in Pighium pag. 182. *Hominem sic quidem docemus*, inquit, *agi Dei gratiâ, vt simul tamen agat.* Et pag. 191. addit hominem ipsum & conari, & agere, & ad Dei obsequium applicare suas facultates; sed pro gratiæ mensura, quam accepit. Cùm igitur ille sit Lutheranorum, & Caluinistarum sensus, quando affirmant hominem nihil omnino agere; sed merè passiuè se habere in operibus gratiæ; manifestum est idem planè cum illis sentire nouos Dogmatistas, Vide suprà disput. 23. qui pariter asserunt nos liberè non agere, & cooperari gratiæ; sed ex necessitate, quamuis sine coactione & violentia, illi consentire. De quo errore quoad necessitatem illatam à gratia, diximus suo loco.

76. Tertium discrimen, quod inter se & hæreticos huius temporis intercedere volunt, est, quia (inquiunt) profitemur nos virtutes & vitia esse in nostra potestate, nostræque electionis esse agere vel non agere. Quod Lutherani & Caluinistæ peruicaciter negant. Ideóque Trident. sess. 6. can. 6. contra illos sic statuit: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere &c. anathema sit.* Sed hoc effugium vanum esse patet; quia non alio sensu id negant hæretici, nisi prorsus eodem, quo negant aduersarij. Quare non nisi verbis ad summum, & loquendi modo ab illis discrepant. *Eodem sensu negant virtutes & vitia esse in nostra potestate.* Sensus enim, quo id negant hæretici, est, quia propriè, & secundùm vsitatum inter homines loquendi modum accipientes hæc verba, *esse in nostra potestate*, &, *esse nostræ electionis*, dicunt, non esse in nostra potestate, nisi id de quo possumus liberè disponere; & non esse nostræ electionis, nisi id quod possumus velle aut nolle, acceptare aut respuere prout libuerit. Cúmque sentiant hominem necessariò amplecti virtutes & bonū, si adest gratia: contrà verò ferri necessariò in malum, & in vitia, si abest gratia, necessitatum scilicet à concupiscentia, & corruptione naturæ; idcirco negant virtutes & vitia esse in nostra potestate, nostræque electionis esse bene vel malè agere, aut non agere. Est autem prorsus eadem aduersariorum doctrina, vt liquet ex dictis sect. 8. Ergo reipsa consentiunt hæreticis, & differunt tantùm in modo loquendi, quatenus volunt illud omne dici esse in nostra potestate, & à nostra electione pendere, quod volumus

ſumus quomodocunque, ſiue liberè, ſiue neceſſariò; peiúſque in eo loquuntur, & ſentiunt quàm hæretici, vt videbimus diſput. ſequenti.

77. *Probatur ipſa confeſſione hæreticorum.* Maior propoſitio, quæ ſola indiget probatione, vt patet ex ipſis hæreticorum teſtimoniis, diſertè affirmantium, ſe eo tantùm ſenſu negare virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate, noſtráque electione. Sic enim ſcribit Caluinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. num. 3. *Hoc tamen extra controuerſiam ponunt* (Catholici ſcilicet) *virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate. Nam ſi noſtra*, inquiunt, *electionis eſt, hoc aut illud agere: Ergo & non agere. Rurſum, ſi non agere: Ergo & agere. Liberâ autem electione agere videmur quæ agimus; & ab iis abſtinere, quibus abſtinemus. Ergo ſi quid boni agimus, vbi libeat, poſſumus illud omittere. Si quid mali perpetramus, poſſumus id quoque fugere.* Hæc Caluinus: qui deinceps capite illo, & pluribus ſequentibus hanc doctrinam refellit, oſtenditque nos ſi quid bene agimus, neceſſariò agere vi gratiæ; ſi malè, ad id neceſſitari vi concupiſcentiæ, ſeu miſeriâ naturæ corruptæ. Et eo ſenſu non eſſe in noſtra poteſtate, noſtráque electione, bene vel malè agere, virtutéſque amplecti aut vitia.

78. Quod autem alio ſenſu, quem ſolum admittunt aduerſarij, non id negauerit Caluinus, adeóque omni ex parte cum illis conſenſerit, probatur, quia non aliter volunt Dogmatiſtæ virtutes & vitia eſſe in noſtra poteſtate & electione, niſi quatenus volendo bene vel malè agimus, & nihil magis, inquiunt, eſt in noſtra poteſtate, quàm voluntas ipſa: nec aliud quidquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt, vt ait Auguſtinus libro tertio de libero arbitrio capite tertio. At hoc ipſum fatetur Caluinus, nos ſcilicet velle bene aut malè agere, quando bene vel malè operamur; eatenúſque eligere, & habere in poteſtate bonam vel malam operationem. Sic enim ſcribit lib. 2. in Pighium pag. 154. *Homini arbitrium concedimus, idque ſpontaneum; vt ſi quid mali facit, ſibi ac voluntariæ ſuæ electioni imputare debeat. Liberum autem negamus, quod propter ingenitam homini prauitatem ad malum neceſſariò feratur.* Et in Antidoto ad ſeſſ. 6. Tridentini, dicit aliud eſſe voluntatem in homine; aliud liberam boni ac mali electionem, quam per lapſum primi hominis ſublatam eſſe vult, manente ſolâ voluntate ſub peccati tyrannide, quâ malum neceſſariò velit, niſi per gratiam feratur in contrarium; non aliter eligendo, quàm volendo id ad quod neceſſitatur per gratiam, aut per concupiſcentiam.

DISPVTATIO XXXI.

Quid ſenſerit Diuus Auguſtinus de libero arbitrio?

SECTIO I.

Oſtenditur D. Auguſtinum longè aliud de illo ſentire, quàm volunt noui Dogmatiſtæ.


RIVSQVAM teſtimoniis D. Auguſtini à Ianſenio productis reſpondeamus, operæ pretium fuerit euidenter oſtendere quàm longè Sanctus ille Doctor abhorreat à nouorum Dogmatiſtarum ſententia, quámque manifeſtè doceat libertatem indifferentiæ manere in ſtatu naturæ lapſæ, verámque notionem liberi arbitrij in indifferentia poſitam eſſe. Quod vnum oſtendere eſt totum negotium conficere, arcémque nouæ factionis, quâ vnâ ſe tuentur, funditus euertere. 1.

Gloriantur enim ſe nihil aliud circa liberum arbitrium, quàm puram putam doctrinam Auguſtini profiteri, nihilque proferre, quod multis eius locis confirmare in promptu non habeant: de aſſidua eius lectione identidem ſe iactant, eiuſdémque legendi incuriam aliis exprobrant: ſuum anteſignanum non tam ſuis, quàm ipſius Auguſtini verbis locutum eſſe: quódque Paulus docuit, Auguſtinus explicuit, ipſum mirabiliter illuſtraſſe: veram denique & catholicam doctrinam de gratia & libero arbitrio, ignorantiæ tenebris diu ſepultam, in apertam lucem eduxiſſe. Si quæ in eius doctrina videantur erroribus Lutheri & Caluini ſimillima, & ab Eccleſia prædamnata: ea, cùm Auguſtini ſint, errores eſſe non poſſe. Sed quia non vſque adeò hæretici exorbitare ſolent, quin ſæpe in aliquibus articulis veritatem, in aliis nonnulla veritatis lineamenta retineant: ſi quid fortè hac in re cum Auguſtino ſenſerint, veritatem amplectendam eſſe: ſin diſſenſerint, errorem corrigendum. 2. *Auguſtinum ſuum eſſe gloriantur aduerſarij.* tom. 3. in fine præfat. libri 6. & lib. 8. cap. 21.

Simili modo D. Auguſtini auctoritate eoſdem errores tegere ac tueri, eiuſdémque lectionem aſſiduam ſibi arrogare, incuriam verò & ignorantiam aliis exprobrare ſoliti erant Lutherus & Caluinus, eorúmque Sectarij, vt de Luthero oſtendimus diſput. 12. ſect. 4. & de Caluino liquet tum ex locis ibidem relatis, tum ex pluribus aliis, quibus æquè ac Lutherus affirmat Auguſtinum totum ſuum eſſe: & non aliam ſuam eſſe, quàm ipſius Auguſtini doctrinam. Vt lib. 3. de lib. arbit. contra Pighium pag. 161. *Hinc illa*, inquit, *quam vni Auguſtino præ aliis tribuo, vera ſanaque doctrina, perſpicua, certa, exactáque explicatio. Hinc & ille conſenſus, quem illi nobiſcum eſſe glorior.* Et pag. 170. *Nos nihil*, inquit, *niſi Au-* 3. *Idem fecerunt Lutherus & Caluin.* Luther. in lib. de ſeruo arbit. *Auguſtinus, quem præteris, totus noſter eſt.*

gustinum sequimur. Et paulò pòst: *Ergo etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus sit noster.* Et pag. 199. iactat Augustinum lectum à se diligenter fuisse, & mentem eius familiariter cognitam. Et pag. 292. Gloriatur sibi promptum esse multis Augustini locis confirmare quæ contra Catholicam doctrinam asserit: *Supra ducentos*, inquit, *locos ex Augustino adducere mihi facile sit &c.* Philippus quoque Melanchthon in Apologia pro Luthero, sub finem, idem facit quod aduersarij, quando tam acerbè Augustini legendi incuriam, & crassam doctrinæ Augustinianæ ignorantiam exprobrant Theologis, támque superbè iactant suum primipilum esse vnicum, verum, & fidelem illius interpretem, imò etiam (si Deo placet) clariùs, accuratiùs, diligentiúsque quàm Augustinum, materiam de Gratia, & libero arbitrio exposuisse. Sic enim Melanchthon loco citato exprobrat Sorbonistis, neminem illorum esse qui Augustinum attigerit, neminem qui legerit, neminem cui eius sententia comperta fuerit: nullam in eius libris paginam esse, quâ illorum error de libertate non coarguatur: sententiam Lutheri de libero arbitrio, in qua potissimum regnat (id est, quæ totius doctrinæ Lutheri, æquè ac aduersariorum, fundamentum & caput est) totam Augustini esse: & fortassis istum alicubi quiddam dixisse argutiùs: sed multa Lutherum diligentiùs, quàm Augustinum.

4. *Augustinus docet libertatem indifferentiæ non esse amissam.*

Quàm falsò autem iactent noui Dogmatistæ æquè ac prædicti hæretici Diuum Augustinum in præsenti controuersia de libero arbitrio totum suum esse, primùm ex eo patet, quòd sanctus ille Doctor pluribus locis disertè affirmat non periisse per peccatum Adæ liberum arbitrium, loquitúrque de libero à necessitate seu potente ad opposita. Nam, cùm expresè doceat Adamum ante peccatum habuisse libertatem indifferentiæ, libro 22. de Ciuitate capite 30. & lib. de Correp. & gratia capite 10. & 11. aliísque locis, vt fatetur Iansenius libro de gratia primi hominis capite octauo, non minùs disertè & expresè affirmat non periisse liberum illud arbitrium per peccatum Adæ, sed tantùm fuisse infirmatum, & sauciatum, vt videre est libro de natura & gratia capite 19. & epistola 47. ad Valentinum, & libro 1. ad Bonifacium capite secundo, aliísque locis, quæ retulimus & expendimus disputatione 18. sect. 2. & 3. vbi fusiùs hoc argumentum prosecuti sumus, ostendimúsque quâ ratione conciliari debeant ea Augustini hac de re testimonia quæ inter se pugnare videntur. Secundò, quòd idem Sanctus Doctor libertatem arbitrij in indifferentia consistere senserit, patet euidenter ex eo quòd cùm Pelagius, & Iulianus, aliíque eius asseclæ liberum arbitrium constituerent in potestate indifferente ad vtrúlibet, id est, in facultate quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, vel nõ agere, vt libuerit; & vel agere hoc, vel aliud oppositum, aut diuersum: Diuus Augustinus de hac liberi arbitrij acceptione, seu definitione non contendit cum Pelagianis, nihilque penitus in illa reprehendit: sed eâ tacitè vel expresè admissâ, duo tantùm in illis redarguit: quòd scilicet liberum arbitrium malè restringerent ad indifferentiam circa bonum & malum; ex quo sequeretur Deum non fore liberum: quódque negarent liberum arbitrium egere gratiâ interiùs mouente, & iuuante voluntatem ad bene operandum, & abstinendum à peccato; putaréntque naturalem ipsam facultatem sufficere cum lege & doctrina. Hæc omnia fient manifesta ex sequentibus Diui Augustini, Pelagij, Iuliani, & ipsorummet aduersariorum testimoniis fusiùs propositis, & illustratis à Ricardo libro secundo capite tertio sectione tertia, vbi eruditè hoc argumentum prosecutus est.

Et quidem Pelagianos libertatem arbitrij per indifferentiam, seu potestatem ad vtrumlibet definiuisse, euidenter liquet ex Diuo Augustino libro secundo de Peccat. merit. & remiss. capite 18. vbi voluntatis arbitrium, ex Pelagij sententia tale esse dicit, quod huc atque illuc liberum flectitur. Idque fatentur ipsimet aduersarij, qui dicunt, Pelagium ab Aristotele, & à profana Philosophia definitionem illam hausisse, eâque de causa Philosophicam, Aristoteleam, & Pelagianam sæpius vocant, eandémque dicunt esse basim, & fontem, & nidum Pelagianæ hæreseos: neque posse eiusmodi libertatem tribui hominibus in statu naturæ lapsæ, sine hæresi manifesta, & commercio cum Pelagio: Doctores denique Catholicos qui eam tuentur, verbo tenus duntaxat ab eius errore discedere, nec nisi simulanter, & per speciem eum damnare. Quod idem dixerant, & Catholicis generatim, ac speciatim Doctoribus Sorbonicis, & Tridentini Concilij Patribus exprobrauerant Lutherus in assertione articulorum suorum, Caluinus libro secundo Institut. capite tertio præcipuè numero 13. & libro tertio contra Pighium pag. 188. Melanchthon in Apologia pro Luthero aduersus Sorbonicos, Petrus Martyr tom. 1. locorum communium, titulo de libero arbitrio, Kemnicius in Examine Tridentini ad sess. 6. Synodus Dordrec. pag. 730. Zanchius in tract. Theolog. libro primo capite sexto Thesi 7. & alij recentes hæretici, Pelagianismi insimulantes eos omnes qui affirmant manere in hominibus libertatem indifferentiæ.

5. *Conuenit cum Pelagianis in definitione liberi arbitrij.*

6. Quòd autem D. Augustinus in hac libertatis acceptione cum illis consenserit, liquet ex eius verbis libro secundo de Nuptiis & concupisc. cap. 3. vbi expostulanti Iuliano negari à Catholicis liberum in hominibus arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem: quod si quis assereret, statim Cœlestianum ac Pelagianum vocari: respondet Augustinus, *Non est ita vt loqueris &c. Liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem vtrique dicimus. Non hinc estis Cœlestiani, & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum, sine adiutorio Dei, & non erui paruulos ex potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis: hinc estis Cœlestiani, & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, vt operias proprium crimen, vnde vobis inditum est nomen?* Si vt volunt aduersarij, aliud Augustinus, aliud Pelagiani, nomine liberi arbitrij intellexissent: & cùm isti libertatem à necessitate eo nomine significari vellent, existimasset Augustinus hanc acceptionem falsam, hæreticam, & hæresis Pela-

gianæ caput esse: non diceret absolutè, *Liberum in hominibus esse arbitrium vtrique dicimus:* sed, liberi arbitrij nomen vtrique retinemus, de re ipsa verò dissentimus: nos enim Catholici negamus esse id, quod vos Pelagiani, & Cœlestiani eo nomine intelligitis. Non diceret etiam dogma liberi arbitrij sibi esse aliisque Catholicis cum illis commune, *Quid obtendis communis dogmatis tegmen?* Sed potiùs assereret nomen quidem liberi arbitrij ab vtrisque admitti: dogma verò, in sensu, non in sola voce consistens, esse longè diuersum. Cùm illi per *liberum arbitrium* intelligerent indifferens, & liberum à necessitate: atque inde essent Cœlestiani, & Pelagiani. Catholici verò intelligerent liberum à coactione duntaxat: atque inde essent Catholici & orthodoxi. Omnino debebat Augustinus, nisi de re ipsa, & de sensu per nomen liberi arbitrij significato cum illis consensisset, ambiguitatem vocis exponere, & hæreticorum fraudem sub ea latentem detegere. Sicut quotiescunque de gratia cum illis disputat, exactè distinguit ambiguitatem vocis, & fraudem Pelagij eo nomine abutentis exponit, neque vnquam asserit dogma de gratia sibi esse commune cum Pelagianis, quamuis gratiæ nomen vtrique vsurparent; quia non sufficit ad communionem dogmatis, nomen habere commune; nisi etiam sensus (in quo consistit veritas Catholica, vel hæresis) communis sit.

7. *Confirmatur ex aliis Augustini locis.*

Confirmatur: quia in omni disputatione oportet priùs conuenire de terminis: ne, si diuersa intelligant disputantes, rixentur inutiliter, & Andabatarum more inter se digladientur. Quare nisi Diuus Augustinus nomine liberi arbitrij intellexisset idem, quod Pelagiani: non debebat respondere Iuliano, *Liberum esse in hominibus arbitrium vtrique dicimus &c.* sed ambiguitate vocis detectâ, ostendere non idem vtrosque dicere, planéque negari à Catholicis id quod illi eo nomine intelligebant. Et verò cùm idem Iulianus apud Augustinum libro primo Operis imperfecti pagina 118. illud Ciceronis commemorâsset, *Omnis quæ ratione suscipitur de aliqua re disputatio, debet à definitione proficisci; vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur:* addidissétque, *Ita & nos sicut suprà de iustitia & peccati definitione disseruimus, nunc quoque videamus quæ libertati arbitrij definitio competat; vt planum sit quis nostrûm consentiat, quis repugnet.* Túmque ita definiuisset, *Libertas arbitrij, qua à Deo emancipatus est homo, in admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis & vitij, quod posset ex concessa sibi possibilitate, vel seruare mandata, vel transgredi.* Non negat Diuus Augustinus indifferentiam peccandi vel non peccandi conuenire libertati humanæ: sed obiter verba illa reprehendit, *qua à Deo emancipatus est homo:* exigítque ab illo vt fateatur liberum arbitrium non concipere de suo iustitiam; id est, solis suis viribus, sine gratiæ diuinæ auxilio, non posse rectè viuere, & à mandatorum transgressione abstinere; esséque laudabiliter liberum, si non fuerit Dei gratiâ liberatum. Atqui si indifferentia illa seu libertas à necessitate, erat nidus & fons totius hæresis Pelagianæ, vt dicunt aduersarij: debebat Augustinus contra illam præcipuè insistere: támque peruerso dogmati, ex quo totius controuersiæ pendebat status, totis viribus obsistere.

Et paulò pòst, pag. 121. rursus aiente Iuliano, libertatem arbitrij esse *possibilitatem vel admittendi, vel vitandi peccati, expertem cogentis necessitatis, quæ in suo iure habet vtram suggerentiæ partem sequatur:* quibus postremis verbis manifestè designat libertatem indifferentiæ: & nomine *cogentis necessitatis*, non aliud intelligit, quàm simplicem necessitatem, seu determinationem ad vnum; non autem coactionem propriè dictam, seu violentiam: vt fatetur aduersarius tomo primo, libro secundo, capite primo. Nihil contra illam indifferentiam opponit Augustinus, sed tantùm dicit non posse hominem seruum esse iustitiæ, & liberum à dominante peccato, nisi eum filius liberauerit: id est, non posse sine auxilio gratiæ Christi laudabiliter illam exercere, seruando iustitiam, & abstinendo à peccato. Et pag. 122. sic dicente Iuliano, *Si ergo est, vt ratio prodidit, arbitrij libertas propulsatrix necessitatum vt nemo sit vel bonus, vel malus, cui non sit liberum esse contrarium &c.* Non id reprehendit Augustinus, sed tantùm, quòd sua ipsius vi, sine Christi gratia, censeret posse benè viuere. Caritas enim est, quæ facit hominem laudabiliter liberum ad ea, quæ facienda sunt. Non reprehendit etiam quod idem Iulianus ait pag. 146. *Voluntas eo ipso tempore, quo peccat, potestatem habet recedere à malo, & facere bonum, vt constet ratio libertatis:* sed tantùm addit gratiam esse illi necessariam ad vitandum peccatum. *Ex quo*, inquit, *homo incipit vti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest. Sed alterum eorum non facit, nisi adiutus ab eo, qui dixit, sine me nihil potestis facere.* Item pag. 150. reprehendit quidem Iulianum, aliósque Pelagianos, quòd libertatem generaliter sumptam restringerent ad potestatem indifferentem circa bonum & malum, seu quæ possit benè & malè velle: quamuis enim libertas humana pro statu vitæ præsentis, capaci boni & mali meriti, vtrumque possit: tamen ad libertatem generaliter & abstractè sumptam prout Deo & creaturis intellectualibus communis est, sufficit esse indifferentem ad agendum vel non agendum, aut eligendum vnum præ alio, etiam citra considerationem peccati. Sed non negat Augustinus id quod disertè pluribus locis affirmat, libertatem humanam, qualis est in hoc statu, posse peccare & non peccare; & nunquam peccare actu, quin possit à peccato abstinere opitulante Dei gratia. 8.

Rursus in lib. de natura & gratia cap. 64. cùm Pelagius ex Sixto Papa (seu potiùs Philosopho) obiecisset Augustino, *libertatem arbitrij sui permisisse hominibus Deum, vt purè & sine peccato viuentes, similes fiant Deo.* Non negat Augustinus ita esse; sed tantùm addit, *ad ipsum arbitrium pertinere vocantem audire, & credere; & ab eo, in quem credit, non peccandi adiutorium postulare.* Et lib. de gratia Christi capite septimo & vicesimo-nono relatis hisce Pelagij verbis, *Deus gratiâ suâ auxilium subministrat, vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam:* Interrogat Augustinus, quam velit intelligi gratiam? ne stu- 9.

Postulat tantùm vt gratiam fateantur esse necessariam.

diosè eo nomine intelligat solùm legem, & doctrinam: deinde iubet vt tollat vocem *faciliùs:* quia per illam significatur posse sine illa implere, etsi non adeo facilè. *Tolle, faciliùs* (inquit) *& non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur, vt quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Cùm autem, faciliùs, additur; adimpletio boni operis, etiam sine Dei gratia posse fieri, tacitâ significatione suggeritur.* Itaque verè & sanè Pelagius sentiret, si liberum arbitrium (quod in potestate indifferentiæ constituebat) affirmaret egere verâ Christi gratiâ, vt per eam possit implere mandata: neque haberet Augustinus quid in illius verbis reprehenderet. Falsum ergo euidenter est, & putidè calumniosum, quod dicunt aduersarij post hæreticos huius temporis, sententiam Catholicorum, qui cum libertate indifferentiæ admittunt necessitatem auxilij gratiæ, esse hæreticam, & doctrinæ S. Augustini, fideíque Catholicæ capitaliter aduersam.

10. *Non ambigit quid intelligant nomine liberi arbitrij, sed quid nomine gratiæ.*

Ad hæc, cùm idem Pelagius in professione fidei suæ, missâ ad Innocentium I. anno 417. & relatâ à Baronio ad eundem annum, & tomo primo Concil. pag. 879. scripsisset prope finem: *Liberum sic confitemur esse arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt hominem peccatum vitare non posse: quàm illos qui cum Ioniniano asserunt hominem non posse peccare. vtrique enim tollunt libertatem arbitrij. Nos verò dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse; vt semper nos liberi confiteamur arbitrij. Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus:* Zozimus Innocentij successor (cui, isto iam defuncto, epistola & fidei professio Pelagij reddita fuit) non aduertens ad dolum sub his verbis latentem, *vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio*, valde eam probauit, & tum Pelagij accusatores, Erotem & Lazarum, tum Episcopos Africanos, qui eum damnauerant, grauiter reprehendit. Ergo iudicio Zozimi Papę nihil aliud in hac eius professione fidei de libero arbitrio desiderabatur, nisi vt veræ Christi gratiæ necessitatem admitteret. Ergo eiusdem Pontificis iudicio verè & Catholicè sentiunt qui arbitrium liberum à necessitate ita profitentur, vt tamen velint egere veræ Christi gratiæ adiutorio, præter legem, & doctrinam, quas Pelagius eo nomine intelligebat. Quis autem id non profitetur eorum quos illi calumniosè & inuerecundè Neo-pelagianos appellant? Cúmque D. Augustinus lib. de gratia Christi capite 33. eadem Pelagij verba retulisset, *Liberum sic esse confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio:* Tantùm ab illo quærit, Quo auxilio nos indigere fateatur; illi videlicet assensurus cum Zozimo, si auxilium gratiæ Christi necessarium esse respondisset.

11. Et cap. 31. eiusdem libri recitatis aliis Pelagij verbis ex epist. ad Innocent. *Ecce apud Beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua purè & simpliciter, ad peccandum, & ad non peccandum, integrum liberum arbitrium* (quoad naturalem scilicet facultatem agendi vel non agendi, positis omnibus prærequisitis) *habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino semper adiuuatur auxilio.* Quærit iterum Augustinus, *Quo auxilio liberum adiuuari dicat arbitrium? ne fortè, sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam.* De notione autem liberi arbitrij, quam ille in indifferentia statuebat, quæstionem nullam mouet. Atqui si de illa dissentiebat à Pelagio, æquè ac de ratione gratiæ: debebat non minùs sollicitè ab ipso quærere, Quodnam arbitrium liberum intelligeret: idque eo magis, quòd sub libertate indifferentiæ, quam eo nomine intelligebat, Pelagianæ hæresis totum virus latebat; vt dicunt aduersarij. Quis enim credat Augustinum tam subtilem & diligentem indagatorem huius hæreseos, tam acriter & exactè accuratéque illius refutationi incumbentem, tam vigilem, & intentum in omnes eius latebras perscrutandas, tam perspicacem & acutum in detegẽdis iis omnibus, quibus aliquid suspicionis & doli mali, callidíque sensus occultaretur, adeo tamen negligentem aut hebetem fuisse, vt præterierit, aut non aduerterit id quod in illa præcipuum erat, & quo ferè vno causæ totius summa, & controuersiæ decisio continebatur? Quis non miretur Augustinum toties audientem Pelagium, aut Iulianum definientem liberum arbitrium per facultatem indifferentiæ ad agendum, vel non agendum, nihil contra illam definitionem præscribere, sed de nominis *gratiæ* ambiguitate solùm esse solicitum: si, vt volunt aduersarij & identidem occinunt, quando simili modo liberum arbitrium describi audiunt, istiusmodi definitio Christiana non est, sed Aristotelea, falsa, hæretica, Pelagiana, doctrinæ Christi & Augustini capitaliter infensa. Sanè, vt rectè ait Ricardus lib. 2. Defens. cap. 3. sect. 3. §. 1. Si Augustinus à Pelagio discrepasset in hac notione liberi arbitrij, ídque sensisset quod volunt aduersarij; ita potiùs ei respondisset, quemadmodum faceret nouæ sectæ patronus aliquis: Non te purgat illa epistola, sed tuam potiùs hæresim prodit, cùm in ea liberi arbitrij indifferentiam prædices. Hic erroris tui fons est, & origo. Quandiu hanc libertatis notionem tenebis, quamcunque illi demum gratiam adiunges, nunquam hæretici nomen effugies. Si Catholicus vis haberi, libertatem definias oportet facultatem physicæ coactionis expertem. Hæc Catholica liberi arbitrij notio: hæc Ecclesiæ fides & sententia. Hoc si dixisset S. Augustinus, longis, operosísque disputationibus pepercisset, & hâc vnâ ratione Pelagij præfocâsset hæresim.

Patet igitur euidenter ex dictis id quod probandum suscepimus; definitionem liberi arbitrij per potestatem indifferentiæ ad vtrumlibet, non fuisse Pelagij propriam: sed in eam velut à lumine naturali acceptam, Philosophísque gentilibus cognitam, & à Patribus antiquioribus acceptam, sæpiúsque in sacris literis expressam, consensisse D. Augustinum, æquè ac cæteros Doctores, scriptoréque Catholicos: de quibus id iam ostendimus alibi, & fusiùs ostendemus paulò pòst, vbi priùs de Augustino plura dixerimus, & testimonia illius in contrarium producta exposuerimus. 12.

SECTIO II.

Respondetur argumentis ex Augustino contra libertatem indifferentiæ propositis.

13. *Argumenta Iansenij duplicia.* QVÆ aduersus libertatem indifferentiæ opponit Iansenius ex D. Augustino, duplicis generis sunt. Quædam enim eò tendunt, vt probet per peccatum originale periisse libertatem indifferentiæ circa bonum & malum morale. In quo apertè, & sine dissimulatione cum Lutheranis & Caluinistis sentit. Alia eò referuntur, vt ostendat manere adhuc nihilominus liberum arbitrium: quippe quod, inquit, non consistit in libertate à necessitate opposita indifferentiæ, sed in libertate à coactione opposita spontaneitati, aut volitioni: in quo à Caluinistis & Lutheranis discrepare videri vult.

14. Prioris generis sunt illa, quæ profert toto ferè lib. 3. de statu naturæ lapsæ: quibus abundè satisfecimus disputat. 18. sect. 3. & sequentibus. Posterioris sunt illa, quæ proponit lib. 6. de Gratia Christi Saluat. cap. 2. & seqq. vt probet liberum arbitrium in doctrina D. Augustini non opponi necessitati, sed coactioni. Quod sensim & gradatim persuadere nititur.

15. *Doctrina Augustini de libertate.* Ac primò quidem obiicit quod ait Augustinus, libertatem propriè dictam opponi seruituti, tract. 41. in Ioan. vbi id confirmat ex Christi verbis Ioan. 8. *Veritas liberabit vos &c. Omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* Et quia seruitus, & captiuitas, pro eodem sumuntur; affirmat pariter liberum propriè dictum opponi captiuo: cùm sic ait epist. 107. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus vnde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam &c. ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.* Et lib. 1. Operis imperfecti fol. 123. *Vt ipsa*, inquit, *verba iungamus, quod liberatur, captiuum est: quod captiuum, liberum non est: quod liberum est, captiuum non est.* Item, quia seruus, vt talis, habet relationem ad dominum; libertas verò respuit seruitutem: hinc est quòd illam opponit quoque dominationi: qui enim dominum habet in cuius est potestate, ille vt talis non est liber, sed potiùs sub eius dominatione captiuus & seruus. Vt cùm sic ait epist. 90. *Arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* & lib. de pec. merit. cap. 6. *Ab huius*, inquit, *execranda dominatione seruitutis liberantur, quibus Dominus Iesus &c.* Præterea quia quidquid est sub alterius dominatione, & captiuum, & seruum; id quoque ad alterum refertur, & est alterius, & in alterius potestate: hinc liberum subinde exponit Augustinus per *non esse in alterius potestate*: vt in epist. 107. sic dicens: *Responde quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberum habebamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Vnde nos si Deus eruit, ipse vtique liberum fecit?* Ac denique, quia seruitus, captiuitas, & dominatio alterius, sunt veluti vincula, quibus serui, captiui, & subditi ligantur, & impediuntur ab agendo quod volunt; exponit interdum Augustinus *esse liberum*, per esse inalligatum, & impeditum: vt libro tertio de libero arbitrio capite vicesimo-quinto, *Quàm sit autem liberum*, inquit, *& ab omnibus difficultatis vinculis expeditum in ipsa sanitate sapientiæ constituto* (id est, Adamo) *non cedere visis inferioris illecebræ* &c.

16. *Libertas tripliciter sumitur.* Sed ad hæc omnia non erit difficile respondere præsupposità distinctione, quam communiter tradunt Theologi, in libertatem à seruitute, siue subiectionis sub dominio alterius, siue peccati, aut alterius miseriæ corporalis, aut spiritualis; & in libertatem à coactione; & denique à necessitate. *1. pro libertate liberationis à seruitute aut miseria.* Prima dicitur libertas liberationis, & in eo consistit quòd quis liberetur à subiectione, vel à peccato, aut aliis miseriis quibus antea subiacebat, & quodammodo seruiebat: iuxta illud Ioan. ver. 34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* & Rom. 6. *Cùm serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ.* & cap. 8. *Tunc ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* *2. pro libertate à coactione.* Secunda vocatur libertas spontaneitatis, & in eo consistit quòd aliquis sit immunis à violentia, sponteq; agat, aut patiatur, non autem coactè. Duplex autem est coactio. Vna totalis & absoluta, quâ fit aliquid omnino renitente passo quantùm potest: vt quando aliquis planè contra suam voluntatem mouetur à causa fortiori, & præualente, vel vinctus retinetur, vel occiditur. Altera secundùm quid: quando scilicet aliquid facimus aut patimur ex parte inuiti, & ex parte consentientes ad vitandum maius aliquod malum: vt quando aliquis merces in mare proiicit ad vitandum naufragium, aut ægrotus patitur brachium sibi abscindi ne corpus totum pereat. Prior repugnat incompatibiliter voluntati quoad actus internos: est enim planè impossibile ipsam velle aut nolle planè inuitam, nihil conferendo ad eiusmodi actus, sed tota vi suâ reluctando; quia est prorsus impossibile nos non velle cùm volumus, aut non nolle cùm nolumus. Posterior verò non solùm compatitur volitionem, sed etiam libertatem indifferentiæ ad oppositum eius quod ita volumus. Nam mercator in periculo naufragij positus, potest non velle proiicere merces, & eligere potiùs de vita periclitari. Ægrotus quoque potest eligere mori potiùs, quàm permittere brachium sibi abscindi. De huiusmodi liberatione intelligendum est quod ait Apostol. Rom. 7. ver. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est, de fomite concupiscentiæ, qui nos sæpè quodammodo inuitos ad consensum trahit, & cogit aliquatenus; atque interdum etiam voluntate nihil conferente, sed quoad potest reluctante, erumpit in motus inordinatos, & rebelles rationi, de quibus ibidé dicit Apostolus: *Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* id est, concupiscentia quæ peccatum appellatur, quia ex peccato Adæ orta est, & ad peccandum impellit, vt ait Trident. sess. 5. can. 5. post Augustinum lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 23.

17. *3. pro libertate à necessitate.* Tertia denique vocatur libertas libentiæ, siue indifferentiæ: & in eo consistit, quòd habeamus potestatem faciendi quod lubet, possimúsque oppositum. Et hæc est quæ strictè & propriè libertas arbitrij nuncupatur: quæque requiritur, vt ea, quæ bene vel malè facimus, possint no-

bis imputari ad laudem vel ad vituperium, præmium vel pœnam: iuxta illud Ecclesiastici cap. 31. v. 13. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: Ideo stabilita sunt bona illius in Domino* &c. & 1. Corinth. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, seruare virginem suam, bene fecit.* Et 2. Cor. cap. 9. ver. 6. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.*

18. *Augustinus suprà loquitur de prima.* De prima specie libertatis, & liberationis siue à seruitute, siue à miseriis, loquitur Augustinus locis ab aduersario propositis, cùm ait libertatem opponi seruituti in aliquo sensu proprio, tract. 41. in Ioannem, & cùm liberum per gratiam, opponit captiuo per peccatum, epist. 107. & lib. 1. Operis imperfecti fol. 123. & dominationi, siue subiectioni sub dominio & potestate alterius, epist. 90. dicens arbitrium fieri liberum, quando liberatur à dominatione concupiscentiarum; & ei quod est esse alligatum, vel impeditum vinculis difficultatis in bene operando, vt verbis postremò relatis ex libro tertio de lib. arbit. cap. 25.

19. *Alibi tertiam sæpissimè commendat.* At verò, quando loquitur de libertate quæ exercetur in operibus moraliter bonis aut malis, quæque necessaria est vt iure possint ad laudem specialem & præmium, vel ad vituperium suppliciúmque imputari; manifestè docet illam in eo consistere, quòd operans sit liber à simplici etiam necessitate, atque ita bene operetur, vt possit non bene operari, vel ita peccet, vt possit à peccato abstinere. Vt cùm ait lib. 2. contra Faustum cap. 5. *Et nos sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Et cùm ait libro tertio de lib. arb. cap. 1. *Nulla culpa deprehendi potest vbi natura necessitásque dominatur.* Et cùm ait lib. de vera relig. cap. 14. *Si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.* Item, *Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.* Et cùm ait libro de duabus animabus capite vndecimo, neminem esse vituperatione supplicióve dignum, qui id non faciat quod facere non potest; idque doctis & indoctis, & toti generi humano toto orbe terrarum notum & decantatum esse. Et cùm ait libro tertio de libero arbitrio: *Si natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest.* Et libro tertio, capite 1. addit, motum voluntatis bonum aut malum non fore laudandum, aut vituperandum, si non esset voluntarius, & in nostra positus potestate: ita vt cardinem volútatis ad bonum vel ad malum pro libito detorqueamus. Et cùm ait lib. 2. de Actis cum Fœlice Manichæo cap. 4. *Habet vnusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite hoc, aut facite illud, ostendit esse in potestate quod facerent; & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent; si malum eligerent, manus illius sentirent.* Et cùm lib. de Gratia & lib. arbit. capite secundo relatis his Scripturæ verbis Ecclesiastici 15. *Apponet tibi ignem, & aquam: ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita, & mors: & quodcunque placuerit, dabitur ei*, subiungit exclamando: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium:* illis scilicet verbis, quæ manifestè sonant libertatem indifferentiæ circa bonum & malum. Et capite sequenti referens illud Apostoli Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, addit, *Vtique cui dicitur, Noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur:* quo nimirum potest velle non vinci à malo, sed vincere in bono malum. Atque hæc est illa libertas, de qua illi contentio erat cum Pelagio, quando inter eos controuertebatur an præter liberum arbitrium necessaria esset gratia ad faciendum bonum, & vitandum malum: illáque non solùm in lege & doctrina siue externa, siue interna consisteret; sed etiam in cælesti motione voluntatis, quæ faciat nos velle & operari quod bonum est.

SECTIO III.

Quo sensu exponat D. Augustinus liberum arbitrium per dominium, & habere in sua potestate?

OPPONIT secundò Iansenius cap. 3. & 4. lib. 6. de Gratia Christi Saluat. atque in eo veluti arcem suæ sententiæ constituit, Esse liberum, iuxta doctrinam D. Augustini lib. 14. de Ciuit. cap. 15. & lib. 2. de lib. arbit. cap. 3. & lib. de natura & gratia cap. 47. aliísque locis, & iuxta doctrinam aliorum Patrum, præcipuè Græcorum, non esse aliud, quàm esse in sua potestate: & generalem liberi rationem in actibus voluntatis, iuxta illos, in eo consistere, quòd eos habeamus in nostra potestate: *Voluntas igitur nostra* (id est, volitio) *nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis*, inquit Augustinus lib. 2. de lib. arbit. cap. 3. Quid sit autem esse aliquid in nostra potestate, mox definit ibidem dicens, *illud nos habere in potestate, quod cùm volumus facimus.* Idémque reperit libro 3. contra Maximinum cap. 14. Et lib. de spiritu & lit. cap. 31. *Hoc quisque habere in potestate dicitur*, inquit, *quod si vult, facit: si non vult, non facit.* Et lib. 1. Retract. cap. 31. *In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem:* id est, vt paulò antè dixerat, *Quod cùm volumus facimus.* Vel, vt ait libro secundo, capite primo: *Non dicimus esse in nostra potestate, nisi quod cùm volumus fit.* Ex quibus concludit aduersarius, actus voluntatis, tametsi necessariò elicitos, nihilominus esse liberos: quia ad hoc sufficit quòd sint in nostra potestate: sunt autem in nostra potestate, quia fiunt cùm volumus. 20. *Opponit Augustinum definire liberum, per, habere in sua potestate.*

Huic argumento adeò planè, & perspicuè, solidéque respondit Antonius Ricard. lib. 2. Defens. cap. 1. sect. 1. vt nihil addere necessarium sit. Eius autem responsionis summa est: Verè quidem D. Augustinum, aliósque Patres, & Theologos cum D. Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 1. & Philosophos cum Aristotele 3. Ethic. cap. 5. 21.

definire *liberum*, per *Esse in nostra potestate*: dicereque illos actus esse liberos, quos habemus in potestate: Sed iuxta communissimam, & constantissimam eorundem doctrinam, non dici nos habere in nostra potestate, nisi id, de quo possumus in vtramque partem disponere: & actus illos esse duntaxat in nostra potestate, quos si volumus, facimus: si non volumus, non facimus: ita vt pendeat à nostro nutu, & arbitrio, facere vel non facere. *Quibus in rebus*, inquit Aristot. loco suprà cit. *nostra in potestate situm est agere: in iis & non agere. Et in quibus non agere: in iis & agere.* Et D. Thom. in eundem locum Aristotelis lect. 11. ita confirmat hanc veritatem naturali lumine notam, & ab Ethnicis iuxtà, Catholicisque receptam: *Si operari est in nostra potestate; oportet etiam quòd non operari sit in nostra potestate. Si enim non operari non esset in nostra potestate, impossibile esset nos non operari. Ergo necesse esset nos operari: & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate.* Et Damasc. lib. 2. de fide cap. 26. *Eorum*, inquit, *quæ fiunt, quædam in nobis sita sunt, quædam non sunt. In nobis sita illa sunt, quorum liberam habemus potestatem, vt aut ea faciamus, aut non faciamus.* Et paulò pòst: *Propriè verò in nostra potestate consistunt ea omnia, quæ ad animam spectant, & de quibus consultamus. Consilium vero est eorum, quæ ex æquo contingunt. Contingit autem ex æquo id, quod tam ipsum possumus, quàm huic oppositum.* Similia, & iisdem fere verbis habet Nemesius, Gregorij Nysseni contemporaneus, libro de natura hominis capite 40. ex quo Damascenus transcripsisse videtur. Et Clemens Rom. epist. 3. (si tamen verè illius est) vbi dicit esse in nostra potestate amplecti mandata vitæ; quia possumus ea admittere, vel respuere, & in quam partem voluerimus, declinare. Et Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. prope finem, *Id est*, inquit, *in potestate nostra, cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur: vt, philosophari, vel non: credere, vel non credere.*

Quid sit habere in potestate?

22\. Eandem esse doctrinam D. Augustini patet ex lib. 2. de Actis cum Fœlice Manichæo capite 5. vbi ex eo quod dixerat Manichæus, *Multos seruare legem noluisse*, infert ab eo, licèt inuito, & incauto, confirmatum esse liberum arbitrium. *Qui enim legem seruare non vult, in potestate eius est, si velit.* id est, potest seruare legem, si vult: quia si non esset in eius potestate eam seruare, si velit; non diceretur *nolle seruare*, sed *non posse*. Nimirum quia, vt supponit Augustinus, iuxta communem loquendi & sentiendi morem, non dicimus habere in nostra potestate, facereque si volumus, & non facere si non volumus, nisi id quod pendet ab electione nostra vt velimus, aut non velimus: & vt fiat, aut non fiat: quemadmodum multis exemplis ostendimus disputat. præcedenti numero 51. & fusiùs ostendit Ricardus loco suprà cit. Eademque de causa idem S. Doctor libro tertio de libero arbitrio cap. 1. dicit motum animi nostri, quo, relicto bono incommutabili, ad mutabilia conuertimur culpabiliter, dissimilem esse motui lapidis, quo naturaliter mouetur deorsum: in eo quòd *in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferiùs: animus verò, dum non vult, non ita mouetur vt superioribus desertis, inferiora diligat. Et ideo naturalis est lapidi ille motus: animo verò iste voluntarius.* Itaque ex mente D. Augustini, animam habere motum illum in sua potestate, est ita illum exercere, vt possit eum cohibere, & cohibeat si vult. Indéque infert motum illum esse culpabilem, & imputabilem voluntati; quamuis ille non sit imputabilis lapidi, quia non est in potestate lapidis motum suum cohibere, si velit.

Augustinus ipse id explicat, per, habere liberam electionem.

Eodem ergo sensu dicit cap. 3. eiusdem libri, citato ab aduersario num. 20. Liberum est nobis quod est in nostra potestate. &, *Illud est in nostra potestate, quod cùm volumus, facimus.* Idémque sæpius docet aliis locis: vt lib. de spirit. & lit. capite 31. vbi sic pronunciat: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* Indéque colligit fidem esse in nostra potestate, quia credimus si volumus, & non credimus si nolumus. Et libro de natura & gratia cap. 47. probat contra Pelagium, videndi possibilitatem in nostra potestate sitam esse quia in nostra potestate est cæcitas, quâ idipsum videre posse, nobis adimamus, si volumus. Ibidémque τὸ *Esse in potestate*, exponit per facultatem ad agendum, & non agendum. *De odoratu autem*, inquit, *quod dicit, nonne parum attendit non esse in potestate nostra posse odorari, vel non posse: sed in nostra potestate esse, hoc est, in libera voluntate, odorari, vel non odorari?* Et lib. 1. Retract. cap. 22. *Est in nostra potestate*, inquit, *vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius seueritate.* 23.

Confirmatur, quia quidquid est in potestate nostra, cadit in liberam electionem: vt rectè addit Ricardus suprà cit. & probat auctoritate Eusebij lib. 6. de Præparat. Euang. Gregorij Nysseni orat. Catechet. cap. 31. Augustini lib. 2. contra Fœlicem cap. 4. aliisque locis, & D. Thomæ 1. p. quæst. 83. art. 3. Idémque affirmat aduersarius ipse tom. 3. lib. 6. cap. 35. Idem etiam communi consensu docent Philosophi, æquè ac Theologi. Verba Eusebij sunt: *In nostra positum est potestate, quod ex propria electionis motione fit.* Atqui electio non est nisi inter plura, quorum libera sit optio. Nam, vt verissimè ait D. Thomas 1. 2. quæstione 13. articulo 2. *Cùm electio sit præacceptio vnius, respectu alterius; necesse est quòd electio sit respectu plurium quæ eligi possunt. Et ideò in his, quæ sunt penitus determinata ad vnum, electio locum non habet.* Eandem notionem electionis dat Scriptura Deuteron. 30. versu 19. *Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem; benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam &c.* Et res adeò certa est, vt Ennodius Ticin. lib. 2. epist. 23. schismatis & blasphemiæ damnet eum, qui electionem nominat, vbi vnam tantùm partem asserit esse concessam. 24.

Idem affirmant alij Patres.

Item, illa propriè sunt in nostra potestate, de quibus consultamus, vt ait Nemes. cap. suprà cit. Nemo autem de his rebus consultat, quæ aliter se habere non possunt, inquit Aristot. 3. Ethic. cap. 5. Nisi enim ambo possumus, tam illud scilicet, quàm eius contrarium, neutiquam consultaremus, vt addit Nemes. cap. 33. lib. cit. Supráque modum insanus haberetur homo ille, qui consultaret, debeátne Solem alium creare, vel istū de medio tollere: non alia scilicet de causa, nisi quia neutrum habet in sua potestate. 25.

Non habemus in potestate nisi ea, de quibus consultamus.

Præterea, vt docet ipsemet aduersarius lib. suprà citato cap. 3. & 35. idem prorsus est in doctri- 26.

Et circa quæ habemus dominium voluntatis.

na sancti Augustini, actum aliquem esse in nostra potestate; &, esse in dominio voluntatis. Atqui voluntas non habet dominium earum volitionum, quas ex necessitate elicit. Vt enim rectè ait S. Thom. 1. contra gent. cap. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum.*

27. Ex his omnibus confici potest hoc argumentum, retorquendo in aduersarium illud ipsum, quod nobis opposuit. Liberum illud est, quod in nostra est potestate, iuxta doctrinam D. Augustini, aliorúmque Patrum, & Theologorum, ac Philosophorum, hominúmque omnium communem sensum. Atqui nullus actus necessarius est in nostra potestate, iuxta eosdem: quia non est in nostra potestate nisi id, de quo liberè in vtramque partem disponimus. Ergo nullus actus necessarius est liber. Tota hæc responsio confirmabitur ampliùs ex solutione tertij argumenti, quod præcedenti affine est.

SECTIO IV.

Quo sensu exponat Augustinus liberum arbitrium per facere cùm volumus, aut si volumus?

28. *Expositio Iansenij.* OPPONIT enim tertiò Iansenius cap. 5. eiusdem libri 6. de gratia Christi Saluat. voluntatem, eo ipso quòd voluntas est, liberam esse: & eo ipso quòd vult aliquid, liberè velle: ita vt implicet contradictionem vt voluntas non sit libera: sicut implicat quòd volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc est, vt voluntas non sit voluntas, inquit ipso fere initio cap. cit. Ad quod probandum adducit Augustinum lib. 3. de lib. arb. cap. 3. vbi exponens Euodio (quîcum ipse colloquitur) quo pacto per præscientiæ diuinæ necessitatem non tollatur libertas voluntatum nostrarum, cùm necesse sit omnino fieri, quidquid præuiderit futurum Deus: ita libertatem voluntatis, id est, volitionis, asserit; vt nihil aliud probet, quàm eam esse voluntatem, & consequenter eam fieri cùm volumus: & idcirco esse in potestate nostra, & liberam nobis. *Non enim negare possumus* (inquit Augustinus) *habere nos potestatem, nisi cùm nobis, quod volumus, deest: Dum autem volumus, si ipsa voluntas* (id est volitio) *deest nobis, non vtique volumus. Quòd si fieri non potest vt dum volumus, non velimus: adest vtique voluntas volentibus; nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra* (id est volitio) *nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera nobis est; non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.*

29. *Eius contradictio.* Respondeo primò, si voluntas eo ipso quòd est voluntas, est libera; & si eo ipso quòd vult, liberè vult, implicátque contradictionem vt volitio non sit libera, sicut implicat vt volendo non velimus: sequitur infantes nondum ratione vtentes, & amentes liberè velle; quia volunt, & ex voluntate agunt: quod falsum & absurdum esse nemo sanæ mentis inficiabitur. Sequitur prætereà falsum esse, quod idem auctor tradit cap. 5. in fine & 36. eiusdem libri, motus improuisos voluntatis, tametsi voluntarios, non tamen esse liberos; quia non sunt in hominis potestate, & non sumus eorum domini. Etenim si implicat contradictionem, velle, & non liberè velle, sicut implicat vt volendo, non velimus: manifestè repugnat vllum esse motum voluntatis, & voluntarium, qui non sit liber. Et si non potest esse nostra volitio, quin sit in nostra potestate, simúsque illius domini; vt ille contendit ex Augustino: implicat eiusmodi motus voluntatis improuisos non esse in nostra potestate, subesséque nostro dominio. Sed non est infrequens huic auctori sibi apertè contradicere, vt frequenter notare cogimur.

Respondeo secundò, Non nisi ineptissimè exponi Augustinum eo sensu, quo ille vult. Sic enim difficultati ab Euodio propositæ non satisfaceret, sed illi planè succumberet. Etenim quæstio proposita hæc erat: Quomodo stare potest libertas arbitrij cum Dei præscientia? Et, quâ ratione fieri potest vt homo non peccet necessariò, si Deus præscit illum esse peccaturum? Si enim, inquit, præscius est Deus peccaturum esse hominem; necesse est, vt peccet. Si autem necesse est: Non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potiùs ineuitabilis & fixa necessitas. Vbi manifestè loquitur Euodius de necessitate opposita contingentiæ, siue indifferentiæ, libertatique arbitrij propriè dictæ: Et quærit, Quomodo fieri possit vt volitio nostra culpabilis, sit contingens, elicitáque ex potestate indifferenti ad non peccandum, si Deus præscit nos esse peccaturos; & si eius præscientia est infallibilis? Si enim contingenter euenit id, quod à Deo præscitur, potest non euenire: & si potest non euenire, potest aliter se habere quàm præscitur; atque ita falli potest diuina præscientia. Hoc, inquam, est, quod Euodio, æquè ac Tullio, & Philosophis gentilibus difficultatem fecit, atque etiam nunc facit Theologis in conciliandа Dei præscientia cum libertate arbitrij circa euentus præscitos: non autem libertas opposita violentiæ, & simplici coactioni. Neque enim illi dubitabant, neque vlla difficultatis vmbra in eo est, quomodo Deus possit certò præscire, & infallibiliter ea, quæ necessariò & infallibiliter futura sunt, tametsi fiant non coactè, & sine violentia illata voluntati, quam in actibus ipsius voluntatis simpliciter inferri, contradictionem implicat, vt fatetur aduersarij: quia hoc esset facere vt volitio nō sit volitio. Quare si Augustinus respondet (vt iisdem aduersariis placet) volitionem præscitam à Deo nihilominus esse liberam, quia fit à voluntate; & eo ipso liberam esse, quòd fit à voluntate, quamuis necessariò fiat: planè concedit Euodio, & Philosophis Ethnicis id quod intendunt: aut succumbit difficultati, respondens id, de quo ipsi minimè dubitabant, videlicet nostras volitiones à voluntate fieri: & dissimulans id, de quo erat difficultas & quæstio proposita; quomodo non velimus necessariò, quod Deus præsciuit nos fuisse volituros? Et si volumus necessariò, quomodo est in peccando voluntatis arbitrium, ac non potiùs ineuitabilis & fixa necessitas. 30. *Facit Augustinum difficultati succumbere.*

31. *Quæstio illi erat de simplici necessitate, non de coactione.* Confirmatur, quia Euodius, & Philosophi Ethnici, quorū ille personam sustinet, non aliam

necessitatem rebus præscitis affingebant, nisi illam quæ ad saluandam infallibilitatem præscientiæ diuinæ sufficeret, quâ scilicet res aliter euenire non possit: vt patet ex his verbis Euodij cap. 2. libri citati: *Quisquis dixerit aliter euenire posse, quàm Deus præsciuerit, præscientiam Dei destruere insanissimâ impietate molitur.* Ad hoc autem sufficit vt res præscita simplici necessitate eueniat; ita vt non possit aliter euenire, quamuis sine coactione fiat. Ergo ostendendum erat Augustino ne simplicem quidem necessitatem imponi à Dei præscientia rebus præscitis, vt propositæ difficultati satisfaceret.

32. *Quomodo Augustinus docet eam non inferri per Dei præscientiam.* Itaque tertiò dicendum est, longè aliam esse mentem D. Augustini: qui loco illo per *voluntatem*, non intelligit latè & generaliter totam volendi facultatem; sed strictiùs facultatem volendi liberè: similitérque per *volitionem*, non intelligit vniuersim quemcunque actum à voluntate elicitum quomodocunque; sed eum duntaxat, qui ex libera electione, seu potestate indifferenti elicitur. Quo sensu voluntatis nomen vsurpat frequentissimè Diuus Augustinus: vt capite quarto eiusdem libri 3. in fine, vbi dicit, *Ad præscientiam Dei pertinere, ne quid eum lateat futurorum: & ad iustitiam, vt peccatum, quia voluntate committitur, ita iudicio eius impunè non fiat.* Vbi per *voluntatem*, liberam intelligit, quæ scilicet ita peccat, vt possit non peccare. Nam, vt idem ait libro de duabus animabus cap. 11. & 12. Notum omnibus est, neminem peccare, si facit id, quod non potest non facere: &, *Peccati reum dicere eum, qui non fecit quod facere non potuit, summa iniquitatis est, & insania.* Et lib. 1. Retract. cap. 9. refert & approbat, quod scripserat lib. 1. de lib. arbit. *Malefacta iustitiâ Dei vindicari. Non enim iustè vindicarentur, nisi fierent voluntate*, libera scilicet, & non necessitatâ: quia, vt idem ait lib. 2. contra Faustum cap. 5. Liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei, ab omni vinculo necessitatis vindicandum est. Et eodem lib. 1. de lib. arbit. capite 12. *Vides igitur*, inquit, *in voluntate nostra esse constitutum, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto & tam vero bono:* id est, in nostro situm esse arbitrio frui vel non frui. Et capite 13. addit, *voluntate nos laudabilem & beatam vitam, voluntate turpem & miseram mereri, ac degere:* id est, hanc vel illam eligere, & vitium, aut virtutem, pro arbitratu sectari. Et capite 16. eiusdem libri initio sic ait: *Quid autem quisque sectandum, & amplectendum eligat, in voluntate esse positum constituit, nullâque re de arce dominandi, rectóque ordine mentem deponi, nisi voluntate*, libera scilicet, quæ eligit hoc aut illud sectari & amplecti. Non eligit autem, qui ad vnum determinatus est, ita vt aliud velle & amplecti nequeat. Et ne longior sim, aduersarius ipse tom. 3. libro sexto, capite septimo, affirmat Augustinum mille locis sumere pro eodem voluntatem, & liberum arbitrium voluntatis. Et tom. 2. libro quarto de statu naturæ lapsæ, capite vicesimo-primo, dicit illos, qui apud sanctum Augustinum, maximè in libris aduersus Manichæos, voluntatis nomine volitiones omnes comprehendi putant, in eius doctrina hospites esse, atque peregrinos: speciatímque ibidem asserit, in hoc ipso lib. 3. de lib. arb. (ex quo præsentem obiectionem sumpsit) voluntatem sumi strictiùs pro libertate indifferentiæ, quali primus parens peccauit. Quâ confessione vim omnem adimit argumento quod ex illo libro desumpsit, & sibimetipsi contradicit, quando nunc contendit pro quacunque volitione accipi.

Ipsa quoque verborum series ostendit ita sumi vt dicimus. Quærit enim Augustinus initio, vnde ille motus existat, quo voluntas auertitur à communi & incommutabili bono? Respondétque non oriri naturalitèr à voluntate, vt Manichæi volebant, affirmantes malam cuiusque animam amare malum necessitate naturali, bonam eâdem necessitate amare bonum, sicut Deus seipsum naturaliter amat: quoniam alioqui motus ille non esset culpabilis. Vnde concludit esse voluntarium, id est, non naturalem & necessarium, sed liberum: & quia est voluntarius, id est liber, positum esse in nostra potestate. Eodémque sensu in lib. de duab. animab. cap. 12. dicit, *Si duæ illæ cuiusque animæ*, (bona & mala, iuxta Manichæos) *faciunt quidquid faciunt, natura, non voluntate, id est, si libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Eodem quoque sensu Patres antiqui, Athanasius, Ambrosius, Epiphanius, Augustinus, Cyrillus, & alij, dixerunt Patrem non genuisse Filium voluntate, sed naturâ: similitérque Spiritum sanctum non procedere voluntate, sed naturâ: id est, non libera electione, sed naturali necessitate. Et D. Thom. 1. p. q. 41. art. 2. ad 3. dicit actus naturali necessitate elicitos à voluntate, ab illa fieri, non vt voluntas, sed vt natura est: indéque concludit Spiritum sanctum procedere à voluntate, non vt voluntas est, sed vt natura: quia vt ait ibidem in corp. voluntas & natura secundùm hoc differunt in causando, quòd natura est determinata ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum. Quare quando voluntas operatur vt determinata, non agit vt voluntas, sed vt natura est. 33. *Voluntatem & volitionem sumit pro libera.*

Similiter quando Augustinus loco citato in obiectione, dicit voluntatem, id est, volitionem nostram, fieri cùm volumus; & idcirco esse in potestate nostra, & liberam nobis; non sumit voluntatem, aut volitionem amplissimè pro quocunque motu voluntatis: sed strictiùs, vt solet, pro sola voluntate seu volitione libera, id est, contingenter & non necessariò elicitâ, de qua sola erat quæstio cum Euodio, vt suprà ostendimus. Idque ipsa verba D. Augustini præ se ferunt, si iuxta communem, & vsitatum inter homines loquendi modum, sicuti debent, accipiuntur. Quando enim dicimus fieri aliquid cùm volumus, aut quod idem sonat, & promiscuè vsurpatur ab Augustino, fieri si volumus; subintelligi solet iuxta communem hominum sensum, & non fieri cùm nolumus, aut si non volumus: ita vt sit in nostra potestate velle aut nolle, & facere aut non facere, prout libet. Neque enim de iis quæ necessariò fiunt, talis loquendi modus vsurpatur. Ex. gr. Beati qui necessariò Deum diligunt, non dicunt de seipsis, Diligimus Deum cùm volumus, aut si volumus: neque de illis quisquam sic ait, Sancti Deum videntes, eum diligunt, si volunt aut 34.

cùm volunt. Nemo etiam rectè dicat, Pater & Filius, cùm volunt, aut si volunt, producunt Spiritum Sanctum: vel, Deus seipsum infinitè amat si vult, aut quando vult. Nimirum quia iste loquendi modus significat potestatem ad oppositum, quæ in prædictis exemplis deest. Præcipuè verò si hæc duo simul iungantur, quæ Augustinus loco citato in obiectione coniunxit, habere aliquid in potestate, quia fit cùm volumus. Nullus enim sic loquitur, *Illud est in mea potestate, quia fit cùm volo*, nisi ad significandum se posse facere vel non facere, & velle aut non velle id de quo loquitur, neutrique parti disiunctionis se esse necessitate deuinctum. Ita vt, *fieri cùm volo*, in hac propositione idem sit, atque fieri quando liberè, seu pro libito, & cum indifferentia volo. Et vt ait Augustin. lib. de spirit. & lit. cap. 31. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult, non facit.*

35. *Quid sit propriè, facere si volumus?* Confirmatur: quia vt rectè ait Ricard. lib. 2. Defens. cap. 1. sect. 3. §. 1. in eiusmodi propositionibus particula, *si*, denotat voluntatem indifferentem ad volendum vel non volendum, & neutri parti necessariò addictam. Vnde dicimus quidem Deum posse creare alium mundum si velit; quia id potest velle & non velle. Sed non dicimus Patrem & Filium posse producere Spiritum Sanctum, si velint: quia non possunt non velle, neque dubium est: quin velint. Sic ergo quando dicitur fieri aliquid, cùm volumus; si sermo sit de actibus imperatis à voluntate, & operibus eius externis, sensus est, ea fieri, quia efficaciter ea volumus, cùm possemus non velle. Si autem sermo sit de ipsis actibus elicitis à voluntate, & per se primò liberis (nam & ipsum velle maximè fit cùm volumus, vt ait Augustin. lib. 5. de Ciuit. cap. 10.) sensus est, actus illos elici, quia voluntas se ad illos liberè determinat, atque ita eos elicit, vt possit non elicere; stantibus iisdem prærequisitis. Simili modo, quo dicunt Philosophi cum Aristotele, nos vti habitibus cùm volumus, id est vt ipsemet aduersarius interpretatur tom. 1. lib. 5. cap. 19. quando voluntas habitum sic applicat ad producendam secum volitionem, vt posset non applicare: & quando dicimus voluntatem vti concursu Dei, si vult, ad naturales volitiones exercendas, sensus est voluntatem ex natura sua esse indifferentem ad vtendum; illóque vti, si velit; & non vti, si non velit: vt idem ait cap. cit. & tom. 3. lib. 8. cap. 2. Ita vt particula, *si velit*, denotet liberam determinationem voluntatis, quâ Dei concursum sic applicat ad agendum, vt possit non applicare.

36. Confirmatur secundò, quia cùm dicimus, nos aliquid facere, cùm volumus, aut si volumus; sensus est, nos id facere quia volumus: ita vt vltima ratio cur id faciamus, sit quia volumus facere, nullâ aliunde necessitate adstricti ad faciendum. Nam alioqui dicendum potiùs est, nos id facere, quia non possumus non facere; siue, quia necessitate impellimur ad agendum: non autem, quia volumus facere: vt suprà vidimus argumentari D. Augustinum lib. 2. de Actis cum Fœlice Manichæo cap. 5. Significat, inquam, modus ille loquendi dominium voluntatis in actum, & potestatem disponendi de illo, ita vt eum vel ponat vel non ponat, prout vult. Voluntas autem non habet dominium earum volitionum, quas ex necessitate elicit. vt enim rectè ait S. Thom. 1. contra Gentes cap. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum.*

Verus ergo sensus Diui Augustini loco cit. in obiectione ex libro tertio de libero arbitrio capire tertio hic est: Præscientiam diuinam non officere libertati actionum nostrarum, quia non facit vt voluntas, seu volitio nostra libera, non sit talis, & non sit in potestate nostra eam elicere, vel non elicere; fiátque si volumus, aut cùm volumus, & non fiat si nolumus, aut quando nolumus: quin potiùs ex præscientia diuina inferendum esse operationes nostras esse liberas; quia Deus, qui præscit tales fore, non fallitur in sua cognitione: falleretur autem, si tales non essent, quales futuras esse præsciuit. Neque verò infert suâ præscientiâ necessitatem agendi: sed potiùs merè speculatiuè se habet circa obiectum, quod naturâ vel ratione priùs futurum esse præsupponit eo modo quo re ipsâ futurum est. Ac sicut inter homines, si vnus præsciat quid alter sit facturus, putà, quòd sit peccaturus, non proptereà cogit eum peccare, id est, non proptereà eum necessitat ad peccandum: tametsi ille sine dubio peccaturus est: non enim aliter præsciretur esse peccaturus. Ita Deus neminem ad peccandum cogens, id est, necessitans, præuidet tamen eos, qui propriâ voluntate, id est, libertate peccabunt. Et sicut memoria nostra non cogit, id est, necessitat facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda esse, quæ futura sunt. Sicut denique præscientia Dei non officit eius libertati circa ea quæ facit; sic neque officit nostræ libertati circa ea quæ ipsi facimus. Quæ omnia exempla Diuus Augustinus ad id explicandum & confirmandum adducit libro citato capite quarto quo totam hanc disputationem de concordia libertatis cum præscientia diuina concludit. 37. *Vera expositio loci obiecti ex Augustino.*

Adde quòd ibi sermo erat Augustino de peccato primi parentis, déque voluntate, qua initio Dei mandatum transgressus est. Quæ voluntas, iuxta doctrinam ipsius aduersarij, mala culpabiliter esse non potuit, nisi omni necessitate soluta esset. Ergo incumbebat Augustino ostendere præscientiam diuinam non inferre necessitatem rebus præscitis. Prima pars antecedentis patet manifestè ex verbis Euodij capite secundo eiusdem libri 3. de libero arbitrio quæ sic habent: *Ineffabiliter me mouet, quomodo fieri possit, vt & Deus præscius sit omnium futurorum, & nos nullâ necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter euenire posse aliquid, quàm Deus antè præsciuit, præscientiam Dei destruere insanissimâ impietate molitur. Quapropter si præsciuit Deus peccaturum esse primum hominem, quod necesse est concedat mihi, quisquis mecum futurorum omnium præscium fatetur Deum &c. quoniam peccaturum esse præsciuerat, necesse erat & fieri quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera, vbi tam ineuitabilis apparet necessitas.* Secunda verò pars eiusdem propositionis traditur ab aduer- 38. *Confirmatur ex adiunctis.*

sario tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 4. 5. 6. & lib. 4. cap. 24. & quatuor sequentibus, alibique sæpius, vbi affirmat primum hominem in statu naturæ integræ neque peccare, neque iustè puniri potuisse, si necessitate simplici fuisset ad peccandum impulsus. Itaque de istiusmodi necessitate loquebatur Euodius, & Augustino incumbebat ostendere præscientiam Dei ne simplicem quidem necessitatem ad peccandum Adamo intulisse.

39. Et quamuis paulò pòst loquatur etiam Euodius de hominibus lapsis, vt patet ex his eius verbis cap. 4. libri cit. *Nondum video, quomodo sibi non aduersentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam & iustum Deum necesse est fateamur, & præscium. Sed scire vellem quâ iustitiâ puniat peccata, quæ necesse est fieri? Aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præsciuit? aut quomodo non creatori deputandum est, quidquid in eius creatura fieri necesse est.* Non minùs tamen ad soluendam hanc difficultatem ostendendum erat Augustino necessitatem peccandi non inferri lapsis hominibus per Dei præscientiam. Tum quia dixerat cap. 1. eiusdem libri, motum illum, quo voluntas ad inferiora conuertitur, desinere liberum esse, & in nostra potestate, hoc ipso, quo fingitur naturaliter existere à voluntate, id est necessariò; siue à voluntate, vt est natura, iuxta ea, quæ diximus numero 33. & seqq. Tum etiam quia si præscientia diuina imponeret hominibus lapsis necessitatem peccandi; non peccarent culpabiliter, iuxta doctrinam ipsiusmet aduersarij tom. 2. lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. & 25. vbi affirmat, omnem peccandi necessitatem, quæ aliunde oritur quàm à concupiscentia, vel ab ignorantia per culpam primi parentis inductâ, excusare à peccato, & à pœna. Itaque vt satisfaciat Augustinus Euodio interroganti, quomodo Deus iustè puniat peccata, quæ præscit; quæque propter ipsius præscientiam videntur necessariò euenire; debuit ostendere præscientiam, non coactionem (de qua sermo non erat) sed simplicem necessitatem non inferre. Aliter enim non potest Augustinus libertatem arbitrij nostri in peccando conciliare cum Dei præscientia. Et de hoc argumento hactenus.

SECTIO V.

Exponuntur alia duo Diui Augustini testimonia.

40. *Iansenius tom. 3. lib. 6. de Gratia Christi cap. 5.* *Augustinus exponit libertatem, per, nolle, inquit Iansenius.*

OPPONIT quartò aduersarius, Diuum Augustinum libro secundo de Actis cum Fœlice Manichæo, capite quinto, vt ostenderet Manichæum ipsum libertatem arbitrij imprudenter confessum esse, verba ipsius referre ex libro, qui *Thesaurus* inscribebatur, vbi dixerat aliquos Dei legem *seruare noluisse*: posteáque addere: *Vides in his verbis confirmatum esse, etiam à nesciente quod loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim seruare legem non vult, in potestate eius est, si velit: Non enim dixit, non potuerunt; sed, noluerunt.* Vnde colligit tom. 3. libro sexto capite quinto §. *Nec in isto*, Diuum Augustinum ex solo *nolendi* verbo arbitrij libertatem asserere. Nimirum quia hoc est liberum nobis, quod cùm volumus, facimus; seu quod est in potestate, vt fiat si velis, non fiat si nolis.

41. *Ineptum reddit eius discursum contra Manichæum.* Sed hæc ratiocinatio non minùs est vitiosa, & aliena à mente Diui Augustini, quàm præcedens. Si enim ex solo nolendi verbo assereret libertatem arbitrij; vellétque *nolle* idem esse, ac liberè nolle; & *velle* idem esse, ac liberè velle; omnémque volitionem, & nolitionem liberam esse, eo ipso quòd est volitio aut nolitio, vt contendit aduersarius: nihil prorsus efficeret contra Manichæum, qui non negabat homines velle, quando volunt; & nolle, quando nolunt. Vanáque prorsus, & inepta fuisset inter eos concertatio de libero arbitrio, si de volitione aut de nolitione tantùm controuersia extitisset, id est, si quæstio tantùm fuisset, vtrum homines velint, quæ volunt; aut nolint, quæ nolunt. Quis enim nisi prorsus amens & rationis expers hoc in dubium reuocet? Verùm, vt constat ex lib. de duabus animabus, & aliis contra Manichæum scriptis, tota eorum disputatio in eo versabatur, vtrum homines bene & laudabiliter agendo, vel è contrario malè & culpabiliter; id facerent absque antecedenti necessitate, & ita vt possent aliter facere, vt contendit Augustinus: vel potiùs necessitarentur ad bene agendum ab anima bona, & à mala ad malè operandum, prout hæc aut illa prædominabatur, vt volebant Manichæi.

42. *Probatur eam explicari ab August. per indifferentiam.* Ipsa quoque Augustini verba in obiectione relata planè diuersum sensum habent ab eo, quem prætendunt aduersarij, & omnino contrarium: idque tam apertè, vt parum attentos esse oportuerit, qui id non aduerterunt. Est enim manifestum explicare ipsum libertatem arbitrij, per hoc quod habet potestatem ad vtrumlibet, & indifferentem ad opposita; ita vt possit legem seruare, si velit; & non seruare, si non velit. *Qui enim* (inquit Augustinus) *seruare legem non vult, in potestate eius est seruare, si velit*: id est, ita non vult eam seruare, vt possit etiam velle seruare, pendeátque alterutrum à libera eius electione. *Non enim dixit, non potuerunt; sed, noluerunt*: id est, non ideò eam non seruarunt, quia non potuerunt seruare; sed quia noluerunt, sicut reipsa poterant. Habuerunt ergo potestatem ad vtrumlibet: & ad non seruãdum, quia reipsa non seruarunt, & ad seruandum, quia potuerunt seruare. *Non enim dixit, non potuerunt seruare; sed, noluerunt.* Falsum ergo est Diuum Augustinum ibi asserere libertatem arbitrij per simplicem nolitionem, vt dicunt aduersarij: cùm euidenter illam asserat per potestatem ad vtrumlibet, liberámque electionem vnius præ alio. Quod ampliùs patet ex verbis eiusdem S. Doctoris paulò antea præcedentibus cap. 4. eiusdem libri 2. contra Fœlicem, vbi sic eum compellat. *Audi ergo de libero arbitrio, primò quidem ipsum Dominum. vbi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti. Audi dicentem, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Cùm ergo dicit, Aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus facere arborem potest: sed habet vnusquisque*

in voluntate, ait eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Poterátne clariùs significare, in eo sitam esse vim & naturam liberi arbitrij, vt possimus hoc aut illud eligere, & bonum aut malum, vt libet, amplecti?

43. *Disputatio Augustini cum Tullio de præscientia & libertate.* Opponit quintò Iansenius eundem Augustinum lib. 5. de Ciuit. cap. 9. libertatem arbitrij cum præscientia diuina conciliare volentem aduersus Tullium, qui eam impugnabat, hoc vnum tantùm adstruere: & Deum præscire quæ facimus: & tamen aliquid homines voluntate sua, seu volendo facere, quod non fieret si nollent. Quod perinde est, ac si diceret: Hoc ipso, quo volunt, exercent liberum arbitrium; quia non nisi liberè volunt. *Nos, inquit, aduersus istos sacrilegos ausus atque impios, & Deum dicimus omnia scire antequam fiant, & voluntate nos facere, quidquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus, & nouimus.* Et paulò pòst: *Ne timeas, inquit, ne ideo non voluntate faciamus, quòd voluntate (id est, volendo) facimus, quia id nos facturos ille præsciuit, cuius præscientia falli non potest.* Quæ Augustini disputatio friuola & inanis est, si voluntas, id est volitio, esse possit, quæ non sit libera. Statim quippe respondebitur, voluntates illas, quas Deus præscit, non esse liberas voluntates, sed necessarias. Corruit igitur funditus Augustini responsio, nisi illo fundamento fulciatur, quòd nulla omnino voluntas præsciri possit à Deo; quin hoc ipso sit libera cùm hoc ipso sit voluntas, ideóque hoc ipso in hominis potestate, quia fit cùm vult. Ita Iansenius tom. 3. lib. 6. capite 5. §. *Hinc ergo proficiscitur.*

44. *Redditur inepta à Iansenio.* Respondeo primò, multò magis corruere responsionem D. Augustini, friuolámque & inanem reddi totam eius disputationem cum Tullio, si nitatur eo fundamento, quo dicunt aduersarij. Neque enim Tullius negabat nos velle; & volitiones nostras à Deo præscitas, esse nihilominus volitiones: sed negabat, aut dubitabat, essêntne liberæ, id est, contingenter futuræ, ita vt possent non esse futuræ; & tamen præscirentur à Deo, cuius præscientia falli non potest, ideóque res ab eo præscita non potest aliter se habere, quàm fert ipsius præscientia. Et quia hæc duo existimabat se compati non posse; *In has angustias* (inquit Augustinus ibidem) *coarctat animum religiosum, vt vnum eligat è duobus; aut esse aliquid in nostra voluntate,* id est, libertate; *aut esse præscientiam futurorum. Quoniam vtrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmatur, alterum tolli: si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium &c. Quod vt confirmaretur, negauit præscientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos.* *Verus illius scopus.* Difficultas ergo, quæ Ciceronem mouit ad ita existimandum, est, quia ea, quæ libero voluntatis arbitrio fiunt, contingenter fiunt, id est, ita vt possint non fieri. Quæ autem præsciuntur à Deo, necessariò eueniunt, ita vt non possint aliter euenire: alioqui non præscirentur certò & infallibiliter. Repugnat autem esse contingens & esse necessarium. Ergo repugnat esse contingens, & à Deo præsciri. Ergo vel nostræ volitiones non sunt contingentes; vel non præsciuntur à Deo. Et quia certum est, cuidénsque experientiâ, nos velle contingenter & liberè; neganda potiùs est Deo volitionum nostrarum contingentium, seu liberorum actuum præscientia. Huic autem argumento respondere, volitiones nostras esse necessarias, & nihilominus liberas, quia volendo volumus, & & facimus, quidquid à nobis non nisi volentibus fit, tametsi necessariò illud velimus & faciamus; est planè succumbere difficultati à Tullio propositæ, daréque illi quod intendit; nostras scilicet volitiones à Deo præscitas, non esse contingentes, sed esse necessarias: id est, voluntatem necessariò velle & agere, necessitate determinationis ad vnum; quia non potest velle & facere, nisi hoc ipsum quod à Deo præscitum est. Pudeat igitur aduersarium tot annos in legendo Augustino insumpsisse, & tam malè ipsius mentem assecutum esse.

Confirmatur, quia non dubitabat, neque negabat Tullius præscire Deum ea, quæ necessariò fiunt vi causarum secundarum ad vnum determinatarum: cuiusmodi sunt influxus cælorum, astrorum cursus, actiones elementorum & rerum aliarum, quæ naturali necessitate operantur: sed ea quæ fortunâ, id est, fortuitò & contingenter eueniunt, quorum præscientiam & diuinationem cum eorum contingentia conciliari non posse existimabat. Vnde in libro de fato scribit, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, vt ea fieri necesse esset. Et lib. 2. de diuinat. concedit Astrologos certò præscire, ac prædicere defectiones solis, & syderum: quia ea prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est. *Potéstne, inquit, earum rerum, quæ nihil habent rationis quare futura sint, vlla esse præsensio? Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cùm aliquid sic cecidit, sic euenit, vt vel non cadere atque euenire, vel aliter cadere atque euenire potuerit?* Et postquam negauit præsentiri ac prædici posse, quæ sic eueniunt; addit de aliis, quæ à causis necessariis fiunt: *Solis defectiones, itémque Lunæ, prædicuntur in multos annos ab iis, qui syderum cursus & motus numeris persequuntur: Ea enim prædicunt, quæ necessitas naturæ perfectura est. Vident ex constantissimo motu Lunæ &c.* Ex quibus omnibus euidens fit, necessitatem illam, quam à diuina præscientia inferri Tullius existimabat, esse simplicem necessitatem, eam scilicet, quæ contingentiæ repugnat. Cui difficultati vt Augustinus appositè respondeat, illíque satisfaciat; debet ostendere præscientiam diuinam non impedire quo minùs nostræ volitiones, aliíque actus liberi à Deo præsciti, contingenter fiant, & absque simplici necessitate prædeterminationis ad vnú: siue, quomodo cum eiusmodi contingentia euentus futuri, & libertate voluntatis creatæ, possit consistere certitudo & infallibilitas diuinæ præscientiæ. Hoc autem certè non fit respondendo actus illos necessarios quidem esse, sed tamen liberos, quia volendo fiunt, & omnis volitio est libera, eo ipso quo est volitio. Nam hæc responsio non conciliat contingentiam effectus præsciti cum Dei præscientia: sed vt saluet præscientiam, contingentiam tollit, lumine naturali, & certissimâ experientiâ notissimam, vt Tullius meritò supponit. 45. *Debebat ostendere præscientiam Dei non obesse contingentia futurorum.*

Dicen-

46. *Quo pacto id ostendat.* Dicendum ergo est Augustinum loco citato in obiectione, nomine voluntatis, liberam intelligere, vt sæpissimè ipsum facere ostendimus suprà num. 32. & ex eo perspicuum est, quòd hoc ipso loco *τὸ esse in nostra voluntate*, & *τὸ esse in nostra potestate*, opponit illi necessitati, quæ ex causis naturali colligatione consertis, & ad sic agendum determinatis oritur: sensúmque illius esse, quòd & Deus omnia sciat, antequam fiant: & tamen nos voluntate liberâ faciamus, quidquid à nobis non nisi liberè volentibus fieri sentimus & nouimus: neque timendum esse, ne ideo voluntate liberâ non faciamus, quod voluntate, id est, liberè volendo facimus, eò quòd Deus, qui falli nequit, id facturos nos esse præsciuit. Nam, vt ait in fine capitis 10. quo totam hanc disputationem concludit, & difficultatem soluit, Dei præscientia non facit vt agámus, quod præscit: ideóque non necessitat antecedenter ad agendum. *Neque enim*, inquit, *ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit. Imò non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat; quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui si nolit, vtique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit*: id est, præscientia Dei sequitur quodammodo vsum nostræ libertatis, illúmque priùs ratione præsupponit, solúmque repræsentat, qualis ipsi proponitur.

SECTIO VI.

Quæ necessitas repugnet libero arbitrio iuxta D. Augustinum.

Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 6. OPPONIT sextò Iansenius, D. Augustinum initio eiusdem capitis 10. duplicem

47. *Duplex necessitas ex Augustino.* Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. necessitatem distinguere: vnam, *quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest; sicut est*, inquit, *necessitas mortis. Et manifestum est: voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus. Quò primitùs pertinet & ipsum velle. Nam si volumus, est: si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Altera necessitas est, *secundum quam dicimus, necesse esse vt ita sit aliquid, vel ita fiat.* Et de ista dicit Augustinus, timendum non esse, ne nobis libertatem auferat voluntatis. *Neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei, sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur, cùm dicitur mori fallique non posse, &c. sic etiam cùm dicimus necesse esse, vt cùm volumus, libero velimus arbitrio: & verum proculdubio dicimus: & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subiicimus, quæ adimit libertatem.* Nimirum quia non simplex necessitas, quâ necessarium est aliquid esse, aut fieri, repugnat libertati: sed tantùm necessitas violenta & cogens, quâ fit aliquid etiamsi nolumus; siue quæ nobis etiam nolentibus, inuitis, & coactis, operatur effectum suum; cuiusmodi est necessitas mortis. Ita Iansenius tom. 3. lib. 6. cap. 6.

48. *Argumentũ Iansenij sumptum est ab hæreticis.* Eodémque Augustini testimonio, & ad eundem finem, vti Caluinistas, & Lutheranos testantur Esthius in 2. distinct. 24. §. 2. Pennotus lib. 1. Propugnaculi, cap. 15. num. 3. Bellarm. lib. 3. de Gratia & lib. arbit. c. 6. & alij Scriptores Catholici. Cui dupliciter responderi solet. *De qua necessitate loquatur Augustinus?* Primò scilicet, Augustini sensum esse, vt colligitur ex postremis eius verbis, non obesse libertati arbitrij, quòd necesse sit, vt cùm liberè volumus, libero velimus arbitrio: quia hæc necessitas in sensu composito, non adimit libertatem. Vt enim eam adimeret, deberet eam tollere, aut restringere circa aliquid, ad quod extendi posset; id est, circa eius obiectum: Nam quælibet facultas proprium habet obiectum, vltra quod non extenditur. Atqui libertas non extenditur ad impossibile. Est autem impossibile vt non velit, cùm vult: quia est impossibile velle simul, & non velle. Quare sicut vitam & præscientiam Dei non ponimus sub necessitate opposita libertati, si dicamus necessarium esse Deum semper viuere, & cuncta præscire: quia Dei libertas ad hæc non pertinet: sed tantùm ad ea quæ possunt aliter se habere. Sicut etiam potestas eius non minuitur, cùm dicitur mori, fallíque non posse: quia Dei omnipotentia habet tantùm pro obiecto possibilia: & non minuitur, si nullum ei possibile subtrahitur. Non est autem possibile ipsum mori, aut falli. Imò potiùs minoris esset potestatis; id est, non foret omnipotens, si mori, fallíque posset. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult, quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam quando dicimus necessarium esse, vt cùm liberè volumus, libero velimus arbitrio, non subiicimus voluntatem necessitati libertatem adimenti; quia libertas non habet pro parte obiecti vt possit non liberè velle, quando liberè vult, in sensu composito: id est, possit simul liberè velle, & non velle. Ita Dionys. Petau. lib. 5. de Opificio sex dierum cap. 11. addens, illum alium sensum, quem verbis D. Augustini affingunt aduersarij, manifestè ineptum esse, & intolerabilem. Volunt enim, ex eius mente, nullam necessitatem simplicem, quâ necessarium est aliquid esse aut fieri, repugnare libertati, dummodo nobis nolentibus non fit, aut non fiat: adeóque vitam ipsam Dei, etiam essentialem, & absolutè necessariam, liberam illi esse iuxta Augustinum: quia tametsi est simpliciter necessaria, non est tamen coacta, sed volita. Cùm ergo iuxta definitionem traditam alibi ab aduersario, tom. 3. lib. 6. cap. 4. & 5. Liberum illud sit, quod est in nostra potestate: id autem dicatur esse in nostra potestate, quod cùm volumus, facimus; cùm nolumus, non facimus: & hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit, vt tradit ibid. ex Augustino lib. de spirit. & lit. cap. 31. sequitur Deum habere in potestate vitam suam essentialem, & posse viuere, si velit; non viuere, si nolit: facereque vitam suam, si vult; & non facere, si non vult. Quod quàm impiè absurdéque dicatur nemo non videt.

Altera responsio, eáque probabilior, est, 49. *Alia expositio.* quam tradunt Bellarm. lib. 3. de gratia & lib. arbit. cap. 6. Pennot. lib. 1. Propugnaculi, cap. 17. Esthius in 2. distinct. 24. §. 2. & alij Scriptores Catholici, quámque illustrat & confir-

mat Antonius Ricard. lib. 2. Defens. cap. 5. sect. 1. dicens Augustinum ibi loqui de necessitate illa, *secundum quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, sicut à Deo præscitum est.* Quæ cùm sit consequens tantùm, ideóque libertatis exercitium inuoluat, aut supponat: *non est cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Duplicem enim necessitatem distinguit cò loci Augustinus. Vnam, *quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest; sicut est necessitas mortis:* & hanc negat sequi ex Dei præscientia: quia *manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus.* Alteram, quæ tametsi est in nostra potestate, id est, pendet à nostra libertate, eámque inuoluit, aut supponit; secundùm illam tamen dicimus *necesse esse vt ita sit aliquid, vel ita fiat:* cuiusmodi est illa, quæ sequitur ex Dei præscientia, secundùm quam necessarium esse dicitur vt ita sit aliquid, vel ita fiat, sicut à Deo præscitum est. Et hanc meritò negat libertati officere, quam potiùs adstruit & supponit. Ideo enim Deus præscit volitiones nostras liberè futuras, quia liberè futuræ sunt: pendétque à libertate nostra quòd Deus illas præsciuerit futuras, sicut ab illa pendet quòd sint liberè futuræ.

50. *Necessitas consequens non officit libertati.* Vt autem ostendat huiusmodi necessitatem consequentem non officere libertati, tria profert exempla. Vnum est de vita Dei: intelligens eo nomine actus intellectus & voluntatis, in quibus vita Dei consistit, velut in actu secundo; inter quos multæ sunt volitiones liberæ, multæque notitiæ contingentes: & tametsi dicamus *necesse esse Deum semper viuere,* id est, æternum persistere in eiusmodi actibus, quos ab æterno habet: *non tamen idcirco vitam Dei sub necessitate ponimus,* id est, non propterea dicimus Deum ex necessitate huiusmodi actus vitales habere, ita vt non liberè se ad eos determinauerit. Necessitas enim, quâ dicimus esse necessarium Deum secundùm illos semper viuere, inuoluit, & ratione priùs præsupponit exercitium liberum voluntatis diuinæ, quæ ab æterno ita illos habet, vt potuerit non habere. Potuit enim non velle mundum creare, homines & Angelos ad gratiæ statum euehere, gloriæque æternæ participes efficere, Verbum incarnare, peccatores redimere, & alia, quæ statuit extra se operari tam in ordine naturali, quàm supernaturali. Alterum exemplum sumitur ex Dei præscientia. Necessarium enim est *Deum cuncta præscire:* nec tamen cùm hoc dicimus, *præscientiam Dei sub necessitate ponimus,* antecedente scilicet, & officiente libertati voluntatis diuinæ. Quia necessitas vt Deus præsciat quidquid futurum est, præsupponit vsum libertatis diuinæ circa res futuras. Nisi enim Deus voluisset, nihil futurum esset: & si nihil futurum esset, Deus nihil futurum præsciret. Et quia potuit absolutè non velle: necessitas præscientiæ diuinæ non est absoluta, sed tantùm ex hypothesi quòd Deus liberè voluerit res præscitas esse futuras. Ad hæc duo exempla illustranda addit Augustinus, simili quodam modo non obesse omnipotentiæ diuinæ, quòd mori fallíque non possit: quia omnipotentia hoc ipsum includit, quòd neque morti, neque errori obnoxias esse queat. *Propterea enim illud non potest, quia omnipotens est.* Et non esset omnipotens, si eius vita, aut veritas deficere posset. Sicut ergo necessitas non moriendi, & nunquam à vero aberrandi, non destruit omnipotentiam Dei, quam inuoluit: ita neque necessitas semper viuendi, & omnia præsciendi, destruit eius libertatem, quam includit, aut supponit. Tertium exemplum, illúdque appositissimum, & efficacissimum petitur ex nostra libertate. Tametsi enim necessarium est vt quando liberè volumus, libero velimus arbitrio: hæc tamen necessitas non adimit libertatem, quippe cuius exercitium includit. Ideo enim necessarium esse dicitur vt si liberè volumus, libero velimus arbitrio: quia non possumus liberè velle, & liberum arbitrium non exercere: id est, simul velle liberè, & non velle liberè: seu non velle liberè, ex suppositione quòd liberè velimus. *Sic etiam,* inquit, *cùm dicimus necesse esse vt cùm volumus, libero velimus arbitrio, & verum proculdubio dicimus, & non ideò ipsum liberum arbitrium necessitati subiicimus, quæ adimit libertatem:* quia scilicet hæc illam inuoluit: & cùm ita loquimur, nihil aliud affirmamus, nisi necessarium esse vt libera volitio sit exercitium liberi arbitrij; siue, vt volitio libera sit illud ipsum quod est.

Hunc esse verum Augustini sensum probatur primò, quia D. Augustinus distinguens duas prædictas necessitates, priorem dicit esse illam quæ non est in nostra potestate, id est, libera voluntate, iuxta phrasim Augustini, & communem hominum loquendi modum: vt ostendimus num. 32. & seqq. Ergo altera necessitas, quæ facit alterum membrum diuisionis isti contradistinctum, debet esse necessitas quæ est in nostra potestate, id est, libertate: tametsi secundùm illam dicatur *necesse esse vt ita sit aliquid, vel ita fiat,* consequenter scilicet ad aliquem vsum libertatis, propter quod illum non perimit, sed potiùs inuoluit aut supponit. Quare longè à mente D. Augustini aberrat aduersarius, quando vult illum per priorem necessitatem intelligere coactionem physicam, quam solam dicat repugnare libertati: per posteriorem verò intelligere necessitatem quamcunque simplicem, licèt antecedentem, quam dicat non adimere libertatem. 51. *Probatur Augustini de illa loqui.*

Probatur secundò, quia, vt rectè obseruauit Ricard. loco suprà cit. non erat quæstio inter ipsum & Tullium, vtrum Dei præscientia inferret nostris voluntatibus coactionem physicam manifestè impossibilem: id est, efficeret vt nostræ volitiones non essent volitiones; siue, vt volendo non velimus: sed vtrum imponeret simplicem necessitatem antecedentem, oppositam contingentiæ: vt patet ex locis relatis num. 45. quam necessitatem putabat Tullius necessariò sequi ex infallibilitate præscientiæ diuinæ, non autem coactionem physicam. Quis enim credat Ciceronem adeo delirâsse, vt existimauerit stare non posse infallibilitatem præscientiæ diuinæ circa nostras volitiones, tametsi necessariò & infallibiliter euenirent; nisi etiam coactè fierent, voluntate non concurrente, sed planè repugnante? Quod manifestè ab- 52. *De illa quæstio erat cum Tullio.*

ſurdum eſt, & apertam contradictionem implicat, vt aduerſarius ſæpè fatetur. Vel igitur Auguſtinus non reſpondet ad propoſitum, neque ſoluit difficultatem, ſed Ciceroni dat quod ille intendit : quod de tanto Doctore exiſtimare indigniſſimum eſt : vel potiùs oſtendit non inferri à Dei præſcientia neceſſitatem, quam Cicero metuebat, & quâ poſitâ dicebat tolli contingentiam & fortunam, omnémque vitam humanam ſubuerti, fruſtra leges dari, fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhiberi ; neque vllâ iuſtitiâ bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta eſſe. Quod neque aduerſarius inficiari poteſt. Nam, iuxta illius doctrinam, omnis peccandi neceſſitas, quæ aliunde oritur quàm ex peccato, quæque non eſt in pœnam peccati irrogata, (cuiuſmodi eſſet illa, quæ ex Dei præſcientia manaret) tollit libertatem neceſſariam ad peccandum, & excuſat à culpa, efficítque vt fruſtra ſint leges & præcepta.

53. *Diſcurſus Auguſtini.* Ciceronis igitur argumento longè aliter reſpondet Auguſtinus, quàm velit aduerſarius, qui totam eius diſputationem miſerè peruertit, redditque ineptiſſimam. Erat illud huiuſmodi, vt refertur ab Auguſtino : Si Deus omnia futura præſcit, debet illi certus eſſe ordo cauſarum. Si autem certus eſt ordo cauſarum, quo fit omne quod fit, fato fiunt omnia quæ fiunt : intelligendo nomine fati neceſſitatem ortam ex cauſis antecedentibus. Reſpondet
Cap. 9. de Ciuit. autem Diuus Auguſtinus, *Non eſſe conſequens vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtra voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippe voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiúſque præſcientiâ continetur : quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt : atque ita omnes qui rerum cauſas præſciuit, profectò in iis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit, &c. Quomodo igitur ordo cauſarum, qui præſcienti certus eſt Deo, id efficit vt nihil ſit in noſtra voluntate; cùm in ipſo cauſarum ordine magnum habeant locum noſtræ voluntates?* Id eſt, cùm inter cauſas rerum futurarum aliæ ſint neceſſariæ, aliæ liberæ, cuiuſmodi ſunt noſtræ voluntates, quæ contingenter & abſque neceſſitate operantur : tametſi Deus certò præſciat omnes cauſas, earúmque ordinem, & modum operandi; non ſequitur omnia neceſſariò euenire : ſed potiùs multa liberè fieri : quia Deus, qui omnia certò præſcit vt ſunt, præuidit cauſas liberas eſſe liberè operaturas.

54. Lib. 5. de Ciuit. c. 10. in fine. Ad id verò quod addit Cicero, fieri non poſſe vt contingenter eueniant, quæ à Deo præſcita ſunt; quia eius præſcientia falli nequit. Reſpon-
Neceſſitas ex præſcientia eſt tantùm conſequens. det idem S. Doctor, neceſſitatem hanc, conſequentem eſſe duntaxat, & ortam ex ſuppoſitione euentus liberè futuri : *Neque enim*, inquit, *ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit : imò ideò non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat : quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit : qui ſi nolit, vtique non peccat : ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.* Quod eſt dicere præſcientiam Dei circa noſtros actus liberos pendere quodammodo à noſtra libertate : ita vt ſit in noſtra poteſtate offerre Deo id, quod de nobis ille præſciuerit. Vnde neceſſitas conſequentiæ, quâ neceſſarium eſſe dicitur vt ſi quid Deus prænouit, infallibiliter eueniat, non officit noſtræ libertati : ſed potiùs eius exercitium præſupponit : ideo enim Deus præſciuit nos eſſe peccaturos, aut aliud quid facturos liberè; quia peccabimus, aut liberè illud agemus.

SECTIO VII.

Soluitur alia obiectio de libertate Dei, Chriſti, & Beatorum.

OPPONIT ſeptimò Ianſenius, Deum liberè bonum eſſe, quamuis malus eſſe non 55. *Obiectio de libertate Dei & Beatorum.*
poſſit : liberè, inquam, velle bonum, quamuis nequeat velle malum, vt ait S. Auguſtinus lib. 1. Operis imperfecti contra Iulianum : quo exemplo refutat id, quod ille affirmabat, liberum tantùm id eſſe, quod facere poſſet bonũ & malum, id eſt, peccare & non peccare. Item Deum liberè iuſtum eſſe, licèt non poſſit velle peccare, vt idem S. Doctor affirmat lib. de natura & gratia c. 46. Beatos quoque homines, & Angelos liberos eſſe, quamuis non poſſint peccare, & à bono deficere : vt idem ſcribit in Enchiridio cap. 150. & libro de Corrept. & Gratia capite 11. & lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. Eſtque illius ſenſus, quòd eorum arbitrium ſit liberrimum in illo ipſo affectu & voluntate non peccandi : hoc eſt, in illa ſtabili, perpetua, & immutabili voluntate non deficiendi ex amore Dei. Chriſtum etiam fuiſſe liberrimum in non peccando : quamuis illius arbitrium nullum peccatum, nullúmque malæ voluntatis motum poſſet admittere : vt docet Auguſtin. lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. & in Enchirid. cap. 36. & lib. de Prædeſtinat Sanct. capite decimoquinto, vbi ſic habet : *Numquid metuendum fuit ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat : ac non tantò magis erat, quantò magis peccato ſeruire non poterat?* Denique voluntatem ipſam, ſeu volitionem fruentem ſummo bono clarè viſo, eſſe liberam, tametſi eſt neceſſaria, incommutabilis, & perſeuerantiſſima voluntas adhærendi Deo, & tenendæ iuſtitiæ : vt ait idem S. Doctor lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. & 5. & dæmones atque damnatos liberè peccare, quamuis neceſſariò peccent, cùm ſint obſtinati in malo. Ita Ianſenius to. 3. lib. 6. cap. 7. & tribus ſeqq.

Eodem argumento vſus eſt Caluinus lib. 2. 56.
Inſtit. cap. 3. num. 5. vbi ſic ait : *Porro quòd li-* *Sumpta ex Caluino.*
bertate abdicatam voluntatem dico neceſſitate in malum trahi, vel duci, mirum eſt ſi cui videatur aſpera locutio, quæ nec abſonum habet quidpiam, nec à Sanctorum vſu aliena eſt. Offendit autem eos, qui inter neceſſitatem & coactionem diſtinguere neſciunt. At ſi quis eos interroget, an non Deus neceſſariò bonus ſit : an non diabolus neceſſariò malus? quid reſpondeant, &c. Ergo ſi liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit quòd neceſſe eſt illum bene agere : ſi diabolus, qui non niſi malè agere poteſt, tamen voluntate peccat : quis hominem ideo minùs voluntariè peccare dicet, quòd ſit peccandi neceſſitati obnoxius? Similia habet cap. 5. eiuſdem lib. num. 1. & lib. 4. contra Pighium pag. 175. vbi addit non id ſuum eſſe com-

mentum, sed Augustinum sic docuisse. Meliùs dixisse Wicleffum, qui cap. 28. Trialogi tertij scripsit Deum *non illibertari quicquam facere, licet absolutè necessariò illud fiat. Sicut non illibertatur producere Verbum, aut Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat.* Idem cum Caluino dicunt eius ministri, Petrus Molinæus in Clypeo fidei, ad art. 9. & Daniel Chamierius to. 3. lib. 2. c. 4. vbi ipso initio sic argumentatur: *Arbitrium Dei, Angelorum, diaboli, hominum glorificatorum, & damnatorum, non est liberum à necessitate interna. Ergo non semper arbitrium est liberum à necessitate interna.* Et denique Zanchius in tractat. Theol. lib. 1. cap. 6. thesi 1. *Non pugnant inter se,* inquit, *liberè agere, & tamen necessariò agere. An non Deus necessariò bonus, & iustus, & clemens est? Et numquid propterea liber non est Deus? An non etiam Angeli in cælo, & animæ Beatorum necessariò volunt quæ volunt, nempe iusta tantùm, & voluntati Dei consentanea? Num ideo dixeris, propter hanc necessitatem, illos non esse libero arbitrio præditos? Contrà, an non etiam diaboli talis sunt iam naturæ, vt necessariò semper peccent, neque à peccato desistere possint? Num igitur dixerimus eos non liberè peccare, eóque peccata verti illis vitio non posse? nihil minùs. Ergo quod etiam in terris homines ita sint facti serui peccati, vt non possint non peccare; & contrà, qui natus est ex Deo, nec peccet, nec peccare possit; inde non tollitur vel illis, vel istis, natiua voluntatis libertas, quæ est libertas à coactione.* Huc vsque Zanchius, qui planè Iansenizat.

57. Ad primam partem obiectionis respondeo, Augustinum priori loco refutare Iulianum, qui libertatem definiebat per potestatem volendi bonum, & malum; seu peccandi, & non peccandi: cui rectè opponit Augustinus, inde sequi Deum non fore liberum, quia non potest peccare. *Si liberum non est*, inquit, *nisi quòd duo potest velle, id est bonum, & malum: liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle: de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* Aliter ergo definienda est libertas generaliter & abstractè sumpta, prout à Deo, & à creaturis præscindit. De cuius ratione, vt sic, non est posse peccare, & malum velle; sed posse versari indifferenter circa id, ad quod libera est, siue quoad exercitium, siue quoad specificationem. Atque ita Deus, quamuis peccare non possit, neque ad peccandum liber sit; est tamen liber & indifferens quoad exercitium, circa ea quæ facit extra se; ita vt potuerit ea velle efficaciter, aut non velle; & quoad specificationem, quatenus loco eorum quæ vult aut facit; potuit alia diuersa facere, aut eligere.

Libertas generaliter nō est indifferentia ad bonum & malum.

58. Similitérque licèt non possit velle peccare, & iniustè agere: liberè tamen iustus est, vt affirmat Augustinus loco posteriùs citato ex libro de natura & gratia: quia sic exercet plurima virtutum opera, vt potuerit non exercere, ac sine peccato, & indecentia ab illis abstinere: putà à proponenda & promittenda retributione regni cælestis bonis hominum operibus. Potuit enim sine indecentia id non promittere. Imò cùm potuerit abstinere à creatione mundi: potuit abstinere ab illis omnibus virtutum operibus, quæ circa homines & Angelos, aliásque creaturas exercet. Confirmatur ex D. Thoma 1. p. quæst. 19. artic. 10. vbi ex professo disputat vtrum Deus habeat liberum arbitrium: & sic respondet: *Dicendum quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Vnde & alia animalia, quæ naturali instinctu mouentur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moueri. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate: respectu illorum, quæ non necessitate vult, liberum arbitrium habet.*

Deus quomodo liber, & ad quid?

Ad secundam partem obiectionis respondeo similiter, Beatos, licèt non possint peccare, & à bono deficere, liberos tamen esse circa plurima, quæ ita faciunt vt possint eadem sine peccato omittere: ex. gr. pro hoc aut illo orare, suísque precibus hoc aut illud beneficium impetrare. Vt enim verissimè ait sanctus Thom. quæst. 24. de veritate artic. 1. ad 16. Si aliqua creatura adhæret immobiliter Deo (vt faciunt Beati) non propter hoc priuatur libero arbitrio, quia potest adhærendo multa facere, vel non facere. Et in 2. distinct. 7. art. 1. postquam dixit rationalem potestatem versari circa opposita, quæ sub electionem cadunt, quorum proprium est liberum arbitrium: addit Angelos qui ipso fine perficiuntur (id est Beatos) non posse habere voluntatem alicuius eorum quæ à fine deordinant, cuiusmodi est voluntas peccati: *Sed tamen posse velle hoc vel illud, quorum neutrum à fine deordinat: & sic saluatur proprietas rationalis potestatis, in quantum possunt hoc facere, vel non facere: quamuis non possint in hæc opposita, bonum & malum.* 59.

Circa quæ liberi sunt Beati?

Quod verò dicit Augustinus loco citato, arbitrium ipsâ visione beatificâ liberrimum fore; & eo liberius, quòd peccato seruire non poterit: non significat visionem ipsam fore Beatis liberam; cùm enim illa non sit in eorum potestate, vt neque alij actus beatifici, qui necessariò eliciuntur vi luminis gloriæ, & aliorum habituum, vel actuum beatificantium; non habent libertatem arbitrij circa illos: sed tantùm respectu aliorum omnium in eorum potestate existentium, ita vt possint ab illis fieri vel non fieri. Sed vt rectè exponit Esthius in 2. distinct. 7. quem ferè solum inter Scholasticos recentiores magni facit aduersarius, significat his verbis Augustinus per necessitatem non peccandi non auferri Beatis liberum arbitrium, imò potiùs confirmari, magísque liberum effici. Qui enim peccare non possunt, multò sunt liberiores in electione bonorum; dum interea sine errore, & periculo peccati, eligunt quod volunt; quàm si peccare possent. Quod patet in Deo, qui peccare non potest, & tamen ad eligendum opposita liberrimam habet voluntatem. Ad quod significandum subiungit Augustinus in Enchiridio hæc verba: *Multò quippe liberius est arbitrium,* &c. Huc vsque Esthius. Vel etiam quia, cùm triplex sit libertas, vt rectè ait Ricardus lib. 2. cap. 5. sect. 2. §. 2. post S. Bernardum *lib. de gratia, & lib. arbitrio*, à peccato scilicet, à miseria, & à necessitate: quarum vltimam contulit nobis in conditione naturæ, dicitúrque libertas naturæ: in primam restauramur à gratia, dicitúrque li- 60.

Quo sensu arbitrium est liberius in Beatis?

bertas gloriæ: perfectius erit liberum in Beatis, in quibus triplex hæc libertas reperietur. Nimirum quia, vt idem Bernardus addit, libertas naturalis arbitrij *tamdiu quodammodo captiua tenetur, quamdiu illam duæ aliæ libertates minimè, aut minùs plenè comitantur.* Vel etiam, vt ait D. Thom. 1. p. quæst. 62. art. 8. ad 3. pertinet quidem ad perfectionem libertatis posse eligere diuersa, seruato ordine finis: sed posse ordinem illum deserere pertinet potiùs ad defectum: *Vnde*, inquit, *maior libertas arbitrij est in Angelis*, & in Beatis, *qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.* Vel denique, quia peccandi possibilitas moraliter loquendo impotentia magis, quàm potentia dici debet, vt significat Augustinus lib. 14. de Ciuitat. capite 11. ideóque liberum arbitrium quod peccare non potest, minus habet impotentiæ, & eatenus fortius est, perfectiúsque liberum. Qua de causa idem Sanctus Doctor lib. 22. de Ciuitat. capite vltim. exponens quod dixerat, Beatos habituros magis liberum arbitrium, hanc dicti huius rationem subiungit: quia liberum arbitrium in statu beatitudinis *eo potentius erit, quo peccare non poterit.*

61. *Christus ad quanam liber?* Ad tertium dico, Christum non fuisse liberum ad peccandum vel non peccandum, (quod neque Augustinus asserit loco citat. in obiectione) sed ad ea omnia quæ ita volebat & faciebat, vt sine indecentia posset eadem omittere: & vel agere, aut non agere: vel etiam ex oppositis, aut diuersis obiectis vnum præ alio eligere. In qua libertate explicanda non adeo laborant eruditiores, & subtiliores Theologi, atque fingit & exaggerat aduersarius libro sexto de Gratia Christi capite 9. vbi etiam falsò supponit fuisse omnes Christi actiones à Deo determinatas, atque præscriptas, ita vt nihil liberæ eius electioni, & determinationi relictum fuerit: Hoc enim à vero alienum esse rectè ostendit inter alios Martinonus tom. 4. disp. 11. sect. 3. 4. & 5. Quo autem sensu dicat Augustinus Christum fuisse magis liberum quia peccare non poterat, patet ex proximè dictis de libertate Beatorum.

62. *Amor beatificus, non est liber.* Ad quartum respondeo, volitionem quæ incommutabiliter adhæret Deo clarè viso, non esse liberam, quia necessariò profluit à voluntate præuentâ lumine gloriæ, & visione beatifica: ideóque Beati non sic illam eliciunt, vt possint non elicere si velint: neque illam habent in sua potestate, non sunt illius domini, non possunt eam suspendere cùm libet. Quæ omnia quando aduersarius ex sua, & Diui Augustini, sententia, affirmat esse falsa *lib. 6. de Gratia Christi capite decimo*, quia, inquit, Beati illam ipsam volitionem, quâ Deum clarè visum necessariò amant, habent in sua potestate, súntque illius domini, & possunt illam suspendere quando volunt; & si nolunt, & constanter nolunt eam suspendere, hoc propriè non arguit defectum potestatis, sed voluntatis. Et capite 35. eiusdem libri loquens de eâdem volitione, quâ Beati Deum clarè videntes, illum amant, *Possent*, inquit, *volitionem suam mutare, si vellent.* Et paulò pòst, *Abruptio, seu cessatio illius voluntatis est in potestate, quia fit cùm volunt: sed si non velint, defectus oritur ex voluntate, non ex potestate:* indéque concludit liberum esse Beatis abstinere ab amore beatifico. Cùm, inquam, hæc affirmat aduersarius, sibimetipsi apertè contradicit. Nam, vt rectè obseruauit Ricard. libro 2. capite 1. sect. 4. §. 1. idem aduersarius eodem libro sexto cap. quarto, prope finem, disertè ait, non esse Deo ac Beatis liberum velle peccare. Atqui si non est liberum Beatis velle peccare, consequens est vt non sit quoque liberum Beatis cessare ab amore beatifico. Quæro enim, cur non sit liberum Beatis velle peccare? Non potest ab illo responderi, nisi quia Beati non possunt velle peccare. Atqui pariter non possunt velle cessare ab amore beatifico, in quem non minùs feruntur necessariò, quàm in voluntatem non peccandi. Ergo non est illis liberum velle ab eo cessare. Ergo cessatio, siue abruptio illius voluntatis, non est illis libera.

63. *Neque Beati possunt ab illo cessare si velint.* Neque proderit aduersario dicere, cessationem illam esse nihilominus Beatis liberam, quia cessarent si vellent: velle enim cessare, esset cessare. Nam contrà: Primò dici nequit posse Beatos cessare si velint: quandoquidem non possunt velle cessare. Cùm enim affirmamus de aliquo, *Posse hoc, si velit*, supponimus illum posse id velle: & alioqui non debet dici, *Potest hoc, si velit:* sed dici absolutè debet, *non potest*, vt fusiùs ostendimus num. 34. Deinde si hoc sufficit vt cessatio amoris beatifici dicatur esse libera Beatis, sufficiet pariter vt voluntas peccandi dicatur illis esse libera: quia possent peccare si vellent; velle enim peccare est peccare. Quare quocunque se vertat aduersarius, non potest euidentem contradictionem effugere.

64. *Neque ille est in eorum potestate.* Nec minùs implicat contradictionem quod ait, cessationem illam esse in potestate Beatorum, quia fit quando volunt: & si non velint, defectum oriri ex voluntate, non ex potestate: id est non oriri ex impotentia quòd non cessent. Quomodo enim cessant quando volunt, si nunquam volunt, nec vnquam possunt velle cessare? Quomodo non cessant ex impotentia, si non possunt cessare: hoc est, si necessariò persistunt in amore beatifico, adeóque non possunt non persistere? Sed, vt anteà notaui, sæpiúsque notare cogor, non est infrequens huic auctori pugnantia loqui: vt facit etiam quando eodem lib. 6. de Gratia Christi capite 4. prope finem, dicit non esse liberum dæmonibus Deum diligere: capite autem 35. asserit liberum esse Beatis cessare ab amore beatifico. Contendo enim aut vtrumque dici posse, aut neutrum, iuxta ipsius sententiam. Nam si velit non esse liberum dæmonibus diligere Deum, quia non possunt diligere: pariter non est liberum Beatis cessare ab amore beatifico, quia non possunt cessare. Sin autem velit esse liberum Beatis cessare ab amore, quia cessarent si vellent, velle enim cessare esset cessare: pariter debet dicere liberum esse dæmonibus diligere Deum; quia diligerent si vellent efficaciter: nam velle efficaciter diligere, esset diligere. Libenter etiam ab illo quærerem cum Ricardo sect. citat. §. 2. quomodo possit excusari ab errore hæc propositio, *Est in libera potestate Beatorum abstinere ab amore beatifico* à si ista est erronea, & in Pelagio damnata, vt testatur D. Augustinus lib. de Gestis Pelagij cap. 6.

Est in naturali potestate hominis non peccare. Nam si idcirco prior propositio vacat errore, & vera est, quia Beatus, si vellet non amare Deum, non amaret: pariter vera est posterior, quia non peccaret homo, si non vellet. Sique illud sufficit vt dicatur Beatus posse abrumpere amorem beatificum: istud quoque sufficiet vt dicatur homo habere in naturali potestate non peccare.

SECTIO VIII.

Diluitur alia obiectio de processionibus diuinis.

65. *Obiectio de processionibus diuinis.* OPPONIT octauò aduersarius, Patrem diuinum liberè producere Filium, & cum illo spirare liberè Spiritum sanctum: tametsi necessariò producatur Filius, & spiretur Spiritus sanctus. Vnde concludit absolutam necessitatem non repugnare libertati; sed coactionem tantùm. *Sumpta est ex Luthero.* Eodem argumento ad id probandum vtitur Lutherus in libro de seruo arbitrio pag. 499. dicens non omnem necessitatem excludere liberam voluntatem: quemadmodum Deus Pater gignit necessariò Filium: & tamen volens ac liberè gignit, quia non coactus. *Et ex Wiclefo.* Et ante Lutherum Wicleffus Trialogo tertio capite 28. vbi, vt testatur Waldensis libro primo Doctrinalis capite 22. interrogantibus quomodo voluntas diuina, vel creata, est libera, si absolutè necessitetur agere? Quantum ad diuinam voluntatem respondebat, non desinere liberam esse propter absolutam necessitatem: sicut *Deus liberè producit Verbum, & Spiritum sanctum: licèt absolutè necessariò illud agat.* *Et ex Ario.* Eundem errorem, velut ab Ario profectum, specialiter & ex professo refutat sanctus Thomas 1. part. quæst. 41. art. 2. affirmans fuisse iampridem reprobatum, & anathematizatum in Concilio Sirmiensi, vt refertur à S. Hilario in libro de Synodis, quem librum citat ibidem D. Thomas tacito nomine Concilij Sirmiensis.

66. Verba illius hæc sunt, quibus respondet quæstioni à se propositæ, *Vtrum actus notionales sint voluntarij?* Cùm dicitur, inquit, aliquid fieri voluntate, dupliciter potest intelligi id. Vno modo, vt ablatiuus designet concomitantiam tantùm: sicut possum dicere, quòd ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici quòd Pater genuit Filium voluntate: sicut & est voluntate Deus: quia vult se esse Deum, & se generare Filium. Alio modo sic, quòd ablatiuus importet habitudinem principij. Sicut dicitur quòd artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis. Et secundùm hunc modum dicendum est quòd Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam. Vnde in libro *de Synodis* dicitur, quòd si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquid de creaturis, Filium factum dicat, anathema sit. Et huius ratio est: quia voluntas, & natura secundùm hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum. Cuius ratio est, quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum autem est quòd vnius rei non est nisi vna forma naturalis, per quam res habet esse. Vnde quale ipsum est, tale facit. Sed forma per quam voluntas agit, non est vna tantùm, sed plures, secundùm quod sunt plures rationes intellectæ. Vnde quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens: sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longè est à natura diuina, sed hoc pertinet ad rationem creaturæ: quia Deus est per se necesse esse: creatura autem est facta ex nihilo. Et ideo Ariani volentes ad hoc deducere, quòd Filius sit creatura, dixerunt quòd Pater genuit Filium voluntate, secundùm quod voluntas designat principium. Nobis autem dicendum, quòd Pater genuit Filium non voluntate, sed naturâ. Vnde Hilarius dicit in libro de Synodis. *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas contulit: sed naturam dedit filio ex impassibili ac non natâ substantiâ, perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia ea Deus esse voluit. Filius autem natus ex Deo, talis subsistit, qualis & Deus est.* Hæc D. Thomas, quibus nihil clariùs contra hunc errorem Iansenij, & Lutheri dici potest. *Hil. lib. de Synod. aduers. Arian. circa medium.*

67. *Et ab Eunomio.* Eundem quoque loquendi modum vsurpatum fuisse ab Eunomio hæretico, affirmante Deum Patrem accidente voluntate genuisse Filium, & ab omnibus Catholicis reiectum fuisse, testatur sanctus Augustinus libro 15. de Trinitate capite vicesimo. Nec immeritò: quia iuxta phrasim Sanctorum Patrum, *gignere voluntate*, est gignere ex arbitrio libero, & dominio in suum actum, ac potestate non gignendi. Quamobrem Epiphanius hæresi 69. respondens huic vulgari Arianorum interrogationi, *Volénsne Pater, an nolens Filium genuit?* dicit neque volentem, neque nolentem genuisse: sed in natura, quæ omnem deliberationem superat. Quod etiam dicunt Ambrosius libro quarto de fide, capite quarto, & Augustin. libro 15. de Trinitat. capite vicesimo. Nimirum quia, vt ait Athanas. orat. 4. contra Arianos, *Quæ voluntate fiunt* (vt voluntas scilicet, non vt natura est) *possunt non fieri. Nam deliberare, eligeréque in vtramque partem, momenta sua habet.* Ideóque negat ibidem Deum esse bonum voluntate: quia sic fieri posset vt non sit bonus.

68. *Absurditas dicentium liberas esse.* Et verò, cùm, vt fatentur aduersarij, actus qui liberè fit, sit in nostra potestate & dominio; fiátque, si volumus; & si non volumus, non fiat: sequeretur ex eorum doctrina, Patrem habere in dominio productionem Filij, & ambos habere in dominio productionem Spiritus sancti. Quod sine blasphemia dici nequit. Nam inde sequeretur Patrem esse dominum Filij: & ambos esse dominos Spiritus sancti, titulo liberæ productionis, per quam possent de illis disponere: sicut creaturæ sunt in perfecto Dei dominio, titulo creationis: quia si vult, eas producit; si non vult, non producit. Nihil enim magis est in dominio nostro, quàm id,

in cuius productione voluntas nostra dominatur, ita vt liberè de illa disponat. Sequeretur præterea potuisse Patrem non producere Filium, & ambos non spirare Spiritum sanctum: atque ita produxisse, & spirasse, vt potuerint à productione & à spiratione abstinere: quod est æquè blasphemum & hæreticum; reducit enim hæreses Eunomianorum, Aëtianorum, & Macedonianorum, de quibus Basil. epistola 78. Nazianz. orat. 34. & Epiphanius hæresi 73. & 76. Sequela patet ex dictis sect. quarta numer. 34. & seqq. Nam, vt ibi probauimus, non dicitur aliquid fieri cùm volumus, aut si volumus, esséque in nostra potestate; nisi pendeat à nostra libertate & electione vt velimus, aut non velimus; & agamus, vel non agamus.

69. *Quid de illis sentiant Scotistæ?* Neque excusat aduersarios quòd Scotistæ docent productionem Spiritus sancti liberam esse. Nam illi profitentur se non id dicere sumendo libertatem strictè, & propriè, pro potestate indifferenti ad opposita contradictoriè aut contrariè, vel ad diuersa quomodocunque: sed pro spontaneitate. Vt patet ex Cardinali Aureolo Scotista celeberrimo, in primo, distinct. prima, capite 3. art. 3. vbi disertè affirmat Patrem & Filium non spirare liberè, si liberum sumatur pro dominatiuo actus: quia non possunt dominatiuè suspendere actum spirationis. Quare meritò Ioannes Puteanus tom. 1. in 1. 2. quæst. 10. dubit. 2. dicit hanc sententiam Scotistarum non patrocinari Caluinistis, idem sentientibus & obiicientibus, quod noui Dogmatistæ: quia, inquit, liberum non sumunt in propria significatione, sed quatenus coincidit cum voluntario: ac proinde volunt Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, liberè, id est, spontaneè, & non coactè.

SECTIO IX.

Soluitur vltima obiectio de potestate peccandi.

70. *To. 3. lib. 6. capite 11.* OPPONIT vltimò Iansenius cap. 11. veram arbitrij libertatem nullo pacto indifferentiam contrarietatis (hoc est, boni & mali) postulare: sed defectum esse libertatis posse peccare, hoc est, à bona voluntate posse deficere: secundùm illud S. Anselmi, ab omnibus postea approbatum, *Nec libertas est, nec pars libertatis, potestas peccandi.* Superest igitur exercitij indifferentia, quâ scilicet possit arbitrium varias bonarum actionum species agere; vel certè agere & non agere. Sed indifferentia ad species diuersas bonarum actionum libertati essentialis esse non potest. Quid enim si arbitrium iustissimis Dei legibus vnam tantùm boni speciem agere iubeatur, quam nisi faciat, peccati reum sit? Ipse Deus si loqui velit, non potest nisi verum dicere. Si promittit, fidelis est, & se negare non potest. Sola igitur indifferentia agendi, & non agendi restat, quæ propriè est exercitij. Sed & ista in Deo prorsus periit, hoc ipso, quo semel immobili voluntate voluit, atque statuit quid in singulis circumstantiis agendum sit, quam retractare non potest. Quapropter si hoc duntaxat est esse liberum, indifferentem esse ad agendum & non agendum, liber esse Deus dici non potest: imò nec fuisse: Quando enim? Siquidem ab æterno semper ad agendum, vel non agendum determinatus fuit.

Vt respondeam suppono ex communissimâ doctrina Philosophorum & Theologorum, libertatem diuidi in eam quæ dicitur contrarietatis, seu specificationis: & illam quæ dicitur contradictionis, siue exercitij. Posterior consistit præcisè in potestate indifferenti ad agendum, vel non agendum: putà ad amandum, vel abstinendum ab amore. Prior verò, vt diuisio sit adæquata, consistit in potestate indifferenti ad quælibet positiuè diuersa, siue sint contraria vel aliter opposita, siue non. Vt ad paupertatem amandam & voluntariè amplectendam, vel ad diuitias sectandas: ad coniugium, vel ad cœlibatum: ad vitam sæcularem, vel religiosam: ad hæc aut illa media, quorum vnumquodque est bonum, & idoneum fini consequendo: ad dandam eleemosynam huic aut illi indigenti: & sic de aliis. Ex quo patet malè ab aduersario restringi hanc libertatem contrarietatis ad bonum & malum: cùm versetur indifferenter circa plurima diuersa, quorum neutrum malum est, quemadmodum videre est in exemplis allatis. 71. *Libertas duplex specificationis, & exercitij.*

Suppono secundò, aliud esse loqui de libertate secundùm conceptum generalissimum, communem Deo & creaturis, atque ab vtrisque præcisum per intellectum: & aliud loqui de libertate secundùm conceptum specificum, & propriam rationem: quâ conuenit creaturis intellectualibus in statu viæ existentibus. Si priori modo sumatur libertas, non est de illius conceptu potestas peccandi: alioquin cuicunque conueniret conceptus ille genericus, conueniret etiam potestas peccandi: quod est falsum: nam Deus liber est, & tamen peccare non potest. Beati quoque liberi sunt, licèt peccare nequeant. At inde non sequitur quòd peccandi potestas non sit de conceptu specifico libertatis Angelorum & hominum viatorum: siue, quòd indifferentia, quam habent in statu viæ ad bene vel malè agendum, non pertineat ad rationem & conceptum specificum libertatis ipsorum propriæ. Quemadmodum licèt de conceptu vitæ abstractissimè sumpto, prout à Deo, & ab Angelis, aliisque viuentibus præscindit, non sit virtus vegetandi, & sentiendi: nam Deus & Angeli viuunt, qui tamen neque vegetant, neque sentiunt: non inde sequitur eam non esse de ratione vitæ propriæ specialiter hominum, & aliorum animalium, aut plantarum. Quis enim neget eorum vitam in facultate sentiendi, & vegetandi consistere? Quemadmodum etiam, licèt facultas ratiocinandi non sit de conceptu essentiali animalis abstractè & genericè sumpti: est tamen de conceptu specifico hominis. Hoc sensu intelligendum est quod obiicitur ex Anselmo, *Nec libertatem esse, nec partem libertatis, potestatem peccandi.* Loquitur enim de libertate genericè & abstractè sumpta, vt se ipse exponit in dialogo de libero arbitrio, capite primo. Vbi sic ait: *Quamuis liberum arbitrium hominum differat à libero arbitrio Dei, & Angelorum bonorum: definitio tamen huius libertatis, in vtrisque secundùm hoc nomen* (commune vtrisque, & se- 72. *Potestas peccandi non est de conceptu libertatis abstractissimo.* *Secus tamen de specifico libertatis viatorum.* *Anselmus loquitur iuxta hanc diuisionem.*

cundùm conceptum communem illi respondentem) *debet eadem esse, &c. Quoniam ergo liberum arbitrium diuinum & bonorum Angelorum peccare non potest; non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij posse peccare:* secundùm illum scilicet conceptum præcisum, communem Deo, & Beatis, atque viatoribus. Sed nihilominus potentiam peccandi pertinere ad libertatem specificè sumptam, prout est propria hominum in statu viæ, docet idem Anselmus alibi, præcipuè in eodem dialogo de lib. arbitrio, cuius verba referemus inferiùs disp. 33. sect. 3. Idémque docent alij Patres, & Concilia, & sacræ literæ, locis relatis disp. 30. sect. 6. & seq. affirmantes positos esse homines in manu sui consilij, quatenus possunt ad bonum vel ad malum extendere manum suam, prout voluerint: & eligere vitam aut mortem: liberéque sic consentire & cooperari Dei gratiæ, vt possint dissentire si velint: ita facere bonum, & seruare Dei mandata, vt possint malè facere, & transgredi; ideóque laude & mercede dignos esse, si non transgrediantur: posse per liberum arbitrium credere, vel non credere; vitámque bonam, vel malam eligere: & alia quæ retulimus loco citato.

Confirmatur ex Scriptura, Conciliis, & Patribus.

73. *Sitne omnis actus perfectio potentiæ?* Suppono tertiò, tametsi quilibet actus est aliqua perfectio physica suæ potentiæ, actus enim perficit potentiam: multos tamen actus esse quasdam morales imperfectiones potentiæ, cuius sunt; quia non eam moraliter cohonestant, sed potiùs deturpant. Sic blasphema locutio, quamuis sit actus & vsus physicus potentiæ loquendi; est tamen abusus moralis, & defectus atque imperfectio eiusdem. Similíque modo, quamuis actus malus & culpabilis, sit verè actus, & vsus liberi arbitrij, eatenúsque sit perfectio illius physica: tamen est moraliter illius abusus, & imperfectio, atque defectus. At inde non magis potest colligi potentiam peccandi non esse facultatem liberi arbitrij, quàm potentiam loquendi blasphemias non esse facultatem loquédi. Hoc sensu intellige quod ait D. Tho. 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. Eligere seruato ordine finis pertinere quidem ad perfectionem libertatis: sed peccare, quod est à fine deuiare, pertinere ad defectum libertatis: & quod dicitur in obiectione, defectum esse libertatis posse peccare, hoc est, à bona voluntate posse deficere. Ad quod tamen confirmandum perperam citatur Anselmus, cuius verum sensum paulò superiùs exposuimus.

74. *Perfectio libertatis in quo consistat?* Neque obiicias, absurdum esse existimare libertatem, quæ est maxima hominis perfectio, in eo consistere, quod possit malè agere: Respondeo enim libertatem, purè quidem, & abstractè sumptam, non in eo consistere, quod quis possit malè agere; sed quod habeat dominium suæ voluntatis circa ea ad quæ dicitur esse liber. Et Deus qui perfectissimè liber est, tamen non potest malè agere. Quemadmodum de ratione vitæ non est posse mori: de ratione intellectus non est posse errare: de ratione voluntatis non est posse peccare. Ac Deus, qui habet vitam, intelligentiam, & voluntatem perfectissimam; tamen non potest mori, neque errare aut peccare. Veruntamen sicut perfectio vitæ, intellectus, & voluntatis contracta ad creaturas, non est pura, sed admixta imperfectioni, & possibilitati deficiendi per mortem, errorem, & peccatum: quam imperfectionem trahunt ex sua origine, id est, ex suo nihilo, vt aiunt Sancti Patres mox citandi: Ita libertas creaturarum non est pura perfectio, sed admixta illi imperfectioni, quòd etiam circa ea, quæ morali necessitate, siue debito amplectenda sunt, aut fugienda, possint deficere ab honestate, & à debito morali. Sicut autem non est absurdum vitam, intellectum, & voluntatem, quæ sine dubio sunt maximæ perfectiones naturales creaturarum, esse in illis defectibiles modo prædicto: ita neque absurdum videri debet libertatem esse in illis defectibilem. Confirmatur ex doctrina Sanctorum Patrum, Augustini lib. de vera religione capite 19. *Bona sunt ergo*, inquit, *quæ vitiantur: sed ideo vitiantur, quia non sunt summa bona.* Et paulò pòst. *Bonum ergo, quod vitiari non potest, Deus est. Cetera autem omnia bona ex ipso sunt: quæ per se ipsa possunt vitiari, quia per seipsa nihil sunt.* Et Fulgent. lib. de fide ad Petrum capite 3. ipso ferè initio: *Deus, quia summè bonus est, dedit omnibus naturis, quas fecit, vt bona sint: non tamen tantùm bona, quantùm Creator omnium bonorum, qui non solùm summè bonus, sed etiam summum, & incommutabile bonum est, quia æternum bonum est: nullum habens defectum, quia non est ex nihilo factum: nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideo quippe natura à Deo facta proficere possunt, quia esse cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo facta sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis: ad profectum verò prouehit operatio Creatoris.* Ceterùm quòd ipsamet libertas creata sit causa cur peccare possint creaturæ, docet expressè Hieronym. epist. 146. ad Damasum prope finem, his verbis: *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cetera cùm sint liberi arbitrij* (creati, & defectibilis) *in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.*

Suppono quartò, Dei præcepta non restringere physicè libertatem eorum, quibus dantur; sed moraliter tantùm: id est, non efficere vt non sint reipsa indifferentes, physicéque potentes ad agendum, vel non agendum id quod præcipitur, (est enim euidens & sæpius affirmatur in Scriptura, posse homines non seruare Dei mandata, sæpéque reipsa non seruare) sed tantùm eos adstringere moraliter ad faciendum id quod præcipitur; ita vt licitè non possint eius oppositum. Quare ineptè affirmat aduersarius indifferentiam ad species diuersas bonarum actionum, libertati essentialem esse non posse, eò quòd arbitrium iustissimis Dei legibus vnam tantùm boni speciem agere iuberi potest, quam nisi faciat peccatum incurrat. Quasi verò si vna species iubeatur, non possit reipsa facere oppositam, neque physicè indifferens maneat ad hanc vel illam. Perperam quoque ad idem confirmandum addit, Deum si loqui velit, non posse nisi verum dicere: & si promittit, fidelem esse, séque negare non posse. Hoc enim non valet ad probandum Deum non esse liberum circa diuersas species bonarum actionum: nisi aduersarius inter bonas actiones computet falsum dicere, & infidelem esse: sed tantùm ad ostendendum, non posse Deum indifferenter bene & malè agere. 75. *Præcepta non restringunt physicè libertatem, sed moraliter.*

Ex his patet quid respondendum sit priori 76.

Iansenius eripit Deo libertatem. parti obiectionis propositæ. Ad posteriorem dico, supra modum admiratione dignum esse, quòd aduersarius non contentus eripuisse hominibus lapsis libertatem indifferentiæ ipsam quoque Deo eripere conatur: neque videt absurdissimum esse negare Deo libertatem, quam concedit Angelis, & hominibus ante peccatum: quâ poterant absque vlla necessitate antecedenti de suis actibus dispónere. Ita vt Deus non pari indifferentia potuerit velle, aut non velle creare mundum, Verbum incarnare, homines redimere, &c. quâ homo, vel Angelus poterat hoc aut illud facere vel omittere: semotâ à Deo imperfectione agendi vel omittendi aliter, quàm eius sanctitati infinitæque maiestati conueniat. Non aduertit etiam errorem illum fuisse iam sæpius à Sanctis Patribus, & aliis Scriptoribus Catholicis, ipsâque Ecclesia damnatum vt execrabilem, impium, & blasphemum, in Auerroë, Auicenna, Wicleffo, & Abailardo: aliisque hæreticis. Nec immeritò: quia manifestè repugnat lumini naturali, & Scripturæ diuinæ sæpius affirmanti Deum agere quidquid extra se facit, non ex necessitate, sed quia vult. Operatur enim omnia secundùm consilium voluntatis suæ, vt dicitur Ephes. 1. vers. 11. id est, ex libera electione: nam quæ fiunt necessariò, non fiunt ex consilio voluntatis, sed ex necessitate, & ex impotentia aliter agendi. Frustráque consultat quid agat, qui ad vnum antecedenti necessitate determinatus est. Et Psalmo 114. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra.* Quæcunque voluit (inquit) non quæcunque potuit. Si autem necessariò operatus esset, fecisset quæcunque potuisset: neque mensura operum Dei singulariter ad voluntatem eius referenda esset, sed ad defectum amplioris potentiæ.


77. *Quomodo Deus est liber non obstante immutabilitate?* Neque obest quod Deus vult ab æterno, quidquid vult: & propter immutabilitatem suæ voluntatis non potest actus semel susceptos mutare, vel ab illis desistere: non potest etiam vllum instans temporis veri aut imaginarij assignari, ante quod non voluerit, adeóque iam determinatus fuerit ad volendum: vi cuius præcedentis determinationis non est iam indifferens ad volendum; sed necessitatus ratione suæ immutabilitatis, ad persistendum in tali actu. Respondeo enim id non obesse quò minùs ab æterno Deus liber fuerit, & liberè voluerit, quidquid extra se voluit efficaciter, circáque omnia obiecta contingentia: quatenus eius voluntas non fuit de se, neque ab vllo extrinseco necessitata, vt tenderet eo modo quo tendit in obiecta contingentia: sed ab æterno liberè se determinauit vt tali modo tenderet: id est, tali modo tendit, quia voluit; potuítque ab æterno non sic tendere, aut etiam tendere opposito modo, si voluisset: quamuis ex hypothesi quod se determinauit, maneat necessariò in illa libera determinatione per æternitatem, ratione suæ immutabilitatis, & constantiæ in volendo, incapacis omnis vicissitudinis. Qua de re plura Martinonus tom. 1. disput. 6. sect. 2. num. 19. & seq. vbi ex professo hanc difficultatem expendit.

78. *Sitne simili modo Beatis liber amor beatificus?* Perperam verò ex hac doctrina Theologorum colligit aduersarius, debere pariter secundùm illos, dici amorem beatificum esse liberum Beatis: eò quòd si dicatur Deum nunc esse liberum, quia in aliquo instanti rationis fuit indifferens, & ex propria se libertate determinauit, in qua determinatione, propter naturæ voluntatísque constantiam, immutabilis permanet: quidni similiter amor beatificus, & voluntas illa perpetua iustitiæ, quâ Angeli & homines peccare non possunt, liberrima erunt? Est enim certissimum Angelos, & homines qui Beati fiunt, ita libera indifferentíque voluntate iustitiam elegisse, propriâque se libertate determinasse ad diligendam iustitiam, vel in ea perseuerandum; sicut Deus ad opera quibus vel creaturas, vel aliquid in creaturis operatur. Si ergo immutabilitas naturæ in Deo non extinguit istam primigeniam electionis libertatem: multò minùs in Beatis interimet immutabilitas gratiæ. Idem dicendum de perpetua adhæsione damnatorum ad malum. Hæc ille.

Quibus respondeo primò, apertè sibi contradicere, quando dicit certissimum esse Angelos, & homines qui Beati fiunt, ita liberâ indifferentíque voluntate iustitiam elegisse, séque determinasse ad diligendam iustitiam, vel in ea perseuerandum, sicut Deus, &c. Quomodo enim id cohæret cum illius doctrina de amissione libertatis indifferentiæ per peccatum primi parentis, déque necessitate illata per gratiam medicinalem, cum qua non possunt homines non bene agere, & sine qua non possunt non malè agere necessitati pondere concupiscentiæ. Ex quo fit vt nullus hominum, in statu naturæ lapsæ, liberâ indifferentíque voluntate eligat iustitiam, séque determinet ad eam diligendam, vel in ea perseuerandum. Sed, vt iam sæpius notaui, non est infrequens huic auctori secum apertè pugnare, cùm quid ex quo sequatur non considerat: & Theologiæ subtilioris id diligenter expendentis ignarus est. 79. *Iansenius cōtradicit.* Secundò, dico falsum esse, quod ipse affirmat, amorem beatificum, & voluntatem, quâ Beati perpetuò iustitiæ summóque bono adhærent immobiliter, esse eundem numero actum, quem habuerunt in via. *Amor ille sine idem qui fuit in via?* Nam, vt omittam plurimos saluari sine vllo actu proprio amoris Dei & iustitiæ: omnes scilicet infantes, & amentes perpetuò, qui vi solius Baptismi, per Christi merita, consequuntur beatitudinem: omittam etiam plurimos eorum, qui hac in vita exercuerunt amorem Dei & iustitiæ, propriâque cooperatione saluantur, mori sine actu amoris Dei, aut iustitiæ, vel repentinâ morte correptos, vel morbi vehementia phreneticos & impotes sui factos, vel à Dei cogitatione distractos, atque sensibus viribúsque animi destitutos, vt sæpissime contingit: in illis ipsis, qui cum actu amoris Dei feliciter decedunt ex hac vita, amor beatificus non est idem numero, & specie, qui fuit in via. Cùm enim amor sequatur cognitionem obiecti, illíque proportionetur: sicut visio clara Dei longissimè distat à cognitione fidei, quam habemus in via, éstque specie diuersa: sic amor beatificus respondens visioni, illíque proportionatus, specie differt, longissiméque distat ab amore viæ proportionato fidei: vt rectè affirmant D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. ad 3. Cartus. in 1. distinct. 17. quæst. 8.

Capreol. & Almain, citati à Turriano 2. 2. disp. 77. dub. 6. Pesant. 2. 2. q. 24. art. 12. disp. 1. conclus. 3. Caiet. 1. p. q. 82. art. 2. in fine, Ferrar. 3. contra Gentes cap. 62. Coninck disp. 23. de virtut. Theolog. dub. 3. n. 13. & seq.

80. *Ostenditur non esse liberum.* Licèt autem aliqui ex Theologis opinentur amorem beatificum interdum esse eundem numero, susceptum in fine vitæ, & continuatum in patria: meritò tamen negant liberum esse, liberéque continuari. Quia vt actus aliquis dicatur liber hîc & nunc, liberéque continuari; debet ita comparari ad voluntatem secundùm statum præsentem, vt illa spectata in actu primo cum omnibus ad agendum prærequisitis, non patiatur hîc & nunc necessitatem agendi, & continuandi; sed possit ab illo abstinere si velit in præsens. Voluntas autem Beatorum non ita se habet circa continuationem actus amoris beatifici, cùm primũ aduenit clara Dei visio: quippe quæ pondere visionis ad illum ita determinatur & adstringitur, vt abstinere non possit. Neque tunc se habet simili modo, quo Deus ab æterno se habuit ad actus liberos circa creaturas: nam in actu primo spectatus, nihil habuit quo antecedenter necessitaretur ad ita volendum ab æterno.




DISPVTATIO XXXII.

Quid senserint de libero arbitrio Sancti Patres antiquiores Augustino, aut contemporanei.

SECTIO I.

Quid senserit Dionysius?

1. 
HVc vsque de D. Augustino, quem aduersarij præcipuum dogmatis sui patronum esse iactant, & quem vnum pro omnibus sufficere, eiúsque vnius auctoritate totam hanc controuersiam decidi posse affirmant. Qua de causa prætermitti possent aliorum Patrum testimonia, in noui dogmatis confirmationem ab illius opifice producta to. 3. lib. 6. cap. 12. & seqq. præsertim cùm plerumque sufficiat ea legere in ipso fonte, vt appareat vel ad rem non facere, vel illi potiùs aduersari. Neque mirum cuiquam, aut incredibile videri debet, in aliis deceptum esse, aut decipere voluisse; cùm in citandis D. Augustini testimoniis (cuius vnius lectioni duos supra viginti annos dedisse se affirmat) ita viderimus eum esse versatum, vt semper in contrarium sensum intellexerit, quem scilicet iam antea illi dederant Caluinus & Lutherus, aliíque recentes hæretici corruptores liberi arbitrij. Qui tamen prudentiores in eo fuerunt, quòd ingenuè fatentur Patres alios Græcos æquè, ac Latinos sibi aduersari, nimísque fauere libertati indifferentiæ: vt videre est apud Caluinum lib. 2. Instit. cap. 2. nu. 4. & Centuriatores Magdeburg. Cent. 2. cap. 4. colum. 59. At iste non veretur eos suæ sententiæ patronos adsciscere, sed quàm eorum auctoritate abutatur, videbitur deinceps.

Producit igitur primò Dionysium lib. de cælesti Hierarchia c. 9. vbi (vt ipse ait) libertatem arbitrij opponit vi, necessitati, coactioni; quando rationem cur homines post cor suum abeant, hoc est, faciant quod voluerint, hanc esse dicit; quia *vita non est illis data vi vel necessitate coacta.* Nam si illa (inquit) vera ratio est, profectò quandocunque non cogitur, facit id quod voluerit, & consequenter liberè operatur. 2. *Iansen. to. 3. lib. 6. c. 12. Dionysius opponit libertatem vi & coactioni.*

Respondeo, euidenter liquere ex verbis immediatè præcedentibus, Dionysium ibi affirmare non stetisse per Angelos custodes, & præsides populorum, quòd aliæ gentes, præter Hebræã, non fuerint diuino lumine illustratæ, sed in tenebris & errore idololatriæ iacuerint. Non enim (inquit) rectis Angelorum præfecturis tribuendus hic error est, sed illis ipsis hominibus, qui procliuitate sua, *οἰκείαις ῥοπαῖς, propriis nutibus*, de recta ad Deum ferente via deflexerunt, amore sui, contumaciâ & falsorum Deorum opinione, ac veneratione delusi. Quod etiam contigit ipsi populo Hebræorum, qui vt dicitur Exod. 32. & Osee 4. agnitione veritatis repulsâ, post cor suũ iuit. *οὐδὲ γὰρ ζωὴν κατηναγκασμένην ἔχομεν ζωήν*: id est, *neque enim vitam necessitate obstrictam habemus: neque propter liberum eorum arbitrium, quos prouidentia regit, diuina lumina prouidæ illustrationis hebetantur.* Vbi Dionysius per vitam necessitate obstrictam, vel, vt vertit aduersarius, *vi aut necessitate coactam*, non intelligit coactionem physicam, euidenter repugnantem voluntati quoad actus internos, per quos præcipuè stetit ne Gentiles illustrarentur. Alioquin sensus illius esset, stetisse per Gentiles, quò minùs à Deo illustrarentur, quia non habent vitam & voluntatem, quæ volendo non velit id quod vult: qui sensus est manifestè ineptus. Sed potiùs nomen coactionis latiùs sumit pro simplici necessitate, & antecedenti determinatione ad vnum, cum impotentia ad oppositum: omninóque vult dicere, Gentilium voluntates non aliqua necessitate adactas, propria inclinatione, suoptéque nutu à recta in Deum via deflexisse ad idola, sine vlla culpa SS. Angelorum, qui illis præerant, aut defectu illustrationum diuinarum, quibus licèt arbitrium liberum resistat eorum quos diuina prouidentia suauiter regit, liberéque illos agere permittit: nihil tamen propterea detrahit eorum splẽdori. 3. *Verus illius sensus.*

Ex quo patet quàm vitiosa sit illatio aduersarij, verbísque & intentioni Dionysij contraria: qui potiùs ibi liberi arbitrij facultatem indifferentem commendat. Affirmat enim huiusmodi vitam, solutam vinculo necessitatis, esse rationem cur hominibus ipsorum errores & vitia imputari debeant, veluti eorum causis per liberum & inordinatum sui amorem, & contumaciam; non autem Dei prouidentiæ, quâ per seipsum, vel per Sanctos Angelos nostram salutem procurat: vt rectè ipsum exponit Hugo Victorinus in Commentario illius loci. Eandémque ob causam idem Sanctus Pater capite 4. de diuinis nomin. parte 4. prope finem, dicit homines iustè ob peccata puniri. Postquam enim id sibi obiecit: *Dicet quispiam infirmitati supplicium non deberi, sed contra veniam:* Respondet: *Si non suppeteret potestas* (abs- 4. *Quo sensu libertatem indifferentiæ agnoscit.*

tinendi scilicet) *rectè se haberet, honestáque esset ratio. Sin à bono* (id est, à Deo) *potestas proficiscitur* (per gratiam videlicet diuinitus oblatam, vt iuuet ad abstinendum, rectéque agendum) *quod dat, vt diuina scripta tradunt, vnicuique omnino ea, quæ illi accommodata sunt: laudanda non est status ex Bono, atque bonis suis deflexio, deprauatio, declinatio, & prolapsio.* Vel, vt habet alia versio: *Si igitur non licuisset obsistere, rectè forsitan esset obiectum. Sin autem ex ipso bono vires suppeditantur, non est ignoscendum si quis per ignauiam ab ipso propriorum habitu procedente aberrauerit.* Nimirum ideo non est ignoscendum, quia non ex necessitate, sed libera voluntate aberrauit. Nam si ex necessitate, quomodo ei licuisset obsistere infirmitati, siue impotentiæ ad oppositum? Necessarium enim dicitur illud, cuius oppositum est impossibile; siue, quod aliter esse non potest.

5. Eodémque sensu dixit paulò antè, pertinere ad Dei prouidentiam quod mala fieri permittat: quia *etiam iis, qui mali, euaserunt, ad eorum vel aliorum priuatum aut communem vsum prouidentia benignè vtitur; propriéque singulis rebus consulit*; id est, ex malis bonum elicit, & vniuscuiusque naturæ, modóque agendi, siue necessario, siue libero, sese accommodat. Tum reprehendens eos qui dicebant non debere Deum mala permittere, sed homines necessitate ad virtutem impellere; sic addit: *Itaque inconsideratum vanúmque multorum verbum non probamus, qui aiunt, oportere prouidentiam inuitos etiam nos ad virtutem impellere. Neque enim prouidentiæ est naturam interimere, & tollere. Itaque vt prouidentia vniuscuiusque naturæ conseruatrix, ea, quæ suis appetitionibus vtuntur, vt eiusmodi gubernat, & vniuersos, & singulos, accommodatè vtrisque; quatenus eorum, quæ prouidentiâ reguntur, natura capit vniuersa prouidentiæ beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur.* Vbi per vocem, *inuitos*, Græcè ἄκοντας, non intelligit *simpliciter & physicè coactos*; sed duntaxat, necessitate adactos: quippe quod ad mala impedienda sufficeret: & alterum neque ad id requiritur vllo modo, neque possibile est respectu voluntatis, quoad actus eius internos, in quibus boni & mali moralis ratio primò & præcipuè consistit, & à quibus actiones externæ moraliter bonæ vel malæ denominantur. Nam, vt fatentur aduersarij, tam est impossibile voluntatem cogi physicè ad suos actus internos, quàm est impossibile vt volendo non velit, & vt volitio non sit volitio. Quapropter S. Maximus Martyr interpres Dionysij, affirmat vocem ἄκοντας, hoc loco sumi prout opponitur αὐτεξουσίῳ, id est, vt ibidem exponit, *liberæ potestati secundùm quam eligimus. Potestate enim liberâ deliberamus, & iudicamus, & eligimus, & aggredimur, & vtimur iis quæ sunt penes nos.* Certè illi quos ibi Dionysius reprehendit, non adeo stupidi erant, vt vellent diuinam prouidentiam nos physicè cogere ad bonum, efficeréque vt volendo illud, non velimus, nostráque volitio non sit volitio: quod cùm euidentem implicet contradictionem, in homines sanæ mentis cadere non potuit: neque Dionysius tam ineptè illis respondit.

6. *Coactio sæpe* Quoniam autem aduersarius tum circa Dionysium, tum circa alios deinceps citandos, perpetuò hallucinatur, vim faciens in voce coactionis, & inuiti, quasi vbicunque apud Sanctos Patres legitur, de coactione physica intelligenda sit: obseruandum semel hoc loco est, id quod rectè notauit Petauius libro tertio de Opificio sex dierum toto capite 7. & capite 8. numer. 6. vocem illam apud Patres, aliósque auctores, plerumque aliter sumi, quàm pro physicâ coactione, & simplici violentia, quâ fit aliquid ab extrinseco, passo non conferente vim, sed penitus reluctante: quo pacto voluntas non potest velle quicquam coacta, & inuita; quia non potest velle nisi velit, suámque vim internam in volendo exerceat. Et quotiescunque siue Patres, siue Theologi, aliique Scriptores dicunt velle inuitam, & coactam; non possunt nisi absurdissimè de coactione physica exponi. *aliter sumitur quàm pro physica.* Aliter ergo sumitur ab illis primò pro coactione morali, seu necessitate agendi, orta ex lege, vel præcepto superioris, contra quod non licet agere: tametsi qui obedit, possit physicè non obedire, liberéque obediat. *1. Pro coactione morali orta ex præcepto.* Quo sensu Ambrosius in Enarrat. Psalmi 37. sic ait: *Seruit, qui non ex voluntate sua quod optat exequitur: sed ex necessitate mandatis imperialibus inuitus obtemperat, &c.* Et Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulianum, *In lege nostra*, inquit, *quadam obtemperandi necessitatem imponunt, quæ sine periculo prætermitti nequeunt. Alia non necessitate cogunt, sed in electione libera sunt posita:* id est, non sunt præcepti, sed consilij, ita vt licitè omitti possint. Et Hieron. in epist. ad Demetriadem, exponens illud Christi, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes*, &c. eum ita loquentem inducit. *Non cogo, non iubeo: sed propono palmam, ostendo præmia. Tuum est eligere, si volueris in agone atque certamine coronari.* Secundò sumitur pro vehementi inductione ad aliquid agendum, quod alioqui non faceremus, quódque facimus inuoluntariè secundùm quid, tametsi absolutè velimus, & agamus liberè, possimúsque ab eo abstinere. *2. Pro vehementi inductione, & coactione secundùm quid.* Quo sensu Ambrosius ibidem dicit diabolum nos cogere ad peccandum, faciendúmque id quod habemus odio. Et Augustinus in Psal. 39. de eodem sic ait: *Illo tempore cogebat Christianos negare Christum: isto autem tempore docet Christianos negare Christum. Tunc cogebat; nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias; nunc insidias. Videbatur tunc fremens; lubricus nunc & aberrans difficilè videtur. Quomodo autem tunc cogebat Christianos negare Christum, apertum est. Attrahebantur enim, vt negarent Christum: & confitentes Christum coronabantur.* Sic etiam vulgò dicimus mercatorem metu naufragij coactum, proiicere merces in mare: & ægrotum metu mortis, ægrè licèt & inuitò permittere brachiũ sibi abscindi. Tertiò sumitur pro obligatione, quam quis habet ratione sui officij, quáve moraliter necessitatur ad aliquid agendum aliter quàm ei libitum esset. *3. Pro obligatione orta ex officio.* Quo sensu Ambrosius in Psal. 118. Octon. 14. *Plurimum refert*, inquit, *vtrũ ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Denique voluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium: sicut Apostolo dicente cognouimus. Scripsit enim, væ mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Quartò sumitur etiam pro naturali propensione ad aliquid vnũ determinata, & pro quacunque *4. Pro naturali determinatione ad vnũ,*

mat Antonius Ricard. lib. 2. Defens. cap. 5. sect. 1. dicens Augustinum ibi loqui de necessitate illa, *secundum quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, sicut à Deo præscitum est.* Quæ cùm sit consequens tantùm, ideóque libertatis exercitium inuoluat, aut supponat: *non est cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Duplicem enim necessitatem distinguit eò loci Augustinus. Vnam, *quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus, efficit quod potest; sicut est necessitas mortis:* & hanc negat sequi ex Dei præscientia: quia *manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam viuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, non vtique faceremus.* Alteram, quæ tametsi est in nostra potestate, id est, pendet à nostra libertate, eámque inuoluit, aut supponit; secundùm illam tamen dicimus *necesse esse vt ita sit aliquid, vel ita fiat:* cuiusmodi est illa, quæ sequitur ex Dei præscientia, secundùm quam necessarium esse dicitur vt ita sit aliquid, vel ita fiat, sicut à Deo præscitum est. Et hanc meritò negat libertati officere, quam potiùs adstruit & supponit. Ideo enim Deus præscit volitiones nostras liberè futuras, quia liberè futuræ sunt: pendétque à libertate nostra quòd Deus illas præsciuerit futuras, sicut ab illa pendet quòd sint liberè futuræ.

50. *Necessitas consequens non officit libertati.* Vt autem ostendat huiusmodi necessitatem consequentem non officere libertati, tria profert exempla. Vnum est de vita Dei: intelligens eo nomine actus intellectus & voluntatis, in quibus vita Dei consistit, velut in actu secundo; inter quos multæ sunt volitiones liberæ, multæque notitiæ contingentes: & tametsi dicamus *necesse esse Deum semper viuere,* id est, æternum persistere in eiusmodi actibus, quos ab æterno habet: *non tamen idcirco vitam Dei sub necessitate ponimus,* id est, non propterea dicimus Deum ex necessitate huiusmodi actus vitales habere, ita vt non liberè se ad eos determinauerit. Necessitas enim, quâ dicimus esse necessarium Deum secundùm illos semper viuere, inuoluit, & ratione priùs præsupponit exercitium liberum voluntatis diuinæ, quæ ab æterno ita illos habet, vt potuerit non habere. Potuit enim non velle mundum creare, homines & Angelos ad gratiæ statum euehere, gloriæque æternæ participes efficere, Verbum incarnare, peccatores redimere, & alia, quæ statuit extra se operari tam in ordine naturali, quàm supernaturali. Alterum exemplum sumitur ex Dei præscientia. Necessarium enim est *Deum cuncta præscire:* nec tamen cùm hoc dicimus, *præscientiam Dei sub necessitate ponimus,* antecedente scilicet, & officiente libertati voluntatis diuinæ. Quia necessitas vt Deus præsciat quidquid futurum est, præsupponit vsum libertatis diuinæ circa res futuras. Nisi enim Deus voluisset, nihil futurum esset: & si nihil futurum esset, Deus nihil futurum præsciret. Et quia potuit absolutè non velle: necessitas præscientiæ diuinæ non est absoluta, sed tantùm ex hypothesi quòd Deus liberè voluerit res præscitas esse futuras. Ad hæc duo exempla illustranda addit Augustinus, simili quodam modo non obesse omnipotentiæ diuinæ, quòd mori fallíque non possit: quia omnipotentia hoc ipsum includit, quòd neque morti, neque errori obnoxius esse queat. *Propterea enim illud non potest, quia omnipotens est.* Et non esset omnipotens, si eius vita, aut veritas deficere posset. Sicut ergo necessitas non moriendi, & nunquam à vero aberrandi, non destruit omnipotentiam Dei, quam inuoluit: ita neque necessitas semper viuendi, & omnia præsciendi, destruit eius libertatem, quam includit, aut supponit. Tertium exemplum, illúdque appositissimum, & efficacissimum petitur ex nostra libertate. Tametsi enim necessarium est vt quando liberè volumus, libero velimus arbitrio: hæc tamen necessitas non adimit libertatem, quippe cuius exercitium includit. Ideo enim necessarium esse dicitur vt si liberè volumus, libero velimus arbitrio: quia non possumus liberè velle, & liberum arbitrium non exercere: id est, simul velle liberè, & non velle liberè: seu non velle liberè, ex suppositione quòd liberè velimus. *Sic etiam,* inquit, *cùm dicimus necesse esse vt cùm volumus, libero velimus arbitrio, & verum proculdubio dicimus, & non ideò ipsum liberum arbitrium necessitati subiicimus, quæ adimit libertatem:* quia scilicet hæc illam inuoluit: & cùm ita loquimur, nihil aliud affirmamus, nisi necessarium esse vt libera volitio sit exercitium liberi arbitrij; siue, vt volitio libera sit illud ipsum quod est.

Hunc esse verum Augustini sensum probatur primò, quia D. Augustinus distinguens duas prædictas necessitates, priorem dicit esse illam quæ non est in nostra potestate, id est, libera voluntate, iuxta phrasim Augustini, & communem hominum loquendi modum: vt ostendimus num. 32. & seqq. Ergo altera necessitas, quæ facit alterum membrum diuisionis isti contradistinctum, debet esse necessitas quæ est in nostra potestate, id est, libertate: tametsi secundùm illam dicatur *necesse esse vt ita sit aliquid, vel ita fiat,* consequenter scilicet ad aliquem vsum libertatis, propter quod illum non perimit, sed potiùs inuoluit aut supponit. Quare longè à mente D. Augustini aberrat aduersarius, quando vult illum per priorem necessitatem intelligere coactionem physicam, quam solam dicat repugnare libertati: per posteriorem verò intelligere necessitatem quamcunque simplicem, licèt antecedentem, quam dicat non adimere libertatem. 51. *Probatur Augustinũ de illa loqui.*

Probatur secundò, quia, vt rectè obseruauit Ricard. loco suprà cit. non erat quæstio inter ipsum & Tullium, vtrum Dei præscientia inferret nostris voluntatibus coactionem physicam manifestè impossibilem: id est, efficeret vt nostræ volitiones non essent volitiones; siue, vt volendo non velimus: sed vtrum imponeret simplicem necessitatem antecedentem, oppositam contingentiæ: vt patet ex locis relatis num. 45. quam necessitatem putabat Tullius necessariò sequi ex infallibilitate præscientiæ diuinæ, non autem coactionem physicam. Quis enim credat Ciceronem adeo delirâsse, vt existimauerit stare non posse infallibilitatem præscientiæ diuinæ circa nostras volitiones, tametsi necessariò & infallibiliter euenirent; nisi etiam coactè fierent, voluntate non concurrente, sed planè repugnante? Quod manifestè ab- 52. *De illa quæstione erat cum Tullio.*

surdum est, & apertam contradictionem implicat, vt aduersarius sæpè fatetur. Vel igitur Augustinus non respondet ad propositum, neque soluit difficultatem, sed Ciceroni dat quod ille intendit: quod de tanto Doctore existimare indignissimum est: vel potiùs ostendit non inferri à Dei præscientia necessitatem, quam Cicero metuebat, & quâ positâ dicebat tolli contingentiam & fortunam, omnémque vitam humanam subuerti, frustra leges dari, frustra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhiberi; neque vllâ iustitiâ bonis præmia, & malis supplicia constituta esse. Quod neque aduersarius inficiari potest. Nam, iuxta illius doctrinam, omnis peccandi necessitas, quæ aliunde oritur quàm ex peccato, quæque non est in pœnam peccati irrogata, (cuiusmodi esset illa, quæ ex Dei præscientia manaret) tollit libertatem necessariam ad peccandum, & excusat à culpa, efficítque vt frustra sint leges & præcepta.

53. *Discursus Augustini.* Ciceronis igitur argumento longè aliter respondet Augustinus, quàm velit aduersarius, qui totam eius disputationem miserè peruertit, redditque ineptissimam. Erat illud huiusmodi, vt refertur ab Augustino: Si Deus omnia futura præscit, debet illi certus esse ordo causarum. Si autem certus est ordo causarum, quo fit omne quod fit, fato fiunt omnia quæ fiunt: intelligendo nomine fati necessitatem ortam ex causis antecedentibus. Respondet autem Diuus Augustinus, *Non esse consequens vt si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostra voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiúsque præscientiâ continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt: atque ita omnes qui rerum causas præsciuit, profectò in iis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit, &c. Quomodo igitur ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id efficit vt nihil sit in nostra voluntate; cùm in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates?* (Cap. 9. de Ciuit.) Id est, cùm inter causas rerum futurarum aliæ sint necessariæ, aliæ liberæ, cuiusmodi sunt nostræ voluntates, quæ contingenter & absque necessitate operantur: tametsi Deus certò præsciat omnes causas, earúmque ordinem, & modum operandi; non sequitur omnia necessariò euenire: sed potiùs multa liberè fieri: quia Deus, qui omnia certò præscit vt sunt, præuidit causas liberas esse liberè operaturas.

54. Lib. 5. de Ciuit. c. 10. in fine. *Necessitas ex præscientia est tantum consequens.* Ad id verò quod addit Cicero, fieri non posse vt contingenter eueniant, quæ à Deo præscita sunt; quia eius præscientia falli nequit. Respondet idem S. Doctor, necessitatem hanc, consequentem esse duntaxat, & ortam ex suppositione euentus liberè futuri: *Neque enim, inquit, ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit: imò ideò non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat: quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit: qui si nolis, vtique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit.* Quod est dicere præscientiam Dei circa nostros actus liberos pendere quodammodo à nostra libertate: ita vt sit in nostra potestate offerre Deo id, quod de nobis ille præsciuerit. Vnde necessitas consequentiæ, quâ necessarium esse dicitur vt si quid Deus prænouit, infallibiliter eueniat, non officit nostræ libertati: sed potiùs eius exercitium præsupponit: ideo enim Deus præsciuit nos esse peccaturos, aut aliud quid facturos liberè; quia peccabimus, aut liberè illud agemus.

SECTIO VII.

Soluitur alia obiectio de libertate Dei, Christi, & Beatorum.

55. *Obiectio de libertate Dei & Beatorum.* OPPONIT septimò Iansenius, Deum liberè bonum esse, quamuis malus esse non possit: liberè, inquam, velle bonum, quamuis nequeat velle malum, vt ait S. Augustinus lib. 1. Operis imperfecti contra Iulianum: quo exemplo refutat id, quod ille affirmabat, liberum tantùm id esse, quod facere posset bonũ & malum, id est, peccare & non peccare. Item Deum liberè iustum esse, licèt non possit velle peccare, vt idem S. Doctor affirmat lib. de natura & gratia c. 46. Beatos quoque homines, & Angelos liberos esse, quamuis non possint peccare, & à bono deficere: vt idem scribit in Enchiridio cap. 150. & libro de Corrept. & Gratia capite 11. & lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. Estque illius sensus, quòd eorum arbitrium sit liberrimum in illo ipso affectu & voluntate non peccandi: hoc est, in illa stabili, perpetua, & immutabili voluntate non deficiendi ex amore Dei. Christum etiam fuisse liberrimum in non peccando: quamuis illius arbitrium nullum peccatum, nullúmque malæ voluntatis motum posset admittere: vt docet Augustin. lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. & in Enchirid. cap. 36. & lib. de Prædestinat Sanct. capite decimoquinto, vbi sic habet: *Numquid metuendum fuit ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat: ac non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat?* Denique voluntatem ipsam, seu volitionem fruentem summo bono clarè viso, esse liberam, tametsi est necessaria, incommutabilis, & perseuerantissima voluntas adhærendi Deo, & tenendæ iustitiæ: vt ait idem S. Doctor lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. & 5. & dæmones atque damnatos liberè peccare, quamuis necessariò peccent, cùm sint obstinati in malo. Ita Iansenius to. 3. lib. 6. cap. 7. & tribus seqq.

56. *Sumpta ex Caluino.* Eodem argumento vsus est Caluinus lib. 2. Instit. cap. 3. num. 5. vbi sic ait: *Porro quòd libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum trahi, vel duci, mirum est si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quidpiam, nec à Sanctorum vsu aliena est. Offendit autem eos, qui inter necessitatem & coactionem distinguere nesciunt. At si quis eos interroget, an non Deus necessariò bonus sit: an non diabolus necessariò malus? quid respondeant, &c. Ergo si liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit quòd necesse est illum bene agere: si diabolus, qui non nisi malè agere potest, tamen voluntate peccat: quis hominem ideo minùs voluntariè peccare dicet, quòd sit peccandi necessitati obnoxius?* Similia habet cap. 5. eiusdem lib. num. 1. & lib. 4. contra Pighium pag. 175. vbi addit non id suum esse com-

mentum, sed Augustinum sic docuisse. Meliùs dixisse Wicleffum, qui cap. 28. Trialogi tertij scripsit Deum *non illibertari quicquam facere, licèt absolutè necessariò illud fiat. Sicut non illibertatur producere Verbum, aut Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat.* Idem cum Caluino dicunt eius ministri, Petrus Molinæus in Clypeo fidei, ad art. 9. & Daniel Chamierius to. 3. lib. 2. c. 4. vbi ipso initio sic argumentatur: *Arbitrium Dei, Angelorum, diaboli, hominum glorificatorum, & damnatorum, non est liberum à necessitate interna. Ergo non semper arbitrium est liberum à necessitate interna.* Et denique Zanchius in tractat. Theol. lib. 1. cap. 6. thesi 1. *Non pugnant inter se,* inquit, *liberè agere, & tamen necessariò agere. An non Deus necessariò bonus, & iustus, & clemens est? Et numquid propterea liber non est Deus? An non etiam Angeli in cælo, & animæ Beatorum necessariò volunt quæ volunt, nempe iusta tantùm, & voluntati Dei consentanea? Num ideo dixeris, propter hanc necessitatem, illos non esse libero arbitrio præditos? Contrà, an non etiam diaboli talis sunt iam naturæ, vt necessariò semper peccent, neque à peccato desistere possint? Num igitur dixerimus eos non liberè peccare, eòque peccata verti illis vitio non posse? nihil minùs. Ergo quod etiam in terris homines ita sint facti serui peccati, vt non possint non peccare; & contrà, qui natus est ex Deo, nec peccet, nec peccare possit; inde non tollitur vel illis, vel istis, natiua voluntatis libertas, quæ est libertas à coactione.* Huc vsque Zanchius, qui planè Iansenizat.

57. *Libertas generaliter nō est indifferentia ad bonum & malum.*

Ad primam partem obiectionis respondeo, Augustinum priori loco refutare Iulianum, qui libertatem definiebat per potestatem volendi bonum, & malum; seu peccandi, & non peccandi: cui rectè opponit Augustinus, inde sequi Deum non fore liberum, quia non potest peccare. *Si liberum non est*, inquit, *nisi quòd duo potest velle, id est bonum, & malum: liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle: de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem?* Aliter ergo definienda est libertas generaliter & abstractè sumpta, prout à Deo, & à creaturis præscindit. De cuius ratione, vt sic, non est posse peccare, & malum velle; sed posse versari indifferenter circa id, ad quod libera est, siue quoad exercitium, siue quoad specificationem. Atque ita Deus, quamuis peccare non possit, neque ad peccandum liber sit; est tamen liber & indifferens quoad exercitium, circa ea quæ facit extra se; ita vt potuerit ea velle efficaciter, aut non velle; & quoad specificationem, quatenus loco eorum quæ vult aut facit; potuit alia diuersa facere, aut eligere.

58. *Deus quomodo liber, & ad quid?*

Similitérque licèt non possit velle peccare, & iniustè agere: liberè tamen iustus est, vt affirmat Augustinus loco posteriùs citato ex libro de natura & gratia: quia sic exercet plurima virtutum opera, vt potuerit non exercere, ac sine peccato, & indecentia ab illis abstinere: putà à proponenda & promittenda retributione regni cælestis bonis hominum operibus. Potuit enim sine indecentia id non promittere. Imò cùm potuerit abstinere à creatione mundi: potuit abstinere ab illis omnibus virtutum operibus, quæ circa homines & Angelos, aliásque creaturas exercet. Confirmatur ex D. Thoma 1. p. quæst. 19. artic. 10. vbi ex professo disputat vtrum Deus habeat liberum arbitrium: & sic respondet: *Dicendum quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Vnde & alia animalia, quæ naturali instinctu mouentur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moueri. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate: respectu illorum, quæ non necessitate vult, liberum arbitrium habet.*

59. *Circa quæ liberi sunt Beati?*

Ad secundam partem obiectionis respondeo similiter, Beatos, licèt non possint peccare, & à bono deficere, liberos tamen esse circa plurima, quæ ita faciunt vt possint eadem sine peccato omittere: ex. gr. pro hoc aut illo orare, suísque precibus hoc aut illud beneficium impetrare. Vt enim verissimè ait sanctus Thom. quæst. 24. de veritate artic. 1. ad 16. Si aliqua creatura adhæret immobiliter Deo (vt faciunt Beati) non propter hoc priuatur libero arbitrio, quia potest adhærendo multa facere, vel non facere. Et in 2. distinct. 7. art. 1. postquam dixit rationalem potestatem versari circa opposita, quæ sub electionem cadunt, quorum proprium est liberum arbitrium: addit Angelos qui ipso fine perficiuntur (id est Beatos) non posse habere voluntatem alicuius eorum quæ à fine deordinant, cuiusmodi est voluntas peccati: *Sed tamen posse velle hoc vel illud, quorum neutrum à fine deordinat: & sic saluatur proprietas rationalis potestatis, in quantum possunt hoc facere, vel non facere: quamuis non possint in hæc opposita, bonum & malum.*

66. *Quo sensu arbitrium est liberius in Beatis?*

Quod verò dicit Augustinus loco citato, arbitrium ipsâ visione beatificâ liberrimum fore; & eo liberius, quòd peccato seruire non poterit: non significat visionem ipsam fore Beatis liberam; cùm enim illa non sit in eorum potestate, vt neque alij actus beatifici, qui necessariò eliciuntur vi luminis gloriæ, & aliorum habituum, vel actuum beatificantium; non habent libertatem arbitrij circa illos: sed tantùm respectu aliorum omnium in eorum potestate existentium, ita vt possint ab illis fieri vel non fieri. Sed vt rectè exponit Esthius in 2. distinct. 7. quem ferè solum inter Scholasticos recentiores magni facit aduersarius, significat his verbis Augustinus per necessitatem non peccandi non auferri Beatis liberum arbitrium, imò potiùs confirmari, magísque liberum effici. Qui enim peccare non possunt, multò sunt liberiores in electione bonorum; dum interea sine errore, & periculo peccati, eligunt quod volunt; quàm si peccare possent. Quod patet in Deo, qui peccare non potest, & tamen ad eligendum opposita liberrimam habet voluntatem. Ad quod significandum subiungit Augustinus in Enchiridio hæc verba: *Multò quippe liberius est arbitrium*, &c. Huc vsque Esthius. Vel etiam quia, cùm triplex sit libertas, vt rectè ait Ricardus lib. 2. cap. 5. sect. 2. §. 2. post S. Bernardum *lib. de gratia, & lib. arbitrio*, à peccato scilicet, à miseria, & à necessitate: quarum vltimam contulit nobis in conditione naturæ, dicitúrque libertas naturæ: in primam restauramur à gratia, dicitúrque li-

bertas gloriæ: perfectius erit liberum in Beatis, in quibus triplex hæc libertas reperietur. Nimirum quia, vt idem Bernardus addit, libertas naturalis arbitrij *tamdiu quodammodo captiua tenetur, quamdiu illam duæ aliæ libertates minimè, aut minùs plenè comitantur.* Vel etiam, vt ait D. Thom. 1. p. quæst. 62. art. 8. ad 3. pertinet quidem ad perfectionem libertatis posse eligere diuersa, seruato ordine finis: sed posse ordinem illum deserere pertinet potiùs ad defectum: *Vnde*, inquit, *maior libertas arbitrij est in Angelis*, & in Beatis, *qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.* Vel denique, quia peccandi possibilitas moraliter loquendo impotentia magis, quàm potentia dici debet, vt significat Augustinus lib. 14. de Ciuitat. capite 11. ideóque liberum arbitrium quod peccare non potest, minus habet impotentiæ, & eatenus fortius est, perfectiúsque liberum. Qua de causa idem Sanctus Doctor lib. 22. de Ciuitat. capite vltim. exponens quod dixerat, Beatos habituros magis liberum arbitrium, hanc dicti huius rationem subiungit: quia liberum arbitrium in statu beatitudinis *eo potentius erit, quo peccare non poterit.*

61. *Christus ad quanam liber?* Ad tertium dico, Christum non fuisse liberum ad peccandum vel non peccandum, (quod neque Augustinus asserit loco citat. in obiectione) sed ad ea omnia quæ ita volebat & faciebat, vt sine indecentia posset eadem omittere: & vel agere, aut non agere: vel etiam ex oppositis, aut diuersis obiectis vnum præ alio eligere. In qua libertate explicanda non adeo laborant eruditiores, & subtiliores Theologi, atque fingit & exaggerat aduersarius libro sexto de Gratia Christi capite 9. vbi etiam falsò supponit fuisse omnes Christi actiones à Deo determinatas, atque præscriptas, ita vt nihil liberæ eius electioni, & determinationi relictum fuerit: Hoc enim à vero alienum esse rectè ostendit inter alios Martinonus tom. 4. disp. 11. sect. 3. 4. & 5. Quo autem sensu dicat Augustinus Christum fuisse magis liberum quia peccare non poterat, patet ex proximè dictis de libertate Beatorum.

62. *Amor beatificus non est liber.* Ad quartum respondeo, volitionem quæ incommutabiliter adhæret Deo clarè viso, non esse liberam, quia necessariò profluit à voluntate præuentâ lumine gloriæ, & visione beatifica: ideóque Beati non sic illam eliciunt, vt possint non elicere si velint: neque illam habent in sua potestate, non sunt illius domini, non possunt eam suspendere cùm libet. Quæ omnia quando aduersarius ex sua, & Diui Augustini, sententia, affirmat esse falsa *lib. 6. de Gratia Christi capite decimo*, quia, inquit, Beati illam ipsam volitionem, quâ Deum clarè visum necessariò amant, habent in sua potestate, súntque illius domini, & possunt illam suspendere quando volunt; & si nolunt, & constanter nolunt eam suspendere, hoc propriè non arguit defectum potestatis, sed voluntatis. Et capite 35. eiusdem libri loquens de eâdem volitione, quâ Beati Deum clarè videntes, illum amant, *Possent*, inquit, *volitionem suam mutare, si vellent.* Et paulò pòst, *Abruptio, seu cessatio illius voluntatis est in potestate, quia fit cùm volunt: sed si non velint, defectus oritur ex voluntate, non ex potestate:* indéque concludit liberum esse Beatis abstinere ab amore beatifico. Cùm, inquam, hæc affirmat aduersarius, sibimetipsi apertè contradicit. Nam, vt rectè obseruauit Ricard. libro 2. capite 1. sect. 4. §. 1. idem aduersarius eodem libro sexto cap. quarto, prope finem, disertè ait, non esse Deo ac Beatis liberum velle peccare. Atqui si non est liberum Beatis velle peccare, consequens est vt non sit quoque liberum Beatis cessare ab amore beatifico. Quæro enim, cur non sit liberum Beatis velle peccare? Non potest ab illo responderi, nisi quia Beati non possunt velle peccare. Atqui pariter non possunt velle cessare ab amore beatifico, in quem non minùs feruntur necessariò, quàm in voluntatem non peccandi. Ergo non est illis liberum velle ab eo cessare. Ergo cessatio, siue abruptio illius voluntatis, non est illis libera.

Neque proderit aduersario dicere, cessationem illam esse nihilominus Beatis liberam, quia cessarent si vellent: velle enim cessare, esset cessare. Nam contrà: Primò dici nequit posse Beatos cessare si velint: quandoquidem non possunt velle cessare. Cùm enim affirmamus de aliquo, *Posse hoc, si velit*, supponimus illum posse id velle: & alioqui non debet dici, *Potest hoc, si velit*: sed dici absolutè debet, *non potest*, vt fusiùs ostendimus num. 34. Deinde si hoc sufficit vt cessatio amoris beatifici dicatur esse libera Beatis, sufficiet pariter vt voluntas peccandi dicatur illis esse libera: quia possent peccare si vellent: velle enim peccare est peccare. Quare quocunque se vertat aduersarius, non potest euidentem contradictionem effugere. 63. *Neque Beati possunt ab illo cessare si velint.*

Nec minùs implicat contradictionem quod ait, cessationem illam esse in potestate Beatorum, quia fit quando volunt: & si non velint, defectum oriri ex voluntate, non ex potestate: id est non oriri ex impotentia quòd non cessent. Quomodo enim cessant quando volunt, si nunquam volunt, nec vnquam possunt velle cessare? Quomodo non cessant ex impotentia, si non possunt cessare: hoc est, si necessariò persistunt in amore beatifico, adeóque non possunt non persistere? Sed, vt anteà notaui, sæpiúsque notare cogor, non est infrequens huic auctori pugnantia loqui: vt facit etiam quando eodem lib. 6. de Gratia Christi capite 4. prope finem, dicit non esse liberum dæmonibus Deum diligere: capite autem 35. asserit liberum esse Beatis cessare ab amore beatifico. Contendo enim aut vtrumque dici posse, aut neutrum, iuxta ipsius sententiam. Nam si velit non esse liberum dæmonibus diligere Deum, quia non possunt diligere: pariter non est liberum Beatis cessare ab amore beatifico, quia non possunt cessare. Sin autem velit esse liberum Beatis cessare ab amore, quia cessarent si vellent, velle enim cessare esset cessare: pariter debet dicere liberum esse dæmonibus diligere Deum; quia diligerent si vellent efficaciter: nam velle efficaciter diligere, esset diligere. Libenter etiam ab illo quærerem cum Ricardo sect. citat. §. 2. quomodo possit excusari ab errore hæc propositio, *Est in libera potestate Beatorum abstinere ab amore beatifico?* si ista est erronea, & in Pelagio damnata, vt testatur D. Augustinus lib. de Gestis Pelagij cap. 6. 64. *Neque ille est in eorum potestate.*

Est in naturali potestate hominis non peccare. Nam si idcirco prior propositio vacat errore, & vera est, quia Beatus, si vellet non amare Deum, non amaret: pariter vera est posterior, quia non peccaret homo, si non vellet. Sique illud sufficit vt dicatur Beatus posse abrumpere amorem beatificum: istud quoque sufficiet vt dicatur homo habere in naturali potestate non peccare.

SECTIO VIII.

Diluitur alia obiectio de processionibus diuinis.

65. *Obiectio de processionibus diuinis.* OPPONIT octauò aduersarius, Patrem diuinum liberè producere Filium, & cum illo spirare liberè Spiritum sanctum: tametsi necessariò producatur Filius, & spiretur Spiritus sanctus. Vnde concludit absolutam necessitatem non repugnare libertati; sed coactionem tantùm. *Sumpta est ex Luthero.* Eodem argumento ad id probandum vtitur Lutherus in libro de seruo arbitrio pag. 499. dicens non omnem necessitatem excludere liberam voluntatem: quemadmodum Deus Pater gignit necessariò Filium: & tamen volens ac liberè gignit, quia non coactus. Et ante Lutherum Wiclefus Trialogo tertio capite 28. vbi, vt testatur Waldensis libro primo Doctrinalis capite 22. interrogantibus quomodo voluntas diuina, vel creata, est libera, si absolutè necessitetur agere? *Et ex Wiclefo.* Quantum ad diuinam voluntatem respondebat, non desinere liberam esse propter absolutam necessitatem: sicut *Deus liberè producit Verbum, & Spiritum sanctum: licèt absolutè necessariò illud agat.* Eundem errorem, velut ab Ario profectum, specialiter & ex professo refutat sanctus Thomas 1. part. quæst. 41. art. 2. *Et ex Ario.* affirmans fuisse iampridem reprobatum, & anathematizatum in Concilio Sirmiensi, vt refertur à S. Hilario in libro de Synodis, quem librum citat ibidem D. Thomas tacito nomine Concilij Sirmiensis.

66. Verba illius hæc sunt, quibus respondet quæstioni à se propositæ, *Vtrum actus notionales sint voluntarij?* Cùm dicitur, inquit, aliquid fieri voluntate, dupliciter potest intelligi id. Vno modo, vt ablatiuus designet concomitantiam tantùm: sicut possum dicere, quòd ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici quòd Pater genuit Filium voluntate: sicut & est voluntate Deus: quia vult se esse Deum, & se generare Filium. Alio modo sic, quòd ablatiuus importet habitudinem principij. Sicut dicitur quòd artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis. Et secundùm hunc modum dicendum est quòd Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam. Vnde in libro *de Synodis* dicitur, quòd si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquid de creaturis, Filium factum dicat, anathema sit. Et huius ratio est: quia voluntas, & natura secundùm hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad vnum, sed voluntas non est determinata ad vnum. Cuius ratio est, quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum autem est quòd vnius rei non est nisi vna forma naturalis, per quam res habet esse. Vnde quale ipsum est, tale facit. Sed forma per quam voluntas agit, non est vna tantùm, sed plures, secundùm quod sunt plures rationes intellectæ. Vnde quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens: sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longè est à natura diuina, sed hoc pertinet ad rationem creaturæ: quia Deus est per se necesse esse: creatura autem est facta ex nihilo. Et ideo Ariani volentes ad hoc deducere, quòd Filius sit creatura, dixerunt quòd Pater genuit Filium voluntate, secundùm quod voluntas designat principium. Nobis autem dicendum, quòd Pater genuit Filium non voluntate, sed naturâ. Vnde Hilarius dicit in libro de Synodis. *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas contulit: sed naturam dedit filio ex impassibili ac non natâ substantiâ, perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia ea Deus esse voluit. Filius autem natus ex Deo, talis subsistit, qualis & Deus est.* Hæc D. Thomas, quibus nihil clariùs contra hunc errorem Iansenij, & Lutheri dici potest. *Hil. lib. de Synod. aduers. Arian. circa medium.*

67. *Et ab Eunomio.* Eundem quoque loquendi modum vsurpatum fuisse ab Eunomio hæretico, affirmante Deum Patrem accidente voluntate genuisse Filium, & ab omnibus Catholicis reiectum fuisse, testatur sanctus Augustinus libro 15. de Trinitate capite vicesimo. Nec immeritò: quia iuxta phrasim Sanctorum Patrum, *gignere voluntate*, est gignere ex arbitrio libero, & dominio in suum actum, ac potestate non gignendi. Quamobrem Epiphanius hæresi 69. respondens huic vulgari Arianorum interrogationi, *Volénsne Pater, an nolens Filium genuit?* dicit neque volentem, neque nolentem genuisse: sed in natura, quæ omnem deliberationem superat. Quod etiam dicunt Ambrosius libro quarto de fide, capite quarto, & Augustin. libro 15. de Trinitat. capite vicesimo. Nimirum quia, vt ait Athanas. orat. 4. contra Arianos, *Quæ voluntate fiunt* (vt voluntas scilicet, non vt natura est) *possunt non fieri. Nam deliberare, eligeréque in vtramque partem, momenta sua habet.* Ideóque negat ibidem Deum esse bonum voluntate: quia sic fieri posset vt non sit bonus.

68. *Absurditas dicentium liberas esse.* Et verò, cùm, vt fatentur aduersarij, actus qui liberè fit, sit in nostra potestate & dominio; fiátque, si volumus; & si non volumus, non fiat: sequeretur ex eorum doctrina, Patrem habere in dominio productionem Filij, & ambos habere in dominio productionem Spiritus sancti. Quod sine blasphemia dici nequit. Nam inde sequeretur Patrem esse dominum Filij: & ambos esse dominos Spiritus sancti, titulo liberæ productionis, per quam possent de illis disponere: sicut creaturæ sunt in perfecto Dei dominio, titulo creationis: quia si vult, eas producit; si non vult, non producit. Nihil enim magis est in dominio nostro, quàm id,

in cuius productione voluntas nostra dominatur, ita vt liberè de illa disponat. Sequeretur præterea potuisse Patrem non producere Filium, & ambos non spirare Spiritum sanctum: atque ita produxisse, & spirasse, vt potuerint à productione & à spiratione abstinere: quod est æquè blasphemum & hæreticum; reducit enim hæreses Eunomianorum, Aëtianorum, & Macedonianorum, de quibus Basil. epistola 78. Nazianz. orat. 34. & Epiphanius hæresi 73. & 76. Sequela patet ex dictis sect. quarta numer. 34. & seqq. Nam, vt ibi probauimus, non dicitur aliquid fieri cùm volumus, aut si volumus, esséque in nostra potestate; nisi pendeat à nostra libertate & electione vt velimus, aut non velimus; & agamus, vel non agamus.

69. *Quid de illis sentiant Scotistæ?* Neque excusat aduersarios quòd Scotistæ docent productionem Spiritus sancti liberam esse. Nam illi profitentur se non id dicere sumendo libertatem strictè, & propriè, pro potestate indifferenti ad opposita contradictoriè aut contrariè, vel ad diuersa quomodocunque: sed pro spontaneitate. Vt patet ex Cardinali Aureolo Scotista celeberrimo, in primo, distinct. prima, capite 3. art. 3. vbi disertè affirmat Patrem & Filium non spirare liberè, si liberum sumatur pro dominatiuo actus: quia non possunt dominatiuè suspendere actum spirationis. Quare meritò Ioannes Puteanus tom. 1. in 1. 2. quæst. 10. dubit. 2. dicit hanc sententiam Scotistarum non patrocinari Caluinistis, idem sentientibus & obiicientibus, quod noui Dogmatistæ: quia, inquit, liberum non sumunt in propria significatione, sed quatenus coincidit cum voluntario: ac proinde volunt Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, liberè, id est, spontaneè, & non coactè.

SECTIO IX.

Soluitur vltima obiectio de potestate peccandi.

70. *To. 3. lib. 6. capite 11.* Opponit vltimò Iansenius cap. 11. veram arbitrij libertatem nullo pacto indifferentiam contrarietatis (hoc est, boni & mali) postulare: sed defectum esse libertatis posse peccare, hoc est, à bona voluntate posse deficere: secundùm illud S. Anselmi, ab omnibus postea approbatum, *Nec libertas est, nec pars libertatis, potestas peccandi.* Superest igitur exercitij indifferentia, quâ scilicet possit arbitrium varias bonarum actionum species agere; vel certè agere & non agere. Sed indifferentia ad species diuersas bonarum actionum libertati essentialis esse non potest. Quid enim si arbitrium iustissimis Dei legibus vnam tantùm boni speciem agere iubeatur, quam nisi faciat, peccati reum sit? Ipse Deus si loqui velit, non potest nisi verum dicere. Si promittit, fidelis est, & se negare non potest. Sola igitur indifferentia agendi, & non agendi restat, quæ propriè est exercitij. Sed & ista in Deo prorsus periit, hoc ipso, quo semel immobili voluntate voluit, atque statuit quid in singulis circumstantiis agendum sit, quam retractare non potest. Quapropter si hoc duntaxat est esse liberum, indifferentem esse ad agendum & non agendum, liber esse Deus dici non potest: imò nec fuisse: Quando enim? Siquidem ab æterno semper ad agendum, vel non agendum determinatus fuit.

Vt respondeam suppono ex communissimâ doctrina Philosophorum & Theologorum, libertatem diuidi in eam quæ dicitur contrarietatis, seu specificationis: & illam quæ dicitur contradictionis, siue exercitij. Posterior consistit præcisè in potestate indifferenti ad agendum, vel non agendum: putà ad amandum, vel abstinendum ab amore. Prior verò, vt diuisio sit adæquata, consistit in potestate indifferenti ad quælibet positiuè diuersa, siue sint contraria vel aliter opposita, siue non. Vt ad paupertatem amandam & voluntariè amplectendam, vel ad diuitias sectandas: ad coniugium, vel ad cœlibatum: ad vitam sæcularem, vel religiosam: ad hæc aut illa media, quorum vnumquodque est bonum, & idoneum fini consequendo: ad dandam eleemosynam huic aut illi indigenti: & sic de aliis. Ex quo patet malè ab aduersario restringi hanc libertatem contrarietatis ad bonum & malum: cùm versetur indifferenter circa plurima diuersa, quorum neutrum malum est, quemadmodum videre est in exemplis allatis. 71. *Libertas duplex specificationis, & exercitij.*

Suppono secundò, aliud esse loqui de libertate secundùm conceptum generalissimum, communem Deo & creaturis, atque ab vtrisque præcisum per intellectum: & aliud loqui de libertate secundùm conceptum specificum, & propriam rationem: quâ conuenit creaturis intellectualibus in statu viæ existentibus. Si priori modo sumatur libertas, non est de illius conceptu potestas peccandi: alioquin cuicunque conueniret conceptus ille genericus, conueniret etiam potestas peccandi: quod est falsum: nam Deus liber est, & tamen peccare non potest. Beati quoque liberi sunt, licèt peccare nequeant. At inde non sequitur quòd peccandi potestas non sit de conceptu specifico libertatis Angelorum & hominum viatorum: siue, quòd indifferentia, quam habent in statu viæ ad bene vel malè agendum, non pertineat ad rationem & conceptum specificum libertatis ipsorum propriæ. Quemadmodum licèt de conceptu vitæ abstractissimè sumpto, prout à Deo, & ab Angelis, aliisque viuentibus præscindit, non sit virtus vegetandi, & sentiendi: nam Deus & Angeli viuunt, qui tamen neque vegetant, neque sentiunt: non inde sequitur eam non esse de ratione vitæ propriæ specialiter hominum, & aliorum animalium, aut plantarum. Quis enim neget eorum vitam in facultate sentiendi, & vegetandi consistere? Quemadmodum etiam, licèt facultas ratiocinandi non sit de conceptu essentiali animalis abstractè & genericè sumpti: est tamen de conceptu specifico hominis. Hoc sensu intelligendum est quod obiicitur ex Anselmo, *Nec libertatem esse, nec partem libertatis, potestatem peccandi.* Loquitur enim de libertate genericè & abstractè sumpta, vt se ipse exponit in dialogo de libero arbitrio, capite primo. Vbi sic ait: *Quamuis liberum arbitrium hominum differat à libero arbitrio Dei, & Angelorum bonorum: definitio tamen huius libertatis, in vtrisque secundùm hoc nomen* (commune vtrisque, & se- 72. *Potestas peccandi non est de conceptu libertatis abstractissimo.* *Secus tamen de specifico libertatis viatorum.* *Anselmus loquitur iuxta hanc diuisionem.*

cundùm conceptum communem illi respondentem) *debet eadem esse, &c. Quoniam ergo liberum arbitrium diuinum & bonorum Angelorum peccare non potest; non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij posse peccare:* secundùm illum scilicet conceptum præcisum, communem Deo, & Beatis, atque viatoribus. Sed nihilominus potentiam peccandi pertinere ad libertatem specificè sumptam, prout est propria hominum in statu viæ, docet idem Anselmus alibi, præcipuè in eodem dialogo de lib. arbitrio, cuius verba referemus inferiùs disp.33. sect. 3. Idémque docent alij Patres, & Concilia, & sacræ literæ, locis relatis disp. 30. sect. 6. & seq. affirmantes positos esse homines in manu sui consilij, quatenus possunt ad bonum vel ad malum extendere manum suam, prout voluerint: & eligere vitam aut mortem: liberéque sic consentire & cooperari Dei gratiæ, vt possint dissentire si velint: ita facere bonum, & seruare Dei mandata, vt possint malè facere, & transgredi; ideóque laude & mercede dignos esse, si non transgrediantur: posse per liberum arbitrium credere, vel non credere; vitámque bonam, vel malam eligere: & alia quæ retulimus loco citato.

Confirmatur ex Scriptura, Conciliis, & Patribus.

73. *Sitne omnis actus perfectio potētiæ?* Suppono tertiò, tametsi quilibet actus est aliqua perfectio physica suæ potentiæ, actus enim perficit potentiam: multos tamen actus esse quasdam morales imperfectiones potentiæ, cuius sunt; quia non eam moraliter cohonestant, sed potiùs deturpant. Sic blasphema locutio, quamuis sit actus & vsus physicus potentiæ loquendi; est tamen abusus moralis, & defectus atque imperfectio eiusdem. Similíque modo, quamuis actus malus & culpabilis, sit verè actus, & vsus liberi arbitrij, eatenúsque sit perfectio illius physica: tamen est moraliter illius abusus, & imperfectio, atque defectus. At inde non magis potest colligi potentiam peccandi non esse facultatem liberi arbitrij, quàm potentiam loquendi blasphemias non esse facultatem loquendi. Hoc sensu intellige quod ait D. Tho. 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. Eligere seruato ordine finis pertinere quidem ad perfectionem libertatis: sed peccare, quod est à fine deuiare, pertinere ad defectum libertatis: & quod dicitur in obiectione, defectum esse libertatis posse peccare, hoc est, à bona voluntate posse deficere. Ad quod tamen confirmandum perperam citatur Anselmus, cuius verum sensum paulò superiùs exposuimus.

74. *Perfectio libertatis in quo consistat?* Neque obiicias, absurdum esse existimare libertatem, quæ est maxima hominis perfectio, in eo consistere, quod possit malè agere: Respondeo enim libertatem, purè quidem, & abstractè sumptam, non in eo consistere, quod quis possit malè agere; sed quod habeat dominium suæ voluntatis circa ea ad quæ dicitur esse liber. Et Deus qui perfectissimè liber est, tamen non potest malè agere. Quemadmodum de ratione vitæ non est posse mori: de ratione intellectus non est posse errare: de ratione voluntatis non est posse peccare. Ac Deus, qui habet vitam, intelligentiam, & voluntatem perfectissimam; tamen non potest mori, neque errare aut peccare. Veruntamen sicut perfectio vitæ, intellectus, & voluntatis contracta ad creaturas, non est pura, sed admixta imperfectioni, & possibilitati deficiendi per mortem, errorem, & peccatum: quam imperfectionem trahunt ex sua origine, id est, ex suo nihilo, vt aiunt Sancti Patres mox citandi: Ita libertas creaturarum non est pura perfectio, sed admixta illi imperfectioni, quòd etiam circa ea, quæ morali necessitate, siue debito amplectenda sunt, aut fugienda, possint deficere ab honestate, & à debito morali. Sicut autem non est absurdum vitam, intellectum, & voluntatem, quæ sine dubio sunt maximæ perfectiones naturales creaturarum, esse in illis defectibiles modo prædicto: ita neque absurdum videri debet libertatem esse in illis defectibilem. Confirmatur ex doctrina Sanctorum Patrum, Augustini lib. de vera religione capite 19. *Bona sunt ergo*, inquit, *quæ vitiantur: sed ideo vitiantur, quia non sunt summa bona.* Et paulò pòst. *Bonum ergo, quod vitiari non potest, Deus est. Cetera autem omnia bona ex ipso sunt: quæ per se ipsa possunt vitiari, quia per seipsa nihil sunt.* Et Fulgent. lib. de fide ad Petrum capite 3. ipso ferè initio: *Deus, quia summè bonus est, dedit omnibus naturis, quas fecit, vt bona sint: non tamen tantùm bona, quantùm Creator omnium bonorum, qui non solùm summè bonus, sed etiam summum, & incommutabile bonum est, quia æternum bonum est: nullum habens defectum, quia non est ex nihilo factum: nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideo quippe naturæ à Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis: ad profectum verò prouehit operatio Creatoris.* Ceterùm quòd ipsamet libertas creata sit causa cur peccare possint creaturæ, docet expressè Hieronym. epist. 146. ad Damasum prope finem, his verbis: *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cetera cùm sint liberi arbitrij* (creati, & defectibilis) *in vtramque partem suam possunt flectere voluntatem.*

Suppono quartò, Dei præcepta non restringere physicè libertatem eorum, quibus dantur; sed moraliter tantùm: id est, non efficere vt non sint reipsa indifferentes, physicéque potentes ad agendum, vel non agendum id quod præcipitur, (est enim euidens & sæpius affirmatur in Scriptura, posse homines non seruare Dei mandata, sæpéque reipsa non seruare) sed tantùm eos adstringere moraliter ad faciendum id quod præcipitur; ita vt licitè non possint eius oppositum. Quare ineptè affirmat aduersarius indifferentiam ad species diuersas bonarum actionum, libertati essentialem esse non posse, eò quòd arbitrium iustissimis Dei legibus vnam tantùm boni speciem agere iuberi potest, quam nisi faciat peccatum incurrat. Quasi verò si vna species iubeatur, non possit reipsa facere oppositam, neque physicè indifferens maneat ad hanc vel illam. Perperam quoque ad idem confirmandum addit, Deum si loqui velit, non posse nisi verum dicere: & si promittit, fidelem esse, séque negare non posse. Hoc enim non valet ad probandum Deum non esse liberum circa diuersas species bonarum actionum: nisi aduersarius inter bonas actiones computet falsum dicere, & infidelem esse: sed tantùm ad ostendendum, non posse Deum indifferenter bene & malè agere. 75. *Præcepta non restringunt physicè libertatem, sed moraliter.*

Ex his patet quid respondendum sit priori 76.

Iansenius eripit Deo libertatem. parti obiectionis propositæ. Ad posteriorem dico, supra modum admiratione dignum esse, quòd aduersarius non contentus eripuisse hominibus lapsis libertatem indifferentiæ ipsam quoque Deo eripere conatur: neque videt absurdissimum esse negare Deo libertatem, quam concedit Angelis, & hominibus ante peccatum: quâ poterant absque vlla necessitate antecedenti de suis actibus dispónere. Ita vt Deus non pari indifferentia potuerit velle, aut non velle creare mundum, Verbum incarnare, homines redimere, &c. quâ homo, vel Angelus poterat hoc aut illud facere vel omittere: semotâ à Deo imperfectione agendi vel omittendi aliter, quàm eius sanctitati infinitæque maiestati conueniat. Non aduertit etiam errorem illum fuisse iam sæpius à Sanctis Patribus, & aliis Scriptoribus Catholicis, ipsâque Ecclesia damnatum vt execrabilem, impium, & blasphemum, in Auerroë, Auicenna, Wicleffo, & Abailardo: aliísque hæreticis. Nec immeritò: quia manifestè repugnat lumini naturali, & Scripturæ diuinæ sæpius affirmanti Deum agere quidquid extra se facit, non ex necessitate, sed quia vult. Operatur enim omnia secundùm consilium voluntatis suæ, vt dicitur Ephes. 1. vers. 11. id est, ex libera electione: nam quæ fiunt necessariò, non fiunt ex consilio voluntatis, sed ex necessitate, & ex impotentia aliter agendi. Frustráque consultat quid agat, qui ad vnum antecedenti necessitate determinatus est. Et Psalmo 114. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra.* Quæcunque voluit (inquit) non quæcunque potuit. Si autem necessariò operatus esset, fecisset quæcunque potuisset: neque mensura operum Dei singulariter ad voluntatem eius referenda esset, sed ad defectum amplioris potentiæ.

77. *Quomodo Deus est liber non obstante immutabilitate?* Neque obest quod Deus vult ab æterno, quidquid vult: & propter immutabilitatem suæ voluntatis non potest actus semel susceptos mutare, vel ab illis desistere: non potest etiam vllum instans temporis veri aut imaginarij assignari, ante quod non voluerit, adeóque iam determinatus fuerit ad volendum: vi cuius præcedentis determinationis non est iam indifferens ad volendum; sed necessitatus ratione suæ immutabilitatis, ad persistendum in tali actu. Respondeo enim id non obesse quò minùs ab æterno Deus liber fuerit, & liberè voluerit, quidquid extra se voluit efficaciter, circáque omnia obiecta contingentia: quatenus eius voluntas non fuit de se, neque ab vllo extrinseco necessitata, vt tenderet eo modo quo tendit in obiecta contingentia: sed ab æterno liberè se determinauit vt tali modo tenderet: id est, tali modo tendit, quia voluit; potuítque ab æterno non sic tendere, aut etiam tendere opposito modo, si voluisset: quamuis ex hypothesi quod se determinauit, maneat necessariò in illa libera determinatione per æternitatem, ratione suæ immutabilitatis, & constantiæ in volendo, incapacis omnis vicissitudinis, Qua de re plura Martinonus tom. 1. disput. 6. sect. 2. num. 19. & seq. vbi ex professo hanc difficultatem expendit.

78. *Sitne similimodo Beatis liber amor beatificus?* Perperam verò ex hac doctrina Theologorum colligit aduersarius, debere pariter secundùm illos, dici amorem beatificum esse liberum Beatis: eò quòd si dicatur Deum nunc esse liberum, quia in aliquo instanti rationis fuit indifferens, & ex propria se libertate determinauit, in qua determinatione, propter naturæ voluntatísque constantiam, immutabilis permanet: quidni similiter amor beatificus, & voluntas illa perpetua iustitiæ, quâ Angeli & homines peccare non possunt, liberrima erunt? Est enim certissimum Angelos, & homines qui Beati fiunt, ita libera indifferentíque voluntate iustitiam elegisse, propriâque se libertate determinasse ad diligendam iustitiam, vel in ea perseuerandum; sicut Deus ad opera quibus vel creaturas, vel aliquid in creaturis operatur. Si ergo immutabilitas naturæ in Deo non extinguit istam primigeniam electionis libertatem: multò minùs in Beatis interimet immutabilitas gratiæ. Idem dicendum de perpetua adhæsione damnatorum ad malum. Hæc ille.

79. *Iansen. contradictio.* Quibus respondeo primò, apertè sibi contradicere, quando dicit certissimum esse Angelos, & homines qui Beati fiunt, ita liberâ indifferentíque voluntate iustitiam elegisse, séque determinasse ad diligendam iustitiam, vel in ea perseuerandum, sicut Deus, &c. Quomodo enim id cohæret cum illius doctrina de amissione libertatis indifferentiæ per peccatum primi parentis, déque necessitate illata per gratiam medicinalem, cum qua non possunt homines non bene agere, & sine qua non possunt non malè agere necessitati pondere concupiscentiæ. Ex quo fit vt nullus hominum, in statu naturæ lapsæ, liberâ indifferentíque voluntate eligat iustitiam, séque determinet ad eam diligendam, vel in ea perseuerandum. Sed, vt iam sæpius notaui, non est infrequens huic auctori secum apertè pugnare, cùm quid ex quo sequatur non considerat: & Theologiæ subtilioris id diligenter expendentis ignarus est. Secundò, dico falsum esse, quod ipse affirmat, amorem beatificum, & voluntatem, quâ Beati perpetuò iustitiæ summóque bono adhærent immobiliter, esse eundem numero actum, quem habuerunt in via. *Amor ille sitne idem qui fuit in via?* Nam, vt omittam plurimos saluari sine vllo actu proprio amoris Dei & iustitiæ: omnes scilicet infantes, & amentes perpetuò, qui vi solius Baptismi, per Christi merita, consequuntur beatitudinem: omittam etiam plurimos eorum, qui hac in vita exercuerunt amorem Dei & iustitiæ, propriâque cooperatione saluantur, mori sine actu amoris Dei, aut iustitiæ, vel repentinâ morte correptos, vel morbi vehementia phreneticos & impotes sui factos, vel à Dei cogitatione distractos, atque sensibus viribúsque animi destitutos, vt sæpissime contingit: in illis ipsis, qui cum actu amoris Dei feliciter decedunt ex hac vita, amor beatificus non est idem numero, & specie, qui fuit in via. Cùm enim amor sequatur cognitionem obiecti, illíque proportionetur: sicut visio clara Dei longissimè distat à cognitione fidei, quam habemus in via, éstque specie diuersa: sic amor beatificus respondens visioni, illíque proportionatus, specie differt, longissiméque distat ab amore viæ proportionato fidei: vt rectè affirmant D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. ad 3. Cartus. in 1. distinct. 17. quæst. 8.

Capreol. & Almain, citati à Turriano 2. 2. disp. 77. dub. 6. Pesant. 2. 2. q. 24. art. 12. disp. 1. conclus. 3. Caiet. 1. p. q. 82. art. 2. in fine, Ferrar. 3. contra Gentes cap. 62. Coninck disp. 23. de virtut. Theolog. dub. 3. n. 13. & seq.

80. *Ostenditur non esse liberum.* Licèt autem aliqui ex Theologis opinentur amorem beatificum interdum esse eundem numero, susceptum in fine vitæ, & continuatum in patria: meritò tamen negant liberum esse, liberéque continuari. Quia vt actus aliquis dicatur liber hîc & nunc, liberéque continuari; debet ita comparari ad voluntatem secundùm statum præsentem, vt illa spectata in actu primo cum omnibus ad agendum prærequisitis, non patiatur hîc & nunc necessitatem agendi, & continuandi; sed possit ab illo abstinere si velit in præsens. Voluntas autem Beatorum non ita se habet circa continuationem actus amoris beatifici, cùm primũ aduenit clara Dei visio: quippe quæ pondere visionis ad illum ita determinatur & adstringitur, vt abstinere non possit. Neque tunc se habet simili modo, quo Deus ab æterno se habuit ad actus liberos circa creaturas: nam in actu primo spectatus, nihil habuit quo antecedenter necessitaretur ad ita volendum ab æterno.




DISPVTATIO XXXII.

Quid senserint de libero arbitrio Sancti Patres antiquiores Augustino, aut contemporanei.

SECTIO I.

Quid senserit Dionysius?

1. HVc vsque de D. Augustino, quem aduersarij præcipuum dogmatis sui patronum esse iactant, & quem vnum pro omnibus sufficere, eiúsque vnius auctoritate totam hanc controuersiam decidi posse affirmant. Qua de causa prætermitti possent aliorum Patrum testimonia, in noui dogmatis confirmationem ab illius opifice producta to. 3. lib. 6. cap. 12. & seqq. præsertim cùm plerumque sufficiat ea legere in ipso fonte, vt appareat vel ad rem non facere, vel illi potiùs aduersari. Neque mirum cuiquam, aut incredibile videri debet, in aliis deceptum esse, aut decipere voluisse; cùm in citandis D. Augustini testimoniis (cuius vnius lectioni duos supra viginti annos dedisse se affirmat) ita viderimus eum esse versatum, vt semper in contrarium sensum intellexerit, quem scilicet iam antea illi dederant Caluinus & Lutherus, aliíque recentes hæretici corruptores liberi arbitrij. Qui tamen prudentiores in eo fuerunt, quòd ingenuè fatentur Patres alios Græcos æquè, ac Latinos sibi aduersari, nimísque fauere libertati indifferentiæ: vt videre est apud Caluinum lib. 2. Instit. cap. 2. nu. 4. & Centuriatores Magdeburg. Cent. 2. cap. 4. colum. 59. At iste non veretur eos suæ sententiæ patronos adsciscere, sed quàm eorum auctoritate abutatur, videbitur deinceps.

Producit igitur primò Dionysium lib. de cælesti Hierarchia c. 9. vbi (vt ipse ait) libertatem arbitrij opponit vi, necessitati, coactioni; quando rationem cur homines post cor suum abeant, hoc est, faciant quod voluerint, hanc esse dicit; quia *vita non est illis data vi vel necessitate coacta.* Nam si illa (inquit) vera ratio est, profectò quandocunque non cogitur, facit id quod voluerit, & consequenter liberè operatur. 2. *Iansen. to. 3. lib. 6. c. 12. Dionysius opponit libertatem vi & coactioni.*

Respondeo, euidenter liquere ex verbis immediatè præcedentibus, Dionysium ibi affirmare non stetisse per Angelos custodes, & præsides populorum, quòd aliæ gentes, præter Hebræã, non fuerint diuino lumine illustratæ, sed in tenebris & errore idololatriæ iacuerint. Non enim (inquit) rectis Angelorum præfecturis tribuendus hic error est, sed illis ipsis hominibus, qui procliuitate sua, *οἰκείαις ῥοπαῖς, propriis nutibus*, de recta ad Deum ferente via deflexerunt, amore sui, contumaciâ & falsorum Deorum opinione, ac veneratione delusi. Quod etiam contigit ipsi populo Hebræorum, qui vt dicitur Exod. 32. & Osee 4. agnitione veritatis repulsâ, post cor suũ iuit. *οὐδὲ γὰρ ζωὴν ἠναγκασμένην ἔχομεν ζωήν*: id est, *neque enim vitam necessitate obstrictam habemus: neque propter liberum eorum arbitrium, quos prouidentia regit, diuina lumina prouidæ illustrationis hebetantur.* Vbi Dionysius per vitam necessitate obstrictam, vel, vt vertit aduersarius, *vi aut necessitate coactam*, non intelligit coactionem physicam, euidenter repugnantem voluntati quoad actus internos, per quos præcipuè stetit ne Gentiles illustrarentur. Alioquin sensus illius esset, stetisse per Gentiles, quò minùs à Deo illustrarentur, quia non habent vitam & voluntatem, quæ volendo non velit id quod vult: qui sensus est manifestè ineptus. Sed potiùs nomen coactionis latiùs sumit pro simplici necessitate, & antecedenti determinatione ad vnum, cum impotentia ad oppositum: omninóque vult dicere, Gentilium voluntates non aliqua necessitate adactas, propria inclinatione, suoptéque nutu à recta in Deum via deflexisse ad idola, sine vlla culpa SS. Angelorum, qui illis præerant, aut defectu illustrationum diuinarum, quibus licèt arbitrium liberum resistat eorum quos diuina prouidentia suauiter regit, liberéque illos agere permittit: nihil tamen propterea detrahit eorum splẽdori. 3. *Verus illius sensus.*

Ex quo patet quàm vitiosa sit illatio aduersarij, verbísque & intentioni Dionysij contraria: qui potiùs ibi liberi arbitrij facultatem indifferentem commendat. Affirmat enim huiusmodi vitam, solutam vinculo necessitatis, esse rationem cur hominibus ipsorum errores & vitia imputari debeant, veluti eorum causis per liberum & inordinatum sui amorem, & contumaciam; non autem Dei prouidentiæ, quã per seipsum, vel per Sanctos Angelos nostram salutem procurat: vt rectè ipsum exponit Hugo Victorinus in Commentario illius loci. Eandémque ob causam idem Sanctus Pater capite 4. de diuinis nomin. parte 4. prope finem, dicit homines iustè ob peccata puniri. Postquam enim id sibi obiecit: *Dicet quispiam infirmitati supplicium non deberi, sed contra veniam:* Respondet: *Si non suppeteret potestas* (abs- 4. *Quo sensu libertatem indifferentiæ agnoscit.*

tinendi scilicet) *rectè se haberet, honestáque esset oratio. Sin à bono* (id est, à Deo) *potestas proficiscitur* (per gratiam videlicet diuinitus oblatam, vt iuuet ad abstinendum, rectéque agendum) *quod dat, vt diuina scripta tradunt, vnicuique omnino ea, quæ illi accommodata sunt: laudanda non est status ex Bono, atque bonis suis deflexio, deprauatio, declinatio, & prolapsio.* Vel, vt habet alia versio: *Si igitur non licuisset obsistere, rectè forsitan esset obiectum. Sin autem ex ipso bono vires suppeditantur, non est ignoscendum si quis per ignauiam ab ipso propriorum habitu procedente aberrauerit.* Nimirum ideo non est ignoscendum, quia non ex necessitate, sed libera voluntate aberrauit. Nam si ex necessitate, quomodo ei licuisset obsistere infirmitati, siue impotentiæ ad oppositum? Necessarium enim dicitur illud, cuius oppositum est impossibile; siue, quod aliter esse non potest.

5. Eodémque sensu dixit paulò antè, pertinere ad Dei prouidentiam quod mala fieri permittat: quia *etiam iis, qui mali, euaserunt, ad eorum vel aliorum priuatum aut communem vsum prouidentia benignè vtitur; propriéque singulis rebus consulit*; id est, ex malis bonum elicit, & vniuscuiusque naturæ, modóque agendi, siue necessario, siue libero, sese accommodat. Tum reprehendens eos qui dicebant non debere Deum mala permittere, sed homines necessitate ad virtutem impellere; sic addit: *Itaque inconsideratum vanúmque multorum verbum non probamus, qui aiunt, oportere prouidentiam inuitos etiam nos ad virtutem impellere. Neque enim prouidentiæ est naturam interimere, & tollere. Itaque vt prouidentia vniuscuiusque naturæ conseruatrix, ea, quæ suis appetitionibus vtuntur, vt eiusmodi gubernat, & vniuersos, & singulos, accommodatè vtrisque; quatenus eorum, quæ prouidentiâ reguntur, natura capit vniuersæ prouidentiæ beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur.* Vbi per vocem, *inuitos*, Græcè ἄκοντας, non intelligit *simpliciter & physicè coactos*; sed duntaxat, necessitate adactos: quippe quod ad mala impedienda sufficeret: & alterum neque ad id requiritur vllo modo, neque possibile est respectu voluntatis, quoad actus eius internos, in quibus boni & mali moralis ratio primò & præcipuè consistit, & à quibus actiones externæ moraliter bonæ vel malæ denominantur. Nam, vt fatentur aduersarij, tam est impossibile voluntatem cogi physicè ad suos actus internos, quàm est impossibile vt volendo non velit, & vt volitio non sit volitio. Quapropter S. Maximus Martyr interpres Dionysij, affirmat vocem ἄκοντας, hoc loco sumi prout opponitur αὐτεξουσίῳ, id est, vt ibidem exponit, *liberæ potestati secundùm quam eligimus. Potestate enim liberâ deliberamus, & iudicamus, & eligimus, & aggredimur, & vtimur iis quæ sunt penes nos.* Certè illi quos ibi Dionysius reprehendit, non adeo stupidi erant, vt vellent diuinam prouidentiam nos physicè cogere ad bonum, efficeréque vt volendo illud, non velimus, nostráque volitio non sit volitio: quod cùm euidentem implicet contradictionem, in homines sanæ mentis cadere non potuit: neque Dionysius tam ineptè illis respondit.

6. *Coactio sæpe aliter sumitur quàm pro physica.* Quoniam autem aduersarius tum circa Dionysium, tum circa alios deinceps citandos, perpetuò hallucinatur, vim faciens in voce coactionis, & inuiti, quasi vbicunque apud Sanctos Patres legitur, de coactione physica intelligenda sit: obseruandum semel hoc loco est, id quod rectè notauit Petauius libro tertio de Opificio sex dierum toto capite 7. & capite 8. numer. 6. vocem illam apud Patres, aliósque auctores, plerumque aliter sumi, quàm pro physicâ coactione, & simplici violentia, quâ fit aliquid ab extrinseco, passo non conferente vim, sed penitus reluctante: quo pacto voluntas non potest velle quicquam coacta, & inuita; quia non potest velle nisi velit, suámque vim internam in volendo exerceat. Et quotiescunque siue Patres, siue Theologi, aliíque Scriptores dicunt velle inuitam, & coactam; non possunt nisi absurdissimè de coactione physica exponi. Aliter ergo sumitur ab illis primò pro coactione morali, seu necessitate agendi, orta ex lege, vel præcepto superioris, contra quod non licet agere: tametsi qui obedit, possit physicè non obedire, liberéque obediat. Quo sensu Ambrosius in Enarrat. Psalmi 37. sic ait: *Seruit, qui non ex voluntate sua quod optat exequitur: sed ex necessitate mandatis imperialibus inuitus obtemperat, &c.* Et Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulianum, *In lege nostra*, inquit, *quædam obtemperandi necessitatem imponunt, quæ sine periculo prætermitti nequeunt. Alia non necessitate cogunt, sed in electione libera sunt posita*: id est, non sunt præcepti, sed consilij, ita vt licitè omitti possint. Et Hieron. in epist. ad Demetriadem, exponens illud Christi, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes*, &c. eum ita loquentem inducit. *Non cogo, non iubeo: sed propono palmam, ostendo præmia. Tuum est eligere, si volueris in agone atque certamine coronari.* Secundò sumitur pro vehementi inductione ad aliquid agendum, quod alioqui non faceremus, quódque facimus inuoluntariè secundùm quid, tametsi absolutè velimus, & agamus liberè, possimúsque ab eo abstinere. Quo sensu Ambrosius ibidem dicit diabolum nos cogere ad peccandum, faciendúmque id quod habemus odio. Et Augustinus in Psal. 39. de eodem sic ait: *Illo tempore cogebat Christianos negare Christum: isto autem tempore docet Christianos negare Christum. Tunc cogebat; nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias; nunc insidias. Videbatur tunc fremens; lubricus nunc & aberrans difficilè videtur. Quomodo autem tunc cogebat Christianos negare Christum, apertum est. Attrahebantur enim, vt negarent Christum: & confitentes Christum coronabantur.* Sic etiam vulgò dicimus mercatorem metu naufragij coactum, proiicere merces in mare: & ægrotum metu mortis, ægrè licèt & inuitò permittere brachiũ sibi abscindi. Tertiò sumitur pro obligatione, quam quis habet ratione sui officij, quâve moraliter necessitatur ad aliquid agendum aliter quàm ei libitum esset. Quo sensu Ambrosius in Psal. 118. Octon. 14. *Plurimum refert*, inquit, *vtrũ ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Denique voluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium: sicut Apostolo dicente cognouimus. Scripsit enim, væ mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.* Quartò sumitur etiam pro naturali propensione ad aliquid vnũ determinata, & pro quacunque

1. Pro coactione morali orta ex præcepto.

2. Pro vehementi inductione, & coactione secundùm quid.

3. Pro obligatione orta ex officio.

4. Pro naturali determinatione ad vnũ.

simplici necessitate ad agendum determinante. Quo pacto fatalem necessitatem Prudentius in lib. 2. contra Symmachum, coactionem vocat, aitque frustra fore legem,

Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Ad facinus cogunt, & ineuitabile mergunt.
Quin & velle adigunt prauum insinuantia votum,
Ne liceat miseris vetitum committere nolle.

7. Eodémque sensu Pelagius in epist. ad Demetriadem, naturæ necessitatem appellat vim naturæ, libertati oppositam. *Prouidendum est,* inquit, *ne ideo non vere factum bonum hominem putes, quia is facere malum potest, nec ipsâ naturæ violentiâ adstringitur ad immutabilis boni necessitatem.* Et Iulianus eius Sectator, apud Augustinum lib. 1. Operis imperfecti pag. 121. dicit libertatem arbitrij esse *possibilitatem vel admittendi, vel vitandi peccati, expertem cogentis necessitatis: vtpote quæ in suopte iure habet vtram suggerentiæ partem sequatur.* Quibus verbis non potest negare aduersarius ipsum intelligere libertatem indifferentiæ, qualem cum aliis Pelagianis profitebatur. Eodem quoque sensu D. Thomas in 2. distinct. 25. quæst. 1. art. 2. dicit intellectum vi demonstrationis cogi, id est, necessitari ad assentiendum. Fallitur itaque, aut fallere conatur aduersarius, quando vbicunque apud Patres nomen coactionis, vis, aut violentiæ reperit, exponit illud de coactione physica, quam solam putat capitaliter repugnare libertati, non autem simplicem necessitatem antecedentem: idque ex eorum verbis colligere se putat, aut simulat, tametsi sensus & intentio illorum planè contraria sint, vt iam ostendimus de Dionysio, & de aliis patebit ex sequentibus.

SECTIO II.

Quid senserint Clemens Romanus, & Irenæus.

8. *Iansen. to. 3. lib. 6. c. 12.* OPPONIT enim secundò Clementem Romanum epist. 3. vbi affirmat (inquit) nos esse liberi arbitrij, quia velle & nolle habemus in potestate. Deindéque hoc explicat per oppositum libertati, quod est, *vi cogi ad aliquid.* *Verba Clementis obiecta.* Si enim (ait Clemens) hoc non esset; *iam vis erat quædam naturæ per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet: & hoc naturæ vis erat quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum.*

9. *Quàm ineptè aut malâ fide obiiciantur?* Sed vix potest vllus proferri locus, qui Iansenio magis aduersetur, clariúsque commendet libertatem indifferentiæ. Agit ibi Clemens, vel si quis alius antiquus auctor huius epistolæ, de iis qui Dei mandata audiunt: quos affirmat habere in sua potestate vt velint aut nolint amplecti: quam potestatem certè non haberent, si essent ad vnum determinati, necessitatéque antecedente affixi. Additque eos id posse, eò quòd libero sunt arbitrio prædíti, & possunt quam in partem voluerint declinare. Verba illius integra loco citato hæc sunt: *Si quis audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit, & amplecti onus eius (id est mandata vitæ) habet in sua potestate. Liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset vt audientes eum, iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant: vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet; & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum est animo in quam velit partem declinare iudicium, & quam probauerit, eligere viam; constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.* Poterátne clariùs exprimere indifferentiam liberi arbitrij, quàm per potestatem in vtramque partem, & facultatem declinandi in vtram voluerit? cui opponit naturalem necessitatem, seu determinationem ad vnum; videlicet necessitatem recipiendi verbum Dei, sine potestate respuendi: vel è contrario necessitatem respuendi, sine facultate recipiendi. Hanc enim intelligit per *vim naturæ, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti locum non daret:* non autem physicam coactionem, vt vult aduersarius. Alioqui sensus Clementis esset, quòd si audientes semper reciperent verbum Dei, aut si semper illud respuerent; id est, si vellent semper, aut si semper nollent illi adhærere; hoc facerent physicâ coactione compulsi: ita vt neque volendo vellent, neque nolendo nollent. Hæc enim pro eodem supponunt: & tam implicat contradictionem voluntatem velle physicè coactam; quam implicat volendo non velle, & nolendo non nolle: vt ipsemet aduersarius affirmat, & sæpius inculcare nos cogit.

10. *Verus eorum sensus.* Verus ergo sensus Clementis est, hominis libertatem causam esse cur non omnes audientes sermonem Dei, illum recipiant; neque etiam omnes respuant. Quod si omnes semper audirent, aut semper respuerent: signum fore id non fieri liberè, sed naturali quadam necessitate & determinatione ad semper recipiendum, vel ad semper respuendum. Quæ expositio tum ex verbis ipsius integrè relatis perspicua est: tum magis illustrari potest ex altero Clementis loco lib. 3. Recognit. vbi Petrum Apostolum ita loquentem inducit: *Vnde ostenditur positum esse in auditorum potestate eligere vtrum malint. Quòd si omnes qui audiunt; natura magis esset necessitas, quæ vnâ omnes ageret viâ. Sicut enim suaderi quis non potest vt fiat breuior, aut longior: quia non sinit vis naturæ: ita & ad veritatem si omnes verbo conuerterentur, aut omnes non conuerterentur, natura esset vis, quæ cogebat verbo omnes conuerti, aut nullum omnino conuerti.* Cogebat, inquit, id est, necessitabat: iuxta id, quod paulò antè dixit, *natura magis esset necessitas:* quibus etiam verbis exponit id quod ait posteà, *non sinit vis naturæ:* neque enim physicâ coactione id factum iri vult: ita scilicet vt voluntariè obedirent non volendo; id est, vellent simul, & non vellent obedire: similitérque voluntariè nollent obedire; id est, nollent simul, & non nollent. Quis enim sanæ mentis sibi persuadeat Clementem id dicere voluisse. Qui etiam eodem lib. 3. Recognit. libertatem indifferentiæ præclarè commendat his verbis: *Dic quomodo Deus iudicat secundùm veritatem vnumquemque pro actibus, si aliquid agere in potestate non habet & iudices frustra legibus præsunt, & puniunt eos, qui malè agunt: non enim in sua potestate habuerunt vt non peccarent.*

Opponit

11. Iansen. ib. *Verba Irenæi.* Opponit tertiò Irenæum lib. 4. cap. 71. vbi simili ratione (inquit) libertatem per immunitatem à vi & coactione declarat: *Liberum enim Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam ad vtendum sententiâ Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit.* Et capite 76. tradit hominem *liberi arbitrij, suæque potestatis factum: neque lumen cum magna necessitate quenquam sibi subiicere: neque à Deo cogi eum, qui nolit continere eius artem.*

12. *Contradictio Iansenij.* Sed pergit aduersarius falli circa nomen vis, & coactionis. Et mirum est priorem locum Irenæi ab eo citari contra indifferentiam libertatis; cùm euidens sit Irenæum ibi loqui de libertate Adamo data in ipsius creatione, quam aduersarius fatetur fuisse solutam à necessitate oppositâ indifferentiæ. Verùm, vt sæpius notare cogimur, non est illi infrequens secum ipso pugnare. Mirum quoque, & stupendum est, voluisse abuti verbis Irenæi, quibus vix possunt dici expressiora pro libertate indifferentiæ. *Abutitur verbis Irenæi contrarium planè asserentis.* Titulus capitis illius 71. ab ipso auctore præfixus, hic est: *Ostensio quòd homo sit liber, & suæ potestatis, ad hoc quòd ab se possit eligere meliora, vel contraria.* Initium sic habet: *Aliud autem quod ait: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti! veterem legem libertatis hominis manifestauit: quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum sententiâ Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis.* Et postquam addidit, malos Angelos, & homines meritò iudicari, & puniri à Deo; bonum autem operantes, gloriâ & honore affici; tandem hoc caput ita concludit: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient: quoniam operati sunt bonum, cùm possint non operari illud. Hi autem, qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud.*

13. *Irenæus clarè docet homines liberè bene, aut malè agere.* Et toto capite sequenti pergit dicere homines non fore laudabiles, aut vituperabiles, si naturaliter boni aut mali essent: sed quia liberè tales fiunt, idcirco bonos quidem *laudari, & dignum percipere testimonium electionis bonæ, & perseuerantiæ: alios verò accusari, & dignum percipere damnum, eò quòd iustum & bonum reprobauerint.* Ideò etiam Prophetas & Christum Dominum nos hortari vt iustè agamus, quia in nostra potestate hoc situm est, & consilio egemus bono. Adductisque pluribus eiusmodi Scripturæ exhortationibus, addit, *Omnia talia ostendere liberum esse hominem, & suæ potestatis: & Deum non de violentia eum cogere, sed hortari ad subiectionem.* Ac ne iterum aduersarius nomine violentiæ & coactionis decipiatur, addit immediatè pòst: *Etenim ipsum Euangelium si noluerit quis sequi, licet quidem:* id est, potest non sequi, liberum id illi est: *non tamen expedit. Inobedientia enim Dei, & amissio boni est quidem in hominis potestate: læsionem autem, & damnum graue infert.* Et paulò inferiùs: *Secundùm hanc igitur rationem, & suum proprium bonum ostendens Dominus, & sui arbitrij ac potestatis hominem significans, dicebat ad Ierusalem, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti! Quapropter relinquetur vobis domus vestra deserta.* Ac denique sub finem capitis, reprehendens eos, qui dicebant non debuisse Deum tales facere Angelos, & homines, vt possent transgredi: dicit *nullius momenti bonos fore, si naturâ magis, quàm voluntate tales existerent, & vltroneum haberent bonum, sed non secundùm electionem*, id est, vltro quidem & sponte bene facerent, sed naturaliter, & necessariò; non ex libera electione. Quæ omnia tam perspicuè commendant libertatem indifferentiæ, vt cogantur ipsimet hæretici id agnoscere, & ingenuè fateri Irenæum hac in parte sibi aduersari: quemadmodum videre est apud Centuriatores Lutheranos Cent. 2. cap. 4. col. 59. & Nicolaum Gallasium Caluinistam, ad lib. 4. Irenæi cap. 29.

14. *Disertè profitetur doctrinam indifferentiæ.* Neque minùs expressè illam adstruit alter eius locus ab aduersario productus ex eodem lib. 4. cap. 76. vbi manifestè docet esse in hominis potestate credere vel non credere; & fidei lumen diuinitus sibi oblatum, admittere, vel reiicere: causámque imperfectionis non esse in Deo, sed in homine, *qui sibimet sua imperfectionis est causa. Nec enim lumen deficit propter eos qui semetipsos excæcauerunt: sed illo perseuerante quale & est, excæcati per suam culpam in caligine constituuntur. Neque lumen cum magna necessitate subiicit sibi quemquam; neque Deus cogit eum, qui nolit continere eius artem:* id est, liberæ eius electioni relinquit credere, vel non credere; vocationíque obtemperare, aut eam respuere. Propter quod ita concludit immediatè pòst: *Qui igitur abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrij & suæ potestatis facti:* hoc est, ita non crediderunt, vt potuerint credere, si voluissent: adeóque habuerunt facultatem ad vtrumlibet, solutam non modò à coactione physica, quæ chimærica est, & impossibilis respectu actus volendi aut nolendi credere: sed etiam à simplici necessitate, seu determinatione ad vnum.

SECTIO III.

Quid senserint Tertullianus, & sanctus Hilarius?

15. Iansen. vbi suprà. OPPONIT quartò Tertullianum explicantem ex professo libertatem arbitrij, semper in eo sitam docere, quòd homo *sponte, voluntariè, voluntate, non necessitate agit.* Vt lib. 2. contra Marcionem c. 6. *Si caperet hoc iure, & bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate.* Et iterum addit, *libertatem arbitrij in vtramque partem concessam esse homini, vt bono sponte seruando, & malo sponte vitando, sui dominus constanter occurreret.* *Verba Tertulliani.* Item, *nec boni nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.*

16. *Ineptè obiiciuntur, & contra sensum auctoris.* At hæc obiectio tam leuis est, vt refutatione non egeat. Nam ex dictis alibi disp. 31. sect. 4. constat, apud Patres, & alios Scriptores facere aliquid voluntate, non necessitate; seu, facere quia volumus, non autem quia non aliter possumus; idem esse ac facere ex libera electione, cum po-

testate non faciendi, si lubeat. Idque manifestè indicant verba sequentia Tertulliani, quibus ait *libertatem arbitrij in vtramque partem concessam, vt bono sponte seruando, & malo sponte vitando, sui dominus*, &c. sponte, inquit, & sui dominus: id est, liberè & ex dominio in suos actus, eligens bonum & vitans malum; cùm posset contrarium eligere, si vellet. Alioqui enim non haberet libertatem arbitrij in vtramque partem; neque esset sui dominus, sed vni parti addictus, & necessitatis seruituti subiectus. Pugnat igitur contra seipsum aduersarius, cùm hunc locum Tertulliani contra libertatem indifferentiæ producit: qui etiam eodem capite 6. affirmat legem ideò positam fuisse homini, quia *& obsequium debitum legi & contemptum in potestate haberet.* Habere autem in potestate contemptum, vel obsequium, est habere in facultate contemnere, vel obsequi; seruare legem, aut non seruare; vt ostendimus alibi. Idque confirmat Tertullianus immediatè post verba postremò relata hæc addens: *In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando; vel transgressione sponte committenda. Ita in vtramque exitum libertas patuit arbitrij.* Et in exhortatione ad castitatem capite secundo. *Itaque*, inquit, *cùm vtrumque ex præceptis eius didicerimus quid velit, & quid nolit; iam nobis est voluntas eligendi alterum: sicut scriptum est; Ecce posui ante te bonum & malum*, &c. Et libro secundo, contra Marcion. capite 6. dicit *ascriptam esse homini quasi libripendem emancipati à Deo boni libertatem & potestatem arbitrij.* Certè nunquam Diuus Augustinus verbis clarioribus expressit libertatem indifferentiæ, qualis fuit ante peccatum.

Vide suprà disp. 31. sect. 5.

17\. Opponit quintò, Hilarium eodem modo necessitatem arbitrij libertati contrariam per vim & coactionem exponere, in Explanatione Psalmi 2. cùm sic ait: *Nam vnicuique nostrûm libertatem vitæ, sensûsque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malúmve esse lex cogeret.* Et clariùs paulò pòst: *Quid autem honoris, ac præmij bonitatis necessitas mereretur, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret?* Et iterùm: *Vt esset nobis æterna huius beatitudinis profectus, atque vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.*

Iansen. eodem cap. 12. lib. 6. de Gratia Christi Saluatoris. Duplex obiectio ex Hilario.

18\. Sed hîc quoque contra seipsum pugnat aduersarius. Nihil enim magis suo dogmati contrarium afferre posset, quàm quod ait Hilarius, Deum nobis libertatem vitæ sensûsque permisisse, non necessitatem in alterutrum affixisse. Nam per necessitatem, non intelligit coactionem physicam, vt ille perperam [illegible]ponit, sed determinationem ad vnum, oppositam indifferentiæ, seu potestati ad vtrumlibet: vt satis manifestè indicant tum verba illa, *non necessitatem in alterutrum affigens*: tum etiam vox, *permisit*: quâ significatur Deum potuisse facere oppositum, si voluisset. Non enim dicimur permittere id, quod non possumus negare & impedire. Poterat ergo Deus negare homini libertatem de qua loquitur Hilarius; siquidem illam ei permisit. Atqui non poterat ipsi negare voluntatis libertatem à coactione physica; seu efficere vt voluntas physicè cogeretur ad volendum. Id enim esset efficere vt vellet non volendo; quod euidenter implicat contradictionem. Ergo non loquitur Hilarius de libertate à tali coactione: sed de opposita necessitati seu determinationi ad vnum. Ergo per necessitatem, quam opponit huiusmodi libertati, non intelligit coactionem physicam, sed simplicem necessitatem determinationis ad vnum. Cùm enim, vt ait ipsemet aduersarius tom. 3. lib. 6. cap. 6. *Necessitas illa physica coactionis talis sit, quæ nolente voluntate, hoc est, renitente voluntate perficit effectum suum: quando vult autem, non renitatur: apertissimè sequitur eam velle simul & nolle, si voluntas, seu velle, sub tali necessitate poneretur.*

Similis præcedenti quoad vtramque partem.

19\. Similiter in secundo loco citato ab aduersario, per *vim nobis consertam*, id est naturaliter insitam, non intelligit Hilarius violentiam propriè dictam, seu coactionem. Nam violentum illud dicitur quod fit ab extrinseco, passo non conferente vim, imò reluctante quantùm potest. At id, quod fit in nobis per vim nobis consertam, id est, naturaliter insitam, non fit ab extrinseco, &c. sed potiùs à virtute intrinseca & connaturali. Ergo per huiusmodi vim non intelligit Hilarius coactionem physicam, sed simplicem necessitatem, quæ si nos ad bonum determinaret, non mereremur laudem aut præmium, abstinendo à malo: quia non liberè abstineremus. Secus ac ille, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino.* Quapropter, vt addit Hilarius immediatè pòst, *voluntati permissa bonitas est, vt præmium sibi voluntas bonitatis acquireret; & esset nobis beatitudinis profectus, atque vsus ex merito; non necessitas indiscreta per legem*: si videlicet, vt dixit paulò antè, vnumquemque ex natura bonum, malúmve esse lex cogeret, id est, naturali quadam necessitate nos ad bonum determinaret, vel ad malum.

20\. Sed præstat locum Hilarij, ab aduersario minutatim concisum, referre integrum: quia vel sola eius inspectio sufficit ad inaduertentiam, vel malam fidem aduersarij patefaciendam. Sic igitur habet: *Vnicuique nostrûm libertatem vitæ, sensûsque permisit* Deus; *non necessitate in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malúmve esse lex cogeret; sed qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris, ac præmij, bonitatis necessitas mereretur, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret? Voluntati ergo permissa bonitas est, vt præmium sibi voluntas bonitatis acquireret; essétque nobis æterna huius beatitudinis profectus atque vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quanquam nos ad voluntatem bonitatis, id est, ad bene honestéque viuendum, per spem promerendæ, & vtendæ suæ bonitatis illiceret: pœnam tamen deuitatæ & contemptæ bonitatis adiecit: vt cùm libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum necessitas naturæ non haberet; libertatem ipsam quotidie propositus è contrario pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui, atque iusti, ad meritum præmij permissa libertas est: & per bonitatem Dei, vis* (id est, facultas) *libertatis, metu constitutionis arctata est: vt bene velle meriti spes moneret, malum nolle proposita vltionis pœna suaderet. Itaque his, quibus ex voluntatis libertate malitia magis placuit, vltio constituta irâ Dei esse*

Verba Hilarij de libertate indifferentiæ.

creditur. Hæc certè tam perspicuè libertatem exponunt per indifferentiam, & solutionem à necessitate, vt vel non legisse oporteat, vel nescio quo affectu excæcatos fuisse qui id non viderunt. Simili modo loquitur in explanatione Psalmi 118. lit. T, vbi sic ait: *Vnicuique ad id, quod volet, via est proposita viuendi, & appetendi atque agendi permissa libertas: & ob id vniuscuiusque aut pœnâ, aut præmiis afficietur electio.*

SECTIO IV.

Quid senserint Origenes & Epiphanius?

21. *Iansen. ib. Verba Origenis.* OBIICIT sextò, Origenem quoque in procemio librorum Periarchon opponere libertati necessitatem illam voluntatis, quâ fit vt aliquid fiat, etsi nolimus. *Vnde,* inquit, *& consequens est intelligere nos non necessitati esse subiectos, vt omni modo, etsi nolimus, vel bona, vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliqua virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel malè.* Et in Commentario epist. ad Rom. cùm sæpius tradidisset hominem in manu & potestate habere bonum & malum: sicut & Augustinus hoc sæpe docet, & eo sensu verum esse tradit, quia vtrumlibet facit, si voluerit: statim explicat quomodo illud intelligendum sit: nempe quia sponte fit. *Nam ipsi nos exhibemus, nullo cogente vel peccato seruire, vel iustitiæ per obedientiam nostram.*

22. *Ineptè explicantur de coactione physica.* Verùm hæc Origenis testimonia non minùs nocent causæ aduersarij quàm præcedentia ex Hilario relata. Nam quòd per hæc verba, *Etsi nolimus,* &, *Non tamen necessitate cogimur,* non intelligat Origenes coactionem physicam, quæ incompatibiliter repugnat volitioni: sed simplicem necessitatem, quâ sic volumus, vt non sit in nostra potestate non velle, patet euidenter ex illis eius verbis: *Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliqua virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere rectè, vel malè: quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursum & motus, causam dicunt humanorum esse gestorum.* Vnde sic argumentor: Loquitur Origenes de coactione illa, quam inducebant Planetarij, & alij fati assertores, vt constat ex postremis eius verbis proximè relatis. At illi non inducebant coactionem physicam humanorum gestorum, id est, voluntatis actionum; ita vt arbitrarentur per cursum & motus stellarum fieri vt homines non vellent, quãdo volunt, vt que volitio non sit volitio. Ergo non loquitur Origenes de coactione physica, sed de simplici necessitate antecedenti, quam illi per astra induci existimabant. Recolantur quæ de illis diximus suprà disp. 30. num. 21. & 22.

23. *Ostenditur eum explicare libertatem per indifferẽtiam.* Idem etiam patet ex verbis immediatè præcedentibus locum citatum Origenis, quæ sic habent: *Est & illud definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationalem esse liberi arbitrij & voluntatis: Esse quoque ei certamen aduersus diabolum, & Angelos eius, contrariásque virtutes: ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant: nos verò, si rectè consultóque viuamus, ab huiusmodi nos exuere conemur:* quia videlicet nos ab illis exuere possumus, dæmonúmque tentationibus resistere; atque ita peccamus, vt possimus non peccare: quippe qui sumus liberi arbitrij. Et vt idem ait hom. 20. in librum Numerorum, *Sui arbitrij est anima, & in quam voluerit partem, est ei liberum declinare: & ideo iustum Dei iudicium est, quia sponte sua, siue bonis, siue pessimis monitoribus paret.* Sponte, inquit, id est, liberè in hanc, aut illam partem declinando, prout vult.

Alter quoque locus ab aduersario productus ex lib. 6. in epist. ad Rom. aliquantò post initium, non minùs illi nocet: Sufficiet eum integrè referre, vt id clarè appareat. *Hoc est ergo* (inquit Origenes) *quod in hoc loco Apostolus docet: quia vnusquisque in manu sua habet & in arbitrij potestate, vt aut peccati seruus sit, aut iustitiæ. Ad quamcunque enim potestatem inclinauerit obedientia, & cuicunque parere voluerit; hac sibi eum vendicat seruum. In quo, vt dixi, absquè vlla cunctatione in nobis esse ostendit arbitrij libertatem. In nobis namque est exhibere obedientiam vel iustitiæ, vel peccato.* Et paulò pòst: *Nam ipsi nos exhibemus, nullo cogente, vel peccato seruire, vel iustitiæ per obedientiam nostram. Et ideò semper horum meminisse debemus, ne inanes querelas in peccati excusatione proferamus, quod diabolus fecit: vt peccatorem aut natura necessitas, aut fatalis conditio, aut cursus astrorum efficiat.* Manifestum est tum ex multis antecedentibus, tum præcipuè ex his postremis verbis, nomen coactionis, quo abutitur aduersarius, ab Origene hîc sumi pro simplici necessitate, siue à natura, siue aliunde inductâ; non autem pro coactione physica, quam neque peccatores in sui excusationem possunt prætendere, neque inuexerunt astrologi iudiciarij, & fatalis necessitatis assertores. Nemo enim sic desipit, vt putet voluntatem ita cogi ad peccandum, vt volendo non velit. Loquitur, inquam, euidenter Origenes de necessitate opposita indifferentiæ, & potestati liberi arbitrij, quâ in manu habemus, id est, in libera nostra electione, obedire peccato, vel iustitiæ, & in hanc, aut in illam partem nos inclinare, nullo ad hoc aut illud cogente, id est, necessitante antecedenter. 24. *Confirmatur altero eius testimonio.*

Quod alibi sæpius inculcat, vt homil. 4. in Cantic. sic dicens: *Per arbitrij libertatem possibile est vnumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei, si melius ipso iuuante elegerit: vel si nequius, ad dæmonum portionem.* Et lib. 3. Periarchon c. 1. *Iudicij credulitas,* inquit, *prouocat homines ad bene beatéque viuendum, & in omni genere fugere peccatum. Per hoc sine dubio indicatur quòd in nostra sit positum potestate vel laudabili nos vitâ, vel culpabili degere.* Plura circa illa verba, *Habere in nostra potestate, &, facere si volumus,* vide suprà disput. 31. sect. 3. & 4. vbi verum illorum sensum doctrinæ aduersariorum planè contrarium esse ostendimus ex mente D. Augustini, aliorúmque Patrum. Notanda etiam est inconstantia & contradictio Iansenij, qui hoc loco, id est, tom. 3. lib. 6. de Gratia Christi, capite 12. conatur probare Origenem non agnoscere in hominibus lapsis libertatem indifferentiæ, circa bonum & malum, sed tantùm oppositam coactioni. Alibi verò tom. 1. lib. 6. cap. 13. dicit Origenem omnibus numeris absolutam tradidisse liberi arbitrij indifferentiam ad bonum, vel malum, quæ alterius partis necessitatem excludat: & hanc ibidem esse ait totius 25. *Et pluribus aliis locis.* *Contradictio Iansenij.*

hæresis Pelagianæ structuram præcipuam, cuius auctorem Origenem facit, sed vt sæpius notare cogimur, frequens est & solemne huic auctori sibimetipsi apertè contradicere.

26. Iansen. to. 3. lib. 6. c. 11. *Epiphanius opponit libertatem coactioni.*

Opponit septimò illud Epiphanij hæresi 5. *Sanè quidem iustiùs ab stellis, quæ necessitatem pariunt, pœna repetantur, quàm ab eo, qui quod agit, omnino coactus aggreditur.* Quibus verbis remouet illam necessitatem, velut libertati contrariam, quæ tanquam vis & coactio dominatur. Et alibi, *non sponte facere, & vi coactum*, velut libertati ex diametro contrarium opponit, cùm sic ait hæresi 16. *Qui committit aliquid (fato) non id sua sponte facit, sed fatorum vi, ac tyrannide compulsus.* Sic enim ipse locum hunc vertit, vt vis & compulsionis vocibus abutatur.

27. *Per coactionē intelligit necessitatem.*

Respondeo Epiphanium priore loco refellere Stoïcos, qui (vt ait) fatum introducebant, velut ex ipso fierent ea quæ homini, ac aliis accidunt. Vnde sequeretur leges fore inutiles, & pœnas delinquentium fore iniustas. *Si enim fati est sapientem fieri, prudentem euadere, rationalem existere, ac irrationalem, aliáque omnia: cessent leges, dominatur enim fatum adulteris, & aliis. Magis autem pœnam dabunt stellæ, quæ necessitatem inducunt, si coactus quis faciat id quod aggreditur:* eâ scilicet coactione, quam inducebant Stoïci fati assertores, quæ non erat coactio physica, efficiens vt voluntas velit non volendo: neque enim adeò desipuerunt, vt existimauerint stellas posse id efficere, quod tam euidentem implicat contradictionem: sed erat necessitas antecedens, seu determinatio ad vnum, quam illi putabant vi astrorum induci, vt ostendimus disputat. 30. sect. 4. numer. 21.

28. *Et clarè adstruit libertatem indifferentiæ.*

Posteriori loco refutat Epiphanius Pharisæos, fati quoque defensores: quibus opponit frustra fore iudicium, & minas à Deo intentatas: *Ex duobus enim necessarium est alterum. Aut si fatum est, non esse iudicium: propterea quòd qui fato facit, non à seipso facit, sed secundùm necessitatem dominij ipsius fati. Aut si iudicium est, & re vera minæ nobis intentata sunt, & leges indicant, & qui malum fecerunt, pœnam dant, & legem iustam esse confitemur, & iudicium Dei verissimum: necessarium est otiosum esse fatum, & penitùs nullam constitutionem habere: quando propterea quòd possit peccare & non peccare, ab alio peccatorum supplicia sumantur, alius verò laudem ferat rectè factorum.* Potéstne quidquam dici clarius pro libertate indifferentiæ? Et, fierine potest vt aduersarius (qui certè non aliis verbis libertatem indifferentiæ primi parentis ante peccatum explicuit) vel Epiphanium legerit: vel si legit, non aduerterit apertissimè sibi aduersari?

SECTIO V.

Quid senserint sanctus Macarius Ægyptius, & Basilius Seleuciæ Episcopus?

29. Iansen. ib. *Macarius exponit liberum per noncogibile.*

OPPONIT octauò, Macarium homil. 15. dicere hominis naturam boni & mali esse capacem, ἀλλ' οὐκ ἀναγκαστικήν, id est, *sed non cogibilem*: & τὸ *liberum*, exponere per, *facere quod volueris*: quod est, inquit, id ipsum, quod Augustinus dicit, id esse in potestate, quod facit aliquis cùm voluerit: *Qui diuinitate* (inquit Macarius) *inebriati sunt, nullâ necessitate tenentur, sed libera potiuntur potestate vt conuertantur, & faciant quod voluerint in hoc sæculo.* Et homil. 27. dicit Apostolos non fuisse gratiâ prohibitos, quò minùs agerent quæ vellent. Et hoc in eo situm esse, quòd gratia non cogit, declarat ex opposito: *Boni malique capax, inquit, est natura nostra: ac potestas aduersaria exhortandi vim habet, non cogendi. In reliquo liberum habes arbitrium inclinandi quò volueris.* Et vt alibi ait: *Exhortari enim possunt ambæ facultates tum ad bonum, tum ad malum: non tamen necessariò compellere. Huic igitur arbitrio diuina datur remuneratio.*

Verùm qui hæc in fonte legerit, & vel mediocriter expenderit, facilè videbit non minùs obesse doctrinæ aduersarij, quàm præcedentia ex Epiphanio & aliis relata. Nam Macarius loco priùs citato clarè disertéque affirmat, hominem formatum esse ad imaginem & similitudinem Dei; propterea quòd quemadmodum Deus sui iuris est, & quod vult facit: sic & homo sui iuris est, & mutabilis: si vult, peccat & perit: si etiam vult, obtemperat Deo, sequitúrque viam iustitiæ, ac desideria vincit. Non poterat verbis expressioribus declarare humanæ libertatis indifferentiam. Tum addit paulò pòst, homines in eo dissimiles esse brutis animantibus, quæ carent libertate, & necessitate naturali sunt quales existunt, serpens venenosus, lupus rapax, agnus mansuetus, columba simplex, & sincera. At homines liberè boni vel mali sunt, & vnus quidem, vxore suâ non contentus, adulterium committit: alius ne id quidem in cor suum ascendere permittit. Vnus proximi bona eripit: alius propter Deum etiam sua largitur. Vnde sic infert immediatè pòst: *Vides quàm versatilis sit ipsa natura, & quod ad vitium propensa sit, & è diuerso etiam ad bonum & honestum: & secundùm vtramque proprietatem, ad quas voluerit actiones apta est inclinare. Capax est igitur natura tum boni, tum mali; aut diuinæ gratiæ, aut aduersariæ potestatis; nulli tamen necessitati subiacet.* Græcè Δεκτικὴ οὖν ἡ φύσις τοῦ καλοῦ τε, καὶ τοῦ κακοῦ. ἤτοι θείας χάριτος ἤτοι ἐναντίας δυνάμεως, ἀλλ' οὐκ ἀναγκαστική. Quo postremo verbo (in quo vim facit aduersarius) non intelligit coactionem physicam, quæ ne quidem in appetitum brutorum, quoad proprias appetitiones, cadere potest: sed necessitatem indifferentiæ oppositam, quâ brutæ animantes naturaliter ad vnum determinatæ sunt: secùs ac homines, sui iuris à Deo formati, & liberi.

30. *Eius testimonia pro libertate indifferentiæ.*

Hunc enim esse verum illius sensum constat ex præcedentibus; quibus in eo similitudinem hominum cum Deo, & differentiam à brutis constituit. Confirmatúrque ex illis, quæ addit multò pòst: *In voluntate hominis situm est in bonum inclinari, vel in malum. Neque enim vel ille, qui in bono perfectus est, vel in malum altè immersus, seséque vas diaboli facit, à quo in totum damnatus est, necessitate alligatur vllâ: sed libertatem habet vt vas fiat electionis, & vitæ. Similiter & qui diuinitate velut inebriati sunt, & alligati Spiritui sancto, nulla* 13.

Per non cogibile intelligit non necessitatum.

necessitate continentur: sed liberum habent arbitrium vt mutentur, & quidquid velint agant in hoc sæculo. Nota quod ait, *nulla necessitate*, adeóque ne simplici quidem, tametsi non physicè cogente; quam necessitatem manifestè ponit libero arbitrio, quo possunt homines agere hac in vita quidquid velint. Et aliquantò pòst comparat hominis libertatem cum auriga currui insidente, & moderante habenas, cursúmque dirigente prout vult.

32. *Gratia non necessitabat Apostolos.* Neque minùs aduersario nocent quæ profert ex altera homilia Macarij, numero vicesimâseptimâ: *Apostolos ipsos, alioqui perfecta caritate præditos, non prohibuisse gratiam, quin quod vellent, facerent; si quidem liberet iis ipsis quædam facere gratiæ haud placentia. Etenim natura nostra boni & mali capax est. Et aduersaria vis hortatrix est, non necessitate compellens. Itaque potestatem habes quamcunque voles in partem liberum tuum arbitrium immittere.* Quis enim non videt Macarium his verbis clarè significare, non modò vulgaribus fidelibus, sed ipsis etiam Apostolis possibile fuisse velle, & facere contrarium eorum, quæ operabantur ex gratia: ita vt gratiæ eximiæ, quibus à Deo præueniebantur, & perfecta caritas, quâ præditi erant, non illis adimerent libertatem indifferentiæ, seu potestatem ad oppositum? His adde quod ait aliquantò post verba relata, in eadem homilia 27. *Et soli, qui in vtramque partem conuerti potest, legem additam fuisse: qui scilicet libero arbitrio præditus est, vt cum aduersaria virtute possit confligere. Nam ei naturæ, quæ ad vnum alligata est, minimè lex imponitur.* Quippe cui frustra præciperetur, quod facere non posset, quia sibi impossibile: frustráque prohiberetur, quod non posset omittere, quia simpliciter necessarium, & tale vt non possit abstinere.

Lex non imponitur necessitatis ad vnum.

33. *Iansen. vbi supra.* Opponit nonò illud Basilij Seleuciæ Episcopi orat. 3. *Arbitrij libertate refulgens consilij vim habet, quæ nulla teneatur seruitute, intentionémque habeat sui dominam, & inuiolabili* (Græcè, nullâ violentia domabili) *gloriatur agendorum electione.* Et inferiùs, sæpè repetens *quod Deus necessitatem non imponit*, hanc necessitatem sic explicat: *Neque necessitatis legibus vincit inobsequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intra necessitatem dona contrahit.*

Basilius exponit liberum, per, nulla vi domabile: & ait gratiam non auferri per vim.

34. *Loquitur de libertate Adami: ideóque ineptè obiicitur.* Sed hic quoque locus pari oscitantiâ producitur, quâ alij superiùs explicati. Nam Basilius ibi loquitur de libertate primi parentis ante peccatum, quam aduersarius tom. 2. libro de Gratia primi hominis cap. 6. alibíque sæpius fatetur solutam fuisse non modò à coactione physica, verùm etiam à necessitate opposita indifferentiæ. Ergo falsum est Basilium ibi solùm opponere violentiam propriè dictam libertati de qua loquitur. Deinde siue Basilius de sola primi parentis libertate loquatur; siue etiam de libertate posterorum, quippe quam non putauit fuisse per peccatum primi parentis amissam; adeo perspicuè per potestatem indifferentiæ eam exponit, vt planè mihi persuadeam aduersarium vel hunc locum non legisse, vel malâ fide citauisse. Quod vt clarè liqueat, sufficiet eum referre integrè. Sic igitur habet.

35. *Quid intelligat per, nulla vi domabile?* Explicat ibi Basilius præceptum illud Adamo datum Gen. 2. *Ex omni ligno Paradisi comedes: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas:* aitque Deum hac vnius arboris prohibitione voluisse tot aliorum beneficiorum memoriam in Adamo conseruare. Tum addit: *Alias igitur animantium Gentes, & genera fabricans conditor, immobilibus naturæ legibus constrinxit: neque ipsis electio est, quæ in vtramque partem facultatem suam partiatur: neque ratiocinationis discretio, quæ velut in æquilibrio perpendat agendorum delectum: sed simul imperat natura, ad agendum impelluntur, non discusso curiosè præcepto. Contrà; homo ratione insignitus, electionis potestate ornatus, & arbitrij libertate refulgens, consilij vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis seruitute, intentionémque habet sui dominam, & inuiolabili gloriatur agendorum electione.* Græcè ἀβίαστον δεικνὺς τὴν προαίρεσιν τὴν ἀζητον, id est inuiolabilem, seu nulla vi expugnabilem electionem præ se ferens. *Hinc euenit vt hoc diligat; illud, quod ita visum fuerit, repudiet: hoc auersetur, ad illud animum adiiciat: & liberrima cum potestate voluntatis regnans, abundat optionibus sententiarum.* Græcè, καὶ βασιλεῦον αὐτεξουσίῳ βουλεύματι πλουτεῖ τὰς τῆς γνώμης αἱρέσεις. id est, & regnans libero, suíque iuris consilio, electionibus animi ac propositi sui diues est. *Quare lege positâ Deus agendi necessitatem non imponit: sed quæ sibi videntur, imperat: voluntatis potestati permittit actionem: & si iussus mandatum prætereat, non ideò naturam demutat, neque necessitatis legibus vincit inobsequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intra necessitatem dona contrahit, neque naturam peruertens mentem adulterat: sed ratione in dominatu suo relictâ, pœnis delinquentem ad sapientiam reuocat. Principi verò rationi, corporis habenas permittit, & animam corpori, veluti currui aurigam præficiens, adhortatur vt ad cursum virtutis impellat.*

Fieríne potest vt si hæc legit aduersarius, non aduerterit vocem ἀβίαστον, id est, *vi indomabilem*, siue *inuiolabilem*, in qua ille vim facit, non eò pertinere, vt physicam solùm coactionem libertati arbitrij opponat: sed vt liberi arbitrij excellentiam commendet: quod, inquit, est huiusmodi, vt per vim adigi nequeat ad volendum, nisi sponte cedens: sed, vt addit immediatè pòst, hoc eligat aut illud, repudiétve, prout illi visum est: regísque instar suis actionibus dominetur, & velut in æquilibrio perpendat agendorum delectum, secùs ac brutæ animantes ad vnum determinatæ. 36.

Illud autem, *neque gratiam per vim aufert*, quod iterum errandi aduersario ansam dedit, nihil aliud significat, nisi Deum non ademisse concessam Adæ libertatem indifferentiæ, propter peccatum, naturæ illius vim inferendo; vt fecisset, si adeò connaturali proprietate, vel eius vsu, eum spoliasset. Quod minimè fauet aduersario; sed potiùs grauiter nocet affirmanti libertatem illam periisse per peccatum Adami. Non ademisse, inquam, libertatem & dominium suarum actionum electionémque liberam; sed, vt addit immediatè pòst, *ratione in dominatu suo relictâ, pœnis delinquentem ad sapientiam reuocasse.* Nec obest quòd vtitur nomine, *gratiam.* Nam vox illa apud Scriptores sacros, donis etiam naturalibus interdum tribuitur, quippe gratuitò, id est, sine præcedenti obligatione à Deo datis. 37. *Quid per, Gratiam vi non aufert?*

SECTIO VI.

Quid senserint Eusebius Cæsariensis, & S. Ioannes Chrysostomus?

38. Iansen.cap. cit. *Eusebium citat in contrarium sensum.*

OPPONIT decimò, Eusebium lib. 6. de Præparat. Euang. & lib. contra Hieroclem, perpetuò libertati opponere necessitatis externæ compulsionem, coactionem, contrariam vim. Sed hîc quoque præuaricatur aduersarius, & contra seipsum agit. Euidenter enim Eusebius ipsius dogmati aduersatur locis citatis. Quippe qui lib. illo 6. de Præparatione, disputat contra fati assertores, & per externam illam necessitatem, compulsionem, coactionem, contrariam vim, intelligit fatalem necessitatem: quæ, vt illi volebant, non consistebat in coactione physica, quasi efficeret vt voluntas non velit quando vult; id enim, vt iam sæpius monuimus, tam euidenter est impossibile, vt in mentem hominis sani venire nequeat: sed omnino volebant eam consistere in necessitate determinationis ad vnum illud volendum, & agendum, ad quod fatum inducebat: vt ex ipsis Eusebij verbis planum fecimus suprà disp. 30. sect. 4. num. 21. & clarè ostendunt, si vel mediocriter expendantur, ea ipsa ad quæ alludit aduersarius. Nam cap. 5. aliàs 6. paulò post initium, dicit nomine fati intelligi necessitatem quæ impediri non potest: & ipso initio affirmat, quòd *si voluntates nostræ stellis cogerentur*, id est, talem necessitatem in volendo paterentur, *iaceret omnis philosophia, iaceret pietas, nulla esset laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi essent improbi, nec admirandi studiosi, si non libera voluntate, & nostrâ sponte susceptis laboribus, sed necessitate fatorum hæc fierent.* Et paulò pòst: *Si quis in militiam ire cupit, non sponte, sed fatis coactus id cupit, & latrones similiter, & adulteri, cæterique nequissimi homines: & è contra, modesti, & iusti fatis compelluntur: quomodo igitur hoc dogmate imbutus quisquam monenti ac præcipienti mentem adhibebit? Aut quomodo non exclamabit, Non sunt potestatis hæc mea?* &c. Et inferiùs, *Quomodo autem, cùm sentiamus nostra nos appetitione moueri, non omnino amentissimum erit ab exteriori quadam vi, quasi animi expertes moueri nos credere? Sic enim liberâ voluntate alia fugimus, alia sequimur, vt quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, sed reipsa comprehendimus: ita à nostro ipsorum consilio, ad fugiendum aut sequendum moueri nos profectò sentimus. Quas ob res rationalis naturæ libertas negari non potest:* indifferens scilicet ad sequendum aut fugiendum prout volumus.

39. *Probatur ipsum loqui de libertate indifferẽtiæ.* Et circa medium eiusdem capitis, hæc addit: *Vnicuique rationali animæ liberum arbitrium naturâ inest. Bonum ergo est id, ad eligenda bona creatum. Ideò quando malè agit, non est natura culpanda. Non enim naturâ, sed præter naturam malum agitur, cùm sit electionis deprauatæ, non naturæ opus. Cùm enim virtus ad eligenda bona inest, si ea non eligit, sed sponte, melioribus spretis, mala sequitur, quis potest eum dicere morbi sui causam non fuisse? Præsertim cùm insitam atque salutarem legem volens contempserit. Qui ergo istis omnibus reiectis à necessitate motúque stellarum omnia dependere putat, nec nobis, sed virtuti, quâ omnia mouentur, peccandi causam tribuit: is quomodo non impius, atque amens erit?* Hæc & alia plura his similia Eusebius eo loci, quibus ad libertatem indifferentiæ asserendam nihil clarius dici potest: quæque non minùs nouos Dogmatistas feriunt, quàm veteres illos necessitatis fatalis assertores.

Contra quos etiam disputat altero loco citato ab aduersario ex libro contra Hieroclem capite vltimo, vbi non minùs perspicuè libertatem indifferentiæ prædicat. Affirmat enim ipso initio capitis, eos qui fatalem necessitatem inducunt, tollere propriam voluntatis à seipsa motionem: quippe quæ non ex electione, sed externâ impulsione agatur, velut inanime quippiam extrinsecùs agitatum, & filo quodam huc illúcque tractum. Tum addit, neque bonos laudari posse, neque malos culpari, si non electione liberæ voluntatis, sed fato impulsi tales sunt. Neque enim malus quisquam iure damnandus, si quando perperam agens finem compleuit, qui sibi ex fati necessitate impendebat. Et post multa id genus, sub finem capitis ait, circa ea quæ nostri sunt iuris propria, nobis inesse voluntatem ad alterutram partem, virtutem scilicet, aut vitium, delectu libero declinandi. Ex his igitur euidenter patet verum esse quod initio diximus, aduersarium non tam causam suam egisse, quàm testes produxisse, quorum apertis, & constantibus testimoniis damnaretur. 40.

Opponit vndecimò, Chrysostomum similiter necessitatem libertati oppositam explicare per vim, & coactionem: atque ideò docere hominem esse liberum, quia cogi non potest: neque aliam necessitatem, nisi violentiæ & coactionis, libertati formidasse. Ad quod probandum adducit illius testimonia ex hom. 62. ad populum Antiochenum, & hom. 11. in Ioannem, aliísque locis, vbi vis & coactionis mentio fit: putat enim non aliud his vocibus, quàm coactionem physicam intelligi. *Chrysostomus opponit libertati vim, & coactionem.*

Sed perspicuè fallitur. Nam in hom. illa 62. ad populum, quæ est secunda de fato & de prouidentia, loquitur Chrysostomus de vi quam fati vindices induci volebant: quæ, vt modò dixi, non erat coactio physica, faciens vt volendo non velimus: sed necessitas volendi & agendi id, quod fato constitutum est. Et verbis relatis ab aduersario reprehendit Christianos, qui Gentiles errore illo infectos, & dæmonem per eos loquentem audiebant potiùs, quàm diuina oracula contrarium affirmantia. *Quæ enim venia*, inquit, *dic mihi esse potest, si cùm Deus affirmet, dæmones contradicant, fide digniora videntur etiam apud seruos Dei ea quæ ab illis, quàm quæ à Deo dicta sunt? &c. Deus dicit, Apposui tibi ignem & aquam, vitam & mortem; quo volueris intende manum. Dæmon dicit: Non est in te situm porrigere manum, sed necessitate quadam & vi hoc fit. Et fide digniora tamen hæc tibi videntur?* &c. Sole clarius est necessitatem & vim in hac secunda propositione nihil aliud significare, nisi determinationem ad vnum, oppositam potestati eligendi alterutrum, aquam aut ignem, vitã aut mortem; & intendendi manum quò voluerimus; nullâ quippe necessitate huic aut illi parti astri- 41. *Quid per eam intelligat?*

ctam: quam potestatem nos habere Deus ipse affirmat verbis relatis ex Eccles. 15. ver. 17. Hoc enim postulat tum intentio Chrysostomi, opponentis inter se has duas propositiones veluti contradictorias: Vnam Dei, alteram dæmonis Deo contradicentis: ex quo fit, vt quia in prima sermo est de potestate indifferenti ad vtrumlibet, volendi scilicet & agendi prout volueris: in secunda sermo esse debeat de necessitate illi opposita, seu de negatione talis potestatis. Tum etiam quia imponeret Chrysostomus fati assertoribus, si eos induceret affirmantes, fatum non modò simplicem necessitatem inferre; verùm etiam cogere physicè homines ad volendum, id est, efficere vt non velint quando volunt, vtque volitio non sit volitio: quod tam euidenter implicat, vt neque ab ipsis, neque ab vllis aliis libertatis euersoribus dici potuerit.

42. *Non loquitur de coactione physica.* In altero loco, qui citatur ab aduersario ex hom. 11. potiùs 12. in Ioannem, sermo quoque non est de necessitate illa physicæ coactionis, absolutè impossibili respectu actuum voluntatis. Refert enim Chrysostomus in Dei voluntatem, quòd necessitas, de qua ibi loquitur, non fuit illata libero hominis arbitrio. Si autem loqueretur de coactione physica, non referret hoc in Dei voluntatem; id est, non diceret Dei voluntatem esse causam, cur illata non fuerit; & pependisse ab illius arbitrio vt inferretur, vel non inferretur. Nam cùm sit absolutè impossibile inferri, vt fatetur aduersarius, & per se manifestum est: non potest Deus velle inferre: neque oritur ab illius voluntate, & arbitrio, sed ab impossibilitate absoluta, quòd neque inferatur, neque ab vllo inferri possit.

43. *Confirmatur.* Patet etiam ex verbis ipsis D. Chrysostomi ab aduersario relatis, ipsum loqui de necessitate determinationis ad vnum opposita indifferentiæ, seu facultati agendi vt lubet. Dicit enim *diuersam esse naturam corporum, & animarum: in eo quod natura corporum, quocunque ipsam ducere Conditor voluerit, eò sequitur: neque quicquam est quod resistat. Anima verò sui domina, id est, sui iuris facta, & agendorum potestatem habens, non in omnibus, nisi ipsi libeat, obsequitur Deo. Non enim inuitam, ac vi quadam coactam, bonam efficere vult, & virtute præditam: quandoquidem ne hoc quidem virtus esset: sed volenti, & in id sponte inclinanti persuadendum est vt talis sit.* Vel, vt vertit aduersarius: *Neque enim virtuti id esset ascribendum: sed sponte sua bona sit, & sibi virtutem amplectendam persuadeat, oportet.* Manifestum est libertatem indifferentiæ significari comparatione illâ inter corpora, & animas rationales, quæ sunt sui iuris, & suorum actuum dominæ; & potestatem habent agendorum, id est, possunt agere vel non agere, & hoc aut illud agere, prout volunt; & non obsequuntur Deo, nisi ipsis libeat: secùs ac corpora, quæ sequuntur necessariò Creatoris voluntatem, & non possunt illi resistere. Quamuis autem Deus posset tam efficaciter mouere hominum voluntates ad volendum id, quod ipse vult, vt non possent resistere, sed necessariò obsequerentur: non voluit tamen: quia *non vult animam inuitam, & vi quadam coactam*, id est, necessitate adactam ad obediendum, *bonam efficere, & virtute præditam:* neque etiam talis esset, nisi volens, & ex electione obsequeretur, atque in bonum virtutémque ferretur.

Vnde facile est videre quid respondendum sit aliis locis Chrysostomi, productis ex homiliis de proditione Iudæ, de Conuersione sancti Pauli, de ferendis reprehensionibus, & secunda de Lazaro. In quibus omnibus eodem sensu loquitur de vi & coactione, & libertatem indifferentiæ non minùs commendat. Quod tam perspicuè sæpéque facit, vt ea de causa specialiter illi succenseat Caluinus libro secundo Institut. capite 2. numer. quarto, vbi dicit eum singulariter in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excessisse. Et alibi addit, illud toties à Chrysostomo inculcatum, reiiciendum esse, *Quem trahit, volentem trahit.* Sed si ita est, illud quoque à Caluino, & à nouis dogmatistis idem cum illo de libertate sentientibus repudiandum erit, quod ex eiusdem homilia de Conuersione sancti Pauli refert aduersarius: *Et quoniam bona atque mala in nostra Deus posuit potestate, electionis liberum donauit arbitrium; & nos inuitos non retinet, sed volentes amplectitur.* Et illud ab eodem relatum ex homilia 2. de Lazaro: *Vnde perspicuum est, quòd in nobis situm est vt vel obtemperemus, vel non obtemperemus illius insidiis*, (diaboli scilicet) *nec vllam necessitatem, neque tyrannidem patimur ab illo.* Et illud eiusdem homil. 14. in 1. Corinth. *Nos hoc & illud habemus in potestate: nimirum vt vel in gehennam incidamus, vel regnum cæleste consequamur: ita enim Deus voluit. Ecce enim, ait, ignis & aqua; quocunque volueris, extendes manum tuam.* Et illud homil. 19. in Genes. *Quia liberi arbitrij nostram naturam esse fecit omnium Dominus, &c. necessitatem vtique non imponit, sed congruis remediis appositis, totum in ægrotantis sententia situm esse permittit.* Et inferiùs homil. vigesimâ secundâ: *Nónne manifestum est sua quemuis voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & natura nostræ potestas insita esset: neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est; ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Omitto alia plurima his similia, Caluiníque doctrinæ & aduersariorum non minùs aduersantia. 44. *Exponuntur alia eius loca.*

SECTIO VII.

Quid senserit Cyrillus Alexandrinus?

Opponit duodecimò Cyrillum lib. 8. contra Iulianum in fine, cuius hæc verba refert: *Omnis quæ in cælis est rationalis, & mentalis creatura liberum habet motum ad faciendum quæcunque voluerit: & propensio in vnoquoque, à necessitate libera est.* Sed quia hæc verba videntur potiùs clarè adstruere libertatem indifferentiæ, & nocere aduersario; præsertim cùm, iuxta Græcum, legendum sit, *& ab omni solutam necessitate propensionem in singula:* additis etiam verbis immediatè sequentibus, quibus eandem libertatem perspicuè commendat, sic dicens: *Hoc enim modo, nec alio fieri poterat*, 45. *Cyrillus opponit libero coactionem.*

vt & boni meritò prædicatione, ac præmiis afficerentur; & mali iustam vituperationem consequerentur: Idcirco addit aduersarius, necessitatem hanc postea explicari à Cyrillo per coactionem, cùm sic ait: *Itaque vt & nos quoque ad quoduis bonum sponte incederemus, consilio, non coactè viuere super terram hominem permisit Deus*: Græcè ἀκαταβιάστῳ γνώμῃ διαβιοῦν ἐπὶ τῆς γῆς εἴασε.

46. *Per eam intelligit necessitatem.* Sed manifestum est per *coactionem* intelligi hoc loco necessitatem oppositam consilio & electioni, non autem coactionem physicam. Tum quia Cyrillus ibi loquitur etiam de libertate Adami ante peccatum: addit enim immediatè pòst, *Atque ita in principio contigit.* Fatetur autem aduersarius illam non solùm à coactione, sed etiam à simplici necessitate solutam fuisse. Tum etiam quia (vt suprà diximus explicando similem locum Hilarij) refert Cyrillus in Dei voluntatem, quòd non ita coactè viuamus. Ergo potuit ita cogere, si voluisset. Non enim dicitur permitti, iuxta vsitatum loquendi modum, nisi id quod posset etiam non permitti. Atqui non potuit Deus cogere physicè voluntatem ad actus internos, in quibus primò & præcipuè vita bona consistit. Ergo Cyrillus non loquitur de tali coactione, sed de simplici necessitate, quam Deus posset inferre si vellet, & non intulit, potiúsque liberas suæ voluntatis habenas homini permisit. Nam, vt addit Cyrillus immediatè pòst, *Ipse voluntatum suarum ex se suspensas habenas tenet, & suopte nutu incitatis propensionibus in vtrumque fertur bonum, inquam, & malum.* Non poterat ce[illegible] verbis clarioribus indifferentiam libertatis exprimere. Tum consequenter reddens rationem cur Deus ita fecerit, non autem necessariò ad bonum adegerit, subiungit: *Itaque si ineffabili quadam, & diuinâ virtute, & efficaciâ vsus, vniuscuiusque mentem ad bene agendum transtulisset, & imperuium ipsi malum etiam non volenti fecisset: non iam tota illa res fructus esset animi; nec laudem vllam mereretur: sed necessitatis potiùs esset, & voluntatem superantis potentiæ.* Vel, vt habet alia versio relata ab aduersario, *Et indidisset postea bonum, à quo ægerrimè discedere posset, & non sponte; vltrà non esset fructus mentis, sed necessitatis, & cupiditatis non voluntariæ*: id est, non liberè elicitæ, sed necessariò: non autem, vt vult aduersarius, physicè coactæ.

47. *Eámque moralem.* Quamuis enim voluntas esset ad bonum determinata, illúdque vellet necessariò; non propterea vellet physicè coacta, quod esse manifestè impossibile sæpius docet aduersarius: quin potiùs eo magis sponte vellet, quod necessitate in illud ferretur, nec posset nisi ægerrimè, ac non sponte ab illo discedere, vt ait Cyrillus iuxta posteriorem versionem, quam sequitur aduersarius: iuxta quam dicendum est Cyrillum ne simplicem quidem necessitatem intelligere per coactionem: sed necessitatem secundùm quid, & moralem duntaxat, id est, tam vehementem propensionem, vel impulsionem ad agendum, vt non nisi difficillimè possit illi resisti, & vix vnquam resistatur. Quo sensu morali non rarò sumitur nomen coactionis: atque etiam pro coactione secundùm quid, non adimente libertatem, id est, non faciente vt non velimus liberè; sed vt, quamuis ægrè, consentiamus in id quod sponte non faceremus. Quo sensu dicitur mercator v. gr. cogi metu naufragij proiicere merces in mare; & æger metu mortis consentire in abscissionem cruris, aut brachij.

Eundem sensum habent quæ confusè obiicit aduersarius ex Cyrilli libro 4. de adoratione in spiritu & veritate: quódque addit ex libro 4. in Ioan. cap. 7. *Vbi auditus doctrinæ, disciplinæque adest, non vi, sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex caritate dignis præstatur, non vi Christum fideles agnoscunt.* Nam per vim intelligit vel simplicem necessitatem, oppositam indifferentiæ; vel coactionem secundùm quid, oppositam persuasioni, id est, suaui & rationabili inductioni: nullo autem modo coactionem physicam, quæ non modò indifferentiam, seu libertatem volendi credenti, sed ipsam quoque volitionem penitus excludit. Nam quòd Cyrillus libertatem indifferentiæ in credendo agnoscat, satis indicant verba immediatè sequentia: *Non enim possumus*, inquit, *secundùm Ecclesiæ veritatisque dogmata, liberam potestatem hominis (quod liberum arbitrium*, Græcè τὸ αὐτεξούσιον, καὶ αὐτοπροαίρετον, id est, vim ex sese eligendi *appellamus) vllo modo negare. Ita iusti quidem præmiis propter iustitiam afficiuntur: qui verò malè vixerunt, non iniuriâ puniuntur.* 48. *Explicantur alia loca.*

Eandémque potestatem indifferentiæ sæpius inculcat Cyrillus variis locis: vt lib. 3. contra Iulianum, pag. 80. vbi dicit *homines motionis suæ in alterutram partem veluti clauum, & gubernaculum nactos esse, & sponte ad id inclinare, quod extra legem est.* Et pag. 78. dicit hominis mentem *rerum agendarum, aut non agendarum potestatem sortitam esse; eique concessum vt voluntariis nutibus feratur in quodlibet.* Et pag. 77. addit, Deum quidem *omnia nosse priusquam fiant, sed humanas res permittere cursum suum tenere. Præsertim quia ex vniuscuiusque libero arbitrio suspensum esse videtur facere aliquid, aut non facere.* Et lib. 4. contra eundem Iulianum pag. 131. non minùs dogma Iansenij, quàm errorem Iuliani refutat: ostenditque non fieri naturali inclinatione, & necessitate quadam indolis, vt alij sint iracundi & truculenti, alij voluptatis amantes, &c. sed liberâ electione vnumquemque bonum aut malum esse. Quia, inquit, nisi ita esset: *Quonam modo agnosci posset voluntatis vniuscuiusque libertas? Nec enim amplius integram nobis esset bene vel malè facere: sed eundum erit, etiam non sponte* (id est, non liberè, sed naturali necessitate, vt brutæ animantes) *& sine vlla consideratione, quocumque nos naturalis propensionis lex detulerit. Difficile est autem repugnare naturæ, vel potiùs impossibile. Quamobrem, si qui crudelis atróxque sit, naturæ ad id legibus est compulsus: & ab ista criminatione liber sit Scytha, & quiuis item alius, qui propensò sit ad immanitatem, & atrocitatem ingenio.* Quibus verbis perspicuè significat non sufficere ad libertatem vt non coactè fiat: nam quæ fiunt necessariò ex naturali inclinatione, non fiunt coactè & violenter: neque certè coactè volumus, quæ naturali propensione necessariò volumus: sed requiri aliquid amplius: nempe dominium in actum liberámque electionem, quod noua secta Dogmatistarum cum Caluinistis & Lutheranis negat. Et lib. 2. in

49. *Sæpius commendat libertatem indifferentiæ.*

Ioannem, cap. 54. circa illa verba, *Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem:* sic ait: *Liberum hominis arbitrium his verbis ostendit, qui ad alterutrum, secundùm animi sui motum, potest proficisci.* Sic enim iustè laudem, si bene agimus; & contrarium, si mala committimus, inuenimus. Et libro quarto, capite 30. *Liberum homo animal est: & potest siue dexterum, siue sinistrum velit iter (virtutem dico, aut vitium) eligere.* Et lib. 9. capite 10. *Rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas vnicuique commisit, vt in eo sit quidquid probauerit eligere.*



DISPVTATIO XXXIII.

Quid senserint de libero arbitrio alij Patres Augustino posteriores, eiúsque discipuli?

SECTIO I.

Quid senserint Prosper, & Fulgentius?

1. *Iansen. to. 3. lib. 6. c. 13. Duplex Prosperi locus.* NIHILO magis aduersario fauent sancti Patres Augustino posteriores, eiúsque discipuli, quorum aliqua testimonia producit cap. 13. & seqq. atque in primis opponit illud Prosperi Aquitanici lib. 1. de Vita contemplatiua cap. 3. *Diuino iustóque iudicio actum est, vt quæ fuit cum Deo suo* (Angelis) *manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque necessitas.* Quibus, inquit, iisdem penè verbis August. lib. 1. Operis imperfecti contra Iulianum, libertatem beatæ fruentísque Deo voluntatis Angelorum explicuit. Et hinc illa definitio liberi arbitrij apud eundem Prosperum lib. contra Collatorem cap. 18. seu potiùs 19. *Liberum arbitrium est rei sibi placitæ spontaneus appetitus.*

2. *Expositio prioris loci.* Sed priore loco nihil aliud Prosper affirmat, nisi iusto Dei iudicio factum esse, vt Angeli qui liberè in bono perstiterant, remunerarentur æternâ beatitudine, in qua non ampliùs liberè, seu cum potestate recedendi, sed necessariò Deo semper adhærent. Sicut è contrario mali Angeli, qui à Deo liberè discesserunt, fuerunt ab ipso reiecti irreuocabiliter, & ita vt redire non possint. Verba illius hæc sunt: *Cùm essent vtrique sine peccato creati, & ad seruiendum Deo suo feliciter instituti: eorum quidam voluntate propriâ deprauati noluerunt permanere quod facti sunt; & cùm se contra Creatorem suum typho superbiæ lethalis hostiliter extulissent, de superna cæli regione proiecti sunt. Quos diuina sententia eo supplicio condemnauit, vt quia noluerunt perseuerare cùm possent, nec vellent reparari, nec possent. Siquidem præuaricationis eorum fuit, quòd irreuocabiliter iudicij animaduersione percussi sunt: & ad damnationem iustissimam profectò pertinuit, quòd voluntatem redeundi, ac facultatem penitus amiserunt. Sicut è contrario, voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quòd malis sponte* (id est, ex libertate indifferentiæ, vt fatetur Iansenius) *cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt: & diuino iustóque iudicio actum est, vt quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque necessitas.* Vbi nota Prosperum his postremis verbis opponere liberæ voluntati manendi, quam habuerunt in via, cùm nondum habebant necessitatem manendi, poterántque non manere, si vellent: opponere, inquam, necessitatem, quam nunc habent permanendi in patria, quámve merito liberæ illius voluntatis adepti sunt: quæ certè non est physicè cogens & vim inferens, sed determinans ad permanendum sine potentia ad oppositum. Itaque Prosper hoc ipso loco simplicem hanc necessitatem libertati opponit: contrà quàm velit aduersarius, qui pari semper inaduertentia profert ea Patrum testimonia, quæ ipsius dogma subuertunt. Quomodo autem, & ad quid liberi sint Beati iuxta D. Augustinum, & rei veritatem, diximus disp. 31. sect. 7. *Iansen. lib. de Gratia primi hominis & Angelorū.*

3. *Sensus posterioris.* Posteriore loco sumit Prosper vocem *sponte*, pro *liberè*, siue *ex electione, & potestate indifferentiæ:* vt suprà, quando dixit Angelos ex tali potestate peccâsse. Atque ita omnino sumi euidenter patet ex eo, quòd Prosper ibi loquitur de libero arbitrio Adami, quo sponte Dei mandatum transgressus est; *quóve*, inquit, *vbi vsum bonorum, quæ acceperat, fastidiuit, & vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem ad experientiam præuaricationis intendit: bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit.* Disertè autem affirmat aduersarius arbitrium Adami ante peccatum fuisse liberum non modò à coactione physica, verùm etiam à simplici necessitate oppositâ indifferentiæ, atque ex tali potestate præuaricatum esse. Quare valde imprudenter, & inconsideratè profert hæc testimonia, quæ perspicuè ipsius doctrinæ aduersantur. Adde quòd Prosper non tantùm dicit liberum arbitrium esse *spontaneum appetitum*; sed addit, *rei sibi placitæ.* Placitum autem propriè significat id, quod post consilium, & deliberationem animi plura inter se conferentis, magis arridet, & præ aliis eligitur. Et consultatio, deliberatio, electióque non sunt nisi circa ea, quorum vtrumque possumus. *Nisi enim ambo possemus, tam scilicet istud, quàm eius contrarium, non vtique consultaremus*, vt ait Nemesius lib. de Homine cap. 33. Et, *in his quæ determinata sunt ad vnum, electio locum non habet*, inquit D. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 2. *libro suprà cit. de gratia primi hominis.*

4. *Inepta allegatio.* Neque meliora sunt quæ obiter adiungit aduersarius ex Magistro in 2. distinct. 24. lit. E. & ex lib. 3. Hypognost. cap. 4. quorum vel sola lectio satis prodit incuriam illius, vel imprudentiam, aut malam fidem. Cùm prior dicat manifestè liberum arbitrium esse, *quo bonum vel malum eligitur.* Posterior affirmat liberū arbitrium dici *ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quidve recuset: vel ideò quod in sua sit potestate, habens agendi, quod velit, possibilitatem:* cuiusmodi fuit in homine protoplasto, & quidem illæsum ante peccatum, vt mox addit. Quod de libero à necessitate

determinationis intelligi debere non potest negare aduersarius, nisi sibimetipsi contradicere velit, æquè ac auctori citato repugnare.

5. *Testimonia Prosperi de libertate indifferentiæ.* Idem verò Prosper aliis pluribus locis, siue de Adamo, siue de posteris loquens, euidenter illis tribuit libertatem indifferentiæ, capacem electionis, & oppositam determinationi ad vnum. Vt lib. 1. de Vocat. Gent. capite 8. vbi docet manere in posteris Adami liberum arbitrium, quod habuit ante lapsum: liberum scilicet à necessitate: *Neque putandum esse hominem, quando spiritu Dei agitur, liberum arbitrium non habere, quod nec tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergo non est interfectum per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura remouetur.* Et cap. 12. libri 2. *Certissimè nouerimus*, inquit, *nullum fidelium à Deo non discedentem, relinqui; neque cuiusquam ruinam ex diuina esse constitutione dispositam: sed multis qui iam iudicio rationis vtuntur, ideò liberum esse discedere, vt non discessisse sit præmium: & vt quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Vides potentiam indifferentem, quia non discedit cùm possit discedere, & meritoriè operatur, cùm posset non operari: atque eapropter dici à Prospero liberum illis esse discedere, & non operari meritoriè: illúdque ad meritum & ad præmium requiri. Ibid. capite 28. de Deo sic loquitur: *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à perseueraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat:* id est, ita volunt perseuerare, vt possint nolle. *Alioqui nemo fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret,* &c. *& collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia possunt hæc fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimiùm procliuisque descensio est: nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare: vigilate, & orate vt non intretis in tentationem.*

6. *Iansen. to. 3. lib. 6. c. 13.* Opponit secundò Fulgentium lib. de Incarn. & Gratia, cap. 12. affirmate eò perducendum fuisse liberum arbitrium per gratiam Christi, vt peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret quamdiu peccare poterat. *Creatus ergo*, inquit, *primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiam, quâ posset non peccare, si peccare nollet: nondum tamen tantam acceperat gratiam, quâ nec peccare vellet omnino, nec posset. Vt scilicet à bono, iustóque Domino, pòst esset illud munere largiendum, si voluntariè fuisset hoc à seruo priùs in opere custoditum.*

7. *Quam necessitatem opponit Fulgentius libertati?* Sed hæc quoque nouo dogmati perspicuè aduersantur. Tum quia Fulgentius opponens voluntati quę priùs fuit indifferens ad peccandum, potuítque peccare, necessitatem nunquam peccandi, datam in præmium prioris voluntatis non peccantis liberè; clarè significat necessitatem istam repugnare libertati indifferentiæ. Hæc autem necessitas non est physicæ coactionis; neque enim Beati physicè coguntur ad non peccandum: sed est necessitas determinationis ad non peccandum. Tum etiam quia Fulgentius non aliud affirmat, nisi futurum fuisse, vt si Adamus à peccando abstinuisset, Deique mandatis obtemperasset; in præmium suæ obedientiæ consequeretur felicem immortalitatis & æternæ gloriæ statum, in quo peccare non posset. Sic enim ait immediatè ante verba relata: *Deus primo homini, quem ad sui imaginem gratuitâ bonitate bonum fecit, cui facultatem quoque suæ cognitionis, ac dilectionis inseruit, non solum bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam, custodiendámque iustitiam integrum, sanúmque creauit libertatis arbitrium; vt facultas, atque motus indita libertatis si iuuantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ retribueret Dei bonitas homini: si autem iustitiam diuinam contemnens à gratia excidisset, supplicia retribueret iustitia peccatori. Proinde à bono iustóque Creatore, illi homini quem in corpore animali conditum ditauit intelligentiæ ac iustitiæ dono, iusta est vtrinque statuta conditio: vt scilicet, si obedientiam, quæ prima virtus est, custodiret: ex animali in qua creatus est corporis qualitate ad spiritualem immortalémque statum sine corporis morte (quia sine animi iniquitate) transiret: accepíssetque diuino munere, si præcepta seruasset, non solùm perfectam atque inamissibilem corporis immortalitatem; verùm etiam in anima talem gratiam sanctè iustéque viuendi, vt peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret, donec peccare potuisset.* Hæc Fulgentius, quæ nullo modo fauent aduersariis ad probandum quod intendunt; nullam scilicet habuisse ipsum rationem indifferentiæ in explicanda libertate. Nam potiùs illis apertè nocent, quatenus describunt libertatem Adami ad peccandum, per hoc, quòd ita peccauit, vt potuerit non peccare, præmiúmque obedientiæ sibi propositum obtinere.

Quod disertiùs affirmat idem auctor lib. de fide ad Petrum capite 25. sic dicens: *Firmissimè tenendum est primos homines bonos & rectos, sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, humili & bonâ voluntate seruire, atque obedire: quo arbitrio etiam possent si vellent propria voluntate peccare, eósque non necessitate, sed propria voluntate peccasse.* Hoc autem arbitrium fuisse per peccatum primi parentis amissum, neque ibi docet Fulgentius, neque vspiam alibi, sed potiùs oppositum significat libro de Incarnatione & gratia, capite 19. cuius est hoc initium: *Ex quo enim primus homo naturam suam voluntariè vitiauit, atque oppressit infirmitas, nisi diuina gratia medicamento præuentum in vnoquoque homine sanetur, atque adiuuetur liberum indesinenter arbitrium, est quidem liberum, non tamen bonum: est liberum, non tamen rectum: est liberum, non tamen sanum: est liberum, non tamen iustum:* quia scilicet tenetur sub malitiæ, peruersitatis, infirmitatis, atque iniquitatis seruitute captiuum, vt addit ibidem. Vbi expende illa verba, *Nisi diuinæ gratiæ medicamento præuentum in vnoquoque homine sanetur, atque adiuuetur liberum arbitrium*; quæ perspicuè significant non fuisse peccato Adami extinctum, sed manere in posteris: alioquin quomodo in illis sanaretur, & iuuaretur per gratiam? Non enim potest sanari, aut iuuari, quod non est. Manet igitur, sed infirmum & debile, captiuúmque sub lege peccati, & expers iustitiæ, sanctitatis, & rectitudinis, nisi sanetur, & liberetur ab eo statu, atque ad benè operandum iuuetur per Dei gratiam, vt ibidem dicere pergit Fulgentius. Qui etiam lib. 2. de Verit. prædest. cap. 2. scribit, *Liberam voluntatem*

8. *Docet libertatem non fuisse amissam.*

non ideò non esse in homine priùs quàm sanetur opere diuinæ conuersionis, quia morbo magis vult obtemperare, quàm medico: cùm eo ipso quòd obtemperat homo, vel non obtemperat, liberum sibi inesse arbitrium euidenter ostendat. Quibus verbis nihil potest clarius dici ad significandum liberum arbitrium in eo consistere, quòd possimus velle, & non velle, obtemperare vel non obtemperare, & generaliter in potestate indifferentiæ ad opposita.

SECTIO II.

Quid senserint venerabilis Beda, & sanctus Ioannes Damascenus?

9. *Iansen. to. 3. lib. 6. c. 14.* OPPONIT tertiò, Bedam libro variarum quæstionum, q. 13. non excludere à libertate arbitrij aliam necessitatem, nisi violentiæ, quæ scilicet, velimus nolimus, operatur effectum suum: idque non semel, aut iterum, quasi per transennam, ei excidere; sed iterum, iterúmque diligenter inculcare. Ad quod probandum adducit aliquot eius loca, quibus dicit arbitrium fuisse liberum, quamdiu non potuit cogi, *ita vt nullâ vi cogente, nec Dei, nec diaboli, quod vellet, bonum seu malum faceret*: redditúmque nobis liberum fuisse, sicut priùs; quia nulla vis cogit nos ad bonum vel ad malum. Vnde concludit aduersarius, non aliud libero arbitrio repugnare, ex mente venerabilis Bedæ, nisi vim, violentiam, coactionem, necessitatémque supradictam, quæ scilicet, velimus nolimus, operatur effectum suum.

10. *Hallucinatio perpetua Iansenij circa nomen coactionis.* Sed pergit inconsideratè proferre testimonia, quæ, nisi fallor, apud auctores ipsos minimè legit: aut certè, si legit, parum ad sensum illorum attendit, perpetuò deceptus nomine vis, aut coactionis, quod vbicunque reperit, putat de altè insita ipsius animo coactione physica debere intelligi: licèt ex verbis ipsius auctoris contrarium bene attendenti euidenter appareat: vt contingit in præsenti testimonio, æquè ac in præcedentibus. Nam ipso initio illius quæstionis 13. definit Beda liberum arbitrium per potestatem volendi & non volendi, id est, per potestatem indifferentem ad vtrumlibet, quâ volumus aut nolumus, vt liber. *Deus*, inquit, *fecit hominem perfectum, & talem scilicet, quòd posset & velle bonum & non velle. Et hoc est liberum arbitrium, velle scilicet, & nolle, & absolutum*: id est, potens velle & nolle, prout illi visum est, & absolutum non solùm à necessitate physicæ coactionis, quæ in volendo aut nolendo est euidenter impossibilis: sed etiam à necessitate determinationis ad vnum, quâ non possit nisi velle, aut non nisi nolle.

Verus Bedæ sensus.

11. *Quomodo describit liberum arbitrium?* Idque magis patet ex ipsis verbis ab aduersario relatis, quæ habentur paulò post medium eiusdem quæstionis: vbi postquam affirmauit primum hominem ante gustum pomi, habuisse liberum arbitrium; dicit videndum esse quæ fuerit libertas illius arbitrij. Tum consequenter addit: *Arbitrium certè liberum fuit, quandiu suæ potestatis extitit, ita vt nulla vi cogente, nec Dei, nec diaboli, quod vellet, bonum seu malum, faceret.* Loquitur enim de arbitrio Adami ante peccatū, quod, vt fatetur aduersarius, liberum fuit à simplici necessitate: & per vim cogentem, idem intelligit hoc loco, quod paulò pòst, quando dicit prædestinationem Dei non officere libertati, quia Deus non cogit nos vt boni vel mali simus; sed nos potiùs Deū cogimus vt tales nos videat ab æterno, quales reipsâ nunc sumus. Euidens autem est nos non cogere Deum physicè, & vim, seu violentiam propriè dictam illi inferre, vt præuideat quales futuri simus: sed tantùm exhibere illi obiectum, quod non potest ignorare futurum esse, posito quòd futurum sit: atque ita necessitatem quandam inferre diuino intellectui (qui nihil potest ignorare) ad illud præuidendum. *Quid ergo?* inquit, *coëgit nos Deus vt sibi mali videremur ab æterno. Absit. Nam potiùs nos coëgimus eum vt nos malos videret. v. gr. si video iacere aliquem, necesse est vt ille iaceat, quem iacere video: aut falsum est quòd ego eum iacere video: Illa ergo necessitas à iacente est, aut à vidente? Vtique non à vidente infertur necessitas vt iaceat, sed ab ipso qui se deposuit vt iaceret. Deus igitur, cui nihil est futurum, aut præteritum, nos sibi præsentes semper, malos esse videt, non vt iustis ille necessitatem inferret prauitatis: sed quia prauitas illa latere nequit præsentiam iudicis.* Hæc Beda, quæ non nisi absurdissimè possunt de coactione physica intelligi. Quasi verò, qui se sponte deponit vt iaceat, cogat physicè violentérque eum, à quo iacere videtur, vt se iacentem videat: similitérque homines peccando, vim & coactionem physicam Deo inferant, vt, velit nolit, videat ab æterno eos esse peccaturos.

Sicut igitur hoc loco per vim & coactionem intelligit necessitatem: ita & paulò superiùs quando dixit, *Arbitrium fuisse liberum, quamdiu suæ potestatis extitit*, id est, sui iuris, & habens dominium suarum actionum: ita vt *nulla vi cogente, nec Dei, nec diaboli*, hoc est, nullâ necessitate adactum, *faceret quod vellet, seu bonum seu malum*. Cuius dicti occasione mouet difficultatem supradictam, quomodo præscientia & prædestinatio diuina non officiat libero arbitrio? *Si enim*, inquit, *Deus preordinat, & prædestinat vitam bono, & mortem malo; videtur vim inferre libero arbitrio: quia cùm prædestinatio sua falli non possit, necesse est vt malus sit, quem prædestinauit ad mortem; & bonus sit, quem prædestinauit ad vitam.* Quæ difficultas nulla esset, si per τὸ *necesse est*, intelligeretur coactio physica. Qualis enim est hæc illatio? Si præscientia diuina & prædestinatio est infallibilis, debemus physicè cogi vt simus quales nos præsciuit & prædestinauit? Quasi verò non sufficiat vt simplici necessitate, siue antecedente, siue consequente, tales simus infallibiliter. Similique modo intelligendum est quod sequitur: *Et si necesse est hunc esse bonum, & illum malum, periit ergo liberum arbitrium, quod necessitate cogitur*: id est, determinatur ineuitabiliter ad id quod præscitum & prædefinitum est, non autem cogitur physicè & simpliciter, quod euidenter est impossibile respectu actuum voluntatis, & de quo nemo sanæ mentis potest dubitare. *Quòd si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate; non est culpandus ille, qui velit nolit peccat*: id est, iuxta vulgarem loquendi modum, qui sic peccat, vt non possit abstinere à peccando: quique ita malè quippiam vult, vt non possit non velle. Alter enim sensus, quem his verbis dant aduersarij, absurdissi-

12. *Nomine vis & coactionis intelligit necessitatem.*

mus est: quòd scilicet velit coactus physicè, id est, velit simul & non velit: seu velit non volens.

13. *Clarè docet libertatem indifferentia in bene vel malè agēdo.* Porro quòd siue bene, siue malè agamus, pendeat id ex libero nostro arbitrio cum potestate ad oppositum, clarè docet idem auctor in fine eiusdem quæstionis, sic dicens: *Ita Deus nobis sua bona promittit, vt tamen labore nostro acquirantur. Quòd si voluerimus: ad laborem in omnibus, quæ bene agemus, nobis cooperabitur.* Nota, *si voluerimus, cooperabitur:* quo perspicuè significatur cooperationem gratiæ auxiliantis pendere à nostra libertate: vt confirmauit & definiuit Trident. sessione 6. capite 5. & can. 4. Idem auctor in caput sextum Ioannis, circa illa verba, *Omnis qui audiuit à Patre,* &c. quærens quomodo trahit Pater? respondet, *Docendo delectat, non necessitate cogendo: quia nemo necessitate credit, sed voluntate:* id est, credit quia vult credere, non quia necessitatur ad credendum. Et in epist. Iacobi capite 1. ad illa verba, *Nemo cùm tentatur,* &c. sic ait: *Nemo, cùm rapinam, falsum testimonium, homicidium, vel cetera huiusmodi commiserit, dicat, quoniam Deo cogente necesse habuerit hæc patrare, ideóque nullatenus horum effectum declinare potuerit.* Igitur sic ea commisit, vt potuerit non committere, declinaréque effectum, & malum actum, quem reipsa fecit. Igitur Deus non modò non coëgit physicè; sed neque etiam antecedenter eum necessitauit ad id agendum. Habent itaque illi, qui committunt prædicta crimina, potestatem ad vtrumlibet: & ad faciendum, quandoquidem reipsâ faciunt: & ad non faciendum, siquidem, vt ait Beda, possunt ea declinare, seu non committere: ac proinde habent libertatem indifferentiæ.

14. Iansen. to. 3. lib. 6. c. 15. Opponit quartò Damascenum, cuius ideo plura testimonia congerit, quòd ipse maximè inter Sanctos Patres, aduersari videatur prauo ipsius dogmati. Ille enim est qui lib. 2. de fide capite 25. in quo aggreditur dicere ex professo de libero arbitrio, definit illud per, Habere aliquid in nostra potestate. *In ea,* inquit, *disputatione quæ de libero arbitrio, hoc est, de eo, quod in potestate nostra situm est, habetur, ea prima occurrit quæstio, sitne aliquid in nostra potestate: plerique enim negant. Altera, quænam sint ea quæ nostri arbitrij sunt, quorúmque penes nos sit potestas. Tertia, cur Deus nos creârit libero præditos arbitrio.* Et primæ quidem quæstioni respondet affirmatiuè, hoc eodem capite, refutans eos qui volebant omnia fieri necessitate fatali. Tum sequenti capite 26. respondens secundæ quæstioni, docet quænam ea sint, quæ dicuntur esse in nostra potestate, his verbis: *Eorum quæ fiunt, quædam in nostra potestate sita sunt, & quædam non. In nostra potestate sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem faciendi & non faciendi.* Et paulò pòst: *Propriè,* inquit, *in nostra potestate sunt ea, quæ ad animam spectant, & de quibus consultamus. Consilium autem, seu deliberatio, de his rebus suscipitur, quæ peræquè in vtramque partem contingere possunt. Peræquè verò contingens, id est, quod & ipsum possumus, & eius oppositum.* Et paucis interiectis: *Hæc igitur arbitraria, ac nobis libera sunt, quæ peræque in vtramque partem contingere possunt: vt moueri & non moueri, impetum facere vel non facere, appetere quæ necessaria minimè sunt, & non appetere, mentiri & non mentiri, erogare & non erogare, gaudere in quibus par est, aut in quibus minimè decet, vel non gaudere: & quæcunque sunt huiusmodi, in quibus virtutis & vitij munus versatur. Horum enim libera penes nos est potestas.* Et capite 27. eiusdem libri, dicit arbitrij libertatem rationi necessariò adnexam esse: idque ex eo colligit, quòd quisquis consultat, perinde consultat, tanquam rerum agendarum electio in ipsius potestate sit. Et capite tricesimo prope initium, affirmat *nobis liberum esse vel in virtute perstare, Deúmque nos ad eam vocantem sequi: vel à virtute abscedere, hoc est, in vitio hærere, ac diabolum, qui citra vim vllam ad id nos vocat, ducem sequi.* Et in dialogo contra Manichæos, explicans quare Deus creauit diabolum, præsciens eum peccaturum, sic ait: *Arbitrij libertate præditum idcirco eum condidit, quia quidquid ratione vtitur, sui iuris sit necesse est. Quorsum enim ratione vtetur, si arbitrij libertate careat? Nam quod vel vi, vel naturæ necessitate fit, virtutis nomen haudquaquam obtinet.* Quibus & multis aliis similibus, quæ breuitatis causâ prætereo, nihil clarius dici potest pro libertate arbitrij, solutâ non tantùm à coactione; sed etiam à necessitate oppositâ potestati ad vtrumlibet.

Doctrina Damasceni de libertate indifferentiæ.

Duo autem ex Damasceno primò & præcipuè opponit aduersarius, ex quorum solutione facile erit iudicare de aliis quæ sine discretione congessit. Vnum habetur capite decimoquarto libri tertij, ante medium: *Cùm,* inquit, *diuina natura suâpte natura liberum arbitrium, volendique facultatem habeat; homo quoque, vt ipsius imago, arbitrij libertate volendique facultate naturaliter præditus erit. Quippe Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt.* Probat autem aduersarius *voluntatem* hîc sumi generaliter, ex iis quæ paulò pòst subiungit Damascenus: *Enimuerò cùm voluntatem dicimus, non eam coactam, ac necessitate constrictam, sed liberam dicimus:* & statim addit, siue diuinam, siue creatam naturam intellectualem, *nihil coactum habere.* Vnde infert, Damascenum per necessitatem oppositam libertati, non aliud intelligere nisi coactionem physicam: sentiréque voluntatem, in sua generalitate sumptam pro potestate volendi quomodocunque, esse liberum arbitrium; cùm voluntas cogi nequeat ad volendum. 15. *Prima obiectio ex Damasceno.*

Sed primò, sibi contradicit. Nam alibi libro sexto de Gratia Christi capite 5. in fine & capite 36. §. *Quamquam secundò,* dicit motus improuisos voluntatis non esse liberos, tametsi voluntarios, & sine violentia coactionéque elicitos. Ex quo sequitur falsum esse quod hoc loco affirmat, & probat ex Damasceno *velle & posse velle,* generaliter idem esse, ac, velle liberè, & posse liberè velle: quandoquidem voluntas vult aliquando non liberè. Secundò, verum quidem est id quod à Patribus definitum esse ait Damascenus, *liberum arbitrium esse voluntatem:* id est, non distingui realiter ab ipsa voluntate. Sed voluntas duplicem habet operandi modum, vt alibi notauimus ex Diuo Thoma 1. part. quæst. 41. art. 2. c. & ad 16. *Iansenij cōtradictio.*

Quo sensu ait Damascenus voluntatem esse libertatem.

ad 3. & q. 2. de potentia art. 3. Vnum ex electione & potestate indifferenti, seu quia vult: & sic propriè operatur vt voluntas, coinciditque re & ratione cum libero arbitrio. Alterum, ex necessitate naturali, vel aliunde impositâ: quia non potest aliter, non autem propriè quia vult: & sic dicitur operari non vt voluntas, sed vt natura est. Hunc secundum operandi modum repugnare libertati affirmat Damascenus verbis sequentibus ab aduersario relatis: *Enimuerò cùm voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constrictam dicimus, sed liberam,* Græcè αὐτεξούσιον, id est, sui iuris, & arbitrij. Quod αὐτεξούσιον, siue arbitrium liberum, vt idem Damascenus ait lib. 2. de fide cap. 26. versatur circa illa, quæ ἐφ' ἡμῖν, id est, in nostra potestate sunt sita; seu quorum liberam habemus potestatem vt aut ea faciamus, aut non faciamus: ἐφ' ἡμῖν μὲν εἶναι ὧν ἡμεῖς ἐσμὲν αὐτεξούσιοι ποιεῖν τε καὶ μὴ ποιεῖν. Nec obest quod addit; *Hoc est, ea omnia quæ vltro & sponte facimus: neque enim ea sponte fieri dicerentur à nobis, si actio in arbitrio nostro minimè posita esset:* τῆς πράξεως οὐκ οὔσης ἐφ' ἡμῖν, id est, *nisi actio in nostra esset potestate.* Nam hæc postrema verba perspicuè ostendunt eum non sumere ἑκούσιον, seu *spontaneum*, latissimè; sed strictiùs pro αὐτεξουσίῳ, id est, pro volente cum potestate ad vtrumlibet: iuxta id quod addit immediatè pòst Damascenus ex Nemesio, ex quo illa desumpsit, *In nostra esse potestate ea dicuntur, quæ possumus facere, & non facere.*

Ex his igitur manifestum est Damascenum velle liberum arbitrium, seu voluntatem prout liberè operatur, solutam esse debere non tantùm à coactione physica, verùm etiam à necessitate antecedente & determinatione ad vnum.

17. *Altera obiectio.* Alterum quod opponitur ex Damasceno, habetur cap. 27. libri proximè citati: vbi sic ait: *Arbitrij libertas rationi annexa sit necesse est. Aut enim rationis particeps homo non erit: aut si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium, & potestas futura est.* Vnde infert aduersarius hominem ex sententia Damasceni, hoc ipso esse liberum, quo rationalis est: quia videlicet ex hoc ipso, quo vtitur consideratione rationali, non sensitiua, necesse est voluntatis motum consequentem esse liberum.

18. *Quo sensu dicat libertatem esse rationi annexam?* Verùm, si legisset, vel attendisset ad ea quæ immediatè præcedunt, vidisset Damascenum ideò dicere libertatem arbitrij esse necessariò rationi annexam, quia illius exercitium præsupponit consultationem, & deliberationem circa ea, quæ habemus in potestate agere vel non agere. *Quisquis consultat,* inquit, *perinde consultat, tanquam rerum agendarum electio in ipsius potestate sit: vt quod ex consultatione melius commodiùsque visum fuerit, id eligat; & cùm elegerit, exequatur. Quod cùm ita se habeat, arbitrij libertas rationi adnexa sit necesse est.* Ex quibus verbis Damasceni sequitur potiùs eum solum voluntatis motum esse liberum, qui fit cum consilio & electione, ideòque pertinet ad partem rationalem animæ. Non fit autem cum consilio & electione, nisi quod fit sine antecedenti necessitate & determinatione ad vnum: vt idem ait verbis paulò antè relatis. Cetera quæ ex illo profert sunt eiusdem generis, & ex dictis facilè solui possunt. Plura verò de illis videre licebit apud Petauium tom. 3. libro tertio de Opificio cap. 12. qui tum in isto, tum in plerisque aliis testimoniis Patrum intelligendis & explicandis, lucem & opem nobis attulit.

SECTIO III.

Quid senserit S. Anselmus?

19. *Iansen. lib. 6. de gratia Christi cap. 16.* Opponit 5. Anselmum lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 10. sic affirmare: *Impropriè dicitur necessitas, vbi nec coactio vlla est, nec prohibitio:* id est (inquit nouus Dogmatista) vis cogens nolentem, & prohibens, seu impediens volentem. Ex quo infert, si quæ alia est voluntaria necessitas, & immutabilitas; illam, iuxta Anselmum, non esse propriè necessitatem, nec vllo modo repugnare libertati voluntatis. Idque confirmat ex capite 17. eiusdem libri, vbi habetur: *Non dici Deum necessitate facere aliquid, eò quòd in illo sit vlla necessitas: sed quoniam est in alio impotentia, quando dicitur non posse. Omnis quippe necessitas est aut coactio, aut prohibitio: Quæ duæ necessitates conuertuntur inuicem contrariè: sicut necesse, & impossibile.*

Non illi fauet Anselmus. Respondeo Anselmum, locis citatis, nomine coactionis intelligere generaliter quamcunque necessitatem antecedentem, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco impositam; & ita impellentem ad volendum aut agendum, vt omnino nequeamus à volendo, vel ab agendo abstinere. Similitérque nomine prohibitionis intelligere generaliter quamcunque impotentiam antecedentem volendi, vel agendi, ita impedientem à volendo vel agendo, vt absolutè impossibile sit velle, aut agere. Et hanc vtramque dicit repugnare libertati, non autem solam coactionem physicam, vt malè putat aduersarius. Nam quòd etiam censeat necessitatem determinationis repugnare libero arbitrio, patet ex iis, quæ præcedunt citato capite 10. Dixerat enim paulò antea Boso, quîcum Anselmus ibi colloquitur, Si Christus peccare non potuit, non ex arbitrij libertate, sed ex necessitate seruasse iustitiam; siquidem non potuit velle peccare. *Quæ igitur gratia illi pro iustitia sua debebitur? Solemus namque dicere Deum idcirco fecisse angelum, & hominem tales, qui peccare possent, quatenus cùm possent deserere iustitiam, & ex libertate arbitrij seruarent; gratiam & laudem mererentur; quæ illis, si ex necessitate iusti essent, non deberentur.* Vbi vides libertatem arbitrij angelorum & hominum explicari per potestatem ita seruandi iustitiam, vt possint eam deserere, id est, per facultatem indifferentem ad vtrumlibet; & in eo fundari titulum laudis & præmij.

20. *Dicit Angelos esse laudandos, quia liberè non peccarunt.* Neque verò id negat Anselmus: sed respondet angelos esse laude dignos, non præcisè quia peccare potuerunt, sed quia reipsa non peccarunt, cùm peccare possent, & ex eo consecuti sunt vt iam peccare non possint: atque ita illud à se habent, id est, à sua libera voluntate, propriâque actione laudabili, citra vllam coactionē, non modò physicam & propriè dictam, quæ est euidenter impossibilis respectu actuum voluntatis: Sed etiam citra quācunque necessitatem antecedentem, in quam potiùs esset refun-

denda hæc actio. *Angeli*, inquit, *non sunt laudandi de iustitia sua, quia peccare potuerunt: Sed quia per hoc quodammodo à se habent, quod peccare nequeunt: in quo aliquatenus similes sunt Deo, qui à se habet, quicquid habet*, laudabile scilicèt, de quo est quæstio. *Dicitur enim dare aliquid, qui non aufert quando potest: & facere esse aliquid, qui cùm possit idipsum facere non esse, non facit. Sic itaque cùm Angelus potuit sibi auferre iustitiam, & non abstulit; & facere se non esse iustum, & non fecit; rectè asseritur ipse sibi dedisse iustitiam & seipsum iustum fecisse.* Potuítne clariùs exprimere libertatem indifferentiæ circa cooperationem ad assequendam, vel conseruandam iustitiam? *Hoc igitur modo habet à se iustitiã, quia creatura eam à se aliter habere nequit: & idcirco laudandus est de sua iustitia: & non necessitate, sed libertate iustus est.* Quia nimirum ita accepit, aut conseruauit iustitiam, vt posset non accipere, aut non conseruare. *Quia impropriè dicitur necessitas, vbi nec coactio vlla est, nec prohibitio.* Quæ postrema verba immediatè iuncta præcedentibus, non bene cum illis cohærent, nisi latè intelligat quamcunque coactionem, siue propriam, siue etiam impropriam, excludentem potestatem indifferentiæ, ad seruandam, vel non seruandam iustitiam.

Quid per coactionem intelligat?

21\. *Quo sensu ait Deum esse laudandum de iis quæ à se habet.* Similíque modo addit consequenter, Deum laudandum esse *de iis quæ à se habet, & quæ seruat, non vlla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate.* Quæ immutabilitas inducit tantùm necessitatem consequentem ex hypothesi quòd Deus liberè, siue à se bonos illos actus iam habuerit; quos scilicet ab æterno liberè suscepit, ita vt ab illis potuerit abstinere si voluisset, id est, non tendere in creaturas eo modo, quo tendit. Simili etiam sensu Christum Deum & hominem laudandum esse dicit de omnibus bonis, quæ à se habet non necessitate, sed voluntate & libertate: hoc est, de omnibus illis bonis operibus, quæ liberè exercuit, ita vt potuerit (quamuis sine indecentiâ & peccandi periculo) ab illis abstinere, vel alia eorum loco exercere. Quia in eiusmodi operibus exercendis, à seipso iustus est, & idcirco laudandus: id est, quia liberè illa exercet, non ex necessitate: nec quia aliter non potest, sed quia vult. Vel potiùs de omnibus bonis, quæ naturæ ipsius humanæ fuerunt à diuinâ collata: quia liberè illa habet à seipso vt Deus est. Cùm enim idem ipse sit Deus, & homo; habet liberè à seipso, quicquid vt homo accepit à Deo. *Sic ergo*, inquit, *homo ille, qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit, à se habebit, non necessitate, sed voluntate & libertate, & à seipso iustus, & idcirco laudandus erit.* Quamuis enim humana natura habebit à diuinâ quicquid habebit; idem tamen ipse à seipso (quoniam duæ naturæ vna persona erunt) habebit. Ac ne aduersarius nomine violentiæ, & coactionis falleretur, notare debuit Anselmum cap. 18. libri cit. violentiam naturalis conditionis appellare naturalem necessitatem, quâ cælum ab intrinseco, vt ipse putat, mouetur necessariò. Vbi manifestè sumit violentiæ nomen impropriè pro naturali necessitate.

22\. *Et Christum à se habuisse: vt non posset peccare.* In hunc eundem sensum intelligendum est quod obiicitur ex cap. 16. eiusdem libri, Christum à seipso habuisse vt non posset velle mentiri, & non posset ita velle seruare vitam, vt nunquam moreretur. Quia à seipso vt Deus est, habet impeccabilitatem: id est, natura eius diuina liberè tribuit humanæ necessitatem non peccandi, & non volendi peccare, eo ipso quòd liberè seipsam illi coniunxit hypostaticè: ideóque non potuit velle mentiri, aut velle nunquam mori, supposito præcepto Dei absoluto, vel acceptato, de ipsius morte. Quanquam vt addit c. 18. quòd homo ille, qui secundùm vnitatem personæ idem ipse filius Dei est, non potuit non mori, aut velle non mori, non est ex absolutâ impotentiâ seruandi, aut volendi seruare vitam suam mortis expertem: sed ex immutabilitate voluntatis eius, quâ se sponte fecit ad hoc hominem, vt in eadem voluntate perseuerans moreretur.

Cetera quæ opponit aduersarius ex Anselmo, non meliùs probant id, quod intendit, vt loca legenti & expendenti facilè patebit; sed potiùs illi manifestè aduersantur: vt quod obiicit ex lib. de libero arbit. cap. 2. *Per suum arbitrium peccauit, quod sic liberum erat, vt nulla alia re cogi posset ad peccandum: & ideo iustè reprehenditur, quia cùm hanc haberet arbitrij sui libertatem, non aliquâ re cogente, non aliquâ necessitate, sed sponte peccauit.* Nam cùm ibi sermo sit de libertate Angeli peccantis; non potest aduersarius, nisi sibi contradicendo, affirmare eius arbitrium liberum tantummodo fuisse à coactione physicâ: docet enim Angelos, & Adamum ante lapsum habuisse libertatem indifferentiæ, & ex illa peccasse. Sique tantùm à coactione liber fuisset Angelus, & non à simplici necessitate antecedente; verum non esset, quod dicit Anselmus, *Et ideo iustè reprehenditur* &c. Nam, vt fatetur aduersarius tom. 2. lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. & 25. omnis necessitas aliunde inducta, quàm ex peccato, aut in pœnam peccati, excusat à culpa: & consequenter à iustâ reprehensione & pœnâ. Illa autem necessitas præcedens omne peccatum (Angelus enim non antea peccauerat) non fuisset inducta à peccato, vel in pœnam peccati. Ergo illum excusâsset à iustâ reprehensione. 23. *Eius testimonia pro libertate indifferentia.*

Et verò idem S. Doctor lib. de casu Diaboli cap. 13. dicit, Si Angelus non potuisset velle aliud, quàm quod reipsâ voluit; *neque iustam, neque iniustam*, (id est, culpabilem) *haberet voluntatem:* quia necessariò sic voluisset. Et cap. 27. eiusdem libri ait causam, seu rationem cur malus Angelus ita voluit, non fuisse quia potuit sic velle: nam similiter *potuit bonus Angelus velle, neque tamen voluit.* Et in lib. de Concordia libertatis cum prædest. cap. 1. *Sola voluntas*, inquit, *determinat ibi, quod teneat; nec aliquid facit vis necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis.* Recolendum autem est, quod sæpè diximus, electionem non habere locum, vbi non potest nisi vnum fieri. Et cap. 3. comparat eum, qui cooperatur Dei gratiæ sibi oblatæ, homini nudo, accipienti vestem sibi gratis datam, quâ vti potest, vel non vti. Et in fine eiusdem libri, *Homo*, inquit, *habet in bonis, quod mala non sunt: quia cùm posset deserere iustitiam, & mala facere, non deseruit, sed seruauit per liberum arbitrium, dante & subsequente gratia.* Et in cap. 6. Matthæi, circa illa verba, *Fiat voluntas tua*, dicit posse hominem per liberum arbitrium contradicere Dei vocationi, & non consentire gratiæ. Ipsúmque 24.

Paulum, licèt tam potenter & mirabiliter à Deo vocatum, potuisse nihilominus resistere. *In Paulo tamen*, inquit, *videtur cogens voluntas Dei, sed non est: quia licèt sit percussus, tamen voluntas erat libera vt resisteret, si vellet.*

SECTIO IV.

Quid senserit S. Bernardus?

25. Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 17. OPPONIT 6. Bernardum in lib. de gratia & libero arbitrio affirmare quidem necessitatem repugnare libertati naturæ, sed non aliam intelligere necessitatem, nisi eam, quæ voluntati repugnat essentialiter, neque aliud est, nisi vis, violentia, coactio. Ad quod probandum profert aliquot eius testimonia ex eodem libro de gratia, & lib. arbit. & ex serm. 81. in Cantica: Quam obiectionem sumpsit ex Caluin. lib. 2. Institut. cap. 3. num. 5.

Verùm, quod ipse Theologis sæpius exprobrat, non legere illos attentè scripta Sanctorum Patrum, neque veram, & genuinam eorum mentem, sententiámque inuestigare: sed animo iam præoccupato quærere in illis, quod ad suos sensus detorqueant: hoc eum potiùs fecisse demonstrant, quæ tum ex Bernardo, tum ex aliis Patribus corrasit testimonia, velut suo dogmati fauentia: quæ cùm attentè inspiciuntur, accuratéque expenduntur, haud dubiè comperiuntur illi penitùs aduersari.

26. Ait primò, S. Bernardum sæpissimè docere, necessitatem illam, à quâ liberum dicitur esse arbitrium, efficere vt non sit voluntarium. Quam necessitatem, inquit, certissimum est non esse illam simplicem necessitatem, quâ simpliciter aliquid necessarium esse dicitur, & quâ beatificus voluntatis amor necessarius est: ille enim voluntarius est, tametsi necessarius simpliciter. In hunc sensum refert hæc Bernardi verba ex lib. de lib. arb. aliquantò post initium: *Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas iam non esset. Vbi quippe necessitas, iam non voluntas.*

27. Abutitur verbis S. Bernardi. Sed ex immediatè præcedentibus manifestè liquet voluntatem hîc sumi non latè, pro potentia volendi quomodocunque; sed strictiùs, pro voluntate, prout voluntas est, & agit vt voluntas, non autem vt natura: id est prout est sui iuris, & mouet seipsam, operatúrque quia vult: non autem prout aliquâ necessitate mouetur, & agitur potiùs, quàm agit, quia necessitatur agere. Dixerat enim immediatè anteà S. Bernardus *rationem datam esse voluntati, vt instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quò minùs liberè, pro arbitrio sese volueret, siue in malum, consentiens appetitui, aut nequam spiritui: siue ad bonum, gratiam sequens.* Vbi nota Bernardum non dicere, *si necessitatem coactionis imponeret*; Sed, *si vllam*. Tum addit verba ab aduersario relata, *si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas iam non esset, vbi quippe necessitas, iam non voluntas.* Sole clarius est vel mediocriter attendenti ad horum verborum connexionem, Bernardum loqui de voluntate strictò sumptâ modo suprà dicto, prout est potens ad vtrumlibet, siue bonum, siue malum; & ad hoc, aut illud sese mouet pro arbitrio; quam ait non destrui per rationem; quia per iudicium rationis præuium eius exercitio non eripitur illi potestas ad vtrumuis, neque necessitatur, seu determinatur ad bonum, vel ad malum. Quod si fieret, iam non esset voluntas, eo sensu videlicet strictè sumpta: nam euidenter falsum est non fore voluntatem latè sumptam, tametsi necessitaretur ad volendum per iudicium rationis: sicut voluntas Beatorum non desinit esse talis, licèt per visionem beatificam necessitetur ad amorem Dei clarè visi.

Qui loquitur de voluntate, prout libera est.

Id etiam ostendunt verba immediatè pòst sequentia, quæ sic habent. *Quòd si ex necessitate, & absque consensu propriæ voluntatis, mala bonáve fieri possent; rationalis creatura aut misera profectò nulla ratione esse deberet, aut beata penitùs esse non posset: cui nimirum in vtrauis parte id deesset, quod solum in ea miseria, siue beatitudinis capax est; id est, voluntas.* Nam quòd etiam ibi loquatur de voluntate prout libera est, déque consensu libero, sine quo rationalis creatura neque bene agit laudabiliter, neque malè culpabiliter; & neque beata fieri potest ex suo merito, neque misera; quia alioqui deest illi id, quod siue miseriæ, siue beatitudinis meritoriè assequendæ capax est: Quòd, inquam, per *consensum* intelligat liberum à necessitate determinationis ad vnum, patet ex eo quod addit paulò pòst: *Cuius voluntatis consensus (vtique voluntarius, non necessarius) dum aut iustos probat, aut iniustos; etiam merito facit beatos, vel miseros.* Et paulò inferiùs, *Cæterum, quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto vel ei bonum, vel malum imputari potest? Excusat nempe vtrumque necessitas. Porro vbi necessitas, ibi libertas nõ est. Vbi libertas non est, nec meritũ; ac per hoc nec iudicium. Excepto sanè per omnia originali peccato, quod aliam constat habere rationem:* quia scilicet non libero consensu nostro, sed ex necessitate originis contrahitur. *De cetero quicquid hanc non habet voluntarij consensus libertatem, procul dubio & merito caret, & iudicio.* Tum, postquã dixit cetera, quæ sunt in homine, vitam, sensum, appetitum, memoriã, ingenium, &c. non esse per se sola boni & mali moralis capacia, quia non sunt sui libera, & eo ipso subiacet necessitati, quo non planè subdita sunt volũtati: addit neque infantibus & amentibus, aut dormiẽtibus imputari ea quæ faciunt, quia carent vsu rationis, & libertatis. *Hinc enim est*, inquit, *quòd insanis, vel infantibus, itémque dormientibus, nihil quod faciunt vel bonum, vel malum, imputatur: quia nimirum sicut sua non sunt compotes rationis: sic nec vsum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc, nec iudicium libertatis.* Et tandem ita concludit: *Sola ergo voluntas, quoniam pro sui ingenita libertate aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire nullâ vi, nulla cogitur necessitate*; id est, quia dissentit, aut consentit prout vult: *non immeritò iustam vel iniustam, beatitudine seu miseria dignam, ac capacem creaturam constituit, prout scilicet iustitiæ iniustitiave consenserit.*

28. Confirmatur ex verbis sequentibus.

29. Eundem sensum habent, quæ mox sequuntur, & secundo loco obiiciuntur ab aduersario ex eodem lib. de gratia & libero arbitrio: *Est verò, quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eò quòd necessarium voluntario contrarium esse videatur. Siquidem quod ex necessitate fit, non iam ex voluntate: & è conuerso similiter.* Nam etiam ibi loquitur Bernardus de voluntate strictè sum-

ptâ, prout distinguitur à naturâ, & operatur quia vult: cui, vt sic, opponitur non solùm coactio physica, euidenter impossibilis respectu actuum voluntatis: verùm etiam quæcunque necessitas antecedenter determinans voluntatem ad operandum. Distinguit enim Bernardus eo loci triplicem libertatem à peccato, à miseriâ, & à necessitate: quam postremam dicit magis propriè nominari liberum arbitriũ, fuisséque nobis in ipsâ conditione naturç collatam: primam verò nobis dari per gratiam: mediam reseruari in patriâ. Ideo autem dicit libertatem à necessitate magis propriè nominari liberum arbitrium; quia necessarium voluntario contrarium esse videtur: illi nempe voluntario, de quo immediatè anteà eò vsque locutus erat, quod est in potestate, & arbitrio voluntatis, dicitúrque specialiter & perfectè voluntarium: cui opponitur quæuis necessitas antecedens imposita voluntati.

Distinguit triplicem libertatem.

30. *Negat amissam fuisse libertatem indifferentiæ.*

Cúmque aliæ duæ libertates à peccato, & à miseriâ, amittantur per peccatum; ait tertiam istam nec peccato, nec miseriâ amitti, aut minui. Quicunque enim bonus, aut malus est, liberè talis est, & liberè talis permanet, suâ voluntate ductus, non aliunde coactus; id est, necessitatus, vt bonus aut malus sit. Vnde obiter collige libertatem illam non fuisse peccato primi parentis amissam, vt volunt Dogmatistæ, & recentes hæretici. Eodémque sensu addit paulò pòst Deum, & Angelos, & Dæmones simili modo liberè bonos, aut malos esse; *propriâ videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate*: ac neque etiam intrinsecâ: quia, vt rectè supponit Bernardus, non illam habent à seipsis circa ea, ad quæ liberi sunt: *Et manere libertatem voluntatis, vbi etiam sit captiuitas mentis*: libertatem scilicet oppositam seruituti, & captiuitati peccati, aut miseriæ, propter quam interdum non valemus exequi quod volumus. Sed tamen etiam tunc, *cùm bonum volumus, bona est voluntas: cùm malum, mala voluntas. Vtrobique voluntas; & vbique libertas: cedit siquidem voluntati necessitas*, id est, magna illa difficultas bene operandi, & mali vitandi, inducta per captiuitatem peccati & miseriæ, cedit voluntati strenuè resistenti. Ac tandem concludit, liberum arbitrium ita nominari ex hac libertate, quâ liberum est voluntati seipsam iudicare, & vel in bonum, vel in malum consentire: quippe quæ neutri consentit, nisi volendo, id est, quia vult.

31. *Exponuntur alia eius loca.*

Cetera quæ aduersarius opponit ex eodem Bernardi libro de gratia & libero arbitrio, quæ breuitatis causâ, & ne idem sæpius repetere cogar, prætereo, sunt eiusdem generis, similíque modo explicanda, habitâ ratione antecedentium, & consequentium iisdem locis. Vt quod ait nec Deum carere libero arbitrio, nec Diabolum: *quoniam quòd ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quódque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio*. Cuius sensus est, quòd Deus liberè vult bona, quæ extra se vult, quamuis malum velle non possit: & propter firmitatem, & immutabilitatem suæ voluntatis, non possit desistere velle bonũ, quod semel voluit. Dæmon quoque liberè multa mala facit, quamuis nequeat desistere à mala voluntate, quam peccando concepit: siue propter naturalem constantiam & inflexibilitatem voluntatis, vt multi putant: siue potiùs ob voluntariam peruicaciam, & obstinationem, defectúmque gratiæ auxiliantis ad mutandam voluntatem in melius.

Neque magis fauent aduersario, quæ addit ex serm. 81. in Cantica: vbi paulò ante medium incipit Bernardus agere de libertate arbitrij his verbis: *Sed enim adhuc vnum occurrit, quod minimè præteribo: nec enim minùs insignem, similémve minus verbo animam facit, & fortè etiam plus. Arbitrij libertas hæc est, planè diuinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi: & si quæ sunt alia, quæ similiter circa animi habitum sese è regione respicere videantur, nihilominus inter ipsa censorius quidem arbiter is animæ oculus diiudicat, & discernit: sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis*. Hæc, inquam; doctrinæ aduersarij adeò non fauent, vt potiùs apertissimè contradicant: neque enim potest clariùs exprimi libertas arbitrij per potestatem indifferẽtiæ: & per eandem potestatem, tanquam sibi essentialem, definiri. Addit autem consequenter Bernardus, in eo fundari titulum meriti vel demeriti, laudis aut vituperij. *Inde homo*, inquit, *ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum, malúmve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur non is tantùm, qui potuit facere mala, & non fecit, sed & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala, & fecit: quàm qui potuit facere bona, & non fecit. Vbi autem non est libertas; nec meritum.* 32.

Itaque ex mente D. Bernardi, qui bene vel malè faciunt imputabiliter ad laudem, vel ad vituperium, præmium aut pœnam; id faciunt cum potestate ad oppositum saltem contradictoriè: & aliter non essent laude aut vituperio, & præmio vel pœnâ digni. Eandémque ob causam dicit immediatè pòst, bruta non esse capacia laudis & meriti, quia carent tali potestate indifferenti, naturalique necessitate feruntur in id quod appetunt. *Propterea*, inquit, *quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur: quia sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*. Quare non solùm coactio physica, & externa violentia, sed etiam naturalis necessitas, qualis est in brutis animalibus, repugnat libertati. *Hanc vim*, id est, internam necessitatem, *à naturâ solus homo non patitur; & ideò solus inter animantia liber. Et tamen interueniente peccato patitur quandam vim & ipse*, id est vehementem quandam inclinationem habitualem, quam peccando contraxit: *Sed à voluntate inductam, non à naturâ, vt ne sic quidem ingenitâ libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum*. Hoc est, illa inclinatio, libera est in causa, quatenus voluntariè contracta fuit, potuítque non contrahi, sicut potuit non peccari. Potest etiam illi resisti; quia licèt *peccato factum sit vt corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam, sed amore, non mole*: Tamen *quod surgere anima per se iam*

33. *Docet ea quæ fiunt necessitate, non esse imputabilia.*

non potest, quæ per se cadere potuit: voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens, & iacens, amorem pariter iustitiæ non admittit. Vbi nota, quod ait, voluntatem in causa esse cur ita iaceat in peccato: quia scilicet non vult amorem iustitiæ admittere, sicut potest. Alioqui enim non esset causa voluntas, propriè loquendo, sed necessitas: id est, non iaceret quia vult, sed quia non potest surgere.

34. *Et voluntatem liberè manere sub peccato.* Et quamuis, vt addit consequenter Bernardus, *nescio quo prauo, & miro modò ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem faciat:* non excusatur tamen à peccato, quia *hæc necessitas est quodammodo voluntaria. Est enim fauorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens:* id est, non simpliciter necessitas, sed potenter alliciens ad peccandum. Quamuis etiam non possit voluntas per se solam, sine Dei gratiâ, surgere à peccato, quod voluntariè incurrit, liberè tamen sub illo manet: quia potest, si velit, cum auxilio gratiæ resurgere. *Volũtas enim est, quæ se, cùm esset libera, seruam fecit peccati, peccato assentiendo. Voluntas nihilo minùs est, quæ se sub peccato tenet voluntariè seruiendo &c. Non enim retinetur non volens.* Et paulò pòst: *Quod si volens retinetur, ipsa se retinet.* Nimirum sicut liberè peccauit culpabiliter, & cum potestate non peccandi, si vellet, vt suprà dixit Bernardus: ita liberè manet sub seruitute peccati, cum potestate resurgendi per auxilium gratiæ, si vellet. Proptereàque addit voluntatem non modò seruam se fecisse, quando peccato obedire decreuit, id est, liberè illud admisit, maluítque admittere, quàm reiicere: sed etiam facere adhuc, quandiu volens in seruitute peccati retinetur. *Qui facit peccatum,* inquit, *seruus est peccati. Propterea cùm peccauit voluntas (peccauit autem quando peccato obedire decreuit) seruam se fecit,* peccati scilicet. *Sed fit libera* ab illa seruitute, *si non adhuc facit: facit autem in eadem seruitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur. Voluntas enim est:* naturaliter scilicet libera & indifferens; quod peccato non tollitur, quia per peccatum non desinit esse id quod naturaliter est. *Ergo quia volens seruam seipsam fecit, non modò fecit, sed facit:* quandiu scilicet volens in ea seruitute se retinet. Neque excusat necessitas, vt addit ibidem Bernardus, id est, vehemens inclinatio ad peccatum, inducta per naturæ corruptionem, quam in nobis experimur, & contra quam assiduè luctamur. Nam illa, tametsi sentiatur in voluntate, quæ quodammodo cogitur ab ea velle id, ad quod adeò vehementer inclinat; ita vt nolle moraliter nequeat, id est, non nisi valde difficulter, nec sine Dei gratia resistere valeat: non tamen facit, vt non sit voluntas, & velit vt voluntas, sui videlicet iuris & arbitrij. *Vbi enim voluntas,* inquit, propriè dicta scilicet, vt voluntas est, *ibi & libertas est. Ita anima miro quodam, & malo modo, sub hac voluntaria quadam, ac malè libera necessitate & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem &c.*

SECTIO V.

Quid senserit Hugo de sancto Victore?

OPPONIT 7. Hugonem de sancto Victore lib. 1. Miscellan. tit. 175. definire liberum arbitrium in hunc modum: *Est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, qui nec coactò dari, nec inuito auferri potest.* Quibus verbis (inquit aduersarius) nihil omnino ad actum liberum requiri docet, nisi vt sit actus voluntatis cum ratione deliberata agentis, spontaneus, non coactus. 35. *Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 18. Hugo exponit liberum per spontaneum.*

Per spontaneum intelligit liberum à necessitate. Verùm spontanei nomine intelligi hoc loco ab Hugone liberum, id est, ex potestate indifferenti elicitum, & ex electione, patet ex eo quod ibidem ait immediatè anteà: *Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis, qua potest vel adiuuante gratia ad bonum quod non habet, aut minus habet, proficere: vel sinente gratia à bono quod vel habet, vel habere debet, per semetipsam deficere.* Vbi vides spontaneitatem illam explicari per habilitatem, seu facultatem ad vtrumlibet: quâ scilicet voluntas vel per semetipsam à bono deficit, vel proficit in bonum iuuante gratiâ. Et clariùs lib. 1. de Sacramentis parte 5. cap. 21. vbi pleniùs liberum arbitrium sic definit: *Sed & ipsa potestas, & habilitas volũtatis, est libertas, quæ mouetur ad vtrumque, & liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntariè autem moueri, & ferri spontaneo appetitu, hoc est liberè eligere, & libertate indicari, in quo constat liberum arbitrium. Et propter hoc facti sunt (Angeli) liberi arbitrij, vt voluntario appetitu mouerentur: sed secundùm electionem voluntatis, & inclinationem desiderij, sed sine coactione:* videlicet non solùm sine coactione propriè dicta, simpliciter impossibili respectu actuum voluntatis: verùm etiam impropriè, & latè sumpta pro necessitate determinationis ad vnum, quæ manifestè repugnat electioni, seu potestati eligendi vnum è pluribus. Cùm enim electio, vt ait S. Thom. 1. 2. q. 13. articulo 2. sit præacceptio vnius respectu plurium: necesse est quòd electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt. Et ideò in his, quæ sunt determinata ad vnum, electio locum non habet. Et Aristoteles 3. Ethic. capite secundo: *Ea,* inquit, *tantùm sub electionem cadunt, quæ possunt fieri, & non fieri.*

Confirmatur ex ipsa interpretatione aduersarij, aientis Hugonem, verbis à se relatis, per *rationalem voluntatem*, intelligere voluntatem, *quæ cum pleno iudicio rationis operatur, vt motus indeliberati ab actibus liberis secernantur:* quia scilicet ad actum liberum requiritur vt voluntas eum exerceat cum ratione deliberata. Enimuerò si actus liber non sit sine deliberatione, & idcirco actus indeliberati non sunt liberi: ergo non sit ex necessitate, & determinatione ad vnum; ideóque non sufficit vt sponte fiat quomodocunque. *Inciditur enim omnis iam deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur.* vt rectè ait Tullius libro 1. de Orat. & vt habet Nemesius lib. de natura hominis capite 32. Deliberatio, seu consultatio 36. *Probatur ex ipso aduersario.*

est inquisitio de iis quæ cuique sunt agenda, quæque talia sunt, vt fieri, aut non fieri possint: propterea quòd de necessariis, ac determinatis, inutile esset deliberare quid agendum sit. Et D. Thom. q. 6. de Malo, *Consilium*, inquit, seu quod idem est consultatio, & deliberatio, *est inquisitio viam habens ad opposita: virtute cuius voluntas seipsam mouet, non ex necessitate, sed cum potestate eligendi aut non eligendi hoc vel illud.* Si igitur, iuxta mentem & definitionem Hugonis, actus liber esse nequit, nisi procedat ex deliberatione, vt ait aduersarius: consequens est vt liber esse nequeat, nisi fiat ex electione, & potestate ad opposita.

37. Alia quæ opponit ex Hugone in Summa sentent. tract. 3. capite 8. & 9. eadem sunt sensu, & ferè verbis, cùm quibusdam Diui Bernardi locis paulò antè expositis. Apertè verò repugnat eius Dogmati quod ait Hugo citato cap. 8. vbi postquam definiuit liberum arbitrium, vt suprà, per *habilitatem rationalis voluntatis, quâ bonum eligitur, gratia cooperante: vel malum, eâ deserente:* non contentus indifferentiam illius designasse per verbum *eligitur*, addit immediatè pòst ad maiorem eius declarationem, consistere in duobus: in voluntate, & ratione. Rationis esse videre quid sit eligendum, vel non: voluntatis esse appetere: Et rationem quidem, tanquam pedissequam, monstrare viam, consulendo quid faciendum sit: at voluntatem, tanquam dominam, non eam sequi necessariò, sed interdum ferri in contrarium, & eligere quod ipsi magis lubet, secúmque trahere rationem ipsam ad id, quod contra illius iudicium amplexa est. Et cap. sequenti, adeò putat necessitatem, seu determinationem ad vnum, repugnare libertati: vt propterea velit arbitrium liberum versari tantùm circa futura contingentia: non autem circa præsens, aut præteritum: neque etiam circa futura necessaria. *Sciendum est*, inquit, *quòd liberum arbitrium solummodo ad futura se habet. Quia quod in præsenti est, non est in potestate nostra vt tunc sit, vel non sit: sed vtrum in futuro ita se habeat, vel non, in potestate liberi arbitrij est. Nec ad omnia futura se habet; sed ad ea tantùm, quæ possunt fieri, & non fieri.* Nimirum, quia de ratione liberi arbitrij est, vt possit facere, vel non facere; nec nisi circa contingentia versatur. Quod idem reperit libro 1. de Sacramentis, parte 5. cap. 22. vbi dicit, *Liberum arbitrium ad præsens tempus non referri, sed ad ea quæ futura sunt postea in contingenti. Omne enim quod est, determinatum est; nec potest aliud esse, quàm est, dum ipsum est.* Et paulò pòst, *Futura quoque quæ ex necessitate futura sunt, liberum arbitrium non sequuntur: sed constant immobiliter ad vnum tantum, nec recipiunt vtrumlibet contingentis.* Nihil clarius dici potest ad significandum libero arbitrio repugnare necessitatem determinationis, oppositam contingentiæ, & indifferentiæ antecedenti, seu potestati ad vtrumlibet.

Hugo apertè illi aduersatur.

38. Per hæc explicandum est quod ex fine cap. 9. tract. 3. Summæ sententiar. opponit aduersarius. *Sciendum est*, inquit, *quòd non ideò dicitur liberum arbitrium, quod æqualiter se habeat ad vtrumque, scilicet ad bonum, & ad malum.* Neque enim his verbis negat Hugo liberum arbitrium debere esse ad vtrumque indifferens: sed solùm negat esse æquè potens ad vtrumque. Quia, vt addit immediatè pòst, *per se potest cadere in peccatum: sed per se non potest resurgere, nisi iuuetur à gratia Christi. Per se enim sufficit ad malum, liberum arbitrium: sed non sufficit ad bonum per se.* Imò neque de ratione liberi arbitrij generaliter, & abstractè sumpti est, vt versetur circa malum, sitque ad illud indifferens. Nam, vt ait consequenter: Boni etiam Angeli non carent libero arbitrio: & tamen ita sunt confirmati, vt non possint esse mali. Similiter mali Angeli non carent libero arbitrio: cùm tamen ita sint obstinati, vt non possint esse boni. Sufficit enim quòd illi sint ad aliqua bona indifferentes, & isti ad aliqua mala, vt circa eiusmodi liberum arbitrium exerceant. Vel potiùs sensus est, Angelos bonos, & malos non carere libero arbitrio propter confirmationem in bono, vel obstinationem in malo: quia voluntariè, id est liberè fuerunt illi confirmati in gratia, quando liberè restiterunt peccato, & gloriam meruerunt: & isti voluntariè obstinati, quandò peccauerunt, & damnationem promeriti sunt. Vnde vterque status est illis eatenus voluntarius, & liber. *Liberum enim ex eo dicitur, quia est voluntarium. Quòd autem boni Angeli non possunt mali esse, neque potuerunt ex quo beati sunt, non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas:* id est, necessitas non est prima istius rei causa, sed libera illa voluntas, quâ in Dei obsequio perseuerauerunt, & restiterunt Angelis rebellibus; cuiúsve præmium fuit confirmatio in bono, & status beatitudinis. Similitérque *quòd mali Angeli non possunt esse boni, non facit vlla coactio* propriè dicta, vel impropriè; *Sed voluntas* obstinata in malo, id est, libera illa voluntas, quâ peccarunt initio, & cuius pœna est obstinatio: & vterque ille status non impedit quin habeant arbitrium naturaliter & de se liberum: quia, vt addit consequenter idem auctor: *Et tamen isti natura & illi mutabiles sunt.* Liberum, inquam, naturaliter, & de se flexibile in bonum, & in malum: Nam, vt ait, immediatè pòst, & refert ex Hieronymo, *Solus Deus est, in quem peccatum cadere non potest. Ceteri, cùm sint liberi arbitrij, in vtramque partem possunt flecti:* id est in bonum, & in malum; in virtutem, & in peccatum. Sed neque ipsum arbitrium diuinum est liberum sine indifferentia, quamuis ad malum flecti nequeat. Quia licèt bene semper operetur: nullam tamen necessitatem habet operandi extra se: sed vt ait Scriptura, *Spiritus vbi vult spirat.* Et, *omnia operatur diuidens singulis prout vult. Prout vult, inquit, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Nec est aliud liberum arbitrium in Deo, nisi diuina voluntas, quæ non necessitate, sed sola bonitate omnia facit.* Huc vsque Hugo cap. citato.

Quo sensu ait arbitrium non æquè posse ad vtrumque.

Quibus similia sunt quæ obiicit aduersarius ex tract. 2. Summæ cap. 4. vbi dicit Angelos esse immutabiles in malum, non naturâ; sed gratiâ: ideóque non carere naturali facultate liberi arbitrij, licèt eius exercitium circa malum impediatur per gratiam, & statum gloriæ. Quando autem ibidem ait, liberum arbitrium non inde dici, quòd in vtramque partem, hoc est, in bonum, & in malum flecti possit; sed quia voluntarium est: sensus est, non inde so- 39.

Et non dici liberum, quia in bonum & in malum flecti potest.

lùm dici, quasi nequeat esse liberum, nisi sit ad bonum, & ad malum flexibile: sed ita dici quia est voluntarium, id est, operans, quia vult, circa ea, ad quæ habet potestatem indifferentiæ. Siue illam tantùm exercere possit ad bene operandum, habens ad hoc libertatem exercitij, vel etiam specificationis circa diuersa bona: vt Deus & Christus, & Angeli, hominésque beati: siue tantùm ad malè operandum; vt fortasse dæmones, qui possunt ab hoc, aut illo peccato abstinere, ideóque liberè etiam nunc peccant, tametsi sunt obstinati in malo. Dúmque illi à malo abstinent, bene semper operando; isti à bono, malè semper operando: eatenus liberè abstinent, quatenus non vllâ necessitate cogente. Sed liberâ voluntate, illi bene, isti malè hoc aut illud operantur, à quo possent abstinere, si vellent.

40. *Clarissimè docet libertatem indifferentiæ.* Quod denique opponit ex lib. 1. de Sacram. parte 5. cap. 20. & 21. apertè illi nocet. Cùm Hugo cap. 20. in fine disertè affirmet voluntatem Angelorum ante peccatum, & in primo conditionis principio, ideò fuisse liberam, *quoniam potens erat per se moueri, vt vltro iret huc vel illuc, sine coactione* neque propriè dicta, neque impropriè, *vel adiuta à gratiâ, vel derelicta*. Et paulò pòst: *Propter hoc erat arbitrium liberum in illis, quoniam in illis erat voluntas potens moueri & ferri suo appetitu in vtrumque.* Quæ postrema verba clarè designant liberum arbitrium per indifferentiam. Et cap. 21. illud iterum describit per potestatem indifferentiæ, dicens esse *habilitatem voluntatis, quâ mouetur ad vtrumque cum potestate eligendi, & libertate iudicandi.* Et propter hoc Angelos esse factos liberi arbitrij, *vt voluntario appetitu mouerentur secundùm electionem voluntatis, & inclinationem desiderij sui, sine coactione*, id est, sine vlla necessitate antecedente, oppositâ potestati eligendi. Quare ex mente Hugonis non sufficit ad libertatem moueri per se, sine impulsu alieno, id est, sine coactione physica; vt eum perperam interpretatur aduersarius: nam & bruta sic mouentur, quæ tamen non sunt libera: sed, vt ipsemet Hugo sese exponit, requiritur vt sua vi, suóque nutu, & arbitrio possit seipsum mouere in vtrumque, id est, ad hoc aut illud ex duobus oppositis, aut diuersis, eligendo inter illa, quod vult. Propter quod etiam capite sequenti docet iterum id quod in Summa dixerat, liberum arbitrium non versari circa præsens, neque circa futurum necessarium; sed tantùm circa futurum contingens, de quo potest liberè disponere vt sit vel non sit, cùm nondum sit determinatum. Propter hoc etiam in annotationibus elucidatoriis epist. ad Rom. cap. 9. q. 2. dicit è duobus, quibus æqualiter gratia offertur, vnum consentire, quia vult; alterum verò non consentire, quia non vult, cùm possit, sed gratiam oblatam sponte reiicit.

SECTIO VI.

Quid senserit Ricardus de S. Victore?

41. Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 19. OPPONIT 8. Ricardum de S. Victore tract. 1. de statu interioris hominis cap. 3. affirmantem liberi arbitrij similitudinem cum Deo, in eo consistere, quòd Deus *superiorem non habet, nec habere potest; & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati potest, quia violentiam inferre ei, nec Creatorem decet, nec creatura potest.*

Sed aduertere debuit violentiam hîc sumi latiùs pro necessitate antecedente: non autem pro coactione physicâ, seu violentia propriè dictâ, quam libero arbitrio inferre ad proprios actus internos, non modò Creatorem non decet, sed prorsus est impossibile: quare si de illa Ricardus loqueretur, debuisset dicere quòd eam inferre nec Creator absolutè potest, nec creatura. Eodémque sensu cap. 23. eiusdem libri dicit primum gradum liberi arbitrij esse, nulli coactioni subiacere: Suáque libertate nullâ vi, nulla potestate priuari posse; *Nam hoc nec creatura valet, nec Creatorem decet:* Vbi rursus quòd Deus non possit inferre coactionem illam, de qua loquitur, non refert ad impossibilitatem respectu potentiæ absolutæ, sed respectu decentiæ, seu sapientiæ. Ideóque non loquitur de coactione physicâ, quæ absolutè impossibilis est respectu actuum voluntatis, cùm apertam implicet contradictionem, ex eâque sequatur voluntatem non velle quando vult, vt fatetur aduersarius. Loquitur autem vtroque loco Ricardus de violentia illata ipsis actibus internis voluntatis, & liberi arbitrij: alioqui non diceret non posse à creatura inferri: cùm manifestum sit posse nos cogi, & violentiam pati à creaturis, quoad actus externos, putà motus membrorum, ad quos adigi possumus, reluctante licèt voluntate quantum in ipsa est. 42. *Quid per violentiam intelligat Ricardus?*

Neque magis aduersario patrocinantur quæ profert ex eodem tractatu Ricardi cap. 13. vbi postquam affirmauit liberum arbitrium non fuisse peccato ereptum, nec potuisse eripi, ac neque secundùm se substantialiter minui per peccatum, in malis; sicut in bonis, non augetur per meritum, (quæ omnia magis obsunt, quàm prosunt causæ aduersarij, vt manifestum est) addit huic veritati non obesse, quòd magnam sentimus infirmitatem bene agendi, aut resistendi malo. *Quoniam*, inquit, *aliud est esse liberum: & aliud, esse robustum. Et liber, & infirmus esse potes: sicut è contrà sanus, & seruus esse potes. Qui sanus & robustus est, multa & magna facere potest. Sed qui liber est, ad aliquid cogi, nisi iniustè non potest.* Manifestum est enim coactionem hîc non sumi propriè pro physicâ: alioqui diceret cogi omnino non posse: non autem cogi nisi iniustè non posse. Diceret, inquam, coactionem illam esse absolutè impossibilem; non autem esse quidem possibilem, sed iniustam. Quare vel per coactionem intelligit vehementem impulsionem ad peccatum aliunde impressam, quæ iniustè imprimitur vnicuique habenti ius vt ad malum non importunè, & violenter sollicitetur; tametsi consensus à planè inuito extorqueri nequeat: vel etiam necessitatem determinationis, auferentem potestatem indifferentiæ, quam libero arbitrio conuenire non obscurè significat verbis immediatè sequentibus eodem cap. 13. *Non autem*, inquit, *arbitrium hominis idcirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere: sed quia liberum habet bono vel malo non* 43. *Et per coactionem.*

consentire. Et paulò pòst, *Potest enim consentire, vel non consentire aspirationi diuinæ, similiter & suggestioni diabolicæ. Vtrumque quidem ex libertate, neutrum autem oportet ex necessitate. Libertatis est, quòd ad aliquid volendum cogi non potest*: id est, necessitari, ac neque etiam consensus planè inuito extorqueri. *Priuatio autem potestatis, quòd ad aliquid boni faciendum sufficiens non est* destitutus auxilio gratiæ: quam potestatem per peccatum amisit, vt ait ibidem repetítque verbis relatis ab aduersario ex cap. 20. & cap. 22. inde concludit manere post lapsum primi parentis infirmitatem cum libertate, & libertatem cum infirmitate. Cúmque addit ibidem, libertatem ab infirmitate non minui, intelligendus est quoad substantiam, & áctum primum: non quoad exercitium & actum secundum. Quamuis enim potentia libera, quæ est ipsa voluntas substantialiter eadem sit in homine sano, & infirmo: minùs tamen expedita est ad operandum indifferenter circa obiecta bona vel mala, propter corruptionem, & malam inclinationem naturæ, destitutionem, aut minorem copiam auxiliorum gratiæ, aliáque impedimenta boni, & incitamenta mali.

44. Cetera, quæ opponit ex Ricardo, vel soluta fuerunt superiùs, explicando quædam Bernardi loca, ex quibus ferè ad verbum transcripta sunt: vel eundem habent sensum cum præcedentibus, nituntúrque solâ æquiuocatione vocis *cogere*, & *coactio*, quam aduersarius vult semper accipi pro physicâ, & propriè dicta violentia, nulla habita ratione sensus auctoris, & incommodorum, quæ sequuntur ex tali eius interpretatione.



DISPVTATIO XXXIV.

Quid senserint Theologi Scholastici de libero arbitrio?

SECTIO I.

Quid senserit Magister sententiarum?

1. *Patres omnes Iansenio aduersantur.*



EX dictis liquet sanctos Patres ab aduersario productos in fauorem suæ sententiæ, illi potiùs apertè refragari. Neque potest prudens, & æquus lector dubitare idem esse sentiendum de aliis ab eo prætermissis: quippe quos sibi minùs fauere existimauit. Ad id verò euidenter hoc loco demonstrandum non inutile foret eorum testimonia ex singulis sæculis in medium proferre: nisi iam accuratè fideliter contra Lutheranos, & Caluinistas id præstitissent Iodocus Coccius tom. 2. lib. 1. art. 5. Bellarm. lib. 5. de gratia, & libero arbitrio cap. 25. & seq. & Gauter. in Tab. Chron. verit. 4. Quare ne actum agamus, sufficiet noui Dogmatis fautores admonere, vt expendant coram Deo, cuius prudentiæ sit tam vnanimi Patrum consensui sese opponere in materia fidei, & re tanti momenti: illísque anteponere Baium, & Iansenium, à quatuor Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Vrbano VIII. & Innocentio X. pluribus Bullis, Breuibúsque Apostolicis censurâ notatos, quósve non solùm vnanimi Patrum consensui, sed & Scripturæ, & Conciliis satis apertè repugnare demonstrauimus. Quia verò Iansenius ipsos etiam Theologos Scholasticos antiquiores in hac causa patronos sibi adsciuit, ab eorúmque doctrina circa verum conceptum libertatis recentiores defecisse contendit: videndum est, an meliori fide, potiorique fundamento id asserat.

Primus, quem producit, est Magister sententiarum in 2. dist. 25. vbi tamen clarè ipsius dogmati aduersatur, & ex professo docet libertatem arbitrij in potestate indifferentiæ ad vtrumlibet sitam esse. Nam cap. 1. dicit *voluntatem liberam esse ad vtrumlibet: quia liberè potest moueri ad hoc, vel ad illud.* Et cap. sequenti addit, liberum arbitrium ad vtrumlibet indeterminatum esse debere. Indéque infert cum Hugone Victorino, de quo suprà, liberum arbitrium non referri ad præsens, vel ad præteritum, sed ad futura contingentia. Quia *quod in præsenti est, determinatum est: nec est in potestate nostrâ, vt tunc sit, vel non sit, quando est.* Imò nec omnia futura esse sub potestate liberi arbitrij, *sed ea tantùm, quæ per liberum arbitrium possunt fieri, vel non fieri. Si quis enim tale quid velit, ac disponat facere, quod in eius nullatenus sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione æquè fieret: in hoc ipse liberum non habet arbitrium.* Non potuit certè dicere verbis expressioribus libertatem arbitrij consistere essentialiter in potestate indifferentiæ, ac sine illâ stare non posse. Quod ampliùs patet ex definitione liberi arbitrij, quam tradit dist. præcedenti cap. 5. liberi, inquam, arbitrij secundùm statum præsentem spectati: *Est facultas rationis, & voluntatis, quâ bonum eligitur gratiâ assistente, vel malum eâdem desistente. Et dicitur liberum, quantùm ad voluntatem, quia ad vtrumlibet flecti potest. Arbitrium verò, quantùm ad rationem, cuius est facultas, vel potentia illa, cuius etiam est discernere inter bonum & malum. Et aliquando quidem discretionem habens boni, & mali, quod malum est, eligit: aliquando verò quod bonum est. Sed quod bonum est, nisi gratiâ adiuta non eligit. Malum verò per se eligit &c. Illa ergo rationalis animæ potentia, quâ bonum vel malum potest velle: vtrumque discernens, liberum arbitrium nuncupatur: quod bruta animalia non habent, quia ratione carent.* 2. *Iansf. tom. 3. lib. 6. cap. 20.* *Testimonia Magistri pro libertate indifferentiæ.*

Hoc ipsum etiam docet primo loco, quem opponit aduersarius ex citata dist. 25. c. 5. in fine: *Si diligenter inspiciatur, liberum videbitur dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate valeat appetere, vel eligere, quod ex ratione decreuerit.* Nam voces illæ *eligere*, & *decreuerit*, seu *deliberauerit*, significant potestatem ad plura, de quibus deliberetur vtrum ex illis eligendum sit. Et electio est essentialiter inter plura: neque stare potest, vbi voluntas est ad vnum necessariò determinata. Nomine autem coactionis non intelligitur hîc physica; sed magna propensio ad malum, quam patimur in statu naturæ corruptæ, quâve Angeli, & homines beati carent, proptereáque liberius habet in eligen- 3. *Quid intelligat nomine coactionis?*

do bono iudicium. Hunc enim esse verum Magistri sensum patet ex his ipsius verbis immediatè præcedentibus: *Quò enim quisque ab illa peccati seruitute, de qua scriptum est, Qui facit peccatum, seruus est peccati, longiùs absistit: tantò in eligendo bono liberius habet iudicium. Vnde, si diligenter inspiciatur, liberum videbitur dici arbitrium &c.*

4. Cùm autem affirmat eadem dist. cap. 9. triplicem esse libertatem: à necessitate, à peccato, & à miseriâ. Et à necessitate, ante peccatum, & post, æquè liberum esse arbitrium: Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modò. Per *cogi*, intelligit *necessitari quomodocunque*: Sensúsque est, quòd neque ante peccatum, neque post, liberum est, si necessitatur. Quocirca subdit: *Ideóque voluntas meritò apud Deum iudicatur*, (agens scilicet vt voluntas) *quia semper à necessitate libera est, & nusquam cogi potest. Vbi necessitas, ibi non est libertas. Vbi non est libertas, nec voluntas*, agens scilicet vt voluntas: *& ideo nec meritum.* Cetera quæ opponit ex Magistro, vel sunt eiusdem generis, vel soluta superiùs, respondendo testimoniis Bernardi, & Hugonis, ex quibus sumpta fuerunt. Iisdémque ferè omnibus locis à Caluino iampridem obiectis responderant Esthius, Pennot. Scribon. & alij Doctores Catholici.

SECTIO II.

Quid senserit Alexander de Hales?

5. *Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 21.* *Explicantur breuiter obiecta ex Halensi.*

HVIVS quoque auctoris pleraque loca ab aduersario obiecta, desumpta sunt ex Bernardo, & superiùs exposita; quæ idcirco, ne sæpiùs idem repetere cogamur, prætereunda sunt, vel breuiter perstringenda. Vt quod opponit ex 2. parte q. 72. membr. 2. art. 2. ad 1. prout ipse citat: triplicem esse libertatem; naturæ, gratiæ, gloriæ: id est à necessitate, à peccato & à miseriâ. Et naturæ libertatem esse liberam à coactione: vbi per *coactionem* latè sumptam, intelligit etiam necessitatem oppositam indifferentiæ; vt patet ex eo quod dicit art. 3. eiusdem membri secundi, prout refertur ab aduersario: *Respondeo*, inquit, *quòd liberum arbitrium tripliciter consideratur. Vno modo secundùm quod non cogitur; & hoc modo dicitur liberum, quia indifferenter est boni & mali.* Vides coactionem, de quâ loquitur, opponi indifferentiæ. Et paulò pòst. *Illæ auctoritates*, inquit, *quæ concludunt quòd liberum arbitrium est indifferenter boni & mali, intelliguntur de libero arbitrio secundùm naturam illam, secundùm quam non cogitur.* Vides iterum indifferentiam, & carentiam coactionis, pro eodem sumi: ac proinde per carentiam coactionis, intelligi carentiam necessitatis, seu determinationis ad vnum.

6. *Liberum interdum latè sumit pro voluntario.*

Similiter quod obiicit ex eodem art. *Libertatem naturæ æqualiter bonis & malis conuenire, neque minui posse*, expositum fuit suprà de potentiâ liberâ substantialiter sumptâ: non autem accidentaliter quoad adiuncta, & quoad exercitium, quod iuuatur per gratiam, & impeditur, ac minuitur per peccatum: vt ipsemet Alensis exponit eodem loco. Quod autem opponitur ex memb. 3. art. 3. Duplicem esse necessitatem: ineuitabilitatis, & coactionis: & necessitatem coactionis tollere liberum arbitrium, sed non necessitatem ineuitabilitatis: ideóque licèt in Angelis sit necessitas ineuitabilitatis, nihilominus tamen esse liberum arbitrium: Iamdiu fuit expositum à Gabriele in 2. dist. 25. quæst. vnica, art. 1. vbi similem Bonauenturæ locum sic explicat: *Theologi variè loquuntur de libertate. Quandoque enim accipiunt libertatem largissimè, vt distinguitur contra coactionem: ita quòd potentia dicitur producere liberè id, quod non producit coactè, hoc est, contra suum velle. Et sic non distinguitur contra principium necessarium necessitate immutabilitatis. De hoc loquitur S. Bonauentura quæst. 8. huius distinctionis, dicens. Cùm duplex sit necessitas; coactionis, & immutabilitatis: necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij; necessitas verò immutabilitatis non &c. Illo ergo modo idem est liberum, & voluntarium; & liberè producitur, quicquid producitur mediante voluntate. Sic si voluntas creata produceret aliquem actum necessariò, sicut velle respectu finis, secundùm quosdam; illum actum produceret liberè, non contingenter sed voluntariè.* Tum addit, præter illam quorumdam acceptionem libertatis largissimam; & minùs propriam, aliam esse strictam, & propriam, quâ libertas, inquit, accipitur à Theologis, *concorditer cum Philosophis, prout opponitur necessitati non tantùm coactionis, sed etiam immutabilitatis. Et hæc dicitur libertas contingentiæ. Sicque accipitur, quando est principium meriti, & demeriti. Nam per hæc quæ vitare non possumus nec meremur, nec demeremur.* Huc vsque Gabriel. Iuxta quæ, sensus Alensis loco citato est, liberum arbitrium largissimè sumptum pro voluntario, non tolli per necessitatem ineuitabilitatis; & conuenire Angelis tam bonis, quàm malis, etiam quoad ea, quæ necessariò, & ineuitabiliter faciunt. Quamuis strictè sumptum, & propriè, illis non conueniat circa eiusmodi; sed circa ea bona, vel mala, quæ ita volunt, vt possint non velle.

Frustra quoque adducit aduersarius in fauorem sui dogmatis hæc Alensis verba ex articulo proximè sequenti: *Dicendum est quòd liberum arbitrium commune est in his statibus. Nec est contrarium quod obiectum est: quia illa prima ratio libertatis est propria secundùm statum innocentiæ: & non dicitur illa libertas naturæ, quâ homo dicitur liber à coactione.* Nam his verbis respondet Alensis primo argumento sibi opposito ad probandum liberum arbitrium non fuisse commune homini in statu innocentiæ, culpæ, & gratiæ: quia scilicet *Libertas arbitrij est ab omni labe, & corruptela rationis immunis; atque voluntatis rectitudo, & omnium potentiarum animæ viuacitas. Sed secundùm hoc non conuenit in statu culpæ, vbi est corruptio labis & peccati, & curuitas voluntatis, & potentiarum ad mortem culpæ declinatio.* Respondet, inquam, Alensis, verbis suprà relatis, definitionem illam non esse libertatis naturæ, siue à necessitate; sed libertatis sumptæ secundùm aliquem statum accidentalem, qualis fuit in statu innocentiæ ante lapsum naturæ humanæ: Ideóque argumentum illud non probare liberum arbitrium, sumptum pro facultate naturali ad agendum ex electione, non esse commune hominibus in triplici statu, innocentiæ, culpæ, & gratiæ. Porrò quòd per liberum

7. *Quo sensu ait libertatem non esse communem statui culpæ & innocentiæ.*

à coactione, intelligat liberum à necessitate; cùm ait libertatem naturæ illam esse, *quâ homo dicitur liber à coactione*, quódque affirmet potestatem eligendi inesse homini in statu illo triplici, euidenter liquet ex duobus argumentis, quibus suam sententiam confirmat. Productis enim tribus argumentis pro parte negante, quæ posteà soluit: alia duo opponit pro parte affirmante, quam sequitur, illísque semper liberum arbitrium per eligendi potestatem exponit. *Contrà*, inquit, *sicut homini in primo statu fuit flexibilitas, vel vertibilitas secundùm electionem: ita & in statu culpæ, & in statu gratiæ. Sed in quo est vertibilitas secundùm electionem communis, est in eo liberum arbitrium commune. Ergo in hoc triplici statu est liberum arbitrium commune. Item liberum arbitrium datum fuit in statu innocentiæ: nec per peccatum perdidit quin posset emendare peccatum per pœnitentiam, vel in peccato perseuerare. Ergo non perdidit liberum arbitrium.* Quod confirmat auctoritate D. Augustini seu potiùs Gennadij lib. de Eccles. dogmat. *Postquam*, inquit, *seductione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, & arbitrij vigorem: non tamen electionem, ne non esset suum, quod emendaret peccatum; nec meritò indulgeretur, quod non liberum arbitrium diluisset. Ergo liberum arbitrium commune est in statu innocentiæ, & in statu culpæ.* Hæc vel non legit aduersarius, vel non nisi malâ fide produxit tanquam sibi fauentia, cùm validissimè causam ipsius destruant.

8. *Coactionem latè sumit pro necessitate.*

Alia quæ addit ex eodem art. 4. de libertate Christi; & membro 4. de modo, quo Deus voluntatem mouet ad actus liberos; déque æqualitate arbitrij in omni statu; sunt eiusdem generis cum præcedentibus, & ex dictis facilè solui possunt. Nituntur enim semper eodem coactionis æquiuoco, quam impropriè ab illo sumi pro necessitate ad vnum determinante, patet ex iisdem locis, & ex illis, quæ tradit alibi; vt p. 1. q. 26. memb. 4. art. 3. vbi postquam dixit *Deum dedisse libero arbitrio vt consentiat vel non consentiat bono; & ipsi malo consentiat, si velit:* addit in fine eiusdem art. *Deum non prædeterminare ea quæ sunt in nobis* (id est, in nostra libera potestate) *quia non compellit ipsam virtutem, id est, non cogit liberum arbitrium ad faciendum hoc vel illud.* Vbi *cogit*, sumit pro, *prædeterminat*, vt ex antecedentibus manifestum est: dicit enim Deum non cogere, quia non prædeterminat. Et confirmatur ex quæst. 40. membro 4. ad 3. vbi dicit *voluntatem beneplaciti esse respectu bonorum dupliciter: aut cum prædeterminatione; vt eorum quæ non sunt in potestate arbitrij: & hæc sunt alligata necessitati. Aut sine prædeterminatione: & hoc modo est bonorum, quæ sunt in potestate arbitrij. Sic enim vult Deus illa bona, vt relinquat nostræ facultati & voluntati, & non compellat.* Et 2. p. q. 29. memb. 1. a. 2. dicit liberum arbitrium seipsum agere, & mouere, habetéque dominium in suos actus. Et tum ibidem, tum art. 3. & q. 73. 74. & 75. pluribus locis, necessitatem antecedentem ab illo excludit, eiusdémque indifferentiam ad actus contingentes, & liberos commendat.



SECTIO III.

Quid senserit Guillelmus Parisiensis?

Qvæcvmqve ex illo profert aduersarius, cò spectant (sicut ipse profitetur) vt ostendat non aliud ab eo postulari ad libertatem arbitrij nostri, quàm vt aliquid nostra voluntate fieri possit, non prohibente naturæ impossibilitate, cùm volumus; neque rapiente violentiâ, cùm nolumus. Sed non minor est eius in hoc auctore citando incuria, vel infelicitas, quàm in præcedentibus. Nam primo loco, quem producit ex lib. de Pœnit. cap. 2. docet hominem libertate arbitrij præditum esse. Vtque sciatur quid intelligat per libertatem arbitrij, quóve sensu illam accipiat, addit: *Hoc e[st] Ethnicorum, & mundanorum Philosophorum, qui de moribus scribere attentauerunt, testimoniis elucescere.* Ergo, vt rectè argumentatur Petau. lib. 5. de Opif. c. 10. huiusmodi libertas arbitrij à Guillelmo Paris. constituitur, quam Philosophi, qui de moribus scripsêre, cognouerunt, scriptísque tradiderunt: videlicet Plato, Aristoteles, & alij Philosophiæ mundanæ principes, quíque ab illis deinceps propagati sunt. At illi constanter, & vnanimiter non aliam liberi arbitrij notionem prædicant, quàm quæ à nobis asseritur, quámve idcirco aduersarij Aristotelcam, & philosophicam vocant. Nónne igitur manifestè præuaricantur, quando aduersus philosophicam notionem libertatis producunt auctorem istum profitentem se hanc ipsam tueri, & asserere, qualis est à Philosophis accepta, & qualem nobis inesse ex ipsorum testimoniis elucescit? 9. *Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 22.* *Eius oscitantia in citando Parisiensi.*

De eadémque loqui Guillelmum Paris. ostendunt verba sequentia, ab aduersario relata ex eodem cap. 2. *Si vel naturæ intentio, vel vis inuincibilis libertatem voluntatis hominum abstulisset; vana esset omnium legum institutio; nihil imputandum esset homini: cùm vel necessitate naturæ prohiberetur quò minùs faceret; aut in vinculum ratione inuitus ad faciendum traheretur. Quare nec malè, nec bene quicquam fieri posset ab homine. Superuacui etiam essent magistratus, & magisteria morum. Non enim agendum esset cum hominibus de morum suorum emendatione, sicut cum brutis animalibus, aut lapidibus. Cùm eos, aut impossibilitas naturæ premeret, aut violentia raperet ad agendum.* Quis non videt hæc omnia incommoda æquè locum habere, non modò si hominum voluntates physicè cogerentur, quod est impossibile; sed etiam si antecedenti necessitate adigerentur ineuitabiliter ad volendum quod volunt, aut nolendum quod respuunt? Ad quid enim leges præcipientes, aut prohibentes, si hominibus est impossibile facere, quod præcipiunt; vel abstinere ab eo, quod prohibent? est autem impossibile facere, si necessitate antecedente ad vtrumq; astringuntur. Quo etiam iure imputabitur illis bonum, aut malum quod faciunt? cùm, vt rectè ait Augustinus lib. de duabus animabus cap. 11. & 12. omnibus notum sit neminem esse vituperatione, suppliciôve dignum; qui id non faciat, quod facere non potest: & hoc adeò sit manifestum, vt nulla doctorum paucitas, nulla 10. *Huius testimonia pro libertate indifferentiæ.*

indoctorum turba dissentiat: quemadmodum addit lib. de vera relig. cap. 14. Quid proderit cura, & sollicitudo magistratuum, & superiorum quorumcunque in emendandis moribus, & exhortandis, promouendísque hominibus ad virtutem: si antecedenti necessitate sunt ad oppositum determinati? Quare meritò D. Thom. quæst. 6. de malo art. vnico affirmat eos, qui dicunt voluntatem hominis ex necessitate moueri, tametsi non cogatur, *subuertere omnia principia philosophiæ Moralis. Si enim non sit aliquid liberum in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus & vituperium.* Sensus ergo Guillelmi Paris. est, quòd si vel naturæ intentio, vel vis inuincibilis, id est, si necessitas vel à naturâ ipsâ, vel aliunde inducta, & siue violenter agens, siue ineuitabiliter astringens, determinánsque antecedenter voluntatem, nobis libertatem eriperet; sequerentur incommoda, quæ recenset. Quod verissimum est; sufficit enim alterutrum ad importanda hæc omnia incommoda, vt omnibus notum esse affirmat August. locis suprà citatis.

11. Neque magis fauet aduersario quod addit consequenter ex eodem lib. *Inquirens (* inquit Guillelmus *) anima rationalis inquisitione perscrutatâ, & interrogans seipsam vtrum liberum sit ei facere bene vel malè; vel vtrum voluntariè operetur, & voluntariè declinet opera? Respondebit se nullatenus trahi ad operandum, nisi voluntate, & se non desistere ab omnibus operibus nisi voluntate. Non quæres igitur extra teipsum an tui iuris, & tuæ voluntatis sis, an tibi subditus sit tuæ voluntatis consensus, vt in illud quod te stimulat, ipsum declinare possis si velis, aut ab eodem auertere si velis.* Quid enim est in eiusmodi verbis, quod non potiùs grauiter noceat aduersario, libertatémque commendet indifferentiæ? Quid aliud hæc significant, liberum esse animæ rationali, bene vel malè facere, voluntariéque operari, aut abstinere ab operando: esse sui iuris, & suæ voluntatis: id est, operari ex dominio, & prout vult: habere sibi subditum voluntatis suæ consensum; & quò stimulus impellit, posse declinare si velit, aut procul aliò se auertere? Nec obsunt quæ addit de consuetudine. Nam si tanta est illius vis, vt ei prorsus nequeamus resistere: tametsi facimus libenter illud, ad quod pertrahit, si facimus delectabiliter, vt ait Guillelmus: liberum tamen non est, & imputabile, quod ita fit; vt ipse suprà docuit, iterúmque docet in lib. de Virtutibus cap. 9. *In quibusdam,* inquit, *liberum est ei consentire vel dissentire, credere vel discredere: & propter hoc circa illa imminet ei bonitas vel malitia, laus & vituperium, meritum, & demeritum, atque tandem pœna & præmium.*

12. *Sumit interdum, liberè, pro libenter.* Eodem cap. verbis consequenter relatis ab aduersario, affirmat quidem voluntatem non posse cogi physicè ad volendum vel ad nolendum; quia non potest velle aut nolle, nisi ex se actum suum eliciendo; & eam velle liberè quicquid vult, quia non potest velle prorsus inuita, & simpliciter coacta. Sed sumit ibi *liberè*, latiùs, pro *libenter*; vt suprà diximus fecisse Bonauenturam, & Alensem num. 6. Quòd autem ibidem affirmet, non modò coactionem, sed etiam simplicem necessitatem repugnare libertati, patet manifestè ex eo, quòd negat eadẽ causa ceteras vires præter vnam voluntatem tam in nobis, quàm in brutis animalibus, liberas esse; quia subsunt necessitati in suis operationibus; licèt non eas eliciant physicè coactæ, & violenter: neque enim minùs implicat intellectum v.g. aut appetitum sensitiuum simpliciter coactum, id est, nihil actiuè conferentem, sed quantum potest resistentem, intelligere, aut appetere: quàm voluntatem prorsus inuitam velle. *Scio,* inquit, *quia ceteras vires mouet, & impellit necessitas, tam in nobis, quàm in brutis animalibus. Et hoc est videre per singula. Vis enim nostra intellectiua necesse habet consentire primis impressionibus, & primis principiis, & propositionibus, quæ vocantur communes animorum conceptiones, & dignitates. Similiter & consequentiis syllogismorum, & etiam conclusionibus eorum, postquam consenserit propositionibus eorum. Non enim est contradicere ad interius rationem, sicut dicit Aristot. Quia igitur in talibus non est liberum virtuti nostræ intellectiuæ consentire, vel dissentire; similitérque neque in oppositis eorum: manifestum est eam necessitati subditam, & obnoxiam esse in parte ista.* Quare ex mente istius Doctoris, necessitas excludens libertatem, est illa, quæ ad vnum determinat, tollítque potestatem ad oppositum: ideóque vis nostra intellectiua non est libera, quia non potest consentire, vel dissentire, sed est subiecta necessitati assentiendi, vel necessitati dissentiendi, prout verum, aut falsum appàret id, quod illi obiicitur. Ergo similiter voluntas non esset libera, si non posset consentire, vel dissentire; sed subiaceret necessitati consentiendi, aut necessitati dissentiendi bono vel malo sibi proposito. Eandémque ob causam docet sensus externos non esse liberos, quia ad suas operationes determinati sunt, neque possunt aliter operari. *Non enim,* inquit, *liberum est visui iudicare album alterius modi esse, quàm album; neque tactui de frigido, vel calido, aut de quocunque aliorum sensatorum suorum, aliter iudicare, quàm prout ab eo recipit, aut patitur.* Et inferiùs addit, brutas quoque animantes libertate carere; *quia non est in eis virtus, vel vis aliqua, quâ passiones repellant, & consentaneas affectiones, cùm viderint delectabilia, vel terribilia sibi.*

Denique in lib. de Vitiis, & peccatis cap. 10. cùm ait, *secundum errorem illorum, qui dicunt omnia ex necessitate fatali euenire, non esset necesse, vt propter hoc nemo peccare possit, aut bene agere, &c.* Intelligit ex suppositione, quòd (vt ipse, & alij pauci existimarunt) mens illorum fuerit, astra non inducere necessitatem ineuitabilem: sed tantùm vehementem inclinationem, cui tamen voluntas, & generosa virtus possit resistere, quamuis adeò difficilè, vt moraliter dicatur impossibile. De qua impossibilitate intelligenda sunt cetera, quæ ex eodem cap. referuntur, quódque addit inferiùs, illam non impedire ne peccatum sit voluntarium, id est, liberum; tametsi voluntas non potest moraliter aliud agere, aut velle. Necessitas enim quæ non aufert operi quin sit voluntarium, & quin sit à voluntate, vt voluntas est, quam impossibile est non esse liberam, vt sic, non aufert culpam: id est, non excusat omnino à culpâ: quia non facit vt voluntas non potuerit absolutè resistere, adeóque non liberè consenserit: quamuis moraliter

13. *Quo sensu ait fatalem necessitatem non tollere libertatem.*

necessitata fuerit ad consensum, tam vehementi inclinatione, cui non nisi difficillimè potuit obsistere. Cùmque ibidem ait, Deum esse liberum, tametsi necessariò semper bene agit, neque potest malè velle: quia nihil violenter ipsum impellit ad bene agendum, aut auertit à malè agendo: intelligit Deum esse liberum circa bona, quæ extra se potest facere vel non facere; & efficaciter velle, aut nolle: supponítque Deum circa illa non modò violentiam non pati, quæ à nullo alio potest ipsi inferri; sed neque etiam à seipso necessitatem habere ea volendi, & faciendi, ita vt non potuerit ab illis creandis abstinere si voluisset. Quanquam enim semper necessariò bene agit, neque potest malè velle: id est, si quid agit, non potest nisi bene agere; & si quid vult, non potest nisi bene velle; & ita quoad specificationem est necessitatus ad bonum: liber tamen est quoad exercitium ad volendum & agendum, quidquid extra se vult & agit: ita vt ab illo volendo efficaciter, & agendo abstinere potuerit. Quòd sine magna absurditate, & impietate negari nequit: idque si negant aduersarij, volúntque prædictum auctorem affirmâsse Deum non aliter esse liberum, nisi quia non cogitur, licèt alioquin ex naturali necessitate faciat quidquid operatur; pessimè de vtroque sentiunt, & in hæresim Wicleffi incidunt. Plura de huius loci expositione videri possunt apud Petauium loco suprà citato: puto hæc pauca intelligenti sufficere.

SECTIO IV.

Quid sentiat Altisiodorensis?

14. *Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 23.* EX Guillelmo Altisiodor. opponitur, quod ait lib. 2. Summæ tract. 11. quæst. 3. triplicem esse libertatem: videlicet à necessitate, à peccato, & à miseria. Et libertatem à necessitate vnam esse à necessitate ineuitabilitatis: alteram à necessitate coactionis extrinsecæ; *& hæc est in omni habente liberum arbitrium.* Et paulò pòst: *Patet ergo, quid sit libertas arbitrij.* Et inferiùs: *Dicimus quòd hæc facilitas, siue habilitas, potentia, libertas prædicta est, quæ est sine coactione in omni habente liberum arbitrium.* Aduersarius perperam legit *quia*, pro *quæ*; si tamen bona fide vnum pro altero supposuit.

15. *Altisiodor. sumit liberum latè pro voluntario.* Respondeo Altisiodorensem latiùs ibi sumere libertatem, & liberum, pro voluntario quomodocunque. Vt enim iampridem rectè notauit Gabriel in 2. dist. 25. art. 1. & nos suprà retulimus, *Theologi quandoque libertatem accipiunt largissimè, vt distinguitur contra coactionem: itáque potentia dicitur producere liberè id, quod non producit coactè: hoc est contra suum velle. Et sic non distinguitur contra principium necessarium necessitate immutabilitatis.* Eodémque sensu addit inferiùs Altisiodorensis: cùm duplex sit necessitas; coactionis, & immutabilitatis; necessitatem coactionis repugnare libertati arbitrij: necessitatem verò immutabilitatis non ei repugnare: sumpto videlicet in illa significatione amplissimâ: secundùm quam (vt addit paulò pòst) *idem est liberum, & voluntarium; & liberè producitur, quicquid producitur mediante voluntate.*

16. Quanquam autem prædictus auctor breuiùs, & obscuriùs more suo de libertate loquitur æquè ac de rebus aliis: significat tamen ad illam quæ meriti vel demeriti, & laudis specialis, aut vituperationis principium est, id est, ad libertatem strictè, & propriè sumptam, de qua nunc disputamus, indifferentiam requiri, seu potestatem ad opposita: quando in eodem tract. quæst. 1. docet hominem, qui rectè vtitur libero arbitrio, posse illo abuti; & quando bene facit, posse à bono opere abstinere, si velit: sicut etiam quando à malo abstinet, posset illud amplecti, si vellet: indéque nasci laudem illam Ecclesiastici, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino.* Et quæst. 2. definit liberum arbitrium esse *potentiam eligendi, seu consentiendi in alterum deliberatorum, vel consiliatorum:* id est, in alteram partem earum, quæ per deliberationem intellectus expensæ fuerunt: seu de quibus præcessit consultatio, & deliberatio; quæ, vt alibi ostendimus, & per se manifestum est, non habet locum vbi necessitas ad vnum adstringit. Nemo enim consultat, aut deliberat de iis, quæ aliter se habere non possunt. *Clarè adstruit libertatem indifferentiæ.*

SECTIO V.

Quid senserit S. Thomas.

IDEM S. Doctor, quem nobis post Altisiodorensem opponit aduersarius, tam parum illi fauet, vt quæst. 6. de Malo, eius sententiam hæreticam esse pronunciet, & absurdam in morali Philosophia, cuius omnia principia destruit. Titulus illius quæstionis est, *Vtrum homo habeat liberam electionem suorum actuum, aut ex necessitate eligat?* Cui respondens in corp. art. dicit quosdam existimasse, *voluntatem hominis ex necessitate moueri ad aliquid eligendum, ita tamen, vt non cogatur. Neque enim omne necessarium est violentum: sed solùm id cuius principium est extrà.* Ita planè sentiunt aduersarij. Pergit Diuus Thomas suum de illa sententia iudicium sic exprimens: *Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse demeritorium, vel meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, vt vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones: quia non solùm contrariatur fidei; sed subuertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit aliquid liberum in nobis, sed ex necessitate mouemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.* Hæc ibi Diuus Thomas, & alia plura in eandem sententiam, ad quæ malo lectorem remittere, quàm totam illam quæstionem transcribere. Quis autem non miretur ausos esse aduersarios D. Thomam inter patronos suæ opinionis adsciscere, quam verbis adeò disertis, & nitidis hæreticam esse affirmat? 17. *S. Thom. damnat hæresis nouum dogma.*

Neque minùs perspicuè docet alibi sæpius non esse libertatem, vbi est agendi necessitas; sed propriam eius rationem consistere in facultate indifferenti ad actus contingentes. Vt 1. p. quæst. 19. art. 10. in corp. vbi affirmat liberum arbitrium haberi tantùm respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Ibidémque addit Deum non liberè amare seipsum, quia se amat necessariò: sed esse libe- 18. *Eiusdem testimonia pro libertate indiffer.*

liberum ad ea, quæ contingenter, seu non necessariò vult extra se. Quod idem, & iisdem ferè verbis dixerat in 2. distinction. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2. vbi sic habet: *Ad libertatem arbitrij pertinet vt actionem aliquam facere, vel non facere possit. Et hoc Deo conuenit. Bona enim quæ facit, potest non facere.* Et quæstione decima-sexta de Malo, articul. 5. c. *Deus*, inquit, *tanquam proprium finem naturaliter vult suam bonitatem, nec potest non velle eam. Sed quia ad bonitatem eius ordinari possunt diuersi modi, & ordines rerum; voluntas eius non sic fertur ad vnum in suis effectibus, quin, quantum est de se, possit ferri in aliud. Et secundum hoc competit Deo libertas arbitrij.*

19. Rursus 1. p. quæst. 83. art. 3. c. *Proprium*, inquit, *liberi arbitrij est electio. Ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus vnum recipere, alio recusato, quod est eligere.* Electio autem, vt idem Sanctus Doctor addit 1. 2. q. 13. art. 2. c. *necessariò est respectu plurium, quæ eligi possunt: & ideò in iis, quæ sunt penitùs determinata ad vnum, electio locum non habet.* Et q. 2. de Potentia art. 3. c. *Voluntas, in quantum voluntas, cùm sit libera, ad vtrumlibet se habet. Potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic facere, velle & non velle. Et si respectu alicuius hoc voluntati non conuenit, hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid; sicut ad finem vltimum, quem non potest non velle.* Et quæstione 24. de veritate art. 3. postquam affirmauit in corp. liberum arbitrium esse in Deo, & in Angelis: sibique obiecit liberum arbitrium esse potentiam ad actus oppositos: & Deum non se habere ad opposita, cùm sit immutabilis, nec in malum flecti possit: ideóque videri non habere liberum arbitrium: Respondet in hunc modum: *Dicendum quòd voluntas diuina se habet ad opposita, non quidem vt aliquid velit, & postea nolit, quod eius immutabilitati repugnaret: nec vt possit velle bonum & malum; quia defectibilitatem in Deo poneret: sed quia potest hoc velle, & non velle.* Alia plura eiusdem S. Doctoris testimonia ex singulis propemodum eius operibus refert Didac. Ruis disp. 49. de Scientia Dei sect. 2. Estque notandum D. Thomam non hæc obiter dicere, sed ferè in omnibus quæst. cit. agere ex professo de libertate Dei, vel creaturarum, eámque semper in indifferentia, seu potestate ad opposita constituere.

20. *Tria genera testimoniorum in contrarium.* Quæ autem in contrarium opponuntur ab aduersariis, ad tria genera reuocari possunt. Vnum est eorum, quibus D. Thomas affirmat liberum arbitrium opponi tantùm coactioni. Cuiusmodi est quod ait in 2. dist. 21. art. 4. *Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium dicitur ex eo quòd cogi non potest.* Et q. 24. de veritate art. 10. ad 7. *Liberum arbitrium, secundùm quod dicitur liberum à coactione, non suscipit magis & minus.* Et 1. p. quæst. 83. art. 2. ad 3. dicit *hominem peccando liberum arbitrium perdidisse, non quantum ad libertatem naturalem, quæ est à coactione: sed quantum ad libertatem, quæ est à culpâ, & à miseriâ.* Alterum est eorum, quibus docet simplicem necessitatem non repugnare libertati voluntatis. Vt quæst. 10. de Potentia art. 2. ad 5. vbi sic habet: *Naturalis necessitas, secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, vt felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt August. docet in 5. de Ciuit. Libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur. Non est autem violentia, aut coactio in hoc, quòd aliquid secundùm ordinem suæ naturæ moueatur. Vnde voluntas appetit liberè felicitatem, licèt necessariò appetat illam, &c. Sic autem & Deus suâ voluntate liberè amat seipsum, licèt de necessitate amet seipsum. Liberè ergo Spiritus sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate.* Et in 2. distinct. 25. art. 1. ad 4. dicit Beatos habere liberam electionem circa visionem, & amorem Dei, quem tamen vident, & amant necessariò. Tertium est eorum, quibus affirmare videtur opus esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium, eo solo, quòd est voluntarium, & spontaneum, liberúmque à coactione, tametsi determinatum ad vnum. Vt in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. ad 3. vbi proposita sibi hac obiectione, Nullus peccat in eo, quod non potest vitare, vt ait August. ac proinde, nullus etiam meretur, vel laudatur de hoc, quod dimittere non potest: respondet in hæc verba: *Impotentia coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationem meriti, & demeriti; non impotentia, quæ est ex perfectione in bonitate, vel malitia: quia hoc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad vnum.* Et in 3. dist. 18. art. 2. ad 5. exponens quomodo Christus mereri potuit per liberum arbitrium determinatum ad vnum numero, scilicet ad diligendum Deum: *Dicendum*, inquit, *quòd etiamsi esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, siue meriti: quia in illud non coactè, sed sponte tendit: & ita est actus sui dominus.* Et in 2. dist. 25. art. 4. ad 4. dicit, *Nunquam liberum arbitrium ad peccandum compelli, seu cogi; quia iam sibi peccatum non imputaretur.* Quasi indicans hoc sufficere vt imputetur, quia non cogitur.

Ad hæc omnia, iam antea obiecta à Caluinistis in eundem finem, responderunt accuratè plures Doctores Catholici, Esthius in 2. dist. 24. §. 2. Pennot. lib. 1. Propugn. cap. 17. Scribon. in disputat. de libero arbit. quæst. 2. Didacus Ruis disput. 45. de Scientia Dei, & recentissimè plenissiméque Antonius Ricardus libro tertio Defensionis Censuræ cap. 1. sect. 2. Summa responsi est, D. Thomam iis locis, quibus libertatem opponit coactioni, sumere *coactionem* pro necessitate: vt fecère plerique alij Theologorum, *antequam* (vt Pennotus ait) *superuenientibus nouis hæreticis, opus fuit duplex hoc necessitatis genus pressiùs distinguere. Ex quo tempore nullus deinceps fuit inter Catholicos DD. qui admiserit solam coactionis exemptionem sufficere ad veram libertatis rationem constituendam.* Speciatim verò quòd D. Thom. locis citatis sumat coactionem pro necessitate, constare ex eo quod illâ ipsâ distinct. 25. quæst. 1. art. 4. vbi affirmat liberum arbitrium dici ex eo quòd cogi non potest: addit immediatè pòst, coactionem esse duplicem: vnam compellentem, aliam inducentem, siue impellentem. Et priorem quidè repugnare essentialiter libero arbitrio: quippe quod, vt dixerat art. 2. eiusdem quæst. neque subiecto cogi potest, cùm non sit organo affixũ, id est, sit potentia immaterialis; neque obiecto, 21. *Explicatur primum genus testimoniorum de coactione.*

quia quantumcunque aliquid ostendatur ei esse bonum, in potestate eius remanet eligere, vel non eligere. Itaque illud *non cogi*, est *non necessitari*, siue non determinari ad vnum; sed habere potestatem amplectendi, vel non amplectendi bonum sibi propositum. Et eodem art. 2. ad 5. exponens quomodo coactio illa compulsiua non cadat in liberum arbitrium ex parte subiecti: dicit *corpora calestia non habere virtutem coactiuam sufficienter super libero arbitrio, quia homo sapiens dominatur astris, & per sapientiam suam potest vitare ea, ad qua astra disponunt.* Eodémque sensu quæst. 24. de Veritate art. 12. ad 12. sic ait: *Cupiditas non potest intelligi esse cogens absolutè liberum arbitrium; quia potest illi resisti, licèt cum difficultate.* Itaque coactio de qua loquitur Diuus Thomas, est illa, quæ tollit potentiam ad oppositum: id est, necessitas ad vnum ita determinans, vt ei resisti non possit.

22. *Exponuntur testimonia secundi generis de lubentia.* Aliis verò locis quibus docet simplicem necessitatem non repugnare libertati voluntatis, respondent iidem Doctores, eum ibi sumere libertatem voluntatis pro spontaneitate, seu lubentia, opposita coactioni; illámque distinguere à libero, quod est potentia ad vtrumlibet. Id ita esse rectè probat Ricard. quia alioqui D. Thom. sibi apertè contradiceret. Nam verbis relatis ab aduersar. ex q. 10. de potentia art. 2. ad 5. dicit naturalem necessitatem, secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, non repugnare libertati voluntatis: & voluntatem liberè appetere felicitatem, licèt necessariò appetat illam: Deum quoq; suâ voluntate liberè amare seipsum, & Spiritum sanctum liberè procedere, quamuis necessariò. At in Súma, 1. p. q. 19. art. 10. c. dicit *liberum arbitrium haberi tantùm respectu eorum, qua non necessariò volumus, vel naturali instinctu: adeóque non pertinere ad liberum arbitrium quod volumus esse fœlices*, & Deum non habere liberum arbitrium respectu eorum quæ necessariò vult, puta respectu suæ bonitatis, quam amat necessariò. Eandémque ob causam ibid. q. 41. art. 2. c. dicit Filium non produci à Patre per liberum arbitrium, quia naturali necessitate producit, non vt voluntas, sed vt natura est: quæ ratio idem concludit de Spiritu sancto æquali necessitate producto. Hæc certè loca D. Thomæ conciliari nequeunt, & à manifesta contradictione absolui, nisi dicamus eum distinguere liberam voluntatem, & liberum arbitrium: itémque liberè velle, & velle ex libero arbitrio. Quam distinctionem apertissimè tradit q. 24. de verit. art. 1 ad 20. vbi affirmat habere nos liberam voluntatem respectu finis vltimi, *quia necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnat, secundùm August. 5. de Ciuit.* Negat autem habere nos liberum arbitrium respectu eiusdem finis vltimi, *quia non cadit sub electionem.* Quare iuxta eius mentem, aliud est libera voluntas, quæ compatitur necessitatem; & aliud, liberum arbitrium, quod illam non compatitur, sed circa ea tantùm versatur, quæ sub electionem cadunt. Estque notandum D. Thomam tum locis cit. tum alibi, vt q. 22. de verit. art. 5. ad 1. & ad 3. & q. 23. art. 4. non dicere necessitatem naturalis inclinationis non repugnare libertati arbitrij vel electionis: sed tantùm, non repugnare libertati, id est, lubentiæ voluntatis, prout scilicet lubenter & non coactè operatur. Quod verò ait in 2. dist. 25. art. 1. ad 4. Beatos habere liberam electionem circa visionem, & amorem Dei; non est intelligendum de visione, & amore essentiali beatitudinis, necessario, & inuariabili: quasi verò Beati, lumine gloriæ instructi, videant Deum ex electione: sed vel de actibus formaliter reflexis supra visionem, & amorem beatificum, quos liberè, & non necessariò exercent Beati: possunt enim intellectus & voluntas liberè & contingenter se reflectere supra suos actus necessarios, eos intuendo, approbando, & amando: vel potiùs de visione, & amore attingente in Deum nonnulla, quæ interdum Beati liberè in ipso vident, & amant, actibus distinctis à visione & amore beatifico, pendentibúsque à liberâ voluntate, seu electione ipsius Beati; Deo eius desideriis obsecundante, séque ipsi de nouo reuelante eatenus, vel illa in seipso intuenda obiiciente, vt fusiùs exponit Ricard. sectione citata §. 1. & confirmat variis D. Thomæ testimoniis.

D. Thomas distinguit libertatem, & liberum arbitrium.

Denique quando idem S. Doctor videtur affirmare opus esse dignum laude vel vituperio, meritorium vel demeritorium, eo solo quod est voluntarium, & spontaneum, liberúmque à coactione, tametsi determinatum ad vnum: vel non loquitur ex proprio sensu, sed aliorum ita respondentium argumentis, quibus ipse ibidem aliam solutionem adhibet: vt exponunt Pesantius, Cabrera, & quidam alij: vel potiùs, vt ait Ricardus suprà §. 3. loquitur in primo & secundo loco de Christo, & Beatis ita confirmatis in bono, & determinatis ad bonum in genere, vel in specie, aut etiam ad hoc vnum numero ex parte obiecti; vt tamen habeant indifferentiam ex parte actus quoad eius exercitium. Nam ex eodem D. Thoma q. 22. de Veritate art. 6. *Cùm voluntas dicatur libera in quantum necessitatem non habet: libertas voluntatis in tribus consideratur: scilicet quantum ad actum in quantum potest velle, vel non velle: & quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc, vel illud, & eius oppositum: & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum vel malum.* Itaque libertas ad meritum sufficiens stare potest cum determinatione ad vnum ex parte finis, id est, ad bonum; atque etiam ex parte obiecti, circa bonum genericè, vel specificè, imò etiam numericè: dummodo maneat indifferentia voluntatis ex parte actus, ita vt possit illud velle, aut non velle. Vnde concludit S. Doctor, quòd etiamsi Christus determinatus fuisset ad vnum numero obiectum (quod tamen non fuit, cùm, vt ipse ait 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. *Licèt eius voluntas esset determinata ad bonum; non tamen erat determinata ad hoc, vel ad illud bonum: Et ideo pertinebat ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono.*) Quamuis inquam fuisset determinatus ad vnum numero obiectum: adhuc tamen locus fuisset merito, quia erat liber quoad exercitium, & *actus sui dominus*, id est potens illum exercere, & ab eo abstinere. Nam, vt idem ait lib. 1. contra Gentes cap. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum.*

23. *Explicantur alia tertij generis testimonia de actibus meritoriis.*

24. Nec obest quod idem addit loco citato in obiect. fore locum merito Christi, non obstante determinatione ad vnum numero, *quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.* Nam, vt rectè ait, solidéque probat Ricardus vbi suprà, per illud *sponte, & non coactè*, excludit necessitatem agendi; vt patet ex libro 1. contra Gentes cap. 88. vbi sic probat liberum arbitrium conuenire Deo: *Liberum arbitrium dicitur respectu eorum, quæ non necessitate quis vult, sed propriâ sponte. Deus autem alia à se non ex necessitate vult. Deo igitur liberum arbitrium habere competit.* Vbi per *necessitatem*, intelligit etiam illam quæ est ab intrinseco: iuxta id quod ait 1. p. quæst. 19. art. 10. simili argumento probans Deo conuenire liberum arbitrium: *Dicendum*, inquit, *quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum, &c. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate: respectu illorum quæ non necessitate vult, liberum habet arbitrium.* Eodémque sensu coactionem, & compulsionem sumit postremo loco in obiectione citato, quando dicit, *Liberum arbitrium nunquam ad peccandum compelli, seu cogi, quia iam sibi peccatum non imputaretur:* nimirum pro coactione, seu compulsione simplici, excludente potentiam ad oppositum, saltem ex parte actus, & inducente necessitatem exercitij, ita vt nequeamus abstinere ab actu peccandi.

SECTIO VI.

Quid senserint Scotus, & S. Bonauentura?

25. *Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 25.* EX Scoto plura opponuntur testimonia, desumpta ex Quodlibet. 16. quibus docet libertatem voluntatis consistere cum necessitate: & voluntatem, siue necessariò, siue contingenter agat, semper agere liberè: Deúmque liberè velle suam bonitatem, quamuis necessariò velit. Ad quæ omnia iampridem à Caluinistis obiecta respondit Putean. tom. 1. in 1. 2. quæst. 10. dubit. 2. Scotum ita locutum esse, sumendo latiùs nomen libertatis prout coincidit cum spontaneitate. Sicque illum intelligunt, & sequuntur nobiles eius discipuli, Cardinalis Aureol. in 1. dist. 1. cap. 3. art. 3. & Maironis ibidem distinct. 10. quæst. 1. diffic. 2. vbi iuxta doctrinam Scoti distinguit inter liberum, & liberum arbitrium: aitque liberum sumi pro voluntario, & spontaneo: liberum verò arbitrium *esse precisè circa illa, circa quæ voluntas potest aliter se habere, scilicet circa contingentia.* Et paulò pòst addit: *Habere se ad opposita est conditio liberi arbitrij, vt addit supra libertatem.*

Scotus distinguit liberum, & liberum arbitrium.

26. *Liberum arbitrium describit per indifferentiam.* Aliis verò locis, vbi Scotus strictiùs, & magis propriè sumit libertatem, & liberum, pro arbitrio libero; & velle liberè, pro velle ex libero arbitrio: clarè docet ad hoc requiri potestatem indifferentem ad opposita. Vt videre est in 1. dist. 39. quæst. vnic. §. *De secundo dico,* vbi affirmat voluntatem liberè operantem, *consideratam in illo instanti in quo est prior naturaliter actu secundo,* id est, liberâ volitione, *ita ponere illum actum in esse, tanquam effectum suum contingenter; quòd, vt prior naturaliter, posset æquè ponere aliud oppositum in esse.* Et in 2. dist. 25. q. vnic. §. *Dico ergo,* pluribus argumentis probat voluntatem nostram esse de se indifferentem ad opposita, ita vt euitare possit quodlibet eorum: & hanc esse vim propriam voluntatis liberè agentis, vt tanquam potentia actiua à nullo alio prædeterminetur, sed determinet seipsam contingenter, & euitabiliter, ad vnum oppositorum: ita vt illo ipso instanti, quo se determinat ad vnum, possit non se determinare ad illud, sed ad aliud. Et distinct. 37. q. 2. §. *Respondeo si Deus.* Non est, inquit, iustitia debita à voluntate creata (dum peccat) nisi in quantum in potestate eius est rectè agere. Et in 3. dist. 18. quæst. vnic. §. *Ad aliud respondetur,* de voluntate liberè operante sic ait: *Voluntas in primo instanti, vt prior naturâ actu suo, ita contingenter elicit actum, ac si per diem præcessisset actum.*

Ex Bonauent. opponit varia loca, præsertim in 2. distinct. 25. quibus docet naturalem, & essentialem arbitrij libertatem in eo consistere, quòd sit liberum à coactione extrinseca, non autem à simplici necessitate; actúmque liberi arbitrij, vt liberum est, non solùm posse versari circa necessarium; sed etiam esse necessarium in seipso. Iisdémque locis abusi erant Caluinistæ, vt videre est apud Esthium in 2. distinction. 25. §. 2. quibus ipse respondet verbis eiusdem Doctoris Seraphici quæstion. 2. distinct. citat. §. *Respondeo ad arg.* Vbi dicit *liberum arbitrium dupliciter posse considerari: aut secundum quod liberum: aut secundum quod deliberans.* Et quatenus liberum est, concedit esse posse respectu voluntarij, sicut patet, inquit, in Deo, & in Christo, & in Angelis, & in hominibus beatis: quia licèt in illis habeat necessitatem immutabilitatis, non tamen coactionis. Quatenus autem deliberans, non est, inquit, nisi de contingenti; quia nemo deliberat de necessario, & impossibili. Quibus ex Bonauentura relatis, infert Esthius, ex hac distinctione satis apparere, quo sensu dixerit liberum arbitrium, quatenus liberum respicere etiam necessaria, & habere posse actum necessarium. Nam illud, *quatenus liberum,* non aliud est, quàm *quatenus voluntarium, & non coactum.* Itaque perinde est, ac si dicatur voluntatem, quatenus libera est à coactione, versari circa actiones etiam necessarias. Illud verò, *quatenus deliberans,* id est (vt ipse exponit) quatenus consilians, vtrum eligat, hoc an illud, intelligitur de libertate, quæ propria est libero arbitrio, vt tali. Huc vsque Esthius: cuius verbis malui respondere, quàm meis, quia illum magni facit aduersarius, & laudat pluribus locis. 27. *Iansen. lib. cit. cap. 26.*

Bonauent. distinguit arbitrium liberum, & deliberans.

Simili modo Bonauenturam explicauerat Gabriel ad eandem distinctionem 25. quæstion. vnic. articul. 1. cuius verba retulimus numero sexto. Summa illorum est, aliquando Theologos largiùs sumere libertatem prout opponitur coactioni; ita vt voluntas dicatur facere liberè quicquid non facit coactè: eóque sensu locutum esse Bonauenturam, quando dicit ne- 28. *Docet non peccari sine libertate indifferentiæ.*

cessitatem coactionis repugnare libertati arbitrij, secus autem necessitatem immutabilitatis. Sed aliter sumi à Theologis libertatem, concorditer cum Philosophis, prout opponitur necessitati, non tantùm coactionis, sed etiam immutabilitatis. Et hæc dicitur libertas contingentiæ. Sicque accipitur, quando est principium meriti, & demeriti. Nam per hæc quæ vitare non possumus, nec meremur, nec demeremur. Hactenus Gabriel cui quoad hanc secundam acceptionem liberi arbitrij, eiúsque necessitatem ad hoc vt peccatum vitari queat, planè consentit D. Bonauent. in 2. dist. 41. art. 2. q. 1. c. vbi affirmat, ne venialiter quidem peccari sine arbitrio libero per indifferentiam, ita vt possit non peccare. *Nemo*, inquit, *etiam venialiter peccat in eo, quod nullo modo potest prohibere, nec etiam potuit precauere.* Et inferiùs ad 4. *Ex hoc patet*, inquit, *quòd si venialia rationem culpæ habent, hoc est quia à voluntate in particulari, & diuisim; vitari, & precaueri possunt*: licèt, vt ibidem addit, generaliter, & collectiuè non possint omnia vitari. Quo sensu dicit in responsione ad 2. intelligendum esse quod ait Augustin. *Quædam necessitate facta, sunt improbanda.* Loquitur enim, inquit, de necessitate venialium, non quantum ad hoc veniale, vel illud determinatè; sed generaliter quantum ad peccata venialia. Potéstque, vt addit ibidem, esse quædam necessitas in vniuersali, ita vt collectiuè omnia vitari non possint; & simul esse libertas in particulari ad hoc vel illud, ita vt dum committitur hîc & nunc, possit non committi. Eodem sensu stricto, & proprio sumit liberum arbitrium in 1. distinctione 38. artic. 2. quæst. 1. c. cùm sic ait: *Quidam dixerunt quòd præscientia, necessariò cùm sit infallibilis, imponit necessitatem: & ideò abstulerunt liberum arbitrium.* Nimirum, quia non potest stare cum necessitate determinante ad operandum. De qua sine dubio loquitur Bonauentura, quippe quam illi dicebant inferri à Dei præscientia, non autem coactionem physicam, quæ est impossibilis respectu actuum voluntatis, & impertinens ad saluandam infallibilitatem præscientiæ diuinæ, & denique repugnat experientiæ manifestæ, qua experimur nos ab intrinseco velle, & nolle ea, quæ volumus aut nolumus.

SECTIO VII.

Quid senserint Henricus à Gandauo, & Ricardus de Media-Villa?

29. Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 27.

EX Henrico opponit aduersarius id quod ait Quodlibet. 3. quæstion. 17. *Voluntatem dici liberum arbitrium, quia absoluta est ab omni coactione ipsam impediente, & contristante in sua actione. Et hoc modo omnem rationalem, & intellectualem naturam, liberi arbitrij, siue liberæ voluntatis esse; quia voluntas rationalis cogi non potest.* Eodem etiam modo voluntatem Beatorum liberam esse, quia sine coactione volunt quidquid volunt. Et generaliter in hoc consistere rationem libertatis, *quòd nulla coactio potest impedire quin in bonum vergat si velit, non impetu tantùm naturæ, quemadmodum appetunt bruta, sed desiderio, & complacentiâ voluntatis præcedente, & naturali impetu voluntatem concomitante.*

Respondeo Henricum loco primùm citato, expressè dicere duo requiri ad liberum arbitrium propriè dictum, & integrè consideratum. Vnum est, quòd voluntas sit expers coactionis in agendo: alterum, quòd sit *indifferens ad diuersa, & contraria, sine omni determinatione restringente ipsam ad alterum eorum.* Primum retulit aduersarius, tanquam sibi fauens. Secundum nescio quâ fide dissimulauit, quia sibi manifestè contrarium. Hoc autem ita esse liquet ex ipsis Henrici verbis integrè relatis, quæ sic habent: *Potest liberum arbitrium duplici respectu considerari. Vno videlicet, in quantùm respicit voluntatem vt elicientem actum volendi. Alio, in quantùm respicit obiectum vt terminum eius. Et secundùm vtrumque respectum iudicanda est ipsa arbitrij libertas: sed essentialiùs secundùm primum: quia est dispositio voluntatis vt subiecti, licèt in respectu ad obiectum, in quantùm tendit in ipsum per suam actionem. Si ergo consideretur liberum arbitrium primo respectu; sic dico quòd voluntas dicitur liberum arbitrium, quia absoluta est ab omni coactione ipsam impediente, & contristante in sua actione, &c. Si autem consideretur liberum arbitrium in secundo respectu: sic dico quòd voluntas dicitur libera, quia indifferens ad diuersa, & contraria, sine omni determinatione restringente ipsam ad alterum eorum.* Hæc Henric. qui cùm addit alia in obiectione relata ab aduersario, loquitur de libertate non integrè considerata quoad vtrumque respectum, secundùm quem de illa iudicandum esse ait: sed diminutè secundùm priorem duntaxat: quo dicitur latè, & minùs propriè liberum, quidquid est voluntarium; quódque est maximè voluntarium, dicitur esse maximè liberum. Vel etiam iuxta distinctionem suprà traditam à sancto Bonauentura, & ab Henrico eodem loco repetitam, loquitur de arbitrio vt liberum est, id est, voluntarium, & spontaneum: non autem vt deliberans, id est, electiuum: ad quod vt tale requiri indifferentiam voluntatis, & potestatem ad vtrumlibet, tam expressè docet Henricus ibidem, vt aduersarius id fateri cogatur in fine capitis vicesimi-septimi libri sexti de Gratia Christi, vbi eius testimoniis abuti conatus est. 30. *Quo sensu Henricus opponit libertatem coactioni?*

Eodémque sensu dicit in Summa, parte secunda, articulo quadragesimo-quinto, quæstione quarta, Dei amorem erga seipsum, & Beatorum erga Deum, liberum quidem esse priori modo, & respectu, quia voluntarium: sed non posteriori, quia non est ex electione, sed ex necessitate. *Voluntas Dei*, inquit, *est liberi arbitrij: & hoc non respectu suiipsius, sed respectu aliorum à se. Non respectu sui, quia in Deo, & in eis qui Deum vident apertè per speciem, non cadit electio vera de volendo Deum: & hoc ideò, quia in Deo videtur omne bonum, &c. Respectu autem creaturæ, & aliorum à Deo, est in voluntate Dei libertas arbitrij: non solùm quia liberè, & sponte ve-* 31. *Et Dei amorem esse liberum.*

sit alia à se, & non necessariò, necessitate quasi praueniente, aut subsequente, siue concomitante: neque etiam iudicio rationis determinante: sed quia velit ea voluntate determinante seipsam, & liberè alterum alteri praeferente. Ibidémque pronunciat liberum arbitrium partim ad rationem, partim ad voluntatem pertinere. Et prout pertinet ad rationem seu intellectum, *arbitrari* idem esse, ac *duobus vel pluribus propositis per indifferentiam respectu alicuius* (id est respectu finis) *alterum alteri praeferre respectu illius.* Prout verò pertinet ad voluntatem, consistere in eo, *quòd potest sequi arbitrium rationis, vel ipsi contrariari libera electione.* Liberum enim arbitrium, *quantùm pertinet ad voluntatem*, inquit, *nihil est aliud, quàm libera potestas voluntatis ad eligendum, hoc est, ad aliquid alteri praeferendum: vt nomine arbitrij nihil significetur nisi potestas voluntatis ordinata ad actum eligendi.*

32. *Exponit libertatem per indifferentiam.* Et Quodlib. 12. q. 26. *Praesentato aliquo*, (inquit) *sub duplici ratione, aequaliter potest voluntas se libertate arbitrij ad alterum determinare.* Et Quodlib. superiùs citat. quaest. 3. *Sic*, inquit, *voluntas libera dicitur, quia sui ipsius gratiâ mouet: non quia ab alio impellatur, vel inclinetur, vel determinetur: & hoc in genere causae mouentis.* Et Quodlibet. 12. q. 27. refutat eos, qui dicunt liberum arbitrium sequi necessariò iudicium rationis, amplectendo id quod melius iudicatum fuit: sufficeréque ad libertatis exercitium, quòd voluntas possit tale iudicium impedire, & aliò intellectum auertere. Refutat, inquam, hoc argumento: *quia ad hoc quòd aliquid dicatur esse verè ex libero arbitrio, oportet quòd sit à libero arbitrio vt à mouente proximè: & sic voluntas est domina suorum actuum:* id est, vt actus sequens iudicium, sit verè ex libero arbitrio, debet ipsemet ab illo vt tali, proximè, & immediatè procedere, vt indifferente scilicet, & potente ad oppositum: non autem vt necessitato, & determinato vi iudicij, & imperij rationis. Et denique, vt alia praeteream, Quodlibet. 1. q. 16. dicit eorum sententiam, qui (vt noui Dogmatistae) volunt liberum arbitrium in eo consistere, quòd sit expers coactionis externae, & violentiae, sed non simplicis necessitatis, *esse contrariam omni Philosophiae, non solùm Theologiae. Tollit enim omne meritum, deliberationem, consilium, admonitionem, exhortationem, & caetera huiusmodi:* quod duobus luculentis Diui Augustini testimoniis ibidem confirmat.

33. *Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 28.* Opponit ex Ricardo in 2. dist. 25. art. 2. q. 1. libertatem arbitrij in eo sitam esse, quòd sit omnino liberum à coactione: idcóque nullam creaturam posse auferre liberum arbitrium, quia non potest illud cogere: vt addit ibidem art. 4. q. 1.

34. *Ricardus distinguit arbitrium deliberatiuum, & liberum.* Respondeo Ricardum id dicere de libertate latè, & impropriè sumpta. Nam eadem distinctione art. 3. q. 2. distinguit liberum arbitrium in liberum latiùs, & minùs propriè sumptum pro voluntario: & liberum strictè ac propriè sumptum pro electiuo, seu deliberatiuo, quâ eâdem distinctione vidimus suprà vsos fuisse Diuum Bonauenturam, & Henricum Gandauensem. *Si consideretur*, inquit, *in quantum est liberum: sic omne bonum est obiectum eius, quia per ipsum possumus omne bonum liberè velle: etiam finem, loquendo de libertate à coactione: quamuis finem in generali velimus naturali necessitate, &c. si consideretur in quantum deliberatiuum: sic non omne ens est eius obiectum primum: sed tantùm ens operabile, vel disponibile per nos, &c. nullus enim deliberat de necessariis, eò quòd non possunt aliter se habere.* Et in solutione secundi argumenti propositi in haec verba, *Quod non est obiectum actus eligendi, non est obiectum liberi arbitrij: quia eligere est proprius actus liberi arbitrij. Sed electio non est finis, sed eorum quae sunt ad finem, secundum Philosophum 3. Ethic. capite 5. Ergo finis non est obiectum liberi arbitrij:* ac proinde falsum est omne bonum esse obiectum liberi arbitrij. Respondet maiorem propositionem veram esse quidem de obiecto liberi arbitrij, prout deliberatiuum est: secùs autem prout liberum. *Cùm dicitur*, inquit, *quòd illud, quod non est obiectum actus eligendi, non est obiectum liberi arbitrij: dico quòd verum est sub ratione quâ deliberatiuum: bene est tamen obiectum eius sub ratione quâ liberum.*

35. *Liber autem propriè dictam consistit in indifferentia.* At enim quòd iuxta Ricardum illa liberi arbitrij acceptio pro libero tantùm à coactione non sit propria, patet ex distinctione 38. eiusdem libri 2. sentent. artic. 2. quaest. 1. vbi dicit, praeter libertatem à culpa, & à miseria, duplicem aliam distingui posse: videlicet libertatem à coactione, & libertatem à naturali determinatione. Quarum prior, inquit, habetur etiam respectu finis: posterior, non nisi respectu eorum quae sunt ad finem. Additque, licèt voluntas velit liberè (primo sensu, id est, liberè à coactione) finem quem naturaliter appetit: tamen hoc non obstante, non esse propriè loquendo actum liberi arbitrij respectu finis. Nimirum quia libertas à sola coactione non est propriè libertas. Et vt addit ibidem ad id confirmandum: *Actus liberi arbitrij propriè dicti est eligere. Sed secundùm Damascenum oportet omnino consilium antecedere electionem, &c. Et secundùm Philosophum non consiliamur de fine. Sequitur ergo quòd actus liberi arbitrij propriè dicti non est respectu finis.* Itaque iuxta Ricardum, liberum arbitrium non est propriè tale, nisi prout deliberatiuum est, liberúmque non solùm à coactione, sed etiam à determinatione opposita indifferentiae: cuiusmodi est, non respectu finis vltimi, quem naturali necessitate appetit; sed respectu mediorum.

36. *Quid intelligat per actus humanos, quos omnes ait esse liberos.* Opponit praeterea ex eodem auctore distinctione vicesima-quinta, articulo tertio, quaestione 1. Omnes actus humanos esse actus liberi arbitrij: quia omnes actus humani, aut à libero arbitrio imperantur, aut eliciuntur. Respondeo eum intelligere per actus humanos, non quoscunque actus qui sunt in homine; sed tantùm illos, qui sunt hominis vt homo est. Isti enim soli sunt propriè humani: vt expressè ait quaest. citat. in corp. additque in solutione primi argumenti, actus naturales, qui sunt in homine, non dici propriè actus humanos, quia non sunt hominis in quantum rationalis est. Nimirùm quia, vt rectè dicunt, *Argentinas in 2. distinct. 25. artic. 2. §. Praeterea si voluntas:* Et Aristoteles 9. Metaphy-

ficæ, cap. 2. in eo differunt potentiæ rationales ab irrationalibus, quòd irrationales necesse est agere vel pati, quando actiuum vel passiuum appropinquat, rationales verò non est necesse. Et irrationales vna vnius actiua est, id est, determinatæ sunt ad vnum: rationales verò sunt contrariorum. Et in solutione quarti respondet, quamuis pueri, & insani habeant, *id quod est liberum arbitrium, scilicet potentiam intellectiuam, & voluntatem: quia tamen non habent vsum rationis, actus eorum non debent dici propriè loquendo actus humani.* Itaque per actus humanos non intelligit quoscunque actus, etiam ipsius voluntatis sponte elicientis; quales sæpe infantes, & amentes exercent: sed eos solùm, qui sunt hominis proprij, vt homo est. Vt enim rectè ait Diuus Thomas, (quem Ricardus solet imitari) *Actionum quæ ab homine aguntur, illæ solæ propriè dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis, quòd est suorum actuum dominus. Vnde illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem & voluntatem: vnde & liberum arbitrium dicitur esse facultas voluntatis, & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ autem aliæ actiones homini conueniunt, possunt quidem dici hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis in quantum est homo.* 1. 2. q. 1. art. 1. c.

37. *Explicantur alia eius loca.* Quod autem vlteriùs opponitur ex Ricardo eâdem distinct. 25. art. 3. q. 2. Actus etiam qui versantur circa finem esse liberos: intelligendum est, iuxta ipsius mentem (de cuius veritate modò non disputamus) de libero latiùs sumpto, & impropriè, pro voluntario: non autem pro delibertatiuo: vt ipsemet ibidem exponit, iunctis iis quæ suprà ex eodem retulimus ex distinctione 38. art. 2. q. 1. in corpore, & ad 2. Cùm verò dicit eâdem distinctione 25. art. 3. q. 2. ad 6. Beatos non amisisse liberùm arbitrium, tametsi eius actus proprius est electio, & electio est eorum quæ sunt ad finem: quia, inquit, *Etsi in Beatis non sit electio respectu eorum quæ sunt ordinata ad finem, in quantum sunt ducentia ad finem distantem:* quippe cui iam coniuncti sunt: *tamen eligunt perseuerare in illis bonis, sine quibus non possent manere coniuncti cum fine.* Hoc intelligit de actibus formaliter reflexis super illa bona, distinctis ab eorum possessione beatifica, & inuariabili, per quos in illa liberè sibi complacent, optántque in bonis illis perpetuò manere.

38. Denique, quando in 3. distinct. 12. art. 2. q. 1. ad 2. explicans quomodo Christus meruerit, nonobstante ipsius impotentia ad peccandum; eo quod meritum debet esse voluntarium, & liberum, æquè ac peccatum: & sicut nemo peccat in eo, quod non potest non facere, iuxta Augustinum: ita nemo meretur in eo vitando, quod non potest non vitare: ac proinde Christus non meruit in non peccando, cùm non potuerit peccare. Quando, inquam, respondens huic difficultati propositæ in secundo argumento, dicit necessitatem coactionis tollere quidem rationem meriti: necessitatem tamen, quæ est ex perfectione bonitatis, non tollere rationem meriti in viatore: Hoc intelligit de necessitate secundùm genus, aut speciem, vel etiam ex parte obiecti, relinquente tamen aliquam indifferentiam quoad exercitium actuum, quibus Christus peccatum vitabat ex motiuo amoris Dei, & aliis finibus laudabilibus, & meritoriis. Quamuis enim Christus non posset peccare vllo pacto, siue per commissionem, siue per omissionem: erat tamen liber, & indifferens quoad plurimos actus, quos exercebat contra peccatum, illud reiiciendo, & detestando ex variis motiuis honestis. Alioquin enim, quòd per actus planè necessarios non mereamur, docet idem Ricardus in 4. dist. 49. art. 2. quæst. 5. cuius titulus est, *vtrum voluntas in appetendo beatitudinem mereatur?* Conclusio verò est, non mereri appetendo illam in generali, vt bonum aliquod sufficientissimum: quia sic naturaliter, id est, necessariò eam appetit: secus autem appetendo in speciali, & determinatè, prout in clara Dei visione, & perfecta fruitione consistit: quia sic non appetitur naturaliter, sed cum aliqua indifferentia, periculóque erroris in intellectu, & obliquitatis in voluntate.

SECTIO VIII.

Quid senserint Thomas de Argentina, & Dionysius Carthusianus?

QVATVOR ex Argentina testimonia in fauorem sui dogmatis profert aduersarius. 39. Iansen. to. 3. lib. 6. cap. 29. Quòd scilicet in 2. distinct. 25. art. 1. doceat voluntatem esse essentialiter liberam. Et deinde art. 4. dicat liberum arbitrium non posse cogi: quia id contradictionem implicat. Nam coactum non est liberum: igitur si liberum arbitrium cogeretur, tunc idem esset liberum, & non liberum. Idémque repetit distinctione 38. art. 1. Et denique in 3. distinction. 12. sibi obiicit contra libertatem Christi, quòd sicut nemo peccat, ita nec meretur in eo quod vitare non potest. Respondet autem hunc in modum: *Quamuis necessitas coactionis tollat rationem meriti, necessitas tamen immutabilitatis, proueniens ex perfectione virtutum, non tollit rationem meriti, sed auget.* Similitérque distinctione 18. articulo tertio, opponit sibi Christum non potuisse mereri, eò quòd in omni actu determinatus esset ad bonum: ac proinde non magis poterat mereri, quàm agens naturale determinatum ad vnum. Respondétque, *Agens naturale non prohiberi à merito, ex hoc quod est determinatum ad vnum: sed ex modo determinationis: putà quòd necessariò, & non voluntariè tendit in illud vnum. Sed Christus, & quilibet in gratia confirmatus, licèt determinatè tendat in bonum; tamen voluntariè, & liberè tendit in ipsum. Huiusmodi enim determinatio non minuit voluntatem, & libertatem, sed potiùs auget: & ideò talis determinatio non repugnat merito.* Ex his infert aduersarius, veram libertatem, & ad meritum aut demeritum sufficientem, iuxta doctrinam huius

auctoris, consistere in eo, quòd voluntas sit expers coactionis, etsi non simplicis necessitatis, seu determinationis.

40. *Quo sensu dicit Argentinas voluntatem esse essentialiter liberam.*

Sed ad primum respondeo, Argentinam, quando ait voluntatem esse essentialiter liberam, loqui de voluntate non generaliter sumptâ, prout est potentia volendi quocunque modo: sed prout est electiua, & operatiua quia sic vult: quâ ratione dicitur specialiter *liberum arbitrium*: iuxta scilicet id quod dixerat præcedenti distinctione articulo 3. §. *Ad rationem istorum*: vbi prædictam diuisionem tradens, sic ait: *Potentia volitiua vt est voluntas, tendit in finem: vt autem vindicat sibi nomen liberi arbitrij, tendit in ea quæ sunt ad finem.* Et paulò pòst addit, *Voluntatem, & liberum arbitrium, esse vnam & eandem potentiam, habentem aliud, & aliud officium: quorum ratione vnius dicetur simpliciter velle: ratione verò alterius, dicetur liberè eligere.* Intelligit autem per *liberè velle*, idem ac, velle ex electione, & sine prauia determinatione, seu necessitate agendi. Propter quod ait voluntatem vt libera est, siue vt liberum arbitrium, non tendere in finem, sed in ea quæ sunt ad finem; quia est naturaliter determinata ad appetendum finem: vt expressiùs docet articulo 1. distinct. 25. in solutione quarti argumenti ex postremò propositis: dicens, *Quamuis voluntas sit potentia passiua, tamen respectu cuiuscunque obiecti, à quo non sufficienter actiuatur, habet liberam voluntatem consentiendi in actum, vel dissentiendi ab actu. Solùm enim respectu illius, quod mouet voluntatem sub ratione vltimi finis, voluntas non habet huiusmodi in potestate, eò quòd à tali obiecto sufficienter actiuetur.*

41. *Explicantur aliqua ex illo obiecta.*

Ad secundum respondeo impertinenter obijci. Nam ex eo quòd liberum arbitrium non possit cogi, & ex opposito sequatur idem fore liberum, & non liberum, vt ait Argentinas: quid inde potest inferre aduersarius contra libertatem indifferentiæ? Quomodo, inquam, potest ex eo probare quòd intendit, veram libertatem, sufficientémque ad meritum vel demeritum, non opponi necessitati, sed coactioni?

42. Ad tertium & quartum respondeo, quando Argentinas dicit necessitatem immutabilitatis prouenientem ex perfectione virtutum, non tollere rationem meriti, sed augere: similitérque determinationem ad bonum, qualis in Christo fuit, non impedire quin liberè tendat in bonum, neque minuere libertatem voluntatis, sed potiùs augere, ideóque non repugnare merito: loquitur de necessitate & determinatione ad bonum secundùm genus aut speciem, siue in communi; relictâ libertate indifferentiæ circa hoc & illud bonum in particulari; vel circa exercitium actus; quatenus Christus hunc & illum ita exercuit vt potuerit ab eo abstinere: quamuis eò magis voluntariè, & liberè exerceret, quòd nullum pateretur impedimentum à repugnantia, quam solent illi experiri, qui non sunt in bono confirmati, & supradicto modo determinati, sed à mali illecebris possunt allici ad peccandum. Præterquam quòd, vt alibi diximus explicando similem D. Bernardi locum, augetur libertas, quando libertati naturali quæ est à necessitate, additur libertas à culpa per gratiam, & à miseria per gloriam. Quâ triplici libertate fruuntur Christus & Beati: ideóque sunt magis liberi.

43. *Docet meritum & demeritum non esse sine libertate indifferentia.*

Alioqui verò quòd nemo mereatur aut peccet per actus omnino necessarios, ac sine omni libertate indifferentiæ, docet perspicuè idem auctor illâ eâdem distinctione 25. citata ab aduersario. Nam articulo 2. §. *Sed ista opinio stare non potest*, impugnãs eorum sententiam qui docent voluntatem necessariò conformari iudicio rationis, ita vt non possit contrarium eligere: sic ait: *Si voluntas non posset eligere contra iudicium rationis, & necessariò in omni sua electione se conformaret iudicio rationis, tunc periret omne meritum & demeritum. Consequentia patet: quia ex his quæ necessariò à nobis fiunt, nec meremur nec demeremur. Vnde quia ea quæ purè nobis insunt à natura, non sunt in nostra potestate, sed de necessitate eueniunt: ideò secundùm Philosophum 3. Ethic. ex puris naturalibus nec laudamur, nec vituperamur. Sicut enim in appetitu bruti nullum est peccatum, neque libertas, quia necessariò & sine contradictione sequitur apprehensionem, & appetit delectabile apprehensum: sic &c.* Et longè antea §. *Præterea si voluntas*, dixerat ad idem confirmandum, *Si voluntas non posset oppositum illius, quod dictatum, & indicatum est à recta ratione: tunc voluntas non esset potentia libera libertate contradictionis.* Ex quibus verbis manifestum est, iuxta doctrinam istius auctoris, veram libertatem sufficientem ad meritum vel demeritum, non consistere in eo quòd sit expers coactionis, etsi non necessitatis, seu determinationis ad vnum. Nam tametsi voluntas sequeretur necessariò iudicium & dictamen rationis, non cogeretur physicè; & tamen ex mente istius Doctoris, non esset libera, neque mereretur, aut demereretur eò quòd necessariò ageret: & *Ex his quæ à nobis necessariò fiunt, nec meremur, nec demeremur.*

44. *Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 30.* *Dionysius eius dogmati aduersatur.*

Opponit præterea ex Dionysio Carthusiano in 2. distinct. 25. articulo 4. Quatuor esse status libertatis, seu liberi arbitrij in homine. *Vnus*, inquit, *ante peccatum. Secundus sub peccato. Tertius sub gratia. Quartus in gloria. Atque in omnibus his iudicio meo, libertas à coactione, seu necessitate, æqualiter manet in homine propter libertatem voluntatis, quam si homo amitteret, peccatum eius non esset peccatum.* Et paulò pòst addit: liberum arbitrium gratiâ eleuante destitutum, licèt per propriam infirmitatem & culpam trahatur inferiùs: *tamen non cadere nisi electione propria voluntatis, non necessitate coactionis.* Hinc colligit aduersarius sufficere ad peccandum, iuxta mentem Carthusiani, libertatem à coactione, non obstante necessitate infirmitatis, seu concupiscentiæ trahentis, suo pondere, & determinantis ad peccandum.

45. Sed vt omittam hæc non tam esse Carthusiani, quàm Alberti ex quo ipse transcripsit expresso nomine auctoris: dico per *coactionem*, intelligere ipsum necessitatem, & determinationem ad vnum, oppositam indifferentiæ & electioni, sine qua non stat libertas sufficiens ad peccandum, vel ad bene merendum. Vt perspicuè liquet tum ex illis verbis, *coactione, seu necessitate*, quibus idem exprimit: tum ex eo quod ait liberum arbitrium *non cadere in peccatum, nisi electione propria voluntatis.* In vniuersis autem, *quæ cadunt sub electionem, libera manet*

voluntas: in hoc solùm determinationem sortita, quòd Beatitudinem naturaliter appetit. &, *In his quæ ad vnum determinata sunt, non sortitur electio locum*; vt idem addit eâdem distinct. q. 2. & in Summa lib. 2. artic. 14. Ideóque docet ibidem, *Electionem non esse de fine, sed de his quæ sunt ad finem*: quia homo necessariò vult finem: *nihil autem de necessitate eligitur.* Ibidem quoque approbat hanc Alberti sententiam: *Liberum arbitrium non est nisi de operabilibus per nos, quæ sunt in nobis, id est, in nostra potestate quoad facere & non facere, & quorum nos domini sumus & causa.* Et articulo 11. eiusdem libri, *Secundùm Dionysium*, inquit, *prouidentia Dei omnia conuenienter disponit, nec naturas corrumpit, nec naturales proprietates tollit. Cùm ergo voluntati conueniat esse liberam, atque ad vtrumque oppositorum potentem; palam est quòd non mouetur à Deo per necessitatem.* Potuítne loqui apertiùs ad elidendum conatum aduersarij, falsúmque illius dogma refutandum?

SECTIO IX.

Quid senserint Marsilius, Gabriel, & quidam alij?

46. *Iansen. tom. 3. lib. 6. cap. 31.* EX Marsilio in 2. q. 16. articulo 2. opponit libertatem hominis *esse suam ipsius voluntatem, quæ per suam essentiam libera est. Quia sicut non stat essentiam Angeli manere sine libertate: ita nec essentiam voluntatis.* Et articulo 5. addit, *Non esse possibile vt voluntate remanente, Deus eius libertatem auferat: quia voluntas est sua libertas.* Eodémque articulo 5. tradit has propositiones: Libertas voluntatis non attenditur penes hoc, quòd potest deficere, siue peccare: alioqui Deus non esset liberæ voluntatis: quia vtique peccare non potest. Neque etiam penes hoc, quòd omne quod potest velle, possit perficere. Nam potest velle quædam supra suas vires: vt si homo sortis infimæ velit esse rex. Neque penes hoc, *quòd non possit immobilitari in bonum vel in malum: quia completo statu, in eo in quo finaliter se posuit, de lege communi immobiliter perseuerat. Nec denique in eo consistit, quod vltimum finem beatificum clarè visum de lege communi possit non velle; siue beatitudinem suam clarè visam possit non appetere. Sed videtur quod naturaliter libertas sit sua essentia.*

47. *Quo sensu Marsilius ait libertatem esse ipsam voluntatem?* Ad primum respondeo Marsilium loqui de libertate naturali in actu primo considerata: quam fatemur esse ipsam voluntatis essentiam; neque posse ab ea tolli per vllam potentiam: licèt eius exercitium, & actus secundus possit impediri tum à Deo, tum à causis secundis: vt reipsa fit naturaliter in infantibus, ebriis, dormientibus, phreneticis, & amentibus, quamdiu carent vsu rationis.

48. *Quid requiratur ad libertatem?* Ad secundum, dictum est alibi, libertatem stare posse sine potentia deficiendi, seu peccandi; per indifferentiam ad ea quæ sine peccato possunt fieri vel omitti, appeti vel non appeti. Cuiusmodi est in Deo libertas circa ea quæ vult & agit extra se. Ad illam quoque non requiritur vt possimus facere quidquid volumus: sed vt possimus saltem non velle quod volumus: & ita velimus, vt possimus abstinere ab actu volendi. Neque etiam libertas creatæ voluntatis *attenditur penes hoc, quòd non possit immobilitari in bonum, vel in malum*: id est, confirmari in bono, vt fit in beatis: vel obstinari in malo, vt fit in damnatis. *Quia completo statu, in eo in quo finaliter se posuit, de lege communi immobiliter perseuerat.* Et perseuerantia immobilis in eo statu, confirmatióque in bono per statum beatitudinis, vel obstinatio in malo per statum damnationis, non impedit quò minùs liberè se exerceat circa quædam obiecta bona vel mala, & circa actus aliquos à quibus posset abstinere. Nam vt suprà diximus, determinatio ad bonum in communi non impedit libertatem circa multa bona particularia, vel circa diuersos actus, quibus appetuntur. Idémque dicendum de obstinatione circa malum in communi, quæ compatitur aliquam indifferentiam circa mala particularia, & circa malos actus quibus in ea tendunt dæmones & damnati, & in quibus peccant imputabiliter.

Denique, verum etiam est quod ait Marsilius, voluntatis libertatem non in eo consistere, quòd possit non velle Deum clarè visum. 49.
Nam potiùs id non subest eius potestati. Sed vt idem auctor tradit eâdem q. 16. articulo 2. *Liberta voluntatis in eo consistit, quòd omnibus iisdem existentibus, voluntas potest in actum, & potest in non ipsum.* Et vt addit articulo 6. *Voluntas ideò libera vocatur, quia omnibus eodem modo se habentibus, potest in opposita.* Quod sæpius constantérque affirmat aliis locis. Nam totâ ferè quæst. illa 16. naturam rationémque propriam libertatis, eiúsque differentiam ab agentibus necessariis explicat per indifferentiam. Et articulo 2. probat de ratione libertatis esse dominium in suos actus, & indifferentiam ad volendum & non volendum, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Articulo 3. docet voluntatem esse principium elicitiuum suorum actuum cum tali dominio & indifferentia. Articulo 4. addit hanc indifferentiam esse illo ipso instanti temporis, quo voluntas liberè operatur: ídque confirmat articulo 6. in respons. ad 2. & quæst. 17. circa finem, & q. 22. articulo 2. vbi magis explicat naturam illius dominij, & indifferentiam libertatis ad opposita: quam etiam docet non impediri per præscientiam diuinam, & prædestinationem aut reprobationem, in 1. q. 40. 41. 44. & 45.

Ad id verò quod vltimo loco obiicit aduersarius ex Marsilio in 3. q. 12. articulo 2. Necessarium tripliciter dici: *primò quia coactum: & in hoc nullus meretur. Secundò quia à natura inexistens, sic quod aliter fieri nequit: sicut grauium inclinatio est deorsum: & hominis in scire per intellectum & in bonum per affectum: & in talibus homo etiam non meretur. Tertio modo dicitur necessarium quia ineuitabile, non tamen per naturam, sed per gratiam in bonum confirmantem.* Et hoc dicit non obesse merito, neque obstitisse quò minùs Christus mereretur per opera bona, quæ fecit necessitate ineuitabilitatis per gratiæ plenitudinem eum in bono confirmantem. Ad hoc, inquam, respondeo ipsum loqui de necessitate ineuitabilitatis, vel consequente duntaxat ex Dei præscientia, & speciali prouidentia circa confirmatos in gratia: Deo sic eos præueniente 50. *Quo sensu ait necessarium quia ineuitabile, non obesse merito?*

prout ipse præuidit fore vt liberè consentiant in hæc & illa opera bona à se intenta & prædefinita; priúsque ratione præscita per scientiam mediam. Quam necessitatem ineuitabilitatis consequentem solùm esse, & non obesse libertati indifferentiæ fusè docet idem auctor in 1.q. 40. 44. 44. & 45. Vel etiam loquitur de necessitate ineuitabilitatis circa bonum in communi, quatenus, si agunt, non possunt nisi benè agere: quamuis in particulari possint ab his & illis bonis actibus abstinere, quippe nec physicè, nec moraliter necessariis. Quo sensu idem Marsilius in 2. q.17. prope finem, sic ait de B. Virgine confirmata in gratia: *Virgo Maria post conceptum Saluatoris non potuit ferri in malum: erat tamen libera in facere & non facere.*

51. *Obiectio ex Gabriele.* Quæ opponit aduersarius cap. 32. ex Nicolao de Orbellis, Stephano Brulefer, & Petro Capulleio, sunt mera & inutilis repetitio quorundam suprà obiectorum ex S. Bonauentura, & D. Thoma: quibus iam satisfecimus, neque volumus hoc loco inutiliter eadem retexere. Ex Gabriele verò obiicit eum expresè docere in 3. distinct. 18. quæst. vnic. articulo 3. dub. 1. actum beatificum esse posse meritorium, si ad hoc solùm à Deo acceptetur. Et argumento sibi proposito in contrarium, respondere hunc in modum: *Negetur quòd actus Beatitudinis sit simpliciter necessarius: quia siue sit immediatè à Deo, siue elicitus à voluntate, est liberè elicitus, & ita contingens. Est tamen immutabilis, & perpetuus, contingenter, non necessariò, quia à voluntate diuina perpetuò conseruatur, cuius certitudinem habet Beatus per diuinam reuelationem. Est ergo Beatitudo immutabilis, quia non mutabitur. Non autem immutabilis, id est, impossibilis mutari* (quod est clarius dicere immutabilem esse de facto, non de potentia) *posset enim Deus eam mutare de potentia absoluta.* Itaque contingentia, quam Gabriel in ea ponit, est tantùm per externæ potentiæ considerationem. Ibidémque addit quòd *voluntas per actum beatificum liberè complacenter tendit in obiectum beatificum: licèt non liberè contradictoriè: & hæc libertas sufficit ad rationem meriti.*

52. *Docet libertatem indifferentiæ requiri ad meritum.* Sed cùm idem auctor in 2. distinct. 25. quæst. vnic. artic. 1. expresè doceat libertatem indifferentiæ necessariam esse ad merendum vel demerendum; eámque sic definiat, *Potentia libera, vt distinguitur contra naturalem, est potentia indifferens ad opposita, quæ scilicet habet in sua potestate vtrumque oppositorum, scilicet facere & non facere, quod sic intelligendum est: Potentia libera est, quæ, omnibus ad productionem alicuius effectus requisitis eodem modo se habentibus, nullo variato ex parte sui vel alterius, habet in potestate sua ita non producere sicut producere: ita quòd ex natura sua ad neutrum determinatur: Et talis potentia dicitur contingenter productiua.* Et inferiùs, *Hæc dicitur libertas contingentiæ. Sic accipitur quando est principium meriti & demeriti: Nam per hæc quæ vitare non possumus, nec meremur, nec demeremur.* Cùm præterea idem auctor eodem artic. paulò pòst verba primò relata, doceat voluntatem, *non respectu cuiuslibet velle, esse causam liberam, vt patet de obstinatis & damnatis; & similiter de voluntate confirmatorum in Beatis: quia respectu actus, quem non habet in sua potestate, non est libera.* Quod etiam docuerat in 1. distinct. 10. q. 2. vbi articulo 3. dubio 2. dixerat libertatem *esse conceptum supponentem pro voluntate, connotando aliquid posse fieri contingenter ab eâdem:* & non esse in ordine ad quodcunque: *sed in ordine ad id ad quod contingenter se habet, & non necessariò.* Et paulò ante dub. 1. opponens sibi quod aiunt Augustinus & Anselmus, liberiorem esse voluntatem quæ non potest seruire peccato neque à rectitudine declinare, vt est in Beatis: responderat id vel intelligendum esse de libertate opposita seruituti peccati & miseriæ: *Vel, inquit, aliter potest dici liberiorem esse voluntatem confirmatam in bono, non respectu illorum actuum ad quos necessariò determinatur: sed respectu aliorum actuum,* ad quos scilicet contingenter se habet: & paulò pòst addit, duos illos Patres suprà nominatos non intendere quod voluntas respectu illius actus, ad quem necessariò se habet, liberè operetur: sed quòd voluntas Beati sit libera simpliciter, & liberior quàm priùs, ex eo quia minùs potest impediri in executione multorum actuum à causis extrinsecis, quàm in via, propter illam confirmationem in bono.

53. *Quo sensu dicat actum beatificum posse esse meritorium?* Cùm, inquam, hæc ita sint, non potuit Gabriel sine manifesta contradictione affirmare actum beatificum esse meritorium, locis in obiectione relatis, si loquatur de actu necessario & essentiali Beatitudinis, ad quem Beati determinantur, & necessitantur vi obiecti, & aliarum causarum antecedentium. Sed de illo non loquitur loco priùs citato ab aduersario, vt malè ipse putat. Quod vt clarè ostendatur, notandum est ex doctrina eiusdem auctoris art. præcedenti conclus. 2. Omnem actum elicitum à parte superiori animæ, id est, ab intellectu, aut à voluntate, respectu Dei vt finis vltimi, esse beatificum. Item ex doctrina eiusdem, art. 3. dub. 1. in solutione secundi argumenti, duplicem esse actum beatificum, generatim loquendo. *Distinguit duplicem actum beatificum.* Vnum, qui est præmium & Beatitudo essentialis: quem putat esse immediatè à solo Deo vt causa efficiente: *Et ille*, inquit, *non est meritorius. Sed cum illo est alius actus fruitionis à voluntate elicitus, eiusdem obiecti beatifici: qui etiam dicitur beatificus* (*licèt priore, qui à solo Deo est, imperfectior*) *quia est obiecti beatifici in se clarè visi. Et ille est meritorius: & de illo intelligenda sunt conclusiones. Possunt enim illi duo actus simul stare: quia non habent ad inuicem repugnantiam. Est etiam perfectionis in voluntate Beati quod habeat etiam actum à se elicitum respectu obiecti beatifici.*

Hunc secundum actum putat Gabriel elici contingenter & non necessariò à voluntate Beati, 54 *De quonam id intelligat* quamuis perpetuò & immutabiliter de facto, non de potentia, conseruetur à Deo: id est, numquam mutetur & cesset reipsa, quamuis possit mutari & desinere. Atque ita satisfacit argumento sibi proposito ad probandum actum beatificum non posse esse meritorium: quod argumentum erat huiusmodi: *Dubitatur,* inquit, *quomodo actus beatificus possit esse meritorius, cùm habeat conditiones oppositas ad meritum. Nam de ratione actus beatifici est quòd sit necessarius. De ratione meriti est, quòd sit contingens. Primum patet: quia nisi esset necessarius, non esset beatificus: nam Beatitudo est immutabilis & perpetua: nec potest esse Beatus nisi certus de sua*

perpetuitate, vt probat Augustinus: sed non esset perpetua, si actus beatificus esset contingens. Secundum probatur: quia ad hoc quòd actus sit meritorius, requiritur quòd procedat ex libertate voluntatis. Omne autem tale est contingens, quia libertas voluntatis est contingens ad vtrumlibet, quæ contingentia repugnat necessitati. Huic dubio, inquam, & argumento contra præcedentes conclusiones proposito, respondet Gabriel admittens quidem actum meritorium debere esse contingentem; procederéque à voluntate vt potente ad vtrumlibet: sed negans actum beatificum secundo modo sumptum, de quo (inquit) intelligendæ sunt conclusiones, non esse contingentem, quamuis ex diuina voluntate, & consensu Beati nunquam mutetur. Quæ doctrina bene cohæret cum præcedentibus ex Gabriele relatis num. 52. & nihil habet quod faueat aduersario.

55. *Exponuntur verba ex ipso obiecta.* Aliam verò solutionem immediatè pòst adhibet eidem argumento, iuxta quorundam opinionem: secundùm quam, inquit, potest dici, quòd in anima Christi (de cuius merito quæstionem hanc totam instituit) fuit tantùm vnus actus fruitionis Dei: & hic à Deo creatus, & beatificus: qui nihilominus in Christo fuit meritorius. Quâ doctrinâ præsuppositâ, *Consequenter dicitur* (id est cohærenter loquendo iuxta hanc sententiam dicendum est) *quod fuit in potestate voluntatis quantum ad tendentiam in obiectum, non quantum ad esse elicitum. Nam voluntas per hunc actum à Deo creatum, liberè & complacenter tendit in obiectum beatificum, licèt non liberè contradictoriè: & hæc libertas sufficit ad rationem meriti.* Quibus verbis ab aduersario postremò relatis, nihil aliud sibi vult Gabriel, nisi quod ad saluandam rationem meriti in tali actu beatifico, dicendum est iuxta illam sententiam, quòd licèt voluntati Beati liberum non sit ipsum elicere vel non elicere; quippe qui producitur à solo Deo, imprimitúrque ipsius voluntati sine libero eius concursu: tamen liberum illi est tendere in obiectum beatificum per talem actum: nimirum in hæc aut illa Dei attributa, vel in creaturas prout in Deo repræsentatas; & eatenus potest esse meritorius, quatenus per eum liberè & contingenter tenditur in obiectum. Ita vt quamuis non sit meritorius quoad esse, quia vt sic est necessarius respectu Beati, & independens à libera ipsius voluntate: secùs tamen quoad tendentiam in obiectum; quia vt sic contingens est, & subiectus ipsius libertati, quippe contingenter liberéque tendentis, & sibi complacentis in tali obiecto: tametsi non habeat libertatem contradictionis circa esse, & non esse eiusdem actus, quasi possit efficere vt non sit; nam vi diuinæ actionis, à qua sola producitur, semper existit. Et hæc de mente Gabrielis, qui semper sibi constat, semperque aduersarij doctrinæ refragatur in eo quod requirit libertatem contingentiæ in actu meritorio quatenus meritorio: negátque actum beatificum esse meritorium sub ea consideratione, quâ non pendet contingenter à voluntate. Euasiones denique aduersarij, quibus Scripturæ, Patrum, & Conciliorum testimonia contra suum dogma, eludere conatur cap. 34. & sequentibus vsque ad finem libri 6. de Gratia Christi Saluatoris, refutatæ fuerunt disput. 30. & 31.

SECTIO X.

Ostenditur omnes alios Theologos ab aduersario prætermissos, ipsius dogmati resistere.

HACTENUS igitur de Theologis ab aduersario in dogmatis sui patrocinium adscitis. Nunc vt de aliis ab ipso prætermissis breuiter dicamus, & ostendamus quàm longè abhorruerint ab illius sententia, sufficiet vnum aut alterum plurimorum ex illis testimonium referre, quo eam falsitatis & erroris, plerique etiam hæresis condemnant: & aliorum loca indicare in quibus contra eam disputant. 56.

57. *Refragantur Theologi sæculi 13.* Vt ergo ab antiquioribus incipiamus, & ordine temporis procedamus: Sæculo 13. quo Theologia Scholastica florere cœpit, id est, ab anno Christi 1200. ad an. 1300. præter Magistrum sententiarum, Guillielmum Parisiensem, Alexandrum de Ales, D. Thomam, S. Bonauenturam, Guilielmum Altisiodorensem, Ricardum de Media-Villa, & Henricum de Gandauo, quorum testimonia suprà retulimus sect. 1. & sex conseqq. & inter quos D. Thomas sententiam nouorum Dogmatistarum, quam impugnamus, expressè dicit esse hæreticam verbis ibidem relatis numero 17. Præter hos, inquam, Doctores celeberrimos, nostram & communem sententiam de libertate docuerunt, contrariámque vt falsam reiecerunt eodem sæculo Vincentius Bellouac. tom. 1. libro 29. cap. 65. vbi cum Boëtio docet voluntates nostras esse solutas omni necessitate, etiam eâ, quam inferret prouidentia Dei, nisi præsupponeret actus nostros futuros tanquam præsentes. Et Albertus Magnus 2. p. Summæ quæst. 91. membr. 1. in corpore vbi docet, homines, aliásque naturas intellectuales in eo differre à brutis, quòd *Bruta* (inquit) *passionibus sensibilium impelluntur, & aguntur ad operationem: & ideo non agunt nisi acta: neque est in ipsis simpliciter agere vel non agere, neque habent dominium suarum actionum: sed sola intellectualia.* Et memb. 4. eiusdem quæst. art. 1. & 2. approbat velut quidditatiuam germanámque definitionem libertatis, eam quæ in Itinerario Clementis refertur velut à Petro Apostolo tradita, in secunda disputat. contra Simonem Magum: *Liberi arbitrij potestas est sensus animæ, habens virtutem quâ se possit ad quos velit actus inclinare.* Et Ægid. Roman. in 2. dist. 25. qu. 1. articulo 3. dubio literali 2. viâ 2. vbi docet voluntatem necessitari quidem ad volendum obiectum sibi propositum sub omni ratione boni: *Sed quoties*, inquit, *obiectum offertur sub vna ratione boni, & alia mali, voluntas poterit illud velle sub ratione quâ bonum est, & nolle sub ratione quâ malum. Hinc ergo voluntas potest se determinare vel vt velit sequi legem Dei, prætermittendo fornicationem: vel vt velit bonum delectabile sequi, prætermittendo legem Dei.*

58. *Et sæculi 14.* Sæculo 14. id est, ab anno 1300. ad an. 1400. idem tenuerunt præter Scotum, & Thomam de Argentina ibidem relatos numero 25. & 39. Paludanus in 3. dist. 18. articulo 3. prope fi-

nem, vbi sic habet: *Per liberum arbitrium intelligimus illud principium, per quod habemus dominium nostrorum actuum, non solùm sicut communiter dicitur, quod omne agens dominatur suo passo: quia tunc omne agens esset liberum: quod falsum est: sed sic in potestate habentis tale principium est exire, vel non exire in actum aliquem, vel in eius oppositum.* Et Durandus in 2. dist. 24. p. 1. q. 2. numero 12. vbi non minùs clarè necessitatem antecedentem à libertate excludit, cùm sic ait: *Libertas arbitrij est, quâ quis potest in aliquem actum, vel eius oppositum contrariè vel contradictoriè: & sic libertas excludit non solùm coactionem, sed omnium necessariam habitudinem.* Et paulò pòst numero 19. repetit & approbat eandem definitionem libertatis, directè oppositam doctrinæ aduersariorum, sic dicens: *Per liberum arbitrium intelligimus principium, per quod habemus dominium nostrorum actuum, sic quòd in potestate habentis tale principium est exire in actum, vel non exire; & exire in aliquem actum, vel eius oppositum.* Et rursus sequenti quæst. 3. numero 15. eandem inculcans definitionem, sic ait: *Libertas arbitrij est facultas ad opposita, absque necessaria determinatione ad alterum.* Et Bacon. in 1. dist. 40. articulo 2. relatis his verbis Ecclesiastici cap. 15. *Reliquit eum in manu consilij sui* &c. *Imaginatur sic*, inquit, *quòd Deo permittente me agere indifferenter hanc partem contradictionis, vel istam, non determinante me magis ad hanc, quàm ad illam; ego eligo alteram partem.* Et Ocam in 1. dist. 38. q. vnic. ferè initio, *Voluntas*, inquit, *in quantum est actus primus, libera est ad oppositos actus: & mediantibus illis actibus oppositis est libera ad opposita obiecta, in quæ tendit: & vlteriùs ad oppositos effectus quos producit.* Indéque postea infert voluntatem agere contingenter, & non necessariò, sed ita vt possit oppositum pro eodem instanti. Et Adam in 1. distinct. 1. q. 6. articulo 2. dubio 17. in fine, *Voluntas*, inquit, *omnibus concurrentibus vniformiter, potest causare volitionem vel nolitionem obiecti cogniti, & seipsam determinare ad volitionem vel nolitionem.* Idem docet Robert. Holchot in 1. totâ ferè q. 3. præsertim art. 2. in tertia diuisione libertatis: affirmans potentiam liberam habere in sua facultate & dominio velle, aut non velle absq; vlla necessitate determinante ad alteram partem: ita vt positis omnibus ad operandum prærequisitis, possit operari, vel abstinere ab operatione si velit. Et Gregorius Ariminensis in 1. distinct. 10. quæst. vnica, art. 2. circa medium & deinceps, fusè probat rationem causæ liberæ, prout distinguitur à naturali, in eo sitam esse, quòd positis omnibus prærequisitis ad operandum, sublatísque impedimentis, habet in sua potestate agere & non agere: ita vt nullâ necessitate determinetur ad agendum. Et in 2. distinct. 25. qu. vnic. ad 1. contra 2. concl. dicit, manente etiam eâdem cognitione, voluntatem posse velle & nolle. Et Mairon. in 1. distinct. 10. quæst. 1. difficultate 2. vbi distinguens inter liberum, & liberum arbitrium, dicit liberum sumi pro voluntario & spontaneo: *Sed liberum arbitrium*, inquit, *est præcisè circa illa, circa quæ voluntas potest aliter se habere, scilicet circa contingentia.* Et paulò pòst: *Habere se ad opposita, est conditio liberi arbitrij, vt addit supra libertatem.*

Sæculo 15. id est, ab anno 1400. ad annum 1500. idem docuerunt, & contrario dogmati refragati sunt præter Dionysium Carthusianum, Marsilium ab Inghen, & Gabrielem, quorum testimonia retulimus numero 44. 46. & 52. Cardinalis Alliacensis in 1. quæst. 11. articulo 1. & quæst. 12. art. 3. vbi fusè probat diuinam præscientiam non obstare contingentiæ, & potestati libertatis ad vtrumlibet. Et Guilielmus de Rubione in 2. distinct. 25. quæst. 1. articulo 2. post medium: *In Beatis*, inquit, *est vsus liberi arbitrij, non respectu actus beatifici, qui non est in potestate ipsorum: sed respectu omnium aliorum in eorum potestate existentium, vt videlicet possint ab eis in esse poni, vel non poni. Consimiliter est dicendum de damnatis* &c. Et Capreol. in 1. dist. 1. quæst. 3. art. 1. in probatione tertiæ conclusionis, vbi docet cum D. Thoma q. 22. de Veritate articulo 6. Libertatem voluntatis in tribus considerari. Scilicet quantum ad actum, in quantum potest velle & non velle: & quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc & velle illud, & eius oppositum: & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum & malum. Eâdem quæstione sæpius docet voluntatem ad actus liberos seipsam determinare absque vlla necessitate antecedente. Et in 2. dist. 24. quæst. vnica articulo 3. longè post medium respondens argumento 6. sic ait: *Voluntas, quantùm est de sua natura, est ad opposita. Ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult: & ita non indiget alio determinante.* Similia docent Viguerius eiusdem Scholæ & Ordinis, in Institut. Theolog. cap. 3. §. 3. ver. 1. fol. 28. Deza in 2. dist. 24. articulo 3. Notabili 3. & articulo 4. ad 12. & ad 16. & Conrad. 1. 2. q. 1. articulo 2. notab. 3. cuius verba sunt: *Tunc homo agit actionem humanam liberam, quando ad eam habet absolutè indifferentiam, sic quòd potest eam agere & non agere: & potest velle & agere hoc vel illud.* Et Dionysius Cisterciensis in 2. distinct. 24. quæst. vnica art. 1. conclusione 5. vbi arbitrij libertatem sic definit: *Arbitrium dicitur liberum, quia positis omnibus extrinsecis ad suum actum requisitis, liberè potest agere, vel non agere.* Et Ioannes Gerson parte 3. libro 2. de consolatione Theologiæ, prosa 3. vbi dicit libertatem arbitrij esse facultatem rationis, & voluntatis: quia nec voluntas sine ratione eligeret, nec ratio sine voluntate vellet: & idcirco libertatem comprehendere vtramque vim, quia nimirum consistit essentialiter in potestate eligendi. Et Maior in 2. dist. 25. per quatuor quæstiones, præsertim quæst. 1. vbi definit liberum arbitrium esse potentiam, quæ positis omnibus prærequisitis potest agere & non agere: & q. 2. affirmat habere dominium suorum actuum, & potestatem ad opposita: & q. 3. prope finem, dicit voluntatem velle hoc obiectum, quia placet, & suâ libertate ad hoc se determinat. Et Abulensis in cap. 22. Matth. q. 229. prope medium: *Præcipuè*, inquit, *differt agens liberum à naturali, quantùm ad principium agendi: quia in agente libero volũtas est principium: & ideo agens liberum indeterminatum est, sed seipsum determinat. Agens naturale agit per principiũ, quod est forma: & ideo non est indeterminatum, sed determinatum ad vnum: & ideò agit necessitate naturali, non potens seipsum cohibere ab actione.*

59. Et sæculi 15.

60. Sæculo 16. id est, ab anno 1500. ad an. 1600. idem docuerunt Caiet. 1. p. q. 41. artic. 2. vbi affirmat cum D. Thoma, in eo propriè differre causam liberam à naturali, seu necessaria: quòd libera non est determinata ad vnum, sed est indeterminata ad vtrumlibet: & sublatis omnibus impedimentis est principium eorum effectuum, qui possunt sic vel aliter esse. Et quæst. 22. articulo 4. circa solutionem primi argumenti, dicit non esse difficile saluare naturam causæ liberæ cum infallibilitate diuinæ prouidentiæ: *Eò quòd huiusmodi infallibilitas nihil dat vel aufert causæ ad vtrumlibet: sed cum ipsa stat quòd causa habeat potentiam indifferentem ad illud infallibile, & ad eius oppositum: & propter hoc diuina prouidentia non adimit contingentiam à rebus.* Et Ferrariensis 1. contra Gentes cap. 81. 82. & 88. docet quidditatem libertatis, siue creatæ, siue increatæ, in eo sitam esse, quòd nulla necessitate moueatur & determinetur ad vnum; sed sit indeterminata & indifferens ad vtrumlibet, vt possit velle & non velle, aut hoc vel illud eligere, habeátque dominium suorum actuum. Et Almainus tract. 1. Moral. cap. 1. notab. 3. perspicuè affirmat necessitatem agendi repugnare libertati propriè dictæ, quam vocat libertatem contingentiæ: dicítque de ratione illius esse indifferentiam ad agendum & non agendum, positis omnibus prærequisitis: idque pro eodem instanti temporis quo operatur: ita vt eodem instanti, quo actum ponit, ab illo abstinere possit. Et Adrian. Papa Quodlibet. 7. qu. 1. §. *Videamus*, affirmat in dominio nostro & potestate naturali positum esse bonum aut malum eligere. Et quodlibet. 3. quæst. 1. circa medium, asserit nulli viatori impositam esse necessitatem peccandi, sed quemlibet posse non peccare, virtute sufficientis auxilij omnibus parati. Et Victoria in relect. de peruenientibus ad vsum rationis num. 4. proposit. 3. supponit vt certum, requiri ad rationem liberi arbitrij vt positis omnibus prærequisitis possit agere & non agere, absque vlla necessitate antecedente. Et n. 5. proposit. 4. sic ait: *Idem est habere liberum arbitrium, quod esse dominũ suarum actionum:* & paulò pòst: *Ad hoc autem quòd homo sit dominus suarum actionum duo requiruntur. Alterum, vt homo habeat facultatem consultandi, & deliberandi quid bonum est, & quid malum est, & quid consequendum, quid fugiendum, quid vitandum. Alterum est, vt habeat potestatem post deliberationem, eligendi, & relinquendi quod sic deliberatum est. Neque enim primum sufficit sine secundo. Neque quis esset dominus suarum actionum, si post deliberationem necessariò aut sequeretur consilium, aut non posset sequi. Ista propositio est clara ex communi significatione & acceptione verborum. Nam is verè dominus dicitur ab omnibus, qui habet facultatem vtendi re. Ita enim definiunt & Iurisconsulti, & Theologi. Et ista facultas non potest haberi sine facultate rationis & voluntatis, quæ est liberum arbitrium.* Et Dominicus Sotus lib. 1. de natura & gratia capite 16. prope initium, dicit infinitam Dei virtutem & sapientiam ex eo patere, *quòd alias causas instituit naturaliter mouere, & alias liberè: & cum singulis modo proprio concurrere. Quocirca quidquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit: iuxta illud, voluntati eius quis resistit? Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi saluâ humanâ naturâ, & liberâ voluntate, quæ idcirco Deo resistere potest.* Ac ne longior sim in referendis testimoniis plurimorum aliorum Theologorum, qui eo sæculo scripserunt, sufficiet indicare loca, quibus eandem de libertate indifferentiæ doctrinam tradunt, erroríque nouorum dogmatistarum manifestè contradicunt.

Et sæculi 16.

61. *Et sæculi 17.* Idem ergo partim eodem sæculo, partim 17. iam ab an. 49. inchoato, præter citatos docuerunt Angest. lib. 1. moralium cap. 1. & 6. Ruard. Tapper. art. 2. contra Lutherum, vbi contrarium dogma, veterum hæreticorum hæresibus annumerat: Roffensis art. 36. contra eundem Lutherum, Driedo in lib. de redempt. tract. 5. cap. 3. conc. 3. Albertus Pighius lib. 7. & 8. de lib. arb. Stapleton. lib. 4. de iustificat. cap. 8. Cochleus duobus libris de lib. arbit. contra Melancthonem, Latomus aduersus Erasmum de merito pag. 175. Eckius in Enchiridio locorum communium loco 31. Sonnius Episcopus Antuerp. de Consiliis Euangelicis capite 15. Canisius in Appendice Catech. de hominis lapsu & iustificatione, cap. 5. Lindan. Episcopus, Panopliæ Euangelicæ libro tertio, capite 7. Alphonsus à Castro verb. *Gratia*, hæresi 1. Vega lib. 2. in Trident. cap. 12. & seqq. Anton. Delphinus lib. 4. de libero arbitrio, tit. *Quo pacto sit liberum arbitrium in hominibus.* Camerar. passim in tribus libris quos scripsit de Gratia, & lib. arbit. Michael Medina lib. 3. de recta in Deum fide cap. 1. Petrus Cunner. lib. de lib. arbit. cap. 2. Ioan. Medina codice de Pœnitentia tract. 1. quæst. 11. præcipuè §. *Deinde homini*, & §. *Dicendum igitur*, Ioan. Lensæus lib. 1. de libertate Christiana cap. 8. & 10. Corduba lib. 1. Quæstionarij q. 55. dubio 9. ferè initio: Tiletan. 1. p. Apologiæ pro Tridentino contra Kemnic. circa sess. 6. & sex primos illius canones, præcipuè §. *Hæc cum ita sint:* Horant. in locis Cathol. lib. 1. cap. 49. & seqq. Palac. in 2. distinct. 25. disputat. 1. Herrera in 2. sententiarum Scoti, tom. 1. disp. 13. q. 2. & disput. 14. q. 1. & disput. 30. q. 2. notab. 2. & seqq. Catherin. in Opusculo de Prædest. Anton. Natra lib. 9. de Deo, Felician. Capiton. Catholic. explicat. parte 2. explic. 73. numero 3. Salmeron tom. 9. in Euangelia, tract. 57. ad illa verba, *Sine me nihil potestis facere.* Francisc. Turrian. lib. 4. contra Magdeburg. pro epist. Pontific. cap. 2. Coster. in Enchiridio Controuers. cap. 5. de lib. arbit. Fonseca lib. 6. Metaphys. cap. 2. quæst. 3. Molina in Concordia, præsertim ad q. 14. art. 13. disp. 37. & seqq. & ad q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. & seqq. Suar. in Opusculo de auxiliis, & in breui resolutione de auxilio efficaci, & 1. p. tract. 2. lib. 3. de Prædestinat. cap. 9. & 10. & & tom. 1. de Gratia Prolegom. 2. Vasq. 1. p. disput. 89. 98. & duab. seqq. Valentia tom. 2. disp. 8. qu. 3. puncto 3. & 4. Lessius in Opusc. de Gratia, Ægid. Connink disput. 1. de actibus supernat. & alij Scriptores Societ. Mascaregn. tract. de auxiliis, Diotalleuius in tract. de concursu Dei ad actus liberos, Pesantius 1. p. q. 14. art. 13. § *Cùm tamen*, Pennot. l. 1. Propugn. cap. 16. Curiel lib. 1. Controuers. 7. art. 4. num. 9. & lib. 2. Contr. 4. num. 176. & seqq. Carthag. de Prædestinat. discursu 4. dubio 3. & discursu 8. dubio 4. Esthius in 2. disp. 24. §. 13. Malder.

der. 1. 2. q. 13. art. 6. disp. 56. & seqq. Gamach. ibid. cap. 3. Du Val ibid. in tract. de human. act. q. 3. art. 1. Ysambert. in 3. p. q. 18. Cabrera ibid. art. 3. Wigers 1. 2. q. 6. art. 1. & 2. num. 6. Cumel. 1. 2. discursu 2. assert. 4. Didacus Aluares disp. 3. de auxiliis num. 9. Petr. Ledesma tract. de auxiliis disput. de electione ad gloriam: Iosephus à S. Maria in tract. Thomist. q. 2. art. 3. Thomas Campanella in Centone Thomistico, Ludouic. à Dola in disput. quadrip. de concursu Dei, Thomas Puis à Ponte Lerin. in 1. p. q. 14. art. 13. dub. 5. Setibon. lib. 2. disput. 19. q. 2. Purean. 1. 2. q. 10. dubio 2. Didacus Ruis disput. 38. de scientia Dei, & pluribus seqq. vbi fusissimè, & exactissimè hanc veritatem Catholicam exponit, Scripturæque, Patrum, & Theologorum auctoritate confirmat: & plures alij, quos longissimum esset enumerare. Nam vt concludam verbis Pennoti lib. 1. cap. 17. *Post exortum nouorum hæreticorum*, (Lutheranos & Caluinistas intelligit) *qui concessâ humanæ voluntati indifferentia, siue immunitate à necessitate coactionis, nihilominus ipsam voluntatem subiiciunt necessitati naturalis inclinationis, & determinationis ad vnum, nullus deinceps fuit inter Catholicos doctores* (hoc sæculo, & præcedenti Scriptorum feracissimo) *qui admiserit solam indifferentiam à coactione sufficere ad veram libertatis rationem constituendam.*

SECTIO XI.

Obseruationes circa communem illum Patrum, & Theologorum consensum.

62. *Temeritas aduersariorum.* EX dictis patet quantæ sit temeritatis, & imprudentiæ, tam vnanimi consensui Theologorum in materia fidei sese opponere: præsertim accedente communi etiam consensu Sanctorum Patrum; vt ostendimus disp. 31. 32. & 33. totque sacrarum literarum testimoniis in eundem sensum communiter expositis à SS. Patribus; & expressâ determinatione trium summorum Pontificum, Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. in Bullis cōtra Michaelem Baium, & Iansenium; satísque apertâ definitione Concilij Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. expressissimâ verò Concilij Senonensis Decreto fidei 15. & Coloniensis in Enchiridio.

63. *Consensus Patrum sequendus.* Estque obseruandum primò, In Concilio Lateranensi centum quinque Episcoporum sub Martino I. Consultat. 5. & in V. Synodo generali ab eodem Concilio citata, statutum fuisse vt sanctis Patribus consentientibus certò adhæreatur in materia fidei. Et meritò: quia non alia fuit Ecclesiæ fides quolibet sæculo, quàm omnium Patrum eiusdem æui. Quare si omnes illi errarunt aut vacillarunt in fide, errauit pariter aut vacillauit Ecclesia: quod sine graui errore & hæresi dici nequit. Multóque magis si communi Patrum consensui accesserit vnanimis sententia Theologorum, & Doctorum Catholicorum, vt in præsenti contigit. Quid enim aliud credit plebs fidelium, nisi quod accipit à suis Doctoribus & instructoribus? Quare si illi omnes errant, tota Ecclesia errat. Adde quod à Concilio Tridentino sess. 4. in decreto de editione & vsu sacrorum librorum, statutum fuit, ad coërcenda (vt ait) petulantia ingenia, *vt nemo sua prudentia innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinētium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Sanctorum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrà venerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* Videat prudens Lector num huiusmodi sint, & tales pœnas incurrerint, qui tot Scripturæ loca, de libertate indifferentiæ intellecta & exposita vnanimiter à Sanctis Patribus, aliísque Doctoribus Catholicis, ad hæreticorum sensum de libertate solùm à coactione detorquent.

Obseruandum 2. cùm soleant Doctores Scholastici variè sentire de rebus, ad fidem non pertinentibus, & in opinione positis: omnes tamen, siue Scotistas siue Nominales, siue Thomistas, & quoscunque alios, in libertate indifferentiæ asserenda conuenire, tanquam veritate certissimâ, Scripturæ & Patrum auctoritate confirmatâ, contrariúmque dogma tanquam falsum & erroneum constanter reiicere: plerosque etiam vt hæreticum, & fidei contrarium expressè damnare. Vt facit in primis D. Thom. q. 6. de malo, cuius verba retulimus alibi, & eius exemplo plures eius discipuli, vt Didacus Aluares disp. 3. de auxiliis num. 17. vbi dicit hæresim Caluini esse, Deum ita inchoare & perficere in nobis bonum opus, mouendo liberum arbitrium, vt nostra voluntas non liberè, sed solùm motu spontaneo motionem diuinam sequendo cooperetur. Et Petrus Ledesma in tract. de auxiliis, disp. de electione ad gloriam, vbi affirmat *certum esse secundum fidem*, libertatem propriè dictam, non solùm coactionem, sed etiam necessitatem excludere. Et Thom. Puis à Ponte Lerin. in 1. p. q. 14. art. 13. dub. 5. *Libertas*, inquit, *arbitrij est indubitata in fide: & non est sermo de libertate à coactione, sed de libertate contradictionis.* Et Cumel ad 1. 2. discurs. 2. assertione 4. vbi sic habet: *Libertas non consistit solùm in eo, quod est agere libenter & spontaneè, seu voluntariè præcisè, quamuis hoc fiat cum aduertentia, & cognitione eius, sed vlteriùs requiritur potestas agendi & non agendi, per quam homo, seu creatura rationalis habet dominiū in proprias actiones, seu indifferentiam quandam in agendo.* Et paulò pòst: *Hæc assertio est de fide, nam sequitur ex omnibus locis Scripturæ superiùs citatis, & ex communi omnium Sanctorum Patrum consensu, quos retulimus.* Et Cabrera in 3. p. qu. 18. art. 3. vbi postquam dixit libertatem dupliciter vsurpari à Theologis: primò latè & minùs propriè prout opponitur coactioni & violentiæ. Secundò, strictè & propriè, prout opponitur necessitati absolutæ; quo sensu id quod est absolutè necessarium, etsi coactum non sit, sed spontaneum & connaturale, non est liberum. Subiungit, hanc libertatem ita strictè & propriè sumptam, adeò certam esse, vt sine errore in fide negari non possit. Idque probat duplici argumento: quia scilicet Concilia, & Sancti Patres sæpè docent libertatem voluntatis quæ est capax meriti & præmij, esse oppositam non solùm coactioni, sed etiam necessitati. Et hæretici negantes libertatem vo-

64. *Scholastici omnes conueniunt in asserenda libertate indifferentia.*

Plerique damnant heresis oppositum.

luntaris, damnantur quia affirmant in voluntate existere necessitatem operandi, quamuis illam sponte, & non coactè operari concedant. Et Iosephus à S. Maria in tract. Thomistico q. 2. art. 3. vbi affirmat *esse heresim manifestam negare liberum hominis arbitrium perstitisse in statu naturæ corruptæ. Specialiter de libertate opposita necessitati, non coactioni, quam moderni hæretici negant: sicut elicitur ex Bullis Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaelem Baium, in quibus inter alias eius propositiones damnatas, hæc erat: Quod voluntariè fit, liberè fit quamuis necessariò fiat. Hic est communis tam Scholasticorum, quàm Sanctorum Patrum sensus.*

65. Eandem illi censuram inflixerunt plures alij Theologi: vt Ruard. Tapper art. 2. vbi Lutheri errorem esse dicit, & hæresibus Manichæorum, aliorúmque libertatis euersorum accenset. Et Franciscus Horantius in locis Catholic. lib. 1. cap. 49. vbi dicit esse errorem Caluini, falsò attributum D. Augustino ab eodem Caluino. Et Ioan. Malder. Episcopus Antuerp. 1. p. disputat. 59. vbi affirmat, Sectariorum (id est, Caluinistarum, & Lutheranorum) esse, non plus ad libertatem requirere, quàm ad rationem voluntarij. Eundem hunc errorem Caluini esse dicit Marius Scribonius lib. 2. Pantalith. disp. 19. q. 2. & Cunuerus Episcopus Leouardiensis lib. de lib. arb. cap. 5. vbi affirmat, de libertate voluntatis à coactione nunquam fuisse aut potuisse esse quæstionem: quippe quam omnes euidentissimè in se sentiunt, & sine qua natura voluntatis aliter concipi non potest: sed de libertate indifferentiæ semper Ecclesiam cum hæreticis conflixisse.

66. His adde Bellarm. lib. 3. de Gratia & lib. arb. capite 4. vbi hâc propositâ quæstione, Vtrum ad liberum arbitrium constituendum requiratur libertas à necessitate: an verò sufficiat ea quæ est à coactione? Respondet hæreticos huius temporis sentire hoc secundum sufficere: sed ex Catholica doctrina omnino requiri libertatem à necessitate, neque satis esse libertatem à coactione: idque ait demonstrari posse ex testimoniis Scripturæ, ex definitione Ecclesiæ, ex traditione Patrum, & ex lumine rationis. Adde etiam Gabrielem Pennot. lib. 1. Propugn. cap. 16. vbi pronunciat *errorem in fide manifestum esse* dicere voluntatem eâ solâ ratione liberam vocari posse, quòd sit immunis à violentia & coactione, & quòd sponte agatur suâ: Oppositúmque secundùm fidem Catholicam absque dubio asserendum esse, veram libertatem, maximè quam diuinæ Scripturæ constituerunt in homine viatore, non solùm excludere necessitatem coactionis & violentiæ, sed naturalis determinationis & ineuitabilitatis ad vnum. Simili modo loquitur Esthius in 2. distinct. 7. §. 7. vbi dicit arbitrij libertatem, quam contra hæreticos veteres & nouos defendit Ecclesia, consistere in facultate eligendi alterutrum oppositorum. Idémque repetit distinct. 24. §. 1. vbi tum ex Scriptura, tum ex Tridentino, & damnatione propositiónum Baij in Bullis suprà citatis, id confirmat. Idem etiam dicit, & eodem planè modo confirmat Alexander Pesantius 1. 2. q. 6. art. 3. disput. 4. conclus. 2. Et Ioan. Wigers Professor Louaniensis ad eandem quæstionem 6. articulo 2. *Hæretici huius temporis*, inquit, *vt Caluinus, Lutherus, & alij, non agnoscunt in nobis libertatem illam quæ opponitur necessitati in operando, sed tantummodo, quæ opponitur coactioni. Volunt enim actiones nostras ex necessitate à nobis fieri, quamuis non coactè, quia sine voluntatis nostræ repugnantia scilicet spontaneè fiunt, sed ex præuia determinatione, cui non potest resistere voluntas. Sed contra hos certâ fide tenendum est, in homine, etiam post lapsum, superesse naturalem facultatem liberam, dictam liberum arbitrium.* Et Ioan. Puteanus 1. 2. quæst. 10. dubio 2. vbi propositâ hâc quæstione, An libertas detur in nobis hoc nomine, quòd non cogamur inter operandum, an verò quia non necessitamur? Respondet, hæreticorum nostri temporis errorem esse, hominem dici liberum hoc solo titulo, quòd non cogatur in suis actionibus exercendis: daríque solùm in nobis libertatem à coactione, non à necessitate. Et Andreas Du Val Professor Sorbon. 1. 2. tract. de humanis actionibus quæst. 5. articulo 1. dicit hanc hæresim esse Caluini circa liberum arbitrium, quòd tantùm existimet hominem esse liberum à coactione, ita vt eius voluntas cogi & violentari nequeat: non autem à necessitate: quia, inquit, necessariò trahitur à tentatione dæmonis, aut à gratia Dei. Et Ysambertus alter Sorbonæ Professor 3. p. quæst. 18. disput. 2. art. 2. proposit. 1. postquam asseruit libertatem humanæ voluntatis Christi Domini non esse tantùm liberam à coactione, sed etiam à necessitate, addit, hanc propositionem ita certam esse, vt sanctus Thomas dicat contrariam esse hæreticam. Et omnes hæreticos etiam nostri temporis, qui damnati sunt ab Ecclesia eò quòd negarent liberum arbitrium, non induxisse coactionem, sed solummodo necessitatem: & nihilominus fuisse condemnatos.


Et denique Schola Parisiensis in Censura lata anno 1560. die 27. Iunij damnauit vt hæreticas has propositiones: *Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita. Libertas & necessitas eidem conueniunt respectu eiusdem. Liberum arbitrium liberè vult quidquid sponte suâ voluntariè vult: ita vt quod necessariò vult, idem liberè velit. Homo necessariò peccat, etiam damnabiliter, in aliqua specie peccati: & actus ad quem necessariò fertur, est illi peccatum: quare vt liberè feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum.* Et anno 1644. die quinto Iunij prohibuit tam Doctoribus, quàm Baccalaureis, ne probent, vel sustineant propositiones per Bullas Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. prohibitas: inter quas sunt tres istæ: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* 67. *Notatur etiam censura Sorbon.*

Estque tertio loco obseruandum, ipsos etiam physicæ prædeterminationis assertores ab hoc dogmate, tanquam erroneo in fide, & hæretico abhorrere se profiteri. Cuiusmodi sunt inter suprà nominatos Didacus Aluarez, Cabrera, Thomas Puis, Cumel, Petrus Ledesma, & Iosephus à Sancta Maria. Vellem autē omnes huic sententiæ addictos accuratè perpendere primò, itáne senserint antiquiores Thomistæ qui Dominicum 68.

Bannez præcesserunt. Nam certè eorum testimonia, quorum aliqua retulimus suprà, & plura referuntur à Didaco Ruis disput. 49. de scientia Dei sectione 6. videntur aliud docere, & omnem prædeterminationem physicam à causis liberis excludere. Secundò, satisne recedant reipsa ab isto nouo dogmate, quando dicunt prædeterminationem se tenere ex parte causæ: & talem esse, vt eâ positâ non possit voluntas non operari secundùm illam, in sensu composito prædeterminationis cum voluntate: adeóque necessitatem antecedentem ad operandum inducere: sine illa verò esse impossibile vt operetur, in sensu composito carentiæ prædeterminationis cum voluntate. Atque ita verbi gratia sine auxilio gratiæ prædeterminante physicè ad amorem Dei, esse impossibile voluntati amare Deum: cum illa verò esse impossibile non amare. Tertiò, num testimonia Scripturæ & Patrum, relata & expensa disp. 30. & tribus sequent. & quæ retulimus ex Conciliis ibidem, illam necessitatem antecedentem ortam ex prædeterminatione non minùs excludant, quàm alias ortas ex Dei præscientia, vel à bona, aut mala anima, vel à fato & influxu astrorum, vel à gratia, vel à concupiscentia: vt voluerunt Manichæi, Astrologi, Priscillianistæ, Adrumetini, Wicleffistæ, & moderni hæretici, nouiq; Dogmatistæ eos secuti. Quartò, num solutiones, & expositiones, quas ipsi adhibent Scripturę Conciliorum & Patrum testimoniis, argumentísque propositis, similes sint effugiis & elusionibus refutatis disp. 30. sect. 6. & seqq. & num plerique aduersariorum iisdem vtantur, acceptis (vt aiunt) à Didaco Aluare, & aliis eiusdem sententiæ auctoribus, vt recèns adductis eorum verbis ostendit Francisc. Annat. disputat. 4. de scientia media toto capite quarto. Denique, vtrum illi omnes, quos suprà refutauimus, aliter voluerint præscientiam Dei, vel bonam aut malam animam, vel influxum stellarum, vel gratiam præuenientem, aut concupiscentiam prædominantem, inducere voluntati necessitatem operandi, nisi in sensu composito voluntatis cum præscientia, vel tali influentia astrorum, vel gratia præmouente, vel premente concupiscentia, aut bonâ vel malâ animâ prædominante. Et vtrum negauerint voluntatem retinere potestatem aliter faciendi in alia suppositione, posséque non ita operari remotâ præscientiâ, vel tali influentiâ, vel huius aut illius animę dominatione, vel gratiâ aut concupiscentiâ. Et tamen damnati fuerunt ab Ecclesia, eò quòd necessitas antecedens, quam in sensu composito ab his causis induci putabant, repugnat libertati. Videant ergo num pariter illi repugnet necessitas antecedens, quam induci volunt à prædeterminatione physica. Consideréntque Ecclesiam & Sanctos Patres petere rationem istius repugnantiæ ex necessitate simpliciter, non autem ex aliqua speciali illius causa. Quas cùm varias assignauerint prædicti infideles & hæretici, Stoici & Simoniani, fatum; Manichæi, bonam vel malam animam; Astrologi, seu Planetarij, & Priscillianistæ, motus & influxus astrorum; Ethnici quidam, & Wicleffistæ, præscientiam Dei; Adrumetini, gratiam; eandem gratiam respectu bonorum operum, & concupiscentiam respectu malorum, Lutherani & Caluinistæ: fuerunt tamen omnes æquè damnati vt libertatis euersores. Nimirum quia nihil interest quæ sit causa necessitatis, si illa est æquè antecedens, & æquè tollit indifferentiam voluntatis, essentialem ipsius libertati. Non ignoro quę his solent respondere aduersarij: sed ea nondum satisfacere ostendunt quæ opponit P. Francisc. Annat. disput. cit. cap. 4. §. 3. & nos inferiùs plura dicemus disp. 36. sect. 6. & seqq.

Damnatur quoque à prædeterminatoribus, sed parum coharenter.

Cetera quæ addit Iansenius capite 34. & reliqua parte libri 6. vt eludat argumenta contra ipsius & Caluini sententiam de amissa libertate indifferentiæ proponi solita, fuerunt satis superque refutata aliis locis. Nam quod ait cap. cit. circa verba Ecclesiastici 15. reiectum fuit disput. 30. sect. 8. Quod addit sequenti cap. 35. liberum esse quod habemus in potestate, quódque fit cùm volumus, aut si volumus, nihil fauere eius sententiæ demonstrauimus disp. 31. sect. 3. & 4. Explicationem verò quam adhibet cap. 36. Censuræ Pij V. & Gregorij XIII. in Bulla contra Baium, illusoriam esse probauimus in eadem disputatione sect. 10. Quod deinde adducit cap. 37. de firmitate & immutabilitate voluntatis Dei & Beatorum, ac determinatione ad bonum, soluta fuerunt disp. 31. sect. 7. Quod denique subiungit cap. 38. est tantùm breuis repetitio eorum quæ dixerat cap. 4. & seqq. ferè viginti duobus, quæque à nobis fuerunt refutata in hac ipsa disputatione & tribus præcedentibus. Nunc ad ea progrediamur, quæ toto libro 7. prosequitur de libero arbitrio. 69.




DISPVTATIO XXXV.

De causa, & obiecto libertatis: & quam indifferentiam postulet?

SECTIO I.

Refertur doctrina Iansenij.



HÆc tria sibi discutienda proponit Iansenius lib. 7. cap. 1. in fine post breuem anacephalæosim eorum quæ toto libro superiore dixerat. Docétque primò, esse aliquid præter nudam facultatem voluntatis, quod eam facit velle vel nolle, ponítque ipsius actum in arbitrij potestate; & quo absente foret impotens, præsente fit potens, siue ad bonum, siue ad malum. Probat 1. quia fidei dogma est, actus quosdam esse omnino extra potestatem voluntatis, nisi Deus potestatem ipsam volendi per suam gratiam largiatur; esséque aliqua impedimenta voluntatis, quæ nisi dissipentur, fieri nullo modo potest vt velit, multò minùs vt fortiter velit. Idem secundò patere dicit experientiâ quotidianâ; vt de seipso testatur Augustinus lib. 8. Confess. cap. 8. cùm luctam internam, quam pro sua conuersione patiebatur, conatúmq; voluntatis frequentet

1. *Est aliqua causa libertatis.*

irritum, & consuetudinis vinculo præpeditum describit. Tertiò, inquit, eadem causa est cur dæmones & damnati non possint velle bonum: nimirum propter insolubile vinculum voluntatis, quo ab illo retrahuntur: & contrà Beati non possint velle malum, neque cessare à Deo diligendo, quia vinculo quodam delectabili constrictæ sunt eorum voluntates, quòd abrumpere nequeunt.

2. *Vult Iansenius illam esse cognitionem, & delectationem.* Docet secundò, cognitionem, ac delectationem, seu delectabilem obiecti complacentiam, esse id quod tantam potestatem in liberum voluntatis arbitrium habet, vt eam faciat velle vel nolle; siue vt eâ præsente actus volendi sit reipsâ in eius potestate, & absente non sit. De cognitione nemo dubitat: nemo enim velle potest quod ignorat. De delectatione idem creberrimè docet Augustinus: vt lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Quis habet*, inquit, *in potestate, tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat?* Et lib. de spirit. & lit. cap. 35. *Quis nesciat non esse in hominis potestate quod sciat: nec esse consequens vt quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, nisi tantùm delectet, quantùm diligendum est?* Et cap. 3. *Cùm id, quod agendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur.* Cùm igitur vera causa cur arbitrium ad appetendum aliquid moueatur, sit delectatio, quâ intrinsecùs in ipsa voluntate mulcetur: hinc est quòd consequenter Augustinus docet tam in appetendo, quàm in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Nam cùm hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate, seu quod sit cùm volumus: necesse est illud ipsum quod arbitrio volendi nolendíque causa fuerit, etiam causam esse libertatis. *Hæc voluntas* (inquit lib. 1. ad Bonifacium) *quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Et cap. 30. Enchiridij: *Qualis potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat: liberaliter enim seruit, qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccatum liber est.* Et serm. 5. de verbis Apostoli cap. 9. & 10. lib. de continent. cap. 8. & in caput 5. epist. ad Galat. alibíque sæpius, dicit voluntatem amplecti bonum, vel malum, prout huius aut illius delectatione vincente præuenitur. Et hactenus de causa libertatis. Iam de obiecto.

3. *Et libertatem esse circa finem.* Docet tertiò, libertatem iuxta Augustinum non solùm esse circa media, vt volunt plerique recentiores: sed etiam maximè circa finem. Nam finem maximè & propter se volumus, & propter ipsum cetera volumus. Liberum autem est, iuxta Augustinum, quod fit cùm volumus: & ipsum velle finem maximè fit cùm volumus. Item cùm liberum sit quod est gratiâ sui, & non seruit alteri: volitio finis est maximè libera, quia maximè est gratiâ sui, illíque seruit appetitio mediorum. Tertiò, cùm id sit liberum, quod delectat: sequitur appetitionem finis esse maximè liberam, quia maximè delectat. Quartò, cùm id sit maximè liberum, ex Augustino, quod minimè coactum est, seu vi necessitatis extortum: necesse est motum in finem esse maximè liberum, quia maximâ voluntate, minimâ necessitate prouocatum: media autem, vt media, non tam voluntaria, quàm necessaria sunt: quia non appetuntur nisi vt necessaria ad finem. Idcirco Augustinus de vltimo fine hominis sic ait tract. 101. in Ioannem: *Ad istum*, inquit, *fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus enim est liber, quia propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic seruit actio: ad hunc refertur quidquid bene agitur quia propter hunc agitur, ipse autem non propter aliud, sed propter semetipsum tenetur, & habetur. Ibi enim finis qui sufficit nobis.* Déque aliis finibus non vltimis dicit libro primo de Musica capite 2. & 10. ideò liberè appeti, quia gratiâ sui appetuntur, & dominantur electioni, vsuíque mediorum. Media verò dicit non ita liberè appeti, quia appetuntur ex necessitate: libro de spirit. & litera cap. 31. & in Psalm. 5. & & 134.

Docet quartò, libertatem diuidi ab antiquis Scholasticis cùm Magistro, Bernardo, & Hugone à sancto Victore, in libertatem à necessitate, à peccato, & à miseria. Quarum prima vocatur libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Sed D. Augustinum de duabus quidem prioribus frequenter loqui: de tertia non item, quia ad arbitrij libertatem parum facit, nisi quatenus ad libertatem à peccato aliquo modo reducitur: & bimembrem fere libertatis diuisionem vbique tradit, nimirum in libertatem à peccato, & à iustitia. Libertas enim à necessitate, seu coactione, seu naturæ, quæ idem sunt, non est membrum à duabus illis libertatibus diuersum, sed aliquid vtrique commune, & ab vtrauis inseparabile, sicut genus à speciebus suis. Nihil enim omnino vel à peccato, vel à iustitia liberum esse potest; nisi simul naturali illa libertate à coactionis necessitate sit liberum. Neque quidquam, vice versa, à necessitate liberum est, quin in alterutrum istorum membrorum incidat. Atque hanc diuisioné adæquatam esse, quia nulla omnino libera voluntas est media, docet Augustinus cùm sic ait: *Semper autem est in nobis voluntas libera: sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona.* Quod non solùm intelligit de potentia voluntatis, semper subiectâ peccato vel gratiæ: sed etiam de actu. Nam illa nunc semper in omni humano motu suo, vel peccato malè agendo seruit: vel bene faciendo, iustitiæ. Bonum enim & malum in moribus sunt obiectum adæquatum voluntatis. vt propterea necesse sit voluntaté rationalem alterutro delectari vel bono, vel malo. Bonum est Deus, seu iustitia sempiterna: malum, creatura. Si Deo delectatur, seruit iustitiæ, & libera est à peccato: sin autem delectatur creaturâ, seruit peccato, & libera est à iustitia. Prior delectatio habetur per gratiam: posterior ab ipsa voluntate fluit, quæ ad peccandum sibi sufficit. Vtraque libertas adiunctam habet oppositam seruitutem. Nam qui liber est à peccato, seruit iustitiæ, id est, Deo quem amat. Qui autem liber est à iustitia, seruit creaturæ quam malè diligit. Ideóque Augustinus vtramque coniungit libro 1. ad Bonifacium capite secundo, & in Enchiridio cap. 30. & in Psal. 67. & Prosper contra Collat. cap. 9. Vtraque liberas duplicem habet terminum: *à quo*, & *ad quem*. Terminus *à quo* est ille à quo tanquam impediente, & retrahente ne in actum exire

4. *Et duplicem tantùm esse: à peccato, & à iustitia.*

possit, libera & immunis voluntas nominatur. Terminus *ad quem* est ille, propter quem operandum voluntas liberatur. Cúmque delectatio iustitiæ, vel peccati, sit illud vinculum, quo liberum arbitrium in iustitia, vel peccato ita firmiter ligatur, vt quandiu isto stabiliter possidetur, & constringitur, actus oppositus sit extra eius potestatem; ita videlicet vt arbitrium non liberatum, eum velle non possit: Hinc est quòd Augustinus cum Pelagianis de arbitrij libertate disputans, semper de libertate à peccato mentionem facit. Peccatum enim est illud ipsum quod ponit actum voluntatis bonum extra arbitrij potestatem: & è contrario, gratia est id quod ponit illum in potestate, quia voluntatem velle facit, sine qua bene velle nullo pacto potest. Hoc autem est liberum, quod est in arbitrij potestate, seu quod fit cùm vult.

Docet quintò, hallucinari Theologos, & à
5. *Quid intelligat per eiusmodi libertatem?* mente D. Augustini longè aberrare, quando libertatem à peccato nihil aliud esse putant, quàm peccati remissionem. In quo imitantur (inquit) Iulianum, libertatem arbitrij à peccato simili modo exponentem apud Augustinum libro primo Operis imperfecti contra eundem, folio 122. & seqq. Contra quam expositionem insurgit Augustinus ibidem, aliísque locis, affirmans duplex esse peccati malum: nempe reatum culpæ coram Deo, & morbum concupiscentiæ, qui per peccatum primi parentis ad nos deriuatur, & peccatis cuiusque propriis sic augetur, vt tandem in quandam peccandi necessitatem, & quasi naturam transeat, nisi diuinæ gratiæ potestate superetur. Quod quandiu non fit, mens sub illo malo seruiliter captiua detinetur: non hoc sensu solùm, quòd peccati rea sit, & peccati præteriti remissione indigeat: sed isto potiùs, quòd mens ab illo delectabili glutine consensum suum expedire nequeat, vt à futurorum peccatorum commissione liberetur. Hanc ergo liberationem intelligit Augustinus per libertatem à peccato: nempe auxilium gratiæ ad singulos actus necessarium, etiam iustificatis à peccato, vt dominentur concupiscentiæ qui ei antea seruiebant. Et ista est gratia liberatrix arbitrij, quæ ad actus bonos liberum arbitrium facit, id est, eos ponit in illius potestate: quod non facit remissio peccati, quæ medetur quidem peccatis præteritis, sed non prospicit futuris, neque tollit morbum concupiscentiæ, eiúsve dominatum: sed actuale adiutorium gratiæ ad hoc necessarium est. Similique modo per seruitutem peccati non intelligit Augustinus solum reatum culpæ nondum remissæ: sed captiuitatem sub concupiscentia: conformiter ad sensum Scripturæ Ioan. 6. & 8. & Rom. 6. 7. & 8.

6. *Terminus à quo vtriusque libertatis.* Docet sextò, terminum *à quo* liberationis à peccato, esse dominatum concupiscentiæ: terminum verò *ad quem* duplicem esse: vnum positiuum, alterum negatiuum. Negatiuus est, non consentire concupiscentiæ ad peccandum. Positiuus, consentire iustitiæ, seu veritati, vt voluntas bonum velit & operetur. Vtrumque expressit Augustinus, & positiuum causam negatiui esse dixit libro de continent. cap. 3. aliísque locis: quia scilicet, cur non seruitur concupiscentiæ, causa est, quia gratia facit vt delectemur iustitiâ, illámque exerceamus. Facit, inquam, vt credamus, & diligamus Deum, illíque per fidem & amorem seruiamus: quæ seruitus est vera libertas arbitrij, vt ait Augustinus lib de spirit. & lit. cap. 30. lib. de vera religione cap. 46. lib. de quantitate animæ cap. 34. lib. de moribus Ecclesiæ cap. 11. Et quia Deus hoc nobis præstat inspirãdo delectationem caritatis, quâ vincatur delectatio concupiscentiæ: idcirco Augustinus hanc liberationem vbiq; tribuit caritati: vt lib. de natura & gratia cap. 65. & lib. 1. Operis imperfecti fol. 123. & lib. 3. ad Bonifac. cap. 4. aliísque locis: & delectationi præuenienti, quâ bonũ placet, & per quam bonum libenter ac delectabiliter fit, tract. 41. in Ioan. & Psal. 67. & lib. de spirit. & lit. cap. 15. & lib. 1. de nuptiis cap. 31. alibíque sæpius. Ex quibus concludit Iansenius tanquã sibi certum, & compertum ex diuturna & attenta lectione Augustini, non aliam in vniuersis operibus eius repertum iri libertatem lapsi hominis, nisi quatenus arbitrium ex vna parte à dominante peccato, id est, ab imperantis & sæuientis concupiscentiæ iugo liberatur: ex alia verò, suaui, delectabili, ideóque libera caritate subiugatur Deo, vt opus bonum, superatâ per delectationem spiritus concupiscentiæ delectatione, non timore pœnæ, sed amore iustitiæ, non inuitè, sed amanter, suauiter, & libenter velit & faciat. Quam solam esse veram, & genuinam libertatem affirmat: illi verò similem esse alteram seruitutem, per quam simili planè modo peccato, seu concupiscentiæ libenter seruiat, & opera iniquitatis liberè, quia lubenter ac delectabiliter, operetur. quæ à Scriptura, & Augustino seruitus peccati, & libertas iustitiæ dici solet. Huc vsque Iansenius.

SECTIO II.

Refutatur doctrina proposita.

IN hac tota Iansenij doctrina multa sunt fal- 7.
sa, & iam sufficienter alibi refutata. Nam *Impugnatur quod ait de delectatione necessitante.* quod ait primò, voluntatem per se solam non esse potentem ad volendum & agendum quidlibet, neque ad vincenda quæcunque impedimenta volendi vel agendi: ideóque egere subsidiis & adiumentis, per quæ fiat potens, ac proinde completè libera, & expedita ad ea volenda vel agenda quæ alioqui non posset: eandémque ob causam semper & in omnibus actibus egere delectatione aliqua præueniente, per quam fiat potens, & consequenter libera: cùm nihil velle possit nisi præueniente aliqua delectatione, cuius (vt alibi affirmat) motum necessariò sequetur si sola est, vel maior quàm opposita, si simul occurrant: vult enim necessariò id, quod eam magis delectat. Hoc, inquam, quoad posteriorem partem, in qua falsitas dogmatis eius consistit, nihil aliud est, quàm inutilis repetitio eorum quæ scripserat lib. 4. de Gratia Christi Saluatoris cap. 1. & pluribus sequentibus, quæque à nobis refutata fuerunt disp. 28. sect. 2. & 3. vbi ex ipsomet Augustino probauimus voluntatem sæpe agere bene vel malè, præueniente alio motu, quàm delectationis: & quando ista præuenit, siue sola, siue cum alia minori; non propterea voluntatem necessariò illam sequi, sed ita ei consentire, vt possit dissen-

tire si velit, quotiescunque consentit imputabiliter bonæ vel malæ delectationi ad bonum vel malum excitanti.

8. *Et per eam nos liberos fieri.* Secundò, quod ait voluntatem liberam fieri per huiusmodi delectationem, tam in appetendo, quàm in omittendo peccato: quia liberum est quod habemus in potestate, & fit cùm volumus: hæc autem delectatio ponit actum in potestate vt fiat cùm volumus: adeóque est causa libertatis. Hoc, inquam, falsum pariter esse, & doctrinæ Augustini repugnans, liquet ex dictis disput. 31. sect. 3. & 4. vbi ostendimus habere in potestate iuxta illius sensum, & aliorum Patrum, communémque hominum intellectum, non dici nisi de iis, quæ possumus facere, & non facere, vt libuerit: siue de illis disponere ad libitum: & fieri *cùm volumus*, aut *si volumus*, non dici nisi de iis, quæ facimus quia volumus, non autem quia non possumus à faciendo abstinere; quæque vt ait Augustinus lib. de Spirit. & lit. cap. 31. facimus si volumus, & non facimus si nolumus. *Hoc enim*, inquit, *habere quisque in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Et quando necessitas est causa volendi vel agendi aliquid, non rectè dicimur velle aut facere quia volumus, sed quia non aliter possumus. Cùm ergo delectatio, iuxta doctrinam Iansenij, necessitatem imponat voluntati ad volendum & agendum, quidquid bene aut malè vult & agit; quippe quæ non potest velle, nisi præuiâ delectatione aliquâ necessitante ad consensum siue bonum, siue malum, vt ipse affirmat: falsum est talem delectationem ponere actum in potestate vt fiat cùm volumus, & si volumus, & non fiat si nolumus; ac proinde causam esse libertatis, seu facere vt illum liberè exerceamus.

9. *Quomodo libertas sit circa finem.* Tertiò, verum quidem est libertatem non solùm versari circa media, sed etiam circa finem, siue non vltimum, siue etiam vltimum, & quidem etiam verum & beatificum, sed nondum clarè visum & possessum. Possumus enim circa illum exercere libertatem contradictionis, amando hîc & nunc, vel abstinendo ab eius amore: neque enim necessitamur ad illum continuò & sine intermissione amandum. Possumus etiam, propter assequendi difficultatem, ab eius appetitione efficaci, & prosecutione desistere. Possumus loco veri vltimi finis, alios nobis præstituere, & vel in voluptatibus vt Epicurei, vel in diuitiis & honoribus, commodisque huius vitæ eum constituere. Sed falsum est libertatem vel circa finem, vel circa media ita versari, vt in illis appetendis antecedentem necessitatem patiatur: esséque liberum libertate propriè dictâ, & necessariâ ad actus morales & imputabiles, motum illum, siue actum, circa finem, & media, vel aliud obiectum, quem voluntas non habet in potestate ita vt possit ab illo abstinere si velit. Vt enim ait August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. *Motus quo huc aut illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.* Plura eiusdem S. Doctoris, aliorúmque Patrum testimonia in eundem sensum retulimus alio loco, disputat. 31. & seqq. Quare ad eiusmodi libertatem (de qua in præsenti quæstio est, quámve olim Ecclesia contra Manichæos, & alios veteres libertatis euersores, & nunc etiam contra Lutheranos, & Caluinistas defendit, atque in Concilio Tridentino sessione sexta cap. 5. & canone 4. & 5. stabiliuit) non sufficit quòd aliquid sit gratiâ sui, & non seruiat alteri, vel quòd delectet, vel minimè coactum sit, & violentâ necessitate extortum: sed necessarium est vt sit in potestate, & dominio voluntatis, ita vt possit velle aut nolle illud ponere, vel non ponere, amplecti vel respuere vt libuerit. Atque inde est quòd amor beatificus circa Deum finem vltimum, clarè visum & possessum, non sit liber hoc genere libertatis: quia prodit à voluntate necessitata per claram visionem tam excellentis boni. Neque de illa loquitur Augustinus ab aduersario citatus, cùm de fine beatifico sic ait tract. 101. in Ioannem: *Solus enim est liber, quia propter se appetitur:* sed liberum ibi sumit pro independente, & libero à subiectione, & seruitute alterius: vt indicat ratio ibidem subiuncta, *quia propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic seruit actio, ad hunc refertur quidquid bene agitur, quia propter se agitur,* (atque eatenus ab illo pendet eique subiicitur) *ipse autem non propter aliud, sed propter semetipsum tenetur & habetur:* atque ita liberum est à subiectione, & subordinatione alterius, ratione cuius ametur: Eodémque sensu liberum sumit libro 1. de Musica capite 2. & 10. cùm de finibus non vltimis dicit, eos liberè appeti, quia gratiâ sui appetuntur &c. Contrà verò si media ad finem consequendum necessaria, vel vtilia, sic appetuntur à voluntate, vt possit non appetere: non obest libertati hæc subordinatio, & necessitas aut vtilitas mediorum, quódque illis indigeamus ad finem consequendum: neque facit vt non liberè appetantur. Déque illa necessitate mediorum, & indigentia respectu finis loquitur Augustinus tum lib. citato de Musica, tum aliis locis postea relatis ab aduersario, cùm dicit lib. de Spirit. & lit. cap. 81. & in Psal. 5. & 134. media non ita liberè appeti, quia appetuntur ex necessitate: id est, ex indigentia ad assequendum finem, qui sine illis obtineri nequit: putà domus vt commodè habitemus, vestimenta vt tegamur, & frigus arceamus, alimenta vt vitam conseruemus. Quæ idcirco dicit non *appeti liberâ voluntate:* id est, independenti à tali necessitate: sed necessitate, oppositâ scilicet tali independentiæ.

Quartò, falsum est quod ait, libertatem naturæ, siue à necessitate, eandem esse cum libertate à coactione: & non esse membrum distinctum à libertate à peccato, & à iustitia; sed aliquid vtrique commune, & ab vtrauis inseparabile, sicut genus à speciebus suis. Nam quòd libertas naturæ, quæ aliter dicitur libertas à necessitate, vocatúrque libertas naturæ, quia est homini connaturalis, non sit idem cum libertate à coactione simpliciter dicta (de qua loquitur aduersarius) siue à violentia extrinsecùs illata; sed cum libertate à simplici necessitate, opposita indifferentiæ; liquet ex dictis disp. 30. sect. 3. & seqq. totáque disp. 31. 32. 33. & 34. vbi testimoniis D. Augustini, & aliorum Patrum, Doctorúmque Catholicorum id demonstrauimus. Falsum etiam est libertatem 10. *Defenditur triplex libertas.*

naturæ, hoc vero sensu intellectam, esse inseparabilem à libertate à peccato, & à iustitia, sed illis semper adiunctam, seu potiùs indiuisam reperiri. Nam Beati, qui sunt liberi à peccato, non habent libertatem indifferentiæ circa peccatum, neque circa amorem beatificum, & iustitiam consummatam: & è contrario, dæmones & damnati, qui sunt liberi à iustitia, id est, illius expertes, non habent libertatem indifferentiæ ad illam obtinendam; & exercendam, & ad non peccandum, vt sæpius affirmat Iansenius. Quòd autem addit, diuisionem illam libertatis esse adæquatam, quia non datur medium inter actus bonos & malos; adeóque nulli sunt medij, siue indifferentes: & actum esse bonum, si est amor Dei: malum, si est amor creaturæ: hoc, inquam, satis alibi refutatum fuit disp. 17. num. 16. & seqq. & disp. 29. sect. 2. & 3. nam priore loco ostédimus nihil ad fidem pertinere, dentúrne actus indifferentes etiam in indiuiduo, id est, medij inter bonos & malos moraliter, per negationem vtriusque extremi: partémque affirmantem tenuisse non solùm aliquot celebres Theologos; sed & aliquos de Sanctis Patribus, illis etiam, qui hæresi Pelagianæ fortiter restiterunt: vt de S. Hieronymo ibidem demonstrauimus. Posteriori loco, adductis pluribus Scripturæ, & Patrum, ipsiúsque D. Augustini testimoniis probauimus, non solum amorem Dei, siue affectum caritatis erga Deum, esse bonum moraliter; sed etiam quoscunque affectus aliarum virtutum caritate inferiorum: neque omnem amorem creaturæ vitiosum esse nisi propter Deum diligatur: sed quodcunque bonum honestum posse laudabiliter appeti propter se, iuxta bonitatis suæ gradum: ita scilicet vt vitiosè non præferatur maiori bono, præcipuéque ipsi Deo, ad quem subinde nos ipsos, & nostra omnia referre debemus per actum aliquem superiorem, velut ad finem nostrum simpliciter vltimum.

11. *Augustinus admittit duplicem liberationem à peccato.*

Quintò, falsum est D. Augustinum per libertatem, aut liberationem à peccato, non intelligere liberationem à reatu culpæ, quæ fit per remissionem peccati: sed liberationem à dominatu concupiscentiæ, quæ fit per gratiam auxiliantem, & adiuuantem vt non ampliùs ei seruiamus, & in peccatum relabamur: atque idcirco reprehendere Iulianum, quòd libertatem, & liberationem à peccato priori modo intelligeret. Nam ex ipsismet locis Augustini citatis ab aduersario, manifestum est non reprehendi Iulianum, eò quòd per liberationem à peccato, remissionem culpæ intelligi vellet; sed eò quòd, præter illam, negaret intelligendam esse quoque liberationem à dominatu concupiscentiæ, quæ fit per auxilium gratiæ actualis, necessarium vt non peccemus, sed bene operemur, & perseueremus in accepta iustitia. Hoc enim clarè indicant hæc Augustini verba, Iulianum sic alloquentis loco primùm citato ab aduersario: *Attende quod dictum est, omnis qui facit peccatum. Non enim ait: Qui fecit: sed, Qui facit. Et non vis ab hoc malo liberare homines? Non vis eum hoc loco talem promittere libertatem, quâ peccatum non faciamus: sed ideò tantummodo liberare, quia fecimus.* Quæ postrema verba, *sed tantummodo*, &c. apertissimè significant duplicem agnosci ab Augustino liberationem à peccato: vnam à peccato quod fecimus, quam Iulianus quoque admittebat: alteram, quam ille negabat, à peccato, quod sine auxilio gratiæ facturi essemus. Hoc item indicant hæc eiusdem sancti Doctoris verba, loco posteriùs allegato à Iansenio, vbi refutans expositionem Iuliani, volentis Apostoli verba, *Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ*, &c. Rom. 6. ob hoc solum dicta esse, quod illi, de quibus loquitur Apostolus, detrectassent iustitiæ præcepta seruare: ideóque serui, & rei peccati fuissent, & liberi iustitiæ: sic ait: *Si ob hoc solum dicti sunt homines liberi fuisse iustitia, quòd detrectassent eius præcepta seruare: ergo antequam acciperent præcepta iustitiæ, quæ detrectarent, non erant liberi iustitia, seruique peccati. Quis hoc dixerit?* Et paulò inferiùs, relatis Iuliani verbis, *Nihil aliud dixit Magister Gentium, nisi liberi fuistis, non seruistis iustitiæ, liberati estis, peccatorum veniam suscepistis, manente arbitrij libertate, per quam potuerunt, & antè peccato, & posteà obedire iustitiæ*: subiungit, & respondet Augustinus: Ex isto hæretico sensu, quo dicitis, non fieri per gratiam liberationem à peccato, nisi cùm de præterito accipitur venia; non autem etiam ne dominetur peccatum, cùm quisque concupiscentiâ suâ trahitur in eius assensum; etiam Sanctorum orationibus contradicitis. Nota quod ait, *Si ob hoc solum*, &, *Non autem etiam*, &c. Qua ampliatione perspicuè significat liberationem à peccato dupliciter fieri: remittendo scilicet peccata commissa, & iuuando per gratiam ad non committenda: in eóque solum reprehendi Iulianum, quòd hoc posterius negaret.

Sextò denique, quo sensu intelligendum sit quod ait Augustinus, liberationem à seruitute concupiscentiæ fieri per delectationem caritatis, exposuimus disputat. 28. section. 2. & 3. probauimúsque eum loqui de delectatione caritatis latiùs sumptæ pro amore iustitiæ, seu cuiuscunque boni honesti vt talis, & loqui non de eo quod semper, sed quod frequenter fit: alibíque expressè dicere nos etiã timore, aliísque bonis affectibus præuenientibus excitari interdum, & iuuari, vt concupiscentiæ resistamus, & virtuti adhæreamus. Quare quod addit Iansenius, támque confidenter affirmat, non aliam in vniuersis operibus Augustini reperiri libertatem lapsi hominis, nisi quatenus arbitrium ex vna parte à dominante peccato, id est, ab imperantis, & sæuientis concupiscentiæ iugo liberatur: ex alia verò, suaui, delectabili, ideóque libera caritate subiugatur Deo, vt opus bonum amore ipsius libenter velit, & operetur: cui similis est alia falsa libertas, & potiùs seruitus, quâ libenter seruitur concupiscentiæ, & malum fit delectabiliter. Hoc, inquam, euidenter falsum est: siue intelligat Iansenius non aliam apud Augustinum reperiri liberationem à peccato, quàm per caritatem strictè, & propriè sumptam: vt patet ex dictis loco proximè citato: siue generaliùs affirmet nullam aliam in scriptis Diui Augustini reperiri libertatem hominis lapsi, quàm illam à se descriptam, & eo sensu, quo ipse vult, intellectam de delectatione caritatis præueniente, & necessitante ad consensum. Perspicuum enim est Augustinum pluribus locis, & tum in libris ante exortam hæ-

12. *Quid intelligat per delectationem caritatis.*

resim Pelagij scriptis, tum etiam post, expressisse libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum: atque de eius notione, & veritate nullam cum Pelagianis habuisse contentionem, sed tantùm de necessitate gratiæ, sine qua liberum arbitrium non est sufficiens ad bené operandum, peccatúmque vitandum; ceteroqui verò cum illis consensisse in definitione, & confessione liberi arbitrij: vt apertis eius testimoniis demonstrauimus disputatione 5. section. 2. & disputat. 31. sectione 1. Quæ cùm Iansenius non ignorauerit, quippe tam longo tempore in Diui Augustini lectione versatus; satis mirari nequeo quod tam asseueranter scribere ausus est capite 9. eiusdem libri septimi: *Hoc mihi confidenter asserere licet, in vniuersis voluminibus quæ contra Pelagianos exarata sunt, totóque illo conflictu de salua, destructáve per gratiam arbitrij libertate, non aliam vllam elucere libertatis arbitrij faciem, nisi quam produximus, nec esse vestigium vllum quo Augustinus vnquam de tali indifferentiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitâsse, multò minus ad eam depellendæ calumniæ causa confugisse videatur.*

SECTIO III.

De natura libertatis, & multiplici eius statu, atque indifferentia.

13. *Veram libertatem ait esse caritatem.* HAc de re Iansenius libro septimo capite 8. & sequentibus: cuius doctrina ad has quinque propositiones breuiter reuocari potest. Prima est, veram libertatem, seu potestatem faciendi bonum, esse animæ sanitatem: & hanc non esse aliud, quàm caritatem: vt ait Augustinus tractatu 9. in epistol. Ioan. & libro de Perfectione iustitiæ capite quarto. Sicut è contrario morbus animæ est concupiscentia, quâ à se quodammodo diuiditur, & contra seipsam luctatur, viribúsque suis distractis fit infirmior. Et sicut sanitas dat homini robur, & vires operandi: ita caritas, quæ est animæ sanitas, dat illi potestatem bene agendi: adeóque liberam facit ad bene operandum. Sicut etiam caritas sensim perficitur, & magis ac magis crescit, donec in cælo perfecta sit: ita & libertas sensim incrementum, & perfectionem suam assequitur: vt idem Sanctus Doctor ait epist. 89. quæstion. 2. & epist. 107. in fine, & Fulgent. libro de Incarnatione & gratia capite 19. Iisdem enim gradibus crescit, & decrescit libertas arbitrij, quibus sanitas caritatis, per quam à dominante, & in peccatum trahente concupiscentia liberamur. *Ignorantia autem minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia minuitur caritate magis magisque feruente:* inquit Augustinus libro sexto contra Iulianum capite decimo-sexto. Et *caritatis venenum est cupiditas; nutrimentum eius, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas:* vt ait libro 83. quæstionum quæst. 36. Ob eandémque causam docet habuisse Adamum in statu innocentiæ perfectam libertatem, quia aberat tunc omnis concupiscentia: & talem quoque fore Beatorum libertatem, ab omni peccato, & concupiscentia remotissimam: nunc autem esse imperfectam etiam in iustis, quia sentiunt legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & coguntur identidem exclamare cum Apostolo, Rom. 7. *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Falluntur autem qui putant Beatos, ex mente Augustini, fore perfectiùs liberos, quia ad hoc vel illud bonum eligendum magis indifferentes. Cùm Augustinus maiorem illam perfectionem libertatis in eo constituat, quòd Beati sint ab omni delectatione peccati, & à peccandi periculo remotissimi, & bono firmissimè atque indeclinabiliter addicti: siue, quòd liberum arbitrium sit potentius ad non peccandum, hoc est, stabilius, & in iustitiæ, quæ Deus noster est, dilectione confirmatius. Nam (inquit) Diuus Augustinus ne somniauit quidem vnquam de absonis illis glossis verborum eius, quæ illis manifestè repugnant.

Secunda propositio est, liberum arbitrium esse quidem proprium naturæ intellectualis: non habere tamen in omnibus eandem latitudinem: sed prout natura diuersa est, vel diuersimodè affecta in præmium boni operis, vel in pœnam peccati, ad actuum plura paucioráque genera dilatari, aut restringi. Quare natura diuina, quæ immutabiliter bona est, summo bono, hoc est, ipsi Deo immobiliter adhæret. Creatura verò, eò quòd ex nihilo facta est, de se mutabilis est circa bonum, & malum, & ab amore Dei ad amorem creaturarum flexibilis: vt ait Augustinus libro vndecimo de Ciuitate, capite decimo, & epist. 56. Vnde fit vt arbitrium naturæ incommutabilis peccare non possit: mutabilis, possit. Sic enim Creatoris liberum arbitrium est, vt non nisi bonum velle possit. Creaturæ verò sic liberum est, vt velle possit bonum & malum. Tale fuit arbitrium Angelorum, & primi hominis ante peccatum: & quidem huiusmodi, vt liberrimè vel in bono persistere possent, in quo conditi erant; vel illud deserere, & ad malum deflectere. Sed in peccantibus illa æquabilis libertatis indifferentia velut bilancis æquilibrium periit: ita vt nihil boni operari possint: sicut è contrario Angeli qui perseuerarunt, ita fuerunt in bono stabiliti, vt nihil mali deinceps operari possent. Atque ita quadruplex est status libertatis. Primus ipsius Dei naturaliter immutabilis in amore boni. Secundus naturæ creatæ per se consideratæ, & indifferenter mutabilis ad bonum & malum. Tertius eiusdem naturæ per gratiam, & naturæ diuinæ participationem factæ inflexibilis ad malum. Quartus eiusdem naturæ creatæ factæ per peccatum impotentis ad bonum. In quibus omnibus statibus seruatur liberum arbitrium circa actus bonos & malos, quos exercere possunt: quippe ad quod nihil aliud requiritur, quàm habere actum in sua potestate. neque indifferentia ad bonum & malum oritur ex natura libertatis, sed ex nihilo creaturæ. Neque est de ratione, & perfectione libertatis, quòd possit à bono deficere: sicut non est de perfectione intellectus, quòd possit errare: vel de perfectione hominis, quòd possit mori. Neque etiam est de perfectione viatoris: quia Christus sine illa fuit viator: & esset similiter ille, cui Deus ab

14. *Et libertatem esse diuersam in diuersis naturis, aut statibus.*

Iansen. cap. 10.

initio vitæ tantam daret in bono firmitatem, quantam habent Beati.

15. *Et Pelagianum esse dicere libertatem non esse sine indifferentia ad bonum, & malum.* Ianſ. c. 11.

Tertia propoſitio: error Pelagianus eſt dicere non eſſe liberum, cui non in vtrumque contrariorum, bonum videlicet & malum, par poteſtas eſt: vt patet ex verbis Iuliani apud Auguſtinum libro primo Operis imperfecti fol. 118. 122. & 150. & Pelagij in libello ſuæ fidei, quem ad Innocentium Pontificem miſit. Quem errorem, hæreſis Pelagianæ nidum, refellens Auguſtinus aſſeuerantèr docet ad libertatem arbitrij non eſſe neceſſariam illam ad vtrumque contrariorum, bonum videlicet atque malum, indifferentiam: ſed totam eius naturam in alterutro oppoſitorum duntaxat, ſiue in bono, ſiue in malo, ſublatâ alterius poteſtate poſſe ſaluari, vt videre eſt libro primo ad Bonifac. capite tertio, & libro 1. Operis imperfecti contra Iulianum fol. 150. 153. & ſequentibus, vbi ex ſententia Iuliani ſequi dicit Deum non fore liberum, quia malum velle, & peccare non poteſt. Ex eóque infert, quòd ſicut Deus habet liberum arbitrium circa bonum, tametſi ferri nequit in malum; ſicut & Angeli, & animæ beatæ: ita è contrariò, liberum eſſe arbitrium circa malum, licèt ferri nequeat in bonum: quale eſt arbitrium in hominibus lapſis auxilio gratiæ deſtitutis, & in dæmonibus, atque damnatis, qui verè, adeóque liberè peccant, licèt in bonum ferri nequeant, & neceſſariò malo ſemper adhæreant. Quòd ſi interdum D. Auguſtinus negat eſſe in peccatoribus liberum arbitrium, quia ſeruiunt concupiſcentiæ: non hoc dicit habito reſpectu ad terminum *ad quem*, quaſi non verè liberè exerceant actus peccati, quos voluntariè, & delectabiliter exercent: ſed habito reſpectu ad terminum *à quo*, quia ſcilicet non ſunt liberi à tyrannide concupiſcentiæ, ſed iugo eius ſubiecti, atque à iuſtitia liberi: quæ falſa libertas, & vera ſeruitus eſt.

16. *Addit neque libertatem contradictionis eſſe de illius conceptu.* Ianſ. c. 14.

Quarta propoſitio: Non eſt quoque neceſſaria ad libertatem indifferentia contradictionis, ſiue poteſtas ad agendum, & non agendum. Nam ex eo ſequeretur primò, operationem diuinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrij libertati: quippe cuius delectatio cæleſtis (ſine qua non poteſt agere) eam determinat ad agendum: & ita diametraliter repugnat philoſophicæ libertati, ſeu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eámque determinatè facit velle, & agere bonum: nolléque, & omittere malum. Multóque magis hoc præſtat in Beatis, qui rapti torrente cæleſtis delectationis non poſſunt iuſtitiam non diligere, & iniquitatem non odio habere. Et ſicut hæc perfecta gratia Beatorum tollit indifferentiam contradictionis: ita & gratia imperfectior viatorum. Eadem enim eſt repugnantia in qualitate ſiue intenſa, ſiue remiſſa: ſicut, v. grat. calor ſiue intenſus, ſiue remiſſus, repugnat frigori. Quare tam in viatoribus, quàm in Beatis, gratia quæ facit facere, directè repugnat libertati, ſi libertas in indifferentia agendi, & non agendi, ſita eſt. Sequeretur ſecundò, multò magis omnem concupiſcentiæ motum ſimiliter directam habere repugnantiam cum libertate: cùm hoc efficiat blanditiis motus ſui, vt qui ad agendum, & non agendum, ante motum quoquò eſſet indifferens, ipſo motu libidinis in alteram partem, inſtar æquilibrij, cui pondus additur, impellatur. Sequeretur tertiò, omnes habitus, & conſuetudines animi, ſiue bonas, ſiue malas, directè repugnare libertati: quia directè repugnant æquabilitati iſtius indifferentiæ. Nam hoc proprium habituum munus eſt, facilitatem operandi afferre facultati: & conſequenter difficultatem operandi oppoſitum: ita vt, Pelagianis ipſis fatentibus, indifferentia peccandi, & non peccandi, per conſuetudinem, ſiue habitus intenſos tandem interimatur. Vt enim ait Auguſtinus libro octauo Confeſſ. capite quinto: *Dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*, &c. Et libro primo Operis imperfecti contra Iulianum fol. 156. dicit ipſum hoc idem fateri, his verbis: *Tu quoque ipſe in libro nouiſſimo tuo eorum, quos contra vnum meum quatuor edidiſti, ex paſſionibus, & affectionibus animi dicis euenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ita inhæreſcere, vt aut magnis molitionibus, aut nullis omnino ſeparetur. Quiſquis ergo eâ timiditate peccauerit, quæ ab illo non poteſt ſeparari, quid aliud quàm neceſſitate peccabit?*

Quartò, ſequeretur meritum bonum, & malum eo minus eſſe, ac decoloratius; quo quis in bono vel in malo firmioribus habitibus fixus, & radicatus fuerit, vel efficacioribus motibus gratiæ tractus: grauiſſimorum proinde peccatorum delicta eſſe minora; Sanctorúmque actiones eo eſſe in præmio deterioris notæ, quo habitus, aut gratiæ motus, eos magis ex æquilibrio indifferentis illius libertatis extraxerint, & ad alteram partem, ſiue ad agendum, ſiue ad non agendum inclinauerint. Meritum enim ac demeritum, omnium hominum iudicio, ex arbitrij libertate maximè ponderatur. Hæc autem minuitur, aut tollitur per id omne, quod aut minuit, aut tollit indifferentiam, ſi verum eſt illam in indifferentia conſiſtere. Quintò, ſequeretur Chriſtum Dominum, ac Beatos, vi amoris Beatifici omnem omnino libertatem amiſiſſe ad implenda præcepta naturalia & poſitiua, quatenus præcepta ſunt: quia non habent libertatem ne quidem contradictionis ad ea ſeruanda vt talia, id eſt, ſecundùm id totum quod præceptum eſt, aut vllam eius partem. Sextò, etiam ſequi videtur nullum conſilium à Beatis cum indifferentia libertatis impleri. Non enim eſt liberum Beatis mentibus, nihil niſi Deum in omnibus, & ſuper omnia diligentibus, Dei conſilium de meliori bono prætermittere. Septimò, dubitari meritò poſſet, ſintne Beati liberi circa omnia, quæ Deus præſcripſit ab illis fieri. Vident enim in æterna illa veritate quæcunque Deus de ſe ſuiſque præſcripſit, vſque ad vltimas circumſtantiarum fibras. Deus autem præſcribit illis omnia, quæ quoquo modo illi ſecundùm prudentiæ regulas agenda indicant. Vnde enim alioquin agendum iudicarent id, quod ponderatis omnibus circumſtantiis agunt, niſi ex iſta incom-

17. *Incommoda quæ putat ſequi ex oppoſito.*

mutabili veritate? Cùm igitur ab huius veritatis amore deflectere non possint, quia caritas nihil aliud est, quàm æternæ veritatis amor: nihil possunt eorum, quæ præscripsit, prætermittere. Carent igitur indifferentiâ agendi, & non agendi, in omnibus illis quæ incommutabili veritate præscribuntur. Idipsúmque docet Augustinus libro 13. Confess. capite 15. libro octauo de Genesi ad lit. cap. 24. libro tertio de Trinitate capite tertio, libro 22. contra Faustum capite 27. Confirmatur: quia Beati semper faciunt quod optimum esse videtur, & Deo gratissimum spectatis omnibus circumstantiis. Ad hoc enim eligendum vi castissimi amoris Dei alligati sunt. Nihil autem melius, & Deo gratius esse indicant, quàm quod in illa æterna veritate præscriptum vident: alioquin suam liberam electionem circa aliud meliorem esse iudicarent; & sic æternæ veritatis discretores potiùs, ac desertores forent, quàm sectatores; & supremam statuerent regulam eligendi ipsam eligentis voluntatem.

Iansf. c. 15.

18\. *Negat libertatem consistere in amplitudine.* Quinta propositio: Cùm libertas, ex Augustino, consistat in liberatione ab amore mutabilium rerum, & adhæsione caritatis ad Deum: ex immensa amplitudine summi boni cui adhæret, maximam affectus amplitudinem consequitur; & ex eminentia creaturis omnibus excelsiore, summam eminentiam, & independentiam, quatenus eius affectus ab omnibus liberatus est, vt eis, instar dominantis, vti & non vti possit, prout dilecta veritas incommutabilis iubet. Non propterea tamen in hac amplitudine, & eminentia consistit formalis ratio seu natura libertatis, vt quidam recentiores volunt: neque Augustinus vsquam in illa constituit: sed potiùs est quædam proprietas seu conditio consequens libertatem. Ineptéque ad contrarium probandum adducitur quod ait conc. in Psal. 100. versu 2. *Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est.* Nam ibi non est sermo de libertate arbitrij; sed de cruciatibus conscientiæ, quibus fit vt animus afflictus, & quasi arctatus fugiat foras in sensibilia: & amissâ animi tranquillitate, quietem in nugis quærat: cùm è contrario, libenter intret in conscientiam innocentia, tanquam vbi nullas angustias patitur; & quasi in latitudine constituta, in suo corde lætetur. Ex illa verò sententia sequeretur non esse liberum arbitrium in peccatoribus: quippe qui carent huiusmodi amplitudine, & eminentiâ. Quod planè repugnat doctrinæ Augustini, disertè affirmantis non periisse liberum arbitrium per peccatum, sed manere etiam in peccatoribus, esséque liberum ad peccandum: vt videre est libro primo ad Bonifac. capite secundo. Deinde hæc sententia ab Augustino deuiat, quia in hac ipsa bona beatáque arbitrij libertate asserenda, nunquam tangit Augustinus amplitudinem & similia: sed semper illa duo, liberationem à malo, & delectationem in bono. Ex quibus duobus quàmuis amplitudo possit sequi; nunquam tamen vllum vestigium reliquit Augustinus, ex quo colligi posset eum libertatem in ista formalitate collocasse. Tertiò denique, auctores illius sententiæ tantùm respexerunt ad libertatem, quam Augustinus contra Pelagianos defendit: non ad eam, quam contra Manichæos, & contra Ethnicos, qui nihil de tali amplitudine per gratiam, seu caritatem diuinam cogitabant, sed de illa libertate, quâ iuxta omnium hominum sensum, etiam Paganorum, & eorum qui ignorant, vel negant Deum, liberi arbitrij esse dicimur in quibuscunque rebus ciuilibus, & moralibus, seu bonis, seu malis. Quam Diuus Augustinus contra illos defendens & exponens, nullam facit mentionem libertatis à peccato per gratiam; sed eam omnino in omnibus actionibus nostris, quæ non nisi volentibus nobis fiunt, saluam, & incolumem esse testatur: & illam actionem nobis liberam esse expressè diuersísque locis docet, quam habemus in nostra potestate: illam non esse, quam non habemus. Ex qua definitione destruit Manichæorum simul, & Philosophorum sententiam, & aliorum qui suspicati sunt libertatem arbitrij, quâ peccamus, & bene facimus, ex diuinæ prouidentiæ necessitate subuerti. Hæc est autem illa libertas, vnde arbitrium liberum faciendi quod volumus, habere dicimur, quam Manichæi, & Stoica fata subruunt, quam homines in seipsis esse sentiunt, de qua denique quæstio est quando de liberi arbitrij natura cum Philosophis, & Manichæis, & Catholicis disceptamus. Huc vsque Iansenius.

Iansf. c. 16.

SECTIO IV.

Examinantur assertiones prædictæ.

19\. *Caritas complet libertatem.* Circa quæ dico primò, gratiam præuenientem, & iuuantem ad bene operandum, siue sit delectatio caritatis, siue alterius generis, dare quidem aliquatenus, & completè libertatem ad bene agendum, quatenus dat, & complet potestatem ad exercendos actus, quos sine illa, seu per solas naturæ vires non possemus exercere: & sanitatem animæ afferre, quatenus robur illi dat tum ad bene operandum, tum etiam ad resistendum concupiscentiæ, eiúsque impetus frænandos, ac sensim minuendos: atque illam sanitatem sensim crescere ac perfici, quo morbus concupiscentiæ magis magísque minuitur, quóve potestas bene operandi fit per gratiam robustior; & ab impedimentis, ac difficultatibus bene operandi liberior. Quo sensu dicit Augustinus Adamum in statu innocentiæ liberrimum fuisse, quia liberrimè poterat operari quod vellet, nullam patiens difficultatem à concupiscentia, quæ tunc planè aberat. Eodémque sensu dicit Beatos esse magis liberos circa bonum, quàm viatores; quia carent fomite, & motibus concupiscentiæ, súntque à peccandi libidine remotissimi. *Sed non est propriè ipsa libertas.* Sed falsum est libertatem propriè dictam esse formaliter ipsam caritatem, aut generaliter quamcunque gratiam præuenientem, & auxiliantem: cùm, vt alibi demonstrauimus, de natura libertatis propriè dictæ sit potestas indifferentiæ ad agendum, & non agendum, aut etiam ad agendum hoc vel illud: caritas verò, & aliæ gratiæ creatæ auxi-

liantes non habeant huiusmodi potestatem indifferentiæ, sed naturaliter sint determinatæ ad suas operationes, neque possint eas suspendere. Imò neque libertatem complerent excitando, & iuuando ad bene operandum, si vera esset doctrina Iansenij: sed potiùs illam perimerent, aut eius vsum impedirent; si nimirum imponerent voluntati necessitatem agendi, vt ipse vult, eámque de sua indifferentia extraherent, & ad agendum hîc & nunc determinarent tam quoad speciem actus, quàm quoad exercitium. Cùm enim libertas propriè dicta consistat formaliter in potestate indifferentiæ, vt quinque præcedentibus disputationibus fusè probauimus, ipsiúsque Augustini auctoritate confirmauimus; euidens est nihil ei magis repugnare, quàm necessitatem, & determinationem ad vnum.

20. *Neque id docet Augustinus.* Neque his repugnat quod ait Augustinus libro de natura & gratia, capite tricesimo-quinto, vt refert Iansenius, *Quid liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato?* Et in Enchirid. capite 105. *Non ideò libero carebit arbitrio: multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato.* Et libro vicesimo-primo de Ciuitate capite 30. *Nec ideò* (inquit de Beatis) *liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt: magis quippe erit liberum, à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Et libro 22. capite 30. *Erit ergo illius ciuitatis, & vna in omnibus, & insuperabilis in omnibus voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum, vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Et libro de perfectione iustitiæ capite 4. *Quia peccauit voluntas, sequuta est peccantem, peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè viuendi voluntas, ita sit etiam & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.*

21. *Exponuntur eius loca obiecta.* Hæc, inquam, & similia à Iansenio relata capite nono, non obsunt iis quæ suprà diximus. Non enim affirmat Augustinus Beatos fore liberos ad peccandum, quod non possunt: vel ad Deo fruendum, à cuius fruitione, & amore beatifico non possunt abstinere: sed vt fusiùs diximus disputatione tricesima-prima, sectione 7. sensus illius est Beatos fore perfectiùs, & potentiùs liberos ad bene operandum circa eos actus, & obiecta, in quibus exercendis, aut non exercendis, appetendis, aut non appetendis, liberam habent potestatem: quia hoc ipso quòd peccare non possunt, multò sunt liberiores in electione bonorum, dum inter ea sine errore, & periculo peccandi eligunt quod volunt, vt Augustinum exponit Esthius in 2. distinct. 7. vel etiam quod tunc erit perfectiùs liberum, quia non solùm à necessitate circa eiusmodi actus, & obiecta; sed etiam à peccato, & à miseria liberum erit: cuiusmodi non est in viatoribus: tandiu autem libertas naturalis arbitrij quodammodo captiua tenetur, quandiu illam duæ aliæ libertates, à peccato scilicet, & à miseria, minimè aut minùs plenè comitantur: vt ait Diuus Bernardus libro de gratia, & libero arbitrio. Vel tertiò, quia cùm posse deficere, & peccare, sit imperfectio, & infirmitas liberi arbitrij: perfectius erit & potentius, cùm ita bonum eligere poterit, vt peccare non possit. Vel denique, quia peccandi possibilitas, moraliter loquendo, impotentia potiùs quædam est, vt ait Augustinus libro decimo-quarto de Ciuit. capite 11. idcirco liberum arbitrium Beatorum, quod peccare non potest, minus habet impotentiæ, & eatenus fortiùs perfectiúsque liberum est.

Quando verò ait vltimo loco suprà relato, *Quia peccauit voluntas, sequuta est peccantem, peccatum habendi dura necessitas,* &c. Cui simile est quod ait alibi, *victa vitio, in quod cecidit, per peccatum voluntate, sequutam esse peccandi necessitatem:* non est sensus quòd ea, quæ fiunt ex simplici necessitate, sint verè ac propriè peccata: nam contrarium apertè docet libro tertio de libero arbitrio, capite primo, & decimo-octauo, & libro de vera religione capite decimo-quarto, & libro de duabus animabus, capite vndecimo & duodecimo, & libro de natura & gratia capite sexagesimo septimo, aliísque locis: sed sensus est quòd voluntatem Adami peccantem secuta est necessitas habendi peccatum, id est, concupiscentiam, quam peccati nomine sæpius cum Apostolo intelligit Augustinus, eiúsque motus inordinatos patiendi, & inuoluntarios, qui etiam ad peccandum interdum illis consentiendo moralem necessitatem imponunt propter magnam difficultatem eis continuò resistendi, nisi valde specialis Dei gratia infirmitati naturæ subueniat: similisque necessitas oritur etiam ex propriis cuiusque peccatis, quæ tametsi liberè fiant, ipsâ tamen consuetudine inuehunt tandem magnam abstinendi difficultatem, & actus similes indeliberatos frequenter extorquent: vt patet ipsâ experientiâ, & docet Augustinus loco infrà citando. Cùm autem addit aduersarius, expositionem suprà allatam, quòd maior illa libertas Beatorum non versetur nisi circa ea quæ possunt facere vel non facere, vel è pluribus vnum eligere, falsam, & commentitiam esse, ac Diuum Augustinum ne somniasse quidem vnquam de absonis illis glossis, &c. parum reuerenter tractat insignem Ecclesiæ Doctorem, Theologiæ principem, & optimum Diui Augustini interpretem, eiúsque doctrinæ sectatorem Diuum Thomam; qui postquam dixit in 2. sentent. distinctione septima, articulo 1. ad 1. liberum arbitrium esse rationalem potestatem, & se habere ad opposita; addit Angelos Beatos *posse velle hoc vel illud, quorum neutrum à fine deordinat, & sic saluari proprietatem rationalis potestatis, in quantum possunt hoc facere vel non facere; quamuis non possint in hac opposita bonum & malum.* Et quæstione 24. de veritate art. 1. ad 16. *Si aliqua creatura*, inquit, *adhæret immobiliter Deo,* (vt faciunt Beati) *non propter hoc priuatur libero arbitrio, quia potest adhærendo multa facere, vel non facere.* Nota quod ait, saluari libertatem, *in quantum possunt hoc facere vel non facere.* Et, *non propter hoc priuari Beatum libero arbitrio,*

22. *Quid intelligat per necessitatem peccandi*

quòd adhæreat immobiliter Deo, *quia potest adhærendo multa facere vel non facere.* Quibus verbis manifestissimè docet Beatos tantùm esse liberos, quatenus possunt aliqua facere, vel non facere, non obstante immobili & necessariâ adhæsione cum Deo.

23. *Iansf. malè sibi constat.* Denique, cùm in hunc modum exclamat Ianfenius hoc argumentum concludens c. 14. *Egregia sanè philosophia, præclara gratiæ laus, mira defensio humanæ libertatis,* &c. non aduertit se parum cohærenter loqui cum his quæ dixerat partim cap. 10. eiusdem libri 7. in quo examinando versamur, partim toto ferè libro de gratia primi hominis, & Angelorum, Adamum in statu innocentiæ, & Angelos dum essent in via, habuisse liberrimum arbitrium indifferentiâ contradictionis ad agendum & non agendum, peccandum vel non peccandum, perseuerandum vel non perseuerandum, non obstante gratiâ præueniente, quam loco posteriùs citato docet fuisse illis necessariam, non solùm ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis, vt possent bene operari, & perseuerare.

24. *Obiectum libertatis quodnam sit in Deo, & in aliis?* Dico secundò, liberum quidem arbitrium non se extendere ad eadem obiecta in quacunque natura intellectuali, sed ad ea solùm circa quæ habet vnaquæque potestatem indifferentiæ. ac proinde natura diuina non habet liberum arbitrium ad malum & peccatum volendum, quod absolutè repugnat naturæ diuinæ: neque etiam Beati, quia ratione Beatitudinis, & gratiæ consummatæ per gloriam, non possunt peccare: sicut è contrario dæmones, & damnati propter suam obstinationem, & statum damnationis, nihil facere possunt omni ex parte bonum. Verum pariter est, naturam intellectualem creatam habere ex nihilo suæ originis quòd sit ad malum indifferens, possitque peccare. Nam vt rectè dicit Augustinus libro de vera religione capite decimo-nono, *Bona sunt quæ vitiantur; sed ideo vitiantur, quia non summa bona sunt,* &c. *Cætera autem omnia, bona ex ipso sunt, quæ per seipsa possunt vitiari, quia per seipsa nihil sunt.* Similique modo Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicit, Ideò creaturas à Deo factas deficere posse peccando, quia ex nihilo factæ sunt. Et Gregorius lib. 5. Moralium cap. 25. *Omnis creatura, quia ex nihilo facta est, & per seipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere,* per peccatum scilicet. Sed quod addit Iansenius, libertatem creaturæ rationalis de se quidem indifferentem esse circa bonum & malum, sed in peccantibus illam æquabilis libertatis indifferentiam velut bilancis æquilibrium periisse, ita vt nihil boni operari possint, continet errorem fusiùs ab illo explicatum toto ferè libro tertio de statu naturæ lapsæ: quòd scilicet per peccatum Adæ perierit de humano genere libertas indifferentiæ ad bonum, & loco illius successerit malè agendi necessitas viribus eius ineluctabilis. Ad cuius refutationem sufficiunt quæ diximus disp. 18. sect. 1. & pluribus sequentibus, vbi ostendimus doctrinam istam manifestè repugnare Scripturæ, & Conciliorum definitionibus, & vnanimi Patrum consensui, speciatímque D. Augustini. quamuis autem posse peccare, & ad malum deficere non sit de perfectione libertatis, sicut posse errare non est de perfectione intellectus, sed potiùs vtrumque defectus quidam est: vis tamen libertatis in eo ipso exercetur, quòd liberè possit malum eligere & peccare, atque reipsa peccet: sicut vis intelligendi tunc etiam operatur, quando falsis assentitur. Non est quoque necessaria ad statum viatoris indifferentia circa malum, sine qua Christus viator fuit: & alij similiter esse possent: sed in eo casu non posset verè dici habere ipsos liberum arbitrium circa malum, aut circa quiduis aliud, ad quod non haberent potestatem agendi vel non agendi: qua sola dicimur, iuxta communem loquendi modum, habere aliquid in nostra potestate, & facere cùm volumus, vt liquet ex dictis disputatione 31. sect. 3. & 4.

Dico tertiò, Erroneum quidem esse dicere, non esse liberum arbitrium nisi sit indifferens circa bonum & malum, & de conceptu libertatis generaliter sumptæ prout abstrahit à Deo, & à creaturis, esse huiusmodi potestatem indifferentiæ ad bene vel malè operandum: ex quo sequeretur vel Deum non habere liberum arbitrium, vel non esse necessariò iustum, ita vt non possit peccare, quemadmodum rectè contra Iulianum argumentatur D. Augustinus locis à Iansenio relatis. Erroneum pariter est dicere parem nos habere potestatem ad bonum & malum, id est, nos æquè vtrumque posse solis naturæ viribus sine auxilio gratiæ: siue totum & perfectum bonum, vt volebant Pelagiani: siue inchoatum saltem & imperfectum, vt Semipelagiani: sic enim de illis refert sanctus Prosper in epist. ad Augustinum, præfixâ libro de Prædestinatione Sanctorum: *Consequens putant, vt quia præuaricator ideò dicitur non obedisse quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus fuisse quia voluit,* similiter naturæ viribus: *Et quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum: parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere: quem bona appetentem gratia Dei foueat,* in præmium boni meriti naturalis eam præcedentis: *mala sectantem damnatio iusta suscipiat,* in pœnam mali meriti seu peccati. Contra quem errorem docet fides catholica, vires naturales liberi arbitrij sufficere quidem ad peccandum: sed ad bene operandum & vtiliter ad salutem, necessarium illi esse auxilium gratiæ. Propter quod dicit Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 3. voluntatem nostram liberam quidem esse in malis, quia delectatur malis, (per se & sine auxilio gratiæ) liberam autem non esse in bonis, nisi liberetur per gratiam: id est, per eam præueniatur, & iuuetur ad bene operandum. 25.

At ex his inferre velle erroneum & Pelagianum esse dicere, de ratione creatæ libertatis, qualis est in viatoribus, esse quòd possint indifferenter circa bonum & malum versari; & liberum arbitrium tunc etiam exerceri, quando vel peccat, vel bene operatur cum potestate indifferentiæ; absurdissimum est: cùm potiùs hoc sit veritas Catholica, in Scripturis fundata, & à Sanctis Patribus communissimè tradita, atque à Concilio Tridentino satis expresè definita sessione sextâ capite quinto. Vbi operationem & vsum liberi arbitrij in assentiendo diuinæ vocationi, seu 26. *Libertas viatorum est circa bonum & malum.*

gratiæ

gratiæ præuenienti, explicat per hoc, quòd liberum arbitrium ita illi assentiatur, vt possit dissentire si velit, & abiicere inspirationem diuinam, quam recipit. Qua de re totâ videantur quæ diximus disput. 3. sect. 2. num. 13. & sequentibus.

27. *Dæmones quomodo peccant?* Porrò, sicut Angeli, & Beati non sunt liberi ad peccandum, quia nullam ad id habent indifferentiam: ita nec dæmones & damnati verè & liberè peccarent, nisi haberent aliquam indifferentiam abstinendi à peccato hîc & nunc, vel quoad speciem, vel quoad exercitium. Nullus enim peccat in eo, quod cauere nullo modo potest: vt verè ait August. lib. 1. de lib. arbit. c. 18. Verùm, vt alibi diximus, licèt dæmones & damnati sint ita obstinati in malo, vt nullum opus faciant omni ex parte bonum: non tamen faciunt necessariò quidquid mali faciunt: sed possunt ab hoc opere malo abstinere, aut desistere, & eatenus exercere libertatem contradictionis: vel loco istius facere aliud, & eatenus exercere libertatem specificationis: aut etiam loco operis mali facere aliquid indifferens, aut ab illo abstinere ex motiuo indifferenti. Idque supponit Ecclesia, cùm per exorcismos imperat dæmonibus vt à malo quopiam faciendo abstineant, vel ab incœpto desistant: patétque magorum experientiis dæmones hæc aut illa mala operari, vel ab illis inferendis cessare, prout à magis, quibus seruiunt, ponuntur aut tolluntur signa ad placitum instituta inter ipsos & dæmones. Denique, quando D. Augustinus negat esse in peccatoribus liberum arbitrium, quia seruiunt concupiscentiæ: non loquitur de libertate propriè dictâ, & oppositâ indifferentiæ; sed de libertate opposita seruituti peccati.

SECTIO V.

Refelluntur alia Iansenij propositiones.

28. *Gratia non necessitat voluntatem ad bonum.* DICO quartò friuola esse quæcunque profert Iansenius, vt probet indifferentiam contradictionis, siue potestatem ad agendum & non agendum, non esse necessariam ad libertatem. Nam ad primum respondeo, falsò supponi gratiam determinare voluntatem ad operationem, illámque necessitare ad consensum. Quod erroneum esse, & ad hæresim Lutheri & Caluini pertinere, liquet ex dictis disput. 22. sect. 2. & seqq. Neque video quo bono sensu dicat gratiam extrahere voluntatem de sua indifferentia, determinando ad assensum; si verum est quod idem asserit, amissam esse per peccatum Adæ libertatem indifferentiæ. Quomodo enim potest extrahi voluntas ex eo quod non habet? Ineptè quoque supponit gratiam, quâ Beati necessitantur ad actus beatificos & simpliciter necessarios, eandem esse, siue eiusdem speciei & rationis cum illa quâ præuenimur in hac vita, & excitamur ad bene operandum, & ab eâ tantùm differre per maiorem intensionem graduum. Nam Beati necessitantur ad visionem beatificam per lumen gloriæ, & præsentiam Dei per seipsum determinantis ad sui visionem: & per visionem, ad amorem & gaudium beatificum. Hæc autem plusquam specie differunt à gratia viæ, siue illuminationibus intellectus, & piis motionibus voluntatis, quas Deus viatoribus inspirat: quantum scilicet fides, & motio illi proportionata distant à lumine gloriæ, & clara Dei visione.

Ad secundum dico, si concupiscentiæ motus talis esset, vt absente gratiâ necessitaret voluntatem ad consensum, vt alibi affirmat Iansenius: verum esset illum repugnare directè libertati: quia tolleret indifferentiam, id est, illius vsum impediret, & potestatem resistendi adimeret. Sin autem, vt vera sententia & Catholica docet, motus concupiscentiæ, quibus consentiendo peccamus, non inferunt voluntati necessitatem consentiendi, sed alliciunt tantùm & prouocant ad consensum: non repugnant libero arbitrio, neque illius vsum adimunt, sed ad malum illius exercitium conantur inducere voluntatem. 29. *Neque concupiscentia ad malum.*

30. *Habitus nō repugnant libertati.* Ad tertium dico, habitus & consuetudines, siue bonas, siue malas, tametsi reddant faciliorem actum ad quem inclinant, & oppositum difficiliorem; id est, voluntatem minùs propensam ad istum reddant, & propensiorem ad illum; non propterea repugnare libertati indifferentiæ, quæ non in eo consistit, quòd voluntas sit in perfecto æquilibrio, ita vt nullo modo in hanc aut illam partem propendeat: sed in eo quod possit agere vel non agere, vt libuerit; aut è duobus eligere quod vult. Ex quo etiam fit vt non semper obsequatur inclinationi habitus, aut consuetudinis; sed contra maiorem illam propensionem operetur quando vult. Quandiu ergo remanet talis facultas in voluntate, manet libertas indifferentiæ, non obstante illo habitu, & consuetudine. Quanquam si valde intendatur per actus diu frequentatos, oritur tunc ex illo moralis quædam necessitas, id est, magna resistendi difficultas, per quam fit vt illi sæpe consentiamus: inde etiam fit vt sæpe ex improuiso, & sine deliberatione, ac proinde sine libertate prorumpamus in actus, ad quos tam vehementer inclinat, & quorum tam diuturna consuetudo in naturam quodammodo versa est. Quo sensu intelligenda sunt quæ opponuntur ex Augustino lib. 8. Confess. capite 5. & lib. 1. Operis imperfecti fol. 156.

Ad quartum respondeo, meritum quidem & demeritum nullum esse sine libertate indifferentiæ (quod tamen Iansenius dicere non potest iuxta sua principia, quibus affirmat nullum opus bonum fieri posse in hoc statu naturæ lapsæ sine præueniente gratia necessitante, nullúmque malum fieri nisi absente gratia, prædominante & necessitante concupiscentiâ) illámque esse doctrinam Ecclesiæ, & nominatim D. Augustini lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. & lib. 83. quæst. q. 24. & lib. de natura & gratia cap. 67. aliísque locis: non tamen ex sola libertate pensari meritum aut demeritum, sed & maximè ex actus boni vel mali natura, & intensione. Vnde fit vt quia maior gratia præueniens, vel habitus iam acquisitus facit ordinariè vt actus intensiores exerceamus, atque ad hoc facilitat & adiuuat; actus qui fiunt ex tali gratia, & habitu, sint maioris meriti apud Deum, quia magis feruentes, & intensi. Sicut etiam actus mali solent esse intensiores, ac proinde deteriores, & maioris demeriti, quando fiunt ex habitu vel 31. *Vnde pensatur meritum aut demeritum?*

consuetudine valde & potenter inclinante ad huiusmodi actus. Atque ita tantùm abest vt meritum bonum & malum sit minus ac decoloratius, quò quis in bono vel malo firmioribus habitibus fixus & radicatus fuerit, vel efficacioribus motibus gratiæ tractus, quemadmodum ait Iansenius: vt è contrario vtrumque inde soleat esse maius atque coloratius. Verissimum enim est quod ait S. Thomas libro tertio contra Gentes cap. 138. *necessitatem ex interiori inclinatione procedentem, laudem virtuosi actus non minuere, sed augere. Facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis. Patet enim quòd habitus virtutis quantò fuerit perfectior, tantò vehementiùs voluntatem facit tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere.* Vbi per *necessitatem*, intelligit moralem, ortam ex voto, siue obligatione agendi sponte susceptam ex motiuo religionis: vt patet ex verbis immediatè præcedentibus; non autem simplicem necessitatem, oppositam indifferentiæ. & sensus est: quòd ea quæ fiunt ex voto, non propterea fiunt minùs laudabiliter, sed potiùs magis, quia fiunt perfectiùs: sicut ea virtutum opera, quæ fiunt ex habitu, fiunt laudabiliùs, quia meliùs & intensiùs.

32. *Quomodo Christus & Beati sunt liberi circa præcepta?* Ad quintum respondeo, Christum & Beatos non fuisse aut esse liberos ad transgrediendum vllum Dei præceptum, siue totum & integrum, siue aliquam eius partem à Deo præceptam & determinatam: fuisse tamen aut esse liberos ad implendum hoc aut illo actu, & pluribus aut paucioribus, hoc aut illo tempore, & ex hoc aut illo motiuo, & maiore aut minore intensione actus, aliisve circumstantiis à Deo non determinatis. Neque enim Deus determinauit, aut præcepit vt Christus hoc potiùs actu voluntatis quàm illo, & vno tantùm aut tot actibus, & hoc tempore, hoc motiuo, hac intensione, duratione, &c. vellet præcepta positiua sibi data implere: sed liberaliùs & honorificentiùs cum illo egit, vt maiestatem tantæ personæ decebat. cùm ne quidem nobis seruis suis ita præcipiat, omnia determinando, sed plurima nostræ libertati morali relinquendo. Qua de re plura vide apud Martinon. tom. 4. disput. 11. sect. 3. 4. & 5. Quare nec etiam Beatis ita præcepit minutissimè omnia determinando, & nihil eorum libertati morali circa præceptorum obseruationem relinquendo. Christus autem verè implebat præceptum (sicut & nunc Beati verè implent) etiam quoad substantiam, & implebat sufficienter, quando efficaciter volebat illud exequi, & reipsa exequebatur: tametsi hic actus volendi aut exequendi non esset secundùm se necessarius, neque secundùm tales circumstantias, sed posset sine peccato, & inobedientia, velle & exequi per alium actum; & cum aliis circumstantiis. Sicut ex. gr. qui tenetur audire sacrum die festo sufficienter vult implere hoc præceptum, & reipsa implet, siue audire velit, & reipsa audiat primum sacrum, siue secundum, aut tertium, aut quoduis aliud, vel etiam plura audiat; quamuis singuli istorum actuum sint etiam moraliter liberi, quia nullus eorum est determinatè necessarius ad implendum præceptum.

33. Ad sextum & septimum respondeo, Beatos non minùs esse liberos circa Dei consilia amplectenda, quàm sint circa præcepta exequenda, modo suprà explicato. *Et circa Dei consilia?* Idémque dico de illis, quæ Deus Beatis præscribit quoad substantiam, simili modo quo præcipit, aut consulit. Sed falsum est quod supponit & affirmat aduersarius, Deum præscribere Beatis omnia quæ quoquo modo illi secundùm prudentiæ regulas agenda iudicant; & non posse aliunde iudicare quid sibi agendum sit perpensis omnibus circumstantiis. Quasi verò Beatis non sufficiat scientia perfectissima, quam, vltra visionem beatificam, de rebus moralibus habent; & prudentia, quam æquè, ac alias virtutes, habent in gradu excellenti; vt possint discernere quid sibi in singulis actionibus moralibus prudenter eligendum sit. Vnde collige huiusmodi prædefinitiones diuinas in æterna veritate contemplandas, non esse illis ad hoc necessarias. Quid verò in vniuersum sentiendum sit de huiusmodi prædefinitionibus circa actus humanos, quámve improbabiliter à nonnullis asserantur, vide apud auctorem citatum, tom. 1. disp. 19. nu. 74. & sequentibus.

34. *Deus non præscribit illis quidquid eligunt.* Neque verò de Beatis affirmat Augustinus quod illi imponit aduersarius: Deum scilicet præscripsisse illis quidquid prudenter eligunt. Quamuis enim dicat sanctus ille Doctor libro 13. Confess. capite 15. *Vident* (Angeli beati) *faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt. Semper legunt, & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim, & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.* Non propterea dicit Deum omnia illis præscribere secundùm omnium etiam minimarum circumstantiarum fibras: & consilium Dei, quod vident, omnia illa prædefiniuisse. Estque notandum obiter quod ait, *eligunt:* quo verbo significat contrarium eius quod intendit aduersarius: Beatos scilicet non carere liberâ eligendi potestate, id est, volendi vel non volendi, aut volendi hoc vel aliud, circa illa ipsa de quibus hic loquitur, licèt in Deo visa, & in hoc immutabili eius consilio contenta & lecta. Quamuis etiam dicat libro 8. de Genesi ad lit. capite 24. Angelos beatos facere in mundo corporeo quæcunque Deus iubet, & videre in illo incommutabilem eius voluntatem (quâ sic iubet) & secundùm illam suas dirigere voluntates, & *moueri eius imperio*: non nisi ineptè potest inde inferri, Ergo Deus præscribit illis omnia quæ ipsi eligunt, etiam quoad vltimas circumstantiarum fibras: cùm manifestissimum sit Augustinum loqui tantùm de præceptis. minùs ad rem facit quod deinde affert ex lib. 3. de Trinit. cap. 3. vbi Augustinus nihil affirmat, sed tantùm loquitur hypotheticè, & loquitur de præceptis, vt extrema verba indicant, *vt ei* (Deo) *subditus, eique obtemperans rectè faciat*. De iisdémque loquitur lib. 22. contra Faustum capite 27. sic dicens: *Sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem, & actionem suam: id enim sibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur iubet.* Vltimus denique locus relatus ex lib. 10. Confess. cap. 26. loquitur de viatoribus, & nihil ad rem pertinet. Loquitur enim Augustinus de seipso, & sui similibus, Deum consulentibus in hoc statu viæ: de quibus sic ait: *Vbique veritas*

præsides omnibus consulentibus te. Simul respondes omnibus etiam diuersa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt.

35. *Neque necessitantur ad optimum eligendum.* Falsum verò est quod ait Iansenius, ardentissimum Dei amorem necessitare Beatos vt pareant Deo, excellentiori modo quo possunt, & aptissima quæque seligant. Cùm ne Deus quidem, qui longè ardentiùs & perfectiùs seipsum amat, quàm vllus Beatorum, amore illo necessitetur ad faciendum optimo modo quo potest quidquid extra se facit, vel ad eligendum quidquid optimum est, vel aptissimum ad finem à se intentum. Certum enim est potuisse facere & eligere multa meliora, & aptiora iis quæ fecit: & in quamplurimis possibilibus nullum datur optimum, & aptissimum, ita vt melius, vel aptius dari nequeat. Et tametsi omnia conuenienter sapientérque fecit, & elegit: non tamen omnia quæcumque potuit, sed *quæ voluit fecit in cælo & in terra.* Psalm. 134. & *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ:* id est, liberè eligendo: consilium enim non est nisi de iis, quæ possumus facere aut non facere: & frustra consulit qui ad vnum determinatus est. Quare neque suprema excellentia operum, neque maxima aptitudo, fuit mensura operum diuinorum; sed libera eius volitio & electio.

36. *Reiicitur sententia Gibieuij de libertate.* Dico quintò, sententiam de libertate consistente in amplitudine voluntatis, &c. quam tacito auctoris nomine refert Iansenius capite 16. non iis solùm de causis improbandam esse, quas ipse contra illam proponit: sed ob multas alias, quas eruditè prosecutus est Eugenius Philadelphus in Exercitatione Scholastica de libero arbitrio, vbi demonstrat, quæcunque ad illam explicandam vel confirmandam dicuntur ab eius auctore, partim esse suspecta erroris in fide, partim malè cohærentia, & pugnantia inter se; partim supposititia, & malâ fide relata. Omisso autem illius sententiæ examine, & ampliori refutatione (quia Iansenij non est) aduerto eum peccasse in hoc ipso, quod in aliis reprehendit: cùm ait auctores illius sententiæ tantùm respexisse ad libertatem, quam Augustinus contra Pelagianos defendit; non ad eam, quam contra Manichæos, & contra Ethnicos, qui nihil de tali amplitudine per gratiam, seu caritatem diuinam cogitabant. Nam neque ipsemet ad illam respexit, quando scripsit capite 7. eiusdem libri 7. §. *Eandem libertatem*, non aliam in vniuersis operibus Augustini reperiri libertatem lapsi hominis, nisi quatenus arbitrium ex vna parte, à dominante peccato, id est, ab imperantis & sæuientis concupiscentiæ iugo liberatur: ex alia verò suaui, delectabili, ideóque libera caritate subiugatur Deo: vt opus bonum amore ipsius libenter velit & operetur: ex qua subiectione ad Deum sequitur, tanquam proprietas, vel conditio, illa voluntatis amplitudo, & eminentia, de qua loquuntur auctores illius sententiæ, vt affirmat ipse Iansenius ferè initio capitis 16.

Iansenius in eo peccat quod in illo reprehendit.

37. *Eiusdem impostura.* Quod verò addit in fine eiusdem capitis, libertatem; de qua Augustinus contra Manichæos, & Stoicos disputauit; quáve, iuxta omnium hominum sensum, etiam Paganorum, & eorum qui ignorant, vel negant Deum, liberi arbitrij esse dicimur in quibuscunque rebus ciuilibus seu moralibus, siue bonis, siue malis, esse illam, quâ dicimur habere actum in nostra potestate: intelligendo per, *habere in nostra potestate*, ipsum velle sine coactione propriè dicta, & tam incompossibili cum actibus voluntatis, quàm impossibile est eam velle non volendo: non autem, *habere in libera electione*, seu dispositione voluntatis vt illum exerceat, aut non exerceat prout voluerit. Hoc, inquam, longissimè abesse à veritate, & à doctrina sancti Augustini, constat ex dictis disputat. 30. sect. 3. & sequentibus, & disputat. 31. section. 1. 3. & 4.

SECTIO VI.

Conclusio disputationum de libero arbitrio: & Vincentij Lenis benigna castigatio.

HVc vsque contra nouos Dogmatistas de libero arbitrio disputatum est: fusiùs quidem, & vberiùs, quàm necessarium foret erudito, & æquo lectori; sed quia sapientibus, & insipientibus debitor sum, vt ait Apostolus; volui nihil eorum prætermittere, quæ à Iansenio pro sui dogmatis confirmatione proposita fuerunt: omnibúsque illius argumentis siue ab auctoritate, siue à ratione desumptis respondere: quod nemo hactenus fecerat: ne dicant eius sectatores, & apud imperitos iactitent omissa fuisse præcipua. Expedire etiam iudicaui diligenter incumbere in plenam huius dogmatis refutationem, quod totius nouæ Theologiæ fundamentum est: meliúsque fore credidi satisfacere Iansenistis vsque ad satietatem, quàm videri in aliquo defecisse, & lectorem inanem dimittere. Leget ex illis vnusquisque quantùm volet, donec illi fiat satis: neque nouorum dogmatum sectatoribus puto minus sufficere. Alij possent vel hoc breui epilogo esse contenti, quâ breuissimè complectar quæ fusissimè explicata fuerunt præcedentibus disputationibus. 38.

Summa igitur est: primò, libertatem, quam agnoscit, plurimísque locis commendat Scriptura in exercendis bonis aut malis operibus, ad laudem specialem, aut vituperium, præmiúmque vel pœnam imputabilibus, & in seruandis aut transgrediendis Dei mandatis, consistere in potestate soluta non tantùm à coactione propriè dicta, sed etiam à necessitate antecedente, opposita libertati indifferentiæ. Secundò, Ecclesiam semper illam agnouisse ab Apostolis hucusque: & errorem contrarium in Priscillianistis, Manichæis, Planetariis, Wicleffistis, Lutheranis, Caluinistis, aliísque hæreticis damnauisse, constantérque reiecisse. Tertiò, eundem à sacris Conciliis, Tridentino præsertim, & Senonensi, atque à summis Pontificibus sæpè proscriptum fuisse. Quartò, doctrinam illam de libertate indifferentiæ adhuc post lapsum Adami superstite, traditam fuisse vnanimi consensu à Diuo Augustino, aliísque Patribus, siue illo antiquioribus, siue coætaneis, aut posterioribus; & à D. Thoma, Alensi, Scoto, Alberto, Bonauentura, aliísque veteribus, & recentioribus Doctoribus Scholasticis, & controuersiarum Scriptoribus 39. *Epilogus præcedentium.*

receptam, ne exceptis quidem physicæ prædeterminationis assertoribus, qui contrariam sententiam inter Caluini hæreses numerant: adeóque non posse sine temeritate, & errore contra fidem negari.

40. *Vincentius Iansenium eiurat ex parte.* Quod tam euidenter à Dionysio Petauio, & Antonio Ricardo demonstratum fuit in libris, quos pro tuendo libero arbitrio contra Iansenium scripserunt: vt recentissimum eius Apologistam puduerit erroris adeò manifesti. Illum dico, qui recentissimè Apologiam suam *Theriacam* inscripsit: quia Theriacopolam magis, quàm sincerum Apologistam agere voluit: & Vincentij Lenis sibi nomen assumpsit, non quòd leniter se gerat cum aduersariis suæ doctrinæ: asperior enim est, quàm Theologum deceat: sed quòd mollium Lutheranorum & Caluinistarum exemplo, magistri sui doctrinam nimis asperam leniuit, & emolliuit, id est, magna ex parte abiecit, & abiurauit. Vt certè fecit in hoc præcipuo & capitali dogmate: scribens lib. 2. cap. 5. sect. 2. & cap. 7. sect. 6. *Falsum esse quòd sola coactio, quâ voluntas coacta esse non potest, repugnet libertati.* Ibidémque, & cap. 3. sect. 1. fatetur, sententiam affirmantem in eo solùm consistere veram rationem libertatis, quòd voluntas sit expers coactionis rigidæ & propriè dictæ, non autem simplicis necessitatis antecedentis; & illam duntaxat remanere in hoc statu naturæ lapsæ, circa opera moralia; *Erroneam esse, hæreticam, & ab Ecclesia in Lutheranis, Caluinistis, Manichæis, Stoicis, Astrologis, Abailardo, & Vvicleffo damnatam.*

41. *Dissimulat eius doctrinam de libertate.* Et verum quidem est damnatam semper ab Ecclesia fuisse, vt perspicuè ostendimus disp. 30. sect. 4. & seqq. sed quod addit, non illam esse magistri sui doctrinam, tam euidenter falsum est, vt mirum sit hominem in eius lectione versatum, ausum esse id asserere: nam plusquam centies hoc ille docet, tam aliis locis, tum præcipuè lib. 6. de Gratia Christi Saluatoris, in quo toto id vnum probandum suscepit: & primò quidem multis Augustini testimoniis, tum aliorum Patrum Græcorum, & Latinorum, veterúmque Scholasticorum auctoritate, ac multiplici ratione confirmare conatus est: vt patet ex dictis disp. 31. & tribus sequentibus, quibus eius argumenta ipsismet eius verbis proposita refutauimus. Sufficiet pauca hoc loco addere ad euidentem huius rei demonstrationem.

42. *Refellitur eius simulatio.* Sic igitur habet lib. 6. suprà cit. cap. 5. *Impossibile est vt volitio non sit libera: quia impossibile est vt cùm volumus, non velimus.* Nimirum quia, vt ibidem addit, *Voluntas, seu volitio, & libera volitio idem sunt: sicut velle, & liberè velle.* Ideóque *impossibile est vt velle non sit liberum.* Cuius rei rationem hanc esse dicit sequenti capite 6. quia *sub necessitate coactionis, quæ sola capitaliter repugnat libertati, voluntas poni non potest.* Siquidem, vt ibidem affirmat, necessitas illa talis est, ex Augustino, vt nolente voluntate, hoc est renitente, perficiat effectum suum: adeóque si voluntas sub tali necessitate poneretur, sequeretur voluntatem velle simul, & nolle: quod est impossibile. *Cùm enim*, inquit, *necessitas illa talis sit, quæ nolente voluntate, hoc est renitente voluntate perficit effectum suum: quando autem vult, non renitatur: apertissimè sequitur eam velle simul & nolle, si voluntas seu velle sub tali necessitate poneretur.* Et paulò pòst dicit: *Hac submota necessitate, non aliam timendam esse libertati voluntatis*, iuxta suam, & D. Augustini doctrinam: *quantumuis dicatur esse necessarium vt velimus.* Idque sæpissimè inculcat deinceps in referendis, & expendendis plurimis tum D. Augustini, tum aliorum Patrum, & Theologorum testimoniis.

Illius verba sunt capite 17. vbi Diuum Bernardum in suæ sententiæ patrocinium aduocat: *Hanc ipsam necessitatem, quæ sola libertati repugnat essentialiter, disertissimis verbis Bernardus declarat esse violentiam, quâ fit vt homo cogatur velle, hoc est, vt inuitus velit: quod implicat contradictionem.* Et paulò pòst: *Declarat Bernardus eam se tantùm necessitatem à libertate remouere, quæ faceret, vt duo contradictoria se non perimerent, sed simul in sua veritate consisterent: videlicet, vt homo simul vellet, & non vellet.* 43.

Adeóne igitur stupidos esse putat Vincentius Lectores suos, vt cùm hæc, & similia multa apud Iansenium legerent, credant quod ipse ait, *errare, delirare, malâ fide Iansenij doctrinam interpretari, & per vim in hæreticorum classem illum compingere*, quicunque affirmant eum docuisse, non aliam necessitatem repugnare libertati, nisi rigidam & propriè dictam, quæ cum voluntate stare non potest, quæque si voluntati inferri posset, voluntas simul velle, & non-velle posset. Quantò meliùs fateretur ingenuè id quod luce meridiana clarius est, illam esse germanam, & fundamentalem magistri sui doctrinam; quam tamen ipse agnoscit esse falsam, & ab Ecclesia in pluribus antiquis, & modernis hæreticis damnatam. 44. *Eiusdem impostura.*

Neque verò in hoc solùm dogmate Antistitis sui sententiam eiurat, & condemnat vt hæreticam; sed & in plerisque aliis. Vt quando lib. secundo capite 3. sect. 1. & capite 7. sect. 6. dicit hæreticos esse, qui contendunt *omnem prorsus voluntatis actum, qui sub luce & regimine rationis producitur, esse liberum.* Idque ex eo rectè probat, quod certum sit Manichæos, Wicleffum, Abailardum, Caluinum, aliósque hæreticos eripuisse homini libertatem; qui tamen non negabant voluntatem hominis actus suos elicere sub luce & regimine rationis. Atqui manifestum est id docuisse Iansenium libro sexto de Gratia Christi capite quinto. Nam postquam toto illo capite contendit omnes actus voluntatis eo ipso esse liberos, quòd sunt volitiones, ita vt volitio, & libera volitio idem sint, seu velle & liberè velle; dicit in fine, se nomine voluntatis, seu volitionis, non intelligere motus illos qui fiunt *antequam ratio vigilet*: sed illos scilicet qui fiunt sub luce, & regimine, seu vigilia rationis: qui proinde omnes liberi sunt, eo ipso quòd ita procedunt à voluntate, iuxta nouam Doctoris huius Theologiam, hæresis à Vincentio ipso eius Apologista damnatam. 45. *Eiurat plerà que alia eius dogmata.*

Item libro 2. capite 5. sect. 2. & capite 7. sect. 1. scribit idem Vincentius, errorem & hæresim Caluini esse, dicere *ad libertatem satis esse vt voluntas non se habeat tanquam inanime quoddam, sed actiuè concurrat, & motu spontaneo,* 46.

ad suas operationes. Et falsum esse quòd Tridentinum sess. 6. capite quinto, & can. 4. definiens liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, posse dissentire si velit, nihil aliud definiat, nisi liberum arbitrium sub gratia non nihil omnino agere, ita vt voluntas non velit, neque cooperetur physicè ad consensum. Quod tamen adeò perspicuè affirmat Iansenius libro 8. de Gratia Christi Saluatoris capite 17. vt nihil clarius desiderari possit. Dicit enim Concilium non aliud definire, nisi quod homines assentiendo gratiæ *non velut exanimes nihil agant, & gratiæ quasi violenter cogenti totum negotium relinquant.* Et capite 5. 19. alibíque sæpius toto illo libro inculcat modum, quo Diuus Augustinus, aliíque Patres conciliant liberum arbitrium cum gratia, non alium esse, quàm ostendere *voluntatem, operante gratiâ,* non instar *trunci, quem Deus moueat, ferri; & non prorsus nihil, sed etiam aliquid agere, nempe velle*: adeóque liberè concurrere. *Nam si velle,* inquit, *non potest nobis non esse liberum: profectò si gratia facit vt velimus, facit etiam vt liberè velimus.* Item gratia, inquit, libertatem non lædit: *quia non efficit vt aliud quidpiam, sed vt ipsa volitio habeatur. volitio autem hoc ipsò quod est volitio, est libera.*

47. Hæc & alia eiusmodi, quæ breuitatis causâ prætereo, manifestè ostendunt Vincentium non tam patronum & vindicem Iansenij agere, qualem se profitetur; quàm præuaricatorem, & Censorem, atque impugnatorem falsæ eius doctrinæ. Quanquam autem non est ferenda eius dissimulatio adeò manifesta: laudanda tamen esset correctio, si temperamentum quod adhibet, vt hæresis notam effugiat, satis illum à commercio cum hæreticis abiungeret. At hoc certè non facit, vt euidenter ostensum fuit ab Antonio Ricardo in responsione ad obiectiones Vincentianas, & nos breuiter demonstrare sic possumus.

48. *Eius doctrina de libertate.* Summa illius doctrinæ est, libro 2. capite 3. sect. 1. & capite 7. sect. 6. *Non solâ rigidâ coactione auferri voluntati suam libertatem: sed etiam coactione altera, quæ simplicis necessitatis species est, & per quam fatemur,* inquit, *à Manichæis, Stoicis, Astrologis, Abailardo, Vvicleffo, Caluino, euersam & oppressam fuisse humanam libertatem.* Propter quod addit loco posteriùs citato, *Hanc propositionem,* Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, *meritò à Pio V. damnatam esse in sensu, quo Caluinus eam asseruit. Violentiam enim strictè & propriissimè accepit Caluinus. Falsum autem est quòd sola eiusmodi violentia libertati naturali repugnet.* Duplicem autem necessitatem ipse distinguit. Vnam dicit esse *Caluinisticam, fatalem, & Manichæam,* libertati capitaliter aduersam: alteram Iansenianam, libertatis amicam: & ita distinguit, vt velit istam leniter inclinare in actum: illam verò *duriter compellere*, atque præcipitare: ita vt, inquit, *altera Atropos, tanquam necessitas inflexibilis: altera verò mollior, Lachesis nominari possit.* Egregia sanè, & digna tali doctrinâ explicatio: quæ cùm mera fabula sit, ad illudendum simplicibus excogitata; non potuit meliùs, quàm fabulosa illa comparatione illustrari, & fabulosis nominibus exprimi.

49. *Inanissima gloriatio.* Eam tamen tanti facit aduersarius, vt de illa veluti face à se accensa ad pellendas Ecclesiæ tenebras glorietur: dicátque libro primo capite 11. huius distinctionis defectum *confusionem magnam, & tenebras in doctrinam sancti Augustini & Ecclesiæ inuexisse: maximéque ex parte ignorantiam istam peperisse, quæ non pauca etiam magna ingenia huius æui, mirum & miserandum in modum laborârunt. Se quoque in ea olim caligine fuisse: sed tandem facem illam distinctionis ad fugandas ab Ecclesiæ doctrina tenebras accendisse.* Hac vna etiam distinctione affirmat in fumos euanescere omnia argumenta, quibus Petauius & Ricardus Iansenium impugnarunt: quippe qui *simplicem necessitatem vnicam esse supponunt, quæ tamen gemina est*; Eiusdem ignoratione errauisse Lutherum, & Caluinum, aliósque hæreticos, quòd duas simplices necessitates non distinxerint, quæ in voluntatem cadere possunt.

50. *Quomodo duplicem necessitatem distinguit.* Sed cùm suam istam necessitatem molliorem comparet illi, quâ Deus se amat, quâve Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, & quâ Beati Deum clarè visum diligunt, quæ omnia libera esse vult: cúmque priorem illam necessitatem, quam duriorem vocat, explicet per *inflexibilitatem*: non est facile intelligere, neque ab ipso exponitur, aut verò exponi potest, quæ possit esse maior necessitas, & magis inflexibilis, quàm sit illa, quâ Deus amat seipsum essentialiter, aut quâ producitur Spiritus sanctus. Quid enim? Potéstne verè dici vlla esse maior necessitas & magis inflexibilis, ac vi vllâ contrariâ indomabilis, quàm sit amoris essentialis Dei, & productionis personarum diuinarum, quæ non minori necessitate existunt, quàm Deus ipse? Síque necessitas ista non obstat quò minùs Deus liberè se amet, & Spiritus sanctus liberè procedat, quamuis sit absolutè, & in supremo gradu inflexibilis: quænam alia fingi potest quæ propter inflexibilitatem perimat libertatem?

51. *Non se abiungit ab hæreticis.* Deinde, licèt admittatur, & Vincentio gratis concedatur duplex illa necessitas: detúrque voluntatem esse capacem vtriusque in suis actibus internis: quid hoc ei prodest, vt eum seiungat ab antiquis, & modernis hæreticis libertatis euersoribus, quorum consortium declinare videri vult? Nam vt probauimus disputat. 30. sect. 4. & seqq. damnati illi fuerunt tanquam liberi arbitrij destructores, eò quòd affigerent voluntatem necessitati agendi; negarêntque illi potestatem ad oppositum. Atqui mollior illa Vincentij necessitas est vera necessitas, & determinatio voluntatis ad agendum, non compatiens potestatem ad oppositum. Cùmque, vt ibidem ostendimus ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, communíque Philosophorum, & Theologorum, atque omnium hominum sensu, vera & propria ratio libertatis, ad meritum aut demeritum requisitæ, consistat in potestate indifferentiæ: idcirco necessitas antecedens, quæcunque illa sit, perimit libertatem; quia tollit potestatem indifferentiæ, & non sinit voluntatem vti suâ potestate & dominio, seu facultate disponendi de suis actibus; sed eam sibi subiicit, & necessariò agere facit.

52. *Illudit simplicibus.* Quapropter mera verba sunt, ad errorem vtcunque tegendum, fucúmque faciendum,

& simplicibus illudendum composita, quæ scribit Vincentius libro 1. capite 11. Vnam ex his duabus necessitatibus premere naturalem arbitrij libertatem: aliam verò perimere. *Prior autem ideò non aufert*, inquit, *voluntatis libertatem, quia relinquit ei motum suum voluntarium, quo sub premente, non opprimente necessitate; ex iudicio rationis, & vtendo potestate illa dominatrice, se mouet. Tantum ergo abest, vt voluntatem opprimat, vt etiam voluntatem ad exercitium suæ libertatis inclinet, dum ad eliciendum actum voluntarium eam premit. Quod enim voluntarium & liberum. At posterior, libertatis peremptrix, siue coactiua & dominans, quæ libertatem actus, ad quem impellit, extinguit, non sinit voluntatem potestate sua imperatrice vti, vt motu suo seipsam agat, & in necessitatem demittat: sed eam quasi ante se duriter impellit, & perinde ac appetitum brutorum præcipitat.* Quod, vt addit cap. 13. *repugnat modo illi naturali, quo voluntas seipsam agit.*

53. *Absurditas eius doctrinæ.* At enimuerò, quomodo permittit prior illa necessitas vt voluntas vtatur *potestate illa dominatrice vt se moueat*, neque opprimatur necessitate: siquidem antecedentem necessitatem insuperabilem illi imponit? Sinitúrne voluntas actui suo dominari, quando necessitate ineuitabili ad agendum adigitur? Veréne dominatur, quando tam potenti necessitati subiicitur, & seruit, ita vt non possit illi non obsequi? Quomodo denique *seipsam agit, & in necessitatem demittit*; si præuenitur à gratia necessitante, & vi illius necessitatur ad agendum, ita vt neque possit illam non admittere, neque eius motioni resistere? Cúmque ait Vincentius, actum hunc nihilominus esse liberum, quia elicitur à voluntate, dum necessitas gratiæ *eam premit ad eliciendum actum voluntarium: Quod enim voluntarium: & liberum:* manifestè sibimetipsi contradicit affirmanti alibi errorem esse Caluini credere omnem actum, cui voluntas cooperatur, esse liberum: & hæreticos esse qui credunt liberum esse omnem actum, qui à voluntate sub luce & regimine rationis producitur: vt ait lib. 2. cap. 5. sect. 2. & cap. 3. sect. 1. & cap. 7. sect. 6. Fallitur quoque si putat omnes brutorum motus (quos fatetur non esse liberos, æquè ac motus infantium) duriori quadam necessitate fieri, quàm fiant ab hominibus actus illi, quos dicit liberos esse tametsi necessarios. Nam bruta plerumque non minori suauitate, & naturali inclinatione operantur, quàm sit mollis illa necessitas, quâ putat libertatem non impediri in hominibus, quámve prementem, non opprimentem vocat. Multis enim obiectis sibi gratis, & delectabilibus trahuntur non inuitò & violenter, sed sponte & voluptate, iuxta illud D. Augustini tract. 26. in Ioan. *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quò currit, trahitur, amando trahitur.*

54. *Consentit cum Manichæis.* Præterea Manichæi, qui libertatem idcirco euertere iudicati sunt, & ab Ecclesia damnati, quòd putarent bonam animam necessitate in bonum ferri: malam in malum: loquebantur de necessitate simili illi, quâ Deus naturaliter seipsum amat: quantùm colligi potest ex scriptis Diui Augustini, & aliorum qui eos impugnarunt, vel eorum hæreses retulerunt. Cùm enim crederent bonam animam esse quandam particulam boni principij, id est, Dei: putabant eadem necessitate ferri in bonum, quâ Deus ipse; id est, necessitate naturali. Cúmque similiter crederent malam animam esse particulam mali alterius primi principij, naturaliter & necessariò mali, existimabant illam quoque naturaliter & necessariò in malum tendere. Quomodo igitur damnati fuerunt vt libertatis euersores, si mollior illa necessitas ex naturali inclinatione orta, qualis illa, quâ Deus se amat, non repugnat libertatis arbitrio, vt affirmat Vincentius? Quomodo se ab his hæreticis seiungit, qui similem necessitatem inducit in nostras voluntates circa opera bona, vel mala, ortam à gratia, vel à concupiscentia?

Nec obest quod Diuus Augustinus necessitatem à Manichæis inductam, vocat interdum coactionem. Nam vt rectè notauit Ricardus, coactionis voce necessitatem simplicem intelligit, quæ voluntatem vni parti adstringit, ita vt illi resistere nequeat. Sic enim ait libro de duabus animabus capite 12. respondens Manichæis dicentibus bonas interdum animas *mali commixtione cogi*, quando scilicet veluti suæ naturæ oblitæ, in malum consentiebant impulsu malæ animæ: *Si ita coguntur*, inquit, *vt resistendi potestas nulla sit, non peccant.* Significans animam hoc ipso cogi, quod non potest resistere. Eodémque sensu coactionis nomen accipi à Dionysio, aliísque Patribus patet ex disputat. 32. sectione 1. Idémque de Pelagianis affirmat Iansenius libro secundo de hæresi Pelagiana capite 1. dicens, coactionis nomine subinde à Pelagianis vocari necessitatem, quæ ad vnam siue boni, siue mali, partem, voluntatem affigit, ita vt ad contrarium transire non possit. 55.

56. *Et cū Stoicis, Priscillianistis, & Planetariis.* Similiter Stoïci, Priscillianistæ, & Astrologi, seu Planetarij, qui fatali necessitati actiones humanas alligabant, siue propter astrorum influxum necessitantem, siue propter diuinam præscientiam quæ falli nequit, contenti erant illâ simplici necessitate, quâ fit infallibile aliter euenire: cuiusmodi est illa, quâ Deus diligit naturaliter seipsum, & quâ Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, & Beati amant necessariò Deum. Neque vel ex Ciceronis, & aliorum Ethnicorum hac de re scribentium monumentis, vel ex Diuo Augustino, Eusebio, cæterísque eorum impugnatoribus colligi potest maiorem ipsos, seu magis *inflexibilem* necessitatem in voluntates humanas inuexisse: sed eam tantùm, quâ positâ impossibile sit aliter euenire, quàm fatum tulit: id est, quàm vis astrorum ferat, aut quàm sit necessarium vt Deus præsciat infallibiliter futura. Ad hoc autem manifestè sufficit præscita euenire pari necessitate illi, quâ Deus se amat, & quâ Spiritus sanctus à Patre, Filióque procedit. Sufficit etiam pari necessitate, quamuis sponte, fieri ab homine quæ virtute astrorum fore prædicuntur circa actiones humanas, vt possint certò prædici ab Astrologis, virtutis illius, & influxus peritis: quod solùm ipsi prætendunt: & nihilominus ab Ecclesia tanquam libertatis euersores damnati sunt. Quomodo igitur se ab illis abiungit Vincentius, qui pari necessitati voluntates humanas in hoc statu naturæ

lapsæ siue ad bonum, siue ad malum adstringit?

57. *Et cum Iouinian. & Adrumet.* Iouinianus quoque, & Monachi Adrumetini non maiorem necessitatem à gratia inferri volebant, quàm sit illa, quâ simplici necessitate res euenit infallibiliter: quâve Beati amant Deum, aut Deus seipsum: quantùm conijci potest ex epist. D. Augustini ad Valentinum, & ex lib. de Correpr. & gratia, & ex libris Hieronymi contra Iouinianum. Vel illi ergo damnandi non fuerunt: vel pariter damnandi sunt Vincentius, & Iansenius, necessitatis eiusdem assertores.

Idem dico de Wicleffo: qui cùm, vt refert Thomas Waldensis libro 1. Doctrin. capite 10. negaret etiam ipsi Deo libertatem, dicerétque Deum, etiam *ad extra*, ex necessitate agere: non aliud volebat, quàm Deum pari necessitate producere creaturas, quâ seipsum amat, aut Spiritum sanctum producit. Cúmque ab illo quæreretur, Quomodo igitur voluntas diuina est libera, si absolutâ necessitate hoc facit? respondebat Deum *non illibertari quidquam facere, licèt absolutè necessario illud fiat. Sicut non illibertatur producere Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat.* Quomodo igitur à Wicleffo se discernit Vincentius, qui non aliam libertatem in nobis circa bonum & malum agnoscit?

58. *Et cum Lutheranis & Caluinistis.* Lutherani denique, & Caluinistæ, damnati à Tridentino, & Senonensi Concil. profitentur eadem necessitate se esse contentos inductâ in exercendis quidem bonis operibus, per gratiam; in malis, per concupiscentiam. Vt manifestè liquet ex ipsismet eorum verbis disertissimè id contestantibus. Sic enim dicebat Lutherus in lib. de seruo arbit. vt Erasmus illi exprobrat: *Non omnem necessitatem excludere liberam voluntatem: Quemadmodum Deus Pater gignit necessariò Filium, quem tamen volens ac liberè gignit, quia non coactus.* Sic etiam habet Caluinus lib. 2. Instit. cap. 3. nu. 5. *An non Deus necessariò bonus est? An non diabolus est necessariò malus? &c. Ergo si liberam Dei voluntatem in agendo non impedit quòd necesse est illum bene agere: si diabolus, qui non nisi malè agere potest, tamen voluntate peccat: quis hominem ideò minus voluntariè peccare dicet, quòd sit peccandi necessitati obnoxius?* Similia dicunt Petrus Molin. in Clypeo fidei ad artic. 9. & cap. 32. Anatom. vbi affirmat se aliósque Caluinistas non quamlibet necessitatem inducere: sed tantùm illi similem, *quâ finem vltimum, nempe felicitatem, volumus omnes necessariò: quâ Sancti necessariò non peccant: quâ Deus necessariò est bonus.* Et Zanchius alter insignis Caluinista, in Tractat. Theolog. lib. 1. capite 6. Thesi 1. vbi probat *non pugnare inter se liberè agere, & tamen necessariò agere: & homines peccare liberè, tametsi non possint non peccare*, quia Deus liberè vult esse id quod est, quamuis necessariò velit, & non possit non velle. *An non Deus*, inquit, *necessariò bonus, iustus, & clemens est? & numquid propterea non est Deus, veréque libero arbitrio præditus, quia non potest velle non esse Deus?* Idem eodem argumento probant alij Lutheri, & Caluini ministri: Vittaker. lib. 5. aduersus Duræum, Scharpius lib. 2. de lib. arbit. cap. 2. Chamier. to. 3. lib. 2. cap. 4. Vrsinus quæst. 1. de lib. arbit. & plures alij. Vrsini verba hæc sunt: *Necessitatem nequaquam cum libertate voluntatis pugnare facilè ostendi potest: quia Deus etiamsi natura, hoc est, summa & absoluta necessitate bonus est: tamen non coactè; sed liberrima voluntate.* Itaque mollior illa necessitas, ad quam recurrit Vincentius, vt hæresis notam effugiat, non eum excusat à commercio manifesto cum Lutheranis, & Caluinistis, eadem necessitate contentis, & eandem cum libertate conciliare nitentibus, ac nihilominus ab Ecclesia damnatis, tanquam libertatis humanæ peremptoribus. Ex quo etiam fit, vt quæcumque protulimus disputationibus præcedentibus ex Scriptura, Conciliis & Patribus contra Lutheranos, & Caluinistas, & contra Iansenium eiusdem cum illis sententiæ, non minorem vim habeant contra molliorem istam necessitatem Vincentij: vt testimonia illa consulenti facilè patebit: quippe quæ excludunt omnem antecedentem necessitatem oppositam indifferentiæ, seu potestati ad vtrumlibet, vt loca illa expendendo demonstrauimus.



DISPVTATIO XXXVI.

De concordia gratiæ cum libero arbitrio.

SECTIO I.

Proponitur status quæstionis, & vera sententia.



QVÆSTIO est de gratia efficaci, id est, quæ mouet efficaciter voluntatem ad consensum, ita vt reipsa illum obtineat. Et difficultas in eo versatur, quomodo stet libertas arbitrij, illiúsque vsus cum efficaci motione gratiæ præuenientis & excitantis voluntatem ad consensum. 1. *Status quæstionis.* Quam difficultatem magnam esse docet Augustinus lib. de gratia Christi cap. 47. sic dicens: *Ista quæstio vbi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Et lib. 2. de peccat. meritis cap. 18. *Ipsa etiam ratio*, inquit, *quemlibet nostrûm quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rursum, ne liberum sic asseramus arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.* Aliísque locis dicit hanc quæstionem esse difficillimam ad soluendum, & à paucis intelligi. Quæ omnia cùm refert Iansenius in præfatione libri octaui, non aduertit ex his satis intelligi quàm malè sententiam Diui Augustini de libertate arbitrij interpretatus sit; quasi scilicet voluerit in eo solùm consistere, quòd præuiâ deliberatione, seu iudicio rationis, velimus sine coactione simpliciter dictâ, & tam incompossibili cum actibus voluntatis, quàm est impossibile eam non velle quando vult. Eui-

dens enim est nihil esse facilius, quàm conciliare gratiam efficacem cum huiusmodi libertate: & intelligere voluntatem velle, quando vult id quod vult præuio iudicio rationis, & gratiâ illam delectabiliter mouente ad consentiendum sine violentia & simplici coactione, quam ne inferri quidem posse manifestum est, vt ipsemet affirmat libro sexto capite sexto. Vnde tam euidens est gratiam non adimere, nec posse adimere vsum liberi arbitrij, suppositâ istâ sententiâ: quàm est euidens eam non facere, nec posse facere vt volendo non velimus id quod cum eius præmotione volumus.

2. *Illius difficultas.* Posito autem quòd libertas arbitrij consistat in potestate indifferentiæ ad agendum vel non agendum, vel eligendum hoc aut illud, vt præcedentibus disputationibus probatum fuit; difficultas in eo consistit, quomodo libera maneat hæc potestas cum motione gratiæ efficacis, quæ iuxta veram sententiam, & doctrinam Augustini, mouet indeclinabiliter, & insuperabiliter voluntatem ad consensum, & à nullo duro corde respuitur, facit volentes de nolentibus, neque dat tantùm posse, sed etiam ipsum agere, facitque vt faciamus: sic denique agit sensum, vt accommodet assensum, trahâtque voluntatem ad consensum. Quam difficultatem eodem modo proponit idem S. Doctor libro 2. contra literas Periliani cap. 84. sic dicens: *Si tibi proponam quæstionem quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio? fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

3. *Eius solutio & conciliatio libertatis cum gratia.* Melior & facilior ratio difficultatem propositam soluendi, & efficaciam gratiæ cum libertate conciliandi, petenda est ex iis quæ diximus disputat. 22. sectione 3. & sequentibus. Cùm enim, vt ibi demonstrauimus ex sacris literis, Conciliis, & Patribus, nominatímque D. Augustino, & aliis, qui Pelagianis & Semipelagianis restiterunt, gratiâ efficax non necessitet vi sua voluntatem ad consensum, sed integram relinquat potestatem dissentiendi; manet voluntas domina sui actus, & potens ad vtrumlibet, considerata in actu primo, etiam prout coniuncta cum gratia præueniente, & omnibus aliis ad agendum præquisitis. Si quæ autem est necessitas, vel infallibilitas futuri consensus, positâ gratiâ efficaci: illa non est vi actus primi, siue antecedens vsum libertatis; sed consequens duntaxat, ex hypothesi quòd consensus sit reipsa futurus, quódque voluntas, si tali auxilio, & in talibus circumstantiis præueniatur, sit eo bene vsura, & cooperatura: quod Deus præscit per scientiam mediam: & ideò præscit, quia futurum est: atque ex eo gratia efficax, prout subest tali præscientiæ, dicitur esse infallibiliter, insuperabiliter, & necessariò consensum habitura: quia fieri nequit vt futurum non sit id quod Deus præscit esse futurum: id est, id quod verè præsupponitur esse futurum. Ideò enim Deus præscit, quia verè futurum est. Fieri autem nequit, vt simul sit futurum, & non futurum. Quare ex hypothesi quòd sit futurus consensus voluntatis (vt scientia Dei præsupponit) non potest simul non esse futurus.

Sed hæc necessitas non destruit vsum libertatis, quem potiùs supponit, & ex illo oritur. 4. *Necessitas consequens non destruit libertatem.* Ideò enim consensus est futurus, quia voluntas liberè illum dabit: & tametsi posset non dare, ad eum tamen se determinabit. Et quia voluntas liberè consensum dabit: ideò Deus præscit voluntatem esse consensuram. Et quia non potest simul consentire, & non consentire, éstque necessarium vt sit id quod est, posito quod est, quia non potest simul non esse: sicque præteritum id, quod est præteritum, & futurum id quod est futurum, posito quòd præterierit, aut futurum sit: ex suppositione quòd consensus voluntatis futurus sit, necessarium est vt sit futurus, & non potest non esse futurus. Eámque ob causam dicitur hæc necessitas ab Anselmo libro de Concordia capite 1. & 2. & libro secundo, *Cur Deus homo*, capite 18. esse necessitas non quæ facit operantem, sed quam facit operans: id est, non quæ antecedit operationem, tanquam illius causa; sed quæ potiùs ex illa sequitur, quámve operans sibimetipsi quodammodo imponit: quatenus, cùm non possit consentire simul, & dissentire; neque ad hoc liber sit, vtpote euidenter impossibile: eo ipso, quòd se determinat ad consensum, & illum ponit, reddit sibi dissensum impossibilem. Sicut è contrario, si dissentit, reddit sibi consensum impossibilem. Manifestum autem est necessitatem hypotheticam ortam ex ipso exercitio libertatis, non tollere vsum libertatis, à quo est. Effectus enim non tollit, sed supponit causam à qua fit. Et hæc necessitas in eo solùm consistit, quòd voluntas, quæ non potest simul consentire, & dissentire, neque ad hoc libera esse potest, quia non est libertas ad impossibile; hoc ipso, quòd se liberè determinat ad consensum, eúmque ponit; reddit sibi dissensum impossibilem pro eodem instanti; quippe qui simul cum consensu esse non potest. Dicitur autem esse necessarium id, cuius oppositum est impossibile. Quare consensus est necessarius sub illa hypothesi, sub qua dissensus est impossibilis.

Quoniam autem (vt loco suprà citato exposuimus) gratia efficax est, & dicitur, illa quæ præscitur à Deo esse consensum habitura, datúrque eo tempore, & aliis circumstantiis, in quibus præuidetur esse habitura: qua de causa vocatur congrua à Theologis, post D. Augustinum lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. quia Deus per eam sic vocat, & ita præuenit hominum voluntates quomodo eis aptum est vt consentiant: Hinc est quòd gratia illa, prout subest tali præscientiæ, dicitur mouere indeclinabiliter, & insuperabiliter voluntatem ad consensum, & à nullo duro corde respui, facere volentes de nolentibus, non dare tantùm posse, sed etiam ipsum agere, facéreque vt faciamus, sic denique agere sensum vt accommodet assensum, & voluntatem trahat ad consensum. 5. *Gratia efficax quomodo infallibiliter operatur?*

Hac ratione conciliant efficaciam gratiæ cum vsu libertatis creatæ quicunque ferè admittunt in Deo scientiam mediam: siue antecedentem, & dirigentem distributionem auxiliorum: siue tantùm quasi concomitantem. Alij verò, qui eam negant, petúntque infallibilitatè efficaciæ gratiæ ex decreto Dei, & prędefinitione; vel ex vi ipsius gratiæ physicè aut moraliter prædeterminantis, támque fortiter voluntatem præmouentis, vt 6.

ipsa non possit resistere, grauissimam patiuntur difficultatem in concilianda infallibilitate prædefinitionum diuinarum, vel efficacia talis gratiæ, cum vsu libero voluntatis, vt patebit ex sequentibus.

SECTIO II.

Reiiciuntur aliæ sententiæ.

7. *Difficultas sententiæ prædefinientium.* DIFFICVLTAS ergo huiusmodi prædefinientium in eo consistit, quòd diuina prædefinitio est infallibilis, & non potest aliter euenire, quàm prædefinitum est, vt fatentur ipsi. Ergo necessarium est ita euenire. Nam definitio necessarij est, *Quod non potest aliter se habere*: vel, *Id cuius oppositum est impossibile.* Hæc autem necessitas, quâ dicitur fore necessariò id quod Deus prædefiniuit, non habet pro causa ipsam voluntatem, quæ per scientiam mediam præuideatur esse liberè consensura, si Deus ita præmoueat: nam aduersarij vsum huius scientiæ reiiciunt: sed habet pro causa ipsammet prædefinitionem, seu decretum voluntatis diuinæ, antecedens ad consensum futurum voluntatis creatæ, & ad eius præscientiam: quippe quam volunt etiam fundari in decreto, seu prædefinitione. Ergo hæc necessitas non est consequens, seu quam facit operans: sed est necessitas antecedens, & quæ facit operantem: id est, est causa cur voluntas operetur. Atqui necessitas, quam libera ipsa voluntas non facit, sed cui aliunde subiicitur, quæque anteuertit ipsius operationem, & ad illam adstringit, videtur pugnare cum ipsa libertate operationis, & non posse cum illa consistere. Ergo, &c.

8. *Eorum responsio.* Communis responsio istorum prædefinientium est, diuinam prædefinitionem non obesse vsui libertatis: quia Deus non solùm prædefinit actum, sed & modum actus: id est, non solùm prædefinit vt fiat talis actus, sed etiam vt liberè fiat. Cúmque Dei voluntas sit omnipotens, faciátque quidquid vult, & quomodo vult: fit liberè actus, quem prædefiniuit liberè fieri. Ita etiam respondet Gulielmus Tvissius, relatus ab Annato disputat. prima de scientia media, capite sexto, §. 1. in hæc verba: *Ad primum quod attinet, nos etiam vnà fatemur diuinum decretum, & diuinam præscientiam, nullam actibus humanis imponere necessitatem: imò cum Aquinate profitemur in diuina voluntatis efficaciam reiiciendum esse, quòd ea quæ necessaria sunt, producantur necessariò: quæ contingentia sunt, eueniant contingenter, & liberè.* Et paulò pòst: *Libertatem hominis decreto diuino nequaquam lædi dicimus, sed confirmari potiùs: præsertim cùm decreuerit actus humanos non nisi liberè fieri à voluntate humana.* Huc vsque Tvissius.

9. *Non satisfacit, & petit principium.* Verùm hæc responsio non tollit difficultatem, sed manifestè petit principium, & affirmat aliquid impossibile. Petit quidem principium, quia supponit, & assumit tanquam verum illud ipsum, de quo est quæstio: nimirum posse voluntatem liberè operari, quamuis antecedenter necessitetur à diuina prædefinitione. Cùm enim dicit Deum posse prædefinire vt actus prædefinitus liberè fiat à voluntate, quamuis necessitatâ ad operandum per prædefinitionem, ita vt eâ positâ non possit non operari, faceréque aliter quàm prædefinitum est: supponit esse possibile vt quamuis necessitata antecedenter à prædefinitione, liberè tamen operetur. Deus enim id facere non potest, si non est possibile: neque diuina prouidentia, & prædefinitio potest velle, & statuere vt fiat, quod fieri non potest, aut eo modo fiat, qui contradictionem implicat. Est autem impossibile vt voluntas antecedenter necessitata, liberè operetur, vndecunque necessitas illa proueniat. Quia de ratione, & definitione agentis liberi est, vt positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere, & non agere. Non potest autem non agere, si est necessitatum ad agendum, & agit necessariò. Nam sicut necessarium esse dicitur id, quod non potest non esse: seu, quod non potest aliter se habere: ita necessariò agens illud est, quod non potest non agere: agítque necessariò, si positis omnibus ad agendum prærequisitis, non potest aliter se habere, id est, ab agendo abstinere. Ergo Deus non potest per suam prædefinitionem imponere illi eiusmodi necessitatem, & simul prædefinire vt operetur liberè, id est, sine necessitate. Est enim euidenter impossibile Deum prædefinire vt voluntas agat liberè, id est, sine necessitate; & simul illi necessitatem agendi imponere. Quia hoc est velle vt agat ex necessitate antecedenti, & tamen agat sine necessitate antecedenti: quod manifestam contradictionem implicat. Quare, qui affirmant Deum id posse prædefinire, affirmant aliquid euidentem inuoluens repugnantiam.

Non minorem patiuntur difficultatem alij, qui dicunt gratiam efficacem vi sua talem esse, seu tantæ virtutis, & efficaciæ, vt voluntas illi resistere non possit, necessitetúrque physicè, aut moraliter ad consensum, quippe ad illum physicè aut moraliter prædeterminata, & tam potenti motione excitata, vt illi resistere nequeat, sitque impossibile physicè, aut moraliter, componere dissensum cum tali præmotione. Nam cùm necessitas illa sit antecedens, quippe quæ facit operari, & se tenet ex parte causæ, seu principij completi: non apparet quomodo relinquat vsum libertatis, seu quomodo possit voluntas liberè consentire, hoc est, sine necessitate, & cum potentia ad oppositum: cùm tamen sit necessitata ad consensum, & non possit oppositum. Præcipuè verò, si dicatur physicè necessitari per gratiam efficaciter præuenientem, vt volunt noui Dogmatistæ. Nam per talem necessitatem tollitur physica potentia ad oppositum. Sed & in eorum sententia, qui volunt moraliter solùm necessitari, tollitur saltem libertas moralis; cùm voluntas non possit moraliter non præbere consensum. Imò etiam videtur incredibile, quòd, nisi physicè necessitetur, numquam contingat eam dissentire, aut non consentire, in tanta multitudine gratiarum, & operationum; sed 10. *Difficultas sententiæ prædeterminantium.*

infallibiliter gratia vi sua consensum semper obtineat in omnibus ac singulis voluntatibus, & præmotionibus.

11. *Eorum solutio.* Respondent aliqui, non lædi propterea libertatem, quia non est de ratione agentis liberi, vt positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere, & non agere: debet enim hinc excipi motio, quæ se tenet ex parte causæ primæ, siue illa sit naturalis, siue supernaturalis, qualis est motio gratiæ efficacis. Sic inter alios respondet Tvissius Caluinista, cuius hæc verba refert Annat. disputat. 1. de scientia media capite sexto §. secundo, numer. 109. *Cum addit, esse de ratione causæ liberæ, vt positis omnibus, &c. respondet Aluares huiusmodi causæ liberæ definitionem acceptam referri Nominalibus: quam & Gibieufus Scriptor Gallicus sibi displicere palam profitetur. Etiam Thomas de Brauardino, licèt eam admittat, tamen prærequisita ista restringit ad causas secundas, nunquam verò ad primæ causæ operationem extendendam censet, quasi motio diuina sit inter eiusmodi prærequisita, quæ voluntatem creatam indifferentem relinquat. Nempe aliàs tam libera erit causa secunda in operatione sua, quàm sit prima in operatione sua.* Hucusque Tvissius.

12. *Definitio agentis liberi communissima.* Verùm, vt rectè opponit illi auctor suprà citatus, falsò tribuitur solis Nominalibus hæc definitio agentis liberi, cùm sit Sanctorum Patrum, Clementis Alexand. Cyrilli Hierosolym. Basilij, & Augustini, locis ab eo citatis, nec non Clementis Romani, Irenæi, Cypriani, Athanasij, Hilarij, Nazianzeni, Hieronymi, Chrysostomi, & aliorum, quorum verba retulimus disputat. 3. sect. 2. & disputat. 30. sect. 8. numer. 45. Idque Caluinus ipse fatetur libro secundo Institut. capite secundo: sit etiam communis omnium veterum Theologorum, & Philosophorum, vt adductis eorum testimoniis perspicuè demonstrat Didacus Ruis disputat. 49. de scientia Dei: atque etiam omnium recentium, exceptis nouis Dogmatistis, Caluini sectatoribus, veræque libertatis euersoribus; & tribus illis suprà nominatis, quos tamen parum cohærenter, & aptè ratiocinari, vel in eandem definitionem relabi ostendit ibidem Annatus: sit denique euidens ratione naturali, & per se nota vi terminorum, si eorum significatio intelligatur. Nam agens liberum dicitur per oppositionem ad agens necessarium. Agens autem necessarium dicitur illud, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis ita agit, vt non possit non agere: ergo agens liberum debet dici esse illud, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis, ita agit, vt possit non agere.

13. *Agens liberum quid sit? Vide Ruis de scientia Dei disp. 42 & sex consequentibus.* Neque dici potest hanc definitionem debere sic intelligi, vt dicatur agens liberum esse illud, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis ita agit, vt possit non agere, sublato, aut deficiente aliquo prærequisito. Nam etiam agens necessarium idem potest: putà aqua calida necessariò calefaciens, potest non calefacere sublato calore. Quare agens liberum, & necessarium non possunt per hoc distingui, & opponi inter se: estque peruersa illa definitio agentis liberi, quæ æquè conuenit agenti necessario.

Dici etiam nequit hanc particulam definitionis, *positis omnibus prærequisitis*, restringendam esse ad ea quæ prærequiruntur ex parte causarum secundarum, non autem ex parte causæ primæ. Tum quia hæc restrictio falsam reddit primam partem definitionis, *Quod potest agere:* cùm nullum sit agens siue necessarium, siue liberum, quod possit agere sublatis iis, quæ prærequiruntur ex parte causæ primæ. Tum etiam quia impotentia non agendi, & necessitas agendi orta à causa prima, non minùs impedit vsum libertatis, quàm ea, quæ oritur à causa secunda: cùm non minùs sit antecedens operationem; & non minùs impediat ne voluntas possit abstinere ab operatione, cui necessitate antecedente deuincta est. Nam vera ratio cur necessitas antecedens orta à causis secundis impedit vsum libertatis, est quia non pendet à libertate; & eâ positâ, voluntas non potest non operari, neque est domina sui actus, sed subiecta necessitati illum exercendi. Atqui similiter necessitas antecedens orta à causa prima non pendet à libertate; & illâ positâ, non potest voluntas non agere: ergo, &c. Et quidem Tridentinum sessione sexta, capite 5. & can. 4. satis apertè significat esse de ratione liberi arbitrij, vt etiam ipsi diuinæ motioni possit dissentire, quando liberè consentit: id est, ponere dissensum loco consensus: & abiicere inspirationem, quam recipit: quando dicit, recipientem diuinam inspirationem non nihil omnino agere, sed gratiæ liberè assentiri & cooperari, *quippe qui illam & abiicere potest:* probans aut explicans liberum consensum voluntatis, per hoc, quòd potest abiicere inspirationem, & gratiam, quam recipit: vt indicat particula causalis, aut expositiua, *quippe qui, &c.* 14. *Vera explicatio definitionis.*

SECTIO III.

Quid sentiat Iansenius de quæstione proposita?

NEQVE magis satisfaciunt alij duo modi conciliandi efficaciam gratiæ cum libero arbitrio, quos tradit, & fusissimè exponit Iansenius toto libro octauo de Gratia Christi Saluatoris: vbi postquam dixit capite primo, difficultatem huius quæstionis distraxisse Scholasticos in varias sententias, quarum duæ præcipuæ sunt: Prima, eorum qui gratiæ efficacis naturam in quadam Dei motione aut impulsu collocant, quæ ex se voluntatem efficaciter determinet ad consensum; ita scilicet vt eâ positâ, & passiuè receptâ in voluntate, statim consensus eius præstò sit, simúlque stare non possit vt dissentiat; & hanc vt aliquis habeat non esse in hominis potestate: quia datur & negatur ex diuino beneplacito: sine qua tamen fieri non potest vt quicquam boni operetur: tantam verò illius necessitatem ex duplici capite proficisci: ex subordinatione secundæ causæ sub prima, & ex indifferentia liberæ voluntatis, quæ non est apta vt aliquid agat nisi ab agente superiori determinetur. 15. *Duæ celebres sententiæ de præmotione gratiæ efficacis.*

Secunda est eorum, qui existimantes istiusmodi operationis efficaciam directè euertere arbitrij libertatem, excogitarunt aliud gratiæ genus, cuius operationis modus isti priori ex diametro aduersatur. Dicunt enim gratiam efficacem esse sitam non in tali motione voluntatem prædeterminante; sed in quadam illuminatione intellectus, & motionibus voluntatis, quibus Deus & allicit voluntatem vt velit, & vim volendi tribuit, simúlque concurrit cum voluntate si voluerit. Vt autem cum illis adiutoriis velit, aut resistat eis, hoc non fieri ex aliqua prædeterminatione Dei in hanc aut illam partem; sed ex libera optione voluntatis, quæ quantumcunque gratia alliciat, atque blandiatur, consentit dissentítque si velit.

16. *Sententiam prædeterminantium negat Iansenius esse Augustinianam.* Addit in fine capitis 1. & toto capite secundo, priorem sententiam, tametsi magis ad Augustinianam accedit, quatenus potentem illam efficaciam gratiæ agnoscit determinantem ad consensum: in multis tamen ab ea discrepare, quæ ex superefluentibus humanæ Philosophiæ excessibus adiecit. Primò scilicet, quia iuxta assertores illius sententiæ, Prædeterminatio physica est motio nescio quæ virtuosa, quæ habet quoddam esse incompletum, & est in voluntate quomodo colores sunt in aëre; & impetus in re quæ impellitur. Cuius speculationis nullum vestigium extat in Augustino: sed iuxta illum vera Christi gratia est verissimus motus voluntatis, ineffabilis videlicet delectatio obiecti quod proponitur, quæ illam rapit ad consensum. Secundò, prædeterminatio physica non est eis actus vitalis animi; sed aliquid, cui voluntas tantùm passiuè subiacet. At verò, iuxta Augustinum, Christi adiutorium est actus verus & vitalis, quo anima haud secus afficitur, & mouetur ad Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus inhæret. Vnde à Deo datur animo, perniciosis desideriis & voluptatibus implicato, vt earum impetus illa cælesti, ac victrice delectatione superetur. De hac enim, iunctis illuminationibus animi, semper loquitur Augustinus vbicunque de gratia disputat: neque vllus locus proferri ex eius operibus potest, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat aut probet, sed loca solummodo generalia, vt quòd Deus dicitur auferre cor lapideum, facere vt velimus bonum, facere vt faciamus, operari velle & perficere, præbere vires efficacissimas voluntati, & alia his similia, quæ quidem indicant Deum voluntates hominum inclinare, ac determinare quò voluerit; sed in omnibus istis, ac similibus testimoniis, non est vllus apex qui hoc significet per huiusmodi determinationem ex Philosophia profectam effici: sed è contrario idem Sanctus Doctor id per cælestem illam delectationem fieri docet aliis locis, quibus apertam vim inferunt qui eam sub illa sua prædeterminatione comprehendi nolunt. Tertiò, prædeterminatio physica talis esse dicitur, vt in quibuscunque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnémque superet resistentiam. Christi verò adiutorium nullo modo. Nam delectatio *victrix*, quæ Augustino efficax est adiutorium, relatiua est: tunc enim est victrix, quando alteram superat: id est, quando illâ maior est: quia si non est maior contrariâ delectatione, non eam vincit, sed in solis inefficacibus desideriis hæret animus, neque vult efficaciter quod volendum est. Quartò, quòd prædeterminatio physica sit instar concursus cuiusdam generalis Dei, in ordine supernaturali: vt volunt eius assertores. Adiutorium Christi, nullo pacto: nihil enim respondet simile in agentibus naturalibus. Quintò, prædeterminatio physica necessaria dicitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quàm in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoueri debet. Christi adiutorium nequaquam, sed læsæ voluntati necessarium est propter solum vulnus quod ei inflixit Adami peccantis audacia. Sextò, prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam, vt aliquid agere possit, prædeterminate debet. Christi adiutorium neutiquam. Nam nisi voluntas per peccatum Adæ vulnerata esset, nulla Christi gratia eam determinare deberet: sicut Angelos & primos parentes ante peccatum non determinauit. Septimò, prædeterminatio physica expressè dicitur statui innocentiæ tam Angelorum quàm hominum fuisse necessaria. Christi adiutorium ei repugnat capitaliter, vt Augustinus sæpè docet.

Quapropter qui medicinalem Christi Saluatoris gratiam sic defendere conantur, vt eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta non solùm nullo testimonio eius probari potest, sed potiùs vniuersam doctrinam eius, innumeris locis traditam, inexplicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integræ, læsæque voluntatis. Tollit necessitatem duplicis adiutorij, *quo*, & *sine quo non*: cum quorum altero Adamus velle, staréque potuit, & Angeli reipsa voluerunt steterúntque: lapsi homines velle aut stare non possunt. Tollit, obscurátque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam eius, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis sacris, quæ singularem Dei gratiam actus bonos nostros operantem prædicant. Eadem quippe Scripturarum phrases ad actus, quos ipsi statuunt naturales, adeóque malos, quantùm ad materiale, aptari queunt. Si enim idcirco dixit Christus, *sine me nihil potestis facere*, quia nihil sine ista generali Dei prædeterminatione facere possumus: cur non idipsum quoque pro isto adiutorio, ad actus naturales & malos necessario, proferamus? Cur non de illis omnibus Dei concursum probantes producamus, *Faciam vt faciatis, Deus enim operatur in vobis velle & perficere, &c.* Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus euertitur, & Scripturæ subneruantur, dum gratiæ necessitas non ex vul- 17.

nere voluntatis, sed ex naturali eius indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore causa suspenditur. Hæc Iansenius cap. 2.

Ait tamen ad August. aliquatenus accedere.

Qui deinde cap. 3. addit, sententiam illam de prædeterminatione physica nihilominus in eo conuenire cum doctrina Augustini, quòd officium physicè prædeterminandi voluntatem gratiæ medicinali seu efficaci tribuit. Cùm enim, iuxta Augustinum, gratia illa sit adiutorium *quo*, & non tantùm *sine quo non*; sit adiutorium non potentiale, seu possibilitatis, quo velle & agere possimus si volumus; sed voluntatis, & actionis, quo Deus facit vt reipsa velimus, & agamus; perspicuè patet esse tale, vt voluntatem ad actum pertrahat, non si voluerit (quemadmodum gratia Adami, & Angelorum) sed ei efficacissimè præbendo vt velit, & determinando ad volendum: & quia præuenit ipsam voluntatis actionem, etiam prædeterminando, non solùm moraliter, sed verâ, reali, & physicâ prædeterminatione. Ad quod probandum adducit aliquot Augustini loca, quæ alibi exposuimus. Quod scilicet voluntas nihil amplectatur nisi delectet, & necessariò vnusquisque operetur secundùm id quod magis delectat. Quæ delectatio circa bonum nobis à Deo immittitur.

18. *Quomodo libertatem iuxta illam conciliat cum gratia efficaci?*

Hac autem sententiâ de efficacia gratiæ, & modo præmouendi voluntatem præsuppositâ vt verâ, & Augustinianâ, addit cap. 4. non esse difficile conciliare huiusmodi adiutorium cum ea libertate, quæ passim in Scholis tradi solet, atque in eo sita dicitur, quòd positis omnibus ad agendum prærequisitis voluntas possit agere & non agere, vel agere vnum & contrarium eius. Quidquid enim afferunt physicæ prædeterminationis auctores pro sua sententia, vt liberum arbitrium sub ea saluum esse persuadeant: quidquid etiam ad dissoluenda oppugnantium argumenta moliti sunt; parem vim habet in ista sententia: quia istud auxilium gratiæ Christi habet eundem operandi modum cum prædeterminatione physica. Nam fere quidquid in contrarium obiicitur, hâc vnâ distinctione sensus compositi & diuisi solui potest. Non enim necesse est, aiunt, vt cum omnibus illis ad agendum requisitis, inter quæ etiam cælestis delectatio est, stet simul vt non agat voluntas; sed solùm vt possit non agere. In libero enim arbitrio quantumcunque ad agendum præparato, imò determinato, & actu operante, reperitur simultas potentiæ ad operandum; non potentia simultatis, vt videlicet simul agat, & non agat. Hoc est, vt clariùs dicatur, in libero arbitrio est potestas ad opposita, non tamen potestas ad opposita simul in se habenda: siue vt cum omnibus ad agendum prærequisitis, etiam cælesti quâcumque delectatione, & prædeterminatione, stet simul vt possit non velle, non autem vt simul non velit. Potentia enim non volendi non repugnat omnibus illis ad volendum requisitis, sed solum quòd actualiter non velit. Itaque in sensu diuiso potest voluntas non facere id, quod Deus per gratiam efficacem in ea operatur: in sensu verò composito nequaquam. Eóque sensu composito dicit Augustinus gratiam indeclinabiliter, & insuperabiliter agere voluntatem, libro de Corrept. & gratia cap. 12. & Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistere arbitrium, & humanas voluntates non posse ei resistere, ibidem cap. 14. & donum perseuerantiæ non posse amitti, libro de Bono Perseuerantiæ cap. 6. Eodem quoque sensu composito Scriptura dicit, *Renatum ex Deo non posse peccare*, 1. Ioan. 3. Quo non obstante potest verè dici in sensu diuiso, voluntatem posse declinare, & superari, posse resistere Deo, posse amittere donum perseuerantiæ. Iuxtáque eundem sensum dicit Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire si velit, & abiicere diuinam inspirationem quam recipit.* Potestas enim dissentiendi non repugnat isti excitationi, aut delectationi, aut prædeterminationi, aut ipsi etiam consensui actuali voluntatis; sed tantùm dissensus actualis, qui cum illis componi nequit. Quemadmodum cùm paries albus verè dicitur esse posse niger, non hoc significatur quòd albedine permanente simul in eo nigredo reperiri possit, sed quòd simul cum albedine sit in eo potentia vt fiat niger. Hæc Iansenius: Sed quàm malè affirmet non esse difficile per hæc satisfacere ei, qui scire aueat quo pacto adiutorium gratiæ sic explicatum consistere possit cum humani arbitrij libertate, quámve malè difficultatem & fundum huius totius quæstionis de physica prædeterminatione penetrauerit, patebit ex sequentibus.

Prætermissæ fuerunt hoc loco, priôque sepositæ duodecim sectiones, quibus ostendebatur Concordiam libertatis indifferentiæ cum Physicâ Prædeterminatione non tam facilem esse, ac sibi persuadet, aut malâ fide supponit Iansenius: & quidquid scripserint eius Assertores, grauissimis difficultatibus contra illam obiectis nondum satisfecisse: Poterunt sectiones illæ suo loco restitui, quando Sedi Apostolicæ visum erit liberam dare facultatem hac de re disputandi scriptis in lucem editis. Intereà videri poterit, qui recentissimè in lucem prodiit, Tomus secundus de Gratia Francisci Suarez libro quinto capite septimo & sequentibus, vbi more suo accuratissimè hac de re scripsit.

SECTIO XVI.

Refellitur prior modus conciliandi gratiam cum libertate arbitrij à Iansenio traditus.

Ex dictis huc vsque contra physicam prædeterminationem, & illius concordiam cum libertate arbitrij, satis liquere arbitror quàm leuiter grauissimis difficultatibus defunctus sit Iansenius, & quàm malè pronunciauerit, omnia quæ contra illam obiiciuntur, vnicâ illâ distinctione solui ac dissipari, *sensus compositi, & diuisi*, quæ in ore & scriptis recentium Thomistarum frequentissima est; siue, vt ipse illam exponit lib. 8. de Gratia Christi Saluatoris capite 4. quòd non sit necesse vt cum omnibus ad agendum requisitis, inter quæ cælestis delectatio est (in qua sola gratiam efficacem seu medicinalem constituit) stet simul vt non agat voluntas, sed solùm vt possit non agere; sitque simultas potentiæ 158.

Quo sensu voluntas præuenta gratia potest non consentire, iuxta Iansenium?

potentiæ ad operandum & non operandum, quamuis non sit potentia simultatis, vt videlicet simul agat & non agat: hoc est, stet simul vt possit non velle, non autem vt simul non velit. Itaque in sensu diuiso potest voluntas non facere id, quod Deus per gratiam efficacem in ea operatur: in sensu verò composito, nequaquam. Quibus verbis neque suam, neque Thomistarum sententiam circa sensum huius distinctionis satis clarè exponit, sed ex parte verbis ambiguis inuoluit. Nam, vt constat ex præcedentibus sectionibus, sensus illorum & Ianseniј est, quòd non solùm repugnet voluntatem gratiâ efficaci præuentam simul agere & non agere, siue componere assensum cum dissensu, simúlque assentiri & non assentiri; quod esse impossibile nemo dubitat: verùm etiam quòd repugnet voluntatem gratiâ efficaci præuentam, componere dissensum cum gratia; ita vt impossibile sit esse gratiâ præuentam, & simul non ei assentiri: adeóque non habet potentiam ad dissensum cum gratia ponendum, siue ad dissentiendum tunc quando præuenitur, & in sensu composito cum præuentione: sed tantùm aliàs quando non præuenietur gratiâ efficaci, & in sensu diuiso ab illa.

159. Simili modo responderat Tuissius Caluinista, relatus ab Annato disputat. 1. de scientia media capite 6. §. 2. quia, inquit, non est de ratione agentis liberi vt positis omnibus prærequisitis ad agendum possit agere & non agere: debet enim excipi motio causæ primæ præmouentis secundam. Quamuis autem abundè sufficiant quæ contra illam euasionem diximus præcedentibus sectionibus, non erit inutile referre breuiter quæ præfato Caluinistæ respondet Aunatus cap. suprà citato §. 3. Quatuor autem præcipuè argumentis illam impugnat. Primum est. Liberum agens, quatenus tale est, suppositis ad agendum prærequisitis potest agere in sensu composito: Ergo & non agere etiam in sensu composito. Probatur consequentia ex communi sensu auctorum, qui cùm dicunt illud esse liberum agens, quod potest agere, & non agere; vtrumque sine dubio eodem modo posse putant, & aliqui etiam exprimunt, vt Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. prope finem, cùm dicit vtrumque ex æquo posse. *Illud*, inquit, *est in nostra potestate, cuius ex æquo sumus domini, cum eo quod ei aduersatur; vt philosophari, & non philosophari; credere, & non credere:* & alij passim, cùm dicunt *vtrumque indifferenter posse*, vt S. Thom. 1. p. qu. 83. art. 2. Quòd si dicatur illud esse agens liberum, quod habens omnia ad operandum necessaria, potest operari in sensu composito, & potest etiam non operari, sed tantùm in sensu diuiso: nec *ex æquo*, nec *indifferenter* vtrumque potest, vt patet: & euanescit ille conceptus libertatis: nec affirmatur quidquam de causa libera, quod non etiam dici possit de necessaria. Nam & ignis instructus omnibus necessariis ad calefaciendum, potest calefacere in sensu composito, & non calefacere in sensu diuiso; putà, deficiente subiecto capaci, vel propinquitate necessariâ ad calefaciendum, vel præparatione concursus diuini. Confirmatur, quia potentia illa liberi agentis, est potentia dominatiua, quâ eligit agere, aut non agere. Atqui non dominatur, neque eligit agere, si agit necessariò, & non potest non agere. Vt enim sit illud dominium, & electio vnius præ alio, debet agens posse coniungere non-actionem cum his circumstantiis, cum quibus coniungit actionem: alioquin non coniungit ex dominio, & electione; sed ex necessitate.

Agens liberum positis omnibus prærequisitis debet posse agere & non agere.

160. Secundum argumentum: Agere agentis liberi, est agens liberum componere cum omnibus prærequisitis ad agendum, ipsam actionem. Ergo agens liberum posse non agere, idem est atque posse componere non-actionem suam cum omnibus prærequisitis ad agendum. Componere autem actionem, aut non-actionem cum omnibus prærequisitis ad agendum, nihil aliud est, ex sententia ipsorummet aduersariorum, quàm facere vt pro eodem instanti temporis, quo sunt omnia prærequisita ad agendum, sit actio, vel non sit. Ergo sicut agens liberum potest facere vt sit actio pro eodem instanti, quo sunt omnia prærequisita ad agendum; potest etiam facere, vt non sit actio.

161. Tertiò: Hoc quod est *non agere*, positum in definitione agentis liberi, aliter dicitur in sacris literis, & Conciliis, *renuere, abiicere, resistere, dissentire.* Vnde illud, *Vocaui, & renuistis:* &, *Vos semper Spiritui sancto resistitis:* & quod habet Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 4. liberum arbitrium posse dissentire Deo vocanti, & excitanti, abiiceréque inspirationem quam recipit. Quibus apertè significatur esse in potestate liberi agentis componere cum prærequisitis ad agendum, ipsum non agere. Quid enim est dissentire, ver. gra. nisi dissensum ponere? Est autem de ratione dissensus, vt ponatur pro eodem instanti, pro quo quis mouetur & inuitatur ad consensum: ac proinde vt componatur cum ipsa motione, & inuitatione ad consensum. Nemo enim dissentire dicitur, antequam moueatur, neque postquam motus fuit, & obtemperauit vocationi. Ergo posse dissentire motioni, est posse ponere dissensum pro illo instanti quo est motio: atque adeò componere dissensum cum motione. Ergo quæcunque necessitas antecedens impedit hanc compositionem, impedit libertatem.

162. Quartò, iuxta doctrinam aduersariorum, agens liberum posse non agere positis omnibus prærequisitis ad agendum, in sensu diuiso, non in sensu composito, nihil est aliud, quàm facere posse vt pro alio instanti, in quo non erunt omnia prærequisita, sit non actio. Atque ità definitio agentis liberi, iuxta illos, hunc habet sensum: Agens liberum est illud, quod habet potestatem agendi pro tempore quo sunt omnia prærequisita ad agendũ: & simul habet potestatem non agendi, siue potiùs impotentiam agendi, sed pro eo tempore quo illa non erunt. Quasi verò sit vllum agens necessarium de quo non liceat hoc ipsum affirmare, videlicet posse agere quando adsunt omnia prærequisita ad agendum: & posse non agere, seu potiùs non posse agere, quando desunt?

163. Perperam verò addit Iansenius eodem cap. 4. de illo sensu composito intelligendum esse quod ait Augustinus lib. de Corrept. & gratia capite 12. *Subuentum est igitur infirmitati vo-*

Iansenius Augustinum malè citat.

luntatis humana, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: & ideò quamuis infirma non tamen deficeret, neque aduersitate aliquâ vinceretur. Et capite 14. *Cui volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Et iterum in eodem loco, *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæ voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt, præscit, humanas voluntates non posse resistere quo minùs faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit. Nisi fortè quando Deus voluit Saüli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere &c.* & libro de bono Perseuerantiæ capite sexto: *Quomodo potest amitti donum perseuerantiæ, per quod fit vt non amittatur etiam quod posset amitti.* Nam vt alibi ostendimus disputat. 22. sect. 6. verba primo loco relata sunt intelligenda non de impotentia antecedente orta ex gratia necessitāte, aut prædeterminante, vel alia causa cui voluntas resistere nequeat, & componere dissensum cum illa: sed de infallibilitate, & necessitate, consequente duntaxat, ortâ ex præscientia diuina, & consensu voluntatis præscito. Cùm enim fieri nequeat vt voluntas sit consensura simul, & non consensura: non potest non consentire, ex suppositione quòd consentiet; & Deus præscit esse consensuram, eò quòd reipsa consentiet. Similitérque quod ait, liberum arbitrium non posse resistere Deo volenti saluum facere; & Israëlitas non potuisse non eligere Saülem in regem, & donum perseuerantiæ non posse amitti: debet intelligi consequenter, ex hypothesi euentus à Deo præsciti, vel intenti vt obtinendi per ea media, quæ conditionatè præsciuit obtentura consensum liberum, si darentur in talibus circumstantiis: vt exposuimus disputat. & sect. cit. num. 57. & seqq. & clarum esse demonstrauimus ex verbis ipsius Augustini lib. de Bono Perseuerantiæ cap. 6. Similíque sensu dicit tract. 53. in Ioan. de Iudæis incredulis: *Quare non poterant credere si à me quæratur, ita respondeo: quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus.*

164. *Gratia efficax non adimit libertatem.* Quódque gratia, licèt efficaciter, & potenter trahens voluntatem ad consensum, non tollat illi potestatem eligendi alterutrum, & dissentiendi si velit, docet euidenter idem S. Doctor locis infrà citandis nu. 168. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 84. vbi sic ait: *Quomodo attrahit* Pater ad Christum, *si dimittit vt quis quod voluerit eligat? Et tamen vtrumque verum est.* Et epist. 107. *Quomodo*, inquit, *dicuntur negare liberum arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi suâ liberâ credere voluntate? Cùm potiùs illi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda, & agenda sit liberum.* Nota quod ait, *credere libera voluntate*, & arbitrium esse liberum ad eligenda bona: ita scilicet vt possit credere vel non credere, & agere bonum vel non agere. Quo etiam sensu dicit libro de Prædestinat. Sanct. cap. 5. *Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ: sed præparatur voluntas à Domino.*

165. *Abutitur Scriptura testimoniis Iansenius.* Perperam quoque de eodem sensu composito intelligendum esse vult quod dicitur 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit &c. & non potest peccare.* Sensus enim est, quòd ille qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare, in quantum ex Deo natus est, & operans vt talis. Simili modo quo vulgò dici solet, Vir nobilis nihil vile facit, nihil abiectum agere potest: Vir generosus non potest ignauiter agere. Eodémque modo intelligendum est quod ait Christus Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.* Bona scilicet quatenus bona, siue operans vt bona; & mala quatenus mala, siue operans vt mala; quo pacto solent operari. Non enim sensus est quòd ille qui bonus est, absolutè non possit malè facere: vel qui malus est, absolutè nequeat bene facere; atque ex antecedenti necessitate ille ad bonum determinetur, iste ad malum. Quod repugnat experientiæ, quâ constat bonos interdum malè agere, & malos bene: esséque in libera nostra electione vt simus arbor bona vel mala, & bene vel malè operemur: vt confirmat Aug. lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo cap. 4. sic dicens: *Habet vnusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona*, atque operari vt bona: *aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala* &c. Hoc ergo Dominus dicēs, Aut facite hoc, aut facite illud, ostendit esse in potestate quod facerent; & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent; si malum eligerent, pœnam illius sentirent.

Perperam denique affirmat, Tridentinum loqui in sensu diuiso suprà explicato, quando dicit sess. 6. can. 4. & capite 5. Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, posse dissentire si velit, & inspirationem recipiens posse illam abiicere: quo vtroque loco significatur, inquit, ita hominem recipere Dei inspirationem, & motionem & excitationem istius delectationis, aut prædeterminationis, aut etiam actualem consensionem, vt nihil auferat eius voluntati potestatem dissentiēdi si velit; quamuis actualis dissensus cum illis præsuppositis nequeat componi. Enimuerò si actualis dissensus cum illis cōponi nequit; ergo voluntas illis positis, & cum illis coniuncta, non habet potentiam dissentiendi. Ergo falsum est quod ait Tridentinum, liberum arbitrium motum & excitatum, hoc est, compositum cum motione & excitatione, posse dissentire si velit; & ita recipere inspirationem diuinam, vt possit illam abiicere. Quare hæc interpretatio sensum verborum Tridentini planè corrumpit. Quod quia fusiùs ostendi sect. 7. plura in præsenti dicere supersedeo. 166. *Et Tridentini.*

SECTIO XVII.

Refertur alter modus conciliandi gratiam cum libero arbitrio, quem veluti Augustinianum magis probat Iansenius.

QVAMVIS autem prædictum concordiæ modum, quo Thomistæ libertatem indifferentiæ cum gratia prædeterminante cōciliare nituntur, facilem esse putet Iansenius (si tamen id sincerè affirmat) suámq; gratiam necessitantem eadē facilitate cum illa cōciliari, quia idem est voluntatem necessitari per gratiam, & physicè per illam prædeterminari: illum tamen minùs probat, aliúmque proponit (quem solum verum & Augustinianum esse vult) sequenti cap. 167. *Vult eum in eo consistere, quòd gratia faciat nos velle.*

5. eiusdem libri 8. de Gratia Christi Saluatoris. Vbi docet, verum & genuinum modum conciliandi gratiam cum libero arbitrio, secundùm Augustinum, non esse, quòd sub eius efficacia determinante voluntatem vt velit & agat, simul potestas maneat vt non velit & non agat. Nempe vt arbitrium voluntatis eâ ratione liberum eatenus maneat sub gratiâ, quatenus actum volendi sic exerit, vt eum possit suspendendo continere. *Nunquam enim* (inquit) *Augustinus, respondendo Pelagianis de violata per gratiam libertate conquerentibus, istum conciliandi modum tetigit, quòd voluntas ita per gratiam velit, vt possit non velle: sed semper illum, quòd operante gratiâ, non instar trunci quem Deus moueat, feramur ad bonum: verùm quòd gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est.* Velle scilicet necessariò, & sine potestate indifferenti ad oppositum, vt ipse alibi exponit sæpiúsque affirmat. Et hanc esse veram Augustini sententiam, eiúsque discipulorum, conatur persuadere adductis plurimis eorum testimoniis eodem capite 5. & pluribus sequentibus: in eiúsque confirmationem adducit etiam quorundam aliorum veterum, Augustino posteriorum, & duorum Pontificum Zozimi & Cælestini, atque ipsius Concilij Tridentini auctoritatem, quâ ineptissimè abutitur, cùm illâ potiùs eius sententia manifestè damnetur, vt suprà vidimus, & magis sectione vltimâ parebit inferiùs. Tandem verò capite 21. sibimetipsi opponit, hunc libertatis conciliandæ modum videri esse Caluinisticum, & damnatum à Tridentino. *Obiicietur fortassis*, inquit, *aduersus istam gratiæ, & liberi arbitrij concordiam, eam à sententia Caluini non differre. Sic enim vtrumque inuicem conciliat, vt dicat hominem vi gratiæ non ita trahi, vt sine motu voluntatis, quasi extraneo impulsu feratur: sed intus affici, vt sua voluntate obsequatur. Hoc est, voluntariè tantùm, non liberè influere in opera bona voluntatem:* quæ sententia à Concilio Tridentino dissonat. Huic autem obiectioni duo respondet. In primis, non omnia esse hæretica, quæ hæretici docent. Mos enim solemnis hæreticorum est vt falsis vera misceant: &, *nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat*, inquit August. lib. 2. quæst. Euangelic. q. 40. Et si qua in re Caluinus cum Augustino & antiquis Patribus senserit, non propter Caluinum Augustino indignandum esse, sed propter Augustinum Caluino potiùs gratulandum. Deinde secundò respondet, suam & D. Augustini sententiam discrepare à Caluino in his quinque. Primò, Quòd Caluinus negat esse in homine, boni & mali electionem. Secundò, Docet gratiam ita mouere hominem, vt non sit ei liberum resistere. Tertiò, Non vult hominem gratiæ mouenti pedissequa voluntate consentire. Quartò, Affirmat virtutem aut vitium, benéque viuere vel malè non esse in nostra potestate. Quintò denique, apertè & expressè affirmat non esse in homine liberum arbitrium: ipsúmque nomen liberi arbitrij inane, & exterminandum esse dicit.

168. *Falsò ait Augustinum non alium modum agnouisse.* Sed contrà primò: euidenter falsum est D. Augustinum nunquam istius modi conciliandi libertatem cum gratia mentionem facere: vt patet ex pluribus eius locis, quibus affirmat misericordiam Dei præuenire nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis esse, vt ait lib. de spirit. & lit. contra Pelagianos scripto, cap. 34. & eos qui vocantur ad cœnam Euangelicam, & non veniunt, id sibi tantùm tribuere debere: quoniam vt venirent vocati, erat in libera eorum voluntate: ac proinde ita non venerunt, vt venire potuerint: quemadmodum ait lib. 83. qu. q. 68. & in nostro arbitrio Deum posuisse, cui paremus locum: Deo an diabolo: inquit homil. 16. ex 50. & nisi motus, quo huc aut illuc voluntas conuertitur, esset voluntarius, atque in nostra positus potestate; neque laudandum, cùm ad superiora, neque culpandum hominem esse, cùm ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis: vt ait lib. 3. de lib. arb. cap. 1. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 84. dicit efficacis gratiæ tractum, seu motionem non impedire quo minùs pro arbitrio velimus & eligamus: *sicut ea quæ legum coërcitionibus admonentur*, id est, leges pœnales, *non auferunt liberum arbitrium*, seu potestatem eas transgrediendi. Et lib. de natura & gratia cap. 65. dicit nos neque ad virtutes, neque ad vitia necessitate trahi: adeóque non per gratiam necessitari ad benè operandum.

169. *Implicat voluntatem agere liberè, & necessariò.* Secundò, manifestam contradictionem implicat modus ille conciliandi efficaciam gratiæ cum vsu libertatis, in eo consistens, quòd gratia faciat nos velle necessariò. Cùm enim de ratione agentis liberi, & exercitij libertatis sit agere ex potentia ad vtrumlibet sine antecedenti necessitate, & determinatione ad vnum, vt sectione præcedenti ostendimus, & fusiùs probanimus tota disp. 30. Dicere voluntatem consentire necessitatam antecedenter à gratia efficaci, & tamen agere liberè, est dicere voluntatem agere ex necessitate, & non agere ex necessitate. Quod autem ait aduersarius, libertatem arbitrij verè & propriè dictam non consistere in carentia huius necessitatis quæ opponitur indifferentiæ ad agendum vel non agendum; sed tantùm in carentia coactionis; error Caluini, & Lutheri est, & aliorum libertatis euersorum, vt ostendimus eâdem disp. 30. sect. 4. & sequentibus.

170. *Soluuntur argumenta Iansenij.* Tertiò, hallucinatur perpetuò aduersarius, quando hunc modum conciliandi libertatem cum gratia tribuit Augustino, & aliis quos citat, eò quòd affirment gratiam in nobis perficere sanctitatem: & ad hoc adiuuare vt velimus, & ex nolentibus volentes fiamus: & Deum operari in cordibus hominum voluntatem, & gratiam non solam operari, sed nos iuuare vt velimus & agamus quod bonum est: & nos cum Dei gratia agere voluntate id quod benè agimus. Quasi verò, vt ipsemet aduersarius agnoscit, & fateri cogitur libro sexto de Gratia Christi Saluat. capite septimo, & libro quarto de statu naturæ lapsæ cap. 21. Augustinus per voluntatem, & velle, non soleat intelligere liberam eius facultatem, & exercitium volendi, propriúmque modum operandi quo agit vt voluntas, id est, vt domina sui actus, & potens ad vtrumlibet: in quo differt ab agentibus naturalibus, seu necessariis, & à seipsa operante non prout voluntas, sed prout natura est, quemadmodum ait S. Thom. 1. p. q. 41. art. 2. in

corp. & q. 2. de Potentia art. 3. Quem loquendi modũ Augustini imitantur Prosper, Fulgentius, Gregorius Magnus, Beda, Anselmus, Bernardus, & alij ab aduersario citati. Qui etiam aliis locis perspicuè docent gratiam ita mouere voluntatem, vt possit illi resisti. *Quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri:* inquit Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 11. *Quæ voluntas de sua habet mutabilitate, si deficit: de gratiæ verò opitulatione, si proficit: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod à multis recipitur, gratiæ diuinæ est, & voluntatis humanæ:* vt addit ibidem cap. 26. Et in responsione ad 6. caput Gallorum, *Prædestinationem Dei siue ad bonum, siue ad malum, in hominibus operari ineptissimè dicitur, vt ad vtrumque homines quadam necessitas videatur impellere.* Et Gregorius lib. 33. Moral. cap. 20. *Ideò*, inquit, *nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea, cùm promereri auxilio gratiæ poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Similia dicunt, Beda in caput 6. Ioan. circa illa verba, *Omnis qui audiuit à Patre*, & lib. variarum quæst. q. 13. Anselmus lib. de Concordia præscientiæ & prædest. cap. 1. & in caput 6. Matth. circa illa verba, *Fiat voluntas tua.* Bernardus lib. de Grat. & lib. arbit. quorum verba retulimus alio loco. Simili quoque modo loquuntur Hugo, & Ricard. de S. Victore, & Theologi ab aduersario citati: præcipuè D. Thomas 1. parte q. 62. art. 3. ad 2. cuius verba hæc sunt: *Omnis forma inclinat suum subiectum secundùm modum naturæ eius. Modus autem naturæ intellectualis est, vt liberè feratur in ea quæ vult. Et ideò inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest eâ non vti, & peccare.* Prætereo, ne longior sim, plura tum ipsius, tum aliorum testimonia. Qui plura volet, consulat Didacum Ruis disput. 49. de scientia Dei.

SECTIO XVIII.

Soluuntur præcipua argumenta Iansenij in fauorem suæ concordiæ adducta, & ex Augustino Prosperóque desumpta.

171. *Imponit Pelagianis.* VT autem singillatim respondeamus testimoniis ab aduersario productis ad probandum suam illam conciliationem gratiæ cum libertate esse ex mente Diui Augustini, & aliorum veterum quos citat: vel potiùs indicemus loca, in quibus alibi fuerunt explicata, breuitérque solutionem ibi datam applicemus præsenti negotio: Quod ait in primis cap. 5. & 6. multísque Augustini testimoniis persuadere nititur, existimasse Pelagianos gratiam agere prorsus inuitos & reluctãtes, vel *quasi dormientes*, aut *lapides*, aut *supinos iacentes*, & *prorsus nihil agentes*, atque idcirco tollere libertatem arbitrij: contrà verò D. Augustinum vt eam non tolli demonstret, & calumniam destructæ libertatis frequenter sibi à Pelagianis obiectam repellat, nihil aliud ostendere, quàm nos velle non obstante auxilio gratiæ, & facere volentes quod cum illius ope facimus, non autem coactos & inuitos: hoc, inquam, prorsus ineptum est; & ab omni specie veritatis alienum. Quis enim credat homines acris & velocis ingenij, vt ipse vocat post Augustinum, sibi persuasisse voluntatem quando vult bonum cum auxilio gratiæ, velle prorsus inuitam; id est, non concurrente interno volendi principio, sed vi tantùm externâ coactam; & non vitaliter operari volendo, neque velle cùm vult: quod euidentem contradictionem implicat, vt per se notum est, & sæpius alibi affirmat aduersarius. Non negabant igitur voluntatem velle simpliciter bonum, si ad hoc gratia erat necessaria: sed velle liberè, & cum potentia ad oppositum: iuxta illud eorum axioma damnatum à Concilio Palæstino, Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio. Eodémque sensu Diuus Augustinus è contrario docet, gratiam non obstare, sed iuuare potiùs, & facere vt velit, liberè scilicet libertate indifferentiæ, de qua inter ipsum & Pelagianos erat controuersia, quámve Pelagiani per gratiam tolli asserebant, ipséque è contrario non tolli sed iuuari per gratiam contendebat.

In eúmque sensum intelligenda sunt quæ refert Iansenius toto cap. 5. ex lib. 2. de nuptiis, capite 3. & libro 1. Operis imperfecti contra Iulianum fol. 113. & libro de gratia Christi cap. 7. & 25. & libro 1. ad Bonifacium cap. 18. 19. & 20. aliísque locis; in quibus cùm ait gratiam facere vt velimus non cogendo inuitos, sed adiuuando vt propriâ voluntate conuertamur ad bonum; *Non enim est homo bonus si nolit: sed gratiâ Dei ad hoc adiuuatur vt velit* &c. sumit *voluntatem*, & *velle*, pro facultate & vsu liberè volendi: vt sumere solet, præsertim in libris contra Pelagianos: quemadmodum fateri cogitur aduersarius veritatis euidentiâ conuictus, nósque tum ipsius testimonio, tum pluribus Augustini locis demonstrauimus disputatione 32. sectione 4. Nomen quoque vis & coactionis sæpe ab illo aliísque antiquis vsurpari pro simplici necessitate opposita libertati indifferentiæ, ostendimus disputatione 32. sect. 1. & sequentibus. 172. *Augustinus sumit voluntatem & velle, pro liberè velle.*

In eundem quoque sensum accipienda sunt quæ refert aduersarius ex epistola 89. ad Hilarium, *Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia iuuatur; sed ideò iuuatur, quia non tollitur.* Quæ verba nocent potiùs aduersario: cùm Augustinus sine dubio ibi sumat liberum arbitrium (quod dicit non tolli per gratiam, sed iuuari) eodẽ sensu, quo Pelagiani sumebant & tolli dicebant: nimirum pro libertate indifferentiæ. Idémque dico de aliis quæ addit ex epist. 105. ad Sixtum, & 106. ad Paulinum, & 107. ad Vitalem, & lib. de Perfectione iustitiæ cap. 19. & lib. de corrept. & gratia cap. 2. 8. 11. & 14. & lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 5. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5. & tract. 6. in epist. Ioan. & lib. 83. quæst. q. 6. & lib. de quantitate animæ cap. 36. Quibus in locis affirmat solùm Augustinus non posse voluntatem velle & agere bonum sine gratiæ adiutorio: nec quenquam credere, aut bene agere, nisi propriâ voluntate cum Dei auxilio: neque per illud tolli arbitrium liberum, sed iuuari, & voluntatem liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam in fide & bonis operibus fieri: & qui eidem cooperantur, castificare seipsos, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Omnis qui habet spem hanc in ipso, ca-* 173. *Expressè docet non periisse libertatem indifferentiæ.*

stificat seipsum (sic enim ipse legit, pro eo quod habet vulgata, *sanctificat*) & gratiam solam non operari, sed nos illi cooperari: & *datum esse animæ liberum arbitrium: quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, vsque adeo cæci sunt, vt ne ista quidem vana atque sacrilega, propria voluntate se dicere intelligant*: liberâ scilicet, vt voluntatem sumere solet: quam talem esse vnicuique mentis compoti notum est propriâ experientiâ. Nec illepidè dixit Scotus, eos qui libertatem indifferentiæ hominibus inesse negant, non tam argumentis conuincendos, quàm verberibus excipiendos esse, donec conquerantur, & fateantur liberum nobis esse à verberando desistere.

174. *Quomodo probat se illam non tolleret.* Eódem quoque pertinent quæ citat Iansenius toto capite septimo ex lib. de perfect. iustitiæ capite 19. & libro 1. Operis imperfecti contra Iulianum fol. 133. & libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 6. 10. 11. & 20. & lib. de Bono Perseuerantiæ capite 13. & 23. & serm. 11. de verbis Domini capite 18. & epistola 105. ad Sixtum, & ex Arausicano canone 23. quibus in locis partim Iulianus, & alij Pelagiani reprehendunt in Augustino quòd tolleret libertatem arbitrij, asserendo necessitatem gratiæ sine qua nullum opus bonum fieri possit: partim respondet & probat Augustinus non ideò tolli, quia necessitas gratiæ ad bene operandum non obstat quo minùs voluntas operetur: sumendo voluntatem prout est potentia libera, siue quatenus agit vt voluntas, & non vt natura: sicut eam sumi frequentissimè à Diuo Augustino suprà notauimus. Idipsúmque patet ex verbis nunc à Iansenio relatis ex libro de Prædestinatione Sanctorum capite 6. *Illi quia voluerunt, crediderunt: illi quia noluerunt, non crediderunt.* Eodémque sensu voluntatem sumit Arausicanum canone suprà citato: *Quamuis volentes agunt quod agunt: illius tamen voluntas est, à quo præparatur, & iubetur quod volunt.*

175. *Idem patet ex præceptis Dei.* Secundò, quod opponit capite octauo ex libro de Gratia & libero arbitrio capite secundo: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli illud; & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum, in diuinis monitis opus voluntatis exigitur; satis liberum demonstratur arbitrium.* Et capite tertio: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Et vtique cùm dicitur, Noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur.* Et capite quarto, *Numquid indicant* (præcepta de non fornicando) *liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, quâ diuinis præceptis obediret.* Hæc, inquam, & alia multa his similia ex eodem libro obiecta, nocent potiùs aduersario, vt ostendimus disputatione 3. sectione 6. & disputatione 18. sect. 2. Nam vanum esset præcipere hominibus vt nolint hoc aut illud; non fornicentur, non vincantur à malo; si antecedenti necessitate ad vnum adstricti sunt, ita vt non possint illud non agere: & iniustum esset præcipere vt non faciant, si antecedenti necessitate non possunt non facere. Neque illi essent laude & præmio digni, faciendo bonum; neque isti vituperio & pœna, faciendo malum. Quia communi omnium sensu, & ipso lumine naturali notum est, neminem esse vituperio, vel supplicio dignum, si id non faciat quod facere non potest. Quod adeò notum esse dicit Augustinus libro de vera religione capite 14. vt *nulla paucitas doctorum, nulla indoctorum turba dissentiat.*

His similia sunt, & non minùs aduersario nocent quæ addit toto capite nono, vbi refert Augustinum sæpè respondere Pelagianis, concupiscentiam non auferre libertatem peccandi, quia homo propriâ voluntate peccat, & quod libet facit. *Liberum arbitrium vsque adeò in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet*: inquit libro primo ad Bonifacium capite secundo & capite tertio. *Non itaque, sicut dicunt quidam nos dicere, & iste audet insuper scribere, omnes in peccatum velut inuiti carnis suæ necessitate coguntur: sed si iam in ea ætate sunt, vt propriæ mentis vtantur arbitrio; & in peccato suâ non alienâ voluntate retinentur, & à peccato in peccatum suâ voluntate præcipitantur*: id est, suâ libertate, iuxta phrasim Augustini, de qua suprà numero 170. Nam alioqui, quòd ea quæ ex necessitate carnis & concupiscentiæ fiunt sine libertate indifferentiæ, ita vt illis resisti nequeat, sine peccato fiant, patet ex verbis Augustini suprà relatis numero 175. & aliis immediatè sequentibus eodem capite decimo-octauo libri tertij de libero arbitrio, vbi postquam dixit, neminem peccare in eo quod nullo modo cauere potest; subiungit *querelam murmurantium de difficultate abstinendi à peccato, ortâ ex concupiscentia* &c. *Hìc occurrit illa quæstio, inquit, quam inter se murmurantes homines rodere consueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim, si Adam & Eua peccauerunt, quid nos miseri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur: & primò erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iustitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio quâ necessitate, non valeremus?* Cui obmurmurationi non respondet, iniustam aut ineptam esse, quia libertas indifferentiæ, seu potestas ad oppositum non est necessaria ad peccandum, sed sufficit quòd malum sponte & libenter velimus, quamuis ex necessitate imposita per concupiscentiam: vt respondere debebat iuxta sententiam Iansenij. Sed illius mens longè alia erat, ideóque longè aliter illis occurrit, sic dicens: *Quibus breuiter respondetur, vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò vbique sit præsens, qui per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis, ista tua propria peccata sunt*: id est, non tibi imputatur ad culpam, neque tuum peccatum est quod omittis, quia facere non potes: aut quod facis, quia aliter non potes: sed quod negligis facere quod potes, & implorare Dei auxilium tibi paratum, vel vti iam exhibito.

176. *Idem affirmat nos liberè peccare.*

Tertiò, quæ opponit cap. 10. ex Prospero in 177.

Prosper docet nos liberè agere, & ex indifferentia.

epist. ad Ruffin. & sentent. 6. post respons. ad capitula Gallorum, & cap. 7. eiusdem responsi, & lib. de ingratis capite 26. & libro contra Collatorem: & epistola ad Demetriadem, similia sunt iis quæ suprà retulimus ex D. Augustino, eodémque modo intelligenda. Nam in primo, relatâ Pelagianorum & Semipelagianorum accusatione, quod Augustinus liberum arbitrium penitus submoueret: sic illam repellit: *Nimium verò ineptè, nimiùmque inconsideratè ab aduersantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio &c.* tum postquam dixit paruulos quidem per illud nihil agere; subiungit de adultis: *Si eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reseruatur, pio consideremus intuitu, nónne in eis non peremptum inueniemus liberum arbitrium, sed renatum?* Quæ verba, quæque postea ibidem sequuntur, nocent potiùs, quàm fauent Iansenio: quippe quæ manifestè affirmant liberum arbitrium, quale fuit in Adamo, libertate scilicet indifferentiæ, non periisse per illius lapsum; sed manere, & operari in piè viuentibus cum auxilio gratiæ opera pietatis. Estque notandum quod de Augustino suprà monuimus, liberum arbitrium hîc sumi eodem sensu à Prospero affirmante peremptum non esse, quo sumebatur à Pelagianis & Semipelagianis conquerentibus de Augustino quòd illud tolleret: ne alioqui vnus de alliis loquatur, & alter de cæpis respondeat. Loquebantur autem Pelagiani & Semipelagiani de libero per potestatem indifferentiæ, vt fatetur Iansenius. Idem dicendum de verbis postea relatis ex sentent. 6. post respons. ad capitula Gallorum, *Arbitrium hominis gratia Dei non abolet* (adeóque non facit vt non liberè operetur, liberè, inquam, libertate indifferentiæ, quod negabant Pelagiani) *sed adolet, & ab errore in viam reuocat, & reducit, vt quod suâ libertate erat prauum, spiritu Dei agente sit rectum.* Idem quoque dicendum de verbis postea relatis ex Carmine de Ingratis, vbi simili modo respondet eidem calumniæ Pelagianorum, gratiam scilicet & concupiscentiam non efficere vt non mereamur aut demereamur, bene vel malè operando, quia volentes vtrumque facimus, id est, liberâ electione seu cum potentia ad oppositum. Nam, vt idem ait in respons. ad 6. caput Gallorum, Homines neque ad bonum, neque ad malum necessitate impelluntur. Et libro secundo de vocat. Gent. cap. 12. dicit *liberum esse his qui iudicio rationis vtuntur, discedere à Deo: vt non discessisse sit præmium: & vt quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri:* adeóque liberè factum est, seu cum potentia ad oppositum. Illi quoque potiùs nocet quod addit ex libro 1. de vocat. Gent. capite 8. *Nec quia Spiritu Dei agitur, ideò se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus sanatur, non natura remouetur.* Quibus verbis nihil clarius dici potest contra sententiam aduersarij sæpius affirmantis libertatem indifferentiæ per peccatum Adæ perditam fuisse, neque iam gratiæ cooperari, sed per eam necessitati voluntatem ad bene operandum. Estque manifestum per *voluntatem*, Prosperum intelligere liberam libertate indifferentiæ, per quam Adamus, & tota natura cum illo se diabolo dedit. Nam quòd Adamus per huiusmodi libertatem peccauerit, docet ipse aduersarius libro de Gratia primi hominis, & libro tertio de statu naturæ lapsæ, alibíque passim. Eodem sensu dixerat capite septimo: *A diabolo cùm homo spoliaretur, non voluntate, sed voluntatis sanitate priuatus est: quia nec detrudi ab innocentia statu posset, nisi voluntate peccaret:* liberâ scilicet & potente ad oppositum: nam alioqui non peccasset imputabiliter, neque pœnam meruisset, vt docet ipse aduersarius, dicens necessitatem peccandi, quæ non est orta ex peccato, excusare à culpa: & ideò nobis imputari quæ malè facimus necessitante concupiscentiâ, quia hæc peccandi necessitas orta est ex peccato Adæ. Similia sunt, & eodem modo intelligenda cetera, quæ refert ex aliis libris Prosperi, ineptè ex illis inferens, nullam aliam in tot testimoniis concordiam gratiæ & liberæ voluntatis Prosperum tradere, aut agnoscere, nisi quatenus gratia non sola, neque Deus suâ voluntate sola sine voluntate nostra bonum operatur, quasi hominem inuitum & reluctantem, per violentiam cogeret.

SECTIO XIX.

Satisfit aliis quæ opponit Iansenius ex aliis Patribus & Theologis.

178. *Cyrillus illi aduersatur.*

QVARTÒ, quæ opponit capite vndecimo ex Cyrillo Alexandrino, Fulgentio, & Petro Diacono, eodem sunt sensu, & ferè verbis, cum obiectis suprà ex Augustino, & Prospero, vt legenti eadem loca facilè patebit. Euidentérque nocet aduersario, quod refert ex Cyrillo libro quarto in Ioan. capite septimo: *Vbi auditus, disciplina, doctrináque adest, ibi fides non vi, sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex caritate dignis præstatur, non vi Christum fideles agnoscunt: non enim possumus secundùm Ecclesiæ veritatísque dogmata, liberam potestatem hominis, quod liberum arbitrium appellamus, vllo modo negare.* Illud arbitrium scilicet, de quo dixerat libro secundo capite 54. *Liberum hominis arbitrium ad alterutrum secundum animi sui iudicium potest proficisci.* Et libro quarto capite tertio: *Liberum homo animal est, & potest siue dexterum, siue sinistrum, velit iter eligere;* id est, siue bonum, siue malum. Et libro nono capite decimo: *Rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas vnicuique commisit, vt in eo sit quidquid probauerit eligere.*

179. *Hallucinatur in nomine coactionis.*

Idem dico de iis quę opponit cap. 12. ex Gregorio, Beda, & Anselmo, in quibus nihil est quod vel apparenter faueat aduersario, nisi quod dicunt gratiam non lædere liberum arbitrium, quia non cogit, neque vi adigit ad consensum, & ad bene agendum. Sed per *vim*, & *coactionem*, intelligunt latiùs sumptam & minùs propriè pro necessitate opposita indifferentiæ, seu liberæ potestati ad vtrumlibet, vt ostendimus disp. 32. & 33. & per *voluntatem*, & *velle*, intelli-

gunt specialem potestatem volendi ex dominio, eiúsque exercitium, vt sæpissime sumi voluntatem à Patribus probauimus disp. 31. sect. 4. Nam quòd eo modo coactionem, & voluntatem sumant, & libertatem indifferentiæ in vsu gratiæ agnoscant, patet de Anselmo ex lib. de Concordia præscientiæ & prædestinationis c. 1. vbi sic ait: *Sola voluntas* (non gratiæ necessitas) *determinat ibi quod teneat; nec aliquid facit ius necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis.* De Beda patet ex eius commentario in cap. 6. Ioannis, vbi exponens verba illa Christi, *Omnis qui audiuit à Patre,* &c. sic habet: *Quomodo trahit Pater? Nemo necessitate credit, sed voluntate*: liberâ scilicet libertate indifferentiæ oppositâ necessitati: vt exigit illa Bedæ oppositio. De Gregorio denique liquet ex lib. 33. Moral. cap. 20. vbi de negligentibus cooperari gratiæ, ad vitam æternam promerendam sibi oblatæ, sic pronunciat: *Ideò enim nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Addo ne apparenter quidem fauere intentioni aduersarij quæ refert ex Gregorio lib. 16. Moral. cap. 11. Beda lib. quæstionum variarum, & Anselmo in epist. 1. ad Corinth. cap. 15. Quippe quæ nihil aliud dicunt, quàm nos per liberum arbitrium gratiæ cooperari.

180. *Anselmum contra se producit.* Quæ verò profert ex Anselmo lib. de lib. arbit. cap. 5. & 6. tam manifestè loquuntur de libertate indifferentiæ, vt nonnisi malâ fide potuerit Iansenius id dissimulare. Nam in fine capitis quarti discipulum ita loquentem inducit: *Satisfecisti intellectui meo, potestatem seruandi rectitudinem voluntatis, rationali naturæ semper inesse; atque hanc potestatem in primi hominis & Angelorum arbitrio liberam fuisse, quibus inuitis rectitudo voluntatis non poterat auferri.* Vbi sermonem esse de potestate & libertate indifferentiæ negare non potest aduersarius, nisi apertè contradicendo iis quæ scripsit lib. de Gratia primi hominis & Angelorum cap. 1. alibíque passim. De eadémque libertate pergit discipulus dicere immediatè pòst, ipso initio capitis quinti: *Sed nunc quomodo est humanæ voluntatis arbitrium hâc potestate liberum, cùm sæpe rectam habens homo voluntatem, ipsam rectitudinem inuitus cogente tentatione deserat?* Cui interrogationi respondet Magister, neminem illam deserere nisi volendo, liberè scilicet, vt Adamus & Angeli mali eam deseruerunt: nam alioqui responsum non quadrat interrogationi, neque ostendit humanæ voluntatis arbitrium hâc potestate liberum remanere. Eodémque sensu addit, neminem inuitum deserere rectitudinem, sed volendo: quia non potest velle inuitus, aut velle simul nolens velle: & non deserit nisi volendo. Tum obiicienti discipulo, eum qui mentitur ne occidatur, mentiri inuitum & nolentem: cùm non nisi nolens hoc facit: & tamen deserit rectitudinem sic mentiendo: respondet Magister, eum quidem nolle mendacium propter se, atque eatenus inuitum mentiri, id est, inuoluntariè secundùm quid; sed tamen velle propter vitam, atque ita non deserere rectitudinem nisi volendo, quia vult mentiri vt vitam conseruet: neque ita mentitur inuitus, vt careat potentiâ ad oppositum: quia quamuis *necesse illi sit aut mentiri aut occidi; & necessitetur horum vnum quodlibet facere: non tamen necesse est illum occidi, quia potest non occidi si mentitur: nec necesse est illum mentiri, quia potest non mentiri si occiditur: neutrum enim est determinatè in necessitate, quia vtrumlibet est in voluntate, vel potestate,* id est, potest alterutrum eligere. *Itaque licèt inuitus aut occidatur, aut mentiatur: non tamen ideò sequitur vt inuitus mentiatur, aut vt inuitus occidatur.* Addit consequenter, dici quoque inuitum, & nolentem, & ex necessitate aliquid facere, qui cum magna difficultate id facit, quod tamen volens facit, id est, cum potentia ad oppositum. *Nam,* inquit, *quod non nisi difficilè facere valemus, & ideò non facimus, dicimus hoc nos facere non posse. Et ex necessitate nos, siue inuitos, deserere quod sine difficultate dimittere nequimus: & idcirco cùm facimus, hoc nos inuitos, & nolentes, & ex necessitate facere asserimus. Hoc igitur modo qui mentitur, ne moriatur, mentiri inuitus & nolens dicitur, & ex necessitate, quia mendacium vitare non valet sine mortis difficultate. Sicut igitur qui mentitur propter vitam, impropriè dicitur inuitus mentiri, quoniam mentitur volens,* (id est, liberè, & cum potestate ad oppositum) *ita non propriè dicitur inuitus velle mentiri, quoniam hoc non nisi volens* (id est liberè) *vult.*

Eodémque sensu subiungit paulò pòst: *Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas* (mortem minitans nisi mentiatur) *sine suo assensu subiicere non potest?* Deinde interroganti discipulo, *Nónne simili ratione possumus dicere voluntatem equi esse liberam, quia appetitui carnis non seruit nisi volens:* Respondet negatiuè: *quia in equo non ipsa voluntas se subiicit, sed naturaliter subiecta semper necessitate appetitui carnis seruit. In homine verò quandiu ipsa voluntas recta est; nec seruit, nec subiecta est ei, cui non debet: nec ab ipsa rectitudine vllâ vi alienâ auertitur, nisi ipsa, cui non debet, volens consentiat: quem consensum non naturaliter, nec ex necessitate, sicut equus, sed ex se apertè videtur habere.* Denique in eundem quoque sensum dicit quæ postea refert aduersarius ex eodem cap. 5. & 6. *Omnem rem liberam esse ab ea re, à qua cogi non volens, aut prohiberi non potest.* Et, *quòd tentatio rectam voluntatem non nisi volentem, aut ab ipsa rectitudine prohibere, aut ad id, quod non debet, cogere potest,* &c. Vbi per *volentem,* intelligi *liberè volentem,* & per *cogere,* non tantùm violentiam & simplicem coactionem, verùm etiam necessitatem, patet ex iis quæ addit Anselmus eodem loco, quæque malitiosè suppressit ac dissimulauit aduersarius: *Quapropter iam dubitare hanc impotentiam seruandi rectitudinem non debes, quam dicis in nostra potestate esse, cùm tentationibus consentimus, non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate: frequenti namque vsu dicimus non posse aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia sine difficultate non possumus. Hæc autem difficultas non permittit libertatem voluntatis vinci. Impugnare namque potest inuitam voluntatem: expugnare nequit inuitam:* id est, si non velit liberè consentire. Huc vsque Anselmus.

Quintò, eâdem vtrâque animaduersione circa nomen coactionis, & voluntatis, quam suprà dedimus num. 179. eneruantur quæ addit Iansenius cap. 13. ex Bernardo, Hugone, & Ricardo Victor. qui postremus, eius potiùs errorem refutat verbis istis relatis ex prima parte tract. de 181. 182. *Et Ricard. Victor.*

inter. homine cap. 13. *Libertatis est quòd consensus eius extorqueri, vel cohiberi non potest. Potest enim consentire, vel non consentire aspirationi diuinæ: similiter suggestioni diabolicæ. Vtrumque quidem ex libertate, neutrum oportet ex necessitate. Aliud itaque est habere libertatem: & aliud est habere potestatem* ex seipso sine gratia. *Libertatis est, quòd ad aliquid volendum cogi non potest*, id est, necessitari. *Priuatio autem potestatis, quòd ad aliquid boni faciendum sufficiens non est* ex seipsa sine auxilio gratiæ. Et cap. 33. *Illud in potestate est, quod pro arbitrio voluntatis fieri vel permitti potest.* Iuxta quæ limitandum est quod addit: *Illud in libertate habemus, ad quod alienâ violentiâ cogi non possumus*: & nimirum neque intrinsecâ determinatione ad illud necessitamur, sed habemus in potestate, possumúsque vel facere, vel prætermittere vt lubet. Videantur quæ diximus disput. 33. sect. 4. & sequentibus, vbi eadem ipsa vel similia Bernardi, Hugonis, & Ricardi Victorini testimonia retulimus, & exposuimus, ostendimúsque non aduersari libertati indifferentiæ in operibus gratiæ, sed manifestissimè Bernardum & alios iisdem in libris illam adstruere.

183. *Aliqui veteres liberum latè sumunt pro (spontaneum.)* Sextò, quod opponit cap. 14. ex Magistro in secundo distinct. 7. & Alensi parte 2. quæst. 72. memb. 3. cap. 3. Angelos & Beatos esse liberos vt bonum eligant, & malum respuant: & necessitatem coactionis tollere liberum arbitrium, non necessitatem ineuitabilitatis: ideóque licèt in Angelis sit necessitas ineuitabilitatis, nihilominus tamen esse liberum arbitrium; intelligendum est de libero minùs propriè sumpto pro spontaneo: vt diximus dispur. 34. sect. 2. num. 6. vbi cum Gabriele, & Esthio, notauimus veteres Theologos quandoque largiùs sumere libertatem prout opponitur coactioni, ita vt voluntas dicatur facere liberè, quidquid sponte facit, & non coactè; eóque sensu locutum esse Bonauenturam, sicut & Alensem, & Magistrum, & alios qui dixerunt necessitatem ineuitabilitatis non repugnare libertati, sed necessitatem coactionis. Eodémque modo dicit Guilielmus Parisiensis, relatus ab aduersario, necessitatem quâ necesse est Deum semper bene agere, & impossibilitatem quâ impossibile est ipsum malè agere, in nullo prohibere, aut impedire, quò minùs bene, & laudabiliter agat vtrumque: & hoc quia nec violenter ipsum impediunt, aut auertunt à malè agendo. Quanquam laudabilitas propriè dicta non ex eo præcisè oritur; sed ex eo quòd liberè abstinere posset, si voluisset, ab hoc & illo bono opere: nullam enim habuit necessitatem agendi extra se. Quod autem addit Parisiensis, motus & influentias cælorum non excusare à peccato, quia non mouent violenter animas humanas, sed voluntariè: & à quocunque principio sit opus voluntarium, dummodo voluntarium sit, id est, volitum, semper imputandum esse voluntati, & agenti per voluntatem: neque si non potest aliud agere, vel etiam velle; propterea excusari qui nec vult aliud posse, vel agere. Hoc, inquam, vt sit verum debet ita intelligi, quòd influxus cælorum non excusent à peccato, quia non adeò sunt potentes, vt impediant ne voluntariè, id est, liberè operemur: sufficeréque ad imputabilitatem agere per voluntatem vt voluntas est, id est, libera facultas: neque excusare omnino magnam difficultatem, quæ moralis impotentia interdum appellatur.

Vide suprà disput. 34. sect. 3.

Septimò, quod refert cap. 15. ex D. Thoma in 3. sent. dist. 18. art. 2. ad 5. *Etiamsi liberum arbitrium Christi esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere nequit: tamen ex hoc non amittere libertatem, aut rationem laudis siue meriti: quia in illud non coactè, sed spontaneè tendit; & ita est actus sui dominus*: intelligendum est quatenus non obstante illâ determinatione ad vnum numero, nempe ad diligendum Deum amore beatifico; tamen liber erat quoad exercitium ad plurimos actus bonos etiã amoris Dei, non beatificos, quos potuisset sine peccato, & sine indecentia omittere: vt diximus disp. 31. sect. 7. atque ita liber erat circa huiusmodi actus libertate contradictionis: erat etiam liber quoad specificationem, quatenus licèt determinatus ad bonum in genere, poterat tamen eligere inter diuersas species boni; vt affirmat ibidem D. Thomas in priori parte responsionis. Similiter quod ait in 3. distinct. 12. q. 2. art. 1. ad 2. impotentiam coactionis quæ opponitur voluntario, tollere rationem meriti: non impotentiam quæ est ex perfectione vel malitia; quia hoc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad vnum: intelligendum est de bonis actibus quos Christus, de quo speciatim ibi loquitur, & Beati, possunt liberè exercere vel omittere, non obstante impotentia peccandi, & confirmatione in bono: déque malis actibus, quos dæmones & damnati ita faciunt, vt possent ab illis abstinere, non obstante impotẽtia bene agendi, & obstinatione in malo: vt diximus eadem sect. 7. num. 59. & sequentibus. 184. *Christus quomodo liber?*

Octauò, quæ addit ex Bonauentura, Henrico, Ricardo, Argentina, & Marsilio, sunt eadem aut planè similia iis, quæ suprà retulimus ex Magistro, Alensi, & D. Thoma, similique modo explicanda. Videri possunt quæ de illis diximus disp. 34. sect. 6. & seqq. Quod autem refert ex Scoto Quodlib. 16. ne apparenter quidem eius errori patrocinatur. Quod enim ait Scotus, *voluntatem propter firmitatem libertatis suæ sibiipsi necessitatem imponere in eliciendo actum, & in perseuerando, sine figendo se in actum*: nihil aliud significat, quàm voluntatem seipsam determinare, siue ad eliciendum, siue ad continuandum actũ, & imponere sibi necessitatem consequentem ex illa determinatione. Estque obseruandum diligenter, aduersarium toto illo lib. 8. quem scripsit de Concordia gratiæ cum libertate, perpetuò sibi contradicere: cùm totis viribus ostendere conatur, ad saluandam libertatem sufficere quòd voluntas velit, quódque consensus quem gratiæ præstat, sit volitio, *& ideò qualiscunque gratia immittatur voluntati, non aliam posse actionẽ sequi nisi liberam hoc ipso, quo est actio voluntatis*, vt ait in fine cap. 15. Enimuerò disertis & expressis verbis docet ipse contrarium lib. 6. de Gratia Christi cap. 36. Vbi dicit *improuisos voluntatis motus esse voluntarios, & sine violentia ex voluntate fluere; nec tamen esse liberos: deest quippe illis id quod præcipuum est: quia non sunt in hominis potestate, non sumus eorum domini, fiunt sine plena rationis aduertentia, profluunt inuitâ repugnantéque voluntate: quæ singula essentialiter repugnant libertati.* 185. *Scotũ inutiliter allegat Iansen.*

SECTIO XX.

Respondetur aliis argumentis Iansenij ex Zozimo, Cælestino, & Tridentino sumptis.

186. ABVTITVR verò patientiâ, vel simplicitate lectorum, quando addit cap. 17. Zozimum Papam in epistola circulari, suum illum modum conciliandi libertatem cum gratia approbâsse his verbis: *Vt boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium: quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: vt nec nostrum sentiamus deesse arbitrium: & in bonis quibusque, ac voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Itémque Cælestinum Papam in epistolâ ad Episcopos Galliæ, quando tradidit vt dogma fidei, *Per Deum fieri vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus & agamus: nec otiosa esse in nobis patitur quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei.* Et denique Trident. sess. 6. cap. 5. quando pronunciauit, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque hominem ipsum nihil omnino agere inspirationem illam recipientem; *quippe qui illam & abiicere potest:* neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam liberâ suâ voluntate posse.

187. *Ineptè allegat Zozimum, Cælestinum, & Trident.* Enimuerò duorum illorum Pontificum testimonia nihil prorsus habent, quo vel apparenter faueant illius sententiæ. Tridentinum verò apertè illam damnat in Caluino, & Luthero, verbis relatis ex cap. 5. sess. 6. iterúmque can. 4. cùm definit liberum arbitrium gratiam ita recipere, vt possit illam abiicere: & ita consentire vocationi diuinæ, vt possit dissentire si velit. Nã Tridentinum loquitur de gratia efficaci, cui reipsa consentitur: & cùm affirmat liberum hominis arbitrium non omnino nihil agere inspirationem illam seu gratiam recipiens, quippe quod illam & abiicere potest, manifestè docet efficaciam gratiæ non esse talem, vt non possit illi resisti, & ita vt illâ præsente & mouente, dissensus æquè, ac cõsensus poni nequeat. Iisdémq; verbis significat modum agendi & consentiendi liberi arbitrij in eo consistere, quòd ita consentiat, vt possit non consentire. Nam, vt antea notauimus, tacitè probat liberum arbitrium non omnino nihil agere, quia ita recipit inspirationem diuinam vt possit illam reiicere: & ita consentit Deo excitanti, atque vocanti, vt possit dissentire si velit, quemadmodum addit can. 4. eiusdem sessionis. Adde quòd brutum esset fulmen Tridentini contra Lutherum & Caluinum ibi damnatos, si solùm feriret negantes voluntatem velle simpliciter, & physicè cooperari gratiæ quando illi consentit. Nam hoc illi non negarunt, sed disertis & expressis verbis affirmarunt, vt ostendimus disput. 30. sect. 2. num. 11. & sect. 5. num. 28. & longè alium fuisse Tridentini sensum intellexerunt huc vsque omnes hæretici: vt de Caluino, & quibusdam aliis ibidem demonstrauimus, iterúmque breuiter ostendemus paulò pòst: de Catholicis quoque idem videre est in omnibus Theologis, & controuersiarum Scriptoribus, qui hac de re tractarunt.

Posset tamen vlteriùs obiici in fauorem aduersarij, Tridentinum damnasse Caluinum dicentem exercitium libertatis non stare cum gratia efficaci. Caluinus autem loquebatur de gratia antecedenter necessitáte. Ergo Tridentinum damnauit asserentes cum illo libertatis exercitium non stare cum tali gratia: ac proinde definiuit libertatem posse conciliari cum gratia necessitante: vt conficitur hoc altero argumento: Tridentinum definiuit contra Caluinum, hominem liberè assentiri, & cooperari gratiæ excitanti efficaciter, cui reipsa consentit & cooperatur. Caluinus autem loquebatur de gratia necessitante, & relinquente solùm libertatem à coactione. Ergo Tridentinum definiuit eiusmodi gratiam necessitantem non obesse liberæ cooperationi. Similique argumento vtuntur quidam recentes Thomistæ, vt probent physicam prædeterminationem non repugnare libertati. Nam, inquiunt, Tridentinum definiuit contra Caluinum, gratiam efficacem non tollere libertatem, siue vsum liberi arbitrij. Caluinus autem loquebatur de gratia physicè prædeterminante. Ergo Tridentinum definiuit gratiam physicè prædeterminantem non tollere libertatem, siue vsum liberi arbitrij. 188. *Instantia ex Trident.*

Verùm, qui sic argumentantur, perinde faciunt, ac qui diceret: Concilium Nicænum definiuit contra Arium, filium Dei esse verum Deũ. Arius autem loquebatur de filio temporaliter genito ex libero Patris arbitrio, quem volebat non esse Deum. Ergo Concilium Nicænum definiuit filium Dei temporaliter genitum ex libero Patris arbitrio, esse verum Deum. Aut qui diceret: Concilium Ephesinum definiuit contra Nestorium, Deum in Christo inhabitantem facere vnam personam cum eius humanitate. Atqui Nestorius loquebatur de Deo inhabitante solùm per affectum specialem. Ergo Concilium Ephesinum definiuit Deum inhabitantem solùm per affectum specialem, facere vnicam personam cum humanitate Christi. Aut denique qui diceret: Concilium Chalcedonense definiuit contra Eutychetem, naturam humanam Christi retinere omnes proprietates humanæ naturæ. Eutyches autem loquebatur de natura humana conuersa in diuinitatem. Ergo Concilium Chalcedonense definiuit naturam humanam conuersam in diuinitatem retinere omnes proprietates humanæ naturæ. 189. *Ostenditur quàm sit inepta.*

Definiuit quidem Nicænum contra Arium, filii Dei esse verum Deum: sed non definiuit filium, etsi talis esset, qualem fingebat Arius, esse verum Deum. Et Ephesinum sanxit contra Nestorium, Deum in Christo inhabitantem, vnicam personam constituere cum eius humanitate: sed non sanxit inhabitantem per solum affectum, vt volebat Nestorius, vnam cum illa personam constituere. Et Chalcedonense definiuit naturam humanam Christi retinere omnes proprietates humanæ naturæ: sed non conuersam in diuinitatem, vt volebat Eutyches. Similiter Tri- 190. *Detegitur hallucinatio.*

dentinum definiuit quidem contra Caluinum, gratiam Dei excitantem ad bene operandum, non tollere liberum arbitrium: sed non definiuit gratiam illam, tametsi esset talis, qualem fingebat Caluinus, non obesse libero arbitrio. Quin potiùs affirmauit non esse talem, hoc ipso quòd definiit liberum arbitrium posse illam abiicere, & dissentire si velit. Ac sicut Nicænum definiens filium Dei esse verum Deum, non supposuit cum Ario, sed potiùs damnauit, quod ipse dicebat, filium Dei esse temporaliter genitum ex libero Patris arbitrio: ita Tridentinum definiens liberum arbitrium posse resistere gratiæ excitanti, non supposuit, sed negauit omnino talem esse, qualem Caluinus esse finxit. Idémque dico de aliis exemplis allatis.

191. Falluntur huius argumenti auctores in eo quòd existiment definitiones Ecclesiæ, contradictoriè oppositas propositionibus hæreticorum, debere intelligi adiungendo prædicato, aut subiecto propositionis Ecclesiæ, idem quod hæretici adiungunt subiecto, aut prædicato suę propositionis. Quod euidenter falsum, & absurdum esse patet ex quatuor exemplis allatis. Nam potiùs Ecclesiæ definitio negat posse stare talem suppositionem, cum eo quod definit; pronunciátque eam falsò, & incompatibiliter affirmari ab hæreticis: putà, stare posse quòd Filius Dei sit verus Deus, & tamen sit ortus temporaliter ex libero Patris arbitrio. Quòd Christus sit vnica persona: & tamen Deus in eo solùm per affectum inhabitet. Quòd natura humana Christi sit conuersa in diuinitatem: & tamen retineat omnes proprietates naturæ humanæ. Quòd homo liberè assentiatur, & cooperetur gratiæ excitanti; ita vt illi dissentire, & resistere possit: & tamen ab illa necessitetur antecedenter ad assentiendum & cooperandum.

192. *Ianf. malè sibi constat.* Cætera quæ addit aduersarius cap. 19. & 20. sunt mera repetitio eorum quæ alibi sæpiùs dixit, quæque fuerunt satis superque refutata disput. 30. sect. 3. & seqq. & disp. 31. sect. 22. & deinceps, aliisque locis. Tantùm addo illum more suo sibi contradicere, quando affirmat eum qui mouetur à gratia efficaci, illique subest, retinere simul potentiam peccandi; quia retinet voluntatem quæ potest peccare si absit gratia: & tamen negat Beatos habere potestatem peccandi; licèt ipsi quoque retineant voluntatem, quæ, si abesset visio Dei, & amor beatificus, posset peccare. Nec obest discrimen ab illo assignatum, quòd scilicet Beati carent concupiscentia. Nam voluntas est nihilominus de se potens & sufficiens ad peccandum, quamuis careat concupiscentiâ: vt patet in primis parentibus, qui peccarunt sine illa. Nihil etiam obstat quòd status ille Beatorum est perpetuus, & nunquam mutandus. Nam propter hoc non minùs retinent suam voluntatem de se peccabilem, & mutabilem de bono in malum: adeóque retinent internam peccandi potentiam in sensu diuiso, id est, spectatam secundùm se, & diuisim ab illo statu.

SECTIO XXI.

Refelluntur effugia, quibus commercium cum Caluino vitare conatur Iansenius.

QVOD autem ait Iansenius cap. 21. Non omnia quæ dixit Caluinus esse hæretica: non eum excusat à commercio cum illius hæresibus. Nam sine dubio hæretica sunt quæcunque in illo damnauit Tridentinum sub pœna anathematis, contrariúmque suis canonibus sanxit, & ab omnibus fidelibus teneri voluit. Cuiusmodi est dogma de libertate indifferentiæ: déque motione gratiæ tali, vt voluntas possit illi resistere & dissentire. Et hoc sibi meritò obiici posse non ignorauit, neque omnino dissimulauit aduersarius: ideóque conatus est sententiam suam à Caluini hæresi quinque notis discernere. Sed vana prorsus, aut falsa sunt, quæcunque profert in eum finem. 193.

Nam quod ait primò, Caluinum negasse in homine boni & mali electionem; se autem illam admittere: falsum aut vanum est: quia non aliam ipse admittit, quàm Caluinus: neque aliam negat Caluinus, quàm Iansenius. Quippe negat vterque electionem propriè dictam, quæ non est nisi ex potestate indifferenti ad vtrumlibet: & admittit solùm electionem impropriè dictam, in eo consistentem, quòd voluntas velit & agat sine coactione: vt de Iansenio patet ex eius lib. 6. & 8. de Gratia Christi, passim: de Caluino, ex lib. 2. Institut. cap. 2. num. 7. vbi negat solùm electionem priore modo sumptam, his verbis: *Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, sed quia malè voluntate agit, non coactè.* Et lib. 3. contra Pighium p. 293. edit. 3. Geneuensis. *Semper testatus sum,* inquit, *me de nomine pugnare nolle, si hoc sensu constitueretur, libertatem non ad facultatem boni æquè ac mali eligendi, sed ad spontaneum motum & consensum referri debere.* Et in Antidoto Tridentini ad sess. 6. can. 5. *De verbo ne moueamus rixam. Sed quia per liberum arbitrium intelligunt* Tridentini Patres *eligendi facultatem quæ sit in vtramque partem libera & soluta: titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem, & Augustinum. Meminerimus ergo,* inquit ibidem, *aliud esse voluntatem in homine: aliud liberam boni ac mali electionem. Sublatâ enim post lapsum primi hominis eligendi libertate, sola voluntas relicta est, quæ sub peccati tyrannide captiua vsque adeò tenetur, vt nonnisi ad malum feratur.* Rursus verò electionem posteriori sensu admittit lib. 2. in Pighium pag. 154. his verbis: *Homini arbitrium concedimus, idque spontaneum, vt si quid boni aut mali facit, sibi ac voluntariæ suæ electioni imputare debeat. Liberum autem negamus, quia propter ingenitam prauitatem, ad malum necessariò fertur.* 194. *Negat vterque eodem sensu nos habere boni & mali electionem.*

Neque minùs vanum, aut falsum est alterum discrimen quod dat aduersarius: Caluinum docere gratiam ita mouere hominem, vt non sit ei liberum resistere: se autem id minimè docere. Nam euidens est vtrumque eodem modo, eodémque sensu affirmare, gratiam ita mouere 195. *Et non esse liberum resistere gratiæ.*

voluntatem, vt necessitet ad consensum, illique voluntas resistere nequeat, & non consentire quando adest gratia: licèt possit aliter agere & peccare, quando gratia aberit. Vt de Iansenio patet ex lib. 6. & 8. de Gratia Christi pluribus locis: & de Caluino ex lib. 2. Institut. cap. 3. num. 10. vbi de gratia sic loquitur: *Voluntatem mouet non qualiter multis sæculis traditum est & creditum: vt nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari.* Et in Antidoto Tridentini ad sess. 6. in eo dicit hallucinari Patres Tridentinos, *quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat.* Et inferiùs: *Constituunt hoc in hominis optione, vt Dei inspirationi si velit auscultet. Hæc nullo modo inter se conciliari possunt: Omnes qui à Deo didicerunt, venire*, iuxta illud videlicet, *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: & non aliter ratam esse Dei inspirationem, nisi homines ex seipsis assentiantur.*

196. *Et voluntatem non esse gratiæ pedissequá.* Nihilo melius est tertium discrimen: quòd Caluinus neget hominem gratiæ mouenti pedissequâ voluntate consentire. Nam Caluinus id solummodò negat, æquè ac Iansenius, de voluntate prout libera est, ita vt ex dominio in suum actum, & pro arbitrio sequatur motum gratiæ, possitque oppositum, si velit. Non autem negat voluntatem sequi physicè motum gratiæ, & voluntariè consentire gratiæ præuenienti, præcipuásque partes in opere bono obtinenti: vt patet ex eius lib. 5. contra Pigh. p. 191. vbi sic ait: *Mentem hominis fatemur videre, sed illuminatam: iudicium discernere & eligere, sed Spiritus sancti directione gubernatum: hominem ipsum & conari, & agere, & ad Dei obsequium applicare suas facultates: sed pro gratiæ mensura quam accepit.* Et pag. 182. *Hominem sic quidem docemus agi Dei gratiâ*, inquit, *vt simul tamen agat: sic tamen ipsum agere, vt penes Dei spiritum tota sit ac maneat actionis efficacia.* Et lib. 2. Institut. cap. 5. num. 14. refert & approbat illud Augustini: *Mihi dices*, inquit, *Ergo agimur, & non agimus. Imò agis, & ageris: & tunc bene ageris, si à bono agaris.* Quare hoc tertium discrimen, quod prætendit aduersarius inter se & Caluinum, non minùs est friuolum, quàm duo præcedentia.

197. *Et virtutes non esse in nostra potestate.* Eiusdem generis est quartum discrimen: quòd scilicet Caluinus doceat vitia & virtutes non esse in nostra potestate, neque bene vel malè agere. Nam Caluinus id solùm negat eodem sensu, quo Iansenius: nimirum quòd sint in nostra potestate, id est, in nostra libera facultate & electione: quæ est propria & vsitata huius modi loquendi significatio, vt alibi ostendimus: *Hoc enim habere quisque in potestate dicitur, quod si vult, facit: si non vult, non facit*: vt ait August. lib. de Spirit. & lit. cap. 31. Sed non negat homines sponte & sine coactione, seu non planè repugnante voluntate vitium aut virtutem amplecti, & vel bene vel malè agere voluntariè. Vtrumque patet ex lib. 2. Institut. cap. 2. n. 3. vbi sic loquitur de Catholicis: *Hoc tamen extra controuersiam ponunt, virtutes & vitia esse in nostra potestate. Nam si nostra, inquiunt, electionis est hoc vel illud agere: ergo & non agere. Rursum si non agere: ergo & agere. Liberâ autem electione agere videmur quæ agimus: & ab eis abstinere quibus abstinemus. Ergo si quid boni agimus, possumus id omittere: si quid mali perpetramus, possumus id quoque fugere.* Tum respondet negandò præcisè virtutes & vitia esse hoc sensu in nostra potestate, liberámque nos habere boni & mali electionem: sed non negat nos voluntariè bene vel malè agere: Imò disertè contrarium affirmat eodem lib. 2. c. 5. num. 14. cuius verba referemus seq. disp. n. 7. & lib. 3. contra Pighium pag. 167. *Egóne*, inquit, *voluntaria esse bona opera vnquam negaui?* Cùm ergo aduersarius locis suprà citatis non aliter doceat virtutes & vitia esse in nostra potestate, aut nos bene vel malè agere, nisi quia voluntariè agimus, & sine coactione: idem omnino hac in parte sentit quod Caluinus; & quartum hoc discrimen quod prætendit, nullum prorsus est.

Nullum pariter est quintum & vltimum: quòd scilicet Caluinus apertè neget esse in homine liberum arbitriū; illudq; vocabulum reiici velit tanquam inane. Nam Caluinus, quandò ita loquitur, manifestè intelligit liberum propriè dictum, à libertate scilicet indifferentiæ; non autem impropriè sumptum pro libero tantùm à coactione, quod & admittit, & ita nominari permittit: vt liquet ex libro 2. contrà Pighium pag. 153. *Ego verò*, inquit, *quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor quod in mea Institutione testatus sum, non adeò me superstitiosum esse in verbis, vt eius causa velim contentionem aliquam mouere, modò intelligentia sana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter asseuero, ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut aliter trahatur externo motu, sed sponte agatur suâ, nihil moror.* Atqui hoc ipsum docet aduersarius toto lib. 3. de statu naturę lapsæ, & lib. 6. 7. & 8. de Gratia Christi Saluatoris. Ergo eius doctrina conuenit hac in parte æquè ac in quatuor præcedentibus cum sententia Caluini. Cúmque nullum aliud discrimen assignet aduersarius, neque verè assignare possit: non apparet quid fuerit in sententia Caluini damnatum à Tridentino, si non fuit cum illo damnata doctrina aduersarij. 198. *Et non esse nunc liberū arbitrium.*



DISPVTATIO XXXVII.

De concursu gratiæ & liberi arbitrij.

SECTIO I.

Refertur doctrina Iansenij, ostenditúrque repugnare Scripturæ, Conciliis, & Patribus.



OCTRINA Iansenij est, liberum arbitrium propriè sumptum pro libertate indifferentię non concurrere cum gratia ad actus bonos, in hoc statu naturæ lapsæ: quippe quod periit per peccatum Adæ, vt contendit toto lib. 3. de 1.

statu naturæ lapsæ: neque per gratiam restituitur, quæ potiùs necessitat ad bene operandum, vt docet toto lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris. Eandémque ob causam affirmat tom. 1. lib. 5. cap. 11. Pelagianum esse dicere gratiam prouocare, allicere, cooperari voluntati. Et tom. 3. lib. 2. de Gratia Christi Saluatoris cap. 23. sic ait, *Laudem boni operis, bonaque voluntatis partiri cum Deo, impium esse ex eo patet, quòd post lapsum hominis, tota laus bona voluntatis, atque operis in solam gratiam referenda sit.* Et c. 4. eiusdem libri dicit: *Adiutorium gratiæ ante lapsum Adæ tale fuisse, vt ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, saluáque maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia; nunc vero tale esse, quod suàpte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipsius libero arbitrio subiaceat.* Et cap. 5. *Nullum adiutorium gratiæ*, inquit, *cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis vt illo vtatur aut non vtatur, vt illud amplectatur aut deserat, vt illi consentiat aut non consentiat si voluerit, ad medicinale adiutorium*, hoc est, veram gratiam Christi, *vllo modo pertinere potest.* Et alibi passim toto eo libro in eodem errore confirmando versatur.

Error Iansenij, liberũ arbitrium non cooperari gratiæ.

2. *Repugnat Scripturæ.*

Qui tamen satis manifestè repugnat Scripturæ, sæpius affirmanti homines etiam in hoc statu naturæ lapsæ liberè consentire Dei gratiæ, ad bene operandum mandatáque seruanda excitanti: liberè, inquam, id est, cum potestate dissentiendi, & ita vt frequenter illi dissentiant: Deuteron. 30. vers. 19. Ecclesiastici 15. ver. 14. & seqq. & cap. 31. ver. 10. Isaiæ 5. ver. 4. Matth. 23. ver. 37. Actor. 7. ver. 51. Prioris ad Corinth. 7. ver. 37. & Posterioris 9. ver. 7. alijsque locis quæ retulimus, & expendimus disp. 3. sect. 2. & disp. 30. sect. 6. & seq. Eodémque sensu docet nos bene operando cooperari gratiæ 1. Corinth. 3. vers. 8. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. Dei enim sumus adiutores*, Græcè συνεργοί, id est, cooperatores. & cap. 15. vers. 10. *Abundantius omnibus laboraui: non ego, sed gratia Dei mecum.* Græcè σὺν ἐμοί id est, *qua mecum*, supple, *laborauit*: vt optimè expressit interpres vulgatus, omnibus alijs præferendus, iuxta Decretum Tridentini sess. 4. in decreto *de vsu & editione sacrorum librorum.* Sicque locum illum intellexerunt Augustinus, Gregorius Magnus, & Bernardus locis citandis sect. 3. & plures alij vt Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, quos refert Cornelius à Lapide in Commentario eiusdem versus. Quare si Pelagianum est dicere gratiam cooperari voluntati, vt affirmat Iansenius; Pelagiani fuerunt Paulus Apostolus, & Augustinus, alijque Patres modò nominati, qui non solùm æquiualenter, sed in terminis & disertè id dicunt. Item, si non potest absque impietate asseri, quòd aliquid laudis ex bono opere, bonáque voluntate ad hominem pertineat, vt ait Iansenius: impiè scripsit Paulus Roman. 2. vers. 6. *Reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*, &c. & 1. Corinth. 4. ver. 5. *Tunc laus erit vnicuique à Deo*, de cõsiliis cordium scilicet, & operibus bonis, quæ Deus manifestabit: vt patet ex verbis immediatè præcedentibus.

3. Repugnat etiam error ille manifestè Conciliis, Arausicano II. can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.* Et Tridentino sess. 6. cap. 5. affirmanti peccatores per excitantem, atque adiuuantem Dei gratiam, se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & *cooperando* disponere. Et can. 4. definit sub anathemate, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, séque ad obtinendam iustificationis gratiam disponere: & ita vt possit dissentire si velit. Et can. 32. iacit anathema in eum qui dixerit, *Hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint bona ipsius iustificati merita.* Dona scilicet Dei, quia fiunt auxiliante ipsius gratia: & simul hominis iustificati merita, quia fiunt concurrente liberâ ipsius voluntate.

Et Conciliis Arausic. & Trident.

Repugnat denique vnanimi doctrinæ Patrum, præcipuéque D. Augustini lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 17. vbi inter alia de Deo sic ait: *Cooperando perficit quod operando incipit: quia ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et serm. 13. de verbis Apostoli cap. 11. exponens illud, *Adiutor meus esto:* dicit Deum non esse adiutorẽ, si nihil agit: neque esse cooperatorem, si nos nihil cum ipso operamur. *Si non esses operator*, inquit, *ille non esset cooperator.* Et cap. 12. *Non est adiutor ille, si nihil agit. Non cooperator est, si nihil operamini.* Plura eiusdem & aliorum Patrum testimonia referemus sect. 3. vbi fusiùs hunc errorem impugnabimus. 4.

Et Augustino, alijsque Patribus.

SECTIO II.

Ostenditur Lutherum & Caluinum idem cum Iansenio docuisse.

VT Conciliorum condemnationem, & consortium cum Luthero & Caluino declinare videantur Iansenius eiúsque Sectatores, dicunt sententiam Lutheri de quæstione proposita fuisse, non modò liberum arbitrium propriè dictum, sed ne ipsam quidem voluntatem, seu potentiam volendi concurrere ad actus bonos; sed solam gratiam efficere, animam verò passiuè tantùm, & velut inanime quoddam se habere, nihílque omnino agere. Quem errorem dicunt ab illo fuisse traditum in Commentario super Psalmum quintum, & damnatum à Tridentino sess. 6. can. 4. vbi anathematizat eum qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere. De eodémque errore loqui putant Conciliũ Senonense in Prologo columna secunda, quando sic ait: *In errorem Manichæi Lutherus incidit, dum nimis anxiè & scrupulosè deuitat Pelagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre: omne bonum opus, quod est in homine, Deo tribuit & diuinæ gratiæ, nihil prorsus libero arbitrio, &c. Debuerat certè Lutherus ex Apostolo nosse, ita necessariam esse diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat.* In eundem errorem dicunt incidisse Caluinum lib. 3. Institut. c. 24. num.

5. *Vult Iansen. eos negasse concursum physicum voluntatis.*

num. 1. vbi relatis his verbis Apost. Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*; censet illud esse intelligendũ *non quomodo id vulgò accipiunt qui inter Dei gratiam hominisq; conatum, voluptatem ac cursum partiuntur. Exponunt enim, desiderium hominis ac conatum nihil per se quidem habere momenti, nisi Dei gratiâ prosperetur: sed cùm adiuuantur illius benedictione, habere suas quoq; partes in comparanda salute contẽdunt. Quorum cauillum Augustini verbis refellere, quã meis malo. Si nihil aliud voluit Apostolus, nisi non esse solius volentis aut currentis, nisi adsit misericors Dominus: retorquere è cõuerso licebit, Non solius esse misericordiæ, nisi adsit voluntas & cursus. Quod si apertè impium est, non dubitemus Apostolum omnia misericordiæ Domini dare; nostris autem voluntatibus aut studiis nihil relinquere.* Similia habet l. 2. Instit. c. 3. vbi sic ait n. 7. *Sed erunt fortè qui concedent, voluntatem à bono, suopte ingenio auersam, solâ Domini virtute conuerti: sic tamen vt præparata suas deinde in agendo partes habeat.* Et paulò pòst: *Sed hoc*, inquit, *perperam homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pedissequâ voluntate obsequatur.* Et n. 12. obiecto sibi loco Apostoli 1. Cor. 15. v. 10. *Plus omnibus laboraui: non ego, sed gratia Dei mecum*; ita respondet: *Ad hanc festucam mirum est tot non malos alioqui homines impegisse. Non enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus, vt se consortẽ laboris faciat: quin potiùs totam laboris laudem vni gratiæ transcribit ista correctione, Non ego, ait, sum is, qui laboraui, sed gratia Dei quæ mihi aderat.* Et in Harmonia, circa illud Io. 15. *Sine me nihil potestis facere*, ait, per illa refelli *commentum Papistarum, somniantium nos sine Christo nihil posse, aliquid tamẽ facultatis nobis suppetere quod per se quidem non sufficiat, sed Dei gratia adiutum cooperetur. Christus verò*, inquit, *contrà pronuntiat nos nihil posse ex nobis: Palmes, inquit Christus, non potest ferre fructum à semetipso. Ergo non tantùm cooperantis gratiæ suæ auxilium hic commendat, sed non priuat omni virtute, nisi quam suppeditat ipse nobis*: gratiam scilicet.

6. *Ostenditur Lutherum negasse tantùm concursum liberũ.* Verùm, quamuis Lutherus loco cit. ita sensisse videatur: præsertim cùm vtatur exemplo luti & figuli: adductisq; verbis illis Ier. 18. *Ecce sicut lutum in manu figuli, ita & domus Israël in manu mea*, inde sic argumentetur: *Quid obsecro actiuitatis habet lutum, quando figulus ei formam effingit? Nonne mera passio ibi cernitur.* Alibi tamen vel sensum suum meliùs exponens, vel corrigens, perspicuè significat agnoscere se physicũ & vitalem concursum voluntatis cum gratia, ad actus bonos: tantúmq; negat liberè concurrere, id est, cum potentia resistendi. Vt in lib. de seruo arb. p. 468. vbi sic habet: *Necessariò operamur. Necessariò dico, non coactè. Hoc est, homo cùm vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum: sed sponte, & lubenti voluntate facit, &c. Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur; mutata & blandè assibilata per spiritum Dei voluntas, merâ lubentiâ ac pronitate, & sponte sua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset.* Ex quibus Lutheri verbis perspicuũ est, velle ipsum voluntatem non ita passiuè se habere, vt omnino nihil agat: sed potiùs ita solùm vt non liberè agat, sponte verò & non coactè velit & faciat id, ad quod spiritu Dei mouetur. Eodẽq; modo Lutherum exponit Kemnicius in Examine Trident. ad sess. 6. quanquam ibidem perperam addit aliquid, quod ad damnandum magis, quàm excusandum Lutherum facit.

Caluinus quoque tum c. 3. suprà cit. tum pluribus aliis locis significat se non negare voluntatem concurrere vitaliter & cooperari gratiæ: sed hoc vnum negare, quòd liberè concurrat, quódve aliquid boni faciat sola & sine auxilio gratiæ. 7. *Idẽ probatur de Caluino.* Sic enim ait cit. cap. 3. lib. 2. Institut. in fine n. 11. *Ad id autem quod dicere solent* Catholici, *postquã prima gratia locum dedimus; iam conatus nostros subsequenti gratiæ cooperari; respondeo. Si intelligant nos, ex quo semel Domini virtute in iustitiæ obsequium edomiti sumus, vltro pergere, & propensos esse ad sequendam gratiæ actionem, nihil reclamo. Est enim certissimum, vbi gratia Dei regnat, talem esse obsequendi promptitudinem. Vnde id tamen, nisi quòd spiritus Dei, vbique sibi consentiens, quam principio generauit obedientiæ affectionem, ad perseuerandi constantiam fouet & confirmat? At si hominem à seipso sumere volunt vnde gratiæ Dei collaboret, pestilentissimè hallucinantur.* Et c. 5. eiusdem lib. n. 14. *Quis ita desipit*, inquit, *vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet? Neque verò quicquã simile consequitur ex nostra doctrina. In naturales hominis facultates referimus approbare, respuere, velle, nolle, eniti, resistere.* Quod paulò pòst confirmat his verbis Augustini: *Dices mihi, Ergo agimur, & non agimus. Imo agis, & ageris: & tunc bene ageris, si à bono agaris.* Et lib. 5. in Pigh. p. 182. *Hominem sic quidem docemus*, inquit, *agi Dei gratiâ, vt simul tamen agat.* Et p. 191. addit, hominem ipsum & conari, & agere, & ad Dei obsequium applicare suas facultates; sed pro gratiæ mensura, quã accepit. Ex quibus patet Caluinum, æquè ac Lutherum, fateri quidem naturales facultates concurrere vitaliter, & physicè cooperari gratiæ, idque vltro, & non coactè: sed negare duntaxat quòd liberè concurrant: ex quo etiam inferunt nihil laudis & meriti ex operibus gratiæ in nos redundare, sed totum Deo adscribi debere. Quæ est ipsissima Iansenij, & aliorum Dogmatistarum sententia, sectione præcedenti relata.

SECTIO III.

Vera sententia probatur ex Scriptura, Conciliis, & Patribus.

CONTRARIUM docet Scriptura pluribus locis, affirmans liberum arbitrium cooperari cum Dei gratia ad consensum, & ad opera salutis: vt Phil. 2. ver. 12. vbi Paulus sic hortatur: 8. *Probatur ex Scriptura.* *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Nam, vt alibi diximus, frustra hortaretur si non esset in nostra potestate, liberóque arbitrio, salutem nostrã cum Dei gratia operari. Et vt rectè expendit August. l. de Gratia & lib. arb. c. 9. *Non quia dixit* (Paulus scilicet) *Deus est qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate, ideò liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset, cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quando enim iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium.* Et cap. 2. eiusdem libri affirmat hanc veritatem tradi vbicunque Scriptura præcipit hominibus vt bene operentur: quia, inquit, *Ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitriũ, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret.* Et aliquantò pòst: *Quid illud* (inquit) *quod tam multis locis omnia mãdata sua custodiri & fieri iubet Deus?*

Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium? Quid Beatus ille, de quo psalmus dicit, quòd in lege Domini fuit voluntas eius: nónne satis indicat voluntate suâ hominem in lege consistere? Tum te alris pluribus aliis vtriusque Testamenti locis, quibus dicitur, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum: Noli deficere à disciplina Domini: Noli negligere legem: Noli abstinere benefacere egenti: Nolite vobis condere thesauros in terra: Nolite timere eos qui occidunt corpus: Qui vult venire post me, abneget semetipsum: Noli negligere gratiam quæ in te est: Nolite diligere mundum, &c. ita concludit: *Nempe vbi dicitur, Noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium:* cuius scilicet consensum & cooperationem Deus exigit.

9. Ad idem confirmandum Greg. l. 16. Mor. c. 11. adducit illud Apostoli 1. Cor. 15. *Abundantiùs omnibus laboraui: non ego, sed gratia Dei mecum.* Postquam enim generaliter affirmauit, supernam pietatem, subsequente nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus, agere nobiscum: subiungit de Paulo Apostolo: *Quia se esse aliquid inuenit cum gratia, adiunxit, sed gratia Dei mecũ. Non enim diceret mecum; si cum praeueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, Non ego: Vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, Sed gratia Dei mecum.* Ex eodémque testimonio idem colligit Bern. l. de Grat. & lib. arbit. circa finem, vbi relatis iisdem Apostoli verbis, *Non ego, sed gratia Dei mecum*, ita subiungit: *Potuit dicere per me: sed quia minus erat, maluit dicere mecum: praesumens se non solum operis esse ministrum per effectũ, sed operantis quodammodo socium per consensum.* Posteáque declarans quomodo liberum arbitrium cooperetur gratiæ, addit: *Ad hoc vtique praeuenit voluntatem nostram, vt sibi deinceps cooperetur. Ita tamẽ quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium: sed totum singula opere indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa.* Non poterat clariùs exprimere liberum arbitrium & auxilium gratiæ concurrere indiuisibiliter ad eundem effectum.

10. *Et ex Conciliis.* Secundò, eandem cooperationem liberi arbitrij cum gratia docent Concilia contra Lutherum & Caluinum celebrata: vt Senonense in præfatione, vbi Lutherum reprehendit quòd diceret, omne bonum opus quod est in homine, Deo tribuendum esse, & diuinæ gratiæ, nihilq; prorsus libero arbitrio: additque ipsum hac in parte Manichæum factum esse, & debuisse ex Apostolo discere ita necessariam esse diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat. Idémque fusiùs exponit, & multis Scripturæ testimoniis confirmat in Decreto fidei 15. Idem quoque tradit Enchir. Conc. Colonien. Titulo *de Sacram. Poenit.* vbi contra Lutherum affirmat, Situm esse in hominis voluntate vt gratiam Dei oblatam vel accipiat per consensum, vel repudiet per dissensum: sicut in nostra est potestate, solis oblato lumine, vel aperire oculos & videre, vel clausos tenere. Et denique Conc. Trid. idem expressè definit sess. 6. c. 5. & can. 4. dicens liberum arbitrium ita gratiæ cooperari, vt possit dissentire: *ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationẽ, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit:* quia nimirum concursus gratiæ & liberi arbitrij est ad hoc necessarius.

Idem tertiò docent vnanimi consensu Patres Græci & Latini: vt è Græcis Origenes hom. 4. in Cantica, vbi hac de causa dictum esse ait, *Vineæ florentes dederunt odorem suum*, vt ostenderet (Spiritus sanctus) *inesse vnicuique animæ vim possibilitatis & arbitrij libertatem quo possit agere omne quod bonum est*, cum Dei gratia scilicet. Et Gregor. Nazian. orat. 1. Apologetica longè post initium, vbi affirmat, *singularis & eximiæ Dei bonitatis argumentum esse, quòd nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec naturâ tantùm nobis inseratur, sed voluntate etiam, animique proposito excolatur, arbitriique libertate parem in vtramque partem motum habente.* Et Theod. in c. 11. Ezech. ad illa verba, *Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum ponam in visceribus eorum*, dicit Deum his verbis *non liberi arbitrij euersionem significasse, sed futurũ ab ipso auxilium, societatémque ad efficienda bona opera.* Similia ex Chrys. referemus sect. seq. 11. *Et ex Patribus Græcis.*

Ex Patribus verò Latinis idem affirmant Aug. Greg. Mag. & Bern. locis suprà relatis n. 8. & 9. & Hier. l. 2. contra Iouin. c. 2. dicens *liberi arbitrij nos esse à Deo conditos, & neque ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahi:* sed nimirum vel liberè virtutem exercere cum Dei gratia, vel vitiosè agere seruiendo cõcupiscentiæ. Et in c. 18. Ier. circa illa verba, *Ecce sicut lutũ in manu figuli*, dicit gratiam & liberum arbitrium ita saluari in bonis operibus, vt totum non sit hominis, sed principaliter gratię. Et Prosp. l. 2. de Voc. Gent. c. 12. vbi de bonis operibus cum auxiliante gratia factis ita loquitur: *Quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum potuit voluntate non fieri.* Et Paulin. ep. 2. ad Seuer. vbi de iisdem sic ait: *Quæ igitur nobis gratia si in alieno tantùm fideles fuerimus, nisi de proprio seruiamus, id est, de libero voluntatis arbitrio?* Et S. Leo ser. 5. de Quadrag. prope initium, vbi simul rationem affert cur Deus velit nos liberè ipsius gratię cooperari in extruendo virtutum ædificio: *Quia*, inquit, *rationabiles lapides sumus, & viua materies, sic nos auctoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is qui reparatur operetur*, liberè scilicet & cum potestate ad oppositũ: propter quod addit immediatè pòst, *Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat.* Et denique Ansel. l. de Concor. Prædest. & grat. cum lib. arb. vbi sic ait: *Cùm legitur, neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, non negatur in volente, neque in currente aliquid prodesse liberum arbitrium.* Ibidémque paulò superiùs, exponens quomodo intelligenda sit scriptura, quæ aliquando videtur affirmare liberum arbitriũ nihil prodesse ad salutẽ, sed solam gratiã: aliquando verò ita, vt nostra salus in libera nostra consistat voluntate: dicit in vtraq; loquẽdi forma semper subintelligi liberum arbitriũ, & gratiã tanquam mutuò concurrẽtia. *Ita quippe*, inquit, *intelligenda sunt dicta diuina, vt neque sola gratia, neque solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cùm dicit Dominus Sine me nihil potestis facere, non ait, Nihil valet in vo-* 12. *Et ex Aug. aliisque Patribus Latinis.*

bis vestrum liberum arbitrium, sed, nihil potest sine mea gratia.

13. Argumenta verò quæ ex Scriptura, & Patribus, præcipuéque ex D. Augustino opponunt aduersarij contra hanc veritatem Catholicam, sunt partim illa ipsa quibus generaliter contendunt libertatem arbitrij circa bonum & malum extinctam esse per peccatum Adæ: & gratiam quæ datur in hoc statu naturæ lapsæ, non restituere libertatem indifferentiæ, sed necessitare voluntatem ad cõsensum: de quibus argumentis sufficiunt quæ diximus tota ferè disp. 18. & 22. partim & specialiter sunt ea quæ sequentibus sectionibus refutabimus.

SECTIO IV.

Exponuntur Scripturæ loca quibus præcipuè abutuntur aduersarij.

14. *Prima obiectio ex Rom. 9.* OPPONVNT igitur primò & præcipuè noui Dogmatistæ illud Apostoli, Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Quibus verbis videtur Paulus omnem concursum nostræ voluntatis excludere. Nam si partialem ei tribueret, posset eodem modo dicere, Non est Dei miserentis, sed hominis volentis & currentis. Quia sicut liberum arbitrium non vult & currit sine concursu Dei: ita neque Deus miseretur, id est, operatur eius conuersionem, sine concursu liberi arbitrij. Et vt rectè

Confirmatur ex August. ponderat D. August. in Enchir. cap. 32. *Si propterea dictum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex vtroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei: tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc, si rectè dictum est, Non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet: cur non & è contrario rectè dicitur, Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, Nõ miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam.* Hæc ibi Augustinus, qui similia scribit l. 1. ad Simplic. q. 2. paulò ante medium, vbi sic habet: *Si propterea solum dictum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, vt iustè rectéque viuamus, nisi adiuuemur misericordia Dei: potest & hoc modo dici, igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Eodem testimonio ad suum errorem stabiliendum vtitur Caluinus lib. 2. Institut. c. 5. n. 17.

15. *Prima expositio illius loci. Non est volentis neque currentis, &c.* Respondeo primò, mentem D. August. non esse, excludere concursum partialem & cooperationem liberi arbitrij cum gratia: sed tantùmmodo significare, opus bonum & salutare esse præcipuè à gratia & misericordia Dei, quia illud præcedit vocatio congrua, quam dare præ incongrua, pendet ab eius misericordia & gratuita voluntate, vnam præ alia eligente, & in eo præcipuè nostri miserente quòd congruã eligat: cuius denique electio non est hominis volentis, & currentis, sed Dei miserentis: tametsi hominis congruè vocati est consentire & cooperari Dei gratiæ vocanti, & adiuuanti. Hunc esse verum sensum D. August. patet primò ex eo quòd ipsemet ita seipsum exponit in libro expositionis quarumdã propositionum ex ep. ad Rom. n. 62. vbi sic habet: *Quod autem ait, Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, non tollit liberũ voluntatis arbitrium: sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adiuuet Deus misericordes nos efficiendo ad bene operandum, per donum Spiritus sancti: ad hoc referens quod superius dixit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Quia neque velle possumus nisi vocemur: & cum post vocationem voluerimus non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat. Manifestum est ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei quòd bene operamur. Quanquam ibi sit etiam voluntas nostra, quæ sola nihil posset.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. circa medium, sic scribit: *Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est vt sequantur.* Ibidémque hęc addit: *Et non iam similiter verum est, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis. quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiã ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset vt mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.*

16. *Explicatur mens Augusti.* Ex quibus verbis liquet D. Augustinum existimare Apostolum ita loquutum esse propter vocationem congruam, ratione cuius Deus pręcipuè nostri gratuitò miseretur. Quòd verò non propterea liberi arbitrij cooperationem excluserit, patet tum ex verbis iam relatis, tum etiam ex illis ipsis locis quæ citantur in obiectione. Nam in extremis verbis relatis ex c. 32. Enchiridij, sic ait: *Sed vt totum detur Deo, qui hominis voluntatem & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam.* Cùm enim dicit Augustinus Deum præparare, suâ scilicet vocatione cõgruâ, voluntatem nostram vt illam adiuuet, & præparatam adiuuare, planè significat voluntatem ipsam agere & cooperari cum gratia: quia *nemo adiuuatur, si ab illo nihil agatur,* vt ait idem S. Doct. ser. 13. de verb. Apost. In altero autem loco in obiectione citato ex lib. 1. ad Simpl. q. 2 verbis proximè pręcedentibus concedit expressè D. August. *Dei misericordiam solam non sufficere, nisi consensus noster addatur.* Et paulò antè dixerat, *Noluisse Esau, & non cucurrisse: sed et si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Si autem peruenisset Dei adiutorio, ergo & propriâ cooperatione: quia non adiuuatur qui nihil agit, vt iam diximus cum eodem Augustino. Et paulò pòst. *Vt velimus enim, suum esse voluit, & nostrum. Suum vocando, nostrum sequendo.* Et circa medium eiusdem quæstionis dicit, *Vt vocatus vocationi obtemperet, in eius esse positum voluntate,* id est, pendere à libero eius arbitrio.

17. *Expenduntur verba Apostoli.* Respondeo secundò, Pauli quoque mentem non esse verbis relatis excludere cooperationẽ liberi arbitrij cum gratia; sed illius loci sensum esse, vel quòd benedictio Isaac non fuerit Esau

volentis illam obtinere, eóque fine currentis in campum ad venandum: sed fuerit Iacob, cuius Deus misertus est, & cui gratuitò voluit illam dare, iuxta illud quod Apostolus de iisdem paulò antè præmiserat: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Ita exponit Anastasius Nicænus in quæstionibus sacræ Scripturæ, quæst. 59. eámque esse optimam maximéque literalem huius loci expositionem ait Cornelius à Lapide in caput 9. epist. ad Rom. num. 70. Ex quo allegoricè infert Apostolus, quòd obtinere veram iustitiam apud Deũ, & heredem fieri benedictionis spiritalis promissæ Abrahæ, & veris eius filiis spiritu magis quàm carne, fidem eius scilicet imitantibus, non est Iudæi volentis, & currentis per opera naturalia, vel legis Mosaicæ: sed miserentis Dei, cui placuit veram iustitiam in fide & obedientia erga Christum constituere: atque Gentiles in Christum credentes, sine operibus legis iustificare, & in veros Abrahæ filios, ciúsque benedictionis hæredes adsciscere: Iudæos verò incredulos reiicere. Nimirum, vt rectè ait Greg. hom. 6. in Ezech. fere initio, *Maiore filio tardante, minorem Rebecca supponit: quia dum Iudaicus populus bona opera foris quærit, Gentilem populum mater gratia instruxit, vt omnipotenti Patri cibum boni operis offerret, benedictionémque maioris fratris acciperet:* cibum nẽpe illum, de quo sermo est Io. 6. v. 27. 28. & 29.

18. *Secunda illorum expositio.* Vel secundò, sensus Apostoli est, non esse volentis solùm quòd velit, neque currentis quòd currat; sed & præcipuè Dei miserentis, qui pro sua misericordia nos præuenit, & iuuat vt velimus & curramus. Quo pacto exponunt locum illum Greg. Nazianz. orat. 31. in dictum Euangelij, *Cùm consummasset Iesus sermones hos*, Hieron. in epist. ad Ctesiphontem colum 4. & ep. 8. ad Demetriad. de virginitate seruanda, paulò post medium, Ambr. lib. 2. de Abraham c. 10. post medium, Fulgent. lib. de Incarn. & gratia Iesu Chr. c. 18. in fine, Chrysost. hom. 16. in ep. ad Rom. longè ante finem, Bern. tract. de grat. & lib. arb. colum. penult. Anselm. lib. de Concord. prædest. & gratię cum lib. arbit. In eundémque sensum incidit expositio suprà relata ex D. August. in Enchir. cap. 32. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. Neque propterea potest similiter dici, non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, & currentis; quia in hominis conuersione, & quocunque bono opere salutari potiores partes sunt gratiæ, & Dei miserentis, qui nos præuenit vocatione congruâ, & principaliter operatur cùm nos adiuuat. Ad quod significandum Paulus dixit, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, phrasi Hebræis familiari, qui cùm volunt significare excessum vnius prę alio, solent illum excessum exprimere per negationem eius quod minus est. Vt Osee 6. ver. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, id est, magis, quàm sacrificium. & Matth. 10. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*: non quòd reipsa non loquerentur Apostoli, sed quòd principaliùs Spiritus sanctus, cuius instinctu loquebantur: & Io. 7. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, id est, multò magis est eius qui misit me; & 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, id est, magis quàm ego.

Verba Greg. Nazian. loco suprà citato hæc sunt. *Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, vt id totum sibiipsis adscribant, nec quicquam Creatori, & sapientiæ eorũ auctori, ac bonorum suppeditatori acceptum ferant; his verbis eos docet Paulus, quòd ipsum etiam rectè velle diuino auxilio indigeat, imò, vt rectiùs loquar, voluntas quoque ipsa, & electio eorum quæ recta, & cum officio coniuncta sunt, diuinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Idcirco ait, Non volentis, id est, non solùm volentis, neque currentis solùm, sed miserentis est Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignauit.* Et Chrysost. hom. citata in ep. ad Rom. *Quando dicit, Non est volentis, neque currentis, non tollit arbitrij potestatem: sed ostendit non esse totum in volentis & currentis potestate situm, sed supernâ illum gratiâ opus habere. Oportet enim velle & currere, propriis tamen laboribus non confidere, sed diuinæ potiùs benignitati, Id quod alibi dicit: Verùm non ego, sed gratia Dei mecum.* Et Fulgent. c. 18. lib. de Incarn. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia re vera vt & velimus, misericordiæ praeuenientis illuminamur dono: & vt curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio.* Et epist. 6. ad Theodorum de Conu. c. 7. in fin. & c. 8. initio: *Vt ad eum veniamus currimus, & ideò currimus, quia currere volumus. Sed ne vel voluntatem, vel ipsum cursum assignemus viribus nostris, idem nos informat Apostolus, dicens, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Similia habent alij Patres citati. 19.

His duabus expositionibus tertiam addunt Hier. l. 2. contra Iouin. paulò post initium, Ambros. in Psal. 118. Octonario 10. circa illa verba, *Fiat misericordia tua vt exhortetur me*. Optatus Mileuit. l. 2. contra Parmen. longè post medium, Origenes 3. Periarchon. c. 1. longè ante finem, Chrysost. hom. 12. in cap. 7. epist. ad Hebr. & Theophyl. in c. 9. ep. ad Rom. qui censent Paulum ita loquutum esse ad significãdum non sufficere quòd supposito diuino auxilio velimus, & curramus: sed superesse id quod præcipuum est, quódque maximè pendet à Dei misericordia, nimirum perficere, & perseuerare vt metam cursus & coronam attingamus. Hieronymi verba loco citato hæc sunt: *Non est volentis, neque currentis, sed adiuuantis & miserentis Dei vt peruenire valeamus ad calcem.* Et Ambr. vbi suprà, *Non volentis, neque currentis hominis perseuerantia est: non est enim in hominis potestate,* (sine Dei gratia scilicet) *sed miserentis Dei, vt possis implere quæ cœperis.* Et elegantissimè Origenes, *Sicut*, inquit, *cùm bonos atque vberes fructus ad perfectam maturitatem protulit seges, nemo piè & conuenienter dicet, quia fructus istos agricola fecit, sed à Deo fatebitur præstitos: ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus & otiosis efficitur; neque tamen consummatio eius nobis, sed Deo, qui est prima & præcipua causa operis, adscribetur.* Notandum tamen, nos etiã ad perseuerantiam & consummationem cursus, adeptionémq; coronæ, per liberum arbitrium cooperari Dei gratiæ, iuxta illud Pauli 1. Cor. 9. *Sic currite vt comprehendatis.* Et 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona* 20. *Tertia explicatio.*

iustitia. Omitto quartam expositionem eorum, qui volunt verba illa non à Paulo ex mente propria, sed ex persona cuiuspiam sic obiicientis dicta fuisse ad augendam difficultatem propositam: vt existimarunt S. Hieron. epist. 150. ad Hedibiam quæst. 10. & Origenes ad illum Pauli locum.

21. *Secunda obiectio.* Opponunt secundò illud 1. Corinth. 4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti*, &c. Quibus verbis videtur Paulus excludere partialē influxum liberi arbitrij, & soli gratiæ tribuere quidquid boni habemus & accipimus, quo ab aliis discernimur. Nam alioqui non dixisset absolutè, & sine vllo addito, *Quis te discernit?* sed addidisset, Quis te discernit tanquā causa principalis? potuissetque homo respondere, Influxus partialis liberi mei arbitrij me discernit, quamuis minùs principaliter. Præsertim verò in eorum sententia qui dicunt fieri posse, vt è duobus æquali gratiæ auxilio præuentis vnus conuertatur, quia liberè vult, & alter non. Qua etiam de causa posset ille gloriari in seipso ob suum liberum concursum: & non tantùm in Deo propter auxilium gratię, in quo ambo pares sunt. Imò posset absolutè dicere, Non Deus me discernit ab altero, cùm æquales nos fecerit in auxiliis gratiæ: sed ego me discerno, quia meum influxum partialem superaddo auxilio gratiæ.

22. *Exponitur locus, Quis te discernit?* Respondeo sensum literalem Apostoli esse, neminem ab aliis discerni, hoc est, illis præcellere aliquo bono, siue naturali, siue supernaturali, quod non à Deo acceperit, & de quo possit gloriari, tanquam de non accepto: sed non propterea excludit Apostolus liberum arbitriū hominis consentientis Dei gratiæ, cuius beneficio & auxilio bene operatur, & ab aliis discernitur. Nam vt rectè ait D. Aug. l. de Spir. & lit. c. 34. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est, Quid habes quod non accepisti? verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo. Ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei est. Accipere autem & habere, vtique accipientis & habentis est.* Non itaque negat Apostolus, eum qui per liberum arbitrium, auxilio gratiæ adiutum, consentit & conuertitur, discernere se cum Dei gratia ab alio qui non conuertitur. Neque propterea debuit dicere, Quis te discernit principaliter? sicut quando Christus dixit Matt. 19. *Nemo bonus nisi solus Deus*: non debuit dicere, nemo bonus à seipso nisi solus Deus: aut quando dixit Matt. 23. *Vnus est magister vester, vnus est pater vester qui est in cælis*, non debuit addere, vnus est magister aut pater à seipso, & independenter; ne videretur alios magistros & patres creatos excludere. Neque enim vtitur Scriptura iis temperamentis, quæ Scholę & Commentatoribus relinquit, tradens duntaxat vel eodem loco, vel alio, fundamenta propter quæ debent subintelligi.

Ille autem, qui per vsum sui liberi arbitrij Dei gratiâ adiuti consentit & conuertitur, potest & debet respondere cum Apostolo, *Non ego, sed gratia Dei mecum*: id est, ego quidem cooperor & consentio Dei gratiæ, sed Deus est qui principaliter me discernit, & operatur meum consensum: tum quia ad illum me præuenit gratiâ congruâ: tum etiam quia per gratiam concomitantem principaliter illum operatur. Contrà verò, qui non conuertitur, debet sibi soli tribuere quòd non conuertatur, séque discernat ab eo qui conuertitur. Sibi, inquam, soli, non Dei gratiæ, quæ illum potiùs vocabat ad consensum, & parata erat iuuare si consentire voluisset; iuxta illud Osee 13. ver. 9. *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* siue autem vnus conuertatur, & alter non, cum pari auxilio præueniente; siue cum impari: ille qui conuertitur, non potest in seipso gloriari de suo consensu, & influxu partiali liberi arbitrij: nam illum ipsum non habet sine auxilio gratiæ, tum præueniente, tum etiam concomitante. Et potest quidem dicere, Gratia sola non me discernit: vel, Gratia sola non est tota causa cur discernar. Sed non potest dicere, Ego solus me discerno; vel, Gratia non operatur principaliter consensum, quo discernor. Posse tamen de sua libera cooperatione gloriari in Domino, significat Apostolus 2. Cor. 10. v. 17. & expressè affirmat August. epist. 106. cuius verba retulimus disputatione 22. numero 127. Porrò quamuis ambo illi pares esse possint in auxilio præueniente, quatenus auxilium est, & quoad virtutem agendi, vt alibi ostendimus: est tamen aliqua differentia inter vtrumque, tum in gratia præueniente, quæ quando datur congrua, maior est moraliter in ratione beneficij. Tum etiam multò magis in gratia concomitāte, quam accipit is qui conuertitur, alius verò illâ caret suâ culpâ. Quare absolutè plus habet semper gratiæ, & auxilij, qui conuertitur, quàm is qui non conuertitur: licèt isti nihil desit quo possit cōuerti, si velit, habeátque auxilium paratum ad cooperandum, siue cooperans in actu primo; sed non cooperans reipsa & in actu secundo, defectu sui consensus.

SECTIO V.

Explicantur testimonia Patrum ab aduersariis obiecta.

Opponunt tertiò, D. Augustinum lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 2. in fine, disertè impugnare concursum liberi arbitrij cum gratia, multis Scripturæ testimoniis, quibus relatis ita concludit: *Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare: & tamen volens à seipso sibi esse quod credit homo, quasi componit cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat: &, quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi: & in eo quod dicit esse amborū, priorem se facit, posteriorem Deum. Non sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum dicentem, Quid habes quod non accepisti?* Et cap. 7. eiusdem libri sic ait: *Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & cùm crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.* Et c. 16. sic habet: *Apostolus ait, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori. Numquid dixit, non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo, Sed* 23. *Tertia obiectio ex August.*

ex vocante, non quacunque vocatione, sed quâ vocatione fit credens. Et lib. de Bono perseuerantiæ cap. 6. sic concludit: *Tutiores igitur viuimus si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* & cap. 13. eiusdem libri, *Nos ergo volumus: sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur: sed Deus in nobis operatur & ipsum operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere. Hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo.* Denique lib. de Prædestinat. Sanctorum capite 2. *Ipse ergo* (inquit) *fidem Gentium fecit, qui potens est facere quod promisit. Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris vt credamus: numquid metuendum est ne totum facere non possit: & ideò homo sibi primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, & sic gratia non sit gratia.*

25. *Augustinus loquitur contra Semipelagianos, cùm negat partem operis esse nostram, partimque Dei.* Respondeo D. Augustinum omnibus locis citatis loqui contra Semipelagianos, qui volebant fidem ex nobis esse, solis viribus naturalibus liberi arbitrij, incrementum verò illius esse ex gratia: & partem operum pietatis tribuebant libero arbitrio sibi relicto, partem eidem adiuto viribus gratiæ. Contra quos Augustinus locis citatis, aliique Patres contendunt, neque fidem, neque initium aut partem eius, vel vllius alterius operis pietatis, esse à nobis sine gratia: ideóque non partem solùm, sed totum opus bonum tribuendum esse gratiæ. Hoc ita esse patet ex iis quæ præmisit Augustinus ante prima verba relata ex lib. de Prædestinatione Sanctorum capite 2. vbi initio sic ait: *Sed nunc eis respondendum esse video, qui diuina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, vt nouerimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis.* Post quæ verba, & alia multa, sic addit in fine capitis: *Numquid metuendum ne totum facere non possit, & ideò homo sibi primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur?* Hoc igitur sensu ait partem fidei non esse nobis vendicandam, & partem gratiæ relinquendam priorem nobis, posteriorem Deo: quia nulla est eius pars, nullus gradus, nullúmve initium, quod à Deo non accipiamus, & ab eius gratia præueniente, & concurrente cum libero arbitrio.

26. Eodem sensu ait capite 7. eiusdem libri Cornelium debere Deo quidquid boni operatus est, siue antequam crederet, siue quando credidit, siue postquam credidisset; quia nihil eorum fecit absque auxilio diuinæ gratiæ. Et capite 16. non aliud docet verbis relatis, quàm fidem viribus solis naturalibus conceptam non præcedere vocationem, vt volebant Semipelagiani: sed potiùs vocationem congruam præcedere fidem, quippe quæ sine Dei vocatione non potest solis viribus naturæ concipi. Et lib. de Bono perseuerantiæ, vbi agit de victoria tentationum, nonobstantibus illarum insultibus, vult tantùm dicere nos totam illarum victoriam debere Deo adscribere, & pro illarum omnium victoria Dei auxilium implorare: non autem existimare nos ex parte aliqua sufficere ad vincendum; & pro alia solùm parte, egere Dei auxilio: vt patet ex verbis immediatè sequentibus, quæ Augustinus refert ex D. Cypriano, *Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus: admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè arrogantérque aliquid assumat.* Et cap. 13. eiusdem libri non aliud affirmat, nisi totum bonum opus esse Deo dandum, quia licèt nos quoque velimus, & operemur; habemus tamen ab auxilio gratiæ hoc ipsum quòd velimus, & operemur: quia non volumus, & operamur, sine auxilio gratiæ præuenientis, & cooperantis: ac ne quidem sine gratia cogitamus vtiliter, & sicut oportet ad salutem. Ideóque immediatè pòst subiungit Augustinus: *Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus. Quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Denique locus postremò citatus ex lib. de Prædestinat. Sanctorum docet tantùm primas fidei partes non esse soli arbitrio tribuendas, quasi verò ad posteriores tantùm egeat auxilio gratiæ, vt dicebant Semipelagiani. Et tam capite illo, quàm omnibus aliis citatis, Augustinus tam clarè loquitur, vt mirum sit potuisse eius verba ab aduersariis adduci ad excludendum concursum partialem liberi arbitrij cum gratia ad idem opus indiuisibiliter faciendum, sicut nos asserimus: cùm manifestum sit Augustinum loqui solùm contra eos, qui volebant fidem, & aliqua bona opera Christiana, esse à solo libero arbitrio: alia verò non posse fieri sine gratia.

Opponunt quartò, Chrysostomum homil. 6. in caput 3. epist. 2. ad Corinth. circa illa verba, *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*, excludere concursum liberi arbitrij cum auxilio gratiæ, cùm ait Paulum ita loqui, *Quasi dicat planiùs: non ita dicebam, fiduciam habemus, vt partim sit nostrum, partim sit Dei; sed totum illi tribuo, acceptúmque fero.* Et homil. 4. in epist. 2. ad Thessalonic. cap. 2. *Ego, inquit, sanè dixi, totum verò Dei est.* Et homil. 15. super Acta Apostol. *Hoc solùm nobis curæ sit quomodo vincamus diabolum: imò verò non nostri opus est: sed diuina gratia totum est.* 27. *Quarta obiectio ex Chrysostomo.*

Respondeo sensum D. Chrysostomi verbis relatis eundem esse, ac suprà D. Augustini: nimirum totum esse Dei, non nostrum, quia Dei principalius est, & sine eius gratia non fit: iuxta illud eiusdem Chrysostomi in caput 7. ad Hebr. homil. 12. *Quia eius est quod amplius est, eius dixit esse vniuersum.* Et homil. 30. in Acta, *Nihil nostrum esse putemus, quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus. Quòd autem non sit nostrum, sed magis Dei, audi Paulum dicentem: Gratiâ enim saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et hom. 29. in epist. ad Rom. circa illa verba, *Non enim audeo quidquam loqui*, sic ait: *Vide quomodo instet vt omnia Dei esse ostendat, nihil sui ipsius*, præcisè scilicet, aut principaliter. *Siue enim loquutus quicquam fuero, siue fecero, siue miraculum perpetrauero, omnia ipse, omnia Spiritus sanctus.* Quòd tamen Chrysostomus non excludat partialem concur- 28. *Exponitur vt Augustinus.*

sum liberi arbitrij, patet tum ex verbis relatis, *Sed magis Dei*, &c, *sine loquutus quicquam fuero* &c. Tum ex homil. 3. in 1. ad Timoth. paulò post initium: vbi de Paulo sic ait: *Vides vt omnibus in locis suam semper iustitiam supprimat, totúmque Deo adscribat: ita tamen vt libertatem non tollat arbitrij.*

29. *Quinta obiectio ex Hieronymo. Basilio &c.* Opponunt quintò Hieronymum super caput 18. Ieremiæ, vbi explicans illud, *Ecce sicut lutum in manu figuli*, postquam dixit liberum arbitrium saluari in operationibus piis, subdit: *Nec statim totum erit hominis quod eueniet, sed eius gratiæ qui cuncta largitus est. Ita enim libertas arbitrij reseruanda est, vt in omnibus excellat gratia largitoris, iuxta illud propheticum, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilabit qui custodit eam. Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et Basil. homil. 22. de humilitate, *Nihil tibi relictum est homo, de quo gloriari possis.* Et Ambros. libro 2. de Abraham capite 10. *Non est volentis, neque currentis, sed vt omnia tribueres Deo qui te vocauit*, vocatione scilicèt efficaci, quâ vt operemur, operatur.

30. *Exponuntur simili modo.* Respondeo sensum Hieronymi esse quòd totum non sit hominis solius, sed præcipuè gratiæ Dei, sine quâ nihil possumus, & à cuius influxu & efficacia pendet principaliter quidquid facimus vtiliter ad vitam æternam. Propter quod addit, ita reseruandam esse libertatem arbitrij, vt in omnibus excellat gratia largitoris: hoc est, ita nos liberè velle, & cooperari gratiæ, vt tamen ipsa principaliter agat, illíque acceptum referendum sit quidquid boni volumus & operamur, atque hoc ipsum quòd velimus: iuxta illud eiusdem Hieronymi, epist. 8. ad Demetriadem capite 7. *Velle & nolle nostrum est. Ipsum quoque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Exempla quoque & testimonia Scripturæ, quæ adducit Hieronymus, clarè indicant ipsum non excludere cooperationem liberi arbitrij. Aliquid enim ex se confert qui ædificat domum, qui custodit ciuitatem, qui vult & currit: quamuis hoc totum principaliter à Deo pendeat.

31. Basilius quoque, & Ambrosius non aliud volunt, quàm hominem nihil habere ita suum, vt à Deo non acceperit, & de quo possit gloriari tanquam non accepto: omniáque opera pietatis esse Deo tribuenda, quia non fiunt à nobis sine præueniente vocatione Dei congrua. Sed neuter excludit cooperationem arbitrij, & proprium illius influxum, distinctum ab influxu gratiæ. Cetera quæ opponunt ex Patribus, sunt istis similia, & ex dictis facilè solui possunt. Hactenus ergo de concursu gratiæ & liberi arbitrij dictum sit.





DISPVTATIO XXXVIII.

De prædestinatione, & reprobatione hominum, & Angelorum.

SECTIO I.

Refertur breuiter quid de illis sentiat Iansenius.



1. *Quid sit prædestinatio & prædestinare?* Qvæ lib. 9. de gratia Christi Saluatoris cap. 1. & octo sequentibus fusè prosequitur Iansenius de nomine prædestinationis, eiúsque multiplici acceptione, obiecto, & effectu: vel huiusmodi sunt, vt nulla de illis, vel nullius aut exigui momenti controuersia sit; vel illa ipsa quæ velut recondita, & Theologis ignota videri vult à se ex monumentis Augustini eruta, passim in eorum libris explicata legi possunt. Cuiusmodi est primò, quòd *destinare*, sit potiùs decernere, statuere, definire; quàm mittere vel transmittere: sícque prædestinare idem sit, ac præconstituere, prædecernere, & prædefinire, iuxta vim vocis προορίζειν, quæ in textu Græco apud Scriptores sacros respondet verbo prædestinare. Similitérque prædestinatio, Græcè προορισμὸς sit idem quòd præconstitutio, seu decretum Dei præcedens ab æterno ea quæ facit in tempore. Secundò, quòd prædestinatio non magis ex ratione sua respiciat & includat medium, quàm finem, nec magis finem, quàm medium: nisi quatenus priùs & principaliùs tendit in finem, quàm in medium, in [illegible] non tendit nisi propter finem, adeóque [illegible] ipsa, ad quam prædestinamur, includatur in obiecto prædestinationis. *Est circa finem & medium.* Tertiò, quòd prædestinatio latè sumpta pro quocunque æterno Dei decreto, respiciat non solùm bonum; sed etiam malum, non culpæ, sed pœnæ: imò etiam interdum ad ipsum malum culpæ extendatur, & ad Dei decretum de illo permittendo; vt patet ex Act. 4. ver. 28. vbi dicitur Deus prædestinasse fieri quæ Herodes, & Pilatus, & alij in Christum sceleratissimè commiserunt. *Latè ad bonum & ad malum extenditur.* Nam pro eo quod habetur in editione vulgata, *Quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*; habetur in textu Græco, προορίζειν: quod non satis aduertit Iansenius. Quartò, iuxta latam istam prædestinationis acceptionem, dupliciter eam diuidi: in eam scilicet, quæ est ad bonum & vitam æternam: aliam, quæ ad malum & mortem oppositam: quarum illa vocari solet ab Augustino prædestinatio in bono; ista autem prædestinatio in malo. *Dupliciter diuiditur.* Item, illa dicitur ab eodem prædestinatio gratiæ, & misericordiæ; ista prædestinatio iustitiæ, & supplicij. Quintò, quòd prædestinatio in strictiori significatione, & magis vsitata, non sit aliud, quàm præconstitutio, siue æternum Dei decretum, quo statuit efficaciter dare vitam æternam illis omnibus, qui eam reipsa conse- *Propriè sumpta quid sit.*

quuntur; siue id statuerit antecedenter ad præuisionem operum, aut conditionum requisitarum ex parte creaturarum; siue consequenter ad illam: quod aliunde quàm ex vi vocis decidendum est, cùm particula *præ*, non aliud designet, nisi antecessionem decreti Dei æterni ad temporaneam executionem eius quod facere decreuit: vt ex eo liquet quòd, vt suprà diximus, vox prædestinatio dicitur etiam de malo pœnæ, quod tamen Deus non decreuit nisi consequenter ad præuisionem mali culpæ vt fatetur Iansenius. Sic autem sumpta prędestinatio multis aliis nominibus exprimitur in Scriptura: scilicet *dilectionis, electionis, propositi, præparationis gratiæ, discretionis*; Et quia per Dei gratiam ad vitam æternam perducimur, à qua incipiunt omnia bona nostra opera, fidésque ipsa per quam ad Deum accedimus, & viam salutis ingredimur, per gratiam nobis donatur: idcirco in sacris literis, & apud Augustinum, eadem vocatur prędestinatio, electio, & discretio gratiæ: opponitúrque prædestinationi, electioni, & discretioni meritorum, siue ex operibus. Non quòd adulti nihil operis, aut meriti conferant ad vitam æternam assequendam, & promerendam: sed quia cùm illa ipsa opera, & merita habeantur per Dei gratiam, debent ipsa quoque dici gratia, & dona Dei; quódque propter illa confertur, per gratiam conferri: vt ait Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 6. & 8. & lib. de Corrept. & gratia cap. 7. aliísque locis. Sextò, quòd eadem prædestinatio, quatenus ad homines pertinet, definiatur à D. Augustino lib. de dono perseuerantiæ capite 14. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* Inter quæ beneficia est ipsa vita ęterna, quâ perfectissimè liberamur ab omnibus corporis & animæ miseriis. Nomine autem *præscientiæ*, intelligit Augustinus vel scientiam simplicis intelligentiæ circa ea quæ decernit, spectata vt possibilia; vt aliqui volunt: vel vt alij, scientiam conditionatam circa eadem vt futura conditionatè: vel potiùs scientiam absolutam operum, aut conditionum quæ requiruntur ex parte creaturæ: & quibus præuisis vt absolutè futuris, decernit Deus efficaciter dare gloriam: atque etiam cognitionem ipsius gloriæ, vt conferendæ præsuppositis operibus, aut conditionibus prærequisitis. Septimò; quòd eiusmodi media, & finis, siue dona gratiæ, & ipsa gloria æterna, perfectáque liberatio à miseriis huius vitæ, sint effectus adæquatus prædestinationis, siue decreti illius fauorabilissimi, quo statuit Deus ab æterno nos ad illam perducere, atque à massa damnationis seu perditionis eximere (hoc est, ab æternis miseriis vitæ futuræ) vt loqui solet Augustinus, alludens ad illud Apostoli Rom. 9. *Nunquid potest figulus ex eadem massa* &c.

Quomodo definiatur ab Augustino.

Effectus illius adæquatus.

2. *Differentia inter auxilia naturæ stantis & lapsæ, iuxta Iansenium.*

Quæ deinde addit cap. 10. & tribus sequentibus de discrimine inter auxilium datum Angelis, & primis parentibus in statu innocentiæ, & auxilium datum hominibus in statu naturæ lapsæ: quòd scilicet prius illud fuerit auxilium *sine quo non*, dans solùm posse, non autem ipsum velle, & facere, & relinquens indifferentiam libertatis vt voluntas eo vtatur vel non vtatur, prout libuerit: istud autem sit auxilium *quo*, dans ipsum velle, & necessitans ac prædeterminans voluntatem vt velit, nullóque modo pendens à nutu eius libero vt agat, aut non agat: ex quo discrimine, vt videbimus paulò pòst, infert prædestinationem Angelorum non fuisse propriè prædestinationem gratiæ, sed meritorum: idémque omninò de primo homine si perstitisset in statu innocentiæ, dicendum esse. Quia bona Angelorum opera & merita non fuerunt specialiter Dei dona, & per ipsam gratiam illis data; sed per vires liberi arbitrij, gratiâ tantùm præueniente & iuuante vt possent velle, non autem faciente vt vellent: ideóque eadem merita erant liberi arbitrij, & humana, & sua, vt ea vocat Augustinus; & vita æterna illis reddita, fuit potiùs merces, quàm gratia. Qua de causa idem S. Doctor non dicit Angelos fuisse electos per gratiam, sed per merita; neque etiam merita & bona opera fuisse illis prędestinata, sed præscita: quia prædestinatio est tantùm eorum, quæ Deus ipse facturus est, seu donaturus per suam gratiam: non fecit autem in Angelis bona ipsorum opera & merita, sed ea ipsi fecerunt, & sibi donârunt per vires liberi arbitrij; per quas etiam se discreuerunt à malis Angelis: neque enim ab illis discreti fuerunt per gratiam, quæ vtrisque fuit communis, & dedit tantùm posse; sed per vsum liberi arbitrij, per quem bene operati sunt, consentiendo gratiæ, sibíque bonum opus & meritum, quamuis non sine illius auxilio, donarunt. Hæc, inquam, omnia fuerunt alibi refutata disput. 22. præcipuè sectione tertia, & sect. 6. & 7. vbi euidenter ostendimus discrimen illud ita explicatum (quod tamen est fundamentum totius doctrinæ Iansenij de prædestinatione & reprobatione Angelorum & hominum) esse erroneum, & Caluinisticum, doctrinæque D. Augustini, & aliorum Patrum, & Conciliis, ac sacris litteris manifestè repugnans. Ibidémque exposuimus quo sensu D. Augustinus merita Angelorum, & hominum in statu innocentiæ, vocet interdum merita liberi arbitrij, & *humana*, & sua ipsorum Angelorum & hominum: secùs autem merita hominum in hoc statu naturæ lapsæ, quæ dicit esse gratiæ dona.

His ergo prætermissis, vt ad caput controuersiæ veniamus: sententia illius de prædestinatione hæc est cap. 14. libri suprà citati Angelos non fuisse electos efficaciter ad gloriam ante præuisionem perseuerantiæ seu meritorum absolutam: ídque sequi ex natura gratiæ, quæ ad perseuerandum, gloriámque perseuerando promerendam ipsis data est. Modus enim electionis, & executionis, indicat modum intentionis. Gratia verò, quæ velut medium ad procurandam Angelis gloriam eligebatur, non eis dabat perseuerantiam, aut meritum; sed ab ipsorum voluntate, quamuis non sine gratiæ adiutorio, suspendebatur. Ex quo consequenter nascitur vt gloria non nisi illis esset decernenda, quos spontaneâ voluntate sub gratiæ adiutorio perseueraturos esse præuidebat: non Deo per istam gratiam vt perseuerarent seu ipsam perseuerantiam donante; sed Angelicâ, tametsi non sine gratia, id præstante voluntate: id est, gratia eiusmodi talis erat, vt non necessitaret eorum voluntatem ad consensum, & perseue-

3. *Docet Angelos non fuisse antecedenter electos.*

rantiam; sed eius vsus aut non vsus, actio vel cessatio à libero nutu voluntatis penderet. Cùm igitur haberent libertatem indifferentiæ circa vsum vel abusum gratiæ, & circa bona vel mala opera, quibus possent vitam, vel mortem æternam promereri: conueniens fuit, & consequens ex tali electione mediorum, vt Deus nihil de statu illorum æterno absolutè efficacitérque decerneret ante, & citra præuisionem eorum operum, quibus liberè, & cum potestate ad oppositum, erant salutem, aut damnationem promerituri. Quare nullum etiam Angelorum antecedenter, & à se reprobauit; sed omnibus salutem expetiuit vero & sincero desiderio, atque eousque efficaci, vt media ad illam consequendam idonea, ab ipsorum tamen libertate pendentia, illis parauerit, ac suo tempore suppeditauerit: quósque præuidit esse illis vsuros, iam absolutè & efficaciter destinauit ad gloriam suam admittere: cæteros quos præuidit non vsuros, ab illa exclusit, & ad pœnas æternas destinauit.

4. *Neque homines si Adam non peccasset.*

Eandémque ob causam affirmat cap. 15. primos homines, & eorum posteros, si in statu innocentiæ stetissent, non fuisse aliter eligendos efficaciter ad gloriam, quàm Angeli fuerint electi: hoc est, non nisi ex præscientia absoluta meritorum: lapsos verò, & ex lapsu isto iustissimè damnatos, efficaciter eligi ad gloriam, antequam Deus eos vlla merita præuiderit habituros: eò quòd illa ipsa ad gloriam efficax electio omne meritum in illis gratis operetur: id est, per gratiam necessitantem Deus illud tribuat, non autem per auxilium pendens quoad vsum aut non vsum à libertate indifferentiæ, quam per lapsum Adami perdiderunt. Quod quia non omnibus donare decreuit, sed illis solis, quos de massa damnationis extrahere voluit: idcirco non omnes ad gloriam prædestinauit, sed plurimos in massa damnationis reliquit, ac ne quidem per modum desiderij conditionati vitam æternam illis dare voluit. Nam licèt ante lapsum Adami voluerit tum illi, tum omnibus eius posteris æternam salutem vero & sincero desiderio, atque eatenus efficaci, vt in Adamo præparauerit, & exhibuerit media, quibus si bene vti voluisset, potuissent omnes ad illam peruenire: præuiso tamen eius abusu, totâq; massâ generis humani peccato originali infectâ, & reâ damnationis æternæ constitutâ, non iam ampliùs voluit omnes homines saluare, sed aliquos duntaxat, quos pro suo mero beneplacito, citra omnem præuisionem operum, ex massa illa damnata secreuit, & absolutè efficacitérque saluare constituit per media non iam ampliùs ab eorum libertate pendentia, quippe quæ per lapsum Adæ extincta fuit: sed vi suâ necessitantia voluntatem ad vsum, & consensum: quæ media, ratione post, illis decreuit, & præparauit vi electionis antecedentis, absolutæ, & efficacis: atque suo tempore exhibet omnibus sic electis, si de adultis sermo sit: aut aliis in eorum fauorem, si loquamur de paruulis, & carentibus vsu rationis, qui alienâ tantùm ope saluantur, sicut alienâ tantùm voluntate peccarunt. Ceteris verò, & longè plurimis respectu electorum, quos in massa damnationis reliquit, neque salutem voluit, neque media ad illam acquirendam sufficientia destinauit: sed propter culpam Adæ seu peccatum originale, à salute exclusit, & positiuè reprobauit absolutè, & efficaciter, citra omnem considerationem eorum quæ ipsi facturi erant: nullique illorum media ad salutem sufficientia exhibet: vt docet capite citato, & primis quinque capitibus libri 10.

5. *Vult totam causam reprobationis hominum esse peccatum originale.*

Itaque iuxta doctrinam illius, tota causa reprobationis hominum est peccatum originale. *Manifestissimum enim est*, inquit libro 10 de Gratia Christi capite 3. *non aliam agnoscere S. Augustinum reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum, seu peccatum originale, quo tota massa periit: & hoc esse causam non tantum negatiuæ reprobationis, seu non prædestinationis, sed etiam positiuæ.* Et capite 2. eiusdem libri, *Hoc ipso reliqui, qui sic ab illo numero liberandorum beatissimo seclusi sunt, & negatiuè reprobati, etiam positiuè reprobati dici possunt. Non enim sic prætereuti sunt à Deo, vt quodammodo manserit voluntas eius de ipsorum salute, vel perditione suspensa: sed sic vt fuerit voluntas sua eos relinquendi in eo statu, ex quo ceteros liberare statuebat. Hæc autem citra dubium perditionis ac damnationis est plena.* Nimirum quia, vt ait libro 9. capite 8. *Hoc ipso quo Deus aliquem non constituit ex damnatione etiam contracta* per peccatum originale, *debitáque liberare, necessariò reprobatus & æterna damnatione plectendus est.* Et libro 10. capite 4. *Cur ex duobus, quorum vterque originali culpa maculatus est, hic, non iste reprobetur à Deo; rei illius nulla omnino causa ex parte hominis à nobis dari potest, sed pendet à puro beneplacito Dei.*

6. *Et merum Dei beneplacitum esse causam reprobationis aut electionis, supposito peccato originali.*

Cur itaque Deus hos potiùs quàm illos ex massa generis humani damnata propter Adæ peccatum secreuerit, nullam aliam rationem esse vult quàm merum Dei beneplacitum, qui sic voluit, & ex pariter damnatis hos elegit, in quibus ostenderet suam misericordiam: alios reliquit, erga quos suam exerceret iustitiam. Eligit, inquam, ex suo mero beneplacito, nullâ habitâ ratione operum bonorum aut malorum, quæ electi aut reprobi facturi erant. Nam bona opera electorum non fuerunt causa vel ratio cur eligerentur: sed è contrario, electio fuit causa, cur illis parauerit Deus, & exhibuerit auxilia necessitantia ad bene operandum. Mala quoque opera reproborum non fuerunt causa cur relinquerentur in massa damnata generis humani: sed è contrario hæc derelictio, & reprobatio fuit causa cur destituerentur auxiliis necessariis ad peccatum vitandum, & ad moriendum in statu gratiæ.

7. *Idque propter amissam libertatē indifferentiæ.*

Ratio verò cur Deus eligendo, & reprobando, non habuit considerationem operum, est quia, vt ipse putat, neque electi bene operantes habent libertatem indifferentiæ ad bene operandum, quippe qui nullum bonum opus exercent nisi præsente & necessitante gratiâ efficaci: neque reprobi malè operantes id faciunt ex vsu libertatis indifferentiæ; sed quotiescunque peccant, sunt destituti gratia efficaci, quâ absente necessitantur ad malè operandum vi & pondere concupiscentiæ. Idcirco enim Deus in illis eligendis, aut in istis reprobandis non habuit rationem operum; sicut habuit respectu Angelorum: sed pro sua voluntate, & ex mero beneplacito antecedenti, de vtrorumque statu sempiterno efficaciter, &

absolutè, & irreuocabiliter statuit: ita vt vi illius decreti sequatur infallibiliter ac necessariò illorum salus, & istorum æterna damnatio.

8. *Quid sit liberari de massa damnationis?* Addit, liberari de massa damnata generis humani, non esse duntaxat iustificari per baptismum à peccato originali: vel aliter eius remissionem obtinere, & aliquandiu esse in statu gratiæ: sed liberari per Dei decretum, & destinationem efficacem, ab omni eius pœna: adeóque à concupiscentia, & mortalitate, aliisque miseriis corporis & animæ: quod iis solis contingit, qui ad æternam beatitudinem electi sunt, illámque tandem assequuntur: non autem aliis, qui relabuntur in statum peccati, & in eo vitam finiunt. *Falluntur* enim, inquit lib. 10. cap. 3. *qui putant hoc esse à perditionis massa discerni temporaliter, quod in tempore peccati remissione iustificari: vel hoc esse æterno Dei decreto à perditione discerni, quod ad peccati remissionem eligi aut prædestinari*: sed, vt addit lib. 9. cap. 9. *Quemadmodum, qui ex puteo in quem cecidit ab alio gratis liberari debet, non est liberatus dum ei funis datur, & extrahi ex parte cœpit, si propriâ malitiâ, vel infirmitate ex casu voluntario contractâ, relabatur: ita nec ille à massa perditionis discretus est, qui tantummodo peccati remissione decernitur purgandus; sed qui omnium pœnarum ex damnatione originali inhærentium abolitione iustificandus*: id est ab omni corruptione animi, & corporis, omníque infirmitate propter peccatum originale contractâ liberandus, in cælesti scilicet beatitudine.

SECTIO II.

Referuntur aliæ sententiæ de prædestinatione & reprobatione, & cum Iansenania conferuntur. Statuitur quænam ex illis sit vera.

9. *Prima sententia Caluini.* Vt autem liquidò appareat in quo hæc sententia discrepet ab aliis, quidve peculiariter in illa refutandum sit: recolendum est breuiter quatuor alias esse de prædestinatione, & reprobatione sententias. Prima est Caluini lib. 3. Institut. cap. 21. 22. 23. aliisque locis affirmantis Deum ante præuisum peccatum originale, & quidquid aliud ex parte creaturarum futurum erat, hoc est, independenter ab illa præuisione, aliquos Angelorum, & hominum efficaciter, & absolutè elegisse ad gloriam pro suo mero beneplacito: ceteros autem ad exitium sempiternum destinasse, nullâ etiam datâ ab ipsis occasione sic destinandi, sed quia sic illi placuit. Tum vtrosque ad finem destinatum per media efficacia, & infallibilia perducere statuisse, & in tempore procurare efficaciter vt suum decretum in vtrisque impleatur. Ab hac sententia discrepat Iansenius, quatenus negat decretum absolutum, & efficax electionis, aut reprobationis Angelorum, & hominum, fuisse antecedens ad præscientiam absolutam eius quod Angeli facturi erant, & lapsûs primi hominis. Conuenit autem in eo, quòd vult homines post lapsum Adæ præuisum, eo modo quo ait Caluinus fuisse prædestinatos, aut reprobatos, & vtrosque per media infallibilia, imò etiam (vt ipse vult) necessitantia, & independentia ab vsu liberi eorum arbitrij, ad vitam, aut mortem æternam perduci.

Secunda sententia est prædeterminantium, qui volunt Deum Angelos, & homines antecedenter & à se, id est, independenter à præuisione peccati Adæ, & quorumcunque aliorum operum bonorum, aut malorum, elegisse efficaciter, & absolutè ad gloriam quotquot reipsa eam consequuntur: & alios reprobâsse, siue negatiuè, non eos eligendo: siue positiuè, excludendo efficaciter à gloria, & ad ostensionem suæ iustitiæ eos destinando, propter decorem vniuersi, ad quem pertinet vt in quibusdam exerceatur Dei misericordia, in aliis iustitia. Tum ratione posteriùs decreuisse electis auxilia efficacia physicè prædeterminantia, vi quorum salus infallibiliter sequeretur. Aliis negâsse huiusmodi auxilia, sine quibus impossibile est vt bene operentur, finaliter saltem: cùm id non possint nisi prædeterminati: nec vlla creatura quidquam agere possit erga se, vel alios, nisi physicè prædeterminata: quippe quæ non potest operari nisi dependenter à prima causa, illique subordinata: quæ dependentia & subordinatio consistit in prædeterminatione physica: neque à causa indeterminata potest prodire effectus determinatus: vt ipsi argumentantur. A quorum sententia distat Iansenius, quatenus negat talem fuisse Angelorum electionem, vel etiam hominum ante præuisum Adæ peccatum: negat quoque physicam prædeterminationem stare potuisse cum vsu libertatis indifferentiæ, quâ præditi erant. De hominum verò electione, & reprobatione, post peccatum præuisum, cum illis consentit: hoc vno excepto quòd prædeterminantes dicunt se illæsam seruare libertatem indifferentiæ, non obstante physicâ prædeterminatione; in quo etiam dicunt se differre à Caluino: Iansenius autem fatetur eam non consistere cum efficacia gratiæ physicè prædeterminantis, qualem etiam esse putat eam quæ datur in hoc statu naturæ lapsæ, vt videre est lib. 8. de Gratia Christi Saluatoris cap. 3. 10. *Secunda prædeterminantium.*

Tertia sententia est prædefinientium, qui docent similiter vt prædeterminantes, electionem & reprobationem efficacem & absolutam, fuisse factam ex puro Dei beneplacito; independenter à præuisione absoluta operum, vel vsus, aut non vsus mediorum. Volunt tamen auxilia, quibus electi, siue Angeli, siue homines, etiam post lapsum Adæ, perducuntur infallibiliter ad vitam æternam, non esse necessitantia, vel physicè prædeterminantia, sed relinquere vsum libertatis indifferentiæ: esse tamen infallibiliter effectum habitura, propter vsum scientiæ mediæ dirigentis eorum electionem, & exhibitionem. Eliguntur enim ab æterno, & exhibentur in tempore illa quibus Deus præsciuit fore, vt effectum & consensum liberum obtineant, si tali modo, & in talibus circumstantiis applicentur. A qua sententia differt Iansenius in duobus. 1. quòd vult electionem Angelorum & hominum ante lapsum Adæ, non fuisse factam antecedenter ad præuisionem. 2. quòd vult, post lapsum Adæ, destinata esse electis media, siue auxilia necessitantia voluntatem ad consensum: siue pro sua ipsorum salute; siue pro paruulis, qui eorum operâ saluantur. 11. *Tertia prædefinientium.*

Quarta sententia, & vera, docet Deum nullum 12.

Quarta & vera sententia. Angelorum, aut hominum, siue ante lapsum Adæ præuisum, siue post, elegisse efficaciter ad gloriam, vel ab illa exclusisse citra considerationem operum, & euentus finalis: sed sincerè omnibus expetiuisse gloriam, consequendam per media, & auxilia idonea, pendentia ab eorum libertate: quæ omnibus vi huius intentionis destinauit. Tum ratione post, præuiso quinam essent vsuri, & qui non, elegisse efficaciter quos vidit consensuros, aut habituros conditiones necessarias: alios verò reprobâsse, dependenter à præuisione oppositi. A qua sententia dissentit Iansenius in duobus. 1. quòd vult homines post lapsum Adæ fuisse efficaciter electos aut reprobatos independenter à præuisione operum, & euentus finalis, ex solo Dei beneplacito seligentis quos voluit ex massa generis humani per peccatum originale damnatâ; & alios in ea relinquentis. 2. In eo quòd affirmat electos, & secretos ex illa massa, perduci ad salutem per media necessitantia: reprobos autem, defectu auxilij sufficientis, mediíque necessarij perire: atque hos & illos in negotio salutis carere vsu libertatis indifferentiæ, esséque subiectos antecedenti necessitati vel ad bene agendum, vi gratiæ præuenientis: vel ad malè operandum, pondere concupiscentiæ prædominantis.

13. Contendit autem more suo Iansenius suam illam de prædestinatione & reprobatione sententiam, nihil aliud esse, quàm puram putam D. Augustini doctrinam: ídque adductis plurimis eius locis demonstrare conatur. Quibus antequam respondeatur,

Sententia Iansenij quamuis esset Augustini, non est approbata. Dico primò, tametsi hæc fuisset D. Augustini sententia, minimè necessarium esset illi adhærere. Probatur, quia Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ, quæ habetur in fine tomi septimi operum D. Augustini, definiens quid Ecclesia Catholica ex præscripto Sedis Apostolicæ teneri velit circa quæstiones de Gratia exortas inter Pelagium, eiúsque asseclas, & D. Augustinum, aliósque veræ doctrinæ defensores, nullam eius mentionem facit: sed propositis, expositísque articulis, qui contra Pelagium, & Semipelagianos tenendi sunt ab omnibus verè catholicis, subiungit hæc verba diligenter notanda: *Profundiores verò, difficilioresque partes intercurrentium quæstionum* (qualis est ista de prædestinatione) *quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt:* (præcipuéque D. Augustinus, cuius speciatim fit mentio circa principium eiusdem epistolæ) *sicut non audemus contemnere, ita nec necesse habemus adstruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.* Estque notandum hanc epistolam fuisse scriptam à Cælestino occasione D. Augustini, & querelarum quas ipsius doctrina excitauerat; vt patet ex illius principio. Quare iuxta huius summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ iudicium irrefragabile, non est necessarium sententiam illam de prædestinatione, tametsi esset Augustini, adstruere.

14. In Conciliis quoque Palæst. Mileuit. Arausic. II. & aliis contra Pelagianos aut Semipelagianos habitis, nulla eiusmodi prædestinationis aut reprobationis antecedentis mentio fit: sed è contrario Arausicanum can. 25. sic pronunciat: *Hoc secundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) quæ ad salutem pertinent possint, & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere. Aliquos verò ad malũ diuinâ potestate prædestinatos esse non solùm nõ credimus, sed etiamsi sunt qui tantum malum credere velint, cùm omni detestatione illis anathema dicimus.* Quæ verba manifestè Iansenio refragantur affirmanti aliquos de baptizatis, & iustis, quia sunt de numero reproborum, non habere auxilium sufficiens ad omnia implenda quæ ad salutem pertinent. Aduersantur etiam reprobationi antecedenti, præsertim iuxta eorum sententiam, qui dicunt factam esse citra omnem præuisionem peccati, etiam originalis: ex quo sequi videtur reprobos fuisse solâ diuinâ voluntate & potestate destinatos ad malum æternæ damnationis.

Dico secundò, contrariam sententiam de electione, & reprobatione consequenti tantùm, longè anteponendam esse. Primò, quia fuit omnium ferè Patrum Græcorum, & Latinorum anteriorum D. Augustino, vt affirmat Prosper in epistola ad D. Augustinum præfixâ eius libro de Prædestinat. Sanctorum, vbi sic habet: *Illud etiam qualiter diluatur quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis priorum hac de re opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit: & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præsciuerit.* Idque non negat D. Augustinus respondens huic inquisitioni, lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 14. sed tantùm ait veteres illos, qui Pelagianam hæresim præcesserunt, non tractâsse accuratè hanc quæstionem, obitérque solùm eam attigisse, eo quòd tunc id necesse non foret. *Quid igitur opus est,* inquit, *vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari: quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur?* Quamuis autem quæstionem illam non adeo prolixè tractauerint: sine dubio tamen non errauerunt omnes, aut ferè omnes contra fidem, in quæstione tanti momenti. Errassent autem contra fidem, si hæc fuisset hæresis Pelagij: síque oppositum iuxta veritatem Scripturæ, & fidei Catholicæ tenendum erat. Fuit etiam eadem communis, & vnanimis sententia Patrum Græcorum æquè, ac Latinorum qui post Augustinum scripserunt, exceptis fortè paucis, vt Prospero & Fulgentio, qui pro contraria citari solent: quanquam nec illos ita sensisse existimo: cuius rei indicia mox proferam. Est autem recolendum quod alibi probauimus ex Synodo quinta generali, & ex Lateranensi sub Martino I. Consult. 5. & ex Tridentina sess. 4. in decreto de editione & vsu sacrorum librorum, doctrinam communissimam Sanctorum Patrum in rebus fidei, & expositione Scripturæ sacræ, esse ipsam doctrinam Ecclesiæ; neque licitum esse cuiquam ab illa recedere.

15. *Sententia de Electione consequenti est communis Patrum.*

SECTIO III.

Vera sententia probatur ex Sanctis Patribus.

16. *Probatur ex Patribus Græcis.* NE verò gratis asserere videar communem hanc fuisse, & penè vnanimem Patrum Græcorum & Latinorum sententiam; producam aliquot illustriora eorum testimonia. Ignatius ergo in epist. ad Magnesianos, *Quandoquidem*, inquit, *actiones ipsa sua habent præmia; & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ: & singuli qui aut hoc aut illud elegerunt, in eius quod elegerũt locum abituri sunt: fugiamus mortem, & eligamus vitam. Si quis pietati studet, Dei homo est: si impiè agit, diaboli est: non id factus per naturam, sed per animi arbitrium:* adeóque non ex antecedenti, & mero Dei beneplacito. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 76. exponens modum, quo Deus post lapsum Adæ aliquos hominum prædestinauit, alios reprobauit, sic loquitur: *Deus omnia præsciens, vtrisque aptas præparauit habitationes: eis quidem, qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, & ad id recurrunt, benignè donans hoc quod concupiscunt lumen: aliis verò id contemnentibus, & auertentibus se ab eo, & id fugientibus, & quasi semetipsos excæcantibus, congruentes lumini aduersantibus præparauit tenebras: & his, qui fugiunt ei esse subiecti, conuenientem subdidit pœnam.* Origenes in caput 1. epist. ad Rom. interpretans hæc Pauli verba capitis primi, *Segregatus in Euangelium Dei*, dicit Apostolum his verbis, *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*, euidenter ostendere *quòd eos, quos præsciuit Deus tales futuros vt Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis eius prædestinauit, & gloriæ. Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores, & virtutes habituri sunt, & ita prædestinatio sequitur.* Ibidémque paulò pòst explicans illud Apostoli, *An non habet figulus potestatem* &c. dicit Iacob factum esse vas in honorem, *quia seipsum emundauit: Esau verò, cuius animam non ita puram, nec ita simplicem vidit Deus, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam.* Chrys. hom. 16. in epist. ad Rom. prope finem, *Vnde ergo*, inquit, *alij quidem vasa iræ, alij autem vasa misericordiæ? A propria voluntate. Deus autem admodum bonus cùm sit, in vtrisque eandem ostendit bonitatem. Etenim non eos solùm, quos seruabat, miseratus est: sed & Pharaonem ipsum, quantum quidem in ipso fuit* &c. Et homil. 1. in epist. ad Ephesios ante illa verba, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum*, affirmat electionis, & prædestinationis negotium non à Dei solùm caritate, seu voluntate, pendere: quippe qui etiam reprobos, & omnes omnino saluare vult, quantum in se est: sed ab electorum etiam cooperatione, & bonis operibus factis cum Dei gratia: *Non enim*, inquit, *nostris ex laboribus, vel rectè factis* (solis viribus naturalibus) *hoc suppetit: sed ex caritate*, Christi scilicet. *Neque ex caritate solùm: sed etiam ex virtute nostra. Nam si id à sola caritate penderet: saluari omnes oporteret. Sin autem sola ex virtute nostra; superuacaneus fuisset aduentus illius, & quæcunque ab eo administrata. Verùm neque sola ex caritate, neque sola ex virtute nostra illud accidit, sed ex vtroque.* Cyrillus Alexand. in caput 1. Malachiæ, exponens illud, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; *Cùm*, inquit, *tanquam Deus amborum futuras actiones, & vtriusque mores prænosset: meliorem & sanctiorem complexus est.* Damasc. lib. 2. de fide cap. 29. in fine, *Illud quoque nos ne fugiat, Deum vt bonitate præstantem primariè quidem omnes homines seruari, ac regni sui compotes esse velle; neque supplicij, ac cruciatus causâ, verùm ad hoc vt bonitatis ipsius participes simus nos effinxit: vt iustum autem, iis quoque qui peccant, pœnam inferri nihilominus velle. Ac prius illud, antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans: secundum autem, consequens voluntas, atque permissio, à nostro vitio ortum ducens.* Similiter loquuntur, & sentiunt Theodoretus, Oecumen. Theophylact. Photius, Gennadius Patriarcha Constantinopolit. & alij, quorum verba refert Petauius tom. 1. Dogmat. lib. 9. cap. 3.

Ex Latinis verò idem docent Ambros. lib. 5. 17. *Et ex Latinis.*
de fide cap. 3. explicans illa Christi verba Matth. 20. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Sic habet: *Non est meum qui iustitiam seruo non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit. Quibus paratum est, vt ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis: Quia Deus personarum acceptor non est. Vnde & Apostolus ait: quos præsciuit, hos & prædestinauit: Quia non antè prædestinauit, quàm præsciuit: sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.* Et Auctor commentarij in epist. Pauli Ambrosio attributi, ad caput 9. epist. ad Rom. circa illa verba, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, sic dicens: *vnum elegit præscientiâ, alterum spreuit. Et in illo, quem elegit, propositum Dei manet. Et in illo similiter, quem spreuit, manet propositum Dei de illo, quia indignus erit. Hoc* (nempe eligere vnum, & spernere alterum) *facit Deus quasi præscius, non personarum acceptor. Nam neminem damnat antequam peccet: neminem coronat antequam vincat:* & nimirum neque ad hoc destinat efficaciter eligendo, aut spernendo ab æterno. Et Hieronymus in caput 1. Malach. exponens eadem verba, *Dilectio & odium Dei*, inquit, *vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus. Alioqui nouimus quòd omnia Deus diligat, nec quicquam oderit eorum, quæ creauit:* antecedenter videlicet & à se, nullâq; ex parte ipsorum data occasione odij. Et in caput 1. Isaiæ ver. 19. *Liberum*, inquit, *seruat arbitrium, vt in vtramq; partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna vel præmium sit.* Vbi quod ait, *non ex præiudicio*, idem est, atque, non ex sententia anticipata, & præcedente examen causæ. Et vt alios breuitatis causâ prætercam, idem affirmant D. Augustinus & insignes eius discipuli Prosper, Fulgentius, Beda & alij.

Augustinus quidem lib. 1. ad Simplician. q. 2. 18. *Et specialim ex Augustino.*
interpretans illud Apostoli Rom. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*, sic ait: *Nemo eligitur, nisi iam distans ab eo qui reiicitur. Vnde quod dicitur, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ*, eius scilicet differentiæ, quæ ex parte creaturarum futura erat. Perperam verò respondet Iansen. lib. 9. de Gratia Christi c. 24. Augustinũ ibi loqui de electione strictiori quodam modo sũpta, prout ex sua ratione postulat eum, qui eligitur, distare aliquâ conditione, vel qualitate ab eo, qui reiicitur, ratione cuius illi præ-

præfertur. Aliter verò sumendo electionem pro efficaci destinatione quorundam ad gloriam, fuisse iuxta Augustinum, electos, seu secretos ex massa perditionis, absque tali differentia, quotquot reipsa saluantur. Perperam, inquam, sic respondet. Nam id stare non potest cum aliis eius locis vbi non vtitur nomine electionis, ex quo effugium captat Iansenius. Vt lib. 83. quæst. quæst. 68. vbi explicans quod ait Apost. Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: Prorsus*, inquit, *cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis: quia & ipsi peccatores cùm propter generale peccatum vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione. Et item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione.* Alibi quoque apertè significat Deum bonos à malis secernere propter opera præuisa: vt serm. 7. de verbis Domini, vbi sic ait: *Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, sicut dixit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundùm illorum iustitiam*, quam scilicet ope gratiæ habituri, vel operaturi præuisi fuerunt: iuxta id quod addit inferiùs: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Quid est, Reliqui mihi? Ego illos elegi: quia vidi illorum mentes de me præsumentes, non de se, nec de Baal.*

19. *Et ex Prospero, aliisque Augustini discipulis.* Idem docet Prosper in responsione ad obiectiones Vincentianas resp. 12. sic de reprobis dicens: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate, ac virtute mansuri.* Et in responsione ad obiectiones Gallorum cap. 3. de iisdem sic habet: *Quod ergo huiusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt; non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.* Et cap. 7. *Quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præsciuit* Deus, *ob hoc à filiis perditionis nulla prædestinatione discreuit.* Et Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 24. *Prædestinauit illos ad supplicium, quos à se præsciuit voluntatis malæ vitio discessuros.* Et auctor Hypognost. lib. 6. paulò post initium, *Cæteros*, inquit, *pœna debita punit: quos ideò punit, quia quid essent futuri præsciuit: non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinauit.* Et inferiùs, paulò post medium, *Tenenda est*, inquit, *inconcussa huius disputationis regula, &c. peccatores in malis propriis, antequam essent in mundo, præscitos esse tantùm, non prædestinatos: pœnam autem esse eis prædestinatam secundùm quod præsciti sunt*, in peccato scilicet morituri. Et Beda in lib. quæstionum, q. 13. post medium: *Non est in Dei dispositione quomodo peccator peccet*: id est, Deus id non præordinauit antecedenter: *sed tamen cùm sciat eum peccaturum, mortem ei prædestinauit vt verus index.* Et Bernardus serm. 5. de Natali Domini circa medium, *Ex se sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quòd indicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus.* Et Gregorius lib. 33. Moral. cap. 20. *Idcirco nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt; quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Et Honorius Augustodunensis in Dialogo de prædestinatione, qui habetur tom. 9. Bibliothecæ Patrum nouæ editionis, Prædestinationem ita definit, vt sit *pro meritis cuiusque vel ad gloriam, vel ad pœnam æterna Dei præparatio.* Deindéque hæc addit: *Porrò qui præuisi sunt in bonis permansuri, ad gloriam sunt prædestinati: qui verò præsciti in malo vitam finituri, ad pœnam sunt vtique prædestinati. Ergo quos Deus præsciuit in filium suum credituros, & mandata eius voluntariè seruaturos, hos ante sæcula prædestinauit: hos suo tempore ad fidem vocauit: hos per baptisma iustificauit: hos virtutibus magnificauit: hos vasa misericordiæ glorificauit. Quos autem minimè facturos præsciuit, hos à regno gloriæ reprobauit: & vasa iræ, & contumeliæ, apta ad pœnam prædestinauit.* Postcáque obiicienti sibi discipulo, videri quosdam non secundùm merita, sed secundùm propositum Dei saluari, vel damnari: idque probanti exemplo Iacob, & Esaü: respondet, *Deo nihil esse futurum: & quod ipsi suo tempore per liberum arbitrium erant futuri, hoc, antequam nati essent, fuisse in conspectu Domini. Ergo quia Iacob in conspectu Domini simplex fuit, ideò Dominus eum dilexit: quia verò Esaü profanus erat, ideò eum odio habuit.*

SECTIO IV.

Eadem sententia probatur ex Scriptura.

SECVNDÒ, eadem sententia sacris literis longè conformior est: quippe quæ, vt ait Tridentinum sess. 6. can. 20. nusquam in Euangelio (multóque minùs in veteri testamento) continent absolutam promissionem vitæ æternæ sine conditione operum: intellige, respectu adultorum, de quibus ibi sermo est: idémque sentiendum est de paruulis quoad baptismum, vel aliam conditionem in eis prærequisitam; ita scilicet vt Deus nullum eorum efficaciter saluare decreuerit, nisi post præuisionem talis conditionis absolutè futuræ; sicut nulli adultorum efficaciter vitam æternam dare constituit, nisi præuiso quòd essent benè vsuri mediis, & auxiliis gratiæ sibi oblatis, & vitam in statu gratiæ finituri. Et verò nullus Scripturæ locus proferri potest, in quo electio efficax ad gloriam dicatur esse facta independenter à tali præuisione: vt patebit sect. 6. & 7. examinando Scripturæ testimonia, ex quibus præcipuè Iansenius, & alij id colligere sibi videntur. Contrà verò, plurima sunt ex quibus contrarium multò probabilius, ne dicam certò, colligitur. Nam Matth. 25. Christus formam iudicij futuri repræsentans, non obscurè docet regnum æternum fuisse paratum electis intuitu operum misericordiæ ab ipsis exercendorum: & è contrario, ignem æternum paratum esse reprobis non propter solum peccatum originale, & massam damnationis, in qua relicti fuerint ex puro Dei beneplacito; sed propter immisericordiam, & defectum bonorum operum: cùm sic ait: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim*, &c. Et paulò pòst: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis*, &c. In quibus verbis notanda est particu- 20. *Scriptura nullibi docet electionem antecedentem.* *Consequentem docet Matth. 25.*

la causalis, *Enim*, quæ manifestè significat causam illius differentiæ inter electos, & reprobos, esse bona & mala vtrorumque opera, propter quæ tam diuersa sententia de illis pronunciatur. Estque ibi sermo non de executione duntaxat, sed de ipsa præparatione, seu destinatione, & electione efficaci ad regnum illud cæleste, vt indicant verba illa, *quod vobis paratum est*, & confirmat Chrysostomus ibidem, Christum sic loquentem inducens: *Nam quia sciebam vos, antequam nati essetis, huiusmodi futuros, hæc à me parata sunt vobis.* Atque hoc argumentum specialem vim habet contra Iansenium, qui expressè docet lib. 9. de Gratia Christi Saluatoris cap. 5. *præparationem* idem esse Augustino ac *prædestinationem*: hoc est, Sanctum illum Doctorem vtrumque nomen in sacris literis expressum, eodem sensu accipere. Docet etiam cap. 14. & 15. eiusdem libri modum executionis respondere modo intentionis, & vnum ex alio rectè colligi. Quare sicut executio dandi gloriam fit dependenter ex bonis operibus eorum, qui ad regnum æternum admittuntur: vt Christus apertè significat: sic intentio efficax eos admittendi habita fuit consequenter, & dependenter à præuisione quòd essent bene operaturi: similitérque exclusio à regno cælorum, siue reprobatio aliorum, non fuit facta ex mero Dei beneplacito, vt vult Jansenius; sed consequenter ac dependenter à præuisione malorum operum, aut defectus conditionum necessariarum.

21. Et Mat. 20. Item Matth. cap. 20. proponitur vita æterna danda vt merces operariis, conuentione cum illis factâ de denario diurno. Vt autem rectè expendit auctor disputationum Theologicarum tom. 1. disp. 19. sect. 3. num. 36. Christus hanc parabolam proposuit, vt intelligamus modum quo Deus nobiscum in negotio salutis se gerit: nimirum tanquam sapiens paterfamilias conducens operarios ad vineæ suæ culturam. Nullus autem sapiens paterfamilias decernit alicui operariorum absolutè & efficaciter mercedem, nisi antea viderit an opus diurnum præstiterit. Ergo similiter de Deo cogitandum est. Illa enim comparatio eo fine proponitur à Spiritu sancto, vt concipiamus Deum simili modo se gerere in decernenda mercede vitæ æternæ, quo paterfamilias in decernenda mercede operariis, semotis imperfectionibus. Nulla autem in eo est imperfectio, quòd Deus non decernat nisi ex infallibili præuisione operum; quamuis non debeat expectare temporalem eorum exhibitionem, quòd esset imperfectionis: sicut est in hominibus, qui non sunt anteà certi infallibiliter de executione operis à quo pendet conuentio. Idémque dicendum de aliis comparationibus, quibus in Scriptura Deus comparatur agonothetæ decernenti brauium victori in certamine: Domino remuneranti seruos vigilantes, aut talentum bene impendentes: sponso admittenti tantùm prudentes virgines sibi occurrentes cum accensis lampadibus, & oleum bonorum operum in vasis suis habentes.

22. Et 1. Tim. 4. Rursus 1. Tim. 4. docet Apostolus Deum vt iustum iudicem retributurum vitam æternam sibi, & aliis qui bene operati fuerint: sicut è contrario, morte æterna damnabit eos, qui malis suis operibus id promeriti fuerint. *Bonum certamen certaui*, inquit, *cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Atqui iustus iudex non intendit efficaciter, neque decernit vnis coronam dare, aliis inferre supplicium, nisi ex præuisis & præsuppositis bonis aut malis eorum operibus. Ergo Deus, qui simili modo se gerit in negotio salutis, non decernit efficaciter vitam æternam electis, & mortem oppositam reprobis, nisi præuisis, & præsuppositis in eius præscientia, bonis aut malis eorum operibus. Quod clariùs significat idem Apostolus Rom. 8. ver. 29. de electis sic loquens: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Id est, quorum præsciuit fidem, & dilectionem, eos prædestinauit vt essent filio similes: quemadmodum exponunt Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Sedulius, Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, & plures alij.

Præterea, 2. Tim. 2. ver. 20. & 21. docet idem Apostolus homines ipsos esse causam cur sint vasa in honorem, vel in contumeliam. Nam postquam dixit, *In magna domo non solùm esse vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, alia in contumeliam*: Subiungit immediatè pòst: *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem*, &c. apertè significans esse in hominis ipsius potestate vt fiat vas honoris, emundando se à peccatis, & incumbendo bonis operibus cum auxilio gratiæ: vel è contrario vas contumeliæ & ignominiæ, hærendo in peccati sordibus, & malè operando. Quod planè falsum esset, si vera esset doctrina Iansenij de electione & reprobatione efficaci, & irreuocabili, facta ex mero Dei beneplacito, & independenter à bonis aut malis operibus hominum, ex massa perditionis secretorum, vel in ea derelictorum. 23. Et 2. Tim. 2.

Ad hæc, Rom. 11. ver. 28. & 2. Petri 1. ver. 10. & Apoc. 3. ver. 11. Proponitur gloriæ dandæ volitio tanquam suspensa, ante præuisionem operum, & merè conditionata, dependénsque à voluntate, & cooperatione creaturæ. Non esset autem suspensa, si Deus ante præuisionem operum, & independenter ab illis statuisset absolutè, & efficaciter saluare. Item 1. Tim. 2. ver. 4. dicitur Deus velle omnes homines saluos fieri: éstque ibi manifestè sermo de hominibus post lapsum Adæ, & generaliter de omnibus, vt patet ex disp. 26. sect. 2. Et Ezechiel. 18. ver. 23. & c. 33. ver. 10. & seqq. affirmat Deus se nolle mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat; iurátque se omnibus, qui bene egerint, daturum vitam æternam: aliis mortem: & prout vnusquisque liberâ suâ voluntate bene vel malè egerit, se de illo iudicaturum, & remuneraturum, aut puniturum, sine acceptione personarum. Quæ omnia manifestè aduersantur doctrinæ Iansenij affirmantis Deum pro suo mero beneplacito, ex massâ Adami infectâ peccato originali, selegisse paucos aliquos quos saluare velit: cæteros omnes efficaciter & absolutè exclusisse; quos neque vult saluare, neque mediis sufficientibus, & necessariis iuuat vt possint ad saluté peruenire, sed in necessitate pereundi constituit. Et denique, Rom. 5. ver. 18. & 1. Cor. 5. ver. 14. & 1. Tim. 2. ver. 6. & 2. Tim. 4. ver. 10. dicitur Christum mortuum esse pro illis omnibus, quos Adæ peccatum infecit; vt omnis qui credit in ipsum non 24. Et Rom. 11.

pereat, sed habeat vitam æternam, quemadmodum additur Ioan.3. ver.16. Ergo falsum est non voluisse Deum omnibus salutem post lapsum Adæ præuisum: sed iis tantùm pauculis, quos è massa damnationis secreuit. Nam voluit etiam omnibus aliis, quippe pro quorum omnium salute mortem subiit.

SECTIO V.

Ostenditur absurditas sententiæ Iansenij.

25. *Varia incommoda illius sententiæ.* TERTIÒ denique, sententia Iansenij in eo quod asserit, homines post lapsum Adæ præuisum, fuisse antecedenter, & citra præuisionem operum, vel euentus finalis, ex puro Dei beneplacito secretos efficaciter, aut relictos in massa damnationis, vrgetur iisdem incommodis, quibus tres aliæ sententiæ Caluinistarum, Prædeterminantium, & Prædefinientium: quæ fusè prosecurus est auctor disput. Theologic. to. 1. disp.19. sect. 5. & 6. & breuiter attingentur inferiùs nu.33. Quatenus verò affirmat tam electos, quàm reprobos carere libertate indifferentiæ in vsu auxiliorum & mediorum salutis, est prorsus hæretica, fuitque satis refutata disp. 30. & quatuor sequentibus. Quatenus denique affirmat peccatum originale esse causam reprobationis hominum: ita vt quicunque damnantur in hoc statu naturæ lapsæ, damnentur propter peccatum originale, propter quod fuerint reprobati, & ex qua reprobatione sequatur necessariò, & ineuitabiliter æterna eorum damnatio, licèt baptizentur, & iustificentur à peccato originali: repugnat multis principiis fidei.

26. *Repugnat pluribus Scripturæ locis.* Primò enim, si Deus ita pauculos selegit ex massa peccati originalis, ceteros longè plurimos reliquit, & punire voluit æterno supplicio: idque destinauit ineuitabiliter ex suo beneplacito: falsum est quod velit omnes saluare, vt ait Apost. 1.Tim.2. Nam è contrario, vult directè & positiuè illos omnes non electos, id est, longè maiorem partem hominum à salute excludere. Falsum etiam quod dicitur 2. Petri 3. ver. 9. Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Nam vult eos omnes perire quos positiuè reprobauit: neque dici potest velle sincerè vt agant pœnitentiam, & in statu gratiæ decedant: cùm id eius decreto antecedenti, & efficaci voluntati repugnet è diametro. Item, si ne quidem illi omnes qui iustificantur, extrahuntur è massa damnationis, sed eorum aliqui necessariò, & ineuitabiliter in illa manent, neque possunt omnino inde emergere: falsum est quod ait Arausic. can. 25. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati (Christo auxiliante, & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere:* ac proinde salutem consequi. Et quod ait Trid. sess. 6. c. 13. In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere debere omnes iustificatos: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*; hoc est, efficiet vt perseuerent vsque in finem: de quo ibi sermo est, quemadmodum patet ex præcedentibus. Hæc, inquam, doctrina Conciliorum falsa est, si iusti non perseueraturi, seu non electi, adhuc pro illo ipso tempore quo iusti sunt, hærent in massa perditionis, & propter peccatum originale manent rei damnationis æternæ, quam euadere non sit in eorum potestate.

Et Arausicano ac Trident.

Falsum etiam erit, quod ait Arausic. can. cit. quem canonem confirmauit Valentina Synodus III. can.4. circa annum Christi 855. *Aliquos verò ad malum prædestinatos esse nō solùm non credimus: sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Et quod ait Trident. sess. 6. can. 17. *Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote diuinâ potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.* Et sequenti can.18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* Quæ anathemata non vitat Iansenius, respondendo reprobos non esse diuinâ potestate prædestinatos ad malum, quia in Adamo erant destinati ad vitam æternam. Nam hæc Concilia loquuntur de hominibus in præsenti statu: quos negant esse irreuocabiliter à Deo destinatos ad interitum, licèt omnes contraxerint peccatum originale. Enimuero Arausic. id, quod modò retulimus, pronunciat immediatè postquam dixit, *Omnes baptizatos posse, Christi auxiliante gratiâ, implere omnia ad salutem necessaria.* Id nimirum confirmans ex eo, quòd nullus eorum diuinâ potestate est irreuocabiliter prædestinatus ad interitum. Et Tridentinum loquitur de hominibus qui de præsenti vocantur, gratiámque accipiunt, vel non accipiunt: quos negat ideò non accipere, quia ad malum diuinâ potestate sint prædestinati. 27.

Præterea, falsò dixerit Apostolus Rom.8. ver. 1. Nihil esse damnationis iis qui sunt in Christo Iesu. Nam quicunque iustificantur, sunt in Christo Iesu, illique inseruntur tanquam viua illius membra, vt ait Tridentinum sess. 6. cap. 16. Plurimum autem damnationis in illis est, si sunt adhuc pro statu præsenti ad æternam damnationem adstricti, decreto Dei irreuocabili; deletique in perpetuum de libro vitæ, & libro mortis æternæ inscripti. Item, falsum erit quod idem Concilium affirmat capite 7. sessionis citatæ, finalem causam iustificationis esse vitam æternam: & quicunque iustificantur, adoptari in filios Dei, & hæredes fieri vitæ æternæ, vngíque & signari spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, &c. & veram, ac Christianam iustitiam accipientes, ceu primam stolam, pro illa quam Adam suâ inobedientiâ sibi, & nobis perdidit, iuberi statim eam conseruare candidam & immaculatam, vt eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam. Falsum etiam erit quod docet eadem sessione sexta, capite 14. Pœnam æternam cum culpa remitti: si in iustificatis non perseueraturis manet reatus pœnæ æternæ propter peccatum originale, cuius culpa per baptismum deleta est. Multóque magis falsum erit, quod addit ibidem Tridentinum, Totam pœnam, non modò æternam, sed etiam temporalem alterius vitæ, deleri per baptismum. 28. *Iterúmque Apostolo, & Tridentino.*

29. *Et Florentino.* Falsum pariter erit, quod ait Florentinum in literis vnionis, illorum animas qui post baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est. Nimirum quia per baptismum remittitur tota culpa & pœna: vt clariùs dicit in decreto Eugenij, affirmans effectum baptismi esse remissionem omnis culpæ originalis, & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur: proptereàque baptizatis nullam pro peccatis præteritis iniungendam esse satisfactionem; sed morientes antequam aliquam culpam committant, statim ad regnum cælorum, & Dei visionem peruenire. Confert autem baptismus hunc effectum generaliter omnibus non ponentibus obicem; déque illo, & aliis Sacramentis Ecclesiæ, Tridentinum ita pronunciat sess. 7. can. 7. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.* Si autem peccatum originale penitus remittitur quoad culpam, & quoad pœnam, vt affirmant Tridentinum, & Florentinum locis citatis; non est causa reprobationis eorum, quibus per baptismum remissum fuit. Quia quod est causa reprobationis, est causa pœnæ æternæ: & vice versa, quod non est causa pœnæ æternæ, non est causa reprobationis.

30. *Refellitur inepta enasio.* Dicere verò, Deum non illos liberare è massa damnationis per baptismum, quia sicut qui in puteum cecidit, & ab alio gratis liberari debet, non est liberatus dum ei funis datur, & extrahi ex parte cœpit, si propriâ malitiâ, vel infirmitate, ex casu voluntario contractâ relabatur: ita nec ille à massa perditionis discretus est, qui tantummodo peccati remissione, decernitur purgandus; sed qui pœnarum omnium abolitione iustificandus, id est, à morte æterna tandem liberandus. Hoc, inquam, præter superiora incommoda, hoc verum addit absurdissimum, quòd Deum facit miserabiliter ludificare huiusmodi iustificatos non-perseueraturos: qui cùm non suâ culpâ, sed alienâ, nempe Adami, in puteum illum massæ perditionis ceciderint; neque ab illo extrahi possint, & omnino emergere, nisi per auxilium gratiæ, quo perseuerent in iustitia per baptismum acceptâ: negat illis Deus huiusmodi auxilium: & licèt extrahat secundùm quid per baptismum, vel etiam per aliquod auxilium gratiæ, quod præterea illis interdum suppeditat: perinde tamen facit, atque ille, qui de industria funem breuiorem lapso in puteum porrigeret, quo penitùs extrahi non posset, sed consultò relabi sineretur: quíque solùm valeret ad aliquem conatum exeundi, sed ita vt necessariò sit illi relabendum, & moriendum in puteo. Nam ille, Dei sententiâ positiuâ, vt vult Iansenius, propter solum peccatum originale addictus est irreuocabiliter morti æternæ: cuius sententiæ executioni Deus inuigilare debet, eámque ad suum effectum perducere.

31. *Altera enasio refutatur.* Neque satisfacit, quod respondet Iansenius, non esse Deo inuigilandum, & præcauendum ne fiat id, quod fieri non potest. Nemo autem potest saluari sine gratia: sufficit ergo vt non det gratiam perseuerantiæ non prædestinatis, sine alia præcautione positiua excludente à salute. Nam præterquàm quòd absurdum est dicere Deum non dare iustificatis auxilium sufficiens ad perseuerantiam, quam præcipit: ídque apertè repugnat Arausicano & Tridentino locis suprà citatis: Ad hoc vt iustificatus moriatur in statu gratiæ, occisus repentè & improuisò in somno, vel aliter; non est opus nouâ gratiâ, sed prouidentiâ Dei permissiuâ, quâ sinat inimicum ei vitam eripere, vel ruinam domus non impediat, & alia vitæ pericula bonis & malis communia, quæ nisi Deus impediret, contingerent alicui iustificato non prædestinato, & Dei decretum infringerent.

Ineptum verò est quod insinuat aduersarius, iustificatos illos relabi propriâ malitiâ, vel infirmitate ex casu voluntario contractâ. Nam vera causa cur relabantur, & non penitùs extrahantur, est defectus gratiæ sufficientis, iuxta Iansenium: & causa huius defectus est decretum Dei antecedens, quo noluit eos omnino extrahere: vi cuius decreti negat illis auxilium necessarium vt penitùs extrahantur: atque ita ex illo ac vi illius sequitur ineuitabiliter eorum damnatio. Quare non relabuntur propriâ malitiâ voluntariâ & liberâ, quam vitare potuerint, & non relabi: neque infirmitate casu voluntario contractâ, quâ potuerint liberari, si voluissent, & casum impedire. Nam destituti auxilio sufficienti, & necessario ad non peccandum, non possunt non peccare, & non cadere. Destituuntur autem vi decreti antecedentis de illis relinquendis in massa perditionis. Ideóque decretum illud est vera, & prima, & adæquata causa relapsus ad quem eos necessitat: & si quæ aliæ concurrunt, illæ vi decreti sequuntur necessariò, & cooperantur ad æternam eorum damnationem. 32.

33. *Alia incommoda eiusdem sententiæ.* Omitto alia plurima, & grauissima incommoda, quibus premitur hæc postrema pars sententiæ Iansenij, quæque fusiùs alibi exposuit Martinonus 1. p. disp. 19. sect. 5. & 6. Vt, quòd hæc doctrina non conueniat cum promissionibus Dei generalibus, quibus omnes homines inducit, & hortatur ad seruanda mandata sub spe vitæ æternæ consequendæ: neque generalibus comminationibus, quibus omnes deterret ab opposito, metu incurrendi damnationem. *Promissiones & comminationes generales reddit illusorias.* Nam promissiones illæ in sensu vero, quem solū Deus intendere potest, vanæ sunt & simulatoriæ respectu omnium relictorum in massa perditionis antecedenter ex solo Dei beneplacito: & comminationes pariter vanæ sunt respectu aliorum, quos ex illa secreuit efficaciter: quippe quos impossibile est incurrere damnationem, vi decreti quo Deus antecedenter eos secreuit. *Et Christi inuitationes.* Neque minùs vanæ erunt illæ Christi inuitationes, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. ver. 28. *Exite in vias & sepes, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias*, Luc. 14. ver. 21. & 23. *Et Deum facit insidiari saluti aliquorum.* Sequitur quoque ex illa sententia quòd teneatur Deus vitare, aut impedire occasiones, quibus miseri illi, in massa damnata relicti, & ad pœnas æternas irreuocabiliter destinati, possunt iustificari ante mortem, & mori in statu gratiæ: ne alioquin causæ naturales, aut liberæ, quæ ignorant

tale Dei decretum, aliquos eiusmodi iam baptisatos vel aliter iustificatos perimant antequam sint in peccatum mortale relapsi: quod est dicere Deum insidiari eorum saluti, & quodammodo procurare vt cadant. Quàm ergo simulatorium, aut potiùs falsum erit illud Ezech. 18. ver. 23. *Viuo ego, dicit Dominus, nolò mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* & cap. 33. ver. 11. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur,* &c. Et quod ait Trid. sess. 6. cap. 11. Deum neminem iustificatorum deserere, nisi priùs ab eo deseratur: & vnumquemque illorum certò sperare debere auxilium ad perseuerandum sibi non defuturum, vt addit cap. 13.

34. *Et extinguit zelum animarum.* Non leue præterea incommodum est, quod hæc sententia extinguit zelum salutis propriæ, & proximorum procurandæ. Qui enim veram esse credit, potest ita ratiocinari de seipso, & de quouis alio: Vel fui secretus antecedenti Dei decreto ex massa damnata Adami, vel non. Si primum: saluabor necessariò: & si oportet me ad id conari, Deus me necessariò ad hunc conatum adiget. Quid ergo est opus vt ad illum me excitem, aut sollicitus sim de euentu necessario, & ineuitabili? Sin autem contrà, relictus fui in massa damnata: quid mihi proderit conari vt effugiam euentum ineuitabilem, & necessariò secuturum vi huius derelictionis? Præcipuè verò, cùm ad conandum necessarium mihi sit auxilium gratiæ: quod si adest, non possum non conari: quippe quod nullum datur in hoc statu naturæ lapsæ, iuxta doctrinam aduersariorum, ad hoc sufficiens, nisi efficax & necessitans: quódque detur, vel non detur, refundendum est tandem in purum Dei beneplacitum, quo decreuit me mouere efficaciter ad hanc voluntatem. Quomodo denique Christus vult omnes adultos Eucharistiam accipere, quam dicit eo fine se dedisse, vt si quis hunc panem cælestem manducauerit, non moriatur in æternum: si fixo, & irreuocabili decreto antecedenti reliquit in massa damnationis plerosque Eucharistiæ participantes: quotquot scilicet inter illos sunt non-perseueraturi? Quæ & alia multa falsitatem huius sententiæ manifestè detegentia fusiùs exposuit, & contra Iansenij euasiones satis præmuniuit auctor suprà nominatus eadem disp. 19. sect. 5. & 6. vt facilè patebit legenti & conferenti cum illis quæ respondet Iansenius lib. 10. de Gratia Christi cap. 6. & seqq. quibus incommoda illa vitare, aut potiùs dissimulare conatur.

SECTIO VI.

Exponuntur Scripturæ testimonia ab aduersariis obiecta.

35. *Opponitur locus Marc. 13. & Mat. 24.* EA breuiter perstringit Iansenius cap. 16. lib. 9. de Gratia Christi Saluatoris. Primum sumitur ex Marci 13. ver. 20. *Nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro. Sed propter electos, quos elegit, breuiabit dies.* Cui simile est illud Matth. cap. 24. ver 22. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur.* Vbi notant assertores sententiæ contrariæ, sermonem esse de electis efficaciter, & antecedenter ad præuisionem perseuerantiæ: quippe quorum electio efficax est causa cur detur illis perseuerantia, breuienturque dies persecutionis, vt perseuerent, & salutem consequantur: ne alioqui, vt addit Matthæus, *in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ex quo loquendi modo (*si fieri potest*) colligunt electionem illam antecedentem esse infallibilem, & non posse frustrari effectu. Colligunt præterea assertores physicæ prædeterminationis, & gratiæ necessitantis, media quæ dantur electis ad perseuerandum, esse tantæ efficaciæ, vt effectu carere nequeant.

Respondeo primò, sermonem ibi esse de excidio Ierosolymitano, non de consummatione sæculi, de qua posteà Christus sermonem facit. Nã de duobus interrogatus à discipulis, nempe de vrbis excidio, & de aduẽtu suo, *Dic nobis quando hæc erunt* (quæ dixisti de euersione templi, & vrbis) & quod *signum aduentus tui*, in consummatione sæculi: respondet distinctè, & separatim, eodémque ordine vtrique interrogationi. Priori scilicet, verbis suprà relatis in obiectione, prout à Marco & Matth. referuntur. Posteriori, cùm postea subiungit apud Marcũ cap. cit. ver. 24. *In illis diebus post tribulationem illam*, id est, post excidium Ierosolymitanum, *Sol contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum, & stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes quæ in cælis sunt mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria,* &c. Quibus similia refert Matthęus cap. cit. ver. 29. & seqq. Atque ita locum vtrumque exponunt Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Anselmus, & alij, quos citant & sequuntur Salmeron, & Cornelius à Lapide ad eundem locũ Matthæi, Abulensis ibidem q. 128. Stapleton in Antidot. Euang. in Matth. cap. cit. ver. 22. & Iansenius Gandauensis in Concordia cap. 122. 36. *Sermo ibi est de excidio Ierosol.*

37. Sensus ergo est, tantam fore calamitatem Iudæorum à Romanis inferendam; vt si diutiùs perseueraret, nullus eorum euaderet; sed Deum citiùs finem illi impositurum propter electos, id est, paucos illos fideles, & iustos, qui inter eos erant: siue intuitu precum quibus hoc ipsi à Deo flagitabunt; siue ex suo mero beneplacito, propter quod Deus iustis, & amicis suis ac filiis multa confert beneficia spiritualia, & temporalia; atque etiam aliis, licèt indignis, in gratiam ipsorum. Illud autem (*si fieri potest, &c.*) non aliud sibi vult, nisi tantam fore vim persecutionis, & præstigiorum, seu falsorum miraculorum à falsis prophetis tunc temporis edendorũ; vt magnum deceptionis & erroris periculum incursuri essent, si diutiùs illa duraret, fideles & iusti illius temporis, electi inchoatiuè ad gloriam, aut etiam completè, suppositâ perseuerantiâ: quâ præsuppositâ vt futurâ, & à Deo præscitâ, non erat possibile eos deficere; quia non potest esse futurum simul & non futurum, id quod præscitur à Deo esse futurum, & præscitur quia futurum est. Vel etiam hac particula (*si fieri potest*) significatur moralis impossibilitas inducendi in errorem fideles illos, tot tantísque documentis & miraculis à Christo ipso, vel ab eius Apostolis, & discipulis contra errorem præmunitos.

38. *Altera expositio de cõsummatione sæculi, non prodest Iansenio.* Respondeo secundò, etiamsi demus verba citata loqui de consummatione sęculi, vt à nonnullis exponuntur, nihil ex illis validè colligi pro electione antecedenti & efficaci, quam prętendunt aduersarij. Nam possunt facilè & commodè in

hunc sensum intelligi, quòd Deus dies Antichristi breuiabit, ne diutius sæuiat illius persecutio: siue motus precibus electorum, qui erunt tunc temporis: siue pro sua bona voluntate, & speciali erga illos prouidentia, ne succumbant, & inducantur in errorem & lapsum, si diutius illa persisteret. Hoc autem beneficium Deus illis æquè præstare potest, licèt tantùm consequenter ex præuisione operum, & perseuerantiæ eos ad gloriam efficaciter destinauerit, & per media ab eorum libertate pendentia eò perducere decreuerit. Neque obest particula (*si fieri potest.*) Nam potest facilè intelligi de impossibilitate consequente, vt suprà dixi: & potiùs nocet intentioni aduersariorum. Si enim Deus perducit electos ad salutem per media necessitantia, & physicè prædeterminantia; nullum erat periculum vt inducerentur in errorem, & lapsum finalem, quamuis persecutio diuturnior grauiórque fuisset: quia non præualuisset contra media necessitantia, quibus voluntatem non consentire est prorsus impossibile. Nullũ autem periculum est vt eueniat quod est prorsus impossibile euenire.

39. *Secunda obiectio ex Luc. 12.* Secundum testimonium sumitur ex Luc. 12. ver. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Vbi per *pusillum gregem*, intelligi volunt electos, quorum numerus perexiguus est præ multitudine reproborum: & per *complacuit*, significari electionem antecedentem, seu dilectionem specialem erga illos ex mero Dei beneplacito: illámque esse antecedenter efficacem colligunt ex eo, quòd Christus illam proponat tanquam motiuum excitandæ fiduciæ de speciali illius prouidentia erga tales electos.

40. *Non loquitur de solis electis.* Respondeo non constare id, quod tanquam certum supponunt aduersarij, Christum scilicet hæc verba ad solos electos dirigere. Licèt enim Bedæ ita videatur: alij tamen censent dirigi potiùs ad omnes & solos Apostolos & discipulos, quos tunc Christus coram alloquebatur. Inter quos erat Iudas, qui certè non erat efficaciter electus ad gloriam. Alij verò, quod probabilius est, censent dirigi ad omnes fideles qui tunc erant, aut futuri erant: quia ad illos omnes diriguntur verba Christi immediatè præcedentia, quibus Christus eos hortatur ad deponendam nimiam sollicitudinem rerum temporalium, suámque fiduciam in Deo collocandam. Ad quod persuadendũ addit tanquam motiuum aptissimum, non esse illis timendum ne Deus illis non prouideat sufficienter de temporalibus, quandoquidem ei placuit dare illis regnum cælorum, quod infinitè maius est. Verùm, sicut non placuit Deo dare fidelibus, aut decernere efficaciter bona temporalia absolutè, & independenter ab illorum cura moderata, & diligentia in illis procurandis, & prudenter comparandis, aut conseruandis: ita neque regnum cælorum efficaciter illis destinauit independenter ab eorum cooperatione, & vsu mediorum ad hoc sibi oblatorum: ob cuius defectum certum est aliquos fidelium finem à Deo intentum non assequi: sicut etiam sunt inter eos, qui propter suam socordiam, vel imprudentiam, carent rebus temporalibus necessariis. Atque ita hunc locum exponunt Euthymius, Maldonatus, & plures alij. Sic autem manifestum est malè aduersarios colligere ex verbo *complacuit*, antecedentem, & efficacem voluntatem dandi regnum cælorum illis omnibus, quos Christus his verbis alloquitur.

Tertium testimonium sumitur ex Ioan. 10. ver. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, &c. & non rapiet eas quisquam de manu mea. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: & vocem meam audient.* Vbi per *oues*, intelligi volunt prædestinatos, siue electos efficaciter ad gloriam: quippe de quibus solis verum est, *non rapiet eas quisquam de manu mea*; id est, non peribunt in æternum, vt Christus ibidem affirmat. Et hanc electionem antecedentem fuisse dicunt, quia est causa cur Deus ita vocet vt audiant: vocatione scilicet efficaci, & necessitante ac prædeterminante ad consensum: vt significant hæc verba, *& vocem meam audient:* contrà quàm dicitur de reprobis, *vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* 41. *Tertia obiectio ex Ioan. 10.*

Respondeo primò, Christum his verbis reprehendere Iudæos, quòd sibi non crederent, non ideò quia non erant efficaciter electi ad gloriam: quasi verò nullus credat nisi ad gloriam efficaciter electus: (quod dicere hæreticum est, multi enim credunt qui non saluantur defectu bonorum operum, & perseuerantiæ) sed quia non erant de ouibus suis, id est, de illis qui ouina docilitate & tractabilitate audiunt verbum Dei, neque resistunt malo & obstinato animo vocationi diuinæ. Nam vt rectè Maldonatus, & Martinonus exponunt: Christus Iudæis exprobrat quòd non essent ita comparati animo, vt sunt, & esse debent qui verbum Dei cum fructu audiunt. Quasi dicat: vos non creditis, quia duro & maligno estis animo. Vos non creditis, quia mihi vocanti non paretis ouinâ tractabilitate. Vos non creditis, quia malitiosè vocem meam contemnitis, & vocationem reiicitis: ac proinde non estis ex ouibus meis. *Oues enim meæ vocem meam audiunt,* id est, non reiiciunt malitiosè, sed respondent vocationi: *Et ego cognosco eas*, scientiâ approbationis: *& vitam æternam do eis*, nunc quidem in spe, & tandem reipsa si perseuerent in ouina docilitate. *Et non rapiet quisquam eas de manu mea*, id est, nemo potest illas mihi inuito eripere. Nulla earum peribit meâ culpâ, vel impotentiâ: quia nullus est me fortior, qui eas mihi inuito rapere valeat: sed si pereunt, suâ ipsarum culpâ & voluntate peribunt, quia me sequi desinent. Sunt enim illa verba intelligẽda quantum est ex parte Christi, & Dei: non verò absolutè, & sine conditione perseuerantiæ. Sicut & ista Ioan. 3. ver. 16. *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* & ista Philip. 1. ver. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet,* quantum est ex parte Dei scilicet, & nisi ipsi desint eius auxilio, vt exponit Trident. sess. 6. cap. 13. 42. *Quid per oues ibi intelligatur?*

Respondeo secundò, quamuis illa Christi verba deberent intelligi de prædestinatis absolutè & efficaciter, vt Augustino visum est tract. 48. in Ioannem, non propterea bene ex illis colligeretur fuisse illos prædestinatos antecedenter ad præuisionem operum. Nam possunt facilè intelligi de prædestinatis consequenter: ita vt sensus sit, Vos non creditis, quia non estis dociles, sed malitiosè & obstinatè resistitis vocationi, & verbum Dei contemnitis, propterque huiusmo- 43. *Altera expositio de prædestinatis non prodest Iansenio.*

di obstinationem peribitis. Contrà verò, qui vocem meam ouina tractabilitate audiunt, & sequuntur, sunt idcirco de ouibus meis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea, sed mecum erunt in æternum, propterea quòd ouina illa facilitate & fidelitate vocem meam audientes, & ductum sequentes, ad ouile cæleste peruenient. Quem sensum tradit inter alios Toletus in cap. 10. Ioannis, annot. 16. nihilque habet Augustinus in tractatu citato, quod facilè nequeat illi accommodari.

44. *Quarta obiectio ex Rom. 8.* Quartum testimonium sumitur ex cap. 8. epist. ad Rom. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, &c. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, illos & glorificauit.* Vnde colligunt aduersarij habere Deum speciale propositum saluandi aliquos, electos scilicet: illudque antecedens & efficax, quia est causa cur ita vocentur vt sequatur infallibiliter iustificatio, & glorificatio: quia scilicet vocantur per gratiā necessitantem, & physicè prædeterminantem, vt volunt Iansenius & Thomistæ; vel per media congrua, electa & data vi specialis illius propositi, siue intentionis efficacis eos glorificandi, vt volunt prædefinientes.

45. *Paulus loquitur conditionatè.* Respondeo sensum Apostoli esse, quòd diligentibus Deum, si operantur vt tales, & in dilectione permanent, omnia cooperantur in bonum, etiam tribulationes & persecutiones, de quibus ibi specialiter sermo est; quódque iidem vocati sint sancti, id est, vocati ad sanctitatem, aut etiam sanctificati, secundùm propositum quo Deus, vt ait idem Apostolus 1. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: vult, inquam, voluntate beneplaciti, & efficaci eo vsque, vt eum moueat ad danda illis media sufficientia: non tamen absolutè & simpliciter efficaci, sed conditionata, si nimirum vtantur auxiliis sibi datis, & mediis ad salutem consequendam necessariis. *Quos autem præsciuit* illis bene vsuros, eos *& prædestinauit conformes fieri* (in gloria) *imaginis filij sui. Et quos vocauit, hos & iustificauit*, si consenserunt vocationi. *Quos iustificauit, illos & glorificauit*, si in iustitia accepta perseuerarunt, vel in ea decesserunt, quod certum est non omnibus iustis contingere. Nam quidam ex illis excidunt à iustitia, & malè vitam finiunt. Sicut neque omnes vocati secundùm propositum, quod Deus habet omnes saluandi, respondent vocationi, ita vt iustificentur. Sic inter alios locum illum exponunt Origenes, Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosiaster, Theodoretus, Theophylactus ad caput Apostoli citatum, & Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. vbi sic habet: *Quos præsciuit, hos & prædestinauit: quia non antè prædestinauit, quàm præsciuit: sed quorum merita præsciuit eorum præmia prædestinauit.* Similique modo exponendum est quod addit Iansenius ex cap. 11. epistolæ citatæ, *Non repulit Deus plebem quam præsciuit.*



SECTIO VII.

Explicantur alia Scripturæ testimonia.

QVINTVM testimonium petitur ex c. 1. vers. 4. epist. ad Ephesios: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in caritate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, secundùm propositum voluntatis suæ.* Vbi expendunt quod ait, *secundùm propositum*; non autem, secundùm opera: quódque addit, *vt essemus sancti*; non autem, quia eramus. Quo significatur sanctitatem non esse causam electionis, sed electionem esse causam sanctitatis. 46. *Quinta obiectio ex Ephes. 1.*

47. *Quo sensu Deus elegit nos vt essemus sancti.* Respondeo, quod ait Paulus, *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati*, posse optimè intelligi de electione ad fidem, & iustificationem, quæ est sanctitas vitæ præsentis, & per quā à peccatorum maculis emundamur. Eodémque sensu potest accipi quod addit, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum*, &c. potest, inquam, intelligi de prædestinatione ad iustificationem, per quam accipimus adoptionem filiorum Dei: quæ nobis datur *secundùm propositum voluntatis Dei*. Græcè εὐδοκίαν, id est, beneplacitum, seu bonam voluntatem, quâ generaliter voluit omnes ad fidem & iustitiā vocare per Iesum Christum, & per eundem iustificare, & adoptare in filios, eos omnes qui vocationi consentiunt: vt exponūt D. Aug. lib. de prædest. Sanct. c. 19. Hier. in Commentario eiusdem loci, Cornelius à Lapide ibidem, & plures alij. Ad illam autem sanctitatem, seu iustificationem nos elegit consequenter ad præuisum consensum vocationi datum, vel vsum mediorum ad eam prærequisitorum: id est, elegit nos vt essemus sancti, & sanctitatē, munditiémque à peccati maculis nobis reipsa dedit, quia eius gratiâ vocati, & præuenti, ductum illius secuti sumus: quod multi alij, licèt à Deo vocati, nō fecerunt: ideóque non sunt electi efficaciter ad idem gratiæ beneficium. Similique modo, si, vt volunt aduersarij, sermo ibi esset de sanctitate perfecta, & consummata in æterna gloria; posset ac deberet intelligi quòd Deus nos ad eā elegit consequenter & dependenter à præsciētia nostræ cooperationis cū auxiliis gratiæ, & boni vsus mediorū, ac perseuerantiæ vsque in finem: cuius defectu plures alij nō sunt electi efficaciter ad eādē sanctitatē consūmatā, sed à cœlesti regno exclusi.

48. *Sexta obiectio. 1. Ioan. 2.* Sextum testimonium petitur ex epist. 1. Ioan. 2. *Prodierunt ex nobis quia non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*: id est, si fuissent de numero prædestinatorum, mansissent vtique nobiscum qui de numero illorum sumus. Verùm quia non erant de illo numero, *prodierunt* à nobis, id est, non permanserunt nobiscum in fide & iustitia.

49. *Exponitur illud. Exierunt à nobis, quia non erant ex nobis.* Respondeo sensum illius loci esse, vt rectè exponit Cornelius ibidem, non erant veri, genuini, & solidi Christiani, quales nos sumus per Dei gratiam: quia non habebant virtutem & constantiam Christianam: ideóque à nobis, id est à fide Christiana defecerūt: nā si tales fuissent, vtique nobiscū, id est, in fide stabiles permansissent. *Tentatio*, inquit Augustinus in illum locum, *probat quia non sunt ex nobis*, id est, stabiles in fide, & solidè Christiani. *Quando illis tentatio venerit, ve-*

lut occasione venti volant foras, quia grana non erant, sed paleæ, id est leues, & inconstantes in fide. Quódque exierint propriâ voluntate, non autem ex necessitate inducta per defectum gratiæ sufficientis ad permanendum, propter reprobationem antecedentem, vt vult Iansenius, patet ex his quæ addit idem Augustinus: *De voluntate sua vnusquisque aut Antichristus est, aut in Christo est: aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est, Qui autem in malitia permanet, humor malus est, & quando exierit, releuabuntur qui premebantur.* Simili modo loquendi 1. Machab. 5. ver. 62. de Iosepho & Azaria, æmulis Iudę Machabæi, dicitur: *Ipsi autem non erant ex semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël.* Quasi diceret, Ipsi non erant Machabæi: non habebant indolem, prudentiam, fortitudinem, & opem Dei, quam habebant Iudas & fratres eius: vnde Israëlem non saluauerunt, sed perdiderunt.

50. Respondeo secundò, licèt particula, *quia non erant ex nobis*, intelligenda esset de prædestinatis, & electis efficaciter ad gloriam, vt vult August. lib. de bono perseu. c. 8. intelligendum esse non in sensu causali; sed consecutionis & euentus, quòd exierint quia erant à Deo præsciti à fide casuri, & malè vitam finituri; atque idcirco in numero electorum non comprehensi. Nam quòd particula, *quia*, non sit accipienda causaliter, quasi reprobatio fuerit causa cur exciderint à fide, caruerintque auxilio necessario ad non cadendum, vt vult Iansenius, non est de mente D. August. vt testatur Prosper eius discipulus in respõsione ad obiectiones Vincentianas responsione 12. vbi sic ait: *Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati: si essent reuersuri, & in sanctitate, ac veritate mansuri: ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi.* Itaque ex mente D. Augustini, teste Prospero, reprobatio non est causa cur exeant, & pereant: sed exitus illorum voluntarius, est causa reprobationis.

51. *Septima obiectio ex Act. 13.* Septimum testimonium petitur ex Act. 13. ver. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, vbi volunt aduersarij sermonem esse de prædestinatione antecedenti, & efficaci: quippe quæ causa fuit cur infallibiliter crederent quotquot erant hoc modo præordinati: & nimirum vocarentur ad fidem speciali vocatione, propriâ electorum, necessitante & prædeterminante ad consensum, vt Iansenius vult: aut congruâ, & de industria selectâ vt tali, quemadmodum dicunt prædefinientes.

52. *Quomodo crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Respondeo primò vt suprà, verba illa posse accipi in sensu tantùm consecutionis, & minimè causali: quod nimirum Antiocheni illi, qui tunc Paulo crediderũt, fuerint omnes ad vitam æternam præordinati consequenter ad præuisum eorum consensum prædicationi Pauli datum, & bonum statum finalẽ. Secundò, per vocem, *præordinati*, non est necesse intelligere æternam Dei ordinationem circa illos, seu prædestinationem, vt volunt aduersarij: sed iuxta Græcum τεταγμένοι, id est, ordinati, dispositi, apti, affecti, potest intelligi ipsorummet voluntaria ordinatio, seu bona dispositio per auxilium gratiæ ad fidem concipiendam, antecedens ad vitæ æternæ consecutionem, ad ipsámque etiam fidem, seu consensum prædicationi Apostoli exhibitum: propter quam antecessionem vulgatus interpres vertit præordinati. Similísque dispositionis defectum, seu pij affectus credulitatis, & præordinationis voluntariæ ad fidem & vitam æternam, exprobrat Apostolus eodem c. ver. 46. Iudæis resistentibus, & malignè contradicentibus prædicationi: sic dicens, *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce cõuertimur ad Gentes.* Plura de eiusmodi testimoniis, & nonnullis aliis quæ prætermisit Iansenius, præcipuè ex c. 9. ad Rom. opponi solitis, videri poterunt apud Martinonum tom. disp. 19. tota sect. 7. vbi etiam breuem totius illius capitis, in quo vim maximè faciunt aduersarij, expositionem tradit: de eodémque dicemus inferiùs sect. 13.

Frustrà verò contra prædictas expositiones opponit Iansenius lib. 9. de Grat. Christi Saluat. cap. 16. electionem & prędestinationem, à qua quispiam electus & prędestinatus dicitur, non posse esse incompletam, sed completam tantùm. Nemo enim, inquit, nec ab Augustino, nec à Scripturis, nec ab Ecclesia vnquam vocatus est, aut vocari debet electus aut prædestinatus, nisi qui sic ad gratiam & fidem eligitur, vt simul etiã ad perseuerantiam & gloriam eligatur. Ratio est, quia, inquit, vnus est actus Dei quo cuipiam salus tota per gratiam Dei acquirenda, & largienda decernitur: vsque adeò vt si tantùm gratiam ei largiri constituerit, non electus ille aut prædestinatus, aut secundùm propositum Dei vocatus, sed reprobatus potiùs nuncupandus sit. Et quamuis effectus prædestinationis, & electionis, & propositi incompletus esse possit: nunquam tamen electio ipsa aut prædestinatio incompleta esse potest, aut vocari debet; quia esse incompletum respectu salutis, alienat vocabulum electionis & prędestinationis, vt ab ea non possit absolutè prędestinatus aut electus dici, sed tantùm cum particula restringente electus aut prædestinatus ad fidem, ad iustitiam. Ex quo efficitur è contrario, vt iuxta S. Augustini mentem prædestinatio, electio, & propositum vocationis, nusquam in Scripturis pro prædestinatione & electione incompleta sumatur. 53. *Negat Iansenius prædestinationẽ sumi incompletè.*

Ad quæ respondeo Iansenium, dum hæc scriberet, non satis memorem fuisse eorum quæ dixerat c. 2. eiusdem libri, quæque referre sufficiet ad refellendam obiectionem propositam. Docet enim prędestinationem *prout de illa Scriptura, & S. Patres locuti sunt, non minùs esse de gloria Sanctorum, quàm de sanctitate: hoc est, non minùs esse de meritis liberationis, quàm de præmio eius, &c. Tam enim est necessarium vt Deus decernat, ac prædefiniat vnum dare, quàm alterum. Neutrum enim quisquam suis viribus sibi comparare aut obtinere potest, sed vtrumque est opus & munus Dei, gratia & gloria, meritum & præmiũ, medium & finis: & consequenter vtrumque prædestinatum, iuxta illud,* gratiã & gloriam dabit Dominus; *& illud Augustini generaliter de donis & beneficiis Dei, lib. de dono perseu. c. 17.* Si dantur à Deo, & ea se datutũ esse pręsciuit, profectò prędestinauit: *quod toto eodem lib. de quibuslibet donis Dei instanter inculcat.* Addit Iansenius paulò pòst, nullam in scriptis D. Aug. dubitationem esse posse, quin de operibus bonis seu gratia idem asserat. *Nam præterquàm quòd ex professo totis libris de prædestinatione ac de dono per-* 54. *Oppositum probatur ex ipsomet.*

seuerantia docet fidem, ipsúmque credere, & conuerti ad Deum, itémque perseuerare, ac bene operari, esse opera ac dona Dei, ab ipso homini prædestinata & collata: disertis verbis dicit, inter gratiam & prædestinationem hoc tantùm interesse, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò, ipsa donatio. Itémque gratia est prædestinationis effectus. *Vnde illud sexcenties in eius libris repetitum*, prædestinatione ea Deus præsciuit, quæ fuerat ipse facturus. *Quid verò est quod Deus in hominibus facit in hac vita tota, nisi gratiam, & per gratiam bona opera?* Ideóque c. 17. lib. de dono perseuerantiæ *generaliter aduersus Massilienses de omnibus diuinæ gratiæ donis loquens, per quæ in operibus bonis ab exordio vitæ bonæ in finem vsque ambulamus, sic ait*: an fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo. Anteà se daturum esse nesciuit. Quòd si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit. *Quam doctrinam* (inquit Iansenius consequenter) *ex Apostolo hausit, qui clarè dicit*, Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei, Ephes. 1. &, Loquimur sapientiam Dei, quam prædestinauit: 1. Cor. 2. &, Qui prædestinatus est Filius Dei: Rom. 1. Quæ verba expendens August. c. 15. lib. proximè citati, *Prædestinatus est ergo Iesus* (inquit) *vt qui secundùm carnem futurus erat filius Dauid, esset tamen in virtute Filius Dei; &c. Prædestinata est ista natura humana tanta, & tam celsa, & summa prouectio, &c. sicut ergo prædestinatus est ille vnus vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus vt membra eius essemus.* Et Ananias de Paulo ad credendum, noscendúmque Christum prædestinato, *Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius.* Huc vsque Iansenius, hæc omnia Scripturæ & Augustini loca proferens, vt probet nomẽ *prædestinationis, & prædestinati*, dici etiam de gratia & aliis donis hac in vita collatis, de fide, de adoptione in filios Dei & membra Christi, quæ fit per iustificationem, de bonis operibus, &c. ac non tantùm de gloria, de qua idem distinctè probat §. sequenti.

55. Euidenter ergo falsum est, vel ipso iudice, quod suprà dixit: *Iuxta S. Augustini mentem prædestinationem, electionem, & propositum voluntatis*, nusquam in Scripturis pro prædestinatione & electione incompleta sumi: quandoquidem, iuxta S. Augustini mentem, sumitur locis citatis pro prædestinatione ad fidem, ad iustificationem, ad bona opera, etiam seorsim, & nulla facta mentione gloriæ, adeóque pro prædestinatione incompleta. Sed vt frequenter monuimus, non est insolens huic auctori parum cohærenter loqui: vt facit etiam cap. 14. & cap. 15. eiusdem lib. 9. Nam priori loco dicit aliquantò post initium capitis, prędestinationem Angelorum futuram valde temerariam, si Deus absolutè eos prædestinasset ante præuisionem meritorum, & non destinasset dare illis merita (id est, gratiam necessitantem ad merendum & perseuerandum) vt nullis dedit. Posteriore loco, §. *Sed meritò*, dicit numerum prædestinatorum decreto ex se (id est, non ex præuisione operum, sed antecedenter) à Deo cõcepto definiri potuisse, (adeóque certum & non temerarium esse potuisse) quamuis per solos illos, quos adiutorio *sine quo non*, libera voluntate cooperaturos esse cerneret, impleretur; adeóque per auxilia *sine quibus non*, id est, non necessitantia, sed à libero motu voluntatis pendentia quoad vsum vel non vsum. Nullum ergo periculum temeritatis fuisset, quamuis Angeli fuissent eo modo à Deo prædestinati.

Nullius quoque momenti est ratio, quâ probare intendit prædestinationem non posse incompletè sumi: quia nimirum *prædestinatio vnus est actus Dei, quo cuipiam salus tota per gratiam Dei acquirenda & largienda decernitur.* Nã licèt actus ille sit realiter vnus: est tamen virtualiter multiplex, id est, multis æquiualens, & diuersa ratione tendens in obiecta: ex quo fit vt de illo, tanquam de multis loquamur: idémque præstat reipsa in ordine ad obiecta, ac si multiplex esset. Quare licèt adæquatè sumptus tendat simul in gratiam, & gloriam: Scriptura tamen loquitur de illo interdum prout tendit in gratiam, præscindendo ab eo quòd simul tendat in gloriam: vt patet ex locis suprà relatis. Imò non semper, & respectu omnium tendit efficaciter in vtrumque. Multis enim Deus decernit efficaciter iustificationẽ & gratiam, quibus non decreuit gloriam, defectu perseuerantiæ: ac proinde illi fuerunt incompletè prædestinati ad gratiam, non autem completè simul ad gloriam. 56. *Soluitur eius argumentum.*

Frustrà denique opponit c. 16. vocem *electos*, manifestè sumi pro electis ad gloriam Marci 13. ver. 27. vbi dicitur, *Tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, &c.* vt probet eodem sensu debere necessariò accipi, quando dicit versu 20. *Sed propter electos breuiabit dies.* Quasi verò Scriptura non interdum eodem capite, imò & eodem versu, eandem vocem diuersimodè accipiat. Vt Psal. 81. ver. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum*: id est, iudicum. & 2. Cor. 5. ver. vlt. *Eum qui non nouerat peccatum*, id est, culpam, *pro nobis peccatum fecit*, id est, hostiam pro peccato. 57. *Vox, electi, variè sumitur in Scriptura.*

SECTIO VIII.

Soluuntur obiectiones ex libris D. Augustini deprompta.

Opponit primò Iansenius eodem lib. 9. c. 17. D. Aug. tametsi nusquam ex professo, sed tantùm obiter hac de difficultate disputauerit, diuersis tamen locis docere quòd quando Deus vult aliquem ad salutem, & regnum cælorum adducere; tantâ tunc efficaciâ hoc in hominum voluntatibus exequatur, vt nihil eum impedire possit quò minùs finem suum, quem obtinere voluit, assequatur. Vt cùm sic ait lib. de Corr. & gratia c. 14. *Deo volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium: Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Quibus verbis significat Augustinus, efficacem voluntatem saluandi, causam esse cur tantâ fortitudine omnia impedimenta dissipentur; & voluntates ipsæ, quantumuis pertinaces, torqueantur ad assequendum scopum Dei, qui est saluum facere. Propter quod addit paulò pòst: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quò minùs faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* 58. *Prima obiectio.*

59. *Quo sensu dicit August. neminem resistere Deo saluare volenti?* Respondeo primò, D. Augustinum eodem loco expresè dicere, non fieri quidquid Deus vult: cùm sic ait immediatè post verba primò relata: *De his enim, qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Quare cùm ait, Deum facere de hominum voluntatibus quidquid vult, non est intelligendus generaliter de eo omni quod vult quomodocumque: cùm Augustinus contrarium significet verbis proximè relatis: & manifestum sit Deum velle multa fieri ab hominibus, quæ non faciunt: quotiescunque scilicet prætermittunt implere eius præcepta. Debet ergo intelligi de voluntate efficaci & absoluta, vt patet ex verbis sequentibus: significat enim se loqui de illis quos Deus ita vult saluos fieri, vt saluentur reipsa. Quemadmodum, inquit, quod ait Scriptura, *Decimatis omne olus*, Luc. 11. intelligitur de eo quod habebant, & reipsa decimabāt. Et quod ait Paul. 1. Cor. 10. *Sicut & ego omnibus per omnia placeo,* nō intelligitur de persecutoribus, quibus reipsa non placebat. Hoc autem sensu verum est, quod ait Augustinus, Deo *absolutè & efficaciter* volenti saluare, nullum hominis arbitrium resistere, ex suppositione quòd ita velit. Quia licèt res pendeat ab hominum voluntate, potest Deus infallibiliter facere vt consentiant: quippe qui habet in thesauris suæ omnipotentię media, quibus præuidet fore vt consentiant infallibiliter, si ea det, & tali, vel tali modo præueniat hominum voluntatem. Atque ita si efficaciter & absolutè vult saluare aliquem, præsupposita & mediante correptione alterius, (qua de respeciatim ibi loquitur Augustinus, vt ex antecedentibus & consequentibus manifestum est) infallibiliter proderit illi correptio, & salus ex ea sequetur. Quēadmodum posito quòd Deus voluisset absolutè & efficaciter eligere Saülem & Dauidem in reges Israëlitarum (quibus exemplis ibidem vtitur Augustinus) tametsi id pendere voluit à voluntate populi, erat tamen infallibiliter illud futurum: quia Deus erat obtēturus infallibiliter eius consensum *omnipotentissimā suā volūtate cordium, quò placet, inclinandorum*: quippe qui *de ipsis etiam hominum voluntatibus facit quidquid vult* absolutè & efficaciter. Ideóque caput citatum ita concludit Augustinus, *Si ergo cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: quis alius facit vt salutaris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cælesti constituatur in regno?* Nullo autem modo affirmat Augustinus id quod intendit probare aduersarius, Deum ita velle salutem hominum, antecedenter, absolutè, & efficaciter; vt media quibus adultos ad illam perducit in hoc statu naturæ lapsæ, voluntatem necessitent: eóque sensu impossibile sit voluntatem illis resistere. Imò neque satis efficaciter ex eo colligitur Deum voluisse absoluta & efficaci voluntate, independenter à præuisione operum, saluare eos, quos perducit ad regnum cælorum: aut Dauid & Saülem elegisse in reges Israël, independenter à præuiso populi, & eorum ad quos pertinebat, consensu.

60. *Secunda obiectio.* Opponit secundò cap. 18. D. Aug. epist. 105. differentiam paruulorum, quorum aliqui baptizantur ante mortem, alij sine baptismo moriuntur, refundere in decretum Dei antecedens de eorum salute, vel damnatione: cùm sic ait: *Quam quæso allaturi sunt causam, quòd alius sic gubernatur, vt baptizatus hinc exeat: alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, exspiret?* Et paulò pòst: *Cur prouidentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cuius voluntate non cadit passer super terram,* &c. *non consulit omnibus paruulis filiorum suorum: & nonnullis consulit etiam paruulis impiorum?* Cui quæstioni sic respondet lib. 4. contra Iulian. c. 8. *Nouit Dominus qui sunt eius: & in eorum salute, atque in suum regnum introductione, certa eius voluntas est.* Et lib. 5. c. 4. (vt ipse malè citat) *Ex his, inquit, electis ante constitutionem mundi, nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim vt prædestinatus ad vitam sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam.*

Respondeo D. August. priore loco citato ex epist. 105. disputare contra Pelagianos, qui vt gratia daretur, volebant aliqua merita humana præcedere, ne Deus alioquin esset acceptor personarum. *Quid hìc dicturi sunt,* inquit, *qui vt gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt?* id est, viribus naturalibus facta, quorum intuitu gratia detur his potiùs, quàm illis. 61. *Quò referat Aug. differentiam paruulorum post baptismum aut sine illo morientium?* Contra quos ostendit hanc differentiam paruulorum non oriri ex ipsorum meritis: quippe qui nihil boni, vel mali operati sunt, & vtrique sunt originali peccato infecti, Indigni gratiâ, reíque damnationis æternæ: neque ipsi elegerunt parentes fideles, & diligentes in procurando sibi baptismo: vel è contrario infideles, aut negligentes. Neque etiam id prouenire ex meritis parentum: cùm plerumque contingat filios parentum fidelium, & iustorum, mori sine baptismo, morte conatum eorū præueniente; & filios infidelium, aut impiorum baptizari. Propter quod ait recurrendum esse ad altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, & admiranda iudicia eius inscrutabilia. Quę omnia vt vera sint, non est necesse Deum antecedenti decreto efficaci & absoluto voluisse hunc secernere ex massa perditionis: alterum relinquere: & ex hoc decreto sequi necessariò, quòd vnus baptizetur, alter non; vt contendit Iansenius: antecedenter, inquam, & à se, id est, ante præuisionem eorum quæ ex parte causarum secūdarum naturalium, aut liberarum futura erant: sed sufficit, quòd Deus præsciens ratione priùs quid futurum esset, si talem rerum seriem eligeret; nihilominus eam eligere, & euentum illum permittere voluerit, illóque præuiso vt futuro, consequenter vnum saluare, alterum in damnatione relinquere statuerit absolutè, & efficaciter. Estque sufficiens causa admirationis, quòd Deus præuidens ita futurum, hanc seriem rerum elegerit ex suo beneplacito, præ alia, in qua vterque salutem cōsecutus esset. Quanquam vt alibi dixi cum Prospero Augustini discipulo, lib. 2. de Vocat. Gent. c. 23. credendum potiùs est referendum esse ad culpam aliquam adultorum, quibus salus paruulorū commissa fuit, quòd eorum aliqui moriantur sine baptismo. Idem est sensus verborum Augustini lib. 4. contra Iulian. c. 8. quando propositā simili quæstione, refundit in Dei voluntatem, quòd tam multi paruuli moriuntur sine baptismo. Potest enim commodè intelligi de voluntate Dei, quatenus elegit pro suo beneplacito hanc seriem rerum, in qua per scientiam mediam cognouit ratione priùs fore vt vi aliarum causarum essent morituri sine baptismo. Ta-

metsi non decreuerit absolutè & efficaciter excludere illos à regno cælorum; nisi præuiso per scientiam visionis ratione post electionem seriei, fore absolutè vt moriantur sine baptismo. Quemadmodum positâ scientiâ contrariâ, vult absolutè & efficaciter saluare eos, quos præuidet esse baptismo potituros. Et secundùm illam *nouit Dominus qui sunt eius: & in eorum salute, & in regnum introductione, certa est voluntas eius.* Voluntas scilicet efficax & absoluta: de qua subinde dicit non esse intelligendum vniuersaliter illud Apost. 1. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*, &c. Sed *omnes*, positum esse pro *multis*. Verúmque est voluntatem illam absolutam & efficacem salutis hominum, non esse communem omnibus paruulis, aut adultis: ac neque etiam voluntatem eligendi seriem fauorabilem, id est de facto profuturam, & salutem allaturam. Ad quam voluntatem potest aliquo sensu referri antecedenter electio, & reprobatio; quatenus Deus pro suo mero beneplacito elegit vnis seriem profuturam, aliis non: cùm posset eligere oppositum, si voluisset: vt alibi exposuimus. Eodémque sensu verè dici potuit ab Augustino hos & illos paruulos mori sine baptismo, quia Deus voluit: id est, quia Deus talem seriem elegit pro suo beneplacito, in qua præuidit, & permittere voluit fore vt morerentur sine baptismo. Sed non ita vt vel alios elegerit absolutè, & efficaciter, vel istos reprobauerit, ante præuisionem absolutam euentus futuri, à libertate creaturarum pendentis. Nouit itaque Dominus qui sunt eius, consequenter ad præuisionem boni euentus futuri: & certam habet voluntatem eos saluandi: neque quisquam ex illis perit: neque iam sinit eos sine Sacramento Mediatoris hanc vitam finire: quia iam efficaciter, & absolutè vult: neque potest simul euenire contrarium eius quod præuisum est futurum.

62. *Tertia obiectio.* Opponit tertiò cap. 19. multa D. Augustini testimonia, quibus affirmat eos credere, qui ordinati sunt ad vitam æternam, vt ait epist. 107. & iisdem dari perseuerantiam, & proficere correptiones, vt ait lib. de Corrept. & gratia cap. 6. 9. & 14. ac denique discretionem illam antecedentem ex massa perditionis, esse causam cur vniuersa Deus torqueat, siue bona, siue mala, in salutem eorum quos elegit: videlicet vt per quascumque prosperitates & aduersitates, tentationes & lapsus, in prædestinatum gloriæ portum efficaciter inferantur: quemadmodum patet ex his eius verbis lib. de Corrept. & gratia cap. 7. *Quicunque ergo ab illa originali damnatione istâ diuina gratia largitate discreti sunt, non est dubium quòd & procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm audierint, credunt: & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt: & nonnulli acceptâ gratiâ in qualibet ætate periculis huius vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ.* Et paulò pòst addit, nullum sic electorum perire, quia non fallitur Deus, neque vincitur humano vitio: & esse electos secundùm propositum Dei: iuxta illud Apostoli, *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*, Rom. 9.

63. *Quo sensu ait credere eos qui ordinantur ad vitam æternam?* Ad primum respondeo, non omnes qui credunt ordinari efficaciter ad vitam æternam, ne quidem consequenter. Est enim Caluinisticum existimare omnes quicunque fidē habent saluari. Ordinantur tamen ad vitam æternam quicunque credunt, voluntate beneplaciti: quia Deus dat fidem vt per eam tendant ad visionem beatificam. Efficaciter verò & absolutè non ordinantur, nisi præuiso quòd habeant alias conditiones requisitas, & vitam finiant in statu gratiæ. Cui doctrinæ nihil habet contrarium D. Augustinus loco citato ex epist. 107.

Quomodo & quibus detur perseuerantia? Ad secundum dico, Deum omnibus iustis dare perseuerantiam in actu primo, seu potentiam perseuerandi si velint, & auxilium ad hoc necessarium: vt definiunt Arausican. can. 25. & Trident. sess. 6. cap. 13. & can. 22. In actu autem secundo, id est, actualem perseuerantiam, non dari nisi illis, qui reipsa cooperantur auxiliis, quíque reipsa sunt electi efficaciter, sed electione consequente præscientiam cooperationis. Quo sensu intelligendum est quod obiicitur ex Augustino lib. de Corrept. & gratia c. 6. Iisdémque proficiunt correptiones, vt ait cap. 9. & 14. eiusdem libri, quatenus illas æquo animo accipiunt, & cooperantur Spiritui sancto incitanti ad emendationem.

64. *Quo sensu ait discretis procurari Euangeliū, &c.* Ad tertium iam alibi responsum fuit, posse facilè verba illa D. Augustini intelligi in sensu purè concomitanti, & non causali, vt vult Iansenius: id est, quod illis, qui sunt efficaciter electi ad gloriam, reipsa procuretur audiendum Euangelium: & cùm audiunt, credant, &c. quamuis discretio, & electio efficax non sit causa cur hæc omnia fiant: sed potiùs electio fuerit efficax, quia Deus præsciuit hæc omnia esse futura. Neque propterea hæc electio, & discretio non est gratiæ. Nam respectu primæ vocationis, ex qua reliqua sequuntur, est puræ gratiæ; cæteráque omnia, quæ deinceps bene fiunt, & vtiliter ad vitam æternam, fiunt excitante & concurrente gratiâ: nihil enim pertinens ad salutem fieri potest solis naturæ viribus. Quódque huiusmodi opera bona, facta ex gratia, concurrant ad electionem, non negat Augustinus; sed potiùs disertè affirmat ser. 7. de verbis Domini, vbi sic ait: *Quos voluit Dominus, elegit. Elegit autem, vt dicit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum iustitiam.* Et paulò pòst Deum ita loquentem inducit: *Ego eos elegi, quia vidi mentes eorū de me præsumentes, non de se*, &c. Et lib. de gratia & lib. arbit. c. 6. sic ait de Pelagianis affirmantibus vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi: *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: prorsus rectissimè respondet Apostolus, Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quomodo autem nullus electorum pereat, quia non vincitur Deus humano vitio, paulò antè dictum est. Nimirum quia nulla voluntatis humanæ malitia, vel aduersitatum, aut tentationum violentia impeditura est, vel etiam impedire potest in sensu composito, ne bene finiant illi omnes, quibus Deus parauit, & dat media per quæ præuidit

fore vt perseuerarent, & vitam finirent in statu gratiæ. De vocatione autem secundùm propositum agemus paulò pòst.

SECTIO IX.

Respondetur aliis Augustini testimoniis.

65. *Quarta obiectio.* OPPONIT quartò capite 20. & 21. eiusdem lib. 9. D. Augustinum causam cur omnia reprobis in malum cooperari videantur, refundere in decretum, quo derelicti sunt in massa perditionis: vt cùm sic ait libro de Corrept. & gratia cap. 7. *Qui verò perseueraturi non sunt, & sic à fide Christiana, & conuersione lapsuri sunt, vt tales eos vita huius finis inueniat; proculdubio nec illo tempore, quo bene piéque viuunt, in isto numero* (electorum) *computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti, & ideò nec secundùm propositum vocati.* Et cap. 8. rationem cur perseuerantia non eis detur, ait esse quia non mentitur qui dicit, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Et vt addit cap. 9. *Quia non erant secundùm propositum vocati, non erant electi in Christo ante constitutionem mundi, non erant prædestinati secundùm propositum eius.*

6. *Quomodo Deus segerit electos, aut non electos?* Ad primum respondeo, eos qui non sunt perseueraturi, non esse de numero electorum, id est, absolutè & efficaciter prædestinatorum, etiam tunc cùm bene piéque viuunt: quia non sunt de illo numero, nisi illi omnes, & soli, qui in statu gratiæ vitam finiunt: iidémque soli discernuntur totaliter & in perpetuum, absolutè & efficaciter à massa perditionis; & vocantur secundùm propositum efficax dandi illis vitam æternam. Sed hæc discretio siue electio, seu voluntas efficax, propositúmque absolutum dandi gloriam, est consequens vt tale, ad præscientiam Dei, quâ præuidit ab æterno quid ex parte creaturarum futurum esset.

67. *Exponitur illud Ioan. non erant ex nobis, &c.* Ad secundum dico similiter, illud, *non erant ex nobis*, hoc est, in sensu D. Augustini, non erant ex electis efficaciter, intelligendum esse de sic electis consequenter ad præuisionem boni status finalis. *Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum:* id est, si fuissent electi efficaciter præuiso bono statu finali, perseuerassent vsque in finem. Neque enim potest non esse id, quod Deus præuidit futurum esse, ex hypothesi quòd præuiderit. Quamuis causa cur ita fiat, non sit quia præuidit. Sicut causa cur eueniat infallibiliter quidquid Deus prædixit, non est, quia prædixit: sed potiùs ideò prædixit, quia futurum erat vt fieret. Quare particula, *quia*, non significat causam, sed correspondentiam euentus cum Dei præuisione, in qua fundauit reprobationem. Dixi, *in sensu Augustini:* nam sensus literalis est alius, quem dedimus sectione 7. num. 49.

68. *Quinam sint vocati secundùm propositum?* Ad tertium respondeo, eosdem non fuisse vocatos secundùm propositum, id est, in sensu D. Augustini, secundùm voluntatem eos saluandi efficacem quidem, & absolutam, sed consequenter ad præuisionem boni status finalis. Secundùm, inquam, propositum illud æternum, quod in tempore traditur executioni, quando Deus eos vocat, & iuuat iis auxiliis, quibus præuidit fore vt impleretur, & in quibus tanquam causis, vel conditionibus fundatur quatenus efficax est, & absolutum, secernitque huiusmodi electos à reprobis. Ita vt particula, *secundùm propositum*, non significet antecessionem causalitatis, quasi electio efficax fuerit causa cur perseuerent infallibiliter: sed tantùm significet antecessionem temporis, & temporaneam executionem ad propositum illud implendum per positionem effectus ab æterno præuisi, & propter cuius præuisionem voluntas Dei de conditionata transiuit in absolutam & efficacem.

69. *Quinta obiectio.* Opponit quintò eodem capite 20. prædestinationem Sanctorum, ex D. Augustino lib. de bono perseuerantiæ capite 14. nihil esse aliud, quàm *præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur,* ex massa perditionis scilicet. Ergo non præsupponit præuisionem absolutam conditionum, aut bonorum operum, quibus ex illa extrahantur: cùm ipsa præparatio beneficiorum Dei sit potiùs causa huiusmodi conditionum, aut bonorum operum, quibus liberantur prædestinati à massa perditionis: & sit causa efficax, & infallibilis: quandoquidem vi illius, & mediorum per ipsam exhibitorum, certissimè liberantur. Ergo extrahuntur puro Dei beneplacito, per decretum absolutum, & efficax: vi cuius media certissimè effectum habitura sunt, & ad salutem perductura infallibiliter.

70. *Quo sensu prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorũ Dei, &c.* Respondeo D. Augustinum duo in illa definitione includere: præscientiam, id est, notitiam absolutam, quâ nouit Deus ab æterno quinam sint habituri conditiones necessarias, vel opera bona, sine quibus salutem non obtinerent: & præparationem eorum mediorum, quæ præuidit certissimè fore vt prosint, atque perducant ad vitam æternam. Quæ præparatio, secundùm aliquos, dirigitur per scientiam conditionatam; Deo de industria seligente prædestinatis ea media, vel auxilia, quæ præscit esse profutura, si dentur in talibus circumstantiis. Secundùm alios, concomitanter tantùm se habet; ita scilicet vt non sit causa electionis huiusmodi mediorum vt talium; quamuis Deus ea præparans, seu destinans cum tali scientia, maiori quodam affectu complacentiæ illa det, quàm si non essent profutura: & specialiter bene faciat illis, quibus ea destinat præuidens fore vt per illa saluentur. Iuxta quam sententiam, quæ magis nobis placet, quámve fusiùs alibi exposuimus, dicendum est prædestinationem, quatenus est electio, seu decretum absolutum & efficax dandi vitam æternam, inuoluere vel præsupponere, prout se tenet ex parte intellectus, præscientiam boni vsus, vel applicationis mediorum, seu boni euentus finalis: ex parte autem voluntatis, præparationem, seu destinationem, & electionem eorum mediorum, quæ per scientiam mediam præuidentur esse habitura effectum, & ad salutem perductura, si dentur in talibus circumstantiis. Qua destinatione facta, præuisóque iam euentu vt absolutè futuro, volũtas saluandi priùs se habens per modum desiderij conditionati, & suspensi quodammodo, iam transit in absolutam & efficacem, positâ scilicet conditione, quam inuoluebat. Ita vt virtualis illa progressio negotij

tij prædestinationis, eiúsque conclusio talis est. In 1. signo rationis Deus habens perfectā scientiam omnium possibilium, atque etiam conditionatè futurorum, independentem ab eius decretis, vult omnes homines liberare de massa perditionis, & ad salutem æternam perducere, verâ quidem, & sincerâ voluntate, sed tamen conditionatâ, si nimirum applicentur illis media quæ ad hoc vult instruere & suppeditare, vel si eis vtantur sicut oportet. In 2. instanti rationis destinat illa media. In 3. videt per scientiam absolutam quibusnam applicabuntur, aut quinam vtentur sicut oportet. In 4. decernit absolutè & efficaciter eos saluare: & ex opposito reprobat alios. Porrò scientiam illam conditionatam debere Deo tribui iuxta sententiam D. Augustini, esséque facile id ostendere, disertè affirmat Iansenius lib. 9. de Gratia Christi cap. 7. §. *Imo expertissimè*, aliquantò ante finem capitis.

71. *Sexta obiectio.* Opponit sextò, cap. 22. quòd propositum electionis ad gloriam absolutum, & efficax, ex Augustini mente antecedat omnium præscientiam meritorū, ex aliis duobus indiciis colligi posse. Primum est, quia D. Augustinus perspicuè docet Deum multa prædefinire absolutè & efficaciter, tam quoad actiones hominum indifferentes, quàm quoad bonas voluntates, ante præuisum consensum humanæ voluntatis. De prioribus id probat ex lib. de Gratia & lib. arb. c. 20. & 21. & q. 27. in librū Iudicum, vbi affirmat Augustinus Deum aliquando decernere efficaciter punire homines malos illâ pœnâ, quę sine libera eorum voluntate adimpleri nequit. Præcedit igitur decretum Dei ante liberā eorum voluntatem præuisam: vtpote per quod fiat vt ista in homine oriatur, & absolutè oritura præuideatur. De posterioribus probat ex eo quòd Augustinus cum Ambrosio non semel asserat: *Deum quem dignatur vocare: & quem vult religiosum facere.* Et lib. de prædestinat. SS. cap. 17. & 18. *Intelligamus*, inquit, *vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant:* Et, *Quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt.* Nam per illud, *quia electi sunt, crediderunt, & per illud, eliguntur vt credant*, significatur actum fidei sequi quia Deus eos elegit, hoc est, decreuit vt credant: siquidem ex illo decreto media, per quæ credant, Deo immediatè tribuuntur: sicut ex opposito dicit lib. de dono perseuerantiæ cap. 14. *Negatum fuisse Tyriis vnde crederent, quia non erat eis datum vt crederent.* Sic Christus, quia volebat efficaciter vt Petrus in fide stabilis permaneret, rogauit Patrem vt fides eius non deficeret: quæ oratio non potuit carere effectu, fuítq; causa cur non deficeret, & præuideretur à Deo non esse defectura: vt ait Aug. lib. de Corrept. & gratia cap. 9. & in Enchiridio cap. 95. & lib. 1. Operis imperf. fol. 133. & lib. de Corrept. & gratia cap. 14. dicit generaliter Deum conuertere malam hominum voluntatem in bonam, quò voluerit, quādo voluerit, vbi voluerit: & absurdum esse existimare voluntates humanas posse resistere omnipotentissimæ eius voluntati, quæ facit quidquid vult, & omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra: éstque necesse vt fiat quod vult, etiamsi per homines fieri velit. Quæ & similia interpretari de voluntate consequente ad præuisionem euentus futuri, absurdissimum est. Sic enim & infirmissimus homo, si tantâ polleret præscientiâ, omnipotenter faceret in cælis atque in terra, quod vellet, & voluntatem eius nihil in cælo ac terra impediret. Nam sic aliquid velle facere quod iam futurum vides, non est velle vt aliquid fiat, sed approbare quod factum est.

Alterum indicium est, inquit Iansenius cap. 23. querela & calumnia, quam à Massiliensibus propter suam de prædestinatione doctrinam passus est Augustinus: nimirum contra illam discretionem Dei, illúdque prædestinantis & vocantis propositum, quo, secundùm quod placuit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, antecedenter ad omnem humanæ voluntatis præscientiam: vt videre est apud Prosperum in epist. præfixa lib. de prædest. SS. vbi refert, idcirco eos præcipuè doctrinam illam reprehendisse, quòd ex ea sequeretur, *Remoueri hominum industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem:* destrui quoque per illam liberum arbitrium, desperationem & ignauiam afferri: præceptum, correptionem, exhortationem, orationem extingui. *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definiuit, accidere: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio.* Quæ omnia non nisi à delirantibus obiici potuissent, nisi Augustinus illam discretionem antecedere voluisset absolutam præscientiam humanæ cooperationis: vt ipsum etiam velle intellexerunt insignes eius discipuli, Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 36. & Fulgentius ad Monimum. 72.

Sed vt ab hoc posteriori indicio incipiamus, patet ex dictis disput. 9. sect. 5. num. 47. Massilienses idcirco reprehendisse D. Augustinum, quòd vellet prædestinationem antecedere præscientiam humanæ voluntatis, viribus naturalibus gratiam præuenientis, & ad salutis suæ initium sufficientis. Volebant enim opera quædam bona solis naturæ viribus facta, id est, fidem, orationem, & quædam alia quæ per *initium salutis* intelligebant, esse causam cur Deus eos, qui sic operantur, ab aliis discerneret, gratiámque, & tandem gloriam illis daret suppositâ perseuerantiâ. Quem errorem refellit Augustinus toto lib. de prædest. SS. scripto occasione epistolæ Prosperi suprà citatæ. Cur autem existimarent remoueri hominum industriam, tolli virtutes, destrui liberum arbitrium &c. ex eo quòd gratia ad omne bonum opus, ipsúmque etiam salutis initium necessaria esse diceretur, exposuimus disp. 7. sect. 7. nu. 71. & seqq. & sect. 9. nu. 91. Malè quoque intellexerunt, vt ibidem diximus quod Augustinus asserebat gratiam inuictè & insuperabiliter mouere voluntatem, facerèque de nolente volentem, & donum perseuerantiæ amitti non posse, aliáque his similia, quæ in sensu tantùm consequenti intelligenda esse significauit idem S. Doctor lib. de bono perseu. cap. 6. Neque mirum esse debet eosdem verum illius sensum, germanámque sententiam de prædestinatione minùs assecutos esse; cùm nunc etiam magna sit inter Theologos de illa cōtētio: quorum aliqui prædestinationem antecedentem, alij consequentem, alij vtramque, modò hanc, modò illam tenuisse asserunt; vt ostendimus citata disp. 9. num. 54. & seqq. 73. *Querela Massiliensium de Augustino in quo fundatur*

Hhh

74. *Prosper & Fulgent. possunt exponi de electione consequente.* Quæ que refert Iansenius ex Prospero, & Fulgentio, non minùs possunt intelligi de prædestinatione consequente, quàm de antecedente. Nam de illa æquè verũ erit quod ait Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 36. *Cùm implendæ voluntatis Dei ita sit praordinatus effectus, vt per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserunt, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm merita coronentur.* Et quod ait Fulgentius libro ad Monimum, *Potuit, sicut voluit, quosdam prædestinare ad gloriam, quosdam ad pœnam: sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad misericordiam: quos prædestinauit ad pœnam, prædestinauit ad iustitiam.* Quàm verò iidem faueant sententiæ nostræ de prædestinatione & reprobatione consequente præscientiam, patet ex dictis sect. 3. vbi vtriusque testimonia in fauorem illius retulimus.

75. *Quomodo Deus prædefinit absolutè?* Ad priorem partem obiectionis respondeo, tametsi Deus multa prædestinat absolutè & efficaciter, tam quoad actiones hominum indifferentes, quàm quoad bonas voluntates, ante præuisum consensũ humanæ voluntatis vt absolutè futurum: non tamen ante illum præscitum vt futurum sub conditione, si Deus illum procuret per media in thesauro omnipotẽtiæ suæ contenta, quæ si applicet in his aut illis circumstantiis, futurum est vt voluntas humana consentiat. Quam scientiam in Deo agnouisse Augustinum docet Iansenius, vt paulò antea notauimus num. 70. in fine. Neque sine illius vsu potest tam certò euenire id quod Deus absolutè prędefiniuit exequendum per liberam hominum voluntatem, quàm certũ est Deum falli non posse in suis prædefinitionibus absolutis, quod absolutè impossibile est, vt alibi ostendimus: vbi etiam refutauimus quod dicunt aliqui, & malè supponit Iansenius, Deum posse absolutè prædefinire aliquid exequendum libera hominũ voluntate, & simul prædefinire ad hoc ipsum prædeterminare hominum voluntates, siue illud obtinere & exequi per medium necessitans voluntatem ad consensum, quem implicat esse liberum, & esse antecedenter necessitatum.

76. *Non ita prædefiniuit hominum salutem ante præuisionem.* Respondeo secundò, ex eo quòd Deus aliqua prędefinierit modo supradicto, non bene inferri Deum statuisse efficaciter, antecedenter, & absolutè, ex seipso, & ante præscientiam absolutam futurorum, de æterna hominum salute, & damnatione. Præserrim cùm Iansenius ipse affirmet eodem lib. 9. c. 14. & 24. conuenientius esse, imò necessariò consequens, vt Deus nihil de illa statuerit absolutè, & efficaciter, antequam præsciret quid facturi esset bene vel malè, posito quòd habeant libertatem indifferentiæ ad bene vel malè operandum, & salutem aut damnationem promerendam; ad illámque assequendam, istámque vitandam inuentur per auxilia non necessitantia: & meliùs eos sentire, qui hâc doctrinâ suppositâ de libertate indifferentiæ, censent homines post lapsum Adæ non fuisse aliter prædestinatos aut reprobatos: sicut de Angelis, & dæmonibus sentiendum est. Atqui doctrina de libertate indifferentiæ, illiúsque vsu in bene vel malè operando, negari non potest sine errore manifesto contra Scripturam, Concilia, & Sanctos Patres, vt probatum fuit disp. 30. & quinque sequentibus. Ergo suppositâ illâ doctrinâ, quæ verissima & certissima est, conuenientius est dicere Deum de re tanti momenti non statuisse absolutè & efficaciter ante præscientiam quòd essent bene vel malè operaturi. Plura de huiusmodi prædefinitionibus vide apud Martinonum tom. 1. disp. 19. num. 54. & sequentibus.

Respondeo tertiò, ea D. Augustini testimonia, quæ profert Iansenius, non probare quod intendit. Nam in primo, quod refert ex libro de gratia, & lib. arb. cap. 20. nihil aliud dicit Augustinus, nisi quòd *Scriptura diuina, si diligenter inspiciatur, ostendit non solas bonas hominum voluntates, sed etiam illas, quæ conseruãt sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda; vel ad pœnas quibusdam ingerendas.* Quod totum Deus facere potest, licèt id non prædefiniat absolutè & efficaciter ante præuisum hominis consensum. Exempla verò quæ profert Augustinus eodem cap. & sequentibus, de peccatis illis, quæ sunt pœnæ aliorum peccatorum; de obduratione Pharaonis, cuius Deus causa fuisse dicitur, vt in illo virtutem suam ostenderet: de turbatione voluntatis Israëlitarum coram hostibus suis; de Semei maledicente Dauidi, quia Dominus illi præceperat, vt dicitur 2. Reg. 16. ver. 10. de Iuda, quo Deus, inquit, est vsus ad Christum tradendum, & Iudæis ad Christum crucifigendum, & diabolo ad probandam fidem & pietatem bonorum; de Absalone eligẽte consilium quod sibi oberat; de Roboamo respuente salubre consilium seniorum, vt irati Dei voluntas fieret, & Deus statueret verbum suum; & de Philistiim, & Arabibus à Deo suscitatis ad deprædandum regnum Israël; de Amasia rege, contra Dei voluntatem, & Prophetæ monitum eunte in bellum, Deo in corde eius operante vt admonitionem salubrem non audiret. Hæc, inquam, sunt intelligenda de voluntate Dei permissiua, non autem de prædefiniente efficaciter & absolutè ex seipsa peccata illa quæ sunt pœna aliorum peccatorum, obdurationem Pharaonis, maledicta Semei, rebellionem Absalonis, & alia scelera suprà dicta, quæ sine manifesta hæresi, & blasphemia, Deo vt volenti efficaciter ex seipso, & procuranti tribui nequeunt. Similíque sensu intelligendum est quod dixit de turbatione cordis Israëlitarum corã hostibus suis; quòd Deus scilicet eam non procurauerit, sed permiserit, iustóque suo iudicio negauerit auxilium, quod si affuisset, non ita turbati fuissent. Idem quoque dicendum de Sisara, quem Augustinus qu. 27. in librum Iudicum ait pauefactum vel obstupefactum à Deo fuisse, vt traderet eum. 77. *Augustinus frustra allegatur in contrarium.*

Quod deinde addit Iansenius, Deum quem dignatur, vocare; & quem vult, religiosum facere: non satis etiam efficaciter probat quod intendit: Deum scilicet hoc velle antecedenter & efficaciter ex seipso. Quod autem refert ex Augustino lib. de prædest. SS. cap. 17. & 18. dictum est cõtra Semipelagianos, qui volebant salutis initium, & fidem, à nobis esse solis naturæ viribus: eóque sensu homines eligi à Deo, quia ipsi eum elegerunt, & crediderunt. Contra quos Augustinus pronunciat, non eligi quia crediderunt solis naturæ viribus: sed vocari & eligi, id est, præueniri vt credant. 78. *Quo sensu ait Deum quem vult vocare & religiosum facere.*

Magis ad rem facit quod subiungit ex lib. de dono perseuer. cap. 14. *Negatum fuisse Tyriis vnde crederent, quia vt crederent non erat eis datum.* Sed aliter intelligi posse locum Matthæi, ad quem alludit, fatetur ipsemet Augustinus paulò 79. *Et negatum esse Tyriis vnde crederent &c.*

pòst : & possunt eius verba benignè exponi in hunc sensum, quòd Deus non procurauerit apud Tyrios fieri signa & prodigia, quibus conuersi essent; quia non elegit seriem illis fauorabilem, & media quibus consentiendo futurum erat vt crederent. Minus habent difficultatis quæ deinde addit Iansenius de oratione Christi pro Petro; ad quam fundendam sufficiebat verum & sincerum desiderium stabilitatis Petri, sine efficaci & antecedenti prædefinitione: déque omnipotentissima Dei voluntate ad conuertendum quos voluerit, cui nemo potest resistere, quæque facit quidquid vult in cælo & in terra, cui denique saluum facere volenti nullum humanum resistit arbitrium. Quæ omnia alibi diximus esse intelligenda de voluntate Dei efficaci: siue sit talis ante præuisum consensum humanæ voluntatis, siue post: de quo aliunde iudicandùm est: non autem de voluntate simplicis desiderij, & conditionata, quæ non semper impletur. In eo autem excellit diuina voluntas, & meritò extollitur à D. Augustino supra omnem creatã, quòd potest, & facit infallibiliter quidquid vult efficaciter, siue absolutè, siue conditionatè, & dependenter à libero consensu, & concursu creaturæ: quia in thesauro suæ omnipotentiæ habet media, quæ si applicet, præscit infallibiliter fore vt illa liberè consentiat: In quo differt à quacunque voluntate creaturæ existentis, aut possibilis, quæ neque talem præscientiam habet, neque talem potentiam.

SECTIO X.

Notantur aliqua circa doctrinam Augustini de prædestinatione.

80. *Notanda Iansenij confessio.*

QVÆ opponit Iansenius cap. 24. vt eludat testimonia D. Augustini in fauorem prædestinationis consequentis allata, fuerunt soluta sect. 3. vbi perspicuè ostendimus non tantùm iis in locis quibus vtitur Augustinus nomine electionis, sed etiam alibi docere Deum prædestinasse ad gloriam secundùm præscientiam meritorum, quæ fuerit causa voluntatis efficacis dandi gloriã; ita vt voluerit efficaciter quia præuidit bene operaturos. Notatu verò dignum est quod ait Iansenius eodem capite. §. *Secundò itaque,* nullam fuisse D. Augustino cum Pelagianis, aut aliis quęstionem præcisè de ipsa prædestinatione, siue electione ad gloriam ex operibus per gratiã factis, qualem nos asserimus: sed tantùm de electione seu præparatione gratiæ, & de electione ad gloriam ex operibus naturæ, vt volebant Pelagiani. Sed ex illis quæ de gratia, & eius effectibus disputauit Augustinus, quæstionem hanc de prædestinatione per se solui, & colligi. Vnde etiam fatetur non esse id fidei dogma, neque tanquam de fide traditum fuisse à D. Augustino: sed tanquam ex naturæ luce consequens ad gratiam qualem Augustinus prædicat, & agnoscit in hoc statu naturæ lapsæ: non pendentem scilicet (vt ipse putat) à libero vsu, vel non vsu voluntatis, sed sua vi necessitantem ad consensum. Quod fundamentum cùm sit erroneum, & doctrinæ ipsiusmet Augustini aduersum, vt alibi ostendimus: sequitur hunc electionis modum, & prædestinationis ad gloriam, non esse ex mente D. Augustini iuxta sententiam & confessionem Iansenij.

81. *Fatetur sententiam de electione antecedentè fundari in amissa libertate indifferentiæ.*

Hæc ita esse vt refero, patet euidenter ex his Iansenij verbis, quæ ad faciendam lectori fidem subiicere visum est. Sic igitur ait loco suprà citato: *Secundò itaque coniecturas aliquas afferunt* (assertores scilicet veræ, & contrariæ sententiæ) *quibus ostendant esse verisimile quòd Augustinus sententiam illam non tradiderit. Quarum prima est, quia nunquam Augustino cum Pelagio, aut aliis, quæstio de electione ad gloriam ex operibus per gratiam factis fuit: sed de electione seu præparatione gratiæ, & de electione ad gloriam ex operibus naturæ. Vnde ostendens se ab aliis Patribus non dissentire, probat fidem & opera esse dona Dei, & non solius liberi arbitrij: itémque doctrinam suam certa fide esse tenendam. Hoc, inquit, scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Qua obiectione sibi proposita respondet hunc in modum §. sequenti. *Respondetur,* inquit, *verum esse quòd de ista præcisè quæstione non fuerit Augustino cum Pelagianis, aut aliis controuersia: sed ex iis quæ cum istis hostibus gratiæ de ipsa gratia, & effectibus eius disputauit, etiã ista quæstio per se soluitur & intelligitur. Nam suppositâ verâ diuinæ gratiæ, quam asseruit Augustinus, intelligentiâ; controuersia ista de electione ad gloriam sese ex ipsa natura rei, & qualicunque philosophiæ cognitione manifestat.* Et paulò pòst: *Quisquis enim talem gratiam astruit, quâ sic dominatur Deus voluntati, vt cõsensum eius, quem intendit, inuictè operetur, idq; quia voluit istum consentire, non aliũ ab initio fidei vsque ad vitæ finem: fieri non potest (nisi valdè distortis imaginationibus res apertas disturbare delectetur) quin electionem ad gloriam, tanquam finem ad quem talis gratiarum potestas, & series directè ducit, meriti præscientiam antecedere fateatur. Vnde & ego fateor non esse fidei, nec tanquam fidei ab Augustino ex professo traditum; sed tanquam quod ex naturæ lumine ex tali gratia naturæ consectaneum est.* Huc vsque verba Iansenij: qui postea addit, suppositâ contrariâ opinione, quòd auxilia gratiæ pendeant à libero consensu voluntatis, potentis vti vel non vti, vt voluerit: nihil mirum esse, *si auctores huius sententiæ, quemadmodum consensum voluntatis, ita & gloriæ consecutionẽ ab humana voluntate suspendant: & constitutionem Dei de danda gloria quæ humanam præueniat voluntatem, abiiciant, atque ægerrimè ferant. Hanc enim etiam abiecit Augustinus, quando similiter primis hominibus in innocẽtiæ statu, & Angelis istud idem gratiæ genus dedit.* Et cap. 14. eiusdem libri 9. dicit, si adiutorium, quo perducuntur homines ad æternam felicitatem, penderet à libero ipsorum vsu, vel non vsu, sicut auxilium gratiæ datum Angelis: *consequens esse necessariò, vt nemo tali munitus adiutorio, ad gloriam efficaciter eligatur, nisi postquam præuiderit Deus eum non esse tali adiutorio suâ voluntate defuturum.* Meliúsque ratiocinari Lessium, Cornelium à Lapide, & pariter alios qui nobiscum ita sentiunt de electione, seu absoluta prædestinatione ad gloriam, suppositâ indifferentiâ libertatis in vsu mediorum. Idque deinceps eodem capite, & toto sequenti fusiùs prosequitur. Fatetur itaque Iansenius suam de prædestinatione sententiam, quam Augustini pariter esse vult, fundari in dogmate de amissa libertate indifferentię per peccatum originale: quod dogma prorsus hæreticum est, vt ostendimus disp. 30. sect. 2. & sequentibus, planéq; alienum à do-

ctrina D. Augustini, vt patet ex dictis disputat. 31. præcipuè sectione prima.

82. *Et Angelos non fuisse sic electos quia liberos.* Idem confirmat sequenti lib. 10. de Grat. Christi Salu. cap. 1. vbi sic habet: Deus non elegit Angelos ad gloriam ante præuisionem operum: Sed instar Agonothetæ, qui omnibus indifferenter præmium proponit, & vires & media consequendi tribuit, quorum vsum libero relinquit arbitrio, vt vnicuique tandem rependat iuxta meritum suum: ita Deus seriam habuit voluntatem erga omnes beatitudinis illis impertiendæ, quantum in ipso erat: ita videlicet, vt sicut ab ea neminem secludebat: sic etiam neminem peculiariter, & efficaciter vellet, nisi postquam voluntatis inclinationem vtriusque præsciebat. Et paulò post: Nam erga omnes æqualiter ante præuisa merita sese habuit: neminem ad præmium & pœnam efficaciter, neminem ad meritum vel demeritum prædestinauit, aut reprobauit: omnibus æternam vitam simplici affectu voluit, ex quo omnibus gratiam, & adiutorium sufficientissimum dedit: sed postquam quarundam voluntatum inclinationes in malum, & consensiones vidit: ex illa & post illam præscientiam decretum reprobationis ad damnationem sanxit.

83. *Nec homines sic eligendos fuisse, si Adam non peccasset.* Et in fine eiusdem capitis addit, Deum cum hominibus eundem ordinē prædestinationis, & reprobationis seruaturum fuisse, si Adamus in statu innocentiæ perseuerasset, & libertas indifferentiæ per peccatum ipsius extincta non fuisset. Sed (inquit initio capitis sequentis) postquam primi homines ab illa mirabili libertatis potestate lapsi sunt, iustissimámque damnationem sub corporis & animi grauissimis suppliciis in hoc mundo, & æternam in altero meruerunt: illa Dei æquabilitas erga omnes & singulos non ampliùs locum habuit, sed aliam prædestinandi rationem cum illis sibi Deus ineundam esse iudicauit. Nimirum quia, vt pergit dicere eodem capite, oportuit Deum suppeditare iis, quibus æternam salutem voluit, media siue auxilia necessitantia, non autem iam ampliùs libertati indifferentiæ (quippe amissæ) subiecta: quæ non omnibus dare decreuit, sed illis solis, quos è massa damnationis, seu peccati originalis totaliter extrahere voluit: reliquos autem in ea relinquere sine potestate emergendi, & auxiliis ad salutem consequendam sufficientibus, & necessariis destituere constituit, atque ita positiuè reprobauit. Hæc Iansenius: quæ quàm malè conueniant cum certis fidei dogmatibus, & doctrinâ SS. Patrum, & Conciliorum, ipsiúsque Euangelij, patet ex dictis sect. 3. 4. & 5. & patebit ampliùs ex sequent. disp. sect. 3.

SECTIO XI.

De causa prædestinationis, & numero prædestinatorum.

84. *Status quæstionis.* QVANDO quæritur sitne ex parte Angeli vel hominis aliqua causa suæ prædestinationis, sermo est de causâ morali, id est, meritoria, vel impetratoria, vel dispositiua. Et quæstio esse potest vel de formali prædestinatione, quæ est actus Dei prædestinantis: vel de obiectiua, id est, de effectibus tēporaneis, qui sunt obiecta actus diuini ab æterno prædestinantis. Item, quæstio esse potest vel de tota prædestinatione, siue formali, siue obiectiua: vel de aliqua eius parte: hoc est, vel de toto actu diuino, qui virtute multiplex est; aut de omnibus effectibus temporaneis: vel de aliquo tantùm actu, aut aliquo effectu: ita vt sensus quæstionis sit, vtrum homo vel Angelus fuerit causa moralis omnium actuum diuinorum, aut effectuum, qui in totali conceptu suæ prædestinationis comprehenduntur: aut saltem alicuius actus, aut effectus.

Hoc præsupposito, vera & communis doctrina Theologorum est, nullam dari causam ex parte hominis, vel Angeli, totius suæ prędestinationis, siue formalis, siue obiectiuæ. De formali patet, quia nullus eorū est causa generalis illius voluntatis, quâ Deus ex mero suo beneplacito, & ante præuisionem omnium operum, voluit ipsi, & omnibus aliis creaturis intellectualibus dare gloriam, per affectum simplicis desiderij; & instituere media per quæ possit ad illam peruenire. Nullus etiam fuit causa cur Deus elegerit hanc seriem rerum, & mediorum salutis, sibi fauorabilem; præ alia, quam præsciebat non fore profuturam si eligeretur. De obiectiua probatur, quia nullus etiam est causa saltē primæ gratiæ, seu primæ vocationis, quam merè gratuitò dari, non autem propter aliqua opera bona pręcedentia solis naturæ viribus facta, siue tanquam meritoria, siue tanquam impetratoria, aut dispositiua, definiuit Arausicanum cōtra Semipelagianos can. 3. & quinque sequentibus: & sæpiùs docet Augustinus in libb. de prædest. SS. de bono perseuer. & de Corrept. & gratia. Nimirum quia quæcunque fiunt ante primam gratiam, seu vocationem, sunt opera merè naturalia, quæ nullam habent proportionem siue condignitatis, siue congruitatis cum gratia; súntque diuersi ordinis, & longè inferioris. Iampridem quoque damnauit Leo primus epist. 93. ad Turibium cap. 10. & Concil. Bracarense I. can. 6. errorem Origenis affirmantis opera bona & meritoria, ab animabus nostris facta antequam corporibus vnirētur, esse causam prædestinationis. Iampridem etiam explosit errorem Semipelagianorum, recurrentium ad merita conditionatè tantùm futura: & eorum, qui causam primæ gratiæ dixerunt esse merita vi illius absolutè futura. De quibus erroribus plura videri possunt apud Martinonum tom. 1. disp. 21. sect. 1. 85. *Nullus est causa totius suæ prædestinationis.*

Si verò quæstio sit de prędestinatione partialiter & inadæquatè sumpta: potest homo, & Angelus esse causa moralis suæ prædestinationis, siue obiectiuè, siue formaliter sumptę. Nam quādo primæ gratiæ consentit, vocanti ad fidem & iustificationem; meretur de congruo vt Deus eum promoueat ad finem quem intendit. Et qui post iustificationem exercet opera bona cum illis conditionibus quæ ad merendum necessariæ sunt, meretur augmentum gratiæ, & vitam æternam, atque augmentum gloriæ: vt definiuit Tridentinum sess. 6. can. 32. & cap. 16. conformiter ad plurima Scripturæ loca, quibus vita æterna tanquam merces proponitur, aut promittitur, aut retribui dicitur bene operantibus, & perseuerantibus vsque in finem. Valent etiam orationes, eleemosynæ, vsus Sacramentorum, & exercitium bonorum operum, ad impetrandum donum perseuerantiæ; iuxta illud 2. Petri 1. *Satagite vt per bona opera* &c. & Philipp. 2. *Cum timore & tremore salutem vestram operami-* 86. *Secus tamen alicuius partis.*

ni. Quem locum ad idem confirmandum producit Tridentinum sess. 6. cap. 13. Potest igitur prædestinatus esse causa alicuius partis suæ prædestinationis obiectiuæ: & consequenter etiam formalis: nam qui meretur aliquid, quod non nisi voluntate alterius haberi potest, meretur vt ipse dare illud velit: similitérque qui est causa impetratoria vel dispositiua talis alicuius beneficij, est pariter causa vt ille dare velit.

87. *Doctrina Iansenij de causa prædestinationis.* Aliter de causa prædestinationis sentit Iansenius lib. 9. de Gratia Christi Saluat. capite 25. vbi relatis variis circa illam sententiis, Docet primò, si de Angelis est sermo, causam prædestinationis ipsorum, sicut & reprobationis, esse meritum propriæ libertatis: vt, inquit, affirmat Augustinus lib. de Corrept.& gratia cap.11. Sin autem de hominibus quæstio sit, non posse causam prædestinationis moralem à liberæ voluntatis arbitrio peti; quippe quod periit per peccatum Adami, vt ait Augustinus libro de perfectione iustitiæ capite 4. quapropter impossibile est vt inde vllum prædestinationis meritum siue de condigno, siue de congruo, siue dispositio, siue vlla omnino moralis ratio alicuius boni, quocunque appelletur nomine, peti possit. Nullus enim quidquam boni moralis velle aut facere potest, nisi illi detur per gratiam necessitantem. Cuius gratiæ profunditas, & ignoratio peperit tam multas de causa prædestinationis sententias: dum volūt homines non ex puro Dei beneplacito, sed ex seipsis petere causam aliquam discretionis electorum à reprobis: vt ait Aug. lib.1. de peccat.merit. cap.22. & epist. 120. ad Honoratum. Ob eandémque profunditatem exclamauit Apost. Rom.11. *O altitudo diuitiarum* &c. illámque scrutari vetat Augustinus epistola proximè citata, & 105. ad Sixtum, & serm.7. de verbis Apostoli. Quæ profunditas in eo præcipuè consistit, quòd Deus vni gratiam illam impertit, & non alteri, nullis vtriusque præcedentibus meritis, sed vtroque æquè indigno; imò interdum eo relicto qui minùs malus est, minúsque indignus; impertit peiori, & indigniori: vt ait idem S.Doctor lib. de bono perseuer. cap.11.& epist.107.& lib.1. de pec. merit. cap.21. & 22. & lib.1. ad Simplicianum qu. 2. in fine,& lib.4.ad Bonif.c.6. Nulla autem esset profunditas, & inscrutabilitas, si aliqua datæ gratiæ, vel negatæ, ratio assignari potest ex operibus moraliter bonis ante illam factis, quæ sint causa cur vni detur, non alteri: vt idem ait in Ench. cap.98. & lib.1. Operis imperf. contra Iulianum fol. 179. & Petrus Diac. lib. de Incarn. gratia ad Fulgent. cap. 7. & Prosp. lib. 1. de vocat. Gent. cap. vlt. Estque contra rationem gratuitæ gratiæ id asserere: postulat enim vt eius vel diffusio, vel subtractio ex ipso dantis beneplacito detur, & non ex hominibus quibus conceditur. Et qui conquerendo aliter sentiunt, similes sunt murmuratoribus Euangelicis, qui de simili patrisfamilias liberalitate, & inæqualitate conquesti sunt Matth. 20. vt dicit Aug. hom. 17. cap. 4. & lib. de dono perseuer. cap.8. Huc vsque Iansenius de causa prædestinationis.

88. *Et de numero prædestinatorum.* De numero autem prædestinatorum docet cap. 26. Deum cùm cælestem quandam ciuitatem condere decreuisset ex creaturis rationalibus, quæ ipsum tanquam regem, atque artificem suum per totam æternitatem amaret & coleret; certum ciuium numerum qui scopo eius congrueret, ex infinita sua sapientia definiuisse: Vt enim ait Augustinus epist. 106. *Nouit Dominus quod agat, & quantus numerus esse debeat, primitus omnium hominum, deinde Sanctorum, sicut syderum, sicut Angelorum: atque vt de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, volatiliū, sicut arborum & herbarum, sicut denique foliorum, & capillorum nostrorum.* Et hunc cælestis ciuitatis numerum ita præfixit, vt si qui ex illis caderent, quos ad sedes prædestinatas cōdere, & in via velut agone constituere decreuerat; alij vel conderentur, vel ex ipso dānato genere suscitarentur, qui lapsorum implerent locum. Atq; ita pro cadentibus Angelis substituēdi fuerunt homines: & ex hominibus tot assumendi, quot ad numerum illum implendum necessarij sunt. Quare si omnes homines in statu innocentiæ perstitissent; tot geniti tantùm fuissent, quot erant ad supplementum necessarij. Et in statu naturæ lapsæ tandiu mundus & hominum generationes durabunt, quandiu necesse erit vt expleatur numerus à Deo intentus & definitus: siue ille numerus hominum æquet præcisè numerum Angelorum qui ceciderunt, siue superet, quod esse nobis incertum & incognitum affirmat August. lib. 22. de Ciuit. cap. 1. & cap. 29. Enchiridij.

Docet secundò, numerum istum secundarium, qui ex humano lapsorum genere colligitur, vt Angelorum ruinas, illúmque primarium numerum cælestis ciuitatis præstitutum impleat; non tantùm secundùm numerum & formaliter, sed etiam secundùm personas & materialiter prędestinatum ac certū esse: non tantùm ex præscientia, per quam & alter Angelorum atque beatorum certus fuit; sed etiam ex immutabili decreto prædestinantis Dei. Et rationem huius differentiæ esse, quia nunc non relinquitur libero hominum arbitrio vt bene agant, & perseuerent si velint; sed hoc illis per gratiam necessitantem donandum est. Nam propter amissionem liberi arbitrij necessarium est vt etiam singulæ personæ, ex illa ruina suscitandæ, diuini operis beneficentia (id est, per gratiam necessitantem) liberentur, & per hoc diuina prædestinatione seligantur. Atque hanc numeri definiti certitudinem prædicat Augustinus. Materialis quidem, lib. de dono perseuerant. cap. 17. & 21. formalis verò, lib. de Corrept. & gratia cap. 13. & epist. 106. & lib. de dono perseu. cap.8. & lib.5. de baptismo contra Donat. c. 27. aliisque locis. Quæ doctrina causam præbuit querelarum Massiliensibus, vt testantur Prosper, & Hilarius in epistolis ad Augustinum præfixis lib. de prædestinat. Sanctorum. Hæc Iansenius. 89. *Quomodo velit numerum hominum electorum fuisse prædefinitum.*

In cuius doctrina falsum est primò, & erroneum discrimen illud inter statum Angelorum hominúmque ante peccatum Adæ, & statum eorundem hominum post illius lapsum: quòd nimirum Angeli, & primi homines habuerint libertatem indifferētiæ circa bonum & malum, quæ per lapsum Adæ perierit: quódque Angeli ad vitam æternam destinati fuerint per opera bona ex vsu talis libertatis cum auxilio gratiæ facta: similíque modo homines ad illam promoti fuissent, si perseuerassent in statu innocentiæ, & integritate liberi arbitrij: nunc autem in hoc statu naturæ lapsæ sint ad illam promouendi per gratiam necessitantem, quæ illis donet vel- 90. *Fundamentum eius doctrinæ est erroneum.*

le & perseuerare, neque pendeat in operando à libero voluntatis consensu, sed illam determinet & necessitet ad volendum & operandum. Hoc enim discrimen naturæ stantis, & lapsæ, quoad liberum arbitrium, ad hæresim Caluini pertinere ostendimus tota disput. 30. & quoad gratiam necessitantem, totâ disput. 22. vbi etiam exposuimus ea Augustini loca, quibus hîc iterum abutitur aduersarius. Quare discrimen assignatum à Iansenio quoad causam prædestinationis, quòd videlicet causa illius in Angelis fuerit bonus vsus liberi arbitrij à Deo præuisus, fuissétque in hominibus si status innocentiæ perseuerâsset: in statu autem naturæ lapsæ non possit talis vsus esse causa prædestinationis lapsorum hominum, sed mera & gratuita Dei voluntas: nititur fundamento erroneo, & hæretico, si hoc solum habet, quod vnicum assignat Iansenius, quódque affirmat intuendum Theologis fuisse, veluti regulam bene iudicandi de causa prædestinationis, ad euitandas hallucinationes & perplexitates, in quas plerique, imò prorsus omnes inciderunt.

91. *Intelligit de gloria quæ Augustinus ait de gratia.* Secundò, grauiter hallucinatur, cùm ea quæ dicit Augustinus aliquot locis de prima gratia, seu vocatione data sine vllis præcedentibus meritis, vel alia causa morali ex parte nostra, déque profunditate consiliorum Dei congruè vocâtis quem vult, & ex æqualiter indignis vnum alteri hac in re præferentis, imò etiam sæpe minùs indignum magis indigno postponentis, & maioribus auxiliis præuenientis, detorquet ad electionem efficacem ad gloriam: quasi affirmet Augustinus illam à Deo decretam esse efficaciter his, & non aliis, ex mero suo beneplacito, non autem ex vllis illorum operibus præsuppositis in Dei præscientia. Nam quod Augustinus aliquot locis à Iansenio relatis de prima gratia loquatur contra Pelagianos & Semipelagianos, non de gloria, patet ex istis eius verbis ep. 120. ad Honoratum cap. 37. *Habet enim gratia aduersarios, qui eius profunditate turbati, non Deo tribuere, sed potius sibi volunt arrogare quòd boni sunt. Nec tales sunt, quos facilè contemnas, sed continenter viuentes, atque in bonis operibus laudabiles.* Et lib. de spirit. & lit. cap. 34. *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur* (per gratiam congruam) *vt persuadeatur: illi autem non ita? Duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placet. O altitudo diuitiarum! Et, Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.* Et serm. 7. de verbis Apostoli, *Quid possum exclamare de ista profunditate? Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Gentes illuminantur, Iudæi excæcantur, quidam paruuli Sacramento baptismi abluuntur, quidam verò paruuli in morte primi hominis relinquuntur.* De eadémque gratia vocationis, vel etiam de aliis auxiliis congruis manifestè loquitur lib. de dono perseuerant. cap. 11. & epist. 107. & lib. 1. de peccat. merit. cap. 21. vbi dicit ex æqualibus, & pariter indignis vnum interdum vocari, non alium. Et cap. 22. libri proximè citati, itémque libro 1. ad Simplician. q. 2. idem affirmat de inæqualibus, sine impares causas habentibus, quorum deteriorem sæpè dignatur Deus suâ vocatione & gratiâ congruâ. Nullus autem locus profertur ab aduersario, in quo D. Augustinus affirmet Deum efficaciter & absolutè elegisse aliquos hominū ad gloriam, relictis aliis, ex suo mero beneplacito, illósque eò perducere per gratiam necessitantem, absque libero eorum consensu: quod aduersarius probandum susceperat, miniméque probat.

Tertiò, falsò affirmat profunditatem gratiæ, in sensu à se explicato, dedisse Apostolo Rom. 11. & Augustino pluribus locis, occasionem exclamandi, *O altitudo diuitiarum!* & dicendi, *Tu quis es qui respondeas Deo? Numquid iniquitas apud Deum?* &c. Nam, vt alibi diximus, vera causa sic exclamandi non est electio antecedens & efficax ad gloriam, & gratia necessitans vt ad illam perueniatur, collata vnis, non aliis, pro mero Dei beneplacito: sed quòd licèt Deus non elegerit efficaciter, nisi consequenter ad præuisionem operum, vel conditionum necessariarum ex parte electorum, neque ad gloriam promoueat nisi per auxilia & media libertati hominum quoad vsum vel non vsum subiecta: illa tamen ita distribuit, vt pro mero suo beneplacito plura interdum, & maiora conferat magis indignis; & inter pares vnum alteri præferat, & istum non illum gratiâ congruâ præueniat. Quódque inter series rerum & mediorum possibiles istam elegerit pro suo mero beneplacito, præsciens tam paucos in ea fore saluandos præ multitudine aliorum qui pereunt: cùm æquè posset aliam eligere, in qua longè plures, imò etiam omnes fore saluos præsciuit. Est enim aliqua possibilis series, in qua Adam non peccasset, & propter illius obedientiam totum genus humanum in gratia confirmatum fuisset: vel in qua media congrua omnibus futura eligerentur. Item, quòd huic aut illi seriem fauorabilem elegerit, præ aliis non fauorabilibus: & è contrario, pluribus aliis elegerit seriem, quam præsciebat minimè profuturam, potiùs quàm aliam quam præsciebat fore magis fauorabilem: & hoc ex mero suo beneplacito, nullâ datâ occasione ex parte ipsius creaturæ cur potiùs hanc seriem quàm aliam eligeret. Item, quòd præsciens Iudæos scandalum passuros, & Gentiles stultitiam reputaturos, si Christum mitteret in forma humili, & passibili, qualem misit: indéque futurum vt plurimi Iudæorum eum reiicerent, & Gentiles difficiliùs in eum crederent: tamen hunc modum elegerit, præ alio, qui Christum Iudæis & Gentilibus magis acceptabilem reddidisset. Item, quòd tot annorum millibus totum ferè vniuersum in tenebris infidelitatis iacere permiserit, & vt ait Apostolus, omnia sub peccato concluserit: & populum suum electum, cultúque peculiari sibi addictum, ex magno suæ salutis remedio tandiu expectato, totiésque promisso, occasionem ruinæ temporalis & spiritualis sumere permiserit, & abiecerit: Gentésque tandiu cultui idolorum addictas, illius loco substituerit: qua de re specialiter loquitur Paulus in epistola ad Romanos, & ob illam pronunciat capite 9. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid potest figulus &c. Nunquid iniquitas est apud Deum?* & capite 11. exclamat, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius?* 92. *Vera causa exclamandi, O altitudo &c.*

Ad primam verò causam admirationis Apo- 93.

stoli superiùs assignatam respexit Augustinus verbis à Iansenio relatis ex lib. 1. de peccat. merit. cap. 21. sic dicens: *Hac gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, iniusta non potest &c. Iudicia enim tua, abyssus multa. Cuius abyssi altitudinem velut expauescens exclamat Apostolus: O altitudo diuitiarum* &c. Et lib. 4. ad Bonif. cap. 6. vbi sic habet: *Sed quare istos homines oues facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quaestio, quam beatus Apostolus curiosiùs, quàm capaciùs proponentibus ait, O homo, tu quis es &c. Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? Ipsa est quaestio qua ad illam pertinet altitudinem, quam perspicere volens idem Apostolus, quodammodo expauit, & exclamauit, O altitudo diuitiarum &c.* Et lib. de dono perseuer. cap. 8. vbi Massilienses absurdum & indignum Deo reputantes quòd vni det gratiam, non alteri, nullo praeuio illius merito, aut istius demerito, comparat murmuratoribus Matth. 20. de patrefamilias conquerentibus, qui ab illo his verbis compressi fuerunt: *An non licet mihi quod volo facere* &c. Estque notandum D. Augustinum hoc loco, & plurimis aliis, in quibus simili modo loquitur, agere contra Pelagianos, vt fatetur Iansenius, qui volebant, salutem nostram à libero nostro arbitrio pendere seclusâ gratiâ: quippe quod ad illam consequendam sufficere credebant: vel etiam contra Semipelagianos, qui volebant sufficere saltem ad initium salutis, atque ab illo primam causam discretionis vocati à non vocato, & electi à non electo, sumendam esse. Contráque eosdem loquuntur Petrus Diaconus lib. de Incarnat. gratia, ad Fulgent. capite 7. & Prosper de vocat. Gent. cap. vlt. hoc in illis haereticis reprehendentes, quòd crederent nos aequè saluari quia volumus, ac damnari quia nolumus. *Ita scilicet vt non donetur nobis per gratiam* quòd velimus, sicut per eam non datur quòd nolumus.

94. *Vera sententia de numero praedestinatorum.*

Quartò denique, quod attinet ad numerum praedestinatorum: meliùs sentiunt qui docent Deum ex seipso nullum numerum definiuisse Angelorum, vel hominum, quos saluare voluerit, relictis aliis, & negatiuè reprobatis, id est, hoc numero non comprehensis. Nam Deus voluit salutem omnibus Angelis, quantum est ex se, vt fatetur Iansenius lib. 9. cap. 14. & lib. 10. cap. 1. adeóque nullum eorum ne quidem negatiuè reprobauit antecedenter ad praeuisionem operum, vt idem affirmat loco posteriùs citato. Voluit quoque saluare omnes homines, vt affirmat Apost. 1. Timoth. 2. & confirmat Scriptura pluribus aliis locis quae retulimus & expendimus disputat. 26. sect. 2. Quare similiter nullum eorum reprobauit antecedenter, sed tantùm suppositâ praescientiâ defectus futuri ex parte ipsorum, per mala opera, vel non vsum aut applicationem mediorum. Ex quo sequitur falsum esse quod ait Iansenius lib. 9. cap. 26. §. *Quapropter*, Deum certum numerum ciuium caelestium pro sua sapientia praefixisse ex seipso, & ante omnem considerationem operum; vt deinceps persuadere conatur, sed inefficaciter. Nam quod producit ex Augustino epist. 106. *Nouit Deus quod agat, & quantus numerus esse debeat* &c. potest aequè intelligi quòd nouerit consequenter, quatenus praescit quinam ex tota multitudine hominum & Angelorum sint habituri conditiones ex parte ipsorum requisitas: idque magis significat Augustinus cùm ait, Deum nosse omnes electos, sicut nouit omnes homines, omnes arbores, omnes herbas &c. Nam cùm plerique inter homines nascantur ex fornicatione, vel adulterio, vel incestu, vel sacrilegio: non fuerunt illi generandi ex antecedenti Dei voluntate; quippe qui abhorret ab huiusmodi nefariis commixtionibus: adeóq; Deus non nouit illos, & numerum omnium hominum partim ex iis constãtem, nisi consequenter ad praesuppositionem, & permissionem peccatorum sine quibus non forent in rerum natura. Nam dicere quòd nisi hac via geniti fuissent, Deus aliam procurasset, quâ legitimè generarentur, vi absolutae & antecedentis intentionis eos creandi, diuinare est, neque sine graui fundamento asseri debet: praesertim cùm ex nefario concubitu procreati, soleant esse vitiis dediti, malámque suam originem redolere. Neque minùs diuinando dicitur fore vt Deus totidem eorum loco produceret, si illi non generarentur.

Quare incerta sunt, & improbabilia quae subiungit Iansenius de duratione generationum eò vsque, donec per homines impleatur numerus electorum à Deo praedefinitus antecedenter: siue tot tantùm electi fuerint, quot erant necessarij ad implendas sedes Angelorum cadentium: siue plures: de quo Diuus Augustinus dubitanter locutus est. Differentia verò à Iansenio assignata inter Angelos, & homines, quòd numerus illorum formaliter tantùm fuerit à Deo praedefinitus antecedenter, & efficaciter: materialiter verò, id est, quòd hic & ille Angelus ad numerum illum pertinuerint, definitum esse tantùm consequenter ad praescientiam boni vsus liberi arbitrij, & perseuerantiae: secùs autem homines, quorum numerus etiam materialiter quoad singulas illius personas fuit à Deo praefixus independenter à tali praeuisione: eò quòd isti careant libertate indifferentiae, nihílque boni facere possint sine gratia necessitante: quâ libertate non caruerunt Angeli in bene agendo, & perseuerando: Haec, inquam, differentia non solùm incerto, aut minùs probabili, sed manifestè erroneo nititur fundamento: vt suprà indicauimus & fusè demonstrauimus alibi: nullúmque omnino profert Augustini locum Iansenius, in quo affirmet numerum electorum hominum fuisse à Deo sic praeconstitutum. Nam quae refert ex libris de praedestinatione Sanctorum, & de Bono perseuerantiae, *Deum praesciuisse quibus sua dona daturus esset:* & lib. de Corrept. & gratia cap. 13. ita certum esse illorum numerum, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis; & donatâ sibi perseuerantiâ integrum eò peruenturum: & epist. 106. eos qui non pertinent ad istum numerum certissimum, & felicissimum, iustissimè iudicari: & epistola 106. ad Paulinum, omnia cooperari in bonum diligentibus Deum, certo Dei praescientiae definito numero comprehensis: haec, inquam, & alia similia quae refert Iansenius, aequè vera sunt, siue numerus ille fuerit antecedenter à Deo praedefinitus, siue tantùm consequenter, vt probabilius est. Quod autem addit de Semipelagianis, tan-

95. *Improbatur contraria sententia.*

tùm probat Augustini doctrinam hac in parte, sicut in quibusdam aliis, malè ab ipsis fuisse intellectam, vt alibi probauimus ex ipsomet Augustino lib. de Bono perseuerantiæ cap. 6. vbi exponit in sensu consequente, id quod illi in sensu antecedente dictum ab eo fuisse existimauerant, & ob eam causam malè reprehenderant. Quòd scilicet perseuerantia ita donetur electis, vt amitti non possit. Nec mirum videri debet Augustini sententiam de prædestinatione non bene ab illis fuisse intellectam: cùm ne nunc quidem satis de illa constet inter Catholicos, & in diuersos ac contrarios sensus accipiatur: nec desint testimonia apparenter illis fauentia.



DISPVTATIO XXXIX.

De ordine, causa, & effectibus reprobationis.

SECTIO I.

Refertur doctrina Iansenij.

1. *Causa reprobationis Angelorum fuit eorum peccatum.* DE his Iansenius lib. 10. cap. 1. & quatuor sequentibus. Vbi docet primò, causam reprobationis Angelorum fuisse peccatum libera eorum voluntate commissum: nam Deus generalem voluntatem beneuolentiæ erga omnes illos habuit: ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibúsque propterea beatitudinis cōsequendæ media sufficientissima largitus est: quorum vsum libero ipsorum reliquit arbitrio. Ita tamen vt nemini eam vellet efficaciter, nisi præuiso bono vsu liberi arbitrij: neminem etiam vellet positiuè, aut negatiuè ab ea excludere, nisi præuiso malo eiusdem vsu, & abusu gratiæ. Atque ita positus quicunque Angelus perfectissimè in manu consilij sui, statum & casum, permansionem cum Deo, & defectionem à Deo, gloriam & damnationem, prædestinationem & reprobationem suam in sua habuit positam potestate. Deum autem eo modo se cum Angelis gessisse, satis intelligitur, inquit Iansenius, ex natura adiutorij Angelis dati: quippe quod ab eorum libera voluntate pendebat quoad vsum aut non vsum. Neque permissio peccati Angelorum fuit effectus reprobationis cadentium: quippe qui non fuerant ante peccatum eorum præuisum reprobati.

2. *Eadem fuisset hominibus, si Adam non peccasset.* Docet secundò eandem quidem fuisse cum Angelis primorum hominum in statu innocentiæ creatorum conditionem circa ordinem prædestinationis ac reprobationis diuinæ post præuisa merita. Qui ordo constantissimus fuisset in Deo erga totam eorum posteritatem, si in illo felicissimo statu perseuerassent: sed postquam lapsi sunt, illam Dei æquabilitatem erga omnes & singulos non ampliùs locum habuisse: aliámque prædestinationis rationem initam fuisse. Nam ex toto hominum genere lapso in massam damnationis per peccatum Adæ, Deus ante præscientiam vllius meriti, siue operis, siue voluntatis bonæ, selegit quos voluit efficaciter ad gloriam: & adiutorium quo fit illius voluntatis executio iam est tale, vt per hoc Deus in eis velle, & operari, surgere & stare, meritum & perseuerantiam suâ caritate operetur. Neque vllum iam datur medicinale Christi quasi potentiale adiutorium, quod sufficiens dicunt, cum quo tanquā in libera sua voluntate constituto possit homo surgere, aut stare, aut operari, aut perseuerare si velit. Falluntur enim qui asserunt eiusmodi sufficientia auxilia omnibus dari ex voluntate generali saluandi omnes. Quam voluntatem generalem nunquam agnouit Augustinus, sed locum Apostoli 1. Tim. 2. in quo malè fundatur, semper ad solos electos, & efficaciter prædestinatos restrinxit. Contrà verò Massilienses in illa basim erroris sui constituerunt, & inde consequenter nullam prædestinationem electorum nisi in præuisione futurorum collocarunt.

Quare hominum liberandorum prædestinatio siue ad gratiam, siue ad gloriam merè gratuita esse debuit, atque ita omnem præuisionem operis aut voluntatis antecedere. Nam ipsa opera, & voluntas bona, quæ quis præuisa esse vellet, per adiutorium efficax & necessitans, quod ipsum velle tribuit, liberaliter à Deo donandum est, & consequenter prædestinandum. Indéque fit vt eo ipso, quo Deus non omnes, sed certos tantùm, & peculiariter selectos ex perditione seu damnatione, quam incurrerant, liberandos esse decreuit, & illis solis beneficia liberationis danda præparauit per auxilium necessitans: iam cæteri exclusi sint, & negatiuè reprobati: imò etiam positiuè: non enim sic præteriti sunt à Deo, vt quodammodo manserit voluntas eius de eorum salute, vel perditione, suspensa: sed sic vt fuerit voluntas fixa eos relinquendi in isto statu, ex quo cæteros liberare statuebat. Vnde Augustinus libro de Corrept. & gratia capite septimo, *Non sunt*, inquit, *ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam*. Et lib. de dono perseuerantiæ capite 17. postquam dixit prædestinationem esse præscientiam, & præparationem mediorum, *quibus certissimè liberantur quicunque liberantur*: subiungit: *Cæteri autem vbi, nisi in massa perditionis, iusto diuino iudicio relinquuntur?* Hæc autem reprobatio positiua, inquit Iansenius, non ita intelligenda est, quasi Deus hoc ipso, quo quosdam liberandos ad æternam vitam elegit, cæteros positiuè ad pœnas omnes sensus, quas in inferno reipsâ pro peccatis omnibus passuri sunt, reprobādo damnauerit: hoc enim decretum sine dubio posterius est, & omnium futurorum peccatorum, ipsiúsque mortis in peccatis præscientiam supponit: sed ita potiùs, vt hoc ipso cæteros præteritos positiuè voluerit excludere duntaxat ab æterna vita, quæ est in regno suo: seu, quod idem est, positiuè noluerit eos à toto statu perditionis, in quo eos iacere videt, hoc est, finaliter à perditione liberare. Quod sanè non est aliud, quàm velle damnare. Et quia peccatum originale meretur etiam pœnas sensibiles, vltra vitæ æternæ priuationem: & plerique reproborum non cum solo originali moriuntur,

3. *Nunc autem ad merum Dei beneplacitum referri hominum prædestinationem vult Iansenius.*

sed adiunctis peccatis ipsorum propriis, & personalibus: idcirco decretoriâ & totali Dei sententiâ, æternis suppliciis omnes reprobi addicuntur, id est, pœnę sensus vltra pœnam damni.

4. *Et reprobationem absolutè spectatam, ad peccatum originale.* Docet tertiò, causam positiuæ illius reprobationis hominum absolutè consideratæ esse peccatum originale, quo periisse, & damnationem meruisse præuidentur: cùm enim Deus quosdam tantùm ex illo genere in illa primæ iniquitatis damnatione relinquere, altissimo, iustissimóque iudicio suo constituerit: profectò sic se cum istis relictis gerit, ac si neminem inde liberare voluisset: Et proinde ipsos ibi relictos ex illa primæ originalis iniquitatis culpa reprobauit. Et licèt reprobi qui peccarunt actualiter, & cum illis peccatis actualibus moriuntur, reprobentur etiam & damnentur propter illa: prima tamen & radicalis causa est peccatum originale, & ex illa reliquæ sequuntur necessariò. Nam ex illius suppliciis, concupiscentiâ scilicet, & cæcitate, ac desertione Dei (id est, destitutione auxilij medicinalis, & necessarij ad salutem) quâ relinquuntur in desideriis suis, & traduntur in desideria cordis eorum, quicquid peccatorum à reprobato perpetratum est accessu liberæ voluntatis, fluxit: vt proinde tota illorum suppliciorum concatenatio vsque ad vltimam damnationem in ignem æternum, radicaliter & mediatè in peccati originalis meritum referenda videatur. Immediatè tamen prima pœnarum istarum promeretur secundam: & ita deinceps, donec vltima tandē velut præcedentium complementum inferatur.

5. Atque huic doctrinæ, in cuius confirmationem multa profert Augustini testimonia, concludens manifestum esse non aliam ipsum agnoscere reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum, seu peccatum originale, quo tota massa periit: & hoc esse causam non tantùm negatiuæ reprobationis, seu non prædestinationis; sed etiam positiuæ, quâ videlicet tanquam indignus repellitur ab æternæ vitæ, seu regni cœlestis beneficio; siue iste paruulus vel adultus fuerit, siue ad tēpus iustificandus, siue in iniquitatibus totâ vitâ mansurus. Huic, inquam, doctrinæ dicit non obesse quod ait Tridentinum, quódque fides Catholica docet, per baptismum homines totius originalis culpę deletione purgari, *nihilque damnationis esse iis qui sunt in Christo Iesu.* Nam licèt, inquit, verum sit, in multis culpam originalem Christi baptismate deleri, culpámque semel deletam non iterum relabendo reuiuiscere, nec propter illam iam deletam, immediatè posse eos regno cęlestis hæreditatis excludi: simul tamen stabile, verissimúmque manet, propter illam culpam, cui obnoxius homo iacuit, noluisse Deum ipsi totale beneficium liberationis decernere, & à perditione sic vt eam reipsa euadat liberare: hoc est secundùm Augustini phrasim noluisse ipsum à perditionis massa, gratiæ seu beneficiorum suorum prædestinatione discernere: & proinde voluisse eum finaliter in perditione relinquere. Ideóque idem S. Doctor lib. de Corrept. & gratia cap. 7. ostendens quo pacto ex defectu talis discretionis æternæ, videlicet totalis, à massa damnationis, beneficiorum temporaliter discernentium vel omnium, vel quorundam sequatur denegatio, ex quo fiat vt in massa perditionis aut maneat, aut in eam iterum cadat; *Ac per hoc*, inquit, *& qui Euangelium non audiunt, & qui eo audito perseuerantiam non acceperunt, & qui Euangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt, & qui per ætatem paruulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possēt lauacro regenerationis absolui, quo tamē non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa perditione discreti, quam constat esse damnatam.* Et hoc in omnibus originali culpa contingere, vel immediatè vel saltem mediatè, declarat id quod subiicit: *Euntibus omnibus ex vno in condemnationem*, siue mediatè, siue immediatè. Nam irâ contra peccatum istud conceptâ iam ab æterno factum est, vt multos eorum noluerit Deus ex integro liberandos à perditione discernere, & ex eadem etiamnum fit, vt si quos temporaliter inde per fidem, aut peccati istius remissionem aliqua ex parte discreuerit, in eundem statum damnationis relabantur.

Docet quartò, causam eiusdem reprobationis comparatiuè spectatæ, cur scilicet è duobus quorum vterque originali culpâ maculatus est, hic non iste reprobetur à Deo, non esse aliam, quàm purum Dei beneplacitum. Nam licèt nemo reprobetur nisi pro culpa præuisa: cur tamen ex multis eidem culpæ obnoxiis, hic non ille à liberatione repellatur, in arcanam sed iustam Dei voluntatem referendum est: vt docet Apostolus Rom. 11. vbi disputans cur Iudæis repudiatis ad tempus, Gentilibus Euangelij lux oborta sit, ad inscrutabilem diuini consilij altitudinem fugiens exclamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini*, &c. Et causam item cur ex duobus, Iacob & Esaü, qui prædestinatorum ac reproborum typum gerunt, maior minori seruiturus esse prædicatur, antequam quisque eorum egisset aliquid boni aut mali, ad solam Dei voluntatem velut vltimum cardinem refert. Et ostendens in eo irreprehensibilem esse Dei discernentis æquitatem, *Nunquid iniquitas apud Deum?* inquit: in eo scilicet quod diligendo discernat, quos merita operum nulla discernunt: Respondétque, *Absit. Moysi enim dicit, miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor.* Posteáque concludit: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Et post exemplum Pharaonis allatum, subiungit: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* 6. *Comparatiuè autem, ad merum Dei beneplacitum.*

Eodem modo D. Augustinus discretionem istam in arcanum & inscrutabile, licèt æquissimum, Dei consilium & placitum reiicit, ep. 105. sic dicens: *Cur autem ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident, altitudo est diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Et inferiùs: *Cur autem illum potiùs quàm illum liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum: veruntamen caueat præcipitium.* Et lib. 2. de peccat. merit. cap. 5. *Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: illum tantùm, illum autem non tantùm: istum illo, illum isto modo: penes ipsum est, & æquitatis tam secreta ratio, &* 7.

excellentia potestatis. Similíque modo loquitur cap. 18. eiusdem libri, & lib. 1. ad Bonifac. cap. 20. lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. lib. de Dono Perseuer. cap. 8. 9. & 11. & tract. 26. in Ioan.

8. *Effectus reprobationis, iuxta Iansenium.* Docet quintò, primum effectum reprobationis esse exclusionem à regno Dei, æternámque damnationem. Secundum, excæcationem & obdurationem illorum, qui ad interitum parati & destinati sunt. Tertium, derelictionem, seu desertionem, quâ Deus non miseretur, nec gratiam tribuit quâ peccata caueantur. Nam ideò talibus misericordiam & gratiam in tempore negat, quia æquitate occultissimâ abiecit eos ne perueniant ad regnum suum. De primo effectu, inquit, non est magna controuersia inter Doctores: & Scriptura id planè docet, quando reprobos vocat vasa iræ, aptata seu præparata in interitum; & ignem æternum dicit illis paratum esse. Et Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 1. vbi affirmat duas esse societates hominum: quarum vna prædestinata est in æternum regnare cum Deo: altera æternum supplicium subire cum Diabolo. De secundo clara est doctrina eiusdem Augustini epist. 105. ad Sixtum, *Quærimus meritum obdurationis,* inquit, *& inuenimus: Merito namque peccati vniuersa massa damnata est. Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: ac potiùs vt non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.* De tertio loquitur in libro de Gestis Pelagij cap. 3. sic dicens: *Absit autem vt ij qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, suo vt pereant desiderio dimittantur. Hoc enim patiuntur vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem.* Et mox: *Illis ergo fit quod scriptum est, Tradidit illos Deus in desideriis cordis eorum: non autem prædestinatis, quos regit Spiritus Dei.* Atque hinc fit vt permissio peccatorum, quæ à reprobatis post contractam originalis noxam fiunt, sit etiam effectus reprobationis. Si enim derelictio, & excæcatio, & obduratio sunt illius effectus: multò magis peccandi permissio, quam istæ cæteræ pœnæ secum ferunt. Et si subinde in electis sunt effectus prędestinationis: quantò magis in reprobis, reprobationis? At verò permissio primi peccati siue hominum, siue Angelorum, non fuit effectus reprobationis. Quia neque Angeli, neque homines fuerunt reprobati, ne quidem negatiuè, ante præuisionem & permissionem primi illius peccati: sed è contrario Deus salutem omnibus sincero desiderio expetebat. Eadémque de causa infectio quoque totius generis humani peccato Adæ participantis, seu conspersio totius massæ, non fuit effectus reprobationis posterorum Adæ: quia nulla eorum reprobatio præscientiam illius antecessit. Huc vsque Iansenius.

SECTIO II.

Refutatur doctrina proposita.

9. *Verè sentit de reprobatione Angelorum.* IN hac Iansenij doctrina verum est quod ait primo & postremo loco, nullum Angelorum fuisse reprobatum ante præuisum ipsius peccatum, nullumque hominum ante præuisum peccatum Adami, & lapsum totius humani generis in illo peccantis: & consequenter permissionem peccati Angelorum, & peccati Adæ, lapsusque totius naturæ humanæ per illius peccatum, non fuisse effectum reprobationis Angelorum, & hominum; quippe quæ nulla permissionem istam & præuisionem peccati antecessit; sed è contrario, peccatum illud permissum & præuisum, vt absolutè futurum, reprobationis eorum causa fuit.

Sed falsum est quod ait, Deum præuiso lapsu Adami, non iam ampliùs voluisse salutem omnibus hominibus: sed aliquos è massa peccati originalis selegisse, quos saluare decreuit efficaciter pro mero suo beneplacito, & ante præscientiam vllius operis, aut bonæ voluntatis ex parte ipsorum, vel baptismi, aut alterius medij pro infantibus instituti: illisque si adulti sunt, non iam ampliùs gratiam sufficientem, & dantem tantùm posse si vellent, sed dantem ipsum velle, hoc est (vt ipse intelligit) necessitantem ad volendum, & operandum, atque perseuerandum, pręparauit: cæteros autem in massa illa reliquit, & ab æterna salute excludere voluit: adeóque non solùm negatiuè, sed etiam positiuè reprobauit propter peccatum originale, ante considerationem eorum, quæ ipsi facturi essent: & vi istius reprobationis, & peccati originalis quod illius est causa, voluit eosdem vel destituere medijs quibus peccati originalis remissionem obtineant, vel auxiliis necessariis ad non labendum postea in peccatum mortale, & malè finiendum: ex quo fit vt tandem æternam damnationem incurrant vi peccati originalis, quod est causa illius destitutionis, tanquam iustæ pœnæ illi debitæ, & peccatorum quæ ex illa sequuntur necessariò, quippe quæ vitare nequeunt sine auxilio gratiæ medicinalis, hoc est, necessitantis: quæ si abest, necessitantur ad peccandum pondere concupiscentiæ, vt ipse frequenter affirmat. 10. *Erroneè de reprobatione hominum post lapsum Adæ.*

Nam satis euidenter repugnat Scripturæ 1. Tim. 2. aliisque locis relatis & expensis disp. 26. & Trid. sess. 6. cap. 3. Deum post lapsum Adę præuisum non voluisse ampliùs omnes homines saluos facere, Christúmque pro salute omnium non venisse, sed aliquotum tantùm ex massa damnationis antecedenter & efficaciter electorum. Neque minùs euidenter repugnat Scripturæ, Patribus, & Conciliis, gratiam quâ post lapsum Adæ promouentur homines ad salutem æternam, necessitare eorum voluntatem ad consensum, neque iam ampliùs pendere ab eorum libertate vt consentiant aut non consentiant, quia libertate indifferentiæ spoliati fuerunt per peccatum Adæ. Quæ omnia ad hæresim Caluini pertinere, satis liquet ex dictis tota disput. 22. & 30. pluribúsque sequentibus. Ad eandem quoque hæresim pertinet quod addit, Deum non dare gratiam sufficientem ad salutem vlli eorum, quos relinquere voluit in massa damnationis; sed in necessitate pereundi eos relinquere. Quod quàm sit erroneum, & Scripturæ diuinæ, Patrúmque doctrinę, & Conciliorum definitioni contrarium, ostendimus disput. 23. & 25. 11. *Repugnat Scripturæ.*

Quod verò affirmat causam reprobationis absolutè spectatę, & generaliter respectu omnium hominum reprobatorum, esse peccatum origi- 12. *Error est quod ait peccatum*

originale esse causam generalem reprobationis. nale, cuius remissionem licèt aliqui eorum obtineant per baptismum, vel aliud medium, & pro aliquo tempore iusti sint: vt tamen illius & in eius pœnam destituantur auxiliis ad perseuerandum necessariis, illisque destituti labantur necessariò in peccatum mortale, & malè vitam finiant: hoc, inquam, multis fidei dogmatibus aduersatur, vt ostendimus sect. 5. præcedentis disputationis: nempe quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, vt ait Apostolus 1. Tim. 2. quòd nolit aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, 2. Petri 3. ver. 9. velit omnibus proponi sua mandata, & seruantibus promittat vitam æternam, Mat. 19 & vlt. aliisque locis: & quod ait Arausican. can. 25. omnes baptizatos posse, si velint, cum Christi gratia auxiliante omnia quæ ad salutem pertinent adimplere: & hoc secundùm fidem Catholicam credendum esse: & quod ait Tridentinum sess. 6. cap. 13. Omnes iustificatos firmissimam spem in Deo reponere debere: quippe qui, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, perficiet quod cœpit, id est, dabit perseuerantiam, de qua ibi sermo est: & quod ait can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit*: & quod dicitur Rom. 8. ver. 1. Nihil esse damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, id est, iustificatis, vt exponit Tridentinum: multùm enim damnationis in illis est, si adhuc vi peccati originalis manet in multis non perseueraturis pœna reprobationis, & causa destitutionis gratiæ medicinalis ad salutem necessariæ, æternæque damnationis: & quod ait idem Concilium sess. 6. cap. 7. finem sanctificationis esse vitam æternam; per illámque accipi stolam, quam iustificati perferre iubentur ante tribunal Christi: & quod ait c. 14. eiusdem sessionis, pœnam æternam, sed etiam temporalem alterius vitæ tolli per baptismum: neque enim tollitur si iustificati non perseueraturi manent adhuc reprobati & damnandi, in pœnam peccati originalis: & quod ait Florentinum in decreto Eugenij, effectum baptismi esse remissionem omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur: & si baptizati moriantur antequam aliquam culpam committant, eos statim ad regnum cælorum, & Dei visionem peruenire: & quod ait Trid. sess. 7. can. 7. Baptismum, & alia Sacramenta nouæ legis, conferre suum effectum omnibus non ponentibus obicem, adeóque omnes qui ritè baptizantur & obicem non ponunt, sortiri prædictum effectum baptismi. Quæ & multa alia fusiùs explicata & expensa vide loco citato.

13. *Non satis id probat ex August.* Neque verò talem esse D. Augustini sententiam satis efficaciter probant quæ Iansenius cap. 2. profert ex lib. de Corrept. & gratia c. 7. & lib. de dono perseuerantiæ cap. 17. quæque nos suprà retulimus num. 3. Non enim dicit Augustinus illam discretionem & liberationē factam esse antecedenter ad præscientiam, & ex mero Dei beneplacito. Quæ verò addit c. 3. ex l. 1. ad Simpl. q. 2. *Quis enim discutiat opera Domini ex eadem conspersione alium damnantis, aliū iustificantis*, &c. Et epist. 105. ad Sixtum, *Vt cùm ex eodem patre, eadem matre, vno concubitu, antequam aliquid egissent boni vel mali, alterum Deus diligit, odit alterum; intelligat Iacob ex illa massa originalis iniquitatis, vbi fratrem suum cum quo habuit communem causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam potuisse discerni.* Et ex Enchiridio cap. 95. *Tunc non latebit quod nunc latet: cùm de duobus paruulis vnus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per iudicium relinquendus; cur ille potiùs quàm iste fuerit assumptus, cùm causa vna esset ambobus.* Et inferiùs cap. 98. *Ambo itaque gemini, naturâ filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cuius misertus fuero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam: Esaü autem odio habuit per iudicium debitum.* Et lib. 2. ad Bonifac. c. 7. *Cùm secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est ipsa vocatio principium: non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* Hæc, inquam, & alia multa similia à Iansenio relata, possunt benignè intelligi de speciali beneficio in eo consistente, quòd Deus antecedenter pro suo mero beneplacito, & ex pura misericordia, elegit seriem, quam præsciebat Iacob & aliis electis esse profuturam, præ multis aliis possibilibus, quas præsciebat non esse profuturas: in quo specialem fauorem & misericordiam erga illos exercuit æquè indignos, & inclusos in massa peccati originalis, ac alios quibus seriem futuram fauorabilem non elegit, atque eatenus minùs eos dilexit: seriem, inquam, mediorum, & auxiliorum, futuram congruam & efficacem illis quorum ita misertus est, & aliis non congruam.

Similíque sensu intelligi possunt quæ producit Iansenius cap. 4. vt probet reprobationem comparatiuam istius præ illo, factam esse ex mero Dei beneplacito: quæque nos suprà retulimus n. 7. nimirum de arcano & inscrutabili, licèt æquissimo, Dei consilio, quo illi placuit eligere hanc seriem mediorum quæ præsciebat istis futura congrua, & ad salutem profutura; aliis non: futurúmque vt si ille tali modo vocaretur, crederet; iste non: ille liberaretur, alius in massa damnationis remaneret: ille hoc modo, congruo scilicet iuuaretur; iste alio. Cuius electionis, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis penes ipsum est. 14.

Quòd si plus voluit D. Augustinus, vt aliqua eius verba rigidiùs accepta interdum præ se ferre videntur, & à nonnullis etiam Catholicis accipiuntur: non fuit eius sententia approbata ab Ecclesia, vt ostendimus disp. præced. n. 13. verbis Cælestini Papæ in epistola ad Episcopos Galliæ, & ex Concilio Arausicano can. 25. Neque dubitarunt Dominicus Bañez, & Franciscus Cumel, duo insignes Thomistæ, celebrésque D. Thomæ interpretes, ad 1. par. q. 23. art. 5. sententiam illam, quam, æquè ac Iansenius, D. Augustini esse putant, decretum scilicet reprobationis fundari generaliter in peccato originali respectu omnium hominum reproborum; ita vt illud quamuis remissum, sit tamen adhuc causa reprobationis non perseuerantium: non dubitarunt, inquam, dicere hanc sententiam non esse tutam in fide; & Diu. Augustinum non attendisse ad fallaciam argumenti, quo sententiam suam probat. Prioris verba sunt 15. *Neque id approbauit Ecclesia.* *Notatur censura à grauibus Theologis.*

quæst. cit. art. 5. aliquantò ante finem, §. *Sed operæ pretium erit,* &c. Ante omnia cauendum est, inquit, ne concedatur quòd aliquis propter originale peccatum iam remissum, tanquam propter causam demeritoriam damnetur pœnâ damni, quæ consistit in priuatione visionis beatificæ. Hoc enim esset error in fide, quia secundùm fidem illa pœna damni remittitur simul cum culpa originali in baptismo, per quem aperitur regnum cælorum. Cùm igitur culpa originalis non redeat, quæ semel per baptismum ablata est, (alioquin reperendus esset baptismus) necesse est vt pœna damni in quantum debita peccato originali nunquam redeat. Ex quo sequitur euidenter, quòd neque ab æterno Deus habuit propositum priuandi aliquem æternâ beatitudine propter originale peccatum remissum per baptismum. Vnde Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. definit quòd totaliter originale peccatum per baptismum remittitur, & reatus illius: & nihil damnationis manet iis qui iustificati sunt per baptismum. At verò si maneret reatus ad pœnâ damni, hoc est, obligatio ad illam propter peccatum originale iam remissum; multùm damnationis maneret iis, qui sunt in Christo Iesu; quod est contra Apostolum Rom. 8. Hoc supposito, quod nemo Catholicus negabit, sententia Augustini difficillimè defenditur, &c. Tum allatis quatuor modis eam defendendi, sic ait paulò pòst. Hic modus dicendi non videtur satis tutus, quamuis videatur aliquo modo consequenter loqui iuxta sententiam D. Augustini. Et inferiùs. Si itaque D. Augustinus voluisset attendere malitiam huius consequentiæ, nunquam posuisset quòd vniuersaliter originale peccatum est causa reprobationis omnium reprobatorum hominum, sed excepisset illos quibus remittendum erat. Huc vsque Bañes: Cuius verba notari velim ab iis, qui tam ægrè ferunt quod modestiùs de eodem Augustino scripsit Molina in Concordia ad quæstionem 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. & vlt.

16. *Malè deducitur ex Scripturâ.* Adde quòd Scripturæ loca, in quibus hanc sententiam fundare videtur D. Augustinus (si tamen ita sensit: tantum enim errorem longè satius est ab illo remouere, quàm eo tam insignem Doctorem aspergere) siue ex ep. ad Rom. cap. 9. ad quod præcipuè recurrit, siue ex Matth. 25. ver. 22. Luc. 12. ver. 31. Io. 10. v. 26. & cap. 13. ver. 17. & c. 15. v. 16. & Act. 13. ver. 48. & 2. Tim. 2. ver. 19. & Ephes. 1. ver. 4. & 11. & 1. Ioan. 2. v. 19. Hæc, inquam, omnia sensum diuersum, & huic sententiæ contrarium facilè patiuntur, longéque alio modo exponuntur à plurimis sanctorum Patrum, & interpretum Catholicorum: vt ostendimus disp. 38. sect. 6. & 7. & de cap. 9. epistolæ ad Romanos, in quo arcem illius sententiæ (si tamen eam tenuit) constituere videtur Augustinus, idem prolixè & eruditè ostendit Petauius tom. 1. Dogmat. lib. 10. cap. 1. num. 4. & seqq. vbi probat ex ipsomet Augustino, scopum Apostoli fuisse tantùm reprehendere Iudæos, qui putabant sibi debitam fuisse gratiam Euangelicam, quia legi seruientes eam promeruerant; & nolebant eandem gratiam dari Gentilibus, tanquam indignis, nisi Iudaica Sacramenta susciperent. *Non enim intelligebant, quia eo ipso, quòd gratia est Euangelica, operibus non debetur:* vt ait lib. 1. ad Simplician. q. 2. idémque repetit lib. de Spirit. & lit. cap. 7. & 8. De electione verò gratuita ad gloriam antecedenter ad opera præuisa, vel conditiones, ibi non disputare: neque ex exemplis Iacob, & Esaü, & aliis ab Apostolo ibidem adductis, satis id posse colligi. Speciatim verò expositionem illam horum Pauli verborum, *An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam,* de massa generis humani vt corrupta in Adamo, ex qua Deus pro sua voluntate antecedenti decreto, & efficaci, aliquos secreuerit, alios in ea irreuocabiliter reliquerit, nulli Patrum Græcorum, aut Latinorum ante Augustinum venisse in mentem: & à multis etiam posteriorum reiectam fuisse, quorum non pauca refert illustria testimonia. Neque negauit D. Augustinus quod ab aduersariis ipsi obiiciebatur, vt refert S. Prosper in epistola ad eundem præfixâ lib. de Prædest. Sanct. ea quæ ipse proferebat ex epistola ad Rom. ad suæ sententiæ confirmationem, *à nullo vnquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta*: sed potiùs id tacitè concedit cap. 14. libri citati, vbi respondet huic obiectioni, dicens: *Non esse opus vt eorum scrutemur opuscula, qui prinsquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari:* & eos breuiter tantùm & transeunter quibusdam suorum scriptorum locis attigisse quid sentirent de Gratia Dei.

Ibidem quoque affirmat Patres Græcos longè aliter intellexisse *propositum,* de quo loquitur Apostolus in eadem epistola, aliisque locis, quàm velint, & Augustino tribuant Iansenius & alij prædestinationis & reprobationis antecedentis assertores: nimirum ex proposito non absoluto, sed cum præuisione voluntatis eius qui eligitur coniuncto: vel etiam de beneplacito Dei antecedenti nos perducendi ad gratiam & vitam æternam, quod consequenter transit in voluntatem efficacem præuiso nostro consensu & bono statu finali: ad quod probandum producit lib. 9. cap. 3. multa & illustria eorum testimonia: vt Origenis in caput 1. ep. ad Rom. vbi exponens hæc Apostoli verba, *Segregatus in Euangelium Dei,* dicit his Apostoli verbis, *Quos præsciuit & prædestinauit,* &c. euidenter ostendi, *quòd eos, quos præsciuit Deus tales futuros vt Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis eius prædestinauit, & gloriæ. Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores & virtutes habituri sint, & ita prædestinatio sequitur.* Et Chrysostomi in caput 9. eiusdem epistolæ, vbi exponens illa verba, *Vt secundũ electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori:* dicit Deum ex geminis duobus alterum adamasse, nempe Iacob: alterum odisse, nimirum Esaü: quòd tantò antequam nascerentur præuidisset illum bonum, hunc malum futurum. *Non enim euentu rerum & exitu opus habet Deus, vt de iis sententiam ferat, dignoscátque eum qui malus sit, & qui eius dissimilis.* Censet itaque propositum & electionem non præcessisse præscientiam operum vtriusque. Et Theodoreti ibidem de Iacob & Esaü sic loquentis: *Licèt in eodem vtero, eodem tempore ipsi effecti, formatique fuerint, Deus* (in eorum

17. *Paulus aliter exponitur à Patribus Græcis.*

eorum perſona) *eos qui ex Iudæis credituri erant, ſuſcepit: eos autem qui hunc radium* (fidei) *non ſuſceperunt, repulit.*

18. *Et à Latinis.* Idémque ſenſiſſe Patres Latinos patet ex Ambroſio lib. 5. de fide cap. 3. Hieronymo in caput 1. Malachiæ, circa illa verba, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Auctore Commentarij in epiſtolas Pauli, Ambroſij nomine inſcripti, ad cap. 9. epiſtolæ ad Romanos; Auguſtino lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. Proſpero in reſponſione ad articulos falsò impoſitos, art. 12. & in reſponſ. ad 3. obiectionem Gallorum: & auctore Hypognoſtic. libro 6. paulò poſt initium. Quorum omnium verba retulimus diſp. 38. ſect. 3. numero 17. & ſequentibus. Ex quibus etiam facilè colligi poteſt ſolutio eorum, quæ ex Apoſtolo Rom. 9. & 11. opponit Ianſenius eodem cap. 4.

19. *Ianſenij contradictio.* Parum autem cohærenter loquitur, quando affirmat cap. 2. aliiſque locis electionem & prædeſtinationem hominum poſt lapſum Adæ, eſſe merè gratuitam & non propter merita: quia illius executio fit per gratiam neceſſitantem, amiſsâ iam libertate indifferentiæ: non autem per opera ex tali libertate facta cum auxilio tantùm poſſibilitatis, id eſt, non neceſſitante. Et ſimul affirmat c. 3. adultos qui peccârunt, non reprobari ſolùm & damnari propter peccatum originale, ſed etiam propter peccata actualia. Hæc, inquam, duo malè cohærent; quia cùm iſti non commiſerint huiuſmodi peccata cum libertate indifferentiæ, ſed neceſſitati pondere concupiſcentiæ, abſente gratiâ medicinali, quam non habuerunt: par eſt ratio vt iſti nõ fuerint reprobati propter huiuſmodi opera mala, facta ex antecedenti neceſſitate inductâ per concupiſcentiam & peccatum originale: ſicut illi non fuerunt prædeſtinati propter bona opera vi gratiæ neceſſitantis facta. Nam quod ait peccata illa actualia reproborum fluxiſſe liberâ voluntate à concupiſcentia, cæcitate, & deſertione Dei, id eſt, deſtitutione auxilij medicinalis, euidenter falſum eſt, iuxta eius doctrinam ſi loquatur (vt debet, & exigit eius comparatio, de qua vide diſput. præcedent. num. 30.) de libera per indifferentiam. Nam vt docet lib. 3. de ſtatu naturę lapſæ cap. 9. & pluribus ſequentibus, omnia peccata quæ homines faciunt in hoc ſtatu naturæ lapſæ, fiunt ex neceſſitate inducta per concupiſcentiam, abſente gratia medicinali, quâ reprobi carent quotieſcunque peccant, illâque deſtituuntur vi peccati originalis, & reprobationis in illo fundatę: Ex quo etiam liquet malè cohęrere cum illius doctrina quod ait, reprobos qui peccati originalis remiſſionẽ obtinuerunt, & aliquandiu iuſti fuerunt, relabi in maſſam damnationis propriâ malitiâ, vel infirmitate ex caſu voluntario contractâ. Vera enim cauſa cur relabantur, iuxta ipſius ſententiam, eſt reprobatio propter peccatum originale, & deſtitutio auxilij neceſſarij ad vitandam malitiam propriam & perſonalem, ſeu caſum volũtarium, & infirmitatem ex eo contractam: quo auxilio deſtituuntur vi reprobationis, iuxta eiuſdem aduerſarij doctrinam: & eo deſtituti, neceſſariò relabuntur in peccatum, & in maſſam damnationis reuoluuntur.

20. *Non ſatisfacit ſcri- plura verbis de electis.* Denique, cùm fatetur huiuſmodi adultos, aliquando iuſtificatos à peccato originali per baptiſmum, non poſſe quidem immediatè propter illud iam deletum regno cæleſtis hæreditatis excludi; ſed nihilominus propter illud idem peccatum nolle Deum ipſis totale beneficium liberationis decernere, & à perditione ſic vt reipſa euadant liberare, ac proinde velle eos finaliter in perditione relinquere, vi cuius volitionis ſeu reprobationis ſequitur ſubtractio auxilij neceſſarij ad perſeuerandum in iuſtitia accepta & ad totaliter euadendum. Cùm inquam, hoc aſſerit, nullo modò ſatisfacit verbis Apoſtoli, & Conc. Trid. quæ eludere conatur, affirmantibus *nihil eſſe damnationis iis qui ſunt in Chriſto Ieſu,* id eſt, iuſtificatis. Nam ſi adhuc propter peccatũ originale vult Deus eos finaliter relinquere in maſſâ dãnationis, & deſtituere auxilus neceſſariis vt poſſint relapſum & perditionem vitare: quomodo nihil damnationis in illis eſt, cùm adhuc maneat in illis cauſa damnationis primaria, & præcipua, imò totalis in radice, & neceſſariò trahens omnes alias concatenatione quadam neceſſaria, vt fatetur aduerſarius eodem cap. 3. Cætera quæ addit de effectibus reprobationis, & quibuſdam aliis, non egent ampliori refutatione. Nunc ad alias eius eluſiones refellendas progrediamur.

SECTIO III.

Expenduntur ea quæ reſpondet Ianſenius argumentis ſibi obiectis.

CONTRA ſuam de prædeſtinatione & reprobatione ſententiam opponit ſibi Ianſenius capite 6. eiuſdem libri decimi de Gratia Chriſti Saluatoris, illam videri non ſatis conſiſtere cum ſincera voluntate Dei ſaluandi omnes homines, maximè fideles: neque cum generali redemptione omnium hominum [illegible] Chriſti mortem: neque ſatis conſentanea eſſe promiſſionibus diuinis, quæ generale[illegible]t, & ad omnes pertinent. Promiſſiones enim æternæ vitæ ſunt conditionatæ, & ſemper tacitam aut expreſſam continent hypotheſin, nimirum ſi omnia mandata ſeruaueris, ſi perſeueraueris, &c. iuxta illud, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ergo etiam voluntas, quâ vult nobis vitam æternam, ante præuiſionem perſeuerantiæ eſt conditionata. Vnde ſequitur Deum neminem eligere ante præuiſionem meritorum. Confirmatur, quia iuxta iſtam ſententiam, promittere vitam æternam ſub conditione, eſt dicere, promitto vobis vitam æternam, ſi ego ex meo beneplacito vobis perſeuerantiam decreui. Cùm enim conditio pendet à promiſſione vt à cauſa principali, vel ſaltem vt cauſa ſine qua non; rectiſſimè totum negotium in ipſius arbitrium reſoluitur, & conditio in re idem valet, ac ipſius beneplacitum. 21. *Primum argumentũ.*

Ad duo priora reſpondet ſe iam antea illis ſatisfeciſſe libro tertio de Gratia Chriſti Saluatoris capite vigeſimo & vigeſimo-primo, additque eandem fuiſſe prorſus obiectionem Semipelagianorum aduerſus doctrinam ſancti Auguſtini, in qua nihil moleſtiùs ferebant, quàm illud propoſitum Dei, quo quoſdam homines à cęteris in maſſa perditionis relinquẽdos diſcer- 22. *Sententia Ianſenij nõ conuenit cũ voluntate Dei ſaluãdi omnes, & redemptione Chriſti.*

netet. Ex illo enim sequi videbatur quòd illos nollet saluos fieri. Nec eorum redemptor dici posset. Idémq; respondere solet ad alia incommoda & absurda, quæ ex eius doctrina sequi manifestè probantur. Quasi verò minùs incommoda & absurda sint, si à quocunque obiiciantur, ostenduntur Scripturæ, traditioni, Conciliis, Patribus, & rectè rationi apertè repugnare: vt de duobus illis euidenter liquere arbitror ex dictis tota disputatione vigesima sexta. Neque Semipelagianum & hæreticum censendum est, quicquid à Semipelagianis, vel aliis hæreticis dictum fuit: vt sæpius excipit aduersarius, sibimet ipsi obiiciendo Caluinum eadem sensisse & scripsisse, quæ ipse proponit vt dogmata Catholica.

23. *Iansenij calumnia.* Ad tertium respondet primò, vt suprà: Massilienses idem obiecisse. Quippe quorum scopus erat statuere electionem ad regnum post præuisionem fidei: quam multò immodestiùs, inquit, recentiores statuunt etiam post præuisionem operum. Quæ calumnia putidissima est, & comparatio recentiorum Theologorum hac in parte cum Massiliensibus, iniquissima. Nam scopus Massiliensium erat statuere electionem ad regnum post præuisionem fidei conceptæ solis naturæ viribus: vt patet ex dictis disput. 10. sect. 4. & seqq. Theologi autem loquuntur de operibus, sicut & de fide, factis cum Dei gratia præueniente & auxiliante. Quod si aliqui inter Massilienses voluerunt electionem factam esse propter huiusmodi fidem, & opera: nunquam fuerunt propter hoc ab Ecclesia damnati, & Augustinus ipsemet lib. 6. de Gratia, & lib. arbit. cap. 6. sic ait de Pelagianis eorum antecessoribus: *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: prorsus rectissimè respondet Apostolus, Qui[illegible]m te discernis? Quid autem habes quod non [illegible]cepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris qua[illegible] acceperis?* Et hæc animaduersio sufficit solutioni, & explicationi testimoniorum, quæ ad suam calumniam confirmandam affert Iansenius ex epistolis Prosperi & Hilarij ad eundem Augustinum.

24. Respondet secundò, nihil in eo esse vel repugnans, vel incongruum, vt Deus absolutâ & efficaci voluntate, ad liberationem à massa, siue ad regnum aliquos eligat; & tamen ad istum propositum finem eos per obseruationem mandatorum, hoc est, per merita & perseuerantiam à seipso tribuendam perducere velit. Quando enim absolutâ voluntate alicui finis decernitur dandus, non intelligitur hoc futurũ sine medio ad istum finem ex natura rei, vel institutione auctoris ordinato, quod in sua potestate & voluntate se habere cognoscit. Iam verò promissio non pertinet ad ordinem intentionis, sed executionis, in quo non à fine incipere oportet, sed à mediis. Rectissimè proinde dicitur hominibus liberandis, hoc est, ad salutem regni perducendis, Serua mandata, & dabo tibi regnum cælorum: seu quod idem est, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

25. *Promissiones Dei vanas reddit, & commi-nationes.* Sed hæc responsio nullo modo satisfacit obiectioni propositæ. Nam obiectio procedit de promissionibus generalibus, & ad omnes pertinentibus, quales habentur in variis Scripturę locis, in quibus Deus sicut mandata sua omnibus generaliter obseruanda proponi vult, ita non minùs generaliter promittit omnibus ea seruãtibus vitam æternam. Responsio autem restringitur ad solos electos, seu liberandos, quibus vitam æternam sub tali conditione congruè promitti affirmat: & manifestum est non posse congruè promitti aliis, sed vanè & simulatoriè, si vera est sententia Iansenij, omnes illos antecedenti Dei voluntate fuisse reprobatos, & relictos in massa perditionis, & vi istius reprobationis carere auxiliis necessariis ad seruãda mãdata: quibus proinde promittere vitam æternam si mandata seruauerint, est promittere sub conditione impossibili: & velle ab illis seruari mandata, est velle, vt faciant aliquid impossibile: quod nemo sapiens velle sincerè potest, neque sub tali conditione aliquid promittere. Ex quo etiam fit vt, iuxta eandem sententiam, promissiones illæ vitæ æternæ sint in hunc sensum resoluendæ: Promitto vobis vitam æternam, si ego decreui dare vobis gratiam necessariam, & necessitantem ad seruanda mandata: quippe sine qua impossibile vobis est ea seruare, & cum qua impossibile est non seruare. Qui modus promittendi manifestè ineptus & illusorius est, respectu eorum quibus antecedenti voluntate decreuit Deus non dare auxilia ad seruandum necessaria, vi reprobationis propter peccatum originale factæ. Sensus enim est, Dabo vobis vitam æternam, si dedero vobis auxilia necessaria ad seruãda mandata, & ad perseuerandum, quæ auxilia vobis non dare decreui antecedenter, absolutè, & irreuocabiliter. Ad quam absurditatem vitandam nullius planè sunt momenti quæ congerit Iansenius, vt probet bona opera, ac perseuerantiam nobis à Deo donari per gratiam. Quod in vero sensu admittunt omnes Catholici.

Quódque ab eo malè carpitur, tanquam alienum non modò ab Augustini doctrina, sed etiam à religione Christiana, *Quando conditio pendet à promittente vt à causa principali vel sola, vel saltem vt causa sine qua non,* &c. intelligendum est, de causa vel sola, vel absolutè prædominante, ex qua reliquum infallibiliter sequitur: qualis est, iuxta Iansenium, prædestinatio & reprobatio antecedens, & voluntas dandi media efficacia prædestinatis, negandíque reprobis: ex qua voluntatis necessariò sequuntur concatenatione quâdam cæteræ causæ salutis in electis, & damnationis in reprobis, iuxta doctrinam Iansenij, vt patet ex duabus sectionibus præcedentibus. 26.

Omitto dicere, eum magnam & præcipuam partem obiectionis, vt iacet apud Lessium, quã citat, de industria prætermisisse. Quòd scilicet non solùm promissiones omnes sunt conditionatæ, sed adduntur minæ, nisi conditio illa præstetur, amissionis regni, & æternæ damnationis incurrendæ: quæ etiam ad omnes pertinent. Ergo regnum non est ita decretum alicui, quin reipsa possit amitti. Si enim non posset sequi realis amissio, vana essent ista terriculamenta. Quòd si dicatur, meritò electum timere, quia cùm ignoret se electum, putat fieri posse vt reipsa amittat; sequitur totum illum timorem nasci ex falsa opinione & errore intellectus, 27.

quod est absurdum. Nam reuera vanus esset ille timor: sicut si quis in lubrico consistens, timeret cadere, quia nesciret se à fortissimo viro duci, vano timore diceretur percelli. Vanus enim timor est, cùm malum euenire absolutè non potest. Similique modo vanæ videbuntur promissiones respectu aliorum non electorum: quia omnia antecedentia sic sunt disposita per diuinam prouidentiam, vt fieri nequeat vt aliquis illorum salutem consequatur: quippe destitutus mediis & auxiliis necessariis ad eam consequendam, idque vi reprobationis antecedentis & absolutæ voluntatis eum relinquendi in massa damnationis, vt vult Iansenius.

28. *Secundum argumentū.* Opponit sibi secundò capite septimo, quòd sicut ex illo absoluto proposito perducendi electos ad regnum cælorum, contingit vt eis dentur efficaces gratiæ, quibus eò perducantur: ita fatendum erit Deum impedire debere ne quis cæterorum adipiscatur iustitiam; vel procurare, si eam adeptus fuerit, vt ab ea rursus excidat: distribuendo videlicet eis gratias incongruas, quo fiat vt in iniquitate moriantur. Insidiatur igitur saluti eorum qui non electi fuerint, ne quâ ratione in saluandorum numerum irrepant.

29. *Iansenij elusio.* Respondet primò, vt solet, Massilienses idem obiecisse Augustino. Secundò, non esse periculum ne quis irrepat in saluandorum numerum: vel si secund[illegible] temporalem iustitiam in illo ordine colloc[illegible]s tantisper fuerit, vt in eo maneat: nisi Deus eum arreptâ manu in istum numerum introducat, vel eum ibidem perpetuò fulciendo teneat vt permaneat. Neutrum enim fieri potest humanâ industriâ; sed Deus vtrumque præstare debet, vt docet Augustinus libro de Correptione & Gratia capite vndecimo & decimo tertio, libro de dono perseuerantiæ capite septimo, & Prosper in respons. ad obiect. Vincent. obiect. 13. & ad obiect. 3. Gallorum. Ex quo fit, vt nullo modo necesse sit vt Deus insidietur homini, aut quaqua ratione siue directè siue indirectè impediat eum à iustitia; sed abundè sufficiat vt ei non tribuat illud maximæ & gratuitæ misericordiæ donum, quo in iustitia teneatur: quod donum nemini debet: neque si alicui negat, iniustè facit: vt rectè ait Prosper ad obiect. 7. Gallorum. Addit tertiò, argumentum hoc retorqueri posse contra obiicientem. Nam si Deus non quærit de industria vt gratia non sit incongrua, quam reprobatis tribuit: quomodo non accidit aliquãdo dari congruam, & hominem saluari? Incredibile est enim, si absque consideratione congruitatis, vel incongruitatis, detur pro occasione oblatâ, non aliquando accidat esse congruam. Quartò denique ait hanc obiectionem procedere ex falsa imaginatione Neotericorum, quòd aliquæ gratiæ sint congruæ, aliæ incongruæ; quódque generaliter omnibus detur gratia sufficiens ad salutem. Nam iuxta Diu. Augustinum, omnis vera gratia Christi, id est, quæ non modò sensum & intellectum, sed ipsam voluntatem afficit, est congrua & efficax: quippe quæ delectat, & hoc ipso trahit volũtatẽ ad consensum: vt docet lib. de Grat. Chr. c. 13. Huc vsque Iansenius.

30. *Vim argumenti non videt, aut dissimulat.* Sed hæc responsio non magis satisfacit obiectioni quàm præcedens. Vis enim argumenti in eo consistit, quòd si Deus absolutâ & efficaci voluntate, antecedenter ad præuisionem operum aliquos elegit, cæteros reprobauit: tenetur vi sui decreti, ne alioquin irritum fiat, procurare omnibus electis, & seligere media congrua & efficacia, quibus salutem infallibiliter consequantur: ita vt si præuideret ista, quæ reipsa eligit, non fore efficacia: eligeret alia quæ præuideret talia fore. Similique modo, ne decretum reprobationis irritum fiat, tenetur vel non dare reprobis auxilia sufficientia ad salutem: vel si aliqua dat, eligere incongrua, & caritura effectu, præscita vt talia: adeo vt si præuideret ea, quæ reipsa illis dare destinat, fore congrua: non ea daret, sed alia seligeret quæ forent caritura effectu. Horum autem primum, quòd scilicet Deus non det auxilium sufficiens reprobis, est falsum, vt ostendimus disput. 25. sect. 1. & sequent. Secundum autem manifestè repugnat sinceritati Dei. Neque enim sincerè vult salutem reproborum, sed potiùs insidiatur eorum saluti, si eos vocat & iuuat per ea media & auxilia, per quæ non vocaret & iuuaret, si præuideret esse illis consensuros. Sicut exempli gratia, si quis conuiuium facere destinasset ex certo numero conuiuarum, quos singulos designasset, nullúmque alium vellet admittere: ille si alios inuitaret, non nisi simulatoriè id faceret: & ita inuitaret, vt si præuideret esse venturos, id non faceret: deberétque de industria vti modo inuitandi inefficaci.

31. *Facit Deum insidiari saluti reproborum.* Huius autem argumenti vim nullo modo infringit Iansenius; cùm ait neminem posse iustitiam assequi, vel si assecutus est, in ea perseuerare, nisi Deus vtrumque det per auxilium gratiæ. Nam vt omittam dicere non esse interdum opus nouâ gratiâ, sed tantùm prouidentiâ generali permissiuâ; ad hoc vt aliquis iustificatus ante nouam occasionem peccandi moriatur: putà si paulò pòst apoplexiâ intereat, vel in lethárgum incidat, vel ab hoste occidatur, vel casu domus obruatur, aut aliis mortis repentinæ causis, quæ iustis æquè ac reprobis communes sunt, ideóque nisi Deus inuigiler, contingere poterit vt aliquis reprobus aliquandiu iustificatus moriatur in statu iustitiæ, adeóque saluetur: vt, inquam, hoc omittam: si Deus etiam reprobis dat auxilia sufficientia ad salutem, vt loco citato demonstrauimus ex Scriptura, Conciliis & Patribus: & si pendet à nostra libertate, & potestate indifferentiæ, vt auxilia gratiæ, quæ nobis offeruntur, effectum sortiantur, aut eo careant, vt certum esse fidei dogma probauimus tota disputatione vigesima-secunda, & non negant, sed potiùs affirmant Augustinus, & Prosper, locis à Iansenio relatis: manifestum est decretum illud antecedens & absolutum reprobationis exponi periculo irritationis, nisi Deus ex infinita multitudine auxiliorum, quæ prædestinatis & reprobis dare potest, seligat ea reprobis, quæ videt esse idonea decreto suo antecedẽti exequendo, id est, caritura effectu: ne alioqui si aliquis inter tot reprobos bene illis vtatur, vt potest pro sua libertate, irrepat in numerum electorum contra efficacem & absolutam Dei voluntatem.

32. *Ineptè retorquet argumentum.* Ineptissimè verò addit, hoc argumentū retorqueri posse contra Lessium eius auctorem: quia nisi de industria quæratur gratia incongrua, quomodo fieri potest vt alicui reproborum nō detur congrua? Nam iuxta Lessium, gratia dicitur congrua, vel incongrua, efficax aut inefficax, ratione euentus pendentis à libera voluntate consentientis vel non consentientis, prout vult: ita vt dicatur congrua & efficax, si consentimus: incongrua & inefficax, si dissentimus. Et iuxta eiusdem auctoris sententiam, quæ verissima est, Deus nullum absolutè & efficaciter elegit, aut reprobauit, nisi post præscientiam absolutam applicationis, aut nō applicationis mediorum salutis, vel vsus aut non vsus auxiliorum gratiæ. Ineptissimum ergo est dicere periculum esse ne congrua futura sint ea auxilia, quæ ideò vocantur incongrua quia reipsa talia futura sunt, id est, caritura effectu: & ne Deus det aliquod medium congruum, dando illud quod non est neque dicitur esse incongruum, nisi quia reipsa cariturum est effectu. Nullum sanè periculum est ne futurum non sit, id quod est futurum, ex hypothesi quod est futurum: quia non potest esse simul futurum, & non futurum. Ac proinde nullum est periculum ne gratia illa futura sit congrua, quæ reipsa futura est incongrua, seu caritura effectu, atque ex illo euentu futuro sortitur nomen incongruæ seu inefficacis. Nullum etiam periculum est in sententia Lessij, ne aliquis reproborum (nisi Deus præcaueat) bene vtatur auxiliis gratiæ vsque in finem, atque ita in numerum electorum irrepat contra Dei voluntatem: cùm iuxta eandem sententiam nullus adultorum sit à Deo reprobatus, nisi post præscientiam & præsuppositionem quòd esset malè vsurus: sitque impossibile fore vt illis bene vtatur, ex suppositione quòd sit malè vsurus: quia euidenter implicat fore malè vsurum, & non fore malè vsurum. Cætera quæ Iansenius addit, omnem gratiam voluntatis esse congruam, in doctrina Augustini, & non dari gratiam reprobis sufficientem ad salutem, fuerunt alibi refutata disput. 23. & 25. vbi etiam exposuimus testimonia D. Augustini, quibus hoc loco alibíque sæpius abutitur aduersarius.

SECTIO IV.

Examinantur quæ respondet Iansenius duobus aliis argumentis.

33. *Tertiū argumentum.* Opponit sibi tertiò, eodem lib. 10. de Gratia Christi Saluat. cap. 8. sententiam istam tollere omnem sollicitudinem bonorū operum, & salutis. Quisque enim apud se ita ratiocinari potest: Vel sum de numero electorum, vel non sum. Si sum de illo numero, impossibile est vt damner. Non est ergo quòd metuam damnationem, vel de bonis operibus, vel perseuerantia sim sollicitus. Si verò non sum de numero sic electorum: frustra etiam sum sollicitus, frustra præcepta seruo, &c. Quia certissimus sum hæc omnia mihi nihil profutura ad salutem; omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo saluatur. Quid ergo sequi potest, nisi in primis socordia, in secundis desperatio?

Respondet primò vt solet, Massilienses idem argumentum Augustini doctrinæ opposuisse: vt patet ex epistola Prosperi ad Augustinum, præfixâ libro de Prædestinat. Sanctorum. Secundò, idem dilemma fieri posse contra Dei præscientiam, in hunc modum: Vel nunc sum de illorum numero quos Deus ab æterno præuidit esse saluandos, vel non. Si sum: nulla mea in posterum dissolutio, aut segnities faciet vt inde excidam. Vt quid igitur sollicitus sim? Si non sum: nulla sollicitudine efficiā, vt in numero illo comprehendar. Quid igitur restat nisi desperatio? Ideóque Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 15. dicit non magis deterreri nos per prædestinationem, quàm per præscientiam debere. Et cap. 22. simile argumentum sibi obiectum à Massiliensibus contra suam sententiam de reprobatione, retorquet contra præscientiā Dei, quam non negabant. Ex quo infert Iansenius, vtramque consequentiam, dilemmatis in obiectione propositi esse vitiosam, quia voluntas absoluta dandi gloriam, & consequenter operandi gratiam, non magis tollit sollicitudinem boni operis prædestinatis, quàm præscientia. Neutro quippe modo merita, seu bona opera sine sollicitudine ac diligentia, & voluntatis cooperatione secutura sunt: quia & prædestinatio, & præscientia habent per sollicitudinem, & opera bona, electionis effectum reipsa esse conferendum. Neque vlla est ratio cur minùs solliciti simus vt præstemus, id quod per nos ipsos Deus fieri prædestinauit; quàm id, quod Deus nos facturos esse præsciuit. Et sicut non fieret id quod præsciuit esse futurum, nisi adhiberentur ea media, per quę id futurum esse præsciuit: ita non fieret id quod præordinauit, decreuítque talibus mediis fieri, nisi quoque talia media, per quæ istud fieri decreuit, adhibeantur. 34. *Ineptè retorquetur à Iansenio.*

35. *Inepta elusio.* Addit, alteram partem dilemmatis: *Si non sum de numero electorum, frustra sum sollicitus, frustra præcepta seruo, &c. nihilque restat nisi desperatio*, nimis insipienter obiici: nihil enim stultius dici potest, quàm à creatura rationali frustra coli Deum, & eius præcepta seruari, ad quem solum colendum, & obediendum condita est: & nimis mercenarius est ille affectus, qui non coleret aut diligeret Deum, nisi ab eo se salutem assequi posse confideret. Debet igitur vnusquisque Deum colere, & præcepta seruare: atque ita saltem maiores pœnas inferni vitabit. Quod si constanter fecerit, saluabitur. Debétque sperare se id facturum, cùm Deus illi talem animum det: & abstinere à curiosa inquisitione sitne ipse de numero prædestinatorum. Neque est ratio cur homines magis timeant, aut desperent propter præscientiam, quâ Deus nouit se aliquid in illis facturū: quàm propter præscientiam, quâ Deus nouit nō quid ille, sed quid ipsi cum gratia sufficienti pro sua indifferenti libertate facturi sunt. Ideóquę vanum illum timorem, & falsam imaginationem improbat August. l. de Prædest. Sanct. c. 11. & l. de dono perseu. c. 17. & 22. Huc vsque Iansenius.

36. *Præscientia & prædesti-* Sed de prima parte huius responsi sufficiunt quæ diximus numero 22. Ad secundam dico,

natio Ianseniana longè differunt. præscientiam Dei ineptissimè comparari cum prædestinatione & reprobatione Ianseniana. Nam præscientia quam Deus habet de rebus liberè futuris, non est causa cur futuræ sint: sed potiùs voluntas creata, quæ eas operatura est, est causa cur à Deo præsciantur. Non enim res liberè futuræ, sunt ideò futuræ, quia Deus præsciuit esse futuras; sed ideò præsciuit esse futuras, quia erant futuræ, vt verissimè affirmant Origenes lib. 7. in epistolam ad Romanos cap. 8. circa illa verba, *Quos præsciuit, & prædestinauit*, &c. Iustinus Martyr quæstione 58. ad Orthodox. Athanasius in serm. de passione, & cruce Domini, multò ante medium, Chrysostomus, hom. 60. in Matth. paulò post initium, Cyrillus Alexandrin. lib. 9. in Ioan. cap. 10. in fine, & lib. 11. cap. 21. post medium, Epiphanius lib. 1. hæresi 38. post medium, Damascenus in lib. contra Manichæos, prope finem: & è Latinis Hieronymus in caput 26. Ieremiæ, fere initio, Augustinus libro quinto de Ciuitate, capite decimo in fine, Leo serm decimo-sexto de passione, capite tertio, Beda libro Variarum quæstionum, quæst 13 Anselmus passim in lib. de Concordia præscientiæ & liberi arbitrij, & in Elucidario, circa medium: quorum pleraque testimonia relata videri possunt apud Martinonum tom. 1. disputatione nona, sectione quarta & duodecima. Contrà verò, prædestinatio & reprobatio, in sententia Iansenij, sunt causa salutis & damnationis, & quidem necessaria, ita vt si quæ aliæ causæ ad salutem aut damnationem concurrant, eas necessariò secum trahant; vt vidimus sect. 2. n. 2. Et si quidem Deus prędestinauit alicui fidem, bona opera, perseuerantiam, salutem æternam: vi prædestinationis dat illi gratiam necessitantem ad credendum, ad bene operandum, ad perseuerandum, ad salutem consequendam: neque possibile est vt per humanam libertatem contrarium eueniat: quia euentus ille non est ei subiectus, sed absolutè pendet ab efficaci & antecedenti Dei voluntate ad hoc necessitante. Sin autem è contrario, aliquem reprobauit: necessariò sequitur vi reprobationis Iansenianæ, id est, antecedentis & absolutæ; vt Deus sinat eum mori in statu peccati originalis, destitutum baptismo, vel alio medio ad illud tollendum necessario: vel si ab eo iustificatur, destituat illum auxilio necessario ad non peccandum, & ad perseuerandum in iustitia; illúmque tandiu conseruet in vita, donec occurrat occasio lethaliter peccandi, vt vitam malè finiat, & damnetur. Nam vi reprobationis imponitur illi antecedens pereundi necessitas, ne alioqui decretum illud antecedens & absolutum infringatur.

37. *Ineptè comparantur inter se à Iansenio.* Ex quo discrimine liquet, argumentum propositum contra Iansenianam prædestinationem & reprobationem, ineptissimè retorqueri contra præscientiam Dei de rebus futuris dependenter à libertate nostri arbitrij. Nam quòd Deus præsciat me hoc aut illud esse liberè facturum, præsupponit quòd liberè id facturus sim: ac sicut pendet à mea libertate vt faciam vel non faciam: ab illa quoque petitur ratio cur Deus præsciuerit me id facturum aut non facturum. Atque ita suppositâ verâ sententiâ de prædestinatione & reprobatione; quòd Deus præsciat me esse de numero prædestinatorum, vel non esse, est aliquid consequens ad bonum vsum, vel non vsum mediorum & auxiliorum gratiæ positum in mea libera potestate: qui bonus vsus, vel non vsus est causa cur Deus me prædestinauerit, aut reprobauerit, præsciátque me esse de numero prædestinatorum, aut non esse: adeo vt sicut in mea est potestate vti vel non vti mediis & auxiliis gratiæ: & vt loquitur Scriptura, positum est in manu mei consilij eligere bonum aut malum, aquam aut ignem, vitam aut mortem: ita consequenter sit in mea potestate efficere vt Deus præsciuerit me bonum & vitam electurum cum eius gratia, ideóque me prædestinauerit: vel è contrario malum & mortem, ideóque me reprobauerit. Ex quo etiam fit vt meritò debeam esse sollicitus de eligendo & constanter tenendo bono, cooperando Dei gratiæ, déque vitando peccato: cùm ex mea sollicitudine cum Dei gratia, vel ex socordia pendeat salus mea, vel damnatio æterna, de qua nihil ante illius præuisionem absolutam definitum à Deo fuit. At in sententia Iansenij, prædestinatio imponit mihi necessitatem antecedentem faciendi id omne, quod Deus per me facere prædestinauit: & si ad salutem assequendam est opus sollicitudine, Deus illam mihi prædestinauit, si sum de numero electorum: éstque impossibile vt non sim sollicitus, quia Deus ad illam me necessitabit. Quid ergo de illa sim anxius, aut cur ad illam me prouocem, ac non potiùs expectem vt Deus me necessitet? præsertim cùm ne de illa quidem cogitare vtiliter, aut ad illam prouocare me possim, nisi Deus ad hoc ipsum me necessitet gratiâ suâ præueniente, iuxta doctrinam aduersarij.

Impertinenter verò addit, eos qui docent sollicitudinem à sua ipsorum libertate pendere, nõ illam à Deo expectare, sed à seipsis. Quasi verò Lessius quem nominatim carpit, vel vllus alius Doctorum Catholicorũ sentiat vllum bonũ ad salutem pertinens haberi posse à nobis ipsis sine præueniente Dei gratia. Neq; minùs ineptè dicit non puduisse eundem auctorem palam dicere, *Non esse inscrutabile cur vocatio in illo sit inefficax in actu secundo, in isto efficax; id enim pendere ab arbitrij libertate, in cuius manu est efficere vt sit efficax vel inefficax.* Quasi verò iuxta ipsius sententiã sit inscrutabile, quòd vocatio sit efficax quia necessitat ad consensum; & inefficax, si non necessitat, quia nihil boni velle aut facere possumus nisi præuenti gratiâ necessitante, vt ipse vult. Estne inscrutabile quòd gratia illa sit inefficax, cum qua impossibile est hominem operari: & illa sit efficax, quæ necessitat ad operandum, quâve positâ impossibile est non operari? Tales autem sunt gratia efficax, & inefficax, iuxta Iansenium. 38.

Quæ autem refert ex Augustino, valent potiùs ad confirmandum quod sæpe diximus: aliter illum sensisse, de prædestinatione, ac Iansenium. Quod de tam eximio subtilíque Doctore sentire longè satius est, quàm tam absurdam comparationem, & retorsionem, ineptámque ratiocinationem illi tribuere. 39.

Tertia pars responsi est mera euasio & dissimulatio difficultatis. Nam vis argumenti in eo consistit, quòd *si non sum de numero electorum, frustra sum sollicitus, frustra præcepta seruo ad salutem consequendam*: quia quidquid faciam 40. *Non respondet difficultati.*

non possum illam assequi, & in numerum electorum irrepere contra efficacem & absolutam Dei voluntatem : imò neque sollicitus esse possum sicut oportet, & seruare præcepta, saltem constanter & perseueranter; quia vi reprobationis deest mihi gratia ad vtrumque necessitans, sine qua vtrumque est mihi impossibile, iuxta principia Iansenij. Hoc autem prorsus intacto, & dissimulato, respondet Iansenius, *Non frustra coli Deum, eiúsque præcepta seruari à creatura rationali, quæ ad hunc finem condita est: & mercenarium esse illum affectum, qui non coleret, aut diligeret Deum, nisi ab eo se salutem assequi posse consideret: & debere vnumquemque Deum colere & præcepta eius seruare,* id est, debere facere quod sibi est impossibile si caret gratiâ ad hoc necessitante, quâ destituuntur reprobi. *Atque ita maiores saltem inferni pœnas vitabit*: vitando scilicet peccata quæ ob eandem causam vitare non potest: adeóque nec pœnas illis debitas: si tamen pœnæ debentur meritò ei, qui non fecit quod sibi erat impossibile. *Quod si constanter fecerit*: id est, si fecerit impossibile, & decretum Dei absolutũ & efficax irritum reddiderit: *saluabitur. Debétq; sperare se id facturum, cùm Deus illi hunc animum det.* Quasi verò prudenter sperare possit se facturum esse quod est sibi impossibile, posito quòd sit antecedenter reprobatus, qualemcunque animum in præsenti habeat, à quo non pendet decretum suæ prædestinationis aut reprobationis, sed à mero Dei beneplacito: ab eodémque decreto pendet boni affectus perseuerantia, quæ, vt docet experientia quotidiana, deest multis, licèt aliquo tempore bene affectis & animatis erga salutem suam. *Debet pariter abstinere à curiosa inquisitione sitne de numero prædestinatorum*: indormiendo scilicet spei tam malè fundatæ, iuxta sententiam Iansenij : iuxta quam, vt alibi diximus, ne moralem quidem certitudinem aut fiduciam habere possumus ex bonis operibus anteactis, vel statu præsenti quantumuis bono & sancto : cùm Deus permittat multos æquè bonos, ac etiam meliores malè finire, adeóque illos reprobauerit antecedenter, iuxta Iansenium : & quod bene vel malè finiamus, pendeat ex mero eius placito, & antecedenti decreto prædestinationis aut reprobationis, non autem ex huiusmodi statu præsenti, vel bonis operibus præcedentibus.

41. *Eius doctrina est causa desperationis.* Atque ex his euidenter liquet falsum esse quod vltimò ait Iansenius: Non esse maiorem rationem cur homines magis timeant, aut desperent, propter præscientiam quâ Deus nouit se aliquid in illis facturum, (independenter à libero ipsorum arbitrio, & ex necessitate antecedenti illis imposita) quàm propter præscientiam, quâ Deus nouit non quid ille (necessitando) sed quid ipsi cum gratia sufficienti pro sua indifferenti libertate facturi sunt. Est enim manifesta causa timoris, imò & desperationis, præscientia illa Dei, & decretum antecedens, absolutum, & efficax de nostra reprobatione, constituens nos vi sua in statu damnationis ineuitabili, & insuperabili necessitate pereundi: quippe destitutos medijs & auxilijs gratię necessarijs ad salutem : idémque est de alijs antecedenter & efficaciter à Deo prędefinitis, iuxta Iansenium. Secùs autem præscientia eius quod liberè facturi sumus per vsum vel abusum auxiliorum gratię, non ad illum necessitans, nec vllo modo causans : sed potiùs subsequens liberum nostrum vsum vel abusum, & veluti speculum repręsentans ab æterno id quod pro nostra libertate illi obiicimus, ita vt à libero nostro consensu cum Dei gratia pręueniente, & auxiliante, pendeat quòd bene agamus, & simus de numero electorum : vel à libero dissensu & abusu, quòd malè agamus, & ab illo numero excludamur. Neque oppositum negat Augustinus locis ab aduersario relatis lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 11. & lib. de dono perseuerant. cap. 17. & 22. Nam in primo loquitur de illis qui malebant se sibi committere, quàm firmitati promissionis Dei: quasi melius non sit firmiori, quàm infirmiori fidem suam, spem, caritatémque committere? quíque volebant nos priùs dare aliquid Deo solis naturæ viribus, vt ab illo recipiamus quæ promittit: priùs credere, vt saluemur: & facta carnis mortificare, vt viuamus : quemadmodum patet ex verbis immediatè sequentibus. De iisdémque Semipelagianis loquitur in alijs tribus, relatis ex libro de dono perseuerantiæ , qui non in Deo, sed in seipsis spem suam ponebant, quoad initium salutis & perseuerantiam.

Opponit sibi quartò, eodem lib. 10. cap. 9. suam sententiam videri tollere zelum animarum. Si enim omnes saluandi, ante omnem prævisionem sunt iam absolutè electi, & præfiniti: cur de illorum salute sim sollicitus? Nam etiamsi ego quiescam, æquè bene omnes illi & soli saluabuntur. Cur sim anxius de eo, quod ex vi decreti diuini certissimè est euenturum? Nunquam aliquis in illum numerum intrabit. Nunquam inde aliquis excidet. Nulla ei fiet accessio, aut detractio. Fore quoque inutiles omnes exhortationes, prædicationes, correptiones, per quas iste zelus animarum exerceri & animarum salus promoueri solet. 42. *Quartum argumentũ.*

43. *Iansenij elusio.* Respondet primò more solito, istam quoque Massiliensium & aliorum querelam fuisse aduersus Augustini doctrinam: vt patet ex libro de Corrept. & gratia capite decimo-quinto, & ex Prospero, & Hilario in epistolis ad Augustinum. Secundò, tolli quidem zelum animarum qui non est secundùm scientiam, adulterinum scilicet, ex errore profectũ quòd aliqui numero electorum non comprehensi, sint ad salutem perducendi nostra sollicitudine : sed non verum illum sincerúmque zelum animarum, fundatum in ea veritate, quâ nouimus Deum velle, & iubere, vt quandoquidem eos qui illo numero comprehensi sunt, à cæteris discernere nõ possumus, omnes homines velimus, & quantùm possumus conemur saluos facere, vt docet Augustinus libro de Corrept. & gratia cap. 15. 16. & vltimo. Nec obest, inquit, quòd æquè bene omnes illi saluandi sunt, etiamsi tanto zelo caritatis erga illos non ardeamus. Nam prædestinatio effectũ suum non sine hominum aliorum cooperatione sortietur. Cúmque nesciamus vtrum per diligentiam & operam nostram Deus eos saluare velit; meritò ad eorum salutem procurandam zelo inardescimus : vt affirmat idem S. Doctor lib. de dono perseuer. cap. 14. & 22. & lib. de Corrept. & gratia cap. 9. & 15. & lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 1. &

Paulus 2. Timoth. 2. docens, Cum modestia corripiendos esse eos, *qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.* & Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 36. vbi sic ait: *Quamuis ergo quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri: studia tamen non tolluntur orandi,* (adde prædicandi, corripiendi &c.) *nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cùm implenda voluntatis Dei ita sit prædestinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.*

44. Quapropter, inquit concludendo Iansenius, hæc doctrina prædestinationis non est inutilis, aut noxia, & scandalum pariens, si sobriè prudentérque prædicetur: nisi imperitis lapsus humani generis, corruptionísque naturæ magnitudinem non penetrantibus: & ideò plerumque plusquam fas est, humano conatui, & liberæ voluntati tribuentibus. Sin autem inuidiosè proponatur: quid mirum si scandalum imperitis, maximéque superbis istæ summæ humilitatis doctrina patiat? Quòd si tamen ex doctrina ista rectè explicata quispiam in scandalum, vitæque dissolutionem, aut desperationem cadat: scandalum est Pharisaïcum, ex distortis opinionibus, vel affectibus profectum: & ideò, si sanari non potuerit, negligendum. Quotquot veram pietatem, & humilitatem cōsecuti sunt, non est periculum vt in barathrum desperationis, aut dissolutionis incidant; dum omnem spem suam in gratuitam Dei prædestinantis, ac liberantis quos voluerit, misericordiam transferre, ac baculum arundineum liberæ suæ voluntatis abiicere docentur, qua tot Angelorum myriades, & primos parentes, maximámque partem generis humani gratiâ licèt sufficienti adiutam (vt ipsi volunt) cecidisse non diffirentur contrariæ sententiæ assertores, quibus attentiùs considerandum esset quod dicit Augustinus lib. de dono perseuer. cap. 22. *An verò timendum est ne tunc homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret si eam in seipso superbissimus & infœlicissimus poneret?* Huc vsque Iansenius.

45. *Motiuum zeli animarum.* Ad primam partem responsi sufficit quod diximus num. 22. Ad secundam dico primò veram causam cur zelo accendi, & pro salute proximorum solliciti esse debeamus, non esse quia cùm nesciamus sintne de numero antecedenter & absolutè efficacitérque reprobatorum, Deus vult & iubet vt omnes homines velimus, & quantùm possumus conemur saluos facere: Sed quia reuera nullus est sic à Deo reprobatus: imò è contrario Deus vult antecedenter, & quantū ex se est, omnes homines saluos fieri: & Christus, cuius zelum imitari debemus, dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Quod motiuum adhibuit & expressit Apostolus 1. Timoth. 2. ver. 1. & seqq. sic dicens: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salutatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Idem motiuum adhibuit & expressit Ioannes Apostolus epist. 1. cap. 3. ver. 16. hortans nos ad maximum & nobilissimum zeli & caritatis erga proximos affectum, exemplo Christi, qui pro illis animam suam dedit. *Christus*, inquit, *pro peccatis nostris mortuus est: & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.* Quasi dicat; Non debemus quando necessarium erit, dubitare vitam impendere pro eorum salute, pro quibus Christus ipse mortuus est. Maiorem autem caritatem, adeóque zelum, nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, Ioan. 15. ver. 13. Quare si hæc consideratio ad hoc satis mouere nos debet: multò magis ad orandum, hortandum, corripiendum, & alia præstanda quæ pro salute proximorum erunt necessaria.

Dico secundò, considerationem quâ mouemur, & accendimur ad zelum animarum, non esse illam, qualem proponit Iansenius; quòd Deus velit, & ab æterno decreuerit vti operâ nostrâ ad procurandam salutem proximorum: ita tamen, vt si opera nostra desit, non sit periculum ne desit alia, quâ saluentur infallibiliter quotquot à Deo electi sunt antecedenter, & absolutè: id est, illi omnes qui reipsâ salutem consequuntur: sed è contrario; quia speramus fore vt aliquis nostrâ sollicitudine, cum Dei gratia collaborante salutem consequatur, & damnationem æternam euadat: quod alioqui non faceret. Quæ persuasio non est distorta imaginatio, vt ineptè ait Iansenius: sed veritas diuinitus tradita, & in sacris literis expressa. Hoc enim Deus ipse satis perspicuè docet apud Ezechiel. capite 3. ver. 18. & seqq. sic dicens: *Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur:* (quia non annunciasti) *sanguinem autem eius de manu tua requiram:* id est, causam perditionis eius tibi imputabo, & tecum agam vt illius reo. *Si autem tu annunciaueris impio, & ille non conuersus fuerit ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in impietate sua morietur:* (quia audire & resipiscere noluit) *Tu autem animam tuam liberasti. Sed & si cōuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem; ponam offendiculum coram eo: ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur,* &c. Quibus postremis verbis nihil clarius dici potest ad probandum quod intendimus. Idem quoque docet Christus Matth. 18. ver. 15. cùm sic ait: *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quæ verba ponderans Augustinus serm. 16. de verbis Domini, sic ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Ergo propter illum fac* (id est, corripe) *vt lucreris illum. Si faciendo lucraris, nisi fecisses, perierat.* Eiusdémque S. Doctoris circumfertur celebre illud, *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Idem denique docet Apostolus 1. Cor. 8. ver. 11. cùm à scandalo proximis dando deterret, ne contingat vt occasione illius pereat aliquis, pro quo Christus mortuus 46. *Alterum motiuum.*

est. *Et peribit*, inquit, *frater infirmus in tua conscientia: frater pro quo Christus mortuus est.* Non esset autem tale periculum, si frater ille fuit antecedenter à Deo prædestinatus: quia non est possibile illum perire. Et si fuit reprobatus, peribit necessariò vi reprobationis antecedentis: neque si scandalum non detur, idcirco non peribit.

47. *Sententia Iansenij zelum illum extinguit.* Dico tertiò, quisquis doctrinam Iansenij, quam modò impugnamus, sibi persuaserit, potest ac debet ita ratiocinari: Si Deus vult & decreuit saluare aliquem meâ curâ & sollicitudine, ad illam me necessitabit: neque possum ad illam me prouocare, aut disponere, nisi ad hoc ipsum me suâ gratiâ necessitet. Expectandum ergo mihi est, vt illam mihi necessitatem iniiciat, sine qua frustra conarer zelum salutis animarum in me accendere, imò nec conari possum. Tollit ergo hæc sententia curam zeli animarum procurandi, aut conseruandi, & consequenter zelum ipsum, totámque illius procurandi curam in solum Deum reiicit, vt si volet, accendat.

48. Iuxta superiora debent intelligi quæ refert Iansenius ex D. Augustino, & Prospero. Quod verò addit, sobriam & prudentem sententiæ suæ propositionem, & prædicationem, non generare desperationem &c. pertinet ad præcedentem obiectionem, satísque ibidem refutatum fuit. Nam perspicuè ostendimus quàm magnum præbeat desperandi motiuum, quámve noceat spei salutis solidè ac prudenter conceptæ: & denique ineptissimè contra nostram sententiam proferri quod ait Augustinus libro de dono perseuerant. cap. 22. de Pelagianis & Semipelagianis in seipsis seclusâ gratiâ sperantibus & confidentibus: *An verò timendum est ne tunc homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo: non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infælicissimus poneret?* Vera humilitas, & spes Christiana veris nititur fundamentis: ineptúmque & hypocriticum est velle prætextu humilitatis, & spei in Deo collocandæ, Caluinisticos errores obtrudere; & contrarium sentientes, superbiæ ac Pelagianismi insimulare.

SECTIO V.

Refutatur vltimum effugium: & perstringuntur reliqua de reprobatione.

49. *Quintum argumentum.* OPPONIT sibi quintò eodem lib. cap. 10. hanc suam sententiam non videri bonitati & clementiæ diuinæ consentaneam. Non enim ad aliud illi, quos ex perditionis massa liberare noluit, creari videntur, nisi vt in æternum pereant: nec eorum creatio esse beneficium, sed summum maleficium. Quis enim fructus, propter quem tanta reproborum multitudo nascatur, ex qua nemo saluandus esse præuidetur, neque supposita illa gratiæ potentissimæ negatione saluari potest?

Iansenij euasio. Respondet primò, idem obiectum fuisse Augustino à Massiliensibus, vt videre est apud Prosperum obiection. 3. & 4. Vincentian. Respondet secundò, Deum ex immensa bonitate creâsse non minùs hominum, quàm Angelorum naturam: eósque in manu liberi arbitrij collocâsse, cum adiutorio, quo sempiternam sibi beatitudinem possent comparare, si vellent. Quod ergo creati sunt, creantis beneficium esse: quod ceciderunt, peccantis meritum. Nec æquum fuisse vt illâ spontaneâ deficientis voluntatis peruicaciâ statutus ordo turbaretur: vt videlicet propterea neque peccatrix natura dæmonum ampliùs permanere deberet, neque peccatrix primorum hominum natura propagari. Nam & dæmones conseruantur, & homines reprobi propagantur ex semine vitiato, in vsus maximos Deo cognitos, quamuis ipsi propriâ iniquitate non nisi malum facturi, atque perituri sint, vt ait Augustinus libro 2. de nuptiis cap. 16. & Prosper in respons. ad 3. obiect. Vincent.

Addit, hanc imaginationem proficisci ex eo, quòd auctores illius obiectionis, sicut & præcedentium, de humana natura ad eum philosophantur modum, ac si innocens ex opificis manibus prodiret. Tunc enim reuera, si Deus absque vlla operum præuisione alios ad beatitudinem elegisset, alios ad perditionem sine auxiliis dimitteret; atque interim illos vocaret ad fidem, hortaretur ad sollicitudinem, præmia proponeret, exitium minaretur, negatâ omni faciendi bonum, & cauendi malum facultate; meritò durissimum iniquissimúmque videretur tales condere: quia non eos nisi ad interitum destinare videretur. Sed iam fractâ, vitiatâque naturâ per propriam voluntatem, & perditioni obnoxiâ, iniustè contra iudicem murmuratur, quòd aliquos liberando, reliquos propriæ relinquat infirmæque libertati. Quasi verò debuerit æternas suas leges, quas naturales dicimus, mutare, ne à dæmonibus & hominibus lapsis violentur: vel gratiam suam, sine qua saluari nequeunt, vbique ac semper ad inferos vsque damnatósque diffundere. 50. *Altera pars euasionis.*

Addit secundò cap. 11. murmuratores istos placatum iri, si causas illas profundas, propter quas Deus istum ordinem prouidentiæ adhibendum iudicauit, intelligendo penetrarent. Cúmq; non dubitent peccatores Angelos vniuersos, in ictu oculi, sine spe reparationis, iudiciariâ Dei seueritate dãnatos fuisse: & innumeros paruulos, qui omni potestate baptismi caruerunt, ad inferos præcisâ omni spe liberationis expelli: non murmurarent de adultis, quòd absque vlla futurorum operum consideratione in perditione relicti sint, & à diuina misericordia reprobati vitam istam gratiæ cælestis adiutoriis destituti aliqui transeant, alij ex ipsa collata gratia quam subinde tribuit, grauiores accumulent cruciatus. Quasi hæc quoque non sit iusta pœna peccati originalis. 51. *Tertia eius pars.*

Causæ igitur illæ talis ordinis diuinæ prouidentiæ sunt, inquit in fine eiusdem capitis, & sequenti cap. 12. quòd cùm reprobi non tam propter ipsos vt æternam vitam assequantur, quàm propter electos creentur, conseruentur, & gubernentur, vt ait August. lib. 5. contra Iulian. cap. 4. & epist. 106. ad Paulinum, & lib. 6. contra Faustum cap. 2. ex quo fit vt quantùm Dei dilectio erga reprobos minuitur, tantùm erga prædestinatos augeatur. Cùm, inquam, ita sit: innumeræ existunt vtilitates, quas ele- 52.

ctis Dei filiis conferunt reprobi: quæque ad duo, aut tria capita generalia reduci possunt: nimirum ad ornatum præsentis sæculi, ad quem multis modis conferunt reprobi, cuius vtilitas in corporalem electorum fructum redundat: vtque electi per ea, quæ contingunt reprobis, multis modis doceantur: ac denique per eos exerceantur, atque proficiant in studio virtutis. Quæ tria deinceps capite 12. & seqq. fusè prosequitur, & testimoniis D. Augustini latè confirmat.

53. *Doctrina Iansenij non est consentanea Dei bonitati.* Verùm quod attinet ad obiectionem propositam, prior responsio Iansenij, quâ præcedentes quoque obiectiones eludere conatus est, satis refutata manet ex dictis suprà numero 22. Ad posteriorem dico, non esse hîc quæstionem vtrum creatio Angelorum, & primorum hominum, cum libertate arbitrij, & auxiliis ad salutem consequendã sufficientibus, fuerit bonitati & clementiæ diuinæ consentanea; vel æterna damnatio dæmonum supposito eorum peccato; vel priuatio beneficiorum status innocentiæ propter lapsum Adami: Sed vtrum bonitati & clementiæ Dei consentaneum sit, supposito licèt peccato originali, ante omnem considerationem & præuisionem eorum, quæ homines bene aut malè facturi sunt, aliquos & longè plurimos in statu damnationis ineuitabilis constituere, & auxiliis necessariis ad salutem, præceptorúmque obseruantiam destituere; & nihilominus præceptis eos vrgere, & nisi seruent, id est, nisi faciant quod est sibi impossibile carentibus auxilio gratiæ, non solùm Dei visione priuare, sed etiam ignis æterni suppliciis addicere: atque vt pœnas illas infallibiliter & ineuitabiliter incurrant, vel nunquam eos ad iustitiam perducere; vel si aliquando perducantur, cauere ne in eo statu moriantur, sed expectare donec occasio grauiter peccandi occurrat; & illâ occurrente, necessariam ad peccatum vitandum gratiam negare, atque in non peccandi impossibilitate relinquere: Quinetiam remisso per baptismum peccato originali, totâque illius pœnâ, vt contingit multis non prædestinatis; propter illud tamen æternæ pœnæ obnoxios eos tenere, atque vi illius subtrahere illis auxilia damnationi euadendæ penitus necessaria. Quod quid aliud est, quàm huiusmodi homines ad interitum æternum creare: talíque modo creari, non tam beneficium illis collatum, quàm maximum malum iure censeri posse, iuxta illud Christi oraculum, *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Nec vllum esse arbitror hominem boni sensus, qui non mallet se nunquam fuisse creatum, quàm tali modo prouidentiæ esse subiectum, id est, in necessitatem ineuitabilem pereundi, æternísque ignibus ardendi coniectum.

Matth. 25. & Marci 14.

54. *Et procedit ex errore Caluini.* Neque verò procedit hæc obiectio (vt malè ait Iansenius) ex falsa imaginatione quòd homines iam sint in eo statu, in quo Adam fuit à Deo conditus. Nullus enim Catholicus negat naturam humanam per peccatum Adæ fuisse multis beneficiis spoliatam, & in deterius mutatam, ac debilitatam. Sed responsio Iansenij procedit ex errore Caluinistico, quòd liberum arbitrium non modò fuerit infirmatum per peccatum Adæ, verùm etiam extinctum, & amissum: peccaríque in eo quod vitari non potest: & reprobos destitui gratiâ necessariâ ad non peccandum, esséque antecedenter & irreuocabiliter à Deo destinatos ad æternum interitum, ac propter hoc relinqui sine mediis ad illum vitandum necessariis.

Malè comparat reprobos cum Angelis cadentibus. Magnum autem discrimen est inter dæmones, qui ob propriam culpam, tantâ libertate & malitia commissam, damnati, & in perpetuum beneficiis gratiæ priuati, pœnísque ignis æterni addicti sunt: aut infantes cum originali culpa decedentes, qui Dei quidem visione priuantur, aliísque donis supernaturalibus & indebitis, sed non torquentur pœna ignis, aut aliis suppliciis, vt videbimus disputat. seq. & inter adultos, si iuxta doctrinam Iansenij, torquentur æternis illis suppliciis vltra pœnam damni, non solùm propter peccatum originale quamuis remissum in baptismo; verùm etiam propter propria peccata actualia, cum impossibilitate ea vitandi commissa: & quia antecedenter fuerunt à Deo reprobati, constituuntur in statu absolutæ impotentiæ emergendi totaliter ex massa damnationis, priuantúrque auxiliis ad euadendum sufficientibus. Falsò autem supponit dæmones peccare culpabiliter cum absoluta impotentia non peccandi. Nam vt alibi probauimus, & manifestis Augustini testimoniis confirmauimus, nemo peccat culpabiliter in eo quod vitare non potest. Neque puniuntur dæmones in inferno propter ea quæ faciunt ex absoluta impotentia abstinendi: imò neque propter ea quæ liberè malè faciunt in statu damnationis: sicut neque alij damnati. Quarè deteriorem facit hominum conditionem Iansenius, cùm vult eos in viæ statu positos mereri damnationem, & suppliciorum æternorum augmentum, per ea quæ faciunt ex antecedenti necessitate, & impotentia ad oppositum.

Malè quoque infert non esse alienum à Dei bonitate & clementia, quòd antè præuisionem operum, solo peccato originali præsupposito, maximam hominum partem reprobauerit, & necessariis mediis salutis destituerit: ex eo quòd Angelos peccantes, in ictu oculi damnauit, & in æternum priuauit auxiliis gratiæ ad seruandam etiam legem naturalem requisitis: quódque plurimos infantes sine baptismo vel alio peccati originalis remedio mori permittit. Nam neque Angeli qui peccarunt, & damnati sunt, caruerunt auxiliis sufficientibus ad peccatum vitandum, & salutem consequendam, toto eo tempore quod ad merendum vel demerendum habuerunt, & (vt dicitur) in via fuerunt. Neque infantes moriuntur priuati remedio peccati originalis, ex antecedenti Dei voluntate; sed tantùm consequente, & permissiua, supposito cursu naturalium causarum, atque etiam (vt alibi ex Prospero probauimus) aliquâ culpâ parentum, aut aliorum, quibus salus paruulorum commissa fuit; aut eorum, quorum malitiâ vel occiduntur antequam baptismo frui possint; vel datâ licèt copiâ, illo priuantur. Ex quibus non nisi ineptè inferri potest quod vult Iansenius, non magis repugnare Dei clementiæ & bonitati quòd pro suo mero beneplacito & antecedenti voluntate homines longè plurimos reprobauerit; & aliquos reprobatos istam vitam gratiæ cælestis adiutoriis planè destitutos transigere sinat, vt aliquibus contingere putat: 55.

alij verò ex ipsa collata gratia, quam subinde tribuit, grauiores accumulent cruciatus, neque per illam possint è massa damnationis euadere.

56. *Vtilitates orta ex reprobis.* Non est quidem dubitandum omnia esse quodammodo propter electos, iuxta illud Apostoli, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*: magnásque vtilitates illis prouenire ex reprobis: siue quia aliquid conferunt ad ornatum & cōmodum vniuersi; vt multi eorum fecerunt, & adhuc faciunt, suâ doctrinâ, vel industriâ, vel fortitudine & magnitudine animi, alijsq; dotibus: siue ad eosdem multipliciter erudiendos per ea quæ vident euenire reprobis: siue denique ad exercendam illorum patientiam, & dandam occasionem vt proficiant in studio & exercitio virtutum, ex quo ampliorem in cælo gloriam consequantur. Sed eiusmodi vtilitates non excusant ab absurditate sententiam aduersarij, neque efficiunt vt modus prouidentiæ diuinæ erga reprobos, qualem ipse imaginatur, non videatur meritò esse longè alienus à Dei bonitate & clementia, qui (vt Scriptura testatur) vult omnes homines saluos fieri, & neminem perire, & Sacramenta, aliáque media salutis omnibus proponi, & mandata sua ab omnibus seruari vt saluentur, & denique in eum finem Christum Mediatorem & Redemptorem omnibus dedit.

57. *Æquè proueniunt electis, iuxta nostram & veram sententiam.* Neque verò vt tria illa vtilitatum genera eueniant ex reprobis, & redundent in electos, necessarium est electionem & reprobationem factam esse antecedêrer ad præuisionem operum, & tradi executioni per media necessitantia, vt vult Iansenius. Nam perinde euenient licèt consequenter sit facta, & mandetur executioni per media libertati voluntatis humanæ subiecta, vt docet vera sententia. Perinde enim verum erit quod ait Augustinus libro 5. contra Iulian. cap. 4. Deum nullum eorum temerè & fortuitò creare, aut quid de illis boni operetur ignorare: cùm & hoc ipso bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Et libro 9. de Genesi ad lit. capite 9. *An verò ita quis cæcus est mente, vt non cernat quanto terris ornamento sit genus humanum, etiam cùm à paucis rectè laudabilitérque viuatur: quantúmque valeat ordo reipublicæ, in cuiusdam pacis terrenæ vinculum coërcens etiam peccatores.* Et quod ait Prosper ad obiect. 13. Gall. *Ornari etiam talium* (reproborum) *conditione mundi huius varietatem quis non intelligat? Qui videat studiis & operibus quorumdam impiorum tot commoda vitæ præsentis instructa in inuentione artium, in extructione vrbium, in constitutione legum, in confederatione populorum.*

58. Perinde quoque verum erit quod ait Augustinus in Psal. 87. In reprobis demonstrari, *quæ sit Dei gratia in prædestinatis qui secundùm propositum vocati sunt. Vnde ipsum corpus* (Ecclesiæ, in cuius vtilitatem hoc cedere ait) *in alio Psalmo dicit, Deus misericordia eius præueniet me: Deus meus demonstrauit mihi in inimicis meis.* Et epist. 157. ad Optatum: *Si præter illos, qui in Dei filios adoptantur, nulli alij homines nascerentur, lateret beneficium quod donaretur indignis: quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur.* Et quod ait libro 2. de nuptiis capite 17. Iustos hinc discere *non in seipsis, sed in Domino gloriari: & mundari ab operibus malis per timorem Dei, quando vident supplicia peccatorum*, vt addit lib. 1. ad Simplician. quæst. 2.

Perinde etiam verum erit quod idem S. Doctor affirmat libro 11. de Genesi ad lit. capite 6. iustos per iniustos, & pios per impios proficere: neque fuisse causam cur Deus non crearet quos præsciebat malos futuros: *Cur enim non crearet quos sciebat bonis profuturos, vt & vtiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendisque nascantur, & iustè pro sua mala voluntate puniantur?* Et quod ait libro de vera relig. cap. 6. *Vtitur* (Deus) *Gentibus* (paganis) *ad materiam operationis suæ: hæreticis ad probationem doctrinæ suæ: schismaticis ad documentum stabilitatis suæ: Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Et Prosper ad obiect. 13. Gall. *Si quæritur*, inquit, *an de istis quos à vera religione impius error auerit, aliquid boni ad profectum Sanctorum, & incrementum Ecclesiæ prouidentia diuina contulerit: inspiciatur primùm ipsa crux Christi, in qua magno scelere Iudæorum &c. Inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia &c. Inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palma, quibus de crudelissima infidelium sæuitia fœlix est collata victoria.* Cùm igitur hæc omnia sint æquè vera iuxta nostram verámque sententiam: non est quòd propter huiusmodi vtilitates, ad prædestinationem & reprobationem antecedentem & necessitantem recurratur, quæ aliunde tot incommodis vrgetur, tótque argumentis insolubilibus falsa esse conuincitur, vt patet ex præcedentibus. 59.

SECTIO VI.

Examinatur epilogus Iansenij.

Opvs suum de Gratia concludit Iansenius breui epilogo, quo affirmat se in omnibus quæ de primi hominis gratia, & statu, & lapsu, de posteritatis pœnis, de liberi arbitrij prostratis viribus & suppliciis, de pura natura, de damnatæ naturæ liberatione, de Christi Saluatoris medicinali adiutorio, de primæ & secundæ gratiæ differentia, de vtriusque cum libero arbitrio concordia, de prædestinatione denique ac reprobatione hominum atque Angelorum disseruit, non sua sensa sed doctrinam Augustini expressisse: nec quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in doctrina Catholicæ Ecclesiæ tradidisse; sed quid Augustinus tenendum asseruerit, ac docuerit. Cuius in scriptis euoluendis, veróque illius sensu inuestigando, nec precibus ad Deum fusis, nec laboribus multorum annorum pertinacibus assiduísque pepercerit: ne fortè vel defectu pietatis, ab ostio inueniendæ veritatis repelleretur; vel defectu lectionis diuturnæ, ac sæpius repetitæ, ac ponderationis omnium quæ vndequaque consideranda videbantur, temerè ferret de inuenta quasi veritate sententiam: néve sibi contingeret, quod non paucis huius æui Theologis, iis etiam qui se duces opinionum hoc tempore capitalium profitentur, qui obiectiones errantium pro solutionibus Augustini 60.

arripuerunt in illis capitibus doctrinæ, vbi de summa rerum agebatur. Quòd si aliqua in parte à vero profundissimi Doctoris sensu assequendo aberrauerit, gratum sibi fore si quis errâsse demonstrauerit. Interea verò, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non iuxta suum, sed iuxta S. Doctoris sensum pronunciauerit, & ex Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Romanæ matris suæ iudicio sententiáque suspendere: vt illud iam nunc teneat ipse, si tenendum; reuocet, si reuocandum; damnet & anathematizet, si damnandum & anathematizandum esse iudicauerit.

61. *Ficta submissio Iansenij, & verus contemptus Sedis Apostolicæ.* Verùm huius submissionis sinceritatem suspectam mihi reddit, quòd tam frequenter, támque manifestè definitionibus Concilij Tridentini sese opponit in asserenda amissione liberi arbitrij per peccatum Adæ, impossibilitate seruandi mandata, necessitate inductâ per gratiam, & similibus. Quódque propositiones Michaëlis Baij, à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. solemniter prohibitas in perpetuum, & damnatas, instaurare non dubitauerit, atque (vt ait Vrbanus VIII. in Bulla contra ipsum data) *magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis Sedis Apostolicæ contemptu, contra prefatas damnationes, & prohibitiones, defendere.* Quòd præterea eodem tenore verborum simul affirmar, se non sua sensa, neque quid tenendum aut non tenendum sit in Ecclesia, tradere; sed quid senserit Augustinus, quídve tenendum aut non tenendum esse docuerit. Istud enim longissimè abesse à sinceritate, & à veritate, patet ex eo quòd sexcentis locis affirmat esse de fide falsa dogmata quæ tradit: & Theologos contrarium sentientes, Pelagianos aut Semipelagianos, & interdum vtrisque peiores esse confidenter pronunciat: & multa profert ex suo sensu, nusquam ab Augustino dicta: ac fere vbique illius sententiam ad errores Caluinistarum & Lutheranorum detorquet, posthabitâ Doctorum Catholicorum explicatione, & communissimo Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Scripturæ ipsius diuinæ iisdem de rebus sensu atq; iudicio. Neque minùs à sinceritate & veritate abest quod ibidem affirmat & alibi sæpius inculcat, præcipuos è recentioribus Theologis adeo in Scriptis Augustini, siue legendi incuriâ, siue oscitantiâ, esse hallucinatos, vt obiectiones Pelagianorum pro vera eius doctrina arripuerint. Nam cùm tria tantùm exempla huius hallucinationis in toto suo operoso volumine protulerit, nullum illorum est, in quo non sit ipsamet sancti Augustini doctrina, & propria resolutio, id quod illi tanquam ab ipso pronunciatum, & ex propria sententia assertum retulerunt, vt suis locis demonstrauimus.

62. *Cur meritò suspecta?* Eandem quoque submissionem animi suspectam mihi reddunt alia multa, quæ nos breuiter variis locis tetigimus, fusiúsque prosequitur Vincentius Seuerinus cap. 1. Catholicæ disceptationis de Ecclesia præsentis temporis. Primum est, quòd (vt non minus verè, quàm eleganter ait auctor citatus) solemnes illæ sunt nascentium hæreticorum cantilenæ: qui cùm intelligant Ecclesiasticæ auctoritatis mole, se statim opprimendos, si apertè resisterent, animum simulant parere promptum, & fictitiâ submissæ voluntatis significatione tamdiu declinant propositas pertinacibus pœnas, donec adulto iam errore, latiúsque propagato, sperent se impunè repugnaturos. Sic Lutherus inter alios suam erga Leonem X. submissionem perfectam profitebatur, ab eo postulans vt viuificaret, occideret: vocaret, reuocaret: approbaret, reprobaret, vt sibi visum esset. Vocem eius, vt vocem Christi præsidentis & loquentis, se planè agniturum, debitâque obedientiâ & reuerentiâ prosecuturum. Paulò pòst verò ab eo damnatus, appellauit à Leone X. malè informato, ad eundem meliùs informandum. Persistentéque in sententia Pontifice, rursus prouocauit à Leone Papa X. malè consulto, ad futurum Concilium legitimè & in loco tuto congregatum: pollicitus se nihil velle dicere contra vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam esse totius orbis magistram, & principatum tenere non ambigeret. Sed istud quoque non nisi simulato animo dictum ab eo fuisse manifestum faciunt, tum quæ deinceps contra Ecclesiam Catholicam totâ vita molitus est: tum etiam quæ ipsius Sectatores, & fictæ submissionis atque obedientiæ, non minùs quàm doctrinæ hæredes, contra eandem Ecclesiam scribere & facere perrexerunt, posthabitâ Concilij Tridentini, id est, totius Ecclesiæ Catholicæ in eo repræsentatæ, auctoritate, fractísque omnibus submissionis & obedientiæ illi debitæ repagulis.

Secundum est, quòd (vt rectè addit auctor suprà citatus) tam malè de Ecclesiá, & Romano Pontifice illius capite sensit Iansenius, vt non dubitauerit scribere, Scholasticorum irruptiône adeo turbatam esse fidei doctrinam, vt capitalia quædam dogmata fuerint obliterata, atque à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. ad tempus ideo prohibita, quòd eorum propositio scandalum daret fidelium animis, per contrarios errores occupatis. Et Ecclesiam quidem seruare rectam fidem in canonibus & oratione Dominica: sed in conclusionibus deinde, vel in expressiori eorum intelligentia & interpretatione, contingere posse tale quidpiam, quale contingit iis qui in administratione Sacramentorum intentionem habent vniuersalem bonam faciendi quod Christus instituit, particularem verò malam & erroneam: contingere, inquam, hoc posse in maiori parte Ecclesiæ. Et quia nihil obstat quo minùs ex hoc maiori parte Concilium cogatur, facile est ad intelligendum quid hinc sequatur: nimirum id quod de Concilio Tridentino dixit alter præcipuus nouæ doctrinæ mystes, Ioannes Vergerius Abbas Sancyranus: In Concilio Tridentino præcipuas partes fuisse Papæ, & Scholasticorum, qui doctrinam antiquæ Ecclesiæ plurimùm immutarunt: nec adhærendum esse illius decisionibus, eò quòd more antiquorum Conciliorum celebratum non sit. Addidítque Ecclesiam quæ nunc est, nec alio sensu, nec aliâ ratione veram Ecclesiam esse, quàm quia successit in locum veræ: ad eum modum, quo aqua lutulenta & corrupta, quæ in alueum successisset quo antea defluebat illimis & nitida, eiusdem nominis flumen esset. 63. *Quàm malè sentiat de Pontifice, & Ecclesia?*

Tertium est, quòd Iansenij Sectatores eodem spiritu afflati, eiúsque submissionis, vt & do- 64. *Pertinacia discipulorum eius.*

ctrinæ, veri successores, parem cum illo reuerentiam & obedientiam erga Sedem Apostolicam in suis libellis & Apologiis profitentes, nihil minus præstant: sed quidquid illa statuat, quidquid iubeat, obstinatè persistunt in sua sententia, certi nunquam illius definitioni acquiescere, nisi definiat quod ipsi volunt. Et primò quidem (vt dicere pergit auctor suprà laudatus) Bullam Vrbani VIII. contra Iansenium editam, suppositititiam esse pronunciarunt. Deinde cùm idem Pontifex vrgeret, & veram esse testaretur, dixerunt esse *sub & obreptitiam:* circumuentum enim fuisse Pontificem Molinistarum arte, falsísque delationibus: & quidquid continet contra illum auctorem, *in eam irrepsisse præter, & contra intentionem Pontificis.* Quod fuit, exemplo Lutheri, dicere *Papam malè informatum fuisse.* Ideóque missi ab illis fuerunt Dominicus de Papæ, & Ioannes Sinnich, Doctores Louanienses, qui apud Pontificem Iansenij causam agerent, ipsúmque meliùs informarent. Quæ fuit iterum exemplo Lutheri quædam quasi appellatio à Papa malè informato, ad eundem meliùs informandum. Cúmque post omnes eiusmodi informationes perstaret Pontifex, & repetitis Breuibus Apostolicis ad Gubernatores, ad Episcopos, ad Academias, ad priuatos Doctores, acceptationem vrgeret Bullæ: vlteriores promere cœperunt cogitationes: & iam scripta quædam circumferuntur, queis dicunt, *Si ea Bulla sententia esset, quam asserunt qui nouo Augustino aduersantur, verendum esse ne tandem reuocetur, & pari atque olim animorum motu agitetur antiqua illa controuersia, An in causis fidei à Pontifice ad futurum Concilium prouocare non liceat? Nec deesse qui Bullas Pontificias, etiam in materia fidei & doctrinæ, licitè suspendi posse existiment:* nimirum ab iis quibus proponuntur. Quin etiam recentissimè typis mandata est *supplicatio orthodoxorum* (id est, Iansenistarum) *ad Summum Pontificem, pro generali Synodo celebranda:* in qua postulant vt *post centum ferè annos à Tridentina Synodo absolutos plenior alia œcumenica Synodus fiat,* (quasi verò illa non fuerit plenaria & vniuersalis) ídque à toto orbe Christiano postulari mentiuntur: ad decidendas scilicet (vt aiunt paulò pòst) doctrinæ controuersias, quibus Ecclesia hoc tempore turbatur, & in contrarias partes diuiditur. Quæ supplicatio est manifesta à Summo Pontifice ad Concilium generale appellatio, exemplo Lutheri: & iusta causa præsumendi est non magis illius definitioni suos errores damnanti acquieturos, quàm Lutherus, & Caluinus, eorúmque Sectatores acquieuerint Concilio Tridentino illorum causa celebrato: quod etiam quanti faciant ipsi, liquet ex dictis num. 63. Denique, quàm grauiter & iniquo animo ferant Reuerendissimum & Illustrissimum Episcopum Vabrensem, Isaacium Habert, cum longè maiori parte Episcoporum Galliæ, recurrere ad Summum Pontificem Innocentium X. ab illóque postulare vt sententiam ferat, & speciali Censurâ notet capitales aliquot propositiones Iansenij, manifestum facit scriptum recèns editum, quo suprà nominatum Episcopum grauissimè reprehendunt, eò quòd suæ dignitatis oblitus, & officij immemor, deferat ad Pontificem id, cuius decisio ad ipsummet, & alios Episcopos Galliæ pertinebat: & ob plures alias futiles ratiunculas non modò supremi tribunalis Ecclesiæ iudicium declinare nituntur, suæ videlicet causæ diffisi: verùm etiam apertè denunciant, si Pontifex contra ipsos pronunciet, nihil inde secuturum præter graue scandalum Ecclesiæ, maiorémque obstinationem eorum qui Iansenij doctrinæ addicti sunt. Hæc est igitur *perfecta* illa *submissio* discipulorum Iansenij erga sanctam Sedem, *Hac hæreditaria humilitas & obseruantia,* quam ab eo vnà cum patrimonio doctrinæ acceperunt.

65. *Augustinus, & alij Patres recurrebant ad Pontificem in causis fidei.*

In quo dici vix potest quantùm Iansenius, eiúsque Sectatores à sensu & praxi D. Augustini dissideant, cuius tamen doctrinæ & iudicio penitus adhærere videri volunt. Quippe qui in causis fidei, & controuersiis de doctrina exortis, ad Sedis Apostolicæ iudicium recurrebat: & ad illius auctoritatem veluti infallibilem hæreticos sui temporis prouocabat: vt Donatistas, sic eos alloquens in psalmo contra partem Donati, *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit videte: ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Idémque cum aliis Africanis Episcopis causam Pelagij & Celestij ad Innocentium Papam detulit, vt videre est epist. 90. & 92. Et lib. 1. ad Bonifacium Romanum Pontificem cap. 1. submittit illius iudicio quæ scripserat contra eosdem Pelagianos quatuor libris ad illum inscriptis, *examinanda, & vbi forsitan aliquid displicuerit, emendanda.* Similique modo Prosper eius discipulus causam Semipelagianorum ad Cœlestinum Papam detulit, postulans ab eo definiri quid à Catholicis tenendum esset circa controuersias à Massiliensibus excitatas: quâ occasione scripsit Cœlestinus epistolam suam ad Episcopos Galliæ, in qua statuit quid ex Apostolicæ Sedis auctoritate tenendum esset ab iis omnibus qui volunt esse Catholici. Et ante vtrumque Hieron. epist. 57. ad Damasum, circa quæstionem suo tempore magnâ contentione agitatam de tribus hypostasibus, sic eum alloquitur postulans ab eo definiri quid tenendum sit, affirmánsque si quid in contrarium à quouis alio diceretur se cóstanti animo reiecturum. *Ego,* inquit, *nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedra Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in area Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Et paulò pòst: *Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Et sequenti epist. 58. ad eundem: *Hinc præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat &c. Ego interim clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.* Et longè antea idem fecisse Polycarpum, consulendo Anicetum Papam super quæstionibus de Paschate, testatur idem Hieron. in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. De Cypriano quoque idem constat ex variis eius epistolis præsertim ad Cornelium Papam. Et generaliter Irenæus lib. 3. cap. 3. dicit ad Ecclesiam Romanam prouocari & confundi solere omnes hæreticos, falsorúmque dogmatum inuentores aut restauratores;

ratores; cùm sic ait: *Maxima & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata, & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis Traditio.* Ad eandem Ecclesiam Romanam, id est, ad Sedem Apostolicam, seu Romanum Pontificem toti Ecclesiæ præsidentem, & supremum controuersiarum de rebus fidei iudicem, missos fuisse ex toto orbe hæreticos, vt vel palinodiam canerent, vel meritam condemnationem subirent, testantur historiæ Ecclesiasticæ: vt de Marcione videre est apud Baron. tom. 2. an. Chr. 146. de Valentino an. 155. de Origene an. 248. de Africanis an. 254. de Vrsacio & Valente an. 350. de Vitale an. 373. de Pelagio & Celestio an. 416. & 417. & de aliis, seqq. sæculis.

Superioribus adde quod ait Innocentius I. rescribens Patribus Concilij Mileuitani, epist. 93. inter Augustinianas: *Diligenter, & congruè Apostolico consulitis honori; honori, inquam, illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia: antiqua scilicet regula formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam.* Et paulò pòst: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & coëpiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.* Et quod ait Petrus Chrysologus in epistola ad Eutychetem, præfixâ Actis Græco-Latinis Concilij Chalcedonensis: *In omnibus hortamur te, frater honorabilis, vt his quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Et quod aiunt Iulius I. epist. 2. citans decretum Concilij Nicæni, Damasus I. epist. 3. ad Stephanum, Innocentius I. in epistolis ad Concilia Carthaginense, & Mileuitanum, quæ sunt inter Augustinianas 91. & 93. Leo I. in epist. 84. ad Anastasium, & 89. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ, Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ, Gregorius lib. 4. epist. 52. ad Episcopos Galliæ, Innocentius III. cap. *Maiores, de Baptismo, & eius effectu*, & plures alij Summi Pontifices: causas grauiores, & præsertim fidei, ad iudicium Sedis Apostolicæ pertinere.

Adde præterea quod ait Cyrillus in Thesauro, relatus à D. Thoma in opusc. de erroribus Græcorum: *Debemus nos capiti nostro Romano Pontifici adhærere. Ad omnes pertinet ab eo quid credendum, ac tenendum sit, accipere.* Et quod ait Cyprianus lib. 1. epist. 3. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur &c.* Et quod ait Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 1. sic Vrbanum Papam alloquens: *Quoniam diuina prouidentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitã, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur.* Hæc certè omnia Sole clariùs ostendunt longissimè dissidere à SS. Patrum sensu, & perpetuo vsu Ecclesiæ, nouos Dogmatistas, qui tam ægrè ferunt deferri sua dogmata ad Sedem Apostolicam, nihilque non faciunt vt illius iudicium declinent, more solemni hæreticorum.

67. *Ecclesia, & Summi Pontifices sunt nunc æquè infallibiles.*

Grauiter autem errant Ianseniſtæ, & hæretico falluntur spiritu, si putant Romanam Ecclesiam quæ nunc est, & Sedem Apostolicam, id est, Romanum Pontificem & totius Ecclesiæ rectorem, minus habere auctoritatis & infallibilitatis in decidendis fidei quæstionibus, quàm habuerit tempore Augustini, Hieronymi, Cypriani, & aliorum suprà nominatorum. Quasi verò infallibilitas à Christo data Petro, eiúsque successoribus, non in perpetuũ fuerit illis concessa: & non potiùs Christus absolutè pronunciauerit Matth. 16. portas inferi non esse præualituras aduersus Ecclesiam in Petro fundatam, eiúsque fidem nunquam esse defecturam Luc. 22. Certè si non in perpetuum, sed ad aliquod tempus data fuisset eiusmodi infallibilitas: cùm Christus nullibi tempus illud determinauerit, nec Scriptura diuina vel traditio illud expresserit; inefficax fuisset argumentum à Patribus suprà nominatis ex eius auctoritate deductum contra hæreticos sui temporis, nisi probâssent efficaciter tempus illud nondum elapsum esse. Quod neque fecerunt, neque facere potuerunt supposito falso illo principio, quòd infallibilitas fuerit solùm ad tempus aliquod, illúdque indeterminatum, Ecclesiæ Romanæ Sedíque Apostolicæ concessa.

68. *Illustre sancti Bernardi testimonium.*

Concludo itaque verbis S. Bernardi ad Innocentium II. scribentis de erroribus Petri Abailardi, & exemplo Patrum suprà nominatorum, iuxta communem & perpetuum vsum Ecclesiæ, ad iudicium Sedis Apostolicæ recurrentis, epist. 190. quæ sic habet: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide cõtingunt. Dignum namq; arbitror ibi potissimum resarciri dãna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Id quidem modò necessarium. Tempus est vt vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & sedem, si vestrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestrâ auctoritate conteritis fidei corruptores.* Huc vsque Bernardus.

69. *Ecclesiæ infallibilitas est perpetua.*

Et verò si Sedes Apostolica, supra quam Christus Ecclesiam fundauit, non esset perpetuò firma & infallibilis in doctrina fidei; non esset verum quod Christus pronunciauit, portas inferi nunquam aduersus eam præualituras, Matth. 16. & quod Petro, illiúsque in officio Pa-

storis vniuersalis successoribus prædixit Luc. 22. *Rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua:* & quod ait Apostolus 1. Timoth. 3. ver. 15. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis: neque enim stabile & firmum potest esse ædificium, si labat fundamentum. Plura de hac veritate Catholica videri possunt apud Bellarminum lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. & 3. & lib. 3. de Ecclesia cap. 14. & apud interpretes D. Thomæ 2.2. q.1. art.10. & Vincentium Seuerinum in sua Disceptatione Catholica de Ecclesia præsentis temporis, præcipuè cap. 5. & seq. vbi solidè refutat hunc errorem capitalem Iansenij, eiúsque Sectatorum, æquè ac Lutheri, & Caluini, aliorúmque hæreticorum, quòd Ecclesia præsentis temporis non habeat eãdem auctoritatem & infallibilitatem in doctrina fidei, quam habuit tempore Augustini, & Basilij, seu quinque prioribus sæculis, sed ab illa puritate doctrinæ quæ tunc erat, iam ad varios errores declinauerit, ab ipsis tanquam diuinitus suscitatis repurgandos. Propter quod etiam volunt ad illa prima sæcula recurrendum esse in controuersiis de fide excitatis, atque inde peti earum decisionem, & traditionum veritatem. Imò ne quidem vsque ad tempus Basilij & Augustini puram fuisse dicunt, sed ipso secundo sæculo cœpisse in errorem Semipelagianum prolabi: & Scriptores inter Origenis & Augustini ætatem interiectos, plerósque Semipelagianâ labe infectos fuisse, quàm postea scilicet Augustinus purgauerit: vt ait eorum Antistes lib. 7. de hæresi Pelag. cap. 17. In quo rursus imitantur Lutheranos, qui docent, ab ipso tempore Irenæi, & Origenis, cœpisse doctrinam Ecclesiæ in errores inclinare: vt videre est apud Centuriatores Magdeburgenses Centuria 2. cap. 4. cuius titulus est, *Inclinatio doctrinæ.* Eorum verba retulimus disputat. 3. num. 23.

70. *Excludit errorem etiam inculpabilem.* Neque satisfacit quod dicunt aduersarij, Ecclesiam in suis precibus, & canonibus, tanquam in principiis vniuersalibus semper retinere veram fidem, licèt in particularibus dogmatibus à vero aberret, parata amplecti veritatem, si apertè detegatur. Enimuerò Scripturæ testimonia iam citata, aliáque multa non solùm excludunt ab Ecclesia omnem errorem culpabilem in doctrina fidei, sed etiam inculpabilem. Nam alioqui portæ inferi eatenus contra illam præualerent; & Ecclesia non esset columna & firmamentum veritatis, sed errori succumberet, si posset decipi credendo falsum, aut negando aliquod fidei dogma, etiam per errorem inculpabilem: neque enim tunc veritatem, sed errorem fulciret, neque haberet infallibilem & perpetuam Christi, & Spiritûs sancti assistentiam, quâ doceatur omnem veritatem: vt dicitur Matth. 25. Ioan. 14. & 16. & circumueniretur erroribus, ventísque variis doctrinæ fluctuaret, contra id quod dicitur Ephes. 4. ver. 11. Christum Ecclesiæ suæ dedisse *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Ex quibus & similibus locis sæpius probat Augustinus durationem perpetuam, & infallibilitatem Ecclesiæ vsque ad mundi consummationem, tum in libris contra Donatistas, tum in aliis lucubrationibus. Quæ testimonia diligenter collecta, & accuratè expensa videri possunt apud auctorem & librum suprà citatum, præcipuè cap. 5. *Vincent. Seuerin. in Disceptat. Cathol.*

Adde quòd, si Ecclesia Christi posset errare credendo aliquid falsum tanquam fide certum, etiam per ignorantiam inuincibilem, tota vel ferè tota eius fides dubia redderetur; quia in plurimis dubitare posset, & formidare, ne fortè per ignorantiam decipiatur: possentque meritò dubitare fideles, sintne vera ea omnia quæ credenda proponit: ac certè non haberent sufficiens fundamentum credendi fide diuinâ dogmata illa, quorum vltima resolutio credibilitatis fit in auctoritatem Ecclesiæ proponentis. Alia multa contra hunc errorem capitalem appositissimè scripsit idem auctor capite septimo eiusdem Disceptationis Catholicæ: quæ quia plurimùm valent ad totam Iansenij doctrinam funditus euertendam, visum est mihi post hanc postremam cum illo concertationem hoc loco transcribere. Sic igitur habet

DISCEPTATIONIS CATHOLICÆ VINCENTII SEVERINI.

CAPVT VII.

NOV-AVGVSTINIANI dicunt Ecclesiam *nullo erroris in fide, aut hæreseos crimine fœdandam, etiamsi non exigua sed maxima eius pars in obscuris quæstionibus aliter quàm se res habet opinando coniiceret.* Satis nimirum esse *quòd rectè credat, fidémque suam palam in precibus, & orthodoxis loquendi formulis fateatur,* etiamsi deinde in eorum intelligentia, & explicatione filij eius confligantur variis opinionibus, *quibus occultè* FIDES IPSA, QVAM TVENTVR, EVERTATVR. Atque hoc contigisse in plerisque capitibus doctrinæ, in quibus ab Augustino Scholastici recessere. Nempe rectissimam fidem ab vniuersa Ecclesia seruatam *in suis canonibus, & precibus, ipsáque oratione Dominica; sed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt, hinc diuersis opinionibus à se diuulsos,* QVIBVS INADVERTENTER FIDEM ALIQVI, QVAM CATHOLICE PROFITENTVR, INTERIMVNT. Sed quemadmodum in Sacramentorum administratione, intentio faciendi quod facit Ecclesia, corrigit latenter opiniones, quibus falsa, imò & hæretica de Sacramentorum formis opinantur: ita & hîc *fidem immobilem, quâ credunt verum esse quod in canonibus, vel oratione ad Deum fusâ profitentur, corrigere falsas opiniones, iuxta quas cum animi submissione sub tribunal Ecclesiæ fidem explicant: ita vt inde nulla in animum credentem hæreseos labes cadat.* 71. *Lib. proœm. capite 30.*

Vnde concludunt, *Nullam Scholasticarum opinationum vetustatem,* QVANTOCVNQVE PATROCINANTIVM NVMERO ROBORATAM, QVIBVSCVNQVE LOCIS DIFFVSAM, QVOTCVNQVE ÆTATIBVS PROPAGATAM, *fidem Ecclesiæ* 72.

labefactare, aut maculare: nec impedire quo minùs ea huiusmodi opiniones *ad incudem reuocet, & de nouo examinet*: nec sapienter facturum qui recentiorum Doctorum *numerositate, vel auctoritate moueatur*: vnum Augustinum præferendum esse *quantumlibet numerosæ repugnantium multitudini*: Ad ipsum prouocandum *ab omnibus quantumlibet numerosis*: incomparabiliter magis illi vni credendum, *quàm iis, qui sibi de benigniori Ecclesiæ censura gratulantur*.

73. Ex quibus constat id, quod dicunt fieri posse, vt aliqui fidem, quam rectè profitentur in communibus loquendi formulis, & oratione Dominica, prauâ intelligentiâ *interimant, & euertant*; non intelligi tantùm de vno, aut altero, sed de maiori parte Doctorum, & Doctoribus adhærentium, hoc est, de maiori parte Ecclesiæ. Hoc enim ostendit primò quòd supponunt, NON EXIGVAM, SED MAXIMAM ECCLESIÆ PARTEM *in obscuris quæstionibus sentire posse opinando aliter, quàm se res habeat*. Quod cùm dicunt, non agunt de quadratura circuli, vel de quiete mobilium in puncto reflexionis, sed de fidei doctrina. Volunt ergo in materia fidei *non minimam, sed maximam Ecclesiæ partem*, per ignorantiam, vel obliuionem eorum, quæ reuelata sunt, aut potiùs definita, opinando aliter sentire posse, quàm se res habeat. Secundò id etiam ostendit quod inferunt, opinionum vetustatem *quantocunque patrocinantium numero roboratam, quibuscunque locis diffusam, quotcunque ætatibus propagatam*, non maculare fidem Ecclesiæ, nec impedire, quo minùs opiniones illas ad incudem reuocet, & de nouo examinet. Quod falsum esset, si supponerent occultam illam vniuersalis fidei euersionem, & interruptionem, quæ per huiusmodi opinationes fit, paucis tantùm fidelibus, & minori parti Ecclesiæ posse contingere. Hoc enim supposito, necessarium esset argumentum, quo sequeretur verum esse tenendúmque quod maior pars diceret, postquam non nisi minor falli potest: ac proinde non liceret *à quantalibet numerositate* appellare, vel ad Augustinum, vel ad aliud vllum tribunal. Existimant ergo, etiamsi tanta supponatur numerositas Doctorum, & Doctoribus adhærentium, vt maiorem Ecclesiæ partem conficiat; posse tamen falsâ eorum, quæ in vniuersum rectè credunt, intelligentiâ opinando decipi, & occultè *fidem euertere, atque interimere*; dummodò id fiat cum animi submissione, & præparatione ad veritatem recipiendam cùm primùm illuxerit.

74. Huc igitur tandem Nou-Augustinianorum doctrina reducitur, vt credatur, *non exigua, sed maior pars Ecclesiæ sentire posse opinando aliter, quàm se res habeat, idque in rebus fidei*: Item vt credatur *maior pars Ecclesiæ* ita posse opinando interpretari quod in vniuersum rectè credit, vt inscienter rectam illam fidem *euertat, & interimat*: Nec tantùm posse illud accidere: sed accidisse reipsa in controuersiis, quæ modò tractantur: Maiorem videlicet Ecclesiæ partem, quamuis rectam fidem teneret in suis formulis, & canonibus, & oratione Dominica, falsâ tamen eorum intelligentiâ rectam illam fidem opinando euertisse atque interemisse. Et quia doctrina illa, in qua id accidisse putant, continet (vt illi dicunt) *fundamentales doctrinas contra Pelagianam hæresim, & bases fidei*; fit vt credenda sit Ecclesiæ maior pars *circa fundamentales doctrinas, & bases fidei*, opinando aliter sensisse, quàm oporteret, & *euertisse, atque interemisse* rectam fidem, quam in suis canonibus, & formulis, & orationibus profitetur. Iam verò maior pars Ecclesiæ, loquendo simpliciter & absolutè, est Ecclesia: ergo iuxta principia huius Theologiæ, simpliciter & absolutè loquendo, *Ecclesia malè intelligens quod rectè credebat circa fundamentales veritates & bases fidei, opinando aliter sensit quàm oporteret, suámque illam fidem rectam occultè euertit, & interemit*. Vnde lector facilè intelligat, an non vtiliter Nou-Augustiniani operam suam posuerint, dum indefesso viginti duorum annorum labore Augustinum versando, hunc doctrinæ thesaurum tam pretiosum, & Ecclesiæ auctoritati confirmandæ, tuendæque contra hæreticos illam oppugnantes tam opportunum inuenerunt. De statu puræ naturæ lib. 3. cap. 22. De statu naturæ lapsæ lib. 4. cap. 26. & 27.

Nec quidquam iuuat temperamentum, quod adhibent, quando dicunt, Ecclesiam hoc facere opinando. Clarum enim est, neminem etiam aliter errare posse, quàm *opinando*. Quid enim? num volunt errorem subtrahere generi opinionis, vt sub genere scientiæ collocent? Ecquid aliud est, falsum iudicium ideò errorem esse negare, quòd sit opinio, quàm Æthiopem negare hominem esse, propterea quòd sit animal? Errat igitur Ecclesia per ipsos: errat & in materia fidei, atque etiam circa ipsas fidei bases, & fundamenta, etiam si opinando erret. Vnde mirum est quod dicunt, Ecclesiam *nullo erroris in fide crimine fœdandam, quamuis aliter sentiat, quàm se res habeat*: quod vt dictum est, intelligitur accidere in materia fidei. Etenim aliter sentire quàm se res habeat, vt opinor, errare est. Nullo igitur erroris in fide crimine fœdatur Ecclesia, cùm errat in fide? Et cùm istud aliter sentire, quàm se res habeat, id ipsum sit quod aliis verbis exprimunt, *euertere fidem, atque interimere*; fides autem nec euerti possit, nec interimi, nisi errore contrario; sequitur apud ipsos Ecclesiam nullo erroris in fide crimine fœdari, quamuis errore fidei contrario fidem euertat, atque interimat. 75.

Hoc facit Ecclesia, inquiunt, sine pertinacia, & animo ad amplectendam veritatem, cùm primùm innotuerit, præparato: vnde fit vt sit error sine crimine: ideóque verè sit dictum non fœdari Ecclesiam *erroris crimine*. Intelligo. Volunt ergo Ecclesiam tantùm non posse hæreticam esse, quòd non possit esse pertinax; de cætero nihil vetare quo minùs erret in materia fidei. Atqui Ecclesiæ infallibilitas, pro qua pugnatum est omnibus sæculis, immunitate erroris constat, non immunitate pertinaciæ, vel rebellionis. Et vt nemo infallibilem dicit hominem, cuius est certa docilitas, & animi præparatio ad consentiendum 76.

cognitæ veritati, quandiu contingens est vt animo licèt minimè malo & fallat, & fallatur: ita nullo vero, proprióque sensu dici potest infallibilis Ecclesia, quæ falli & fallere potest in materia fidei, ex eo tantùm quòd hunc defectum citra culpam omnem patiatur. Pertinacem esse non posse ad quandam morum innocentiam pertinet; infallibilitas doctrinam spectat, eiúsque puritatem munit, & sinceritatem. Ideóque nulla esse potest infallibilitas, vbi est alea deceptionis.

77. Addo nec criminis suspicionem vitari, quamuis pertinaciæ culpa vitetur. Neque enim erroris crimen sola pertinacia est: cùm sit etiam temeritas, & oscitantia, seu in inquirenda veritate negligentia. Et quid est illud, quod dicunt Baiani, contingere labem illam intelligentiæ falsæ eorum, quæ rectè creduntur, dum *eorum vim non attendunt aut non intelligunt*. Nam si, vt volunt, id contingat in *quantalibet numerositate*, ac multitudine; ac proinde in maxima Ecclesiæ parte, quin & in Ecclesia ipsa tota: sequitur de tota dici posse quòd *non intelligat, & quòd non attendat*, quorum alterum ignorantiæ est; alterum verò præcipitationis, aut socordiæ. Et in ignorantia quidem, esto, possit esse inculpata Ecclesia, quæ non tenetur scire quod Spiritus sanctus eam non docuit; sed Spiritus ipse sanctus, qui se docturum promisit omnem veritatem, quomodo excusabitur? In illa verò socordia, vel attentionis defectu, quo factum fuerit vt error induceretur in totam Ecclesiam, quomodo nulla erit culpa? Nullâne est obligatio conseruandi fidei doctrinam, & quidem necessariam, ac *fundamentalem?* Non tenetur ad hoc Ecclesia, cui depositum illud commissum est? Si non facit quod facere tenetur, non peccat? Quomodo ergo huiusmodi errores circa fidei bases, & fundamenta, sine crimine admittit? Et vbi fides, vbi vigilantia illorum speculatorum, qui constituti sunt super muros Ierusalem, *vt totâ die, ac tota nocte in perpetuum non taceant?* Non tacuerunt quando per totam Ecclesiam sparsus est error circa bases fidei? & illud silentium fuerit innoxium? Non iure merito cadet in illos grauis illa reprehensio, *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia &c. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam* &c. Cæci omnino fuerint, qui micantem tot sæculis veritatem non viderunt: *nescierint vniuersi* quod scire debuerant, quandoquidem id iam fuerat diuinitus propositum, & paulò antè per totam Ecclesiam receptum: & *canes muti*, qui suo latratu non indicarunt eos, qui diuinam doctrinam superseminatis erroribus corrumpebant: *Pastores* verò dici quis ferat, qui cùm veritatis pabulo pascere tenerentur dominicum gregem, immemores officij *intelligentiam ignorauerunt?* Errat igitur Ecclesia: & errat in fide: & culpabiliter errat, si non errant potiùs ipsi Baiani: ideóque dici non potest *nullo erroris in fide crimine fœdari*.

Isaiæ 62.

Isaiæ 56.

78. Nec est tutior illa euasio, dum errorem in fide ideò negant, quòd qui errant, id, in quo errant, non sic approbent, *tanquam esset Catholica fides*. Ridiculum enim est conditionem huiusmodi requirere ad errorem in fide. Quid? Non erraret in fide qui, esto, non vt certum Catholicâ fide, sed tamen vt certum naturali ratione, sibi persuaderet nullam esse Trinitatem, nullum Christum Deum & hominem, nullam animæ immortalitatem? &c. Et Ecclesia, si huiusmodi probabilitates amplecteretur, non erraret in fide? Non errant in fide Athei, propterea quòd id quod credunt, non vt diuinâ fide certum credunt? Egregium verò priuilegium Ecclesiæ, si non aliter errare possit in fide, quàm quomodo Athei? Errat igitur, errat si assensus qui videntur tantùm probabiles admittat, quibus fidei bases, & fundamentales veritates conuellantur.

Perspicuum scilicet est, vel æquè, vel magis contrarium esse Catholicæ fidei, negare id esse de fide quod reuera de fide est; quàm asserere id esse de fide, quod reuera de fide non est. Dum enim aliquid putatur esse de fide, quod de fide non est; opinando fingitur reuelatio: at dum putatur aliquid non esse de fide, quod reuera de fide est; opinando reuelatio destruitur. Quis autem tolerabilius putet, aut minùs contrarium diuinæ fidei, destruere diuinum testimonium, atque illud, vt sic loquar, contradicendo falsificare; quàm illud fingere, dum putatur id dixisse Deus, quod non dixit? Primum facit qui opinando putat verum id esse, cuius contrarium de fide est. Eo enim ipso negat illud esse de fide, & contradicit diuino testimonio; quod non facit, qui aliquid putat esse de fide, quod de fide non est, vel qui falsam opinionem amplectitur, *tanquam esset fides Catholica*, cùm reuera non sit: ille igitur contra fidem errat potiùs quàm iste. 79.

Iam quod dicunt, animum præmeditatione, ac præparatione Catholicum, & communibus principiis firmiter adhærentem, *corrigere falsas opiniones* circa eorum intelligentiam: primùm id exponant quomodo recta illa fides vniuersalium principiorum & corrigere dicatur falsas opiniones illas, & tamen ab eis *euerti* atque *interimi*. Ipsi enim vtrumque dicunt. Deinde præparatio illa, vt iam dixi, culpam excusat, non errorem: & summùm innocentiam Ecclesiæ præstat, non infallibilitatem. Denique nec est illa, quam dicunt, in Ecclesia præparatio. An enim parata dici potest ad recipiendas propositiones, quas solemni decreto toto orbe recepto, censuit esse *in perpetuum abolendas?* Sunt enim illa verba Bullæ duorum Pontificum contra Michaëlem Baium, cui Bullæ totus orbis parebat sine vlla tergiuersatione, donec Pseudo-Augustinus vexillum explicuit contradictionis. Iam verò quando accessit aliorum duorum Pontificum confirmatio, & declaratio, quâ constat damnatas esse propositiones, quas ille Theologiæ scilicet reparator restituerat; quis sibi persuadere possit esse illam animi suspensionem in illa maiori parte Catholicorum? Adde persuasum illis fuisse, maximam partem illius doctrinæ vel contineri apertis definitionibus Conciliorum, Tridentini præsertim; vel cum illis necessariò connecti. Vnde mi- 80.

nimè fuère ad mutandam sententiam parati. Quod etiam experientia comprobauit illius scandali, quod patiebantur ex doctrina Baij, quæ causa fuit, vt ea prohiberetur à Pio V. & Gregorio XIII. vt fatetur etiam ipse Nouus Augustinus, & illius etiam scandali, quod idem Nouus Augustinus præbuit toti Ecclesiæ, vt testatur Vrbanus VIII. in Bulla, dum tueri voluit quod fuerat in Baio damnatum. Quod enim, quæso, ex propositione doctrinæ scandalum nasci potest in animis ad eam amplectendam præparatis? Sed & quis non videt quem animum habeant Scholastici, & quàm determinatum in iis quæ docent de possibilitate seruandi mandata diuina in omnibus illis, quibus eorum transgressio ad culpam imputatur; de gratia sufficiente ad perseuerandum, & ad præstandum id omne, cuius etiam omissio imputatur; de bonitate attritionis conceptæ ex timore pœnæ, déque illius sufficientia cum Sacramento; de amore Christi erga reprobos, & intentione illos iuuandi ad salutem; de indifferentia voluntatis ad exercitium libertatis necessaria, & de potentia dissentiendi cùm consentit, & similia: quæ constat non quomodocunque à Scholasticis asserta, sed tanquam res aut apertè definitas, aut cum definitis connexas adeò, vt dissentientes passim notent vel erroris, vel temeritatis, vel hæresis? Quæ dispositio cùm fuerit in tanta Doctorum numerositate, ac multitudine, vt maiorem partem Ecclesiæ cum adhærentibus conficeret: & tamen erroneum esset, & contra fidem, vt Baiani volunt, quod tam certò docerent; sequitur maiorem Ecclesiæ partem, ac proinde Ecclesiam, absolutè loquendo, errauisse in fide, & errauisse sine illa, quam supponunt, animi suspensione, atque expectatione, quæ dubium aliquod & diffidentiam significat, sed cum firma ad errorem adhæsione.

De statu puræ naturæ cap. 22.

81. Atque hinc diruitur quæ poterat esse vltima munitio Baianorum, Ecclesiam infallibilem esse tantùm, dum aliquid sentit cum potestate, atque auctoritate, & quod sequitur inde, impositâ credendi necessitate; aliàs non esse: vt de illa tale quippiam dicatur, quale de Papa, qui errare non potest quando loquitur vt Papa, &, vt aiunt, ex cathedra: potest autem, dum agit vt vnus aliquis è numero Doctorum. Quia etiam si admitteretur illa distinctio; tamen adhuc Baiani comprehenduntur, quando constat non ex simplici Ecclesiæ sensu, sed ex definitionibus Pontificum, & Conciliorum, probari falsa, quæ illis sunt *doctrinæ fundamentales, & bases fidei.*

82. Sed non est in illa distinctione quærendum Baianis profugium, quod sit periculi plenum. Est enim certa illa, & fidelibus omnibus velut ingenita persuasio, Ecclesiam non solùm non posse fallere cùm res fidei cum auctoritate proponit, sed neque falli dum eas ipsa credit. Et quis hoc in animum inducat, Ecclesiam Catholicam, esto non præcipiendo, aut sanciendo, sed simpliciter credendo fieri posse Pelagianam, Arianam, Manichæam, Lutheranam, Caluinianam? Video Baianos talem quandam Ecclesiam somniare, quæ pro temporum differentia, instar Chamæleontis, hæreticorum colores varios recipiat. Semipelagianam fuisse indicant eo tempore, quod inter Origenem, & Augustinum fluxit, dum dicunt, Sanctos Patres, *Quotquot Augustini ætatem antegressi sunt, vnanimi penè consensione docuisse prædestinationem ex præuisis meritis*, quæ sententia tamen est, inquiunt, *perfectè Semipelagiana:* Sed Augustinum, qui, vt ipsi etiam dicunt, *ex reuelatione* contrarium didicerat, cùm fuisset initio eodem implicitus errore, Ecclesiam correxisse: & debellatis Pelagianis, ac Semipelagianis, rectam fidem reduxisse, toto orbe Christiano plaudente, ac triumphante. Facta igitur est iterum orthodoxa Ecclesia, stetitque veritatis illa possessio vsque ad tempora Scholasticorum, qui rationibus humanis, & Aristotelicæ philosophiæ principiis imbuti, veram doctrinam adeo corruperunt, vt sepultâ veritate, propositiones, quæ fidei bases erant, ideo fuerint à Pio V. & Gregorio XIII. prohibendæ, quòd cùm essent penitus *obliteratæ*, superinductis contrariis erroribus, in Ecclesia *scandalum parerent.* Ergo Ecclesia tunc fuerit denuò Pelagiana, vel Semipelagiana; quippe cui hæreticorum illorum errores ita probarentur, vt contrariæ veritates scandalo essent. Et quia non erat futurum illud scandalum, nec illa Pontificum prohibitio, si vnus quidam extitisset ex tanto Doctorum numero; qui posset ostendere, *propositiones illas ab Augustino Doctorum omnium coryphæo, tam intrepidè à tot sæculis esse, nemine refragante, sed Ecclesia Romana per diuersos Præsules suos applaudente, traditas:* ideo prouidentiâ scilicet diuinâ missus est Nouus Augustinus, qui singulari, quâ pollebat, ingenij fœlicitate ingressus Antiqui Augustini penetralia, inibíque spatio viginti duorum annorum formatus, & reformatus, exiit tandem vniuerso denunciaturus orbi, deceptos fuisse ignorantiâ doctrinæ Augustinianæ Romanos Pontifices, dum propositiones prohibuêre, quæ fundamentales erant fidei veritates: Errasse pariter Doctores omnes, qui & ante, & post eiusmodi prohibitionem easdem propositiones reiecerant: præcessisse noctem, diem autem appropinquasse; & tempus esse vt aperiantur fenestræ Soli reuertenti. Atque hoc iam agitur, vt canonizatâ Noui Augustini doctrinâ, Ecclesia iterum, & tertiò purgetur à Pelagianismo, fiátque Augustiniana, hoc est, orthodoxa, & verè Catholica, cuius consilij expectatur exitus, adnitentibus omni ratione summis Pontificibus, vt teneat decretum, quo Noui Augustini doctrina declarata est esse damnata; Baianis verò in contrarium obduratis, & neque Pontificibus, neque Regibus, neque prouinciarum Gubernatoribus vrgentibus Bullæ receptionem, obedire paratis, deuotissimis de cætero matris Ecclesiæ, & sanctæ Sedis Apostolicæ filiis.

Lib. 7 de hæresi Pelag. cap. 17.

Ibidem cap. 4.

De statu puræ naturæ lib. 1. cap. 22.

Satis scilicet intelligebant, ipsorum dogmata probari non posse ab Ecclesia, nisi fieret vniuersalis quædam communium sensuum, & doctrinæ quaquà versum receptæ muta- 83.

tio: ideòque vt huic innouationi viam sternerent, & animos Christianorum præpararent, subindicare voluerunt vicissitudines istas, & contrariarum sententiarum alternos recursus minimè alienos esse ab Ecclesiæ constantia, atque ab ea, quam profitetur, immobilitate fidei. Vide quid dicat Nouus Augustinus. *Sed absit, vt alterutro modo Ecclesia, siue filij eius doctrinam Augustini minùs intellectam è scholis exturbauerint, siue nouam introduxerint, siue introductam demum abolendo proscripserint, vllum de suscepto errore discrimen subeat.* Iam notatum est, supponere illum maiorem partem Ecclesiæ istis mutationibus consentire. Atque ita, quemadmodum putat Ecclesiæ filios ipsâ consentiente Spiritus sancti doctrinam initio traditam *exturbâsse*, nouâ introductâ inter Origenis, & Augustini tempora; ita eadem consentiente supponunt ipsius filios Scholasticos *exturbasse* denuo doctrinam Augustini, nouâ introductâ iam à quingentis annis. Et quemadmodum Augustinus diuinâ reuelatione monitus Ecclesiam purgans, introductam à tempore Origenis doctrinam illam *abolendo proscripsit*: ita iam sperabant fore vt Nouus Augustinus & eandem purgaret Ecclesiam, & introductam à tempore Scholasticorum doctrinam *abolendo proscriberet.* Hos enim filiorum suorum ludos & pati Ecclesiam, & probare. Vnde est id quod addunt, quòd nimirum res illa minimè sit insolita, vel inusitata, Ecclesiam non debere *terreri, aut impediri*, quo minus nouo surgente iam Sole, Scholasticorum opinationes, *quantocunque patrocinantium numero roboratas, quibuscunque locis diffusas, quotcunque ætatibus propagatas*, ad incudem reuocet & examinet, vt scilicet *aboleat, & proscribat*, tanquam Augustini sensibus contrarias. Vbi vides huiusmodi Doctores nihil moueri, quamuis concurrant omnes illæ Catholicismi notæ, quas assignat Vincentius Lirinensis, *Vniuersitas, Antiquitas, Consensio*; quo minùs doctrinam aliquam proscribant. Et quasi Ecclesia esset aliquid præter omnes qui eam componunt, quamuis omnes errauerint, & omnibus locis, & omnibus seculis, negant tamen ipsam *vllum de suscepto errore discrimen subire.* De cætero, vt olim vnus Augustinus antiquos omnes emendauit; ita nunc vni Augustino recenti præ omnibus, & super omnes credendum. O quàm bellè illi, dum talem nobis cudunt Ecclesiam, negotium promouent Lutheri, & Caluini!





DISPVTATIO XL.

De statu paruulorum sine baptismo decedentium.

SECTIO I.

Quid de illo sentiant Theologi?



VNANIMIS, & vera, certáque sententia Theologorum est, eiusmodi paruulos priuari in perpetuum Dei visione, quæ pœna damni dicitur. Idque docet Scriptura Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & Rom. 5. ver. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ &c. Vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam*, quæ in Dei visione primò & præcipuè consistit, à qua propter peccatum excludimur, nisi per Christi gratiam remittatur. Idem etiam definiuit Synodus Palæstina, seu Diospolitana, vt testatur S. Aug. lib. de Gestis Pelagij cap. 8. & epist. 106. Carthaginense, & Mileuitanum, apud eundem epist. 90. & 92. & Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali can. 4. & 5. Idem denique affirmant SS. Patres vnanimi consensu, illi præcipuè qui restiterunt hæresi Pelagianæ, cuius vnum de præcipuis dogmatibus hoc erat: *Infantes, tametsi non baptizatos, vitam æternam habere.* 1. *Priuantur Dei visione.*

Vtrum autem præterea torqueantur pœnâ ignis æterni, aliqua est inter Theologos dissensio. Affirmant aliqui, sed paucissimi: vt Gregorius Ariminensis in secundo sentent. distinctione trigesima-tertia, quæstione tertia, & Driedo libro primo de gratia & libero arbitrio, tractatu tertio capite secundo: quam sententiam auidè amplectuntur Iansenius & alij noui Dogmatistæ, vt videbimus sectione sequenti, & Caluinus aliique hæretici huius temporis, qui quoscunque infantes excludunt à Dei visione, eosdem pœnis ignis æterni subiectos esse dicunt. Eidem sententiæ fauent Diuus Augustinus sermone decimo-quarto de verbis Apostoli, vbi affirmat paruulos sine baptismo decedentes ituros in ignem æternum, iuxta sententiam Domini, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum* &c. & Fulgentius libro de fide ad Petrum capite vicesimo-septimo, vbi ait: *Firmissimè tenendum esse, ac nullatenus dubitandum, non solùm homines iam ratione vtentes, sed etiam paruulos mortuos sine baptismo, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Quibus addi potest Gregorius libro nono Moral. capite duodecimo, vbi dicit, *Iudicem illum districtum, vt suâ animaduersione trucidat quos culpa propria actionis damnat; sic & illos in æternum percutere, quos reatus arbitrij non addicit.* 2. *Affirmant aliqui eos pati pœnam ignis.*

3. *Contraria, & vera sententia.* Contrarium sentiunt Magister sententiarum in 2. dist. 33. D. Thomas ibidem, Bonauentura, Scotus, Ricardus, Gabriel, cæterique veteres & recentes Theologi, quorum plurimos citant & sequuntur Valentia tom 2. disput. 6. quæst. 17. puncto 4. Vasquez 1. 2. disput. 134. cap. 3. De Salas ibidem tract. 13. disp. 11. sect. 6. Itémque Bellarminus lib. 6. de statu peccati cap. 4. & alij controuersiarum Scriptores. *Probatur ex Patribus.* Idem expresè docet Gregorius Nazianz. orat. 40. in sanctum baptisma, ante medium: vbi distinguens tria hominum genera sine baptismo decedentium, quorum aliqui baptismum contempserunt, alij ex negligentia propria omiserunt, alij (nempe infantes) aliorum negligentiâ eo caruerunt: de illorum omnium pœnis æternis ita pronunciat: *Existimo futurum vt primi quidem cùm aliorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas luant. Alij autem pœnas quidem, sed leuiores, pendant: vt qui non tam animi prauitate, quàm stultitiâ à baptismo aberrarint. Postremi denique nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis à iusto iudice afficiantur: vtpote qui licèt baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur. Quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim pœnam promeretur.* Idem quoque docet Nicetas eius commentator ibidem, & Gregorius Nyssenus orat. 1. de infantibus qui præmaturè abripiuntur, prope finem, cuius verba hæc sunt. *Immatura mors infantium neque in doloribus ac mœstitia esse eum, qui sic viuere desiit, intelligendum esse nobis suggerit: neque in pari ipsum & eadem conditione, ac sorte versari cum iis, qui per omnem virtutem in hac vita purgati sunt.* Et antiquus auctor Commentariorum in epistolas Pauli, qui Ambrosio tribuuntur, in caput 5. epistolę ad Romanos, affirmans omnes quidem in Adamo peccauisse: neminem tamen puniri morte secunda in gehenna, (quæ est ignis æterni supplicium, ideóque in Scriptura vocatur *gehenna ignis*, Matth. 18. vers. 9. & *stagnum ignis*, Apocalyp. 19. & 20. pluribus locis) nisi eam sibi propriis malis actibus acquirat. Similia dicit Euthymius in Panoplia lib. 2. cap. 22. & Innocentius III. in capite *maiores, De baptismo & eius effectu*, vbi affirmat peccati originalis pœnam esse carentiam visionis diuinæ: actualis autem, gehennæ perpetuæ cruciatum (vltra scilicet priuationem visionis Dei.) Nomine enim gehennæ, cruciatum ignis, seu pœnam sensus intelligit: tum propter rationem modò allatam: tum etiam propter oppositionem, qua illam à priuationis pœna contradistinguit. Ita vt sensus eius sit: paruulos sine baptismate morientes hanc tantùm pœnam subire: adultos verò qui actu peccarunt, subire vlteriùs pœnam ignis.

4. *Et ex Scriptura.* Eidem sententiæ fauet Scriptura: quæ vbicunque mentionem facit pœnæ ignis æterni, iisque omnibus locis quibus abutuntur auctores contrariæ sententiæ: manifestè loquitur de adultis qui actu peccauerunt, vt videbimus sectione sequenti. Speciatímque de sententia Christi iudiciali, quâ nititur Augustinus, euidens illud est ex ipsis Christi verbis Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi bibere.* Quæ culpabiles & reprehensibiles omissiones non possunt intelligi de infantibus, sed tantùm de adultis qui hæc opera misericordiæ prętermiserunt quando ea poterant ac debebāt exhibere. Fauet etiam ratio: quia durum videtur & diuinæ bonitati minimè consentaneum, vt pœnâ ignis æterni puniat infantes, qui propriâ voluntate non peccarunt, sed alienâ tantùm, atque ex vi & miseria suæ originis, peccato originali infecti sunt. Quare cùm de Deo sentiendum sit in bonitate, vt ait Scriptura; non est illud asserendum, nisi verbi diuini auctoritas, aut definitio Conciliorum, aut communis Patrum consensus, certáque traditio id asserere cogat. Nihil autem huiusmodi proferri potest, vt partim liquet ex dictis, partim ampliùs liquebit ex sequentibus sectionibus.

Quapropter hanc sententiam omnino veram, & tenendam esse non dubito. Cui non obest quod ait Concilium Florentinum in litteris vnionis: Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniẽdas. 5. *Non contradicit Florentinum.* Hoc enim non ita intelligendũ est, quasi hæc pœnarum disparitas in eo consistat, quòd paruuli miniùs, alij grauiùs igne torqueantur: quæ disparitas reperitur etiam inter eos qui actu peccauerunt: sed quòd illi solùm puniantur pœnâ damni: alij verò pœna damni simul & sensus. Nam, vt rectè expendit auctor disputationum Theologicarum tom. 2. disput. 23. sect. 2. iuxta hunc sensum melior est distinctio Concilij, in eo distinguentis illos omnes qui actu peccauerunt, ab iis qui solo originali peccato infecti moriuntur. Estque absurdum existimare ipsum hac propositione, tam facilè explicabili, damnâsse sententiam plurium Sanctorum Patrum, & Innoc. III. communitérque Theologorum illius temporis, & quotquot fere antè vel deinceps fuerunt. Frustra verò vrgetur quod ait, *animas illas in infernum descendere.* Nomine enim *inferni*, exprimitur limbus infantium, æquè ac Sanctorum Patrum ante Passionem Christi defunctorum. Quo sensu dicitur in Symbolo Apostolorum, Christum descendisse ad inferos. Et Genesis 37. ver. 35. Iacob aiebat mortem filij sui Ioseph lamentans, *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Frustra quoque vrgetur quod ait, *pœnis disparibus.* Nam vox *dispar* non solùm dicitur de inæqualibus in gradu, verùm etiam de dissimilibus in specie: vt cùm dicitur homines & Angelos esse disparis naturæ.

Non obest etiam veritati huius sententiæ, quòd Augustino, Gregorio, & Fulgentio aliter visum sit. 6. *Quid dicendum de August. & aliis in contrariũ citatis.* Nam Augustinus, vt suprà diximus, non bene id collegit ex Scriptura. Fulgentius autem & Gregorius illum secuti sunt, & non meliùs id probant: illíque omnes non ex sensu Ecclesiæ, tanquam illius fidei testes, sed ex suo id asserunt. Imò neque sermo ille 14. de verbis Apostoli est indubitanter S. Augustini: quippe de quo non omnes consentiunt, vt refert De Salas suprà citatus num. 3. & vt ostendemus sect. 6. prope finem, idem S. Doctor dubitationem suam, & animi perplexitatem circa pœnas istorum infantium, pluribus locis fatetur, etiam in

libris & epistolis post exortam hæresim Pelagianam scriptis. Et quæst. 9. in Iosue idem Augustinus dicit quamlibet pœnam significari posse nomine ignis, iuxta phrasim Scripturæ. In eúmque sensum debere Augustinum intelligi, quando sermone citato aliisque locis infrà referendis, pœnam infantium exprimit per ignem, tormentum, supplicium, affirmant D. Thomas in 2. distinct. 33. q. 2. art. 1. ad 1. & D. Bonauentura ibid. art. 3. q. 1. in solutione 1. argum. quorum verba referemus sect. cit. Glossa quoque in cap. *Nulla, De consecrat. distinct. 4.* exponit eodem modo Fulgentium: non aliam pœnam assignans infantibus sine baptismo decedentibus, quàm tenebras, id est, priuationem visionis Dei: quam ait esse pœnam ignis, de qua intelligendus est Fulgentius cap. *Firmissimè.* In eundémque sensum facilè potest intelligi Gregorius, qui minùs expressè loquitur de pœna ignis, quàm Fulgentius, & Augustinus.

7. *Soluuntur argumenta ex ratione desumpta.* Non obest denique, quòd Christus, vt nos redimeret à peccato originali, pœnas sensibiles passus est: quòdque totum peccatum Adæ trãsfunditur ad posteros: adeóque tota pœna transfundi cum illo debet: quòd denique infantes propter illud peccatum ferant pœnas sensibiles huius vitæ: quidni ergo futuræ? Ad hæc enim primò dicendum est, Christum satisfecisse pro peccato originali non solùm prout in posteris est; sed etiam prout in Adamo, à quo propriâ voluntate commissum fuit, & vtramque pœnam, damni & sensus, respectu illius meruit. Secundò, pœna damni, quam paruuli ob peccatum originale pati debent, nisi remittatur, potuisse compensari, & reipsa fuisse compensatam per mortem, & pœnas sensibiles à Christo in eum finem toleratas. Possunt enim debita variè compensari: vt quando pro debito pecuniæ satisfit per obsequia. Tertiò, licèt totum peccatum Adæ transfundatur ad posteros: non tamen illis inesse physicè, veluti propriâ eorum voluntate perpetratum, vel actuali & personali consensu admissum, aut acceptatum: sed tantùm moraliter, quatenus id quod ab Adamo, tanquam omnium capite, & omnium personam repræsentante factum est, posterorum omnium moraliter in illo existentium esse censetur. Quare peccatum illud non habet eundem existendi modum, neque eandem conditionẽ, sed longè diuersam in Adamo & posteris: ideóq; non sequitur quòd in istis debeat habere eandem pœnam, & vltra priuationem gratiæ & gloriæ, habere adiunctum ignis æterni supplicium. Quartò, pœnas sensibiles huius vitæ, quas patiũtur infantes, sequi ex ipsa conditione naturæ humanæ, amisso dono supernaturali status innocentiæ. Vnde infantes illis obnoxij non patiuntur aliquid præter aut contra debitum ipsius naturæ. At pœna ignis inferni est omnino contra naturam. Quare non potest ex illis bene inferri quòd istam quoque subire debeant propter peccatum originale: sicut amisso per illud statu integritatis & innocentiæ, subeunt naturalia vitæ præsentis incommoda.



SECTIO II.

Quid de statu huiusmodi infantium sentiant noui Dogmatistæ.

CONTRA doctrinam præcedentem, quã diximus cum communissima sententia Theologorum, multísque Patribus suprà citatis; infantes decedentes cum solo peccato originali, non puniri pœnâ ignis æterni, acriter pugnat Florentius Conrius in tractatu recèns edito ad calcem operis Iansenij Iprensis, *De statu paruulorum sine baptismo decedentium ex hac vita, secundùm mentem B. Augustini:* & ab eodem Iansenio approbato, atque laudato, libro secundo de statu naturæ lapsæ capite vigesimo-quinto in fine. Quo in tractatu contendit auctor ille, communem hanc Theologorum veterum & recentium, pluriúmque Patrum sententiam, non modò falsam esse, verùm etiam hæresi propinquam: & peccatum originale vt ipse ait, euacuare. Sed quàm leuiter & iniustè tam asperâ censurâ eam notet, quantopeREque ipse hallucinetur, patebit expendendo argumenta, quibus ad ita sentiendum inductus fuit. 8. *Certum esse voluntpœnam ignis eos pati.*

Et primo quidem capite, refert quænam fuerint Pelagianorum, & D. Augustini, de illorum statu sententiæ oppositæ: quídve de eodem sentiant Doctores Theologi, & quibus præcipuè argumentis nitantur: quæ argumenta sectione præcedenti, quatenus nobis probantur, attulimus. Tum cap. 2. proponit commune illorum responsum ad obiectionem sumptam ex auctoritate D. Augustini, quâ ipse præcipuè nititur velut irrefragabili: quod responsum multipliciter ibidem refellit, & nos inferiùs sectione 6. commodiùs examinabimus. Deinde cap. 3. vbi suam de paruulorum combustione sententiam stabilire aggreditur, argumentatur primò ex Scriptura sic affirmante, *Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita,* Iob 14. iuxta versionem LXX. *In peccatis concepit me mater mea,* Psal. 50. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors,* Rom. 5. v. 12. & v. 18. *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Ex quibus & similibus locis colligit Augustinus contra Pelagianos totam massam naturæ humanæ vitiatam fuisse per peccatum Adæ, factámque damnationi obnoxiam: de quo nullus Catholicus dubitat. Postéaq; inquirens qualis sit hęc damnatio, quantum attinet ad paruulos sine baptismo decedentes: probat ex Euangelio non consistere in sola exclusione à regno cælorum, sed esse veram ignis damnationem: vt videre est sermone decimo-quarto de verbis Apostoli, capite tertio & quarto. 9. *Probant ex Scriptura.*

Sed quia, vt ipsemet aduertit, responderi facilè potest Diu. Augustinum eo loco id non aliter probare, quàm ex formâ iudicij generalis, descriptâ Matthæi vigesimo-quinto, vbi de paruulis non est sermo, sed de adultis secundùm propria cuiusque opera iudicandis: addit cap. quarto: Si ex hoc Matthęi loco colligi nequit paruulos non baptizatos futuros in si- 10. *Præcipuè ex Matth. 25.*

nistra (quod salua fide negari nequit) non posse dici vnde istud fidei dogma colligatur, si non habetur ex loco Matthæi citato. Non enim ex traditione, aut verbo Dei non scripto: quia hoc nullus aut dixit, aut scripsit; aut etiam dicere, aut scribere nisi falsò potuit, si Augustino & aliis Patribus credatur. Non ex Conciliis: quia nullum hoc definit. Non ex sacra Scriptura, quæ nusquam alibi mentionem facit segregationis iudicandorum in duas partes, dexteram & sinistram, præterquam Matthæi capite citato. Quare si ibi solùm agitur de adultis, vel etiam, vt volunt aliqui, & dicere videtur Augustinus serm. 5. de verbis Domini, & libro de fide & operibus capite decimo-quinto, de solis Christianis bonis & malis, qui sub vno Pastore Christo in Ecclesia fuerunt: ex qua Scriptura certum erit paruulos non baptizatos, vel infideles, vel hæreticos futuros in sinistra? Non ergo in prædicta Matthæi Scriptura describitur tantùm forma iudicij adultorum, aut eorum qui in Ecclesia sunt, bonorum & malorum Christianorum: sed cùm iudicium futurum vniuersale sit viuorum ac mortuorum, formam vniuersalem iudicandorum describi oportebat. Et quamuis fatendum sit simul describi formam specialem, quâ fideles omnes, siue boni, siue mali iudicabuntur, quâve Christus exprobrabit illis omissionem bonorum operum, vt ostendat solam fidem, quâ differũt à Paganis, non sufficere ad salutem: tamen ex specie genus intelligendũ est, vt sæpe aliàs in Scriptura, iuxta regulam Ticonij traditam ab Augustino libro tertio de Doctrina Christiana, capite trigesimo-quarto regula quarta. Et alioqui dicendum esset damnatum iri solùm qui opera misericordię omiserunt: quia Christus speciatim de illis tantùm loquitur: non autem qui alia peccata grauia perpetrarunt, vel alia bona opera æquè necessaria prætermiserunt. Eóque sensu intelligendus est D. Augustinus sermone quinto de verbis Domini, & libro de fide & operibus capite decimo-quinto, dicens ibi sermonem esse de Christianis iudicandis: speciatim scilicet, & expressè: nam quod generaliter, & implicitè de cæteris omnibus, déque forma iudicij totius hominum cœtus, viuorum & mortuorum, sermonem esse velit, patet ex sermone decimo-quarto de verbis Apostoli, vbi sic ait; *De viuis & mortuis iudicabitur. Alij erunt ad dexteram, alij ad sinistram. Non noui aliud.* Et paulò pòst: *Si ergo dextera erit & sinistra: & nullum medium locum in Euangelio nouimus: ecce in dextra regnum cælorum est: Percipite*, inquit, *regnum. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum.* Huc vsque Florentius Conrius citato capite quarto: qui hoc argumentum deinceps frequenter inculcat, sæpiúsque vrget toto ferè suo libro, tanquam pręcipuum suæ sententiæ fundamentum.

11. *Non est de fide paruulos esse in iudicio comparituros.*

Respondeo primò, malè supponi ab aduersario esse dogma fidei quòd ad iudiciũ generale, de quo Christus loquitur Matthæi vigesimo-quinto, paruuli sint comparituri, ibíque ad dexteram vel ad sinistram collocandi. Nam contrarium sine errore contra fidem affirmant Durandus in 2. distinctione trigesima-tertia, quæstione tertia, & Albertus relatus à Dionysio Carthusiano, in 4. distinct. 47. q. 1. Et inter eos qui partem affirmantem tenent, aliqui tantùm probabile id esse dicunt: vt Cornelius à Lapide nobilis Scripturæ interpres, ad caput Matthæi citatum vers. 32. Nec obest quod dicitur eodem capite, *Et congregabuntur ante eum omnes Gentes*: & Rom. 14. vers. 10. *Omnes stabimus ante tribunal Christi: scriptum est enim, Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu*: & 2. Corinth. 5. vers. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*: & Apocal. cap. 1. ver. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ.* Nam frequenter in Scriptura vox, *omnis*, vsurpatur pro longè maiori parte, qualis est multitudo adultorum respectu infantium: & in tribus prioribus locis verba quæ sequuntur, restringunt vocis illius amplitudinem ad adultos: vt de primo liquet ex commemoratione operum misericordiæ à bonis exhibitorum, & à malis prætermissorum. De secundo patet ex eo, quòd postquam dixit Apostolus, *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, &c. subiungit: *Itáque vnusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo.* De tertio idem clarum est ex loco integrè relato, qui sic habet: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.*

Secundò nihilo magis fide diuinâ certum est, quòd licèt infantes ad iudicium generale sint comparituri, futuri sint de numero iudicandorum. Cùm non magis apparenter id possit colligi ex sacris litteris, aut traditione diuina: sintque inter præcipuos Doctores Catholicos, qui affirment adfuturos non vt iudicentur, cùm nihil boni vel mali fecerint quod in iudicium venire debeat: sed tantùm vt assistant iudicio de aliis ferendo, & Christo honorem exhibeant; vt inter alios censent Abulensis quæst. 323. in caput 25. Matthæi, Dionysius Carthusian. loco suprà citato, & D. Thomas in 4. distinct. 47. quæst. 1. art. 3. ad 3. vbi affirmat *Pueros ante perfectam ætatem decedentes, in iudicio comparituros non vt iudicentur, sed vt videant gloriam iudicis.* Idémque probabile dicit esse Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 57. sect. 6. §. *Propter has & similes rationes*: idque præcipuè, quia nihil boni vel mali egerunt quod in iudicio examinari oporteat: & cùm tantùm in Adamo peccauerint, sufficit Adamum pro illo peccato in iudicium vocari, illiúsque rationem reddere. Sicut enim non peccarunt in se, sed in suo capite: ita non oportet vt in se iudicentur, sed in suo capite. Imò neque omnes adulti comparebunt vt iudicandi, sed aliqui aderunt tanquam iudices, & Christi Domini supremi iudicis assessores: iuxta illud Matthæi vigesimo-nono, *Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.*

12. *Neq; quòd sint iudicādi licèt compareant.*

13. *Neq; quòd sint futuri in sinistra.*

Tertiò, posito etiam quòd adfuturi sint tanquam iudicandi, seu potiùs sententiam audituri de statu suo æterno vel cælestis beatitudinis, si à peccato originali fuerunt expiati; vel exclusionis à regno cælorum, si cum peccato illo decesserunt: non satis constat ex capite Matthæi vigesimo-quinto, vel alio Scripturæ loco, paruulos istos à regno cælorum excludendos,

futuros in sinistra: ac non potiùs in medio quodam loco constituendos, sicut medius est illorum status inter eos qui per Sacramenta, vel per opera bona cælesti gloriâ digni effecti sunt: & inter eos qui propriis peccatis combustioni æternæ addici meruerunt. Ac denique licèt in sinistra collocandi essent, non sequitur eandem planè sententiam cum aliis reprobis subituros, & non potiùs mediam, proportionatam eorum statui medio inter statum electorum, & aliorum reprobatorum, vt rectè aiunt Gregorius Nyssenus & Nazianzenus locis suprà citatis num. 3. Quare licèt ex forma speciali descriptâ Matthæi 25. intelligi debeat forma generalis iudicij vniuersalis de toto cœtu hominum ferendi: non sequitur eandem planè futuram circa omnes: & paruulos illos solo peccato originali infectos eandem planè sententiam audituros, eandémque pœnam subituros cum adultis reprobis, hædorum nomine significatis propter spurcitiam, petulantiam, & fœtorem malorum operum, quibus seipsos inquinauerût, & pœnas ignis æterni meruerunt. Multa igitur vt minimùm incerta supponit aduersarius esse fidei dogmata, vt ex illis concludat paruulos illos æternâ combustione esse puniendos: cùm hoc vnum de illis certum sit, & de fide, cælestis regni beatitudine fore semper exclusos, iuxta illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ex quo loco Patres communiter, & Concilia id colligunt, & speciatim Florentinum in litteris vnionis, & Tridentinum sess. 6. cap. 4. foréque ob peccatum originale sub eius seruitute & diaboli captiuitate, qualis per quodlibet mortale peccatum etiam hac in vita incurritur: vt colligitùr ex eodem Concilio Tridentino session. 5. can. 1. & clariùs affirmat Cœlestinus in epist. ad Gallos cap. 12.

14. *Altera eorũ probatio ex Apocal. 20.* Opponit secundò in fine eiusdem capitis quarti istud Apocalyp. 20. ver. 11. *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inuentus eis. Et vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est vitæ.* Et paulò pòst, vers. 15. *Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Vbi vult sermonem esse de omnibus planè hominibus: & per librum illum vitæ significari prædestinationem: ita vt quicunque non sunt in eo scripti, id est, quicunque sunt à regno cælorum excludendi, sint in stagnum illud ignis æterni amandandi.

15. *Ostenditur ibi sermonẽ esse de adultis.* Sed malâ fide locum illum truncat, dissimulátque immediatè post illa verba, *Et alius liber apertus est, qui est vitæ,* subiungi: *Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erãt: & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant: & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.* Quæ verba satis perspicuè ostendunt Ioannem loqui tantùm de adultis, secundùm opera sua bona vel mala iudicandis: de iisdémque addere postea, *Et qui* (eorum) *non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Nec obest quod ait, *magnos, & pusillos:* Nam, vt rectè ait Cornelius in hunc locum, per *pusillos* intelligit non ætate aut staturâ, sed dignitate & gradu, id est, viles & abiectos: vt sunt serui, rustici, ancillæ, &c. Sic enim cap. 19. ver. 18. inuitans aues ad vorandum carnes liberorum & seruorum, addit, pusillorum, & magnorum: quasi dicat, plebeiorum, & nobilium, siue principum. Nam mox hoc eodem versu 12. subdit, pusillos istos æquè ac magnos, iudicandos esse secundùm opera cuiusque. Ergo non loquitur de infantibus. Parum ergo consideratè infert aduersarius ex his Scripturæ locis, non posse saluâ fide negari paruulos sine baptismo decedentes ex hac vita, torquendos esse pœnâ ignis æterni. Addo Marci 9. vers. 47. de iisdem dici, *Vermis eorum non moritur,* de quibus dicitur, *Ignis eorum non extinguitur.* Ergo vermis conscientiæ pungit quos ignis vrit. Atqui paruulos non pungit vermis, quia nihil fecerunt propter quod patiantur stimulum conscientiæ. Ergo neque ignis eos vrit.

Opponit tertiò argumentum hoc, sumptum ex triplici ratione, cap. 6. libri cit. Plus pœnæ meretur adultus qui decedit ex hac vita cum peccato originali, & actuali mortali, quàm si cum illo solo actuali moreretur. Ergo pœna ignis æterni debetur peccato originali. Nam si tantùm debetur pœna damni: cùm per actuale peccatum incurrat ille totalem priuationem vitæ æternæ, non plus incurreret pœnæ propter adiunctum peccatum originale. Ex quo rectè inferretur non plus esse culpæ, seu peccati, in originali, & actuali simul, quàm in solo actuali: cùm simul iuncta non obligent ad maiorem pœnam: atque adeo originale non esse verum, sed commentitium peccatum, nullâ damnatione dignum, vt volebat Pelagius. Item, cùm paruuli mittendi sint in ignem æternum, siue in stagnum ignis, vt dicitur Matthæi 25. & Apoc. 20. non esset ratio cur eò mitterentur, nisi dolorem & cruciatum ab igne passuri essent. Item, si solam exilij pœnam illi paterentur post hanc vitam: ergo tunc non essent sub seruitute, & captiuitate diaboli. Nam pœna seruitutis & captiuitatis est distincta à pœna exilij. Consequens autem est falsum, & contra Cælestinum Papam in epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 12. & Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato origin. can. 1. 16. *Tertia probatio ex ratione.*

17. *Ostenditur nihil efficere.* Ad primam rationem respondeo, morientem cum peccato originali, & actuali simul, mereri plus pœnę damni intensiuè quodammodo: quia meretur pœnam damni duplici titulo totali: & pœna damni intenditur moraliter, quando ex multiplici titulo tanquam causa totali debetur. Quemadmodum, vt ait D. Thom. in 4. distinct. 18. q. 2. art. 3. in fine, magis excommunicatus est, qui committit plura & diuersa peccata, quorum singulis annexa est maior excommunicatio; quamuis qualibet excommunicatio maior, sit totalis priuatio bonorum communium Ecclesiæ. Ad secundam dico, malè supponi tanquam bene probatum, paruulos illos in ignem æternum ituros. Id enim loca Scripturæ citata non significant, vt suprà demonstrauimus. Tertia ratio nos minimè tangit, qui non negamus paruulos illos mansuros esse in æternum Deo inuisos propter peccatum originale, & quodammodo sub captiuitate ac seruitute diaboli, vt hac in vita, priuatos scilicet speciali Dei protectione, quâ ab eius inuasionibus, & infestationibus fiant immunes; imò & ali-

quid doloris passuros naturaliter, ob amissionem æternæ beatitudinis, ad quam erant destinati: cùm enim cognoscant se ad tantum bonum fuisse destinatos antecedenti Dei voluntate, tanguntur naturaliter aliquo dolore de illius amissione, sed ideò minore, quòd non propriâ culpâ, sed alienâ illo careant: quæ consideratio facit vt patienter iacturam illam ferant: non autem cum illo sensu summæ impatientiæ, & remorsus conscientiæ, ac desperationis, quem patiuntur alij qui propriâ culpâ ex statu illo felicissimo in perpetuum exclusi sunt: sed tantùm negamus fore, vt propter originale ardeant igne sempiterno, de quo est præsens quæstio: quódque nec est priuatio alicuius fauoris gratuiti, qualis est specialis prouidentia Dei circa iustos, amicos suos & filios: neque etiam est aliquid naturaliter consequens ad priuationem visionis Dei, vt dolor ille de quo suprà diximus.

SECTIO III.

Refelluntur elusiones aduersariorum.

18. ARGVMENTA quibus præcipuè probari solet nostra, & communis sententia Theologorum, quibúsve antea nos vsi sumus, proponit aduersarius cap. 1. eáque deinde infirmare conatur cap. 7. & pluribus sequentibus.

Primum argumentũ. Primum est huiusmodi: ideò cruciatum ignis remouent Theologi ab infantibus sine baptismo decedentibus, quia, inquiunt, peccatum originis in homine non tollit ordinem naturalem, sed supernaturalem, conuersionem videlicet ad Deum per donum gratiæ supernaturale, cuius priuatio est peccatum originis. Vnde æquum est vt pœna peccati originalis sit tantùm priuatio alterius boni, qualis est carentia visionis Dei: Non autem inflictio pœnæ sensibilis quæ naturam ipsam lædat.

19. *Elusio aduersarij.* Hoc argumentum, quod ferè idem est cùm prima ratione D. Thomæ inferiùs referenda num. 28. eludere conatur aduersarius cap. 7. adductis verbis D. Augustini quibus ait meruisse Adamum suo peccato, vt vniuersa humani generis massa cum illo damnaretur: posséque paruulum *de alieno peccato reportare malum: sicut de alieno rectè facto reportat bonum, non qualecunque sed Dei regnum. Alienum quippe opus est cùm credit per alterum: sicut alienum opus fuit cùm peccauit in altero.* (Lib. 6. contra Iul. cap. 4. aliàs 10.) Sicut ergo, inquit, paruulus qui nihil boni in se fecit, reportat de facto alieno bonum sensibile, æternum scilicet gaudium: ita potest de facto Adami reportare malum sensibile, æternum scilicet ignis dolorem, æternámque tristitiam. Addit, si ex eo quòd peccatum originale non tollit ordinem naturalem, paruuli non debent puniri pœnâ sensibili: sequeretur malos Angelos non debere pœnâ ignis cruciari, iuxta communem sententiam Theologorum, qui dicunt eos non fuisse læsos in naturalibus, sed omnia naturalia in illis mansisse integra. Quin potiùs falsum est peccatum originis non læsisse ordinem naturalem. Nam per illud homo spoliatus est bono naturæ, Adæ concesso, quod Augustinus vocat *bonum possibilitatis*; per cuius spoliationem natura manet immutata, & debilior facta, vt Concilia & Sancti docent. Cúmque peccatum originale sit ipsummet peccatum Adæ transiens actu, & manens reatu in posteris: sicut in Adamo peruertit ordinem naturalem: ita & in posteris. Est enim peccatum generaliter, *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Lex verò æterna est *ratio diuina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conseruari iubens & perturbari vetans,* vt definit S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 27.

20. *Cur non cõueniat peccatum originale puniri in æternũ.* Ad hæc respondeo primò, æquum esse quidem, & diuinæ bonitati conueniens, vt paruuli per baptismum in Christo renati, consequantur vi Sacramenti, per eius merita gratiam, & gloriam. Eiusdémque iustitiæ conuenire, vt propter peccatum ab Adamo, veluti capite totius generis humani commissum, spolientur bonis supernaturalibus, & iure hæreditatis regni cælorum, eis concesso in Adamo, si ipse in Dei obsequio, & in iustitia perseueràsset. Sed quod propter ipsius factum, absque vllo proprio merito, crucientur igne æterno, minùs esse conueniens, & iure merito durum videri tum pluribus Sanctorum Patrum, tum communi Theologorum & fidelium sensui: neque sine grauiori fundamento debere præsumi. Nullum autem eiusmodi profertur ab aduersariis, neque ex Scriptura, neque ex certâ traditione: quâ tamẽ duplici viâ solùm habemus notitiam peccati originalis; & pœnæ illi constitutæ. Secundò, licèt Angeli non fuerint læsi in naturalibus, peccarunt tamen actu proprio libero: idéoque æquissimum est vt vltra pœnam damni, cruciatum æternum patiantur. At paruuli actu tantùm alieno peccatores constituti sunt, non propriâ voluntate, sed naturalis originis necessitate. Quare sicut peccatum originale non est per ipsorum actionem: ita eius pœna non debet esse per ipsorum passionem: vt rectè ait D. Thomas loco suprà cit. (D. Thom. in 2. dist. 33. q. 1. art. 2. in corp.) Tertiò, quando dicitur à Diuo Thoma ibidem, & ab aliis Theologis, peccatum originis non lædere ordinem naturalem: sensus est quod non subtrahit, vel corrumpit aliquod bonum debitum naturæ humanæ, illámve consequens ex principiis naturalibus: sed tantùm subtrahit, seu corrumpit aliquod bonum superadditum naturæ: cuiusmodi est gratia, & ius hæreditarium ad beatitudinem supernaturalem, aliáque bona gratis Adamo concessa. Non autem sensus est quod prout fuit voluntariè commissum ab Adamo, velut omnium capite, non fuerit contra rectum ordinem naturæ rationalis, Deo subiectæ naturaliter, & obligatæ, ratione suæ conditionis, ad faciendum quidquid præcipit: quem ordinem lex æterna, & voluntas Dei seruari iubet, vetátque perturbari. Bonum verò possibilitatis, de quo loquitur Augustinus, & quo subtracto, natura fuit infirmata ac debilitata, non erat debitum naturæ sed donum multiplex gratuito Adæ concessum, transfundendúmque ad posteros si non peccasset: consistens præcipuè in auxiliis gratiæ, quibus subtractis, natura mansit infirmior, debiliórque ad bene operandum, & resistendùm tentationibus: sublato etiam dono integritatis, & rectitudinis quæ fuisset in statu innocentiæ: de quibus omnibus plura diximus disput. 14.

21. *Secundum argumentū.* Secundum argumentum quod sibi opposuit aduersarius cap. 1. est, quia non est æquum puniri secundùm sensum paruulos qui proprio actu nunquam peccauerunt secundùm sensum: addo, neque secundùm vllum actum positiuum aut priuatiuum voluntatis, id est, peccato commissionis, aut omissionis. Cui argum. respōdet c. 7. Si iustus iudex secundùm nullū sensum punire potest paruulum in peccato originali decedentem, quia secundùm nullum sensum peccauit; minùs posse Angelos beatos, qui nunquam peccauerunt, quique faciem Patris eius semper vident, ad pœnas æternas inferni, ratione absoluti dominij quod in eos habet, detrudere: vt posse censent auctores huius argumenti. Deinde, si paruuli illi à iusto iudice secundùm nullum sensum puniri possunt, quia secundùm nullum sensum peccauerunt peccato propriæ actionis: ergo non potuit illis Deus mortem corporalem inferre in pœnam peccati originalis: illa enim mors in separatione animæ à corpore *habet asperum sensum, & cum graui sensu adimit sensum*, vt rectè ait Aug. lib. 13. de Ciuit. c. 6. Ergo falsa erunt dicta sanctarum Scripturarum, Conciliorum & Sanctorum Patrum, quibus definiunt *Corpus esse mortuum propter peccatum, per vnum hominem peccatum in mundum intrâsse, & mortem per illud peccatum in omnes pertransisse, mortem pœnam esse peccati originalis.*

22. *Aliud est pati mortem corporalem ob peccatum originale, & pati ignem æternum.* Sed quod attinet ad dictum illud Theologorum de absoluto Dei dominio, dicemus inferiùs n. 63. quo sensu intelligendum sit, quámve nihil aduersario prosit. De morte quoque longè diuersa est ratio. Nam illa sequitur naturaliter in homine, æquè ac in cæteris animalibus, ex naturali eius temperamento, constante diuersis & contrariis qualitatibus inter se pugnantibus: ex quo perpetuo conflictu oriuntur morbi, aliáque multa corporis incommoda, & tandem interitus, seu dissolutio corporis & animæ, destructâ temperie necessariâ ad totius conseruationem. Immortalitas autem primi hominis non erat naturalis eius conditio, sed gratiæ beneficium: vt contra Michaëlem Baium pronunciarunt Pius V. Gregor. XIII. & Vrbanus VIII. quo beneficio gratiæ sublato propter peccatum originale, redactus fuit primus homo cum sua posteritate ad statum naturalem, ex quo mors naturaliter sequitur; quæ eatenus solùm dicitur esse pœna peccati, quatenus peccatum Adæ fuit causa vt priuaretur dono supernaturali immortalitatis, æquè ac aliis donis gratuitis: eóque sublato in pœnam peccati, de immortali per beneficium gratiæ, factus est mortalis per conditionem naturæ. At verò cruciatus ignis æterni nullo modo connaturalis est homini, neq; ex naturali eius conditione consequens ad priuationem doni immortalitatis, & aliorum beneficiorum supernaturalium. Quapropter non nisi vitiosè, & ineptè inferri potest, infantes iustè & rationabiliter æterno ignis cruciatu torqueri ob peccatum originale ex eo quòd iustè priuati sunt dono immortalitatis, & relicti in naturali necessitate moriendi.

23. *Tertium argumentū.* Tertium argumentum est testimonium sumptum ex Commentario in epist. ad Rom. qui extat inter opera D. Ambrosij: vbi auctor exponens illud Apost. Rom. 5. v. 12. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors*: sic habet: *Mors autem dissolutio corporis est, cùm anima à corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur, in gehenna; quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione propriis peccatis acquiritur.* Vbi particula, *quam*, refert vocem, *gehenna*, proximè antecedentem: sensúsque est, gehennam, siue cruciatum ignis æterni, non incurri vi solius originalis peccati, sed proprio cuiusque merito. Nomen enim gehennæ in Scriptura cruciatum illum significat: desumitúrque ex Hebræo Gehennon, id est, vallis Hennon, in qua valle filij Israël faciebant filios suos transire per ignem, id est, comburi in manibus Idoli, tubis interim, & tympanis perstrepentibus, ne parentes audirent miserabiles eorum eiulatus.

24. *Quis fuit auctor commentarij tributi Ambrosio.* Huic testimonio opponit aduersarius cap. 8. auctorem illius Commentarij non esse Ambrosium, sed alium quempiam Pelagianâ hæresi infectum, qui omnino tollit peccatum originale: vt probare conatur c. 8. 9. & 10. Verùm, quamuis auctor ille non sit Ambrosius, vt sufficienter ostendit Bellarm. in lib. de Scripr. Ecclesiasticis, & alij communiter censent, propter styli diuersitatem, & nonnulla ab eo dicta veri Ambrosij doctrinæ aduersantia, & quædam etiam Pelagio fauentia: certum tamen est antiquum esse & Ambrosij contemporaneum. Nam exponens hæc verba 1. Tim. 3. ver. 15. *In domo Dei, quæ est Ecclesia*, testatur se scribere sub Damaso Papa, Ambrosij coætaneo, vt ex aliis etiam indiciis colligit ibidem Bellarminus. Vnde sequitur eum scripsisse ante exortam hæresim Pelagij, quæ non ebulliit ante mortem Ambrosij, vt ait S. August. lib. 1. contra Iulianum cap. 4. Sequitur etiam eum non negasse peccatum originale, vt frustra probare nititur aduersarius: vel alioqui falsum est, quod affirmat idem S. Doctor lib. de hæresibus cap. 88. Pelagium & Celestium esse auctores huius hæresis omnium earum quæ ad suum vsque tempus extiterant, nouissimæ: & quod scribit lib. 1. de nuptiis cap. 1. eosdem cum asseclis esse istius *nouelli & peruersi dogmatis assertores; qui nihil peccati in paruulis esse dicunt, quod lauacro regenerationis abluatur.* Sequitur tertiò, falsum pariter esse id, quod sæpe aduersarius inculcat, negare infantes morientes cum solo originali, torqueri pœnâ ignis æterni, idem esse ac, tollere peccatum originale. Nam auctor illius Commentarij, & quod amplius est, Gregor. Nyssen. orat. 1. de infantibus qui præmaturè abripiuntur, & Gregorius Nazianz. orat. 40. id negauerant ante Pelagium: ante quem tamen nullus in Ecclesia negauerat peccatum originale. Vnde quartò possumus confirmare id quod suprà diximus, aduersarium, & alios eiusdem cum illo sententiæ, dicere absque sufficienti fundamento, torqueri paruulos igne æterno pro solo peccato originali: cùm neque ex Scriptura, neque ex certa traditione id colligere possint. Non quidem ex Scriptura, quæ solùm docet Adæ peccatum transfundi ad posteros, & mortem per peccatum: atque exclusionē à regno cælorum, nisi baptismo, vel alio remedio expietur: quod totū verum est, licèt paruuli non patiantur pœnam ignis, vt patet ex proximè dictis, vel ipso D. Augustini testimonio. Neque etiam id colligere possunt ex certa traditione: quandoquidē Patres Augustino antiquiores contrarium docuerunt, vt Greg. Nyssenus

Nyssenus & Nazianz. suprà citati, quibus addi potest Chrysostomus, ex cuius ferè sententiis Euthymij Panoplia confecta est, in qua negatur paruulos tali pœnâ cruciari.

25. *Negauerit-ne ille peccatum originale?* Malè verò colligit aduersarius auctorem illius Commentarij negasse peccatum originale, ex eo quòd loco suprà citato dicit homines non pati mortem secundam peccato Adæ, sed eius occasione propriis peccatis illam acquirere: Quia, inquit, videtur idem dicere, quod posteà scripsit in Commentario eiusdem epist. condemnationem ex peccato Adæ secutam, non esse generalem, neque omnes comprehendere: sed eos tantùm vno Adæ peccato condemnari, & à morte secunda teneri in inferno inferiori, qui in similitudinem præuaricationis Adæ peccauerunt.

26. Nam licèt idem dicat vtroque loco: potest æquè facilè hic secundus intelligi de condemnatione ad pœnam sensus, & cruciatum ignis æterni: vt subindicant verba illa, *& à morte secunda teneri in inferno inferiori*. quam pœnam, & condemnationem ait non eos comprehendere, qui in similitudinem præuaricationis Adæ non peccauerunt: quia non nisi propriis meritis acquiritur, vt dixerat loco priùs citato. Affirmare autem hanc pœnam & condemnationem non incurri per solum peccatum originis, non est illud negare, vt iam ostendimus: & coniectura aduersarij in contrarium disertè repugnat eius verbis circa idem caput quintum, quibus disertè asserit peccatum originale, dicens *manifestum esse omnes in Adam peccasse, quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato. Ex hoc igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes.* Nec obest quod in Commentario cap. 7. exponit peccatum originale per *descensum ab Adamo, & per concupiscentiam*, animâ ab omni vitio manente illæsâ, nisi quando actu peccat: *Propterea quia ipsa caro, & non anima, ex traduce est, & ex origine carnis peccati.* Nam facilè potest intelligi, quòd velit nullum vitium, siue habituale, siue actuale animam inficere physicè, donec actu peccet: sed peccatum originale consistere in concupiscentia, cum relatione ad voluntarium peccatum Adæ: quæ est doctrina D. Augustini, aliorúmque plurium, affirmantium peccatum originale consistere materialiter in concupiscentia, & formaliter in eiusmodi relatione; vt alibi diximus. Aliud autem est negare peccatum originale: & aliud formalem eius rationem, & materialem hoc aut illo modo exponere: de quo nunc etiam non leuis est inter Catholicos dissensio.

27. *Obiectio de peccato Adæ, eiúsque pœna transfusa ad posteros.* Sed instat aduersarius cap. 11. 12. & 13. Adamum peccando, mortem primam & secundam meruisse; quæ mors secunda, est punitio corporis & animæ sempiterna: pœnámque illam ad omnes posteros naturali viâ generationis ab ipso descendentes, & speciali priuilegio carentes cum peccato suo transfundere: vt ait Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 2. 3. & 14. aliísque locis. Præterea, certum est, inquit, in omnes homines qui non erunt participes resurrectionis primæ, secundam mortem habituram esse potestatem, vt Augustinus colligit ex Apocalyp. 20. ver. 6. Sed infantes morientes cum peccato originali non sunt participes primæ resurrectionis, vt idem docet lib. 20. de Ciuit. cap. 6. & 9. Ergo in infantes morientes cum peccato originali secunda mors habebit potestatem. Et importunè contenderetur figulum, sicut facit misericorditer vasa honoris ex massa damnata, qui sine proprio rectè facto erunt participes secundæ resurrectionis, ac gaudij sensibilis, non posse similiter iustè facere ex eadem massa damnata, multa vasa contumeliæ, qui sine proprio malefacto erunt participes secundæ mortis, seu doloris sensibilis: alia enim mors secunda neque in Scriptura inuenitur, neque in D. Augustino. Ex quo præterea fit vt qui hoc negant, velint nolint, euacuent peccatum originale, quod sine tali debito seu merito in nemine reperiri potest iuxta Scripturæ & Augustini solidissima principia supradicta. Et quidem si Pelagiani dicuntur à Prospero in epistola ad Demetriadem, & lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 42. euacuare peccatum originale, eò quòd negabant læsionem naturæ, quæ secundùm Scripturas ex illo secuta est: pari vel maiori ratione dicendi sunt illud euacuare, quicunque negant sequi ex eo mortem secundam, quæ cum pœna æterna damni & sensus coincidit, quæque ex diuina ordinatione illi annexa est in paruulis qui sine liberatione gratiæ transeunt ad aliam vitam.

Ad primam partem huius obiectionis sufficere possent quæ diximus in fine sectionis primæ, vbi rationem dedimus cur Adamus non transmiserit ad posteros pœnam sensus & cruciatus ignis æterni, æquè ac pœnam damni seu priuationis æternæ gloriæ, & aliorum donorum supernaturalium. Lubet tamen ad maiorem eorum confirmationem & illustrationem addere quod eidem obiectioni respondet D. Thom. in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. in corp. dicens, Idcirco pœnā damni, & non sensus, seu cruciatus ignis æterni, transfundi ad posteros Adæ cum peccato originali; quia pœna debet esse proportionata culpæ, vt dicitur Isaiæ 27. *In mensura contra mensuram, cùm affecta fuerit in eam.* Defectus autem qui per originem traducitur, rationem culpæ habens, non est per subtractionem, vel corruptionem alicuius boni quod naturam humanam consequitur ex principiis suis, sed per subtractionem, vel corruptionem alicuius quod naturæ superadditum erat: nec ista culpa ad hunc hominem pertinet, nisi secundùm quod talem naturam habet, quæ hoc bono, quod in eo natum erat esse, & possibile conseruari, destituta est. Et ideò nulla alia pœna sibi debetur, nisi priuatio illius finis ad quem donum subtractum ordinabat, ad quod per se natura humana attingere non potest. Hoc autem est diuina visio. Et ideò carentia huius visionis est propria & sola pœna originalis peccati post mortem. Si enim alia pœna sensibilis pro peccato originali post mortem infligeretur, puniretur iste homo non secundùm hoc quod culpam habuit. Nam pœna sensibilis pertinet ad id quod personæ proprium est: quia per passionem huius particularis, talis pœna est. Vnde sicut culpa non fuit per operationem eius: ita nec pœna per passionem ipsius esse debet: sed solùm per defectum illius ad quod natura de se insufficiens erat. In aliis autem perfectionibus & bonitatibus, quæ naturam humanam consequuntur ex suis principiis, nullum detrimentum sustinebunt pro peccato originali damnati. Hæc ibi D. Thomas. 28. *Cur pœna sensus non transfunditur, vt pœna damni?*

Qui & aliam rationem addit quæst. 5. de malo 29.

Altera eius ratio. art. 2. in corp. Dicendum, inquit, quod communiter dicitur, peccato originali non deberi pœnam sensus, sed solam pœnam damni, scilicet carentiam visionis diuinæ: quia persona quælibet est alicuius naturæ suppositum: & ideò ad ea, quæ sunt naturæ per se & immediatè ordinatur: ad ea verò quæ sunt supra naturam ordinatur mediante naturâ. Quòd verò detrimentum aliquod patiatur aliqua persona in his quæ sunt supra naturam, potest contingere vel ex vitio naturæ, vel ex vitio personæ. Quòd autem detrimentum patiatur in his quæ sunt naturæ, hoc non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personæ. At peccatum originale est vitium naturæ; peccatum autem actuale est vitium personæ: gratia verò, & visio Dei sunt supra naturam humanam: Et ideò priuatio gratiæ, & carentia visionis diuinæ debentur alicui personæ non solùm propter actuale peccatum, sed etiam propter originale. Pœna autem sensus opponitur integritati naturæ, & bonæ eius habitudini. Et ideò pœna sensus non debetur alicui nisi propter peccatum actuale. Id est, cùm vnaquæque persona per seipsam immediatè ordinetur ad ea quæ sunt naturæ: nihil enim est magis proprium & personale, quàm sua cuiusque natura integra: non debet quisquam in istis pati detrimentum propter peccatum quod non commisit in propria persona. Æquum tamen est vt patiatur ob peccatum naturæ detrimentum in iis bonis, ad quæ non ordinatur nisi mediante natura, per diuinam ordinationem ad ea eleuantem. Quare non est æquum vt propter peccatum originale puniantur homines cruciatu ignis æterni, qui tantopere repugnat naturali proprio cuiusque personæ bono: tametsi æquum est vt patiatur detrimentum in bonis supernaturalibus, ad quæ natura humana per diuinam ordinationem erat euecta in Adamo, & euehenda in posteris.

30. *Mors secunda paruulorum qualis?* Ad secundam partem eiusdem obiectionis respondeo, iam ostensum fuisse non bene colligi ex verbis illis Apocalypsis, infantes cum peccato originali morientes passuros esse mortem secundam, qualis ibi describitur. Et quamuis Deus possit misericorditer euehere infantes ad gloriam, sine proprio merito: non sequitur quòd iustè possit eos torquere igne æterno, sine proprio demerito, propter solum originale peccatum. Quia vt iam vidimus ex D. Thoma, pœna illa non est proportionata tali peccato: ideóque nō potest iustè pro illo infligi. Dari autem mortem secundam pro huiusmodi paruulis, quamuis non crucientur igne, consistentem in priuatione regni cælorum, æternæque beatitudinis probauimus anteà ex Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Nec immeritò Prosper dixit Pelagianos euacuare peccatum originale: quia negabant peccatū Adæ nocuisse posteris, aliter quàm exemplo: & mortem corporalem, aliásque huius vitæ miserias non ex illo secutas esse, sed Adamum cum illis conditum fuisse: vt videre est apud eundem Prosperum epist. cit. post medium, & D. Augustinum in libris contra Iul. & lib. de Gestis Pelagij c. 8. At longè absunt ab illo errore qui nobiscum affirmant, & cum omnibus Theologis, propter peccatum originale priuatos fuisse homines dono immortalitatis, & aliis gratiæ beneficiis Adamo collatis, atque ad posteros transmittendis, si conseruasset statum innocentiæ: Desque visione carere in æternum, si cum illo discedant ex hac vita: quamuis propter illud flammis æternis arsuri non sint.

Quomodo Pelagiani euacuent peccatum originale?

31. Quod addit aduersarius, & probare conatur toto cap. 14. paruulos cum peccato originali mortuos passuros esse tristitiam, etiamsi nullam ignis pœnam eos pati supponamus, ad nos minimè pertinet, qui non negamus passuros esse tristitiam aliquam de amissione sempiternæ beatitudinis, consequentem naturaliter ad cognitionem huius damni: licèt eo minorem, quòd non propriâ culpâ tanto bono priuati sint, sed contagione peccati primi parentis; vt dicemus num. 47. & 48.

SECTIO IV.

Aliæ quatuor elusiones refutantur.

32. *Illustre testimonium Nazianzeni.* Qvartvm argumentum à nobis etiam propositum sect. 1. est testimonium Gregorij Nazianz. orat. 40. in sanctum lauacrum, vbi tria genera hominum sine baptismo decedentium esse dicit: quorum alij baptismum contempserunt: alij ex negligentia propria omiserunt: tertij, hoc est, infantes, aliorum negligentiâ illo caruerunt. Déque illorum omnium pœna sic pronunciat: *Existimo futurum vt primi quidem cùm aliorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas luant. Alij autem pœnas quidem, sed leuiores pendant; vt qui non tam animi prauitate, quàm stultitiâ à baptismo aberrauerint. Postremi denique nec cælesti gloriâ, nec suppliciis à iusto iudice afficiantur: vtpote qui licèt baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint.* Quod testimonium adeo clarum est, vt aduersarius illi tenebras offundere nequiuerit, nec quidquam contrà dixerit refutatione dignum. Vanum enim est quod ait c. 15. Gregorium nihil hîc definire de nostra controuersia: sed tantùm dicere eos qui baptismum non perceperint, carituros illius effectu. Cùm manifestè asserat neque cælesti gloriâ, neque suppliciis esse afficiendos propter iacturam baptismi, quam patiuntur inuoluntariè: & rationem, cur suppliciis non afficiantur post hanc vitam, hanc esse dicat, quia improbitate caruerunt, id est, quia non sunt propriâ iniquitate culpabiles. Ideóque Nicetas antiquus eius Commentator colligit ex his verbis, infantes mortuos sine baptismo, non esse pœnâ ignis æterni cruciandos. Idémque dicendum de adultis, si qui similiter cum solo originali decedunt. Cùm enim par sit illorum conditio, atque infantium: de vtrorumque pœna idem censendum est: soléntque nomine infantium comprehēdi à Theologis, quando agitur de pœna peccati originalis. Si qui adulti (inquam) sic decedant, etiam cum baptismi desiderio, sed sine actu perfectæ caritatis qui baptismi defectum suppleat. Contra quæ nullius sunt momenti, quæ dicit aduersarius eodem cap. 15. num. 2. & 3.

Ineptè eluditur à Iansenio.

33. *Alterum testimonium Innocentij.* Quintum argumentum est testimonium Innocentij Papæ cap. *Maiores, de Baptismo*, §. *Sed adhuc*, vbi sic ait: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis verò peccati pœna est gehennæ perpetuæ cruciatus.* Indeque infert non posse contingere vt alicui fiat remissio peccati originalis, sine remissione actualium morta-

..in: quia, inquit, si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso: talis non careret visione Dei, propter originale dimissum: & cruciaretur in gehenna perpetuò, propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam incompossibilia sese minimè compatiuntur, imò sibi mutuò aduersantur.

34. *Elusio similis præcedenti.* Respondet aduersarius eodem c. 15. nu. 5. Pontificem verè quidem dicere pœnam peccati originalis esse carentiam visionis Dei: sed non dicere hanc esse solam, neque excludere pœnam cruciatus ignis æterni. Sicut quando dicit peccati mortalis actualis pœnam esse gehennæ perpetuæ cruciatum, non dicit solam, neque excludit carentiam visionis, quam habet adiunctam. Addit rationem illam Innocentij esse *superficialem*: quia in fideli reprobo videmus originale remitti per baptismum: & peccatum actuale mortale, quod pòst commisit, cruciatu gehennæ, & simul carentiâ visionis Dei puniri.

35. *Expenduntur verba Innocentij.* Sed vt ab hoc postremo incipiã: non bene percepit aduersarius vim rationis Innocentij, qui non dicit, neque probat hac ratione, non posse dimitti peccatum originale commissuro postea peccatũ actuale mortale, & morituro in tali statu: sed loquitur de eo, qui simul est infectus peccato originali, & mortali actuali remanente habitualiter: in quo dicit non posse remitti prius, manente posteriori: loquitúrque de remissione, qualis reipsa fit secundùm legem à Deo positam; nimirum per infusionem gratiæ iustificantis, dantísque ius hæreditarium vitæ æternæ. Ex quo sequitur, quòd si cuipiam habenti actuale mortale, remitteretur peccatum originale, haberet ille ius ad Dei visionem per remissionem peccati originalis: & simul debitum eâ carendi, æternúmque gehennæ cruciatum patiendi, propter peccatum actuale: quæ duo sunt incompossibilia: sibíque mutuò aduersantur, vt verè ait Pôtifex: qui cùm hæc duo inter se opponat, originale mereri carentiam visionis Dei, actuale verò mortale mereri gehennæ perpetuæ cruciatum: debet intelligi primum membrum huius diuisionis exclusiuè: ita vt sẽsus sit, peccatum originale mereri solùm carentiam illam; actuale verò mereri vlteriùs cruciatum gehennæ. Alioquin eius diuisio, & oppositio inter hæc duo, nulla prorsus esset; si vellet tam originale, quàm actuale vtramque pœnam mereri: vt contendit aduersarius pessimè exponens verba Innocentij, quæ si meliùs expendisset, non dixisset eius rationem *superficialem* esse, & reuerentiùs de tanto Pontifice locutus esset.

36. Sextum argumentum, omisso testimonio D. Augustini ex lib. 3. de lib. arbit. c. 23. quod fusè prosequitur aduersarius c. 16. & 17. & de quo infrà dicemus sect. 6. nu. 69. vbi licèt S. ille Doctor non affirmet absolutè sententiam paruulorum fore mediam, sicut ipsi fuerunt medij inter eos qui bene, & eos qui malè vixerunt, quique bonis operibus præmium, aut malis supplicium promeriti sunt: perspicuè tamen affirmat esse posse; & *non metuendum esse ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factam, atque peccatum; & sententia iudicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium.* Omisso etiam quod ait c. 18. de tristitia eiusmodi paruulorum, de qua paulò antè diximus, iterúmque dicemus num. 47. & 48. *Iuxta aduersarium diu errauit Ecclesia.* His, inquam, prætermissis: Sextum argumentum est, quod sibi opponit cap. 19. ex hac sententia sequi Ecclesiam penè totam iam à quingentis annis in errore fuisse. Nam populus Christianus vbique terrarum tenet id quod à suis Parochis, & Episcopis docetur. Hi autem docent quod à Doctoribus in Scholis audiuerunt, vel quod in eorum scriptis legerunt. Atqui Doctores per quingentos annos, & multò fortè ampliùs, docuerunt vnanimiter, vel saltem cõmuniter, paruulos decedẽtes sine baptismo, non puniri pœna ignis: ergo, &c. respondet ibidem, num. 2. Theologos hanc suam sententiam non tanquam de fide proposuisse: & circa pœnã paruulorum diuersa sensisse. Licèt antẽ magna Ecclesiæ pars in aliqua obscura quæstione hæsitet, sententiámque definitiuam suspendat, aut aliter quàm est, humanâ & infirmâ suspicione coniiciat: minimè damnãdam esse erroris in fide: aut si opinione, quæ vera putabatur, reiectâ, quando falsa detegitur, oppositum ipsa amplectatur. Sicut, inquit, Ecclesia nostra Occidentalis, quæ sentire solebat propaginem animarum, teste Hieronymo apud Augustinum epist. 157. à nemine taxanda est erroris in fide, quia hâc opinione reiectâ, nunc sentit animas de nouo creari nullâ ductâ ex anima Adæ propagatione. Hæc ille: quibus sensu & verbis eadem habet Iansenius tom. 2. cap. vlt. libri proœmialis.

Ad quæ dico, si per quingentos annos, & ampliùs, communis & ferè vnanimis sententia omnium Theologorum fuit, paruulos non puniri pœnâ ignis æterni, sicut verè fuit, non esse dubitandum quin ille quoque fuerit sensus maximæ partis, ac ferè totius Ecclesiæ: propter rationem in obiectione allatam. Quamuis autem variè senserint Theologi, & adhuc sentiant circa quasdam alias pœnas peccati originalis: tamen ferè omnes conueniunt in reiicienda pœna ignis æterni, de qua nunc disputamus. Quare similiter maxima pars Ecclesiæ, & ferè tota illam reiecit. Rursus, si hanc pœnam reiicere est euacuare peccatum originale, vt dicit aduersarius: sequitur maximam partem Ecclesiæ, ac ferè totam errasse in materia fidei, negando peccatum originale, formaliter, aut æquiualenter: id est, admittendo aliquid, quod vel est illius negatio formaliter, vel illam infert per sequelam necessariam. Dicere autem Ecclesiam ferè totam errare posse in materia fidei, etiam per ignorantiam, est absurdum, & iniuriosum Ecclesiæ, vt ostendunt Theologi in tractatu de fide, disputando de ipsius infallibilitate. Quare dici non debet sensisse aliter, quàm veritas ferat, humanâ & infirmâ fragilitate inductam ad ita coniiciendum. 37. *Malè illam excusat ab errore in fide.*

Sanè hæc fragilitas, & infirmitas, lapsúsque in errorem materialem contra fidem, minimè cohæret cum eo quod ait Apost. 1. Tim. 3. ver. 15. Ecclesiam esse *columnam, & firmamentum veritatis:* & cum prædictione, ac promissione Christi Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Estque prorsus intolerabile, velle aduersarios Ecclesiam corrigere per Augustinum, illique tribuere infallibilitatem, quam Ecclesiæ non tribuunt. Velle pro certo haberi & de fide, atque irrefragabili, quidquid Augustinus asserit in materia fidei: & dicere Ecclesiam posse humana fragilitate, & infirmitate coniicientem opinari aliter, quàm veritas ferat de rebus ad fidem pertinentibus. Dicere denique Ecclesiam posse aliquo tempore falsam opinionem amplecti in materia fidei, & postea falsitate detectâ 38. *Malè sentit de Ecclesia infallibilitate.*

contrariam profiteri, idque sufficere vt excusetur ab errore in fide. Quasi verò non errent in fide materialiter, qui aliter sentiunt quàm verâ & rectâ fide tenendum sit; licèt detectâ falsitate errorem posteà deponant, & veritatem amplectantur. Atque ita errasset Ecclesia, si sensisset aliquando animas ex Adamo per propagationem traduci. Sed nunquam ita sensit vel ipsa tota, vel maxima eius pars. Quamuis enim Hieronymus, teste Augustino ep. cit. post medium, dixerit *Occidentalē Ecclesiam solere ita sentire*, id est, plerosque in ea sic opinari: non tamē omnes: neque tunc Ecclesia Occidentalis erat maxima pars Ecclesiæ, tantopere florentis eo tempore in Græcia, in Africa, & in multis partibus Asiæ.

39. *Sitne peccatum originale dignum vituperio?* Septimò denique, opponit sibi hoc argumentum cap. 20. Non debet quisquam pro eo puniri pœnâ sensibili, & positiuâ, naturæque aduersâ, pro quo ne quidem potest increpari & vituperari. Non potest autem quisquam increpari & vituperari pro eo, quod vitare non potuit: cuiusmodi est peccatum originale, quod solâ culpâ primi parentis contrahitur. Ergo, &c. Maior probatur, quia pœnæ sensibiles habent vim cuiusdam increpationis, veluti flagella quibus malefactores affliguntur. Qui ergo de tali peccato reprehendi nequit: nec propter illud flagellis verberari, aut igne, vel alio tormento dignè torqueri potest. Minor autem est per se nota lumine naturali, traditáque ab Aristotele 3. Ethic. c. 6. vbi dicit neminem esse dignum vituperio & exprobratione, nisi propter illa, quæ in sua sunt potestate; id est, quæ ita admisit, vt vitare potuerit: ídque omnium doctorum, æquè ac indoctorum consensu receptum esse affirmat D. Augustinus lib. de duab. animab. cap. 11.

40. Respondet aduersarius eodem c. 20. de pœna peccati originalis, sicut & de ipso peccato, non esse philosophandum ex placitis Aristotelis: alioquin vtrumque negandum esset: sed ex Scriptura, & ex D. Augustino, Philosophis & Theologis omnibus longè præferendo. Et eodem argumento vsos esse Pelagianos ad tollendum peccatum originale, apud Augustinum lib. de peccato origin. c. 13. Nec immeritò: quia cùm omne vitium sit vituperio & reprehensione dignum: sequitur paruulos nullum habere vitium, si nihil habent dignum vituperio & reprehensione. Si autem nullum habent vitium: ergo non habent peccatum originale, quod certè est aliquod vitium. Præterea, si pœna sensibilis non debetur peccato originali: ergo nec mors corporis, quæ est pœna sensibilis. Hoc autem est contra Apostolum Rom. 5. & 8. Addit cap. 21. Si peccatum originale esset vitium prorsus naturale, siue ex necessitate naturæ, nullo modo à voluntate dependens: nec fore vitium, aut vituperatione dignum: nec vllum consequenter vituperium propter originale paruulo deberi. Sed quia per vnius voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes vnus ille fuerunt, vt ait Augustinus: mirum non esse si infantes digni sunt vituperio propter peccatum, quod in Adamo commiserunt. Atque ita planè sensisse D. Augustinum probat ex lib. 1. Retract. cap 13. & 15. & lib. 3. contra Iulianum cap. 18.

41. *Quod non fit liberè, non est dignum vituperio.* Ad primam partem huius euasionis respondeo, non solùm Aristotelem, aut ethnicos Philosophos dicere neminem esse vituperio & reprehensione dignum, propter id quod non liberè fecit, aut omisit: sed omnium fidelium, & infidelium communem illam vocem esse, vt confirmat S. Augustinus loco suprà citato: ita vt illud cantent in montibus pastores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & antistites in sacris locis, & in toto terrarum orbe genus humanum. Ibidémque ait vnumquemque id legere in corde suo naturaliter inscriptū. Et lib. de vera relig. cap. 14. addit hoc adeo manifestum esse, vt nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare si ex mente D. Augustini, imò ex sensu totius Ecclesiæ, & consensu vniuersi generis humani, iudicandum est de peccato originali, eiúsque pœna: dicendum est neminem propter illud non à se commissum, sed vi originis ex necessitate contractum, esse dignum reprehensione & vituperio; ac proinde nec supplicio positiuo & connaturali: quamuis propter illud bono aliquo supernaturali priuari possit, & fauore gratuito Adæ concesso, atque ad posteros transmittendo, si ille non peccasset. Estque diligenter notandum, nunquam retractâsse Augustinum id, quod tantâ emphasi dixit locis citatis: nec vspiam scripsisse, se pro comperto & euidenti, omnibúsque notissimo habuisse errorem repugnantem fidei, & veræ doctrinæ de peccato originali: illúmque errorem toti Ecclesiæ, atque vniuerso generi humano tribuisse. Notandum etiam id quod alibi diximus, magnum inferre præiudicium credibilitati fidei Christianæ eos, qui illi imponunt eiusmodi dogmata, communi omnium hominum iudicio, & rationi naturali manifestè aduersa; propter leues quasdā ratiúculas, & falsas suppositiones, vel auctoritates in aliū sensum facilè explicabiles, vel inde ductas ineptas ratiocinationes.

Scriptura quoque, quæ propter quælibet peccata actualia, etiam leuissima, peccatores reprehendit, & vituperat; neminem vnquam increpat, & obiurgat, eò quòd peccatum originale contraxerit: neque vel illa, vel Ecclesia hortatur quenquam ad pœnitentiam de illo agendam. Si autem posset ab alio increpari; posset ac deberet ab ipso qui contraxit. Posset ergo, ac deberet de illo pœnitentiam agere. Nam pœnitentia est increpatio quædam, & punitio, quâ se quisque reprehendit & castigat. Quare Scriptura, & doctrina Ecclesiæ manca esset, quæ neminem ad id hortatur, sed ore omnium Theologorum contrarium docet. Aut potiùs, si ex mente Scripturę & sensu totius Ecclesiæ iudicandum est de peccató originali, eiúsque pœna: dicendum est neminem propter illud contractum vi originis, esse vituperio & reprehensione dignum. 42. *Scriptura neminem vituperat ob peccatū originale.*

Ad secundam partem, nego ex eo sequi non esse peccatum originale. Nam licèt omne vitium sit vituperio, & reprehensione dignum respectu eius, à quo liberè fit: secus tamen respectu eius, à quo sine vllo actu ipsius libero participatur: sicut peccatum Adæ participatur à posteris. Estq; falsa ista consecutio, si paruuli non sunt vituperio, & reprehēsione digni: ergo nihil habent vituperio, & reprehēsione dignum. Ergo nō habent peccatum originale, quod sine dubio vitium quoddā est. Nam licèt paruuli moraliter habeant & participent peccatum Adæ, quod vitium est, & vituperio, atque reprehensione dignum respectu eius, qui fecit liberè: non sequitur ipsos quoque propter hanc moralem participationem non sibi liberam, esse quoque vituperio, 43. *Peccatum originale est vituperabile Adamo, qui liberè commisit.*

& reprehensione dignos. Nam, vt dixi, omne quidem vitium reprehensione dignum est & vituperio, respectu sui auctoris, qui propter illud iure potest increpari, & vituperari: at non respectu eius, qui sine libero suo consensu fit moraliter illius particeps. Quare siue Pelagiani, siue quicunque alij voluerunt inde inferre non esse peccatum originale, sunt ineptè argumentati.

44. *Quæ pœna conueniat peccato originali?* Ad tertiam, dico similiter sequelam non valere. Nam donum immortalitatis concessum Adamo, & posteris, si non peccasset, erat supernaturale: potuit autem iustè puniri Adamus in se, & in posteris, priuatione illius doni naturæ indebiti, quod illi sub ea conditione donatum erat in perpetuum. At cruciatus ignis æterni est pœna positiua, naturæ valdè aduersa, priuánsque bono statu naturaliter debito. Quo genere pœnę nemo puniri debet propter id, quod sine eius consensu contigit, quódque non propriâ voluntate fecit, sed ex pura necessitate patitur: vt meritò ait D. Thom. in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. & q. 5. de malo art. 2. in corp. vtrobique.

45. *Cur magis est imputabile Adamo quàm posteris?* Ad quartam respondeo, cùm paruulus non magis actu proprio, liberáque suâ voluntate consenserit in peccatum originale, quàm si non ab Adamo inductum esset, sed ex sola naturæ necessitate contraheretur: non esse illud magis imputabile paruulo ad ipsius vituperium & reprehensionem: sed tantùm Adamo, qui de illo non solùm iure reprehendi & vituperari potest, atque puniri in propria persona: sed etiam potest puniri in posteris aliqua pœnâ proportionatâ, cuiusmodi est priuatio donorum supernaturalium, & specialis, ac benignioris prouidentiæ.

46. *Non contradicit Augustinus.* Augustinus autem locis citatis ab aduersario, & verbis ab eo relatis, non aliud dicit, nisi ea quæ docuerat alibi, & quibus abutebantur Pelagiani contra peccatum originale. Nusquam scilicet nisi in voluntate (libera) esse peccatum: & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis esse atque insaniæ: &, Si duæ illæ animæ, bona & mala, confictæ à Manichæis, faciunt naturâ, non voluntate, quidquid faciunt: id est, si libero ad faciendum & nō faciendum motu animi carent; Si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur; peccato earum teneri non possumus. Has, inquam, sententias dicit non obesse peccato originali: quia peccatum illud fuit Adamo voluntarium, & liberum, atque ex eius voluntate contractum: paruuli enim *non proprietate voluntatis, sed origine rei tenentur:* id est, non actu proprio, sed illius, *qui non fecit quod facere potuit, diuinum scilicet seruare mandatum: quique libero ad faciendum, & non faciendum motu animi non carebat: eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat.*

SECTIO V.

Perstringuntur cætera quæ docet aduersarius de quæstione proposita.

47. *Qualis erit status huiusmodi paruulorum?* QVÆ addit aduersarius cap. 22. & duobus sequentibus contra affirmantes eiusmodi paruulos esse fruituros naturali beatitudine, ad nos minimè pertinent, qui non credimus fore vt qui sunt naturâ, id est, naturali generatione ex Adamo, filij iræ vt ait Apostolus, Deóque exosi propter peccatum originale, vitam in aliqua felicitate sempiterna traducant: & non obstante peccato plus naturalium beneficiorum in omni genere adipiscantur, quàm per principia naturalia consecuti essent: sed mediam viam tenendam censemus inter eos qui æternâ combustione torquendos esse volunt; & eos qui talem felicitatem in terrestri quodam paradiso illis affingunt. Qua de re plura videri possunt apud De Salas 1. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 6. vbi hæc fusiùs prosequitur, & apud Valentiam to. 2. disp. 6. quæst. 17. puncto 4. Bellar. lib. 6. de amissione gratiæ c. 6. & 7. qui rectè addunt, quamuis nec pœna ignis, nec alia pœna sensus decreta sit à Deo vel inflicta paruulis ob peccatum originale: esse tamen passuros aliquid tristitiæ naturaliter consequẽtis ex pœna damni: quæ tristitia non est propriè pœna; sed sequitur pœnæ cognitionem. *Dolebunt naturaliter de priuatione æternæ gloriæ.* Primò, quia naturale est dolere ob priuationem boni nobis destinati, vel debiti. Ergo multò magis ob priuationem tanti boni. Secundò, Paruuli illi Deum cognoscent, & amabũt, & magni facient gloriam eius. Cur ergo non dolebunt se nō esse consecutos gloriam illam, ad quam erant ordinati? Et quanquam consolabitur illos cogitatio, quod non propriâ culpâ actuali, sed alienâ gloriam amiserint: facile tamen erit, vt aliunde doleant se quomodocunque fuisse illâ priuatos. Eandem rationem tradit S. Augustinus lib. 6. contra Iul. c. 10. prope finem, vbi sic ait de paruulis sine baptismo morientibus, *Si hoc eis non erit malum: non ergo amabunt regnum Dei, tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantùm amabunt, quantùm innocentes amare debent regnum eius, à quo ad ipsius imaginem creantur: nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?*

Malè autem supponit Durandus in 2. distinct. 48.
33. q. 3. huiusmodi paruulos non habituros cognitionem damni quod patientur, ac proinde nullum de illo dolorem esse passuros. *Cognoscent se illa priuari.* Nam saltem in die iudicij generalis statum suum agnoscent: & vt probabilius est, eidem iudicio assistentes videbunt alios ab originali peccato expiatos in cælum euehi, séque ab illo excludi propter idem peccatum. Malè quoque addit non habuisse paruulos facultatem ad gloriam, ideóque non dolere de ipsius priuatione: quia nemo dolet de carentia eius ad quod nullam habuit vnquam facultatem: Etenim paruuli remotè saltem in Adamo habuerunt ius, & facultatem ad gloriam. Quod verò aiunt S. Thomas, & Ricardus ad eandem distinctionem, paruulos cogniturus se non suâ culpâ, sed alienâ gloriam amisisse: leniet quidem maximè; non tamen penitus auferet tristitiam. Quod denique addunt Suarez, Vasquez, & alij, paruulos vel propter magnam boni naturalis participationem cariturus dolore: vel Deum suâ prouidentiâ curaturum vt non doleant: vel partim ex diuina prouidentia, partim ex prudentia & rectitudine voluntatis horum paruulorum, fore vt non sentiant tristitiam, nec dolorem vllum de beatitudine amissa, sed omnino sint conformes diuinæ voluntati, & contẽti iis bonis naturalibus, quibus erunt præditi. Hoc, inquam, caret sufficienti fundamento.

Vnde enim constat Deum tantopere munificum ac liberalem fore erga peccatores, sibi inuisos, filios iræ, vt loquitur Apostolus, & propter peccatum originale damnatos?

49. Quæ verò prosequitur cap. 25. & 26. multa supponunt falsa, & à communi sensu Theologorum aliena. Vt quod primò refert tanquam dictum ab aliquibus Theologis, *Peccatum originale esse omnium peccatorum minimum: minúsque veniali: minorémque ei pœnam deberi, quàm peccato veniali: & ideò æternam pœnam ei non deberi ratione suæ grauitatis, sed ratione subiecti, scilicet hominis qui sine gratia inuenitur, per quam solam fit remissio pœnæ: sicuti similiter peccato veniali pœna æterna aliquando debetur non ratione sui, sed ratione conditionis subiecti in quo est: quando scilicet inuenitur in aliquo damnato. Idcirco autem esse minimum peccatorum, quia minimum habet de voluntario. Est enim voluntarium ratione principij naturæ tantùm. Peccatum autem actuale etiam veniale, est voluntarium voluntate ipsius in quo est.* Hæc ille.

50. *Quo sensu peccatum originale est maius aut minus peccato veniali?*

Quæ si aliquis Theologorum scripsit: omnino scripsit contra veritatem, & doctrinam D. Thomæ, communémque aliorum Theologorum. Nam D. Thomas in quæstionibus disputatis, q. 5. de malo art. 1. in responsione ad nonum argumentum, & alij communiter, docent quidem peccatum originale esse minus secundùm quid omni peccato actuali, etiam veniali: nimirum in ratione voluntarij: idque respectu eorum à quibus moraliter participatur; non autem respectu primi parentis, à quo fuit commissum cum plena & perfecta libertate, adeóque fuit illi maximè voluntarium. Sed non propterea dicunt peccatum originale esse simpliciter minimum omnium peccatorum, etiam respectu posterorum Adæ à quibus contrahitur. Quinimò disertè affirmant esse peccatum mortale, priuans Dei gratiâ, æternáque Dei visione: quod non facit peccatum veniale, quia non est adeò graue, neque dignum tantâ pœnâ: longéque maiorem inordinationem, & grauius nocumentum in naturam inducere, quàm vllum peccatum veniale. Verba S. Thomæ loco citato hæc sunt: *Dicendum quòd peccatum veniale, originali comparatum, quodammodo est maius, & quodammodo est minus. Peccatum enim veniale comparatum huic personæ vel illi, magis habet de ratione peccati, quàm peccatum originale: quia peccatum veniale est peccatum voluntarium voluntate huius personæ, non autem peccatum originale. Sed originale peccatum, comparatum ad naturam, est grauius: quia priuat naturam maiori bono, quàm peccatum veniale priuet personam, scilicet bono gratiæ. Et propter hoc debetur ei carentia visionis diuinæ: quia ad visionem diuinam non peruenitur nisi per gratiam, quam veniale peccatum non excludit.* Itaque licèt peccatum originale sit minus veniali secundũ quid, respectu contrahentium sine proprio ipsorum actu, quatenus est illis minùs voluntarium: aliunde tamen est multò maius, imò infinitè grauius omni peccato veniali: quatenus auertit à Deo, priuátque illius gratiâ & visione, quam priuationem incurrunt in perpetuum quicunque sine illius remissione decedunt: incurrunt, inquam, ratione illius peccati, toti naturæ humanæ communicati per transfusionem ab Adamo, à quo tanta inordinatio, tantorúmque bonorum priuatio in totam hominum speciem inuecta est. Contra quam doctrinam nullam vim habent argumenta subiuncta ab aduersario eodem cap. 25. num. 3. & seqq. quippe quæ procedunt ex ignorantia, aut dissimulatione distinctionis datæ: supponúntque dici peccatum originale esse simpliciter minus quocunque veniali, eo solo quòd est minùs voluntarium subiecto, cui communicatur per originem.

51. *Certum est damnari quicunque moriuntur cum peccato originali.*

Huiusmodi est secundò, quod refert cap. 26. scriptum ab aliquo Theologo, *Esse conclusionem Catholicissimam, nullum in futuro Christi iudicio esse damnandum propter solum Adæ peccatum, sed vnumquemque onus suum portaturum, siue bonum, siuè malum.* Quod si Scriptor ille ita intellexerit, vt neminem propter solum originale damnatum iri existimauerit, non modò ad pœnam sensus & cruciatus ignis æterni, sed ne quidem ad pœnam damni, seu priuationis æternæ gloriæ: non modò contra vnanimem sententiam Theologorum id asseruit, verùm etiã contra Apostolum Rom. 5. ver. 16. *Non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis iustitiæ accipientes, regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Quibus verbis, vt rectè expendunt D. Augustinus, aliíque Patres, & Doctores Catholici, docet Apostolus peccatum Adæ transfusum in posteros esse causam damnationis, nisi expietur; & non solùm afferre mortem corporis, verùm etiam animæ per priuationem gratiæ hac in vita, & gloriæ in altera, nisi per Christi meritum & iustificationem vitę aboleatur. Idémque affirmant Concilium Arausican. can. 2. & Tridentinum sess. 5. can. 2. cùm definiunt Adamum per præuaricationis offensam non sibi soli, sed & propagini nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem nobis etiam perdidisse: & inquinatum non tantùm mortem & pœnas corporis transfudisse, sed etiam peccatum, quod mors est animæ: effectiuè scilicet, quatenùs est causa priuationis gratiæ, & gloriæ, seu vitæ æternæ. Christus quoque Ioan. 3. ver. 5. sic pronunciat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Idémque sine dubio sentiendum est de illis omnibus qui ante legem Euangelicam, & baptismi institutionem moriebantur sine circumcisione, vel alio peccati originalis remedio. Quapropter contra fidem est dicere nullum in Christi futuro iudicio esse damnandum propter solum Adæ peccatũ: si intelligatur quòd nullus propter illud solum incursurus sit pœnã damni seu æternæ priuationis visionis Dei. Et quamuis Scriptor ille suam illam propositionem intelligeret in hunc sensum, quòd nullus propter peccatum originale damnandus sit ad pœnam sensus, seu cruciatum ignis æterni: malè tamen, & exaggeratoriè diceret hanc assertionem esse Catholicissimam: quasi non possit sine errore contra fidem Catholicam negari. Neque enim illud ab Ecclesia definitum est, neque à Patribus, vel à Theologis asseritur tanquam fide diuinâ certum. Quamuis etiam solùm intenderet dicere eiusmodi paruulos non comparituros in iudicio

vniuersali, siue tantùm vt assistant, siue etiam vt sententiam de æterno suo statu à Christo iudice audiant: perperam diceret hanc propositionem esse Catholicissimam: cùm sit tantùm probabilis, vt patet ex dictis num. 11.

52. *Quomodo einsmodi paruuli Christum agnoscent & venerabuntur?* Huiusmodi est tertiò, quòd eodem cap. 26. grauiter reprehendit aliquem Theologum affirmãtem Christum Dominum fore causam exemplarem resurrectionis huiuscemodi paruulorum, ac datorem omnium beneficiorum naturalium, imò & donorum quæ naturæ omnino debita non sunt, quæ tunc habituri sunt: eósque ipsum tanquam Dominum & Principem, ac benefactorem suum veneraturos; vsurósque se, & omnibus suis donis in laudem & honorem ipsius. Grauiter, inquam, eum reprehendit, quasi diceret paruulos illos in Christo resurrecturos, & per illum fore viuificandos, eodem planè modo & sensu, quo de iustis id affirmat Apostol. 1. Corinth. 15. ver. 22. & 23. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in eius aduentu crediderunt.* Quasi etiam diceret eosdem paruulos, Christum vt benefactorem ac Principem agnituros, fore hoc ipso à principe huius mundi liberos, & consequenter à peccato immunes: imò neque illud contraxisse in sua origine: quia si contraxissent, adhuc haberent: cùm ex hac vita sine illius remissione decesserint. Quæ omnia sunt à mente illius Theologi alienissima. Quippe qui expresse affirmat Christum Dominum fore quidem causam exemplarem resurrectionis infantium qui in peccato originali decesserunt, quoad perfectiones naturæ; sed non quoad perfectiones gloriæ, sicut erit exemplar resurrectionis iustorum: quippe qui carebunt dotibus illis gloriæ corporis, quibus iusti decorabuntur. Eatenus ergo erit Christus eorum resurrectionis exemplar, vt idem quoque expressis verbis ait, quatenus post resurrectionem habebunt non solùm vera humana corpora, sed etiam perfecta in quantitate, & robore, seu ætate corporis: non enim resurgent in corpore infantili, sed virili, ac perfecto, in quo possint & ratione vti, & omnes operationes humanas, quæ materialem alterationem & corruptionem non requirunt, exercere. Habebunt etiam corpora sana, & vegeta, imò & incorruptibilia (quandoquidem erunt æterna) non quidem à causa intrinseca, seu dote incorruptibilitatis; sed ab extrinseco saltem, seu per suspensionem omnis causæ corrumpentis & alterantis.

Suarez to. 2. in 3. p. disp. 50. sect. 5. conclusione 2.

53. Expresse quoque affirmat eosdem paruulos inter damnatos fore ac reprobos: vtpote peccato originali infectos: tametsi Christum cognituri, & aliquatenus veneraturi sint vt Dominum suum, ac benefactorem, supremúmque omnium hominum Principem: agnituri, inquam, non fide supernaturali, quâ carebunt; sed notitia euidenti, & experimentali, quam de illo vt tali habebunt saltem in die iudicij; quámve etiam dæmones ipsi habebunt: atque eatenus paruuli illi sub regno Christi erunt. Quod non adeò grauiter reprehendere debuit aduersarius: cùm fateatur eodē c. 26. nu. 5. paruulos illos sub regno Christi futuros, quia vt ait Augustinus lib. 83. q. q. 69. *Aliter dicitur regnum Christi secundum potestatem diuinitatis, secundū quod ei cuncta creatura subiecta est: & aliter regnum eius dicitur Ecclesia secundùm proprietatem fidei, quæ in illo est, secundùm quod orat qui dicit, Posside nos.* Si autem erunt sub regno Christi, cur non illum vt Regem agnoscent, & aliquatenus venerabuntur? Cùm longè sit alia eorum conditio, quàm dæmonum, & adultorum ob propria peccata damnatorum, quorum voluntas est in malo obstinatissima. Imò cùm ipsi dæmones ament Deum aliquatenus, etiam plusquam *seipsos*, vt bonum commune omnium; quemadmodum affirmat D. Thom. 1. p. q. 60. art. 5. ad 5. Quidni etiam paruuli isti Christum amabunt vt suum benefactorem, & auctorem suæ resurrectionis, ac beneficiorum quæ in illa consequentur per Christum, mortis corporalis æquè ac spiritualis destructorem?

Quare vana sunt quæ contra huiusmodi doctrinam opponit aduersarius ex Coloss. 1. *Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Et quod ait Augustinus tractat. 115. in Ioannem, eundem locum exponens: *De mundo est quidquid hominum à vero quidem Deo creatum, sed ex Adam vitiata & damnata stirpe generatum est: factum est autem regnum non iam de mundo quidquid inde in Christo regeneratum est. Sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij caritatis suæ: de quo regno dixit, Regnum meum non est de hoc mundo.* Neque enim auctor, quem impugnat, asserit paruulos fore hoc sensu de regno Christi: sed è contrario, fore inter reprobos & damnatos, foréque infectos peccato originali, cum quo decesserunt; ac proinde sub peccati seruitute, & captiuitate diaboli, eo sensu & modo, quo sub illa sunt etiam hac in vita quicunque existunt in statu peccati mortalis, & quam Tridentinum sess. 5. can. 1. ait Adamum incurrisse per offensam præuaricationis. 54. *Vana obiectio in contrarium.*

Frustra quoque opponit illud Augustini epist. 28. *Quisquis dixerit quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuificari omnino non posse.* Neque enim docet Theologus ille Christum fore causam exemplarem resurrectionis & viuificationis paruulorum quoad vitam spiritalem, de qua loquitur Augustinus, quæque non habetur ab infantibus, nisi per participationem Sacramenti Christi Domini: sed de viuificatione quoad vitam corporalem, & de existentia sub regno Christi non per fidem & gratiam, sed per subiectionem quâ sub illius erunt potestate tanquam regis & domini vniuersorum. 55. *Altera obiectio friuola.*

Frustra denique opponit eidem auctori, si propter illud signum vniuersale, *in Christo omnes viuificabuntur*, vult eum locum ad paruulos damnatos extendere: eadem ratione extendi debere aut posse ad damnatos adultos: atque adeò Christum fore causam exemplarem resurrectionis eorum: quod ipse admittere minimè audet. Et verba relata Apostoli ex 1. Cor. 15. aliaque similia, quæ habentur Ephes. 4. ver. 13. Philip. 3. ver. 21. & Rom. 8. ver. 29. intelligenda esse de prædestinatis & Christi membris, quibus solis 56. *Quorumnā resurgentium causa exemplaris est Christus?*

tantam corporum perfectionem, & ad corpus Christi Domini tanquam ad exemplar conformitatem Scriptura promittit. Enimuero quod attinet ad primam partem obiectionis, auctor, quem impugnat, expressè dicit & probat non esse eandem vtrorumque rationem. Nam postquã affirmauit Christum non fore causam exemplarem resurrectionis adultorum dãnatorum, etiam quoad ea in quibus erunt illi conformia, vt quoad perfectam ætatem, & membrorum integritatem, & immortalitatem: sibique opposuit idem posse dici de paruulis: respondet in hæc verba: *De corporibus infantium nihil improbabile diceret qui eodem modo de iis loqueretur, ac de aliis damnatis: nam D. Thomas de omnibus illis indifferenter loquitur: nihilominus tamen quia illa corpora aliquam maiorem perfectionem habebunt, & aliqua dona seu beneficia, quæ non sunt natura omnino debita: ideò respectu illorum potest attribui Christo aliqua ratio exemplaris*, quatenus scilicet illis tribuentur ad imitationem aliquam, & repræsentationem corporis Christi. Quam rationem non satis efficaciter oppugnat aduersarius, non aliud opponens, nisi mirãdum esse Theologum illum, qui sine graui documento asserit Deum propter merita Christi Domini istos paruulos, iræ filios, ac diaboli seruos, suscitaturum cum talibus perfectionibus corporalibus naturæ debitis, & aliis eidem naturæ non debitis, vt eundem Dominum nostrum suâ resurrectione repræsentent, eique se subiiciant tanquam Domino, Principi, ac benefactori suo.

Suarez sect. cit. concl. 3. §. Ex his ergo.

57. Quoad alteram verò partem eiusdem obiectionis, expressè dicit idem Theologus verba Pauli relata ex 1. ad Cor. 15. intelligi propriè & præcipuè de prædestinatis; sed probabiliter aliquatenus extendi posse ad paruulos cum peccato originali mortuos, quatenus in corporibus suis resurgentibus specialem aliquam habebunt conformitatem & relationem ad Christum, quæ non erit in damnatis, licèt longè minorem multóque imperfectiorem, quàm prædestinati de quibus specialiter sermo est in aliis locis Apostoli suprà citatis. Addo Cyrillum lib. 4. in Ioan. c. 12. & Ambrosium lib. de Resurrectione c. 20. verba Pauli relata ex 1. Cor. 15. extendere non solùm ad paruulos istos, verùm etiam ad adultos damnatos: dicereque Christum esse causam resurgendi omnibus hominibus, etiam reprobis, non quâ reprobi, sed quâ homines sunt: quia Christus omnino mortem ex toto humano genere abolere voluit per resurrectionem, quæ per se loquendo ingens naturæ bonum est.

SECTIO VI.

De auctoritate D. Aug. in præsenti quæstione.

58. QVÆ diximus tota disp. 12. de vsu rationis & Philosophiæ in rebus Theologicis, déque auctoritate S. Augustini, sufficere poterant ad ea refellenda quæ addit aduersarius in opusculi sui conclusione, vbi breuem summam complectitur libri proœmialis Iansenij, disputatione supradicta refutati. Quia tamen quæstionis huius decisionem ex Augustino maximè peti vult aduersarius, cuius auctoritatem tam frequenter inculcat, & tantopere exaggerat tum in eadem operis sui conclusione, tum etiam c. 2. 18. 19. 21. & 26. alibíque sæpius: operæpretium fuerit referre hoc loco quid de illa sentiant S. Bonauentura, S. Th. & alij grauissimi, sapientissimíq; Theologi.

59. Sic igitur obiectis sibi Augustini verbis de combustione paruulorum respondet Bonauentura in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. in solutione primi argumenti: Dicendum, inquit, quòd Augustinus in verbis illis non intendit dicere quòd paruuli sensibiliter crucientur: sed intendit eorum pœnam manifestare quantùm ad carentiam visionis Dei, & quantùm etiam ad vilitatem loci. Et hoc valdè abundanter exprimit, plus dicens, & minùs volens intelligi. Idque ad extirpandam illam hæresim quæ dicebat paruulos nullâ pœnâ puniri. Vnde sicut in moribus documentum est, quòd qui vult ab vno extremorum peruenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum, sicut docet Philosophus: sic etiam B. Augustinus vt illam hæresim extirparet, quę dicebat paruulos ab omni pœna immunes, & ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ visionis Dei: simpliciter asseruit eos cũ aliis peccatoribus æternaliter damnari. Istum autem sensum suum explanauit in Enchir. c. 93. vbi dixit pœnam eorum esse mitissimã. Huc vsque D. Bonauentura.

Quid de illa senserit D. Bonauentura?

60. Simili modo respondet S. Tho. in 2. dist. 33. q. 2. art 1. ad 1. & q. 5. de malo art. 2. ad 1. vbi dicit nomen tormenti, ignis, supplicij, gehẽnę, cruciatus, vel si quid simile in dictis Augustini & aliorũ SS. inueniatur, esse largè accipiendum pro pœna, ita vt ponatur species pro genere. Ideóque Sanctos hoc modo loquendi vsos fuisse, vt detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebãt in paruulis nullum peccatum esse, nec eis pœnam aliquam deberi. Quod est dicere, sententias illas D. Augustini, quas D. Thomas ibi refert, & aliorum qui simili modo loquuti sunt, limitandas esse ad pœnam damni: & si quid vltra dixerunt æstu disputationis abrepti, non esse accipiendum iuxta sensum, & rigorem verborum.

Et D. Thomas.

61. Simili etiam modo respondent plures alij graues & antiqui Theologi: vt Scotus, & Gabriel, ad eandem distinctionẽ, quæstione vnicâ, vtentes iisdem verbis, quibus suprà D. Bonauentura: addúntque sic frequenter Sanctos locutos esse contra hæreticos: multúmque ponderandũ esse contra quos hæreticos sint locuti. Sicut Augustinus, inquiunt, disputãs contra Arium, videtur quasi declinare ad Sabellium: & è conuerso. Similiter videtur contra Pelagium disputans, declinare ad Arium (puto legendum potiùs, Manichæum) & è conuerso. Et Ioannes Maior, Doct. Paris. in 2. dist. 33. quæst. vnicâ, relato Augustini, seu potiùs Fulgentij, testimonio ex lib. de fide ad Petrum c. 27. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites paruulos*, &c. ita respondet: Ad hanc auctoritatem duplex solet dari solutio: quarum altera est: Augustinus excessiuè locutus est, vt se magis elõgaret à sententia hæreticorũ, in paruulis omnem culpam negantium, & per consequens omnem pœnã. Secunda solutio est: Augustinus nomine *ignis*, omnem pœnã significat. Vnde per ignis æterni supplicium, pœnam æternam intelligit: pœnam autem non sensus sed damni.

Et Scotus, Gabriel, &c.

Scotus dist. 33. ad 1. Gabriel ibidem a. 3. Dub. 2.

62. Idem dicunt Cardinalis Aureolus, Ricardus de Media-Villa, & alij veteres Scholastici ad eãdem dist. 33. Et Tostatus Episc. Abulensis Paradox. 5. c. 124. aliísque locis, vbi idẽ sentit cum D. Thoma, D. Bonauent. Scoto, Ricardo, Maiore, Aureolo, Gabriele, aliísque Theologis; & in De-

Et Aureolus, Ricardus, aliique Theologi. Et Abulensis

sensorio c. 18. de S. August. sic loquitur, aliam eius sententiam refutans: Dicendum, inquit, quod nos veneramur omnia scripta B. Augustini, tanquam viri Sācti, & hominis doctissimi, & famosissimi inter viros Ecclesiasticos, & saeculares: & tamen in hac parte non assentimus ei. Nec ita auctoritas sua in hac parte captiuare debet ingenium nostrum, quòd necesse sit ei in omnibus assentire, &c. In hoc autem nullā iniuriam ei facimus: nec aliquid de auctoritate, aut reuerentia eius tollimus: sed facimus sicut ipsemet nos facere docuit: & tantam ei reuerentiam exhibemus, quantam ipse sibi, & aliis aequalibus impendi voluit, & quantam ipse viuens, aliis quos se excellentiores iudicabat & profitebatur, exhibuit. Vnde ipse in epist. ad Vincentium Donatistam, & in epist. ad Hieron. & habetur in decreto, dist. 9. c. *Ego illis solis*, sic ait: *Ego illis solis libris, qui canonici nominantur, tantam noui dare auctoritatem, vt nullum auctorem eorum credam potuisse mentiri. Caeteros autem ita lego, vt quantacunque polleant sanctitate, non ideò credam ita esse, quia ita illi senserunt.* Et paulò pòst ita concludit Abulēsis: non ergo est necesse nobis quaecunque Augustinus dixerit, credere: & quòd postquam ipse aliquid asseruerit, qualecunque illud sit, nō maneat nobis vlteriùs aliqua inquisitio an verum vel falsum sit, etiamsi manifestissima argumenta contra se habeat. Ad quod ampliùs confirmandum haec addit sequenti paragrapho: item constat quòd Augustinus, cùm scriberet, in multis errauit: & tamen quando ipse scribebat, ita putabat esse sicut scribebat: posteà autem retractauit multa. Et verisimile est quòd nō potuerit omnia retractare in quibus errauerat: vel propter multitudinem tot librorum à se scriptorum: vel quia nondum veritates oppositas inuenerat. Quis enim sibi persuadeat eum, quando fecit lib. Retract. sciuisse omnes veritates, nullàque laborasse ignorantiâ in iis de quibus scripserat, (scripserat autem de rebus ferè omnibus) vel Deum ei reuelasse omnia, in quibus errauerat, vt ea emendaret: quod de nullo alio viro perito asseritur: neque temerè ac sine grauissimo fundamento asseri debet. Huc vsque Abulensis.

63. *Euasio aduersary.* Hoc responsum grauiter displicet aduersario c. 2. aliisque nouis Dogmatistis: contra quod opponit primò, non fuisse causam cur Theologi à sententia Augustini tāquam nimis durâ rigidâque recederent: cùm incomparabiliter durius rigidiúsque sit quod ipsi affirmant, Deum posse sine iniustitia solo titulo dominij absoluti omnes Beatos nullo excepto, aut ad aeternas deiicere poenas, aut redigere in nihilum. Sed hoc ad rem nihil facit. Cū praesens quaestio nō sit quid Deus facere possit de potētia absoluta, spectato solo iure altissimo supremi dominij quod habet in omnes creaturas: de potentia, inquam, absoluta, id est, non consideratâ prout ordinatur ac regitur per sapientiam & bonitatem Dei; quo sensu loquuntur qui illud affirmant: sed quomodo reipsa erga paruulos se gerat de potentia ordinaria, & secundùm communē prouidentiam, vsúque suae bonitatis & sapientiae, à qua meritò censetur esse alienum quòd paruulos nullius propriae culpae reos, ob solum peccatum Adami torqueat acerbissimâ ignis aeterni poenâ.

64. Opponit secundò post Caluinū lib. 3. in Pighiū: Dicere Augustinum excessiuè loquutum esse interdum, aliósque Patres disputantes contra haereticos, idem est ac dicere, Augustinum & alios Sanctos in suis disputationibus mentiri solitos fuisse, vt haereticos mendaces ad veritatem reuocarent: & facto suo approbasse Priscillianistarum haeresim. Quod quantum execraretur D. Augustinus, liquet ex eius lib. ad Consent. c. 1. 2. & 5.

Respondeo dupliciter intelligi posse B. Aug. aliósque Patres interdum excessiuè locutos esse. 65. *Quomodo Augustinus, & alij Patres interdū excedunt sine mendacio?* Primò, scienter, & contra mentem suam asserendo aliquid à veritate alienū: quod esset mētiri, id est, contra mentē ire. Secundò, inscienter, & loquendo quidem vt sentiebant, sed aestu disputationis, & vehementiâ spiritus ad alterum extremum interdum declinantes intellectu, aequè ac verbis: quod nō est mentiri, sed falli, & dicere falsum sine mendacio. Aliud enim est mentiri: aliud falsum dicere. Mentitur, qui loquitur contra mentem: seu verū reipsa, seu falsum dicat. Fallitur, & falsū dicit, qui dicit esse, quod non est, aut non esse id quod est: tametsi loquatur vt sentit, ac proinde nō mentiatur. Hâc igitur distinctione praesuppositâ, dico primum non esse asserendum. Secundū verò contigisse Augustino, & aliis, non solùm affirmant auctores cit. sed & plures alij: vt Sixtus Senēsis praefat. in lib. 5. Bibliothecae, Gilbertus Genebrardus Archiep. Aquensis, in ep. ad Carolum IX. praefixâ editioni Origenis an. 1574. Cardinalis Sadoletus lib. 3. ep. 5. Claudius de Sainctes Episc. Ebroicensis in libello Atheismorum Caluini, Hieronymus Osorius Episc. Syluensis lib. 9. de Iustitia, Albertus Pighius lib. 3. de lib. arb. contra Caluinnm, Cardinalis Caiet. 1. p. q. 70. art. 3. Cornelius Mussus Episc. Bituntinus in c. 5. ep. ad Rom. Nicolaus Romaeus de lib. arbit. contra Caluinum, Cornelius à Lapide cap. 1. in ep. D. Pauli, Basilius Pontius lib. 7. de Matrimonio c. 52. Quorum aliqui multorum aliorum exemplis id confirmant, praeter S. Aug. de quo speciatim expressam mentionem faciunt: vt Hieronymi, qui scribendo pro virginitate contra Iouinianū, duriùs de secundis nuptiis locutus est, vt fatētur omnes: & Basilij, & Naz. qui de nuptiis pluries iteratis duriùs adhuc locuti sunt: hic orat. 31. ille in ep. ad Amphil. can. 4. & Chrysostomi, qui scribendo contra Anomoeos, videtur negare Deū cōspici in seipso à Beatis: & Greg. Thaum. qui agēs aduersus Aelianum ethnicum, plurium Deorum cultū Christianis obiicientē, ita de vno Deo tractauit, vt cum Sabellio tres personas confundere quibusdā videretur: & Dionysij Alexād. qui eundem Sabellium confutare volens, in eius haeresim tam vehementer inuectus est, vt quibusdā visus sit diuinam essentiam cū personis diuisisse, Arióque materiam haeresis suae subministrasse: quo nomine apud S. Dionys. Papā accusatus fuit. Et de cultu sacrarum imaginum aliquot aliorum exempla refert Epiphanius Diaconus in Nicaena Synodo II. act. 6. vbi praecipuas partes agit: additque generaliter, *Consueuisse Patres nostros Sanctos, qui volūtatē Dei salutiferam nobis exponunt, per exaggerationem mādatorū obseruationem nos docere; & ad quod mandatum illis scopus vergitur, eo praeparare auditores, hócque extollere, & magnificare.* Quod etiam notauerat Theodoretus to. 4. p. 170. nouae edit. Paris. vbi dicit SS. Patres saepe in contrariam partem inclinasse, *Cum aduersus Ecclesiae hostes pugnam consererent. Quod ipsum agricolis quoque stirpium cultoribus vsuuenit: qui cum incuruam aliquam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt: sed etiam vltra directum in partem alteram inflectunt, vt ex vehementiori in contrarium inclinatione, ad rectum statum perducatur.* 66. *Quomodo possumus illis vti contra haereticos?*

At, inquit aduersarius, si Augustinus, & alij Sancti contra haereticos disputantes, in illa extrema declinare etiam incautè solebant: quodnā dogma

fidei ex eorum libris contra hereticos scriptis cõfirmare poterimus? Poterunt enim illi respondere semper, excessiuè locutos esse. Respondeo posse nos dogma fidei confirmare solidis argumentis ex Scriptura petitis, quæ sępius illi suppeditant, prę sertim verò, qui inter eos literalem Scripturæ sẽsum meliùs assequuntur; iunctis etiam illustrationibus, & firmis rationibus, quas frequenter adhibent. Deinde, si omnes, aut ferè omnes in eo tanquam fidei dogmate tradendo conueniunt; vel si testantur hanc esse fidem Ecclesiæ. Secus autem, non est propter vnius, aut paucorum aliquot Patrum dicta, habẽdum pro fidei dogmate, id in quo multi alij Patres non eis consentiunt, neque illi solidè, & perspicuè ex Scriptura deducunt, vel ex certa Ecclesiæ traditione & doctrina. Qua de re pluta Theologi 2.2. vbi disputant vtrum consensus Sanctorum Patrum sit regula fidei.

67. *Quid de Augustino approbauit Ecclesia?* Reliqua, quæ opponit contra eandem respõsionem, sunt minoris momẽti, vel ex dictis facilè solui possunt. Nec verum est quod tum ipse, tum alij Dogmatistæ frequenter iactant, vniuersam doctrinam S. August. cõtra Pelagianos, fuisse approbatam ab Ecclesia, pluribúsq; summis Pontificibus; adeóque certam, & inconcussam esse debere. Hoc enim planè à veritate alienum esse, nec quicquam aliud approbatũ fuisse præter aliquot articulos à Cœlestino expressos in ep. ad Episc. Gallię, ostendimus disp. 12. sect. 6. inter quos articulos neque iste est de æterna combustione paruulorũ, nec vllus alius eorum de quibus nobis est controuersia cum nouis Dogmatistis. Satis autem Deus tunc temporis prouidit necessitati Ecclesiæ hâc Summi Pontificis Cœlestini definitione, ad explicandum quid contra errores Pelagij tenẽdum esse ab omnibus fidelibus. Quod etiam nunc sufficeret ad sedandas similes controuersias, si huius determinationis Pontificiæ, & auctoritatis Sedis Apostolicæ quanta par est, ratio ac veneratio haberetur. Quare vana sunt quæ in cõtrarium addit Conrius in fine cap. cit. num. 15. qui non adeo succensere debuit præcipuis huius responsi auctoribus, D. Bonauenturæ, & Scoto luminibus Ordinis Franciscani, cuius ipse membrum fuit.

68. *Cur eum tantopere extollat aduersarij?* Existimo autem tum ipsum, tũ alios nouos Dogmatistas, adeo magnificè & hyperbolicè cõmendare auctoritatem D. Aug. non quod magis eum venerentur, quem tot corruptionibus fœdissimè deprauant; sed vt eius pallio suos errores obtegãt, quos exemplo Caluini, & Lutheri, dicunt esse puram Augustini doctrinã. *Cur etiam contendant paruulos igne torqueri?* Idcirco etiam dogma de æternã combustione paruulorũ, quod æquè prædictis hæreticis placuit, tam studiosè acriúsq; defendunt: vt hâc ratione minuant horrorẽ dogmatis alterius, quo cum iisdem hæreticis dicũt adultos damnari ad ignem æternũ propter opera facta sine vsu lib. arbitrij, & potestate abstinendi: cuiusmodi esse volunt omnia peccata in statu naturæ lapsæ commissa; quæ dicunt fieri necessariò, premente concupiscentiâ, quando abest gratia medicinalis, victrix concupiscentiæ: abest autem quotiescunque peccant: nam si adesset non peccarent: est enim illa gratia talis tantęq; virtutis, vt necessariò habeat semper effectum, neq; voluntas possit illi resistere: vnde illâ carent quicunque peccant: nam alioqui necessariò bene facerent, & peccato resisterent. Hinc etiam acceptabile conantur reddere suum aliud dogma horrore dignum: quòd ex massa totius generis humani corruptâ in Adamo, Deus pro merasua voluntate selegerit aliquos ad vitam æternam, quos per media necessitantia ad eam perducat, id est, talia, vt non possint illis resistere, sed necessariò vi eorum saluentur: cæteros omnes destinauerit ad mortẽ æternã, destituátq; mediis necessariis, & sufficientibus vt saluari possint, æternámq; damnationem euadere, quam incurrant vel ob solum peccatum originale, vel etiã propter mala opera sine libertate commissa, & à quibus nequiuerint abstinere, defectu auxilij sufficientis ad hoc necessarij, & sine quo est illis impossibile non peccare, & non dãnari. Quod est eorum damnationem, æquè ac salutem aliorum, in meram Dei volũtatem reiicere: ita vt ex parte hominum nulla detur causa illius efficacis, & antecedentis electionis, aut reprobationis, quâ Deus pro mero suo arbitrio de illorum salute, vel æterna damnatione, irreuocabiliter statuit; & quos elegit necessitat ad salutem; alios omnes necessitat ad damnationem. Quæ omnia satis patent ex dictis disputatione præcedenti.

Sed vt gratificemur aduersario, cui prædictũ responsum tantopere displicet: responderi secundò potest D. Augustinum non habuisse pro certa doctrinam illam de combustione æterna paruulorũ, sed interdum de illa dubitâsse, & fauisse contrarię. 69. *D. Augustinus non id certum habuit.* Enimuerò lib. 3. de lib. arb. c. 23. propositâ hâc quęstione, *Qualis in futuro iudicio deputabitur, cui neq; inter iustos locus est, quoniam nihil rectè fecit: neq; inter malos, quoniam nihil peccauit?* Cuiusmodi sunt omnes paruuli morientes sine baptismo: respõdet, *superfluè quæri de meritis eius, qui nihil meruerit. Nõ enim metuendum est ne vita esse potuerit media quadã inter rectè factum, atq; peccatum: & sententia iudicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.* Et quamuis in ep. 28. ad Hieron. & lib. de dono perseu. c. 11. & 12. dicat se eo loco non dubitâsse de damnatione paruulorum; sed quæstionem illã noluisse attingere, de qua ipsi cum Manichæis nõ erat contentio: tamen ibi non aliud certum sibi fuisse dicit, nisi pœnam in genere, & damnationẽ paruulorum. Aliud autem est, certum esse de eorũ damnatione, quę apud omnes Catholicos certissima est: & aliud, de specie, & qualitate pœnæ; de qua variæ huc vsq; sunt Catholicorum sententiæ: & de qua ipse dubitauit, etiam post exortam hęresim Pelagianorum, pluribus locis: vt in eadem ep. 28. vbi sic air: *Sed cùm ad pœnas ventum est paruulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis; nec quid respondeam, prorsus inuenio.* Et lib. 5. contra Iulian. c. 11. *Non dico*, inquit, *paruulos sine Christi baptismate morientes tantâ pœnâ esse plectendos, vt eis non nasci potiùs expediret.* Et paulò pòst: *Quis dubitaret paruulos non baptizatos, qui solùm habent originale, in damnatione omnium leuissima futuros? Quæ qualis, & quanta erit, quia definire non possum: non tamen audeo dicere quòd eis vt nulli essent potiùs expediret, quàm vt ibi essent.* At certè potiùs expediret illos non esse, quàm igne inferni ardere in perpetuum. Quis enim hoc non malit, si sapit? Quod autem importunè inculcat sæpius aduersarius, mortem secundam, qua paruuli isti sũt damnandi, ex mente Diui Augustini, & Scripturæ, esse cruciatum ignis æterni, & stagnum ignis, abundè suprà refutatum fuit sect. 2. num. 14. & seqq. & section. 3. num. 30. vbi ostendimus Scripturam quando loquitur de morte illa secunda, quam dicit esse stagnum ignis, loqui solùm de adultis ob propria peccata damnandis: non autem de paruulis quorum mors secunda consistit in priuatione visionis Dei propter peccatum originale non remissum. Et hactenus de illorum statu post hanc vitam.



ANTISTATERA TRIPLEX,

QVA IANSENII DOCTRINA CVM oppositis Concilij Tridentini definitionibus, & damnatis Michaëlis Baij propositionibus, Hæreticorúmque recentium erroribus ponderatur.



STATERÆ dolosæ, quam ad calcem sui operis apposuit Iansenius, & in ea Theologorum doctrinam cum Semipelagianorum dogmatibus verè aut falsò præsumptis appendit, visum est opponere triplicem Antistateram, quâ Theologi Louanienses Societatis Iesu, in thesibus anni 1641. Iansenij doctrinam primò quidem cum definitionibus oppositis Concilij Tridentini ex aduerso collatam exhibuerunt. Tum secundò, cum propositionibus Michaëlis Baij, damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. eandem composuerunt. Ac tertiò denique, cum Lutheri & Caluini, & vtriusque sectatorum erroribus. Priùs autem quàm referam eodem ordine, iisdémque verbis, quæ auctores thesium prædictarum hac de re scripserunt; monendus est Lector, eos, quando paginas aut columnas operis Iansenianí designant, id fecisse iuxta primam editionem in Belgio factam, quæ à Parisiensi, & aliis posterioribus diuersa est.

ANTISTATERA PRIMA.

In qua doctrina Iansenij componitur cum definitionibus Concilij Tridentini.

ARTICVLVS I. *De peccato originali.*

IANSENIVS.

I. Nec mors, nec vllum qualecunque malum, inferri potest creaturæ rationali sine culpa. *Tom. 2. lib. 3. de statu puræ nat. cap. 1. & 6. colum.* 883. *&* 905.

II. Crudelitatem & iniustitiam spirat, innocentem animam, nulli peccato obnoxiam, ad miserias status præsentis condemnare. *Tom. 2. col.* 925.

CONCILIVM TRIDENTINVM.

Sess. v. *de peccato originali in fine*. Declarat S. Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem.

Sess. vi. *can.* 23. Si quis hominem dixerit ..... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.

Mortua est Deipara, & vitæ huius miserias sustinuit: Ergo cùm peccato omni actuali caruerit, iuxta can. 23. cit. necesse est eam secundùm Iansenium originali non caruisse; imò nec carere potuisse, nisi & crudelis in eam & iniustus fuerit Deus. Quod an non repugnet grauissimis Pauli V. & Gregorij XV. in contrarium constitutionibus, viderit Iansenius. Consonat certè illi propositioni à duobus Pontificibus damnatæ LXXIII. *Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnésque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis.*

IANSENIVS.

III. Per praeceptum, Non concupisces, ipsi motus concupiscentiae intelliguntur prohiberi: ideóque illud praeceptum solùm in cęlo est complendum. *Et infrà:* Huius vitae iustitia tunc perficitur, quando concupiscentiis, etsi tumultuantibus, non consentimus. *Tom. 2. lib. 2. de statu nat. lapsae cap. 24. colum.* 414.

TRIDENTINVM.

Sess. v. §. 5. Concupiscentia, cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet.

Si praeceptum, Non concupisces, non nisi in caelo compleri potest: atque huius vitae iustitia est concupiscentiae non consentire; sentit ergo Iansenius motus etiam indeliberatos, & à quibus consensus abest (quique tantùm in caelo cessabunt) illo praecepto esse prohibitos; iuxta propositionem LXXV. damnatam: motus praui concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto, *Non concupisces:* Vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur praeceptum, *Non concupisces:* quamuis transgressio in peccatum non deputetur. Secundùm Iansenium verò etiam deputari debet in peccatum, cùm iuxta eius principia excusari non possit à peccato. Sic enim vniuersaliter loquitur; [a] *Si aliter facta sunt quam esse debuerunt, profectò nemo vera esse peccata dubitare potest, cum peccatum non sit aliud nisi factum aliter, quàm esse debet, aut quàm vera sapientia* (id est Deus) *praecepit:* Atqui motus indeliberati sunt tales, quia prohibiti praecepto, Non concupisces: sunt ergo profectò vera, secundùm Iansenium, peccata: atque ita grauissimè nocent non consentientibus; quod negat Concilium.

[a] To. 2. lib. 3. de statu naturae lapsae, cap. 16. & 17. col. 348. & 513.

ARTICVLVS II. *Pro quibus mortuus Christus sit.*

IANSENIVS.

CHRISTVS non pro totius mundi redemptione crucifixus, & mortuus est; sed tantùm pro iis, qui saluantur. *Tom. primo, columm.* 546.

TRIDENTINVM.

Sess. VI. *cap.* 3. Etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.

Vide Valentinum Concil. cap. 5.

Hinc infertur contradictoria oppositae Iansenij; nam,
Omnes qui saluantur, mortis Christi beneficium recipiunt:
Aliqui pro quibus mortuus est Christus, hoc beneficium non recipiunt:
Ergo aliqui, pro quibus mortuus est Christus, non saluantur.

ARTICVLVS III. *De Gratia efficaci & sufficiente.*

IANSENIVS.

I. ADIVTORIVM gratiae ante lapsum Adae tale erat, vt ab ipso liberae voluntatis nutu penderet: saluáque maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: Nunc verò tale est, vt suapte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipsius liberò arbitrio subiaceat: sed hoc ipso quo datur, simul vsus eius, & influxus detur: sicut hoc ipso, quo adest iustitia, fit iustus animus. *Tom. 3. lib. 2. cap. 4. colum.* 97.

II. Nulla omnino gratia Christi effectu suo caret: sed omnino efficit vt voluntas velit, & aliquid operetur. Vnde gratia & bonum opus ita reciprocantur, vt sicut ex gratia data mox effectus operis consecutus infertur, ita vice versa, ex defectu operis gratiam non esse datam. *Tom. 3. lib. 2. cap. 25. col.* 202. *&* 204.

III. Nullum adiutorium gratiae, cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur; vt illud amplectatur, aut deserat; aut illi consentiat, aut non consentiat, si voluerit, ad medicinale adiutorium (siue veram gratiam Christi) vllo modo pertinere potest. *Tom. 3. lib. 2. cap. 5. col.* 103.

TRIDENTINVM.

Sess. VI. *cap.* 5. Vocati à Deo ...... per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae liberè assentiendo & cooperando, disponuntur.

Item *cap. 6.* Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.

Item *cap.* 13. Deus nisi ipsi (homines) illius gratiae defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.

Item *can.* 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium ...... Deo excitanti, atque vocanti ...... non posse dissentire, si velit, anathema sit.

Item *cap.* 5. Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, homo inspirationem illam recipiens, illam abiicere potest.

IV. Gratia lapsi hominis nullo modo relinquitur eius arbitrio, vt eam deserat, vel accipiat, si voluerit. *Tom. 3 lib. 2. cap. 4. col.* 98.

V. Cùm adiutorij gratiae vsus, & non vsus, actio & cessatio libertati subditur; vel caecis manifestum est, impossibile esse, vt sit aliud adiutorij genus, quàm possibilitatis; quod Pelagianus error asseruit. *Tom. 3. lib. 2. cap. 9. col.* 124.

Cùm Iansenius omnem illam gratiam, quâ voluntas potest vti, aut non vti; amplecti, aut deserere;

ferere; conſentire, aut non conſentire; deſerere, vel accipere, ſi voluerit, Pelagianiſmo accenſeat; nec Tridentinum tota seſſ. *6.* vllam gratiam agnoſcat, præter illam, cui quis liberè aſſentitur, quâ liberè mouetur, quam abiicere poteſt, cui diſſentire poteſt, cui reipsâ quandoque deſit; ſequitur ex doctrina Ianſenij nullam à Tridentino gratiam tradi, quàm huiuſmodi, qualem Pelagianus error aſſeruit.

Cùm item Tridentinum dicat inſpirationem recipientes, illam abiicere poſſe: Item gratiæ quenquam diſſentire, imò re ipſa deeſſe; nemo verò abiicere poſſit id, illíve diſſentire, aut deeſſe, quod non eſt; rectè conficitur illa à libero arbitrio fieri poſſe circa gratiam iam reipsâ receptam, atque excitantem. Vide Concil. Senonen. anni 1528.

vi. Nullum datur poſt Adæ lapſum adiutorium gratiæ verè ſufficiens, quin ſimul efficax ſit. *Tom. 3. lib. 3. cap. 1. col. 250.*

vii. Adiutorium purè ſufficiens ad gratiam naturæ pertinet, lapſorum reparationi inutile & pernicioſum.

Tom. 3. lib. 3. cap. 2. col. 254.

Tridentinum ſeſſ. *6.* cap. 11. Deus ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.

Item cap. 13 In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim, niſi ipſi eius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet.

Item *can.* 22. Si quis dixerit iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.

Si iuſtificati à Deo non deſerantur, niſi priùs eum ipſi deſeruerint: ſi omnes in accepta iuſtitia perſeuerare poſſint, & in Dei auxilio firmiſſimam ſpem reponere omnes debeant: habent ergo gratiam ad hoc ſufficientem: & cùm non perſeuerent omnes, multique Deum deſerant, non efficacem.

Articvlvs IV. *De Libertate.*

Iansenivs.

i. Sōlivs primi hominis peccatum voluntarium fuit. Cæterorum peccata, ſiue actualia, ſiue originalia, peccata ſunt, quia ex origine illius liberæ & propriè dictæ voluntatis (primi hominis) nata & profecta ſunt.

Tom. 2. col. 641. 642.

ii. Neceſſitas quæ eſt voluntaria, quâ ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, non repugnat voluntati.

Tom. 3. lib. 6. cap. 6. col. 632.

iii. Sola neceſſitas coactionis repugnat libertati.

Tom. 3. lib. 6. tit. cap. 6. col. 628.

iv. Libertas arbitrij in peccando cum peccandi neceſſitate conſiſtit.

Tom. 2. lib. 4. de ſtat. nat. lap. cap. 19. in tit. col. 631.

Tridentinvm.

Seſſ. 6. can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium; poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit.

Item *ibid.* Si quis liberum hominis arbitrium ... dixerit aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re ..... anathema ſit.

Item *can. 6.* Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere ..... anathema ſit.

Canonem illum quintum ponit Tridentinum contra Lutherum, & Caluinum; qui rem liberi arbitrij, ſitam in indifferentia ad vtrumlibet, negant; titulum ſeu nomen liberi arbitrij non detrectantes admittere, ſi id nihil adferat, niſi voluntarium oppoſitum coactioni: quam ſolam & ipſi, & Ianſenius admittunt in operibus gratiæ.

Articvlvs V. *An Deus impoſſibilia iubeat?*

Iansenivs.

i. Svnt quædam homini præcepta, ſecundùm ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia: nec adeſt ſemper gratia, quâ præcepta illa implere ſufficiamus.

Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 325.

ii. Impotentia implendi præcepta reperitur etiam in iuſtis, qui & fidem Chriſti, & caritatem iuſtitiæ ſuſceperunt.

Tom. 3. lib. 3. cap. 13.

iii. Non adeſt ſemper gratia, quâ præcepta illa implere ſufficiamus.

Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 325.

Tridentinvm.

Seſſ. vi. *cap. 11.* Nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce vti debet: Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia.

Item *ibid.* Deus impoſſibilia non iubet; ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.

Item *can. 18.* Si quis dixerit Dei præcepta homini, etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit.

Item *cap. 11.* Deus ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.

Si Deus, niſi priùs deſertus, non deſerat: qui autem adhuc iuſtus eſt, nondum eum deſeruerit: ergo nec deſertus eſt: habet ergo à præſente Deo auxilium gratiæ, quo impleat præcepta, ſi velit.

Mmm

Profectò friuolum est illud Iansenij, quo hunc locum exponit de desertione per subtractionem gratiæ habitualis siue iustificantis. *Tom.* 3. *col.* 365.

ARTICVLVS VI. *De attritione ex timore pœnæ, & amore concupiscentiæ respectu Dei.*

IANSENIVS.

I. PRÆCEPTVM faciens timore pœnæ, non amore iustitiæ, non facit animo, quod facit opere: ideóque peccati interiùs reus est.

Tom. 3. *col.* 322.

II. Dolor peccati excludere non potest peccandi voluntatem.

Tom. 3. *lib.* 5. *cap.* 23. *col.* 586. *tit. cap.*

III. Apertissimum est, & indubitatum, impossibile esse vt ille non peccet, qui pœnæ timore non peccat: hoc est, quamdiu timor solus animum à peccato abstrahit.

Tom. 2. *lib.* 3. *de statu nat. lapsæ cap.* 15. *col.* 503.

IV. Dolor peccati propter gehennæ metum, seu attritio .... nequit esse dispositio sufficiens ad iustificationem in Sacramento Pœnitentiæ.

Tom. 3. *lib.* 5. *tit. cap.* 33. *col.* 586.

V. [a] Absit, vt ita Christianus propter retributionem operetur, ipsum Deum mercedem tanquam sibi ⁎ilem expectando: [b] ex quo amore nascitur, vt etiam pœnas timeat. sed sicut ex illo timore nunquam iustitiam Dei operabitur; ita etiam ex illo concupiscentiæ amore nunquam iustitia diligetur.

[a] *Tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 10. *colum.* 530. [b] *Ibid. col.* 531.

VI. Laudem boni operis, bonæque voluntatis partiri cum Deo, impium esse ex eo patet, quòd post lapsum hominis tota laus bonæ voluntatis atque operis in solam gratiam referenda sit.

Tom. 3. *lib.* 2. *cap.* 23. *col.* 193.

TRIDENTINVM.

Sess. VI. *cap.* 8. SI quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse .... anathema sit.

Item *Sess.* XIV. *cap.* 14. Attritio ex turpitudinis peccati consideratione & pœnarum metu concepta, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, est donum Dei & Spiritus sancti impulsus.

Idem docet *Sess.* XIV. *can.* 5. Supponit Concilium metum gehennæ posse voluntatem peccandi excludere, & esse donum Dei, cui in terminis contradicit Iansenius.

Sess. 14. *cap.* 4. Metus gehennæ, quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

Item *can.* 31. Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

Item *can.* 32. Si quis dixerit hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, anathema sit.

ANTISTATERA II.

In qua doctrina Iansenij confertur cum propositionibus damnatis à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII.



DAMNAVIT Pius V. anno 1567. Calend. Octobris, ac deinde Gregorius XIII. anno 1579. 4. Cal. Febr. Propositiones LXXIX. cuiusdam Theologi, his verbis: Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè, ac quæcunque super iis verbo, scriptóque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus, déque iisdem & similibus posthac quocunque pacto loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos excepto mortis articulo, liberare. Quod interdictum ab istis sententiis denuò docendis adeo non deterruit Iansenium nostrum, vt plerasque ex iis ex professo defendendas, & contra Pontificum decretum velut in integrum restituendas susceperit: idque vel sub iisdem [a] terminis vel æquiualentibus.

[a] Tom. 2. l. 4. de statu. nat. lap. c. 25. 26. 27. l. 3. de stat. nat. puræ c. 22.

Contra Bullam verò Apoſtolicam quatuor potiſſimùm modis ſe tuetur.

Primò, Quòd putet multas propoſitiones in Bulla damnatas tradi à Sancto Auguſtino, vt indubitatas: vnde cùm ſibi [a] obiecifſet: Quid ergo ad propoſitionem,quam proſcripſit Apoſtolica Sedes. Reſpondet: Hæreo fateor. Sed quid ad doctrinam Auguſtini? Sed iſto prætextu iam olim damnatarum Propoſitionum Auctor ſe defenderat, vt habemus ex Apologia eius manu-ſcripta; nec tamen effecit, quin poſt annos duodecim, quibus aduerſus primam Pontificis ſententiam nequidquam tergiuerſatus fuerat, demum ſecundę damnationi ſuccumberet. [a] cap. 22. cit.

Secundò, obtendit Ianſenius in multis non ipſas propoſitiones, ſed Cenſuras immodicas (quibus aliorum contrariam doctrinam auctor notabat) videri damnâſſe Pontificem.

Sed ſi id in quibuſdam ita ſe habet, qua auctoritate nunc iſtas Cenſuras innouat & aggrauat Ianſenius; &, vt ille, Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi notas paſſim viris doctiſſimis inurit?

Tertiò illud etiam adfert, quòd, quanquam propoſitiones illas vt hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & offenſiuas damnet Pontifex; tamen id reſpectiuè faciat: ſic vt non ſingulis propoſitionibus omnes, ſed aliis alias qualitates tribuat. Vnde ferè omnes ad poſtremum membrum ipſe reuocat, aitque non eſſe damnatas vt falſas, ſed prohibitas vt offenſiuas: velut factum, inquit, eſt in ſententia de beata Virgine concepta in peccato originali.

Verùm ſic Ianſenius vix vllas propoſitiones aliis illis, iiſque multò pluribus qualitatibus notandas relinquit, idque ſola ſua auctoritate. Deinde ſi propoſitiones illæ iam olim ab illo auctore aſſertæ, fuerint offenſiuæ; cur modò poſt tam rigidam earum prohibitionem, atque exinde magis receptam in ſcholis doctrinam iis contrariam, earum reſuſcitata defenſio non multò etiam grauiùs offendat? Vel quis reuelauit Ianſenio eas, quas tenet, offenſiuas dumtaxat eſſe, & non etiam erroneas aut hæreticas? cùm rogatus Pontifex, qualitates ſingularum diſtinguere noluerit: vt fatetur ipſe Ianſenius. [b] Nec par eſt ratio de conceptione Deiparæ: hæc enim ſententia hactenus prohibita tantùm eſt: illæ verò omnes ſignanter damnatæ, circumſcriptæ, & abolitæ. [b] Tom. 2. col. 673.

Poſtremò, præcipuum præſidium in eo ponit Ianſenius, quòd Bullam Pontificis adulteratam dicat (ab iis videlicet qui eam denuò recuſam ſcriptis ſuis inſeruerunt, vt ſunt Vaſquez, Suarez, Poſſeuinus, Turrianus, L'orca, aliique) & quidem dupliciter. Primò, quòd poſt verba: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, commatis (,) interpunctionem poſuerint, quo dirimantur à ſequentibus, *in rigore & proprio verborum ſenſu, ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. damnamus.* Sic enim fit, inquit, vt verba illa, *in rigore & proprio verborum ſenſu*, referantur ad verbum *damnamus*: cùm, vt ipſe vult, referenda ſint ad præcedentia; idque ex mente vt ait Pontificis, qui ſignificare voluerit, ſententias illas in rigore & proprio verborum ſenſu ſuſtineri poſſe, non verò damnari. Secundò, quòd in eundem finem, licèt inaduertenter, poſt verba *in rigore*, poſuerint particulam aduerſatiuam *tamen*, vt tantò efficaciùs detorquerentur ad damnationem. Vtrumque probat ex originali Bulla, quam dicit poſt verba *ſuſtineri poſſent*, nullum diſtinctionis veſtigium habere, & particulâ *tamen* prorſus carere, quòd ex ſua, & Domini Ianſonij, oculati item teſtis, fide aſſeuerat.

Verùm in multis hîc aut fallitur, aut fallit Ianſenius. Primò in eo quòd comma interpoſitum contra fidem Bullæ acceſſerit. Nam (quidquid ſit de ea, quam vidit Ianſonius, aut Ianſenius) Bulla certè Romana in ipſa Typographia Apoſtolicæ Cameræ impreſſa anno 1579. Cal. Febr. (quæ penes nos eſt) tam manifeſtum & genuinum habet comma (,) vt vel cæcutientibus appareat. Vocula *tamen*, in ſolo extat Vaſqueſij opuſculo & Ianſenio ipſo teſte, inaduertenter poſita; vt mirum ſit quòd ad grauandam damnationem poſitam dicat; cùm Vaſqueſius beniguiſſimus ſit illius damnationis interpres, ex quo non pauca ad fauorem damnati auctoris ſpectantia Ianſenius ipſe didicit.

Secundò, in re ipſa grauiſſimè fallitur; quòd cùm Bulla dicat propoſitionum damnatarum nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe, ipſe aſſerat eas in rigore & proprio verborum ſenſu poſſe ſuſtineri. Fallitur, inquam, nam cùm ipſe propoſitionum auctor in Apologia, quam pro ſe ſcripſit, verba Bullæ in ſuum fauorem hoc modo ordinaſſet: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento ſuſtineri poſſent*; Pontifex hunc ordinem & ſenſum velut corrigens ea ſic ordinat: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu, &c. damnamus.* Vnde patet, quòd hæc duo, *aliquo pacto*, &, *in rigore & proprio verborum ſenſu*, inter ſe diſtinguat & opponat Pontifex. Et res ipſa loquitur: ſi enim in rigore, & proprio verborum ſenſu, eóque ab aſſertoribus intento, ſuſtineri poſſent; iam non duntaxat aliquo pacto, ſed omni modo poſſent ſuſtineri; nec eas deberet vel poſſet Pontifex vt hæreticas, erroneas, temerarias, &c. damnare. Quanquam enim aliquas, quæ ſuſtineri aliàs poſſent, ex cauſa prohibere poſſit, & prohibeat: quâ tamen æquitate propoſitiones, quas in rigore & proprio verborum ſenſu, eóque à ſuis aſſertoribus intento, ſuſtineri poſſe dicat, eaſdem ipſas tamen vt hæreticas, erroneas, temerarias, ſuſpectas, ſcandaloſas, & offenſiuas damnet, circumſcribat, & aboleat?

Vnde nec illud quod dicitur, *nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe*, excuſat Ianſenium. Nec enim in eius arbitrio relinquit Pontifex, vt quas, & quo velit modo ipſe exponat: ſed ipſi & omnibus *quocunque pacto* de iis, & ſuper iis (nempe defendendis) loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem interdicit, idque ſub anathemate: quod an ſcribendo euitauerit Ianſenius, ipſi ac Deo relinquimus: nos enim nec in re iudicata quidquam iudicamus.

Iam ad propositiones ipsas à Pontificibus damnatas veniamus : quas non aliunde, quàm ex ipso Romano exemplari (quod seruamus & exhibere possumus) depromptas proponimus, & quidem seruatis accuratè verbis omnibus, & interpunctionibus.

PROPOSITIONES CORNELII IANSENII, & quæ olim à Pontificibus damnatæ.

DE STATV PVRÆ NATVRÆ.

VTRAQVE doctrina, tam illa scilicet quæ à Pontificibus damnata est, quàm hæc Iansenij, negat possibilem esse statum naturæ puræ, siue in quo homo gratia, & peccato careat. Hinc primum hominem necessariò creatum fuisse asserunt in statu naturæ integræ, id est, in caritate & iustitia originali, sine ignorantia & concupiscentia, neque morti, morbis, aliisque miseriis, & pœnalitatibus corporis obnoxio. Hæc enim omnia docent necessariò præsupponere peccatum, eiúsque esse pœnas; illa verò naturæ integræ dona, citra gratiam adoptionis, esse illi connaturalia : ideóque eius merita, vitámque æternam, aliáque præmia inde profluentia, non rectè vocari gratiam, sed mercedem liberi arbitrij.

Propositiones vtriusque partis.

IANSENII.

DEVS non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur. *Tom. 2. col. 975.*

Sine Dei amore & iustitia, creatura rationalis nec recta esse, nec condi potest. *col. 687. & 713. in tit. cap.*

Neque sine bona voluntate & sapientia. *col. 767. tit. cap.*

Gratia dilectionis Dei non potest sine culpa subtrahi creaturæ rationali innocenti, & aliquo modo debita est. *Tom. 2. tit. cap. 18. col. 762.*

Non potest creatura rationalis sine casto amore Dei condi, aut certè sine sufficientissima facultate, quâ castè inhærere creatori suo possit. *col. 760.*

Status animi sine bona voluntate, sine caritate, sine sapientia conditi, non potest auctorem habere Deum: Deo enim esset voluntarius, non creaturæ : vnde Deo, non creaturæ imputari deberet peruersitas eius ; & quidquid scelerum ex illa creatæ voluntatis institutione nasceretur. Quæ quidem essent materialiter scelera creaturæ : vera tamen scelera ac peccata Dei. *Tom. 2. col. 775.*

Angelis vita æterna non est gratia specialis, sed merces meriti. *Tom. 3. col. 936.*

In Angelis neque merita, neque perseuerantia sunt specialia Dei dona. *Tom. 3. col. 935.*

Merita Angelorum sunt liberi arbitrij, & humana, & sua. *Tom. 3. col. 936.*

Beatitudo supernaturalis, & regnum cælorum non potest à creatura rationali innocente separari sine iniustitia. *Tom. 2. colum. 797.*

Clara Dei visio nequit negari creaturæ innocenti. *Tom. 2. col. 797.*

Regnum cælorum, quod supernaturalis ordinis est, non potest à pura natura separari sine iniustitia. *Tom. 2. col. 797.*

Ipsa claræ visionis beatitudo in regno Dei,

DAMNATÆ.

LX. DEVS non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.

XXVII. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.

XXII. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est & non supernaturalis.

XXIV. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, vt fide, spe, caritate Deum supernaturaliter coleret.

XXV. A vanis & otiosis hominibus, secundùm insipientiam philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

I. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.

III. Et bonis Angelis & primo homini si in statu illo permansissent vsque ad vltimum vitæ, fœlicitas esset merces, & non gratia.

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseueraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

[illegible] XII. Quòd piè & iustè in hac vita mortali vsque in finem conuersati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ iusto Dei iudicio, deputandum est; nec in hac retributione bonorum ad Chri-

IANSENIVS.

non poteſt negari creaturæ innocenti: innocens autem eſt puracreatura.
Tom. 2. col. 797.

Mors nequit innocenti creaturæ ſine merito præcedentis iniquitatis à Deo infligi.
Tom. 2. col. 883.

Ex ipſis terminis crudelitatem & iniuſtitiam ſpirat, innocentem animam nulli peccato obnoxiam, ad miſerias ſtatus præſentis condemnare. *Tom. 2. col.* 938.

Nullum qualecunque malum inferri à Deo poteſt creaturæ rationali ſine culpa.
Tom. 2. col. 925.

Impoſſibile eſt miſeriam à Deo infligi ſine culpa præcedente.
Tom. 2. col. 746.

Ex miſeriis puræ naturæ cogimur ad diuerſas impietates, ad blaſphemiam in Deum, ad Manichæiſmum.
Tom. 2. col. 945.

DAMNATÆ.

ſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali inſtitutum eſt, vt iuſto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

LXXVIII. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

LXXII. Omnes omnino iuſtorum afflictiones ſunt vltiones peccatorum ipſorum: vnde Iob, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.

LXXIII. Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omnéſque eius afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum iuſtorum, fuerunt vltiones peccati actualis vel originalis.

DE LIBERI ARBITRII VIRIBVS, & operibus moraliter bonis.

IANSENII.

NVLLVM opus bonum ne quidem moraliter, ab humano arbitrio fieri poteſt niſi per gratiam. *Tom. 2. col.* 496.

Pelagiani doctrinam ſuam, quòd poſſint fieri opera naturæ moraliter bona, fundant in loco Apoſtoli Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent,* &c. quæ ſunt diſſonantia à doctrinæ Eccleſiaſticæ veritate. *Tom. 1. col.* 202.

Ita peccato periit libertas arbitrij ad faciendum bonum, vt ante gratiam non ſolùm non poſſit vniuerſam legem moralis honeſtatis implere; ſed nec vnam quidem, nec vnum opus eius, ita ſcilicet, vt abſque omni alterius generis peccato impleatur. *Tom. 2. col. 631. vide & col.* 496.

Ita periit libertas abſtinendi à peccato, vt nec in vllo quidem opere omnis peccati culpam poſſit effugere. *Ibid.*

Ita inducta eſt peccandi neceſſitas, vt in omni actu, quo legem ſibi videtur vel ſeruare, vel tranſgredi, reus alicuius peccati teneatur.
Ibidem.

Sine gratia Chriſti nec vllum præceptum legis naturalis impleri poteſt, ſic vt peccatum illa obſeruatione vitetur. *Tom. 2. col.* 497.

Perſpicuum eſt nullam omnino legem, ante gratiam & fidem, niſi ſolius rei temporalis cupiditate ſeruari. *Tom. 2. col.* 523.

DAMNATÆ.

XXXVII. CVM Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex ſolis naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit.

XXIII. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt,* intelligunt de gentibus fidem non habentibus.

LXV. Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiue non malus; & gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit & docet.

XXVIII. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio, non niſi ad peccandum valet.

XXIX. Pelagianus eſt error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.

XXX. Non ſolùm fures ij ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis, & vitę negant; ſed etiam quicunque aliunde, quàm per Chriſtum, in viam iuſtitiæ, hoc eſt, ad aliquam iuſtitiam conſcendi poſſe dicunt, aut tentationi vlli ſine gratiæ ipſius adiutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic vt in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur.

Nulla tentatio aut cupiditas ſine peccato oppugnatur, ſeu vincitur ſine amore Dei. *Tom. 2. col. 529. in titulo cap.*

Nulla eſt pugna, multò minùs victoria tentationis, ante fidem, aut gratiam. *Tom. 2. col.* 501.

Manifeſtum eſt nullum omnino eſſe cum tentatione conflictum ante gratiam; multò magis nullam de peccati tentatione victoriam, niſi fortè talem, iuxta quam peccatum peccato ſuperetur. *Tom. 2. col.* 523.

Eſt quædam voluntatis infirmitas, quæ non poteſt certas tentationes ſuperare; nec adeſt gratia, quâ ſuperentur: nec ſpiritus orationis, quo vires impetrentur. *Tom. 3. lib. 3. in tit. cap. 13. colum.* 325.

a Tom. 2. de ſtatu naturæ lapſæ l. 4. c. 16. col. 623.

[a] Duo poſſunt in virtute ſpectari, officium quod fit, & finis propter quem fit. Si officium nudè conſideretur, nullum inconueniens à

LXI. Celebris illa Doctorum diſtinctio, diuinę legis mandata bifariam impleri: altero modo, quãtùm ad præceptorum operum ſubſtan-

IANSENII.

Gentilibus philosophis vitæ bonæ præcepta obseruata esse.[b] Sed illa officia nisi propter illum finem fiant propter quem facienda esse vera sapientia præcipit; quamuis operibus, quæ fiunt, bona videantur, ipso non recto fine peccata sunt. Finis autem ille non est aliud, nisi Deus intentione fidei bonæ diligendus: hoc est, verâ caritate diligendus.

[b] col. 624.

Solemnis illa distinctio amoris in naturalem, & eum qui superet vires naturæ, in vniuersis operibus Augustini, vel cuiusquam antiqui Patris, vel vllo Concilio nullum habet vestigium: sed philosophiæ humanæ viribus excogitata est. *Tom. 2. col. 962.*

Distinctio duplicis dilectionis iustitiæ, quarum altera sit naturalis, altera supernaturalis, recenter excogitata est, &, vt Pelagiana hæresis, proscribenda. *Tom. 2. col. 727.*

Non datur medium inter caritatem, & culpabilem cupiditatem.

Si non est dilectio, id est, amor incommutabilis, siue Dei; iam est cupiditas.

Omnis amor creaturæ est improba cupiditas, hoc ipso autem quo retorquetur in Deum est laudabilis caritas.

Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes philosophorum sunt vitia.

Tom. 2. col. 672.

Sola absentia fidei sufficit, vt omnia opera infidelium vera sint peccata.

Tom. 2. col. 553. in tit. cap.

Dolor peccati propter gehennæ metum, seu attritio excludere non potest omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonę vitæ, seu seruandi totam legem Dei. Item, Nequit esse dispositio sufficiens ad iustificationem in Sacramento obtinendam.

Tom. 3. col. 586.

Apertissimum est & indubitatum, impossibile esse, vt ille non peccet, qui pœnæ timore non peccat; hoc est, quamdiu timor solus animum à peccato abstrahit. *Tom. 2. col. 505.*

DAMNATÆ.

tiam tantùm: altero, quantùm ad certum quendam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est, & explodenda.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum iniuria crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator; vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.

XXVI. Omnia opera infidelium sunt peccata: & philosophorum virtutes sunt vitia.

LXVIII. Infidelitas purè negatiua in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

LXIV. Distinctio duplicis viuificationis; alterius, quâ viuificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ nouæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ viuificatur, qui verè iustificatur, & palmes viuus in vite Christo efficitur, commentitia iudicatur, & Scripturis minimè congruens.

DE LIBERTATE.

IANSENII.

NECESSITAS quæ est voluntaria, qua simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnat libertati. *Tom. 3. col. 632.*

Hoc ipso quo volitio est, libera est. *Tom. 3. col. 867. & 624.*

Contradictionis absurditas est volitionem esse posse, quæ tamen non sit in nostra potestate, nec libera. *Tom. 3. col. 624.*

Sola necessitas coactionis repugnat libertati. *Tom. 3. col. 628.*

Libero sola prementis, cogentísque necessitatis violentia repugnat. *Tom. 3. col. 658.*

Solius primi hominis peccatum voluntariũ fuit: cæterorum peccata, siue actualia, siue originalia, peccata sunt; quia ex origine illius liberè & propriè dictę voluntatis (primi hominis) nata & profecta sunt. *Tom. 2. col. 641. & 642.*

DAMNATÆ.

XXXIX. QVOD voluntariè fit, etiamsi in necessitate fiat, liberè tamen fit.

LXVI. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

XLVI. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

Nisi voluntas à concupiscentiæ seruitute liberata sit, motus voluntatis, quo seruitur concupiscentiæ, nec libera voluntas, imò nec voluntas est. *Tom. 2. col. 639.*

IANSENII.

Sunt quædam homini præcepta secundùm statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia: nec adest semper gratia, qua præcepta illa implere sufficiamus. *Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 325. & 329.*

DAMNATÆ.

LIV. Definitiua hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.

Impotentia non solùm reperitur in excæcatis, obduratis & infidelibus; sed etiam in fidelibus: non tantùm quando nolunt præcepta facere; sed etiam quando volunt. *Ibidem*

Erroris damnat hanc sententiam ex epistola ad Demetriad. Adscribimus iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum Deum impossibile aliquid præcepisse conquerimur. Et hanc: Nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus; nec damnaturus hominem fuit, pro eo, quod vitare non potuit, qui pius est. *Tom. 1. lib. 4. cap. 16. col. 218.*

Libertas arbitrij in peccando cum peccandi necessitate consistit. *Tom. 2. lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 19. in titulo cap. col. 631.*

LXVII. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.

Per præceptum, Non concupisces, ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi, ideóque illud præceptum solùm in cælo est complendum.

L. Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces.*

Huius vitæ iustitiam tunc perficimus, quando concupiscentiis, etsi tumultuantibus, non consentimus. *Tom. 2. l. 2. de stat. nat. lap. c. 24. col. 414.*

LI. Concupiscentia, siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

LXXV. Motus praui concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *non concupisces:* vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *non concupisces:* quamuis transgressio in peccatum non deputetur.

ANTISTATERA III.

In qua errores Hæreticorum nostri temporis, & Assertiones Iansenij parallelè appenduntur.



CORNELIVS Iansenius Operi suo subtexuit Parallelum, seu stateram, vt vocat; in qua, succo omni totius Tractatus sui expresso, Semipelagianorum errores, & consequenter Pelagianorum (quandoquidem eos non re, sed solo nomine velit differre) ita attemperat sententiis Recentiorum, id est, Valentiæ, Molinæ, Bellarmini, Suarez, Vasquez, Lessij, quos scilicet solos nominat, vt hos, & illos falsis quasi ponderibus, id est, fraudulentis ratiocinationibus in perfecto æquilibrio, seu consensu inuicem respondere faciat, nonnullis exceptis, in quibus scilicet Recentiores magis à veritate vult aberrare. Huic Parallelo Ianseniano Antistatera nostra respondet, in qua notis omnibus, & consequentiis sepositis (quibus ille fucum facit) nudas hinc inde sententias fideliter appendimus; vt ex iis per se ipse statuat Lector, quantum ad perniciosissimos huius temporis errores accesserit, aut ab iis recesserit is, qui doctissimorum virorum sententias violentè quasi in equuleo positas extendit, & torquet, vsque dum non solùm antiquis, & obsoletis erroribus conuenire, sed eosdem etiam in nonnullis excedere videantur: & animaduertat non aliis armis Catholicos ab hæreticis, quàm nos à Iansenio impugnari.

PARALLELVM I. *Impossibilitas naturæ puræ.*

IANSENIVS.

NIHIL connaturalius innocenti imagini Dei cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quàm gratia. *Tom. 2. de statu puræ naturæ lib. 1. cap. 20. col. 779.*

Perspicuum est naturam rationalem non posse sine dono gratiæ supernaturali institui. *Tom. 2. de statu naturæ puræ lib. 1. cap. 4. col. 698.*

Sine Dei amore, & iustitiæ, creatura rationalis nec recta esse nec condi potest. *Tom. 2. de statu puræ naturæ lib. 1. cap. 3. & 7. col. 687. & 713.*

Si crearetur pura natura, omnia eius peccata Deo auctori, non creaturæ, imputari deberent. *Tom. 2. de statu puræ naturæ lib. 1. cap. 5. col. 697. & 775.*

HETERODOXI.

CALVINVS *lib. 1. Institut. cap. 15. §. 4.* Dei imago est integra naturæ humanæ præstantia, quæ refulsit in Adam ante defectionem.

Lutherus *Genes. cap. 3.* Quin hoc instituamus, iustitiam non fuisse quoddam donum .... sed fuisse verè naturalem.

Idem *ibid.* Ita vt natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum: hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quàm naturale est quòd oculi lumen recipiant.

Caluinus 1. *Institut. cap. 15. §. 1.* Cuius (Dei) in contumeliam recideret, si quid vitij inesse naturæ probaretur.

Idem *lib. 2. Institut. cap. 1. §. 6.* Naturam illic

IANSENIVS.

Ex miseriis puræ naturæ cogimur ad diuersas impietates, blasphemias in Deum, & ad Manichæismum. *Tom. 2. de statu puræ naturæ lib. 3. cap. 15. col. 945.*

HETERODOXI.

notari (*in verbis Apostoli : Eramus naturâ filij iræ*) non qualis à Deo condita est; sed vt in Adam vitiata fuit, facilè colligitur, quia minimè consentaneum esset, Deum fieri mortis auctorem.

Chamierus *Tom. 3. 10. cap. 17. numero 3.* Per creationem non habetur concupiscentia .... alioqui Deus esset auctor mali.

Idem Chamier. lib. 1. cap. 1. numero 10. vbi retulisset verba Bellarmini de natura hominis, sic ait : Ex quibus quis non concludat à Deo creatum esse hominem naturâ morbidum, & languidum, atque habere carnem, cum qua luctari perpetuò opus esset; quod, si à Manichæis nihil habet, vnde esse potest?

Lutherus *in Genes. 3.* Dicunt (*Papistæ*) non solùm in hominis natura, sed etiam in diabolo naturalia mansisse integra; hoc palam falsum est.

PARALLELVM II. – *Originalis peccati transfusio.*

IANSENIVS.

PECCATVM originale per libidinem, seu concupiscentiam, tanquam veram causam transfusionis ..... atque ita ex ipsa natura rei propagatur. *Tom. 2. de statu naturæ lapsæ lib. 1. cap. 6. col. 209.*

Filij in parente peccâsse dicuntur (originaliter) quia stirps siue radix ipsa vitiata est, ex qua fuerat propago ducenda; quâ semel vitiatâ, rerum natura postulat, aut patitur, vt huiusmodi radicis vitium in fructibus inde nascentibus ostendatur. *Tom. 2. colum. 212.*

Non secus, ac subinde cæcitas, podagra, aliáque parentum vitia, tum affectuum, tum corporum, transfunduntur. *Tom. 2. de statu naturæ lapsæ lib. 1. cap. 16. col. 245.*

Peccatum (originale) traducitur in prolem, quia semen vnde nascitur ..... vitiatum est. *Tom. 2. de statu naturæ lapsæ lib. 1. cap. 20.*

Ex concupiscentia carnem captiuante in ipsum apicem voluntatis tanta pernicies, quæ animam peccati ream statuat, inferri potest. *Tom. 2. de statu naturæ lapsæ lib. 1. cap. 23. col. 271.*

HETERODOXI.

CALVINVS 2. *Instit. cap. 1. §. 7.* A radice putrefacta rami putridi prodierunt, qui suam putredinem transmiserunt ad alios ex se nascentes surculos; sic enim vitiati sunt filij in parente, vt nepotibus essent tabifici.

Lutherus *in Psal. 51. ad illud, In iniquitatibus conceptus sum.* Semen humanum, massa, ex qua formatus sum, tota est vitio, seu peccato corrupta, materia ipsa est vitiata, lutum illud, vt sic dicam, ex quo hoc vasculum fingi cœpit damnabile est .... ipsa conceptio, ipsa augmentatio fœtus in vtero, antequam nascimur, & homines esse incipimus, est peccatum.

Caluinus *lib. 2. Instit. cap. 1. §. 8.* Quidquid in homine est ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem vsque, concupiscentiâ inquinatum, refertúmque est.

Idem *ibid. §. 9.* Non appetitus tantùm inferior eum (Adamum) illexit; sed arcem ipsam mentis occupauit nefanda impietas, & ad cor intimum penetrauit superbia &c.

Lutherus plurima habet similia *in Psal. 51. & alibi* sæpe.

PARALLELVM III. *Reprobatio positiua.*

IANSENIVS.

CVR ex duobus, quorum vterque originali culpâ maculatus est, hic, non iste reprobetur à Deo, rei illius nulla omnino causa ex parte hominis à nobis dari potest, sed pendet à puro beneplacito Dei. *Tom. 3. lib. 10. cap. 4. col. 1022.*

Effectus reprobationis sunt excæcatio, obduratio, desperatio. *Tom. 3. lib. 10. cap. 5. colum. 1024.*

HETERODOXI.

CALVINVS *lib. 3. Instit. cap. 22. §. 11.* Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordiâ dignetur, nisi quoniam illi ita placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm eius voluntatem.

Idem *lib. 3. Institut. cap. 23. §. 1.* Minimè est consentaneum præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum consilium Dei.

Idem ibid. cap. 22. §. 1. Admonentur homines nihil causæ quærere extra eius voluntatem, nempe in reprobatione.

Chamierus *tom. 3. toto lib. 8.* idem tradit.

Contra-Remonstrantes, siue puri Caluinistæ, *in Specimine Amsterodam. art. 25.* Reprobatio absoluta facta est, vt per certa media perueniatur indeclinabiliter ad destinatum finem : hæc

IANSENIVS.

Certa veritas est & illa, esse in iis (reprobis) reprobationis effectus, quod & de desertione & derelictione peccatoris existimari debet. *Ibidem.*

Reprobi ad illud seruiunt, ad quod idonei sunt ...... nempe vt in ipsis diuinæ vindictæ, quâ peccatum plecti meruit, seueritas, ac iustitia monstretur. *Tom. 3. lib. 10. cap. 17. col.* 1064.

Deus alios, quos non elegit ad regnum, noluit eos eligere ad media, hoc est, ad fidem: & quia noluit eis fidem, noluit eis etiam prædicationem & miracula fieri, quamuis videat eos Euangelio prædicato obedituros. *Tom. 3. lib. 9. cap. 20. col.* 974.

Vide quid ad argumenta contra prædestinationem, & reprobationem suam respondeat Iansenius. *Tom. 3. lib.* 10. *à cap. 6. vsque ad* 11.

HETERODOXI.

media sunt, excæcatio, & obduratio in peccatis.

Petrus Martyr in epistolam ad Rom. cap. 9. titulo de prædestinatione: adducitur etiam vt reprobationis effectum, excæcari & incrassari cor populi, vt non intelligant.

Caluinus lib. 3. Institut. cap. 24. §. 12. Quos (reprobos) in vitæ contumeliam, & mortis exitium creauit, vt iræ suæ organa forent, & seueritatis exempla.

Contra-Remonstrantes in Specimine Amsterod. art. 49. Quos Deus creauit in opprobrium vitæ & mortis perditionem, vt instrumenta suæ iræ... eosdem vel mediis sui verbi audiendi priuat, vel per ipsammet Euangelij prædicationem magis excæcat, cæcutire & obsurdescere facit, vt sic ad finem suum perueniant.

Eadem penè verba habet Caluinus *lib. 3. Institut. cap.* 24. §. 12.

Vide quomodo ad similia haud dissimiliter respondeat Caluinus *lib. 3. Instit. c. 23. per totum.*

PARALLELVM IV. *Deum non velle omnes homines saluos fieri.*

IANSENIVS.

[a] ERRONEA est sententia Recentiorum, qui exponunt locum *Apostoli 1. ad Timoth. 2. Vult omnes homines saluos fieri:* de voluntate saluandi omnes, quantum in se est.[b] Expositio enim ea ab errantibus introducta, à veris gratiæ defensoribus grauiter improbata est. [a] *Tom. 1. col.* 514. [b] *Tom. 3. lib. 3. cap. 20. col.* 374.

B Non potest statui voluntas generalis, quâ Deus omnes homines in damnatione primi peccati positos, velit saluos fieri, & ex qua voluntate generalia remedia sint omnibus præparata. *Tom. 3. lib. 10. cap. 2. col.* 1013.

Antecedens voluntas omnes saluandi est nuda velleitas, qualem Deus habet erga iam damnatas creaturas. *Tom. 3. lib. 3. cap. 19. col.* 379.

C Deus alios, quos non elegit ad regnum, quia noluit eis intendere finem, nempe salutem, noluit eos eligere ad media, hoc est, ad fidem: & quia noluit eis istum finem, noluit eis etiam prædicationem Euangelij & miracula fieri, quamuis videat eos Euangelio prædicato obedituros. *Tom. 3. lib. 9. cap. 20. col.* 974.

D Nihil iuuat quòd Chrysostomus, Occumenius, Theophylactus, aliíque Græci sensum istum Recentiorum verum esse dicant; quia Chrysostomus ante exortas de Gratia difficultates sua exarauit, & nulli imperfectiùs de Gratia quàm Græci, locuti sunt. *Tom. 3. lib. 3. cap. 19. col.* 378.

E [a] Circa eos, qui reprobandi, Deus ante omnem præuisionem peccati actualis, habet voluntatem fixam eos relinquendi in eo statu, ex quo cæteros liberare statuit: ille autem citra dubium est perditionis, ac damnationis status.[b] Profectò sic se cum cæteris gerit, ac si neminem liberare, sed omnes damnare statuisset, non sufficientem redemptionem, ac gratiam præparando.

[a] Tom. 3. lib. 10. cap. 2. col. 1014.

[b] Tom. 3. lib. 10. cap. 3. col. 1018.

HETERODOXI.

CALVINVS *lib. 3. Institut. cap.* 24. §. 16. *in 1. ad Timoth.* 2. Quo nihil aliud profectò significat, quàm nulli hominum ordini viam ad salutem præclusisse.

Pomeranus: Huius loci sensus est, nullum mundi ordinem à salute excludi.

Caluinus: De hominum generibus non de singulis personis sermo est.

Gaspar Megander: Omnis generis homines, seu de quolibet statu aliquos seruari velit.

Omnes in eum locum 1. ad Tim. 2.

B Contra-Remonstrantes *in Specimine Amsterod. art.* 56. Quòd Dominus clamauit: Volui (saluare omnes) non dixit vt Deus; sed tanquam homo, & Doctor, de sua voluntate humana.

C Chamierus *tom. 3. lib. 7. cap. 6. §. 6.* Fecit omnes salutis capaces, potentiâ scilicèt, non proximâ, sed remotâ, vt omnes facti sunt musicæ capaces, etiam muti.

D Similem habet Censuram in re affini *Caluinus lib. 2. Institut. cap.* 2. §. 4. Porro tametsi Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt; veteres tamen &c.

Et idem *ibidem cap. 3.* §. 10. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum, repudiare necesse est: Quem trahit, volentem trahit.

E *Caluinus in expositione illius loci: Vult omnes, &c.* Pueriliter ergo hallucinantur, qui hunc Pauli locum prædestinationi opponunt: si Deus, inquiunt, indifferenter vult saluos fieri, falsum est alios ad salutem, alios ad exitium, æterno eius consilio esse prædestinatos. Aliquid fortè dicerent, si Paulus hîc de singulis hominibus ageret.

PARALLELVM V. *Christus pro omnibus mortuus.*

IANSENIVS. HETERODOXI.

A ARGVMENTVM pro gratia sufficiente omnium, sumptum ex eo, quòd Christus sit redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus; vsque ad nauseam à Pelagianis, præsertímque Massiliensibus, inculcatum fuit; vt mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere & obsoleta recudere. *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. *col.* 379. 380.

A SYNODVS *contra-Remonstrantes cap.* 2. *art.* 6. Reiicit Synodus errorem eorum qui impetrationis, & applicationis distinctionem vsurpant, vt incautis & imperitis hanc opinionem instillent: Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi acquiruntur .... nam isti, dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere; populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare.

B Christus non pro totius mundi redemptione crucifixus, & mortuus est, sed tantùm pro iis qui saluantur. *Tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 23. *col.* 546.

B Chamierus *tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 13. *in titulo cap.* Non pro quibusuis mortuus Christus.

Boquinus, Pincerius, & Clebitius *apud Coccium Thesauri Catholici Tom.* 1. *lib.* 2. *art.* 7. Docent Christum non esse pro omnibus omnium hominum peccatis crucifixum, & mortuum; sed tantùm pro fidelibus, & piis.

Beza *in Thesibus de sacrificio, apud Malderum in Anti-Synodicis cap.* 7. Coram Deo & tota Ecclesia testamur figmentum illud inauditum, & dilutum, Christum videlicet non minùs pro impiis, quàm pro fidelibus esse mortuum.

Item: siue consilium Dei, siue passionis effectum, siue vtrumque spectamus, pro impiis nullo modo est mortuus.

C Proderit illi necessariò Christi sanguis, & mors, pro quo sanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit; & cui nullo modo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus est. *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. *col.* 387.

C Hieronymus Zanchius *in Misc. doctrina* 1. *Ioan.* 2. ait: Sanguis Christi non est secundùm propositum Dei, & reipsâ pro reprobis & incredulis effusus, sed tantùm pro quibusdam multis, hoc est, electis, & quidem pro omnibus istis multis.

Simon Simonius *contra Schegkium lib.* 2. *fol.* 24. scribit Christum, tantùm electorum gratiâ, seipsum exinaniuisse, formâ serui assumptâ.

Contra-Remonstrantes in Specimine Amsterodamensi art. 43. Christus non est tamen ipse secundùm consilium, mandatum, & commissionem sui Patris mortuus pro omnibus, ... sed pro solis electis.

D Christus pro infidelium in infidelitate morientium, aut iustorum non perseuerantium salute, mortuus non est, nec sanguinem fudit, nec semetipsum redemptionem dedit. *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. *col.* 390.

D *Fidei Geneuanæ Clypeus in dialog.* 4. *apud Feuardentium in Theomachia Caluinistica lib.* 5. *cap.* 15. Tantùm pro his (Christus) mortuus est, qui eum recipiunt in tali iustitia, id est, vt perfectum legis pro seipsis obseruatorem, & qui pro his Deo perfectè satisfecerit.

Caluinus *in Ioan.* 1. 2. *v.* 2. Sub omnibus reprobos non comprehendit, sed eos designat qui simul credituri erant, & qui per varias mundi plagas dispersi erant.

E *Ibidem consequenter:* Nec Patrem orauit pro non perseuerantium salute.

E Caluinus *in cap.* 17. *Ioan.* Christus proprij gregis solummodo fuit solicitus, & pro electis suis duntaxat orauit.

F *Ibidem consequenter:* Imò non magis pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus est.

F Benedictus Aretius *par.* 2. *probl. fol.* 868. ait Deum volentem ac scientem excludere Iudam, Pharaonem, Caïpham, Herodem; nec esse eorundem, & aliorum desperantium & damnatorum Christum Saluatorem.

G Firmissimam basim errori suo (Massilienses) collocârunt, ista Scripturæ loca, quibus Deus dicitur omnes velle saluos fieri, atque esse redemptor omnium .... ita totam diuini propositi, & prædestinationis efficaciam, totam hominum discretionem, ad humanum arbitrium reuocabant. *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 20. *col.* 381.

G Contra-Remonstrantes *in Specimine Amsterodamensi art.* 44. Qui docent Christum.... pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse .... hi faciunt diuinum consilium, & decretum incertum.

H Quisquis talia diuinæ gratiæ adiutoria infirmis hominibus afferre nititur.... Christum frustra venisse, gratis mortuum esse persuadet. *Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 27. *col.* 212.

H Iidem *ibidem consequenter:* Et faciunt inanem virtutem satisfactionis Christi.

PARALLELVM VI. *Officium & vsus legis.*

IANSENIVS.

A FVIT quidam sub lege status, sub quo generaliter paucis exceptis, ante Saluatoris aduentum, non dabatur gratia sufficiens implendi id, quod iubebatur, multò minus gratia sufficiens ad salutem: sed è contrario talis gratia rationi legis ac scopo Dei capitaliter repugnabat. *Tom. 3. lib. 3. cap. 5. col. 271. sub finem.*

B Non adfuit hominibus, sub vetere lege viuentibus, gratia sufficiens seruandi legem, vel vllum præceptum eius, sed potiùs impediens. *Tom. 3. lib. 3. cap. 7. & 8. col. 284. & 288.*

Lex iustitiam reddidit difficiliorem, & quasi muro interposito impossibilem. *Tom. 3. lib. 1. cap. 8. col. 33.*

C Hallucinatur quisquis legem eo scopo datam putat, vt eius luce eruditi, faciliùs peccata vitarent, aut per gratiam sufficientem eam seruarent; hoc enim Apostolo, & Augustino è diametro contrarium est: sed vt multitudine, & magnitudine peccatorum, quæ ex lege sciebatur futura, eorum superbia frangeretur. *Tom. 3. ibidem col. 33. & lib. 1. cap. 11. col. 43.*

HETERODOXI.

A CONTRA-REMONSTRANTES *in Specimine Amstelrodamensi artic.* 57. Iudæi quibus Christus prædicabat non poterant se conuertere, aut credere: nunquam etiam ipsis sufficiens gratia data est, quâ ad conuersionem aut salutem pertingerent.

B Idem *ibid. art.* 52. Alloquitur verbo suo reprobos Deus, sed ideo vt surdiores fiant: accendit suum lumen, vt cæciores fiant: docet eos, vt hebetiores maneant: medetur eis, ne sanentur.

C Lutherus de seruo arbitrio *tom. 3.* Quæ igitur vtilitas, & necessitas talia (præcepta) inuulgandi, cùm tot mala videantur inde prouenire? ..... Prima est humiliatio nostræ superbiæ, &c.

Idem *in præfatione in vetus Testament. Tom. 3.* Alter legis vsus est .... vt compescat, & contundat Deus monstrum, & bestiam illam furentem (superbiam.)

IBIDEM. Deus nullâ arte mollire, & humiliare potest (hominem) vt agnoscat suam miseriam, & damnationem, nisi lege .... vt ergo opinio iustitiæ magnum & horribile monstrum, rebellis, pertinax, & durissimæ ceruicis bestia est, ita pro conficienda, & conterenda, habet opus Deus ingenti forti malleo, scilicet lege.

IDEM in epist. ad Galat. cap. 3. Lex spiritualiter ostendit nobis peccatum, perterrefacit, & humiliat: atque is totus, & proprius legis vsus est.

Caluinus 2. *Institut. cap. 7. §. 2.* Legem propter transgressiones positam esse, docet (Apostolus) nempe, vt homines damnationis conuictos humiliaret.

IANSENIVS.

D Carnalis homo qui legem accipit .... videlicet, vt quod lex iubet facere, aut nolit, aut velit: vtrumuis fecerit, plerumque peccabit grauiùs, quàm sine lege peccauisset: grauiter quidem, si facere noluerit; periculosiùs, si voluerit. *Tom. 3. lib. 1. cap. 9. col. 37.*

E Lex talis hominibus infirmis data, quâ peccatis afflicti grauiùs adhuc affligerentur. *Tom. 3. lib. 1. cap. 10. col. 41.*

F Legislatio illum habebat scopum, vt insonante præcepto, ac terribiliter pœnas, nisi hoc facerent, comminante, gratiæ necessitatem, ipsa gratiæ adiuuantis subtractione, docerentur. *Tom. 3. lib. 3. cap. 5. col. 271.*

G Lege comminante doctus, territus, & conclusus .... nihil enim reliquum superest nisi vt exclamet: reus sum, fateor; ægrotus sum, vincere volens peius victus, atque prostratus sum. *Tom. 3. lib. 1. cap. 11. col. 45.*

H Lex tanquam pædagogus seuerus atque terribilis infirmos animos ad Christi gratiam agnoscendam inuocandámque terrore supplicij perduxit. *Tom. 3. lib. 1. cap. 12. col. 51. Vide totum cap. 12. lib. 1.*

HETERODOXI.

D Lutherus *in Epist. ad Galat. cap. 5.* Quò plus conantur homines satisfacere legi, hoc magis transgrediuntur.

IDEM tom. 3. in præfatione in vetus Testament. Dicimus legem bonam & vtilem, sed in bono vsu, scilicet ad reuelandas, & augendas spirituales transgressiones.

E Caluinus 2. *Institut. cap. 7. §. 10.* Secundum legis officium..... quò magis sese retinent, eò fortiùs intus accenduntur, feruent, bulliunt, parati quiduis facere, nisi legis terror obstaret.

F Lutherus *tom. 3. in præfatione in vetus Testament.* Nam sicut in monte Sina tonitru, fulmen &c..... sic lex quando in suo vero est vsu, nihil aliud facit, quàm quod reuelat peccatum, efficit iram, accusat, & perterrefacit hominem, vt non procul absint à desperatione.

G Lutherus *ad Galat. 3.* Homo cùm sentit vim legis .... dicere solet: perditè vixi, quia transgressus sum omnia mandata Dei, ideóque reus sum æternæ mortis.

H Idem *ibidem.* Pædagogus lex est, quæ non tantùm perterrefacit, & vexat, sed verberibus suis impellit ad Christum. *Vide per totum.*

Parallelum VII. *Nullam dari gratiam sufficientem.*

Iansenius.

A Gratia sufficiens videtur monstrum quoddam singulare gratiæ. *Tom. 3. lib. 3. cap. 2. col.* 254.

B Post lapsum Adæ nullum datur adiutorium verè sufficiens, quin simul efficax sit. *Tom. 3. lib. 3. cap. 1. col.* 250.

C Illud *Apostoli 1. ad Corinthios 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari*, &c. nullo modo tam indiscretè intelligendum, vt hoc in omnibus omnino fidelibus obseruetur, sed tantùm orantibus, &c. adeòque ferè electis. *Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col.* 328.

D Quisquis talia diuinæ gratiæ adiutoria infirmis hominibus adferre nititur, quæ deserant, si velint; in quibus permaneant, si velint: cum quibus operentur si velint: originalis peccati virus euacuat, illæsas liberi arbitrij vires esse, & Christum frustra venisse, gratis mortuum esse persuadet. *Tom. 3. lib. 2. cap. 27. col.* 212.

Heterodoxi.

A Petrus Molinæus *in quadam epistola citata apud Malderum 1. 2. fol.* 485. Pessimum, quod reperio in opinionibus istis nuperis, est gratia ista sufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus.

Caluinus *lib. 2. Institut. cap. 2. §. 6.* Phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter, & promiscuè expositam esse garriunt.

B Caluinus *in Antidoto ad sess. 6. §. Porro.* Motus Spiritus sancti sic est efficax, vt fidem semper gignat.

Chamerius *tom. 3. lib. 3. cap. 6. §. 12. & 14. Ad quæsitum Bellarmini*, An posito auxilio gratiæ homo possit legem implere, vel si maluerit, præuaricari? respondet: Illud auxilium gratiæ, si intelligatur extrinsecum, verum esse; intrinsecum, tunc necessariò operari.

C Caluinus *in Antidot. sess. 6. can.* 9. Regenerationis spiritum non dari nisi electis quisquis ignorat, nescio quid in Scripturis teneat.

D Contra-Remonstrantes *in Specimine Amstel. art.* 44. Qui docent Christum ... non solis electis, sed etiam omnibus aliis hominibus ... reconciliationem cum Deo impetrauisse ... & rem eò perduxisse, vt Deus, sine læsione sui iuris, iterum ostium ad gratiam peccatori reserauerit .... hi faciunt diuinum consilium, & decretum incertum, & inanem virtutem satisfactionis Christi.

Caluinus *lib. 3. Institut. cap. 24. §. 3.* Duo errores hìc cauendi sunt: quia nonnulli cooperarium Deo faciunt hominem, vt suffragio suo ratam electionem faciat.

Parallelum VIII. *Gratiæ resisti non posse.*

Iansenius.

A Nullum adiutorium gratiæ, cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur; vt illud deserat, aut non deserat, consentiat aut non consentiat si voluerit: ad medicinale adiutorium (siue veram gratiam Christi) vllo modo pertinere potest. *Tom. 3. lib. 2. cap. 5. col.* 103.

Heterodoxi.

A Caluinus *lib. 2. Institut. cap. 3. §. 10.* Medium, quem Sophistæ imaginantur, motum, cui obsequi, vel repellere liberum sit, apertè excludi videmus vbi asseritur efficax ad perseuerandum constantia.

Contra-Remonstrantes *in Specimine art. 73. apud Malderum 1. 2.* Hæc gratia meritò dicitur irresistibilis, quia non solùm resistentiam, & duritiam à corde hominis reipsa aufert; sed ipsam auertit resistendi potentiam: qui enim conuertuntur, resistere non possunt oblationi huius resistentiæ.

Lutherus *de seruo arbitrio:* Homo recreatus nihil facit, nihil conatur, quoad perseuerantiam in regno spiritus; sed vtrumque facit solus spiritus in nobis, vt libero arbitrio non relinquatur nisi nihil, & verè nihil. *Totus liber de seruo arbitrio eodem spectat.*

Contra-Remonstrantes *in Specimine Amstel. art. 72. apud Malderum 1. 2.* Gratia, cuius virtute, qui vocatur exteriùs, homo venit, adeo est efficax, & omnipotens tractio, vt ita tracti homines eiusmodi tractioni resistere nec velint, nec possint, nec velle resistere queant. *Similia multa habet in Synodo Dordrac. art. 8. 12. &c.*

B Nulla omnino gratia Christi effectu suo caret, sed omnino efficit vt voluntas velit, & aliquid operetur. Vnde gratia, & bonum opus ita reciprocantur, vt sicut ex gratia data mox effectus operis consecutus infertur; ita vice versâ ex defectu operis, gratiam non esse datam. *Tom. 3. lib. 2. cap. 25. col.* 202. 204.

B Caluinus *lib. 2. Instit. cap. 2. §. 10. in initio.* Gratia voluntatem mouet, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, vt nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo.

Idem *in Antidot. sess. 6. §. Porro.* Motus Spiritus sancti sic est efficax, vt fidem semper gignat.

Idem *ibid. in can.* 4. Dissentiet quidem à Deo hominis voluntas, quandiu erit contraria: verùm si in obedientiam composita fuerit, iam sublatum est dissentiendi periculum. Atqui eam esse diuinæ gratiæ efficaciam ..... auctor est Dominus &c.

C Adiutorium gratiæ ante lapsum Adæ tale erat, vt ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, saluáque maneret illa libertatis in vtram-

C Caluinus *in Antidoto sess. 6. sub initium.* In eo hallucinantur, quòd motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relin-

IANSENIVS.

que partem flexibilis indifferentia : nunc verò tale eſt, quod ſuâpte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipſius libero arbitrio ſubiaceat. *Tom. 3. lib. 2. cap. 4. col. 97.*

HETERODOXI.

relinquat, nihil autem de efficacia illa cogitant &c.

Idem *ibidem.* Denique in eo falluntur, quòd nullum obſeruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubuenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen .... quod deſereret cùm vellet, &c. *Idem habet Lutherus in Geneſ. cap. 2.*

Caluinus 2. *Inſtit. cap. 3. §. 10.* Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, vt potuerit in alteram partem inclinare : ſed cùm ſuo exemplo docuerit, quàm miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, & poſſit : quid fiet nobis, ſi ad eum modulum ſuam gratiam nobis impertitur ?

PARALLELVM IX. *Nullam partem operis boni eſſe noſtram.*

IANSENIVS.

A PELAGIANÆ phraſes ſunt, gratiam prouocare, allicere, cooperari voluntati. *Tom. 1. lib. 5. cap. 11. col. 269.*

B Laudem boni operis bonæque voluntatis partiri cum Deo, impium eſſe ex eo patet, quòd poſt lapſum hominis, tota laus bonæ voluntatis atque operis in ſolam gratiam referenda ſit. *Tom. 3. lib. 2. cap. 23. col. 193.*

HETERODOXI.

A CHEMNITIVS *in examine Tridentini, ſeſſ. 6. in can. 2. 3. 4. &c.* Sub illo verbo, *adiuuandi*, Pelagius venenum ſuum inſidiosè occultabat.

B Caluinus *in Antidoto ſeſſ 6. ſub initium:* Poſteaquam ſingulari Dei beneficio factum eſt vt Pelagij impietas repudiaretur .... mediam viam excogitaruut; vt in homine iuſtificando, neque totum Deo, neque nihil darent.... nihil tandem aliud continet eorum definitio, quàm tritum illud Scholarum dogma : partim gratia Dei, partim operibus propriis iuſtificari homines; vt aliquanto ſe magis verecundos oſtendant, quàm fuerit Pelagius.

Caluinus *ibid. § ſexto capite:* Nihil laudis refundi in liberum arbitrium ex bono opere, ſed totum Deo tribuendum.

Idem *ibid. in ſeſſ. 6. can. 4.* Qui ergo motum aliquem libero arbitrio proprium tribuunt... nihil aliud, quàm Spiritum ſanctum diſcerpunt.

Idem *ibid. in ſeſſ. 6. ſub initium:* Sed in quo hominem Deo ſocium adiungunt? Quia gratiam Dei, quam repudiare poſſet, liberè recipit.... quantum ex virtute Dei detrahunt.

Idem *lib. 3. Inſtit. cap. 24. §. 1.* Neque id, quemadmodum vulgò accipiunt, qui inter Dei gratiam, voluntatem, curſumque hominis partiuntur .... Quod ſi apertè impium eſt, non dubitemus noſtris voluntatibus aut ſtudiis nihil relinquere.

Idem *ibid. §. 3.* Duo errores hic cauendi ſunt, quia nonnulli cooperarium faciunt Deo hominem, vt ſuffragio ſuo ratam electionem faciant.

Caluinus *lib. 2. Inſtitut. cap. 3. §. 6.* Omnes bonorum operum partes à primo motu, Dei ſunt propriæ : & ſi qua eſſet vel minima ex nobis facultas, aliqua etiam eſſet meriti portio.

Idem *ibidem §. 11.* Vnde ſequitur eum non partiri inter Deum & nos, ac ſi ex proprio vtriuſque motu eſſet mutua concurrentia.

Lutherus *tom. 1. in reſolutione propoſitionum Lipſienſium concluſ. 2.* Fruſtra garritur diſtinctio Sophiſtarum actum bonum eſſe totum à Deo, ſed non totaliter : eſt enim totus, & totaliter à Deo.

PARALLELVM X. *In ſtatu naturæ lapſæ non dari indifferentiam libertatis.*

IANSENIVS.

A RECENTIORES qui imaginantur illum tantummodo actum eſſe in libero voluntatis arbitrio, quem pro libitu, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſumus facere & non facere, ſine dubitatione falluntur. *Tom. 3. lib. 6. cap. 4. col. 618.*

[a] Tom. 3. col. 634. B [a] Omnis omnino voluntas quantumcunque ad vnum determinata, nullâ tali neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe vt velit, deſinit eſſe libera. [b] Voluntas enim ſeu volitio, & libera volitio idem ſunt : ſicut velle, & liberè velle : & impoſſibile eſt vt velle non ſit liberum.

[b] col. 625.

HETERODOXI.

A CALVINVS *in Antidoto ſeſſ. 6. ad caput. 5.* De verbo ne moueamus rixam, ſed quia liberum arbitrium intelligunt eligendo facultatem, quæ ſit in vtramque partem libera & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent auctorem.

B Lutherus *in enarratione in Pſalmos in reſolutione circa concluſionem 7.* Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re : quia nulli eſt in manu ſua quidpiam cogitare vel mali, vel boni, ſed omnia (vt Wiclefi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt.

Melancthon in locis Theologicis Wittembergæ editis, de viribus hominis & libero arbitrio : Eſt autem libertas, poſſe agere & non agere; poſſe ſic, aut aliter agere. Itaque in quæſtionem vocatur, ſitne libera voluntas, & quatenus libera ſit? Reſponſio : Quandoquidem omnia quæ eueniunt, neceſſariò iuxta diuinam prædeſtinationem eueniant, nulla eſt arbitrij noſtri libertas.

IANSENIVS. HETERODOXI.

ᵃTom. 3. lib. 6. cap. 22. col. 658. ᵇLibro 6. cap. 6. col. 632. & 628. ᶜLibro 6. cap. 6. col. 635. ᵈLibro 8. cap. 19. col. 869.

C ᵃ Nihil aliud libero generaliter repugnar, quàm necessitatis illius prementis, cogentisque violentia; ᵇ non verò necessitas voluntaria, quâ scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri. ᶜ Siue, sola necessitas coactionis adimit libertatem, non necessitas simplex. ᵈ Hinc nulla gratiæ efficacia nulla necessitas actibus nostris liberis formidanda est, sed sola vis coactionis, & necessitas violentiæ, &c.

Chamierus *Tom. 3. lib. 2. cap. 8. numero 21.* Veruntamen, vt aliâs dixi, retineatur sanè non tantùm liberum arbitrium Latinorum, sed & τὸ αὐτεξούσιον Græcorum, ne inutili λογομαχίᾳ tempus inutiliter teramus..... (nimirum hominem necessariò agere) salua pax esto.

C Wiclefistæ *apud Waldensem lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 23. Respondent:* Quòd Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum, vel malum futurum, quia illa sola tollit arbitrij dignitatem, non autem alia necessitas præueniens absolutè futuritionem effectus.

Lutherus *tom.* 3. de seruo arbitrio: Sequitur necessariò nos operari: necessariò dico, non coactè.... hoc est, homo cùm vacat spiritu Dei, non quidem violentiâ velut raptus obtorto collo nolens facit... sed sponte & libenti voluntate facit.

Idem *ibidem*. Facimus volentes & lubentes, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potiùs est, vt sic dicam, noluntas.

Bucerus *lib. de concordia doctrinæ,* explicat Lutherum, quòd solam libertatem à necessitate negauerit, sed libertatem à coactione concesserit, apud Bellarminum lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. in medio.

Caluinus *lib. 2. Institut. cap. 2. §. 7.* Liberi ergo arbitrij hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni, æquè ac mali electionem; sed quia malè voluntate agit, non coactione: optimè id quidem &c.

Caluinus *de libero arbitrio contra Pighium lib. 2.* Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse & fateor, & constanter assenero; ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat.

D Certissimum est non venisse veteribus in mentem, vt libertatem Dei in eo ponerent, quod potest hoc, vel illud bonum facere, vt recentiores putant; sed in hoc ipso, quod liberrimè, quamuis necessariò, iustitiam, bonitatémque suam diligit. *Tom. 3. lib. 6. cap. 7. col. 639.*

D *Caluinus lib. 2. Institut. cap. 3. §. 5.* Si liberam Dei voluntatem non impedit quod necesse est illum bene agere; si diabolus, qui non nisi malè agere potest, voluntate tamen peccat; quis hominem ideo minùs voluntariè peccare dicet, quòd sit peccandi necessitati obnoxius? *(ex iisdem Augustini locis, ex quibus Iansenius.)*

ᵃTom. 3. col. 778. ᵇTom. 3. col. 641. ᶜTom. 3. col. 783.

E ᵃ In Beatis voluntas eò magis est libera, quo magis peccare non potest. ᵇ Per illam autem intelligo eam, quæ est stabilis, perpetua, ac immutabilis volitio non deficiendi ex amore Dei: ᶜ è contrà, dæmones perfectissimè liberi à iustitia, seruíque peccati, amiserunt penitus libertatem ad bonum, retentâ tamen perfectissimâ libertate ad malum.

E Chamierus *Tom. 3. libro 2. capite 4. numero 2.* Arbitrium Dei, Angelorum, diaboli, hominum glorificatorum, & damnatorum est liberum. at eorundem arbitrium non est liberum à necessitate interna; ergo non semper arbitrium est liberum à necessitate interna.

Voluntas concupiscentiæ imperio, & ponderi ita indesinenter seruit, eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus seruit diuinæ caritati: *Tom. 3. lib. 1. cap. 4. col. 16.*

ᵃTom. 3. lib. 7. cap. 10. col. 779. ᵇTom. 2. de stat. nat. lapsæ lib. 4. cap. 18. col. 632.

F ᵃ Cum arbitrio in vtramque partem libero, & flexibili conditus est primus homo; sed ex spontanea discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia perit: ᵇ ita vt homo hîc & nunc in singulis actibus quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur.

F Lutherus *in Genes. cap. 3.* Adam fuit, vt sic dicam, medius. Angeli, vt nunc sunt, non possunt cadere; Adam autem potuit cadere; fuit enim in illo statu, in quo poterat fieri immortalis.... poterat enim ab ista innocentia puerili ruere in maledictionem, peccatum, & mortem, sicut accidit. *Hanc autem Adami libertatis indifferentiam post lapsum esse prorsus deperditam, docet Lutherus toto libro de seruo arbitrio.*

Caluinus *lib. 1. Institut. cap. 15. §. 8.* Qui verò Christi se discipulos esse professi, in homine perdito, & in spirituale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter philosophorum placita, & cælestem doctrinam partiendo, planè desipiunt, vt nec cælum, nec terram attingant.

Idem *ibidem*. Poterat igitur Adam stare si vellet, quando non nisi propriâ voluntate cecidit; sed quia in vtramque partem flexibilis erat eius voluntas, ideo tam facilè prolapsus est. Idem dicit de libero arbitrio lib. 1. contra Pighium.

Caluinus *ex iisdem pene rationibus & testimoniis idem agit lib. 2. Instit. cap. 5. §. 4. & seqq.*

PARALLELVM XI. *Deus impossibilia iubet.*

IANSENIVS. HETERODOXI.

A SVNT quædam homini præcepta, secundùm statum, & vires, in quibus est con-

A LVTHERVS *in confutat. rationis Latomianæ:* Tot Scripturæ testimonia probant man-

IANSENIVS. | HETERODOXI.

ſtitutus impoſſibilia; nec adeſt ſemper gratia, quâ præcepta illa implere ſufficiamus. *Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 325.*

datum eſſe impoſſibile nobis, vt nihil ſit manifeſtius.

Melancthon *ad cap. 4. epiſt. ad Rom. edit. 1.* Cùm mandat lex diligi Deum, perinde impoſſibilia iubet, atque ſi præcipiat nobis tranſuolare Caucaſum.

Caluinus *lib. 2. Inſtit. cap. 7.* Sit extra controuerſiam, impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum.

Idem *ibid. §. 5.* Quòd autem impoſſibilem legis obſeruationem diximus, id eſt paucis verbis explicandum, ſimul & confirmandum: ſolet enim vulgò abſurdiſſima ſententia videri.

CONTRA-REMONSTRANTES *art. 53. in Specimine Amſtel.* Deus ab omnibus hominibus ... exigit ſeruitium & obedientiam; ſed poteſtatem obediendi non vult omnibus dare: exigit fidem ab omnibus, quibus verbum annunciatur, ſed non vult omnibus ipſis dare fidem.

B Impotentia implendi præcepta reperitur etiam in iuſtis, qui & fidem Chriſti, & caritatem iuſtitiæ ſuſceperunt. *Tom. 3. lib. 2. cap. 32. col. 236.*

B IOANNES MONHEMIVS *dialog. 3.* Nemo, quantumuis perfectus, præſtare poteſt quod lex iubet.

MELANCTHON *in Apologia, titulo de Votis monaſticis.* Extrema impietas eſt ſentire quòd Decalogo ita ſatisfaciant, vt merita ſuperſint: cùm hæc præcepta omnes Sanctos accuſent, *Diliges Dominum &c.* Item *Non concupiſces &c.*

LVTHERVS *in epiſt. ad Galat. cap. 4.* Impoſſibile eſt humanam naturam implere legem: imò in iuſtificatis, qui habent Spiritum ſanctum, repugnat lex membrorum legi mentis.

Idem in Pſalm. 51. Decalogus nunquam poteſt plenè præſtari.

C Ita peccato periit libertas arbitrij ad faciendum bonum, vt ante gratiam non ſolùm non poſſit vniuerſam legem moralis honeſtatis implere, ſed nec vnam quidem, nec vnum opus eius. *Tom. 2. de ſtat. nat. lapſæ lib. 4. cap. 19. col. 631.*

D Sine gratia ſuperari non poteſt vlla tentatio: vel ſi ſuperetur, alio etiam peccato ſuperatur; nec ſine ea, vel vnum præceptum legis naturalis impleri poteſt, ſic vt peccatum illâ obſeruatione vitetur. *Tom. 2. col 502. col. 497.*

E Improbat Ianſenius hanc ſententiam ex epiſt. ad Demetriadem. Nec impoſſibile aliquid voluit imperare, qui iuſtus; nec damnaturus hominem fuit pro eo, quod vitare non potuit, qui pius eſt. *Tom. 1. lib. 4. cap. 16. col. 218.*

F Nam hoc idem ſibi vult Auguſtinus, quando contra Pelagianos præceptorum poſſibilitatem contentioſiſſimè inculcantes, dicit; &c. *Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 324.*

G Quamuis homini deſit gratia ſufficiens, qua præcepta poſſit implere, non propterea fruſtra eſſe præcepta, conſilia, monitiones: habent enim vſum ſignificandi homini, vt ſi fortè poſſit, faciat quod iubetur, ſi non poſſit, infirmitatem doleat, orétque pro viribus impetrandis. *Tom. 3. lib. 3. cap. 17. col. 354.*

H Tertia vtilitas (præceptorum) vt non ſolùm ſciant tam boni, quàm mali, quid ſibi faciendum ſit; ſed etiam qui non faciunt, ſint inexcuſabiles. *Tom. 3. col. 356.*

I Etſi præcepta impoſſibilia, ea tamen non eſſe fruſtra oſtendere conatur Ianſenius. *Tom. 3. lib. 3. cap. 17. col. 352. & ſeq.*

C Idem *in propoſitionibus de lege, contra Antinomos.* Lex eſt planè inutilis, & impoſſibilis.

D CHEMNITIVS *in examine Trident. ad ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 18. tota quæſtione 3.* Quandiu igitur caro ſpiritui repugnat, lex non poteſt perfectè impleri.

E Lutherus *in reſponſione ad dialog. Syluestri.* Peſſimè facis, quod negas Saluatorem impoſſibilia iuſſiſſe: pluſquam peſſimè facis quod hoc falſitatem audes appellare: non poſſumus in hac vita mandata Dei implere.

F Caluinus *in Antidoto ad ſeſſ. 6. cap. 11.* Impoſſibile eſſe aſſero, quod Scripturæ nunquam futurum pronunciant. vexabant Auguſtinum hâc calumniâ Pelagiani, quòd diceret Dei præcepta ad obſeruandum eſſe impoſſibilia.

Idem 2. Inſtit. cap. 7. §. 5. Eiuſmodi argutiâ vexabant Auguſtinum Pelagiani, iniuriam fieri Deo, ſi plus iubeat, quàm per eius gratiam præſtare queant fideles.

G CHEMNITIVS *in examine Tridentini ad ſeſſ. 6. can. 4. & 5.* Non ſunt fruſtra (præcepta) etſi nihil poſſit liberum arbitrium ſine gratia neceſſitante, quam ſoli electi habent.

Caluinus *lib. 2. Inſtit. cap. 5. §. 7.* Impij, dum aduerſari Deo ſuas libidines per legem edocti, ſuo ipſorum teſtimonio rei fiunt. Pij, dum ſuæ impotentiæ admoniti, ad gratiam confugiunt.

H CALVINVS *ibid. §. 4.* Verbum idem, dum reprobis deſtinat, etſi non in eorum correctionem, in alium tamen vſum valere facit, quo & in præſens conſcientiæ teſtimonio vrgeantur, & in iudicij die magis reddantur inexcuſabiles.

I *Idem facit Caluinus ex iiſdem penè teſtimoniis & rationibus, lib. 2. Inſtitut. cap. 5. §. 4. & ſeqq.*

PARALLELVM XII. *Ignorantia inuincibilis non excuſat à peccato.*

IANSENIVS. | HETERODOXI.

A IGNORANTIAM, etiam quæ neceſſitatis eſt non voluntatis, hoc eſt, inuincibilem, non carere peccato, vt dogma fidei ab antiquis traditum, & contrarium ſolemne Pelagianorum dogma fuit. *Tom. 2. de ſtatu naturæ lapſæ lib. 2. tit. & textu cap. 2. col. 287.*

A LVTHERVS *in Geneſ. cap. 12.* Scholaſtici inuincibilem ignorantiam dixerunt excuſabilem, id eſt, quæ peccatum prorſus tollat: hoc ſi ſtatuamus verum eſſe, ſequetur, etiam ſine Chriſto homines ſaluari, ſi faciāt quod in ſe eſt: tāta cæcitas eſt in Papæ Scholis & Eccleſiis.

IANSENIVS.

B Ignorantia inuincibilis iuris naturalis, non excusat à peccato delinquentes. *Tom.* 2. *de statu naturæ lapsæ lib.* 2. *cap.* 5. *col.* 310.

Doctrina suprà tradita de alia ignorantia intelligi non potest, quàm de illa, quæ dicitur esse iuris naturalis. *Tom.* 2. *lib.* 2. *de statu naturæ lapsæ cap.* 5. *col.* 306.

HETERODOXI.

Idem *ibidem*, Falsa est ista celebris Scholasticorum sententia, de ignorantia inuincibili excusante ...... Quisquis inuincibilem ignorantiam excusationem mereri statuit, inuertit Scripturam sanctam, & tollit è mundo Christum iustitiæ Solem.

B LVTHERVS *in Genes. cap.* 12. In politicis negotiis potest esse locus inuincibili ignorantiæ..... Sed hæc ad res sacras, & conscientiæ negotia transferenda non sunt.

CALVINVS *lib.* 2. *Institut. cap.* 2. §. 25. Eorum repudianda est opinio, qui consultam malitiam, & prauitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt: nimium enim experimur quoties labamur cum bona nostra intentione.

PARALLELVM XIII.

Non dari opera moraliter bona naturalis ordinis.

IANSENIVS.

A ITA peccato periit libertas arbitrij ad faciendum bonum, vt ante gratiam non solùm non possit vniuersam legem moralis honestatis implere, sed nec vnam quidem, nec vnum opus eius. ita inducta est peccandi necessitas, vt in omni actu, quo legem sibi videtur vel seruare, vel transgredi, reus alicuius peccati teneatur. *Tom.* 2. *de statu naturæ lapsæ lib.* 4. *cap.* 18. *col.* 632.

B Viribus naturæ peccatum sine peccato non vitatur, nec lex vlla seruatur. *Tom.* 2. *de statu naturæ lapsæ lib.* 3. *cap.* 20. *col.* 525.

C Pelagiani doctrinam suam, quòd possint fieri opera naturæ moraliter bona, fundant in loco Apostoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent &c. Quæ sunt dissonantia à doctrinæ Ecclesiasticæ veritate. *Tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 8. *col.* 202.

HETERODOXI.

A CALVINVS *lib.* 3. *Instit. cap.* 14. In primis quando naturalibus dotibus censendi (homines) sunt, à vertice capitis ad plantam vsque pedis scintilla boni non reperietur. *Idem probat ex iisdem locis Scripturæ, Augustini, quibus Iansenius, per sex paragraphos.*

Idem *ibidem cap.* 4. §. 8. Constituimus ergo extra dubium ..... quæ vel summo splendore perspicua sunt opera in hominibus nondum verè iustificatis, tam procul abesse à iustitia coram Domino, vt peccata censeantur.

B CALVINVS *lib.* 3. *Instit. cap.* 14. §. 4. Sine Christi communicatione nulla est sanctificatio. pulchros ergo & aspectu speciosos, gustu etiam suaues fructus generare possunt, bonos nequaquam.

Idem *ibid.* Est maledictum, nec modò nullius ad iustitiam pretij, sed certi in damnationem meriti, quidquid cogitat, meditatur, perficit homo antequam Deo per fidem reconcilietur.

C Idem *ibid.* §. 5. Vt naturâ conditi sumus, citiùs ex lapide oleum, quàm ex nobis opus bonum exprimetur *(scilicet sine gratia.)*

Ibidem. Omni iustitia, vsque ad minimam particulam, hominem spoliamus, donec solâ misericordiâ in spem vitæ æternæ regeneratus fuerit.

Idem lib. 2. *Instit. cap.* 3. §. 2. Graui telo confoditur eius ingenium, quum omnes, quæ inde prodeunt cogitationes, vt stultæ, friuolæ, insanæ, peruersæ irridentur.

PETRVS MARTYR *in Epist. ad Rom. cap.* 9. *ver.* 18. Qui regenerati non sunt, nihil quod Deo placeat præstare possunt, imò quidquid agunt, semper peccant.

PARALLELVM XIV. *Omnia opera infidelium esse peccata.*

IANSENIVS.

A OMNIA opera infidelium sunt peccata: & virtutes philosophorum sunt vitia. *Tom.* 2. *de statu nat. lapsæ lib.* 4. *cap.* 27. *col.* 652.

HETERODOXI.

A CHEMNITIVS *in Exam. Trident. in sess.* 6. *can.* 1. *&* 7. Infidelium opera non inter verè bona opera, sed inter peccata recensenda sunt.

Lutherus *in Genes. cap.* 8. Si igitur hoc quasi somnium vitæ, & externam hanc laruam consideres, pulcherrimum factum est, sed coram Deo fœda est idololatria.

CALVINVS *lib.* 3. *Institut. cap.* 14. §. 4. Est maledictum (opus infidelium) nec modò nullius ad iustitiam pretij; sed certi in damnationem meriti, quidquid cogitat, meditatur, perficit homo, antequam Deo per fidem reconcilietur.

CHAMIERVS *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. Quidquid fit absque fide, peccatum est. *Quod probat toto illo capite, & sequentibus ex iisdem ferè locis Augustini, & Scripturæ, quibus Iansenius.*

MELANCTHON *in Epist. ad Rom.* 14. *ver.* 14. Omne quod non est fide, peccatum est.

IANSENIVS.

B Idem docet fusè ex professo, de virtutibus Romanorum.

Tom. 2. de ſtat. nat. lapſæ lib. 4. cap. 11. 12. & 13.

C Sola abſentia fidei ſufficit, vt omnia opera infidelium vera ſint peccata.

Tom. 2. de ſtat. nat. lap. lib. 4. c. 3. col. 553.

D Nullum omnino fieri poteſt opus bonum, hoc eſt, ſine peccato, niſi ad finem, in quem referri vera ſapientia præcipit, hoc eſt, in Deum propter ſe dilectum, referatur.

Tom. 2. de ſtat. nat. lap. lib. 3. c. 17. col. 509.

E Hæc eſt ratio, cur huiuſmodi opera..... (infidelium) ſint peccata, quia non ad illum finem referuntur, quò vera ſapientia referenda eſſe præſcribit.

Tom. 2. col. 511. Ibidem per totum cap. 17.

HETERODOXI.

B CALVINVS *lib. 3. Inſtit. cap. 14. §. 3.* Conſtituit igitur (Auguſtinus) omnes Fabricios, Scipiones, Catones, in illis ſuis præclaris facinoribus hoc peccâſſe, quòd cùm fidei luce carent, non ad eum finem ipſa retulerunt, ad quem referre debuerunt.

LVTHERVS *in epiſt. ad Gal. cap. 4.* Opera extra fidem facta, vt maximè in ſpeciem ſancta videantur, ſub peccato, & maledicto ſunt.

C BVCERVS *1. ad Rom. c. 14. v. 23.* Quod fide caret, non modò ingratum, ſed & abominabile eſt coram Deo.

CALVINVS *in Antidot. Trident. ſeſſ. 6. in can. 7.* Sine qua (fide) quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.

D CALVINVS *in Antidot. ſeſſ. 6. in can. 7.* Ideo peccant infideles, quidquid agant, quòd facta ſua non ad legitimum finem referunt. *Vbi iiſdem locis Auguſtini vtitur, quibus Ianſenius.*

E CHAMIERVS *lib. 4. cap. 10. n. 2.* Vt alia omnia deeſſent, certè nihil agit infidelis propter Deum; atqui hic finis ſi deſit, nihil eſt, quod poſſit bene fieri.

Idem ibid. Infidelium voluntas, eo ipſo quo deſtituitur caritate, mala eſt.

Idem ibid. num. 25. Non eſt neceſſe, aliquem operari propter diabolum vt peccet, ſed ſufficit omnino non operari propter Deum.

PETRVS MARTYR *in epiſt. ad Rom. cap. 2. ver. 14.* Præclara eorum opera (infidelium) licèt quoad ipſos peccata eſſent; tamen ex ſua natura vel genere cùm accederent ad illa quæ Deus in lege præcepit, damnari non poterant humano iudicio: coram Deo tamen praua ea fuiſſe, ideo non eſt dubium, quòd ad congruum finem minimè referrentur.

PARALLELVM XV. *Attritio ex metu gehennæ mala.*

IANSENIVS.

A IMPOSSIBILE eſt vt ille, qui peccandi propoſito conſtitutus eſt, ſolâ pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatum deteſtetur, vt non peccet.

B [a] Quia & id eſt principium, eſſe impoſſibile vt ſic mutet voluntatem, nam hoc proprium officium caritatis eſt.

[a] Tom. 3. col. 372.

C [b] Præceptum bonum ex timore, ne quidem concupiſci poteſt, ſed ſolâ caritate.

[b] Tom. 3. col. 387.

D [c] Iuſtitia, quam ex formidine quis operatur..... non eſt vera, ſed ex affectu inquinato orta.

[c] Tom. 3. col. 384.

[d] Nullum enim opus poteſt eſſe bonum, niſi in finem, in quem referri vera ſapientia præcipit, hoc eſt, in Deum proptèr ſe dilectum, referatur.

[d] Tom. 2. col. 509.

HETERODOXI.

A LVTHERVS *in aſſertione articulorum contra Bullam Leonis aſſertione 4.* Imperfecta caritas morituri ſecum fert neceſſariò magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam Purgatorij, & impedire introitum regni.

B LVTHERVS *in epiſt. ad Sulpitium:* Pœnitentia vera non eſt, niſi quæ ab amore iuſtitiæ, & Dei incipit: & hoc eſt principiũ Pœnitentię.

Idem ibid. Reſipiſcentia, & intelligentia ſui mali ſine mutatione affectus, & amoris, fieri eſt impoſſibile.

C CHEMNITIVS *in exam. Trident. de contritione in fine ſeſſ. 14. can. 5.* Contritio expaueſcens, conſideratione iræ, & iudicij Dei, ſi non oriatur ex dilectione Dei, etiamſi accedat fides petens, & ſtatuens remitti nobis peccata propter Chriſtum; tamen eſt non ſalutaris, ſed Iudæ Pœnitentia.

D LVTHERVS *in aſſertionibus articulorum contra Bullam Leonis aſſ. 6.* Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, & collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem. *Hæc propoſitio in terminis damnata eſt à Tridentino ſeſſ. 14. can. 5.*

IANSENIVS.

a Tom. 3. col. 577.

E [a] Timens, quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo, sed tantùm in speciem coram hominibus operatur. Hinc non est amicus rectitudinis, nec Dei; sed potiùs hostiles erga eum animos gerit; b & potiùs non implet operando legem quàm implet.

b Tom. 3. col. 584.

F Quæ omnia præcipuè declarant doctrinam istam, quam Scholastici quidam tradunt de dolore peccatorum ex solo gehennæ metu, non solùm Augustini principiis fundatissimis & per omnes eius lucubrationes diffusis ex diametro repugnare; sed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proscriptam esse; quam non perspecta veritas, sed sola inutilis, imò perniciosa erga peccatores misericordia peperit.

Tom. 3. lib. 5. cap. 35. col. 597.

HETERODOXI.

Idem in serm. de Pœnit. Quo magis timore pœnæ, & dolore damni conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse.

EIDEM *ibid.* Vocant *(Papista)* attritionem, proximè disponentem ad contritionem: quam opinionem errorem ego iudico.

Nota Caluinum hîc esse benigniorem Iansenio: nam in Antidot. Trident. sess. 6. can. 8. Si quis dixerit metum peccatum esse, Anathema sit, respondet: Amen: nec cuiquam id puto in mentem venisse, qualis enim ab illo describitur, veram pœnitentiam continet.

PARALLELVM XVI. *Amor concupiscentiæ respectu Dei, vitiosus est.*

IANSENIVS.

A CONCVPISCENTIA respectu Dei amor vitiosus est.

Tom. 3. lib. 5. cap. 9. col. 525.

B Spem Christianam deprimunt, qui eam subtrahunt caritati, & quodam sinceritatis adulterio puritatem diuinæ, & gratuitæ caritatis in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem vertunt. *Tom. 3. lib. 5. cap. 9. col. 526.*

C Absit vt ita Christianus propter retributionem operetur, ipsum Deum mercedem tanquam sibi vtilem expectando.

Tom. 3. lib. 5. cap. 10. col. 530.

HETERODOXI.

A LVTHERVS *in assert: articulorum contra Bullam Leonis assert. 6.* Contritio, quæ paratur ..... per amissionem æternæ beatitudinis, facit hypocritam, imò magis peccatorem.

B CALVINVS *in Antidoto ad sess. 6. can. 15.* Dei iudicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto eius amore manat.

C IDEM *ibid. cap. 31.* Cùm ingenuam à filiis suis obedientiam requirat Deus, seruile huiusmodi obsequium *(intuitu scilicet mercedis operari)* non repudiabit modò, sed procul etiam reiiciet.

* Bugarus de Montefalcone *in Catalania damnatus fuit ob hanc doctrinam, vt refert Bernardus de Luxemburgo in Catalogo hæreticorum.*

PARALLELVM XVII. *Præcepto,* Non concupisces, *prohibiti motus indeliberati.*

IANSENIVS.

A PER præceptum, *Non concupisces,* ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi: ideóque illud præceptum solùm est in cælo complendum.... *Et infrà.*

B Huius vitæ iustitiam hîc perfici, quando concupiscentiis, etsi tumultuantibus, non consentimus.

Tom. 2. de stat. nat. lapsæ lib. 2. cap. 14. col. 414.

HETERODOXI.

A CALVINVS *lib. 3. Institut. cap. 3. §. 10.* Augustinus tum demum fieri peccatum docet, quando primæ appetitioni cedit voluntas. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliquâ omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur, &c.

B IDEM *in epist. ad Rom. cap. 7. ver. 7.* Intellexit *(homo)* se esse peccatorem, dum vidit concupiscentiam lege prohiberi, quâ nemo hominum vacuus est.

Idem in Antidot. sess. 5. decreto de originali: Negari, nisi impudenter, non potest, quin repugnantia aduersus legem Dei verè sit peccatum.... sequitur ergo suâpte naturâ esse peccatum, tametsi non imputetur.

Agit de concupiscentiæ motibus indeliberatis, quos dixerat Concilium non nocere, nisi consensus accedat.

MELANCTHON *secutus magistrum suum Lutherum, in locis communibus, de 9. & 10. præcepto.* Sciamus legi Dei .... accusari, & damnari etiam vitium hærens in hac deprauata hominum naturâ, quod vocant concupiscentiam; non enim tantùm damnat hîc vitiosos affectus, ad quos accedit consensus, sed etiam ipsam prauam inclinationem.

Chamiervs *tom. 3. lib. 10. cap. 6. §. 15.* Itaque cùm concupiſcentiam hanc, quæ ex deliberatione voluntaria eſt, conſtet vtrinque eſſe peccatum, & prohiberi hoc decimo legis mandato, ſitque tantùm controuerſia de altera, hanc etiam iam nos dicimus prohiberi hoc mandato.

Parallelvm XVIII. *Diua Virgo non potuit eſſe immunis à peccato originali, & contrarium eſt erroneum.*

Iansenivs.

A Nvllvm qualecunque malum inferri à Deo poteſt creaturæ rationali ſine culpa.

Tom. 2. de ſtatu naturæ puræ lib. 5. cap. 11. col. 925. in titulo capitis.

B Impoſſibile eſt miſeriam à Deo infligi ſine culpa præcedente.

Tom. 2. de ſtatu puræ naturæ lib. 1. cap. 14. col. 746.

C Ex miſeriis puræ naturæ cogimur ad diuerſas impietates, ad blaſphemiam, ad Manichæiſmum *(quia nempe in illa culpa non fuiſſet.)*

Tom. 2. de ſtatu puræ naturæ lib. 3. cap. 15. col. 945. in titulo capitis.

Sed B. Virgo paſſa eſt miſerias, & pœnalitates huius vitæ, & mortua eſt: & iuxta Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. Omni peccato actuali caruit: ergo. Conſequentiam formet lector.

Heterodoxi.

A Chamiervs *tom. 3. lib. 5. cap. 7.* Hæc immunitas *(D. Virginis)* repugnat Scripturæ, quæ definit, vno dempto Chriſto, in omnes homines deriuatum eſſe peccatum: repugnat traditioni Eccleſiæ.

B Idem *ibid. cap. 11. §. 1.* Quicunque obnoxius eſt miſeriis à peccato, nec propter merè aliena peccata: is eſt obnoxius peccato; at Beata Virgo obnoxia fuit miſeriis, quæ à peccato, nec propter merè aliena peccata; ergo Virgo Beata fuit obnoxia peccato.

C Matthias Illyricvs *centuria 9. cap. 10. Tilmannus Heshuſius in lib. de ſexcentis erroribus Pontificior. tit. de peccato num. vltimo.*

Martinus Chemnitius *in Exam. Trident. ſeſſ. 6. in appendice ad decretum V. docent erroneam eſſe ſententiam, quæ facit Beatam Virginem peccati originalis expertem.*

Amice Lector, Antiſtatetæ partem vtramque æqualibus hinc inde æquilibriis vbi ſedulò inter ſe contuleris, ſtylique acrimoniam, cenſurandi temeritatem, ac arrogantiam, phraſim haud diſſimilem, rem ipſam, ſcopum denique, ac ſymbola omnia iuſtâ æſtimatione appenderis; nunquid cenſebis Ianſeniano calculo abſolutum iri noſtri temporis hæreticos, in vniuerſa propemodum de Prouidentiæ diuinæ ſerie doctrinâ; damnandos autem omnium Gentium, ac ſæculorum Doctores Catholicos? vtcunque arbitrabere, certè id nos aſſecutos confidimus, ne ſplendido ac ſpecioſo titulo Auguſtiniani nominis, interpretis verò Epiſcopi, ac Doctoris Theologi prætexta dogmata, eadem fortaſſe, quæ à vicinis noſtris Heterodoxis eodem Auguſtini inuolucro ſubdolè propinata ſunt, atque etiamnum (proh dolor!) propinantur, incautum fallant.

FINIS.





APPENDIX
AD PRÆCEDENTES DISPVTATIONES, CONTINENS QVÆDAM ADDENDA SVIS LOCIS, vel hunc in locum remissa.

Ad disputationem primam.

DISP. I. Sect. 8. in fine, pag. 19. mentionem fecimus decreti Congregationis sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, quo citatur Carolus Hersant ad respondendum in causa fidei, quòd in publica concione Romæ habitâ, typisque vulgatâ, ac summo Pontifici dicatâ, Ianseniana dogmata per Sedem Apostolicam proscripta docuisset: promisimúsque nos hoc loco exhibituros integrum illius decreti exemplar ex originali Romano transcriptum. Illud ergo sic habet:

IVLIVS Episcopus Portuensis Roma, Alphonsus Episcopus Prænestinus de la Cueua, Franciscus Episcopus Sabinensis Barberinus, Bernardinus Episcopus Albanensis Spada, Martius tit. S. Petri ad vincula Ginettus, Fr. Vincentius tit. S. Clementis Maculanus, Ioannes Iacobus tit. S. Stephani in monte Cœlio Panzirolus, Ioannes tit. S. Balbinæ de Lugo, Dominicus tit. S. Sixti Cecchinus, Presbyteri, Hieronymus S. Eustachij Columna, & Raynaldus sancti Nicolai in carcere Estensis, Diaconi, miseratione diuinâ S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in tota republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generales Inquisitores à S. Sede Apostolica specialiter deputati. Cùm nuper ad aures nostras, non sine ingenti animorum nostrorum dolore, nedum famâ vocéque publicâ deferente; verùm etiam multorum fide dignorum testimonio, aliisque authenticis documentis peruenerit, Carolum Hersant Gallum, Presbyterum sæcularem, sacræ Theologiæ Professorem, in graue Catholicorum scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ, ausum fuisse in concione per eum in festo sancti Ludouici Regis Galliæ habitâ Romæ in Ecclesia eiusdem Sancti, anno Iubilei 1650. & in lucem editâ, vnà cum epistola dedicatoria eiusdem concionis sanctissimo Domino nostro Papæ Innocentio X. populo prædicare ac proponere doctrinam à summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. in eorum præcipuis constitutionibus contra Michaelem Baium, & Cornelium Iansenium Episcopum Iprensem promulgatis damnatam, & in eadem epistola dedicatoria temerè petere à sanctissimo Domino nostro defensionem doctrinæ à sancta Sede Apostolica iam damnatæ, & propositæ in euidentem dictæ sanctæ Sedis & sanctissimi Domini nostri iniuriam, animæque suæ præiudicium, iacturam, detrimentum, & perditionem fecisse, dixisse, atque operatum fuisse, suis loco, & tempore, in processu causæ huiusmodi latiùs adhibenda & demonstranda. Nos propterea, cùm ad nostrum incumbat officium in hæreticos, seu de hæresi quouis modo suspectos, & propositiones censurâ Theologicâ dignas proferentes, dictantes, scribentes, & imprimentes, cuiuscunque gradus, status, ordinis, conditionis, & dignitatis existant, iuxta canonicas sanctiones animaduertere, auctoritate nobis à sancta Sede Apostolica commissâ super præmissis prouidere volentes, citationem legitimam in forma solita exequendam contra prædictum Carolum, ad R. Petri Seristæ, officij sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis Procuratoris fiscalis instantiam, decernendam fore, & esse duximus, prout decernimus per præsentes. Quocirca per præsens hoc publicum edictum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, S. Laurentij in Lucina, & Palatij S. officij exequendum, & publicandum, eundem Carolum Hersant Gallum auctoritate Apostolicâ, quâ fungimur, citamus, requirimus, & monemus, eique in virtute S. obedientiæ, sub excommunicationis latæ sententiæ, priuationis dignitatum, & officiorum, graduum, honorum, beneficiorum, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi, confessi criminis de quo imputatur, aliarúmque pœnarum in præfatis constitutionibus Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. contentarum, districtè præcipimus & mandamus, quatenus infra terminum trium mensium ab executione præsentium computandum, quorum vnum pro primo, alium pro secundo, reliquum verò pro tertio, vltimo & peremptorio termino, & canonica monitione assignamus, debeat personaliter per seipsum comparere, non autem per procuratorem, aut excusatorem aliquem, coram nobis, seu admodum R. Patre Fratre Vincentio Preto Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magistro, Commissario nostro, in Palatio sanctæ Inquisitionis residente, ad respondendum de fide, & se expurgandum à criminibus, de quibus in actis, & ad vlteriora procedendum, ac processum, & inquisitionem per nos faciendam, necnon seruatis priùs terminis in similibus de more seruari solitis, ipso per affixionem ad valuas, vt suprà, citato, per nos pronunciari, ac determinari, & definiri, ipsúmque Carolum dictas sententias, censuras, & pœnas per Apostolicas constitutiones contra similes delinquentes inflictas, damnabiliter incidisse & incurrisse decla-

declarari videndum, prout iustitia suadebit, & ordo dictauerit rationis; ipsius moniti & citati absentiâ seu contumaciâ in aliquo non obstante. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem ac testimonium, præsentes nostras litteras citatorias & monitoriales per infra-scriptum nostrum & dictæ sanctæ Inquisitionis Notarium exinde fieri fecimus, & manu vnius nostrûm subscriptas sigilli eiusdem sanctæ Inquisitionis, quo in talibus vtimur, iussimus & fecimus impressione muniri. Datum Romæ in generali Congregatione S. Officij, Calend. Martij, anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

FRANCISCVS Cardinalis Barberinus.
Loco † sigilli.
IO. ANT. THOMASIVS sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Huc vsque decretum citationis. Cùm autem intra spatium temporis præfixum, nec diu pòst comparuisset præfatus Carolus Hersant, lata fuit in illum sententia condemnationis ab eadem sancta & vniuersali Inquisitione Romana, & hoc programma Romæ publicis in locis affixum.

De mandato Eminentissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem in Vniuersa Republica Christiana Generalium Inquisitorum.

Hic auctoritate Apostolica denunciatur excommunicatus, Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, facultate concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi priuatus, aliísque pœnis in Constitutionibus Summorum Pontificum Pij V. Gregorij XIII. ac Vrbani VIII. subiectus Carolus Hersant Presbyter sæcularis Gallus, Parisiensis, seu alterius Diœcesis, eò quòd legitimè citatus, & requisitus ad comparendum in suprema, & vniuersali Inquisitione Romana ad respondendum de fide, parere recusauit, prout in sententia, de qua in actis eiusdem sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis latiùs continetur. Et propterea ab omnibus Christi fidelibus euitandus, & tanquam priuatus omnibus supradictis habendus. Instante R. D. Petro Serista Procuratore Fiscali eiusdem sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis.

IO. ANTONIVS THOMASIVS sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Notarius.
Loco † sigilli.
Romæ, ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1651.

Eodem anno 1651. eadem Congregatio sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis aliud decretum sanxit contra nonnullos, qui in Belgio Bullam Vrbani VIII. contra Iansenium promulgare nolebant, & libellis in lucem editis rationes cur id nollent euulgabant. Quod decretum, fideliter transcriptum ex Romano exemplari, sic habet:

FERIA V. DIE XI. MAII M. DC. LI.

In Generali Congregatione sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram sanctissimo D. N. D. Innocentio diuinâ prouidentiâ Papa X. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S.R. E. Cardinalibus, in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

CVM ad aures Sanctissimi Domini nostri Innocentij Papæ X. peruenisset in lucem prodiisse libellum, cui titulus, *Rationes ob quas Illustrissimus, ac Reuerendissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis, Belgij Primas, Regiæ Catholicæ Maiestatis à Consilio Status*, &c. *à promulgatione Bullæ, quâ proscribitur liber, cui titulus, Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis Augustinus, abstinuit, ex mandato Regio suæ Maiestatis exhibitæ: è Gallico in Latinum translatæ* 1649. Incipien, *Iussus dicere*, & finien, *Et tota Ecclesiâ probatam, & receptam.*

Nec non alium libellum inscriptum, *Raisons, pour lesquelles on n a trouué conuenir de publier au Diocese de Gand, auec les solemnitez accoustumées, certaine Bulle contre le liure du defunct Euesque d'Ipre Iansenius. Representées par Monseigneur le Reuerendissime Euesque de Gand au Conseil Priué de sa Maiesté Catholique en Brussel-les le* 20. *de Mars* 1647. & 1649. Incipien, *Les raisons*, & finien, *iusques à ce que sa Sainctete sera deuëment informée.*

Item tria Edicta, Primum, cui titulus, *Iacobus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem*; Incipien, *Notum facimus, quòd cùm circa publicationem Bullæ Vrbani VIII. fel. record.* & finien, *Datum Bruxellæ die* 29. *Martij* 1651. *I. A. M. V.*

Secundum, cui titulus, *Antonius Triest, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Gandauen.* &c. *Omnibus Christi nostræ Diœcesis fidelibus salutem in Domino*, &c. Incipien, *Noueritis, quòd Clementissimus noster Rex*, &c. & finien, *Curauimus prædictam Bullam de verbo ad verbum, vt suprà diximus, de nouo imprimi, & huic nostræ ordinationi inseri*, 26. *Martij* 1651. Et inferiùs, *De mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi prædicti subsignat. P.* SIMON *Secret.*

Tertium, cui titulus, *Vicarij Generales Sedis Episcopalis Iprensis modò vacantis, Vniuerso Clero, & populo huius Diœcesis salutem.* Incipien, *Sanctissimus D. noster Vrbanus beatæ memoriæ Papa VIII. Iamdudum*, &c. & finien, *sicuti antiquitus in vsu fuerunt, intacta relinquere, & illæsa conseruare. Actum* 27. *Martij* 1651. Et inferiùs, *De mandato adm. RR. DD. Vicariorum subsignat.* M. DE CERF *Secretarius.*

In quibus libellis, & Edictis (*supple*, cùm ad aures S. D. N. Innocentij peruenisset) multa contineri auctoritati S. Sedis Apostolicæ præiudicialia, Sanctitas sua prædictos libellos, & Edicta in præfata sacra Congregatione examinari mandauit. In qua maturè, ac diligenter in eis contentis consideratis & perpensis, auditísque super præmissis Votis eorundem DD. Car-

dinalium, Sanctitas sua tam libellos, quàm Edicta prædicta prohibenda censuit, prout præsenti Decreto damnat, & prohibet, & pro damnatis, ac prohibitis haberi vult, & mandat. Ac nisi eorum auctores quamprimùm sese expurgauerint, censuris ac pœnis Ecclesiasticis intelligant se omnino coërcendos. Iubet autem quòd nullus deinceps cuiuscunque gradus, & conditionis existat sub pœnis in sacro Concilio Tridentino, & Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis, supradictos libellos, & Edicta audeat quocunque idiomate imprimere, vel imprimi curare, legere, vel apud se retinere, &c. Non obstantibus quibuscunque contrariis.

Io. ANTONIVS THOMASIVS *sanctæ Rom. & vniuersalis Inquisitionis Not. Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo. Indictione 4. die verò 17. mensis May, Pontificatus sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Innocentij diuinâ prouidentiâ Papæ X. anno septimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & S. Petri de Vrbe, nec non ad valuas Palatij sacræ Inquisitionis, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Mascellam eiusdem sanctissimi D. N. Papæ, & sanctiss. Inquisitionis Cursorem.*

Romæ, ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. 1651.

Ad eandem disputationem primam.

IN eadem disput. 1. sect. 8. num. 81. in fine, pag. 20. mentionem fecimus epistolæ plusquam octoginta Archiepiscoporum, & Episcoporum Galliæ, ad Summum Pontificem Innocentium X. quâ suppliciter rogant vt aliquot Iansenij propositiones speciali censurâ, pro merito, notare dignetur. Tenor illius epistolæ, cuius exemplar hoc loco dare promisimus, hic est:

Epistola plusquam octuaginta Galliæ Antistitum ad Summum Pontificem, pro condemnatione præcipuarum Iansenianæ sectæ propositionum.

BEATISSIME Pater, maiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes de grauissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commouetur, ob librum posthumum & doctrinam Reuerendiss. Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tum Concilij Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, quâ Vrbanus VIII. fœlicis memoriæ aduersus Iansenij dogmata pronunciauit, & decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem ac robur nouo diplomate vindicasti: sed quia nulli sigillatim propositioni certa Censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cauillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus, si, vt precamur, Sanctitas Tua, quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctéque definiat. Obtestamur ergo, vt has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, ac perspicuam & certam de vnaquaque sententiam ferat.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, quâ possibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

III. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate: sed sufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Experta est nuper Beatitudo Tua, quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium, venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, vt clarâ firmâque de propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ, cui etiam Reuerend. ipse Iansenius morti proximus opus suum subiecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremque restituas. Dum hæc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuæ multos & prosperos annos, sæculóque beatissimam æternitatem Rex sæculorum immortalis adiiciat, optamus ac vouemus.

Hanc Epistolam perhumaniter accepit Innocentius X. totúmque hoc negotium examinandum dedit Congregationi sanctæ Romanæ & generalis Inquisitionis, vt auditâ eius relatione sententiam pronunciet: quæ nondum emanauit. Interea verò dum res hæc tota sub longo, maturo, accurato, diligentíque examine versatur, & Sanctæ Sedis Apostolicæ sententia expectatur, lubet hoc loco addere breuem huius quæstionis decisionem, Meliúsne foret sopire controuersiam, quæ iam feruet cum Iansenistis, imposito vtrique parti silentio: quàm aliquid statuere circa prædictas propositiones, & alia Iansenij dogmata. Lubet, inquam, illam in præsenti referre, prout ab erudito quodam anonymo sapienter concepta est, & recens in lucem edita, partim contra eos, qui velind. fferentes, (id est, susdéque habentes quidquid de his dogmatibus controuersis teneatur) vel bono pacis consultum volentes, satius fore dicunt nihil definire, sed tam Orthodoxis, quàm Iansenistis silentium imponere: partim etiam contra Iansenij sectatores, & fautores, qui iam suæ causæ diffisi, & damnari

metuentes, fraudulenter hoc effugium captant, & per aliquot de suis, Romam eo fine missos vt suorum dogmatum condemnationem amoliantur, id vel ipsi Summo Pontifici persuadere vellent, eúmque à sententiâ circa propositiones sibi oblatas ferendâ reuocare. Sic igitur habet supradicta decisio, paucis in melius mutatis, vel additis.

Sopiendam aliqui putant, quæ iam feruet, Iansenistarum controuersiam, & vtrique parti silentium imponendum: Primò, quia id factum est in simili controuersia de auxiliis diuinæ gratiæ, quæ agitabatur inter Dominicanos, & Iesuitas. Secundò, quia eâ ratione deferuescet calor ille, quo pars vtraque accenditur; & sedato contentionis studio, disputantium animi faciliùs ad concordiam reducentur. Addunt tertiò, iam satis prouisum esse per definitiones summorum Pontificum, & sacrorum Conciliorum, iampridem editas, & passim receptas: vt nihil necesse sit aliquid insuper pronunciare.

Sed hæ rationes non concludunt. Non prima, quia non est similis hæc controuersia controuersiæ de auxiliis. In illa enim disputabatur de rebus nondum clarè decisis; & ita disputabatur, vt ipsa disputatione magis dubium fieret an & quid esset decidendum: & ideo facta est vtrique parti copia suam tuendi sententiam, dummodo alteri ab alterâ nulla inureretur censuræ nota. Quare non est verum quod assumitur, impositum esse vtrique parti silentium; quin potiùs vtrique parti soluta lingua est: hoc autem fieri non potest in controuersia Ianseniana: quia iam est definitum in Bulla Vrbani, Iansenium renouasse damnatas antea propositiones; quod est damnatam esse illius doctrinam. Idem factum est in Censura Catechismi de Gratia, quæ nomine Summi Pontificis concepta, & promulgata, declarat pariter in illo Catechismo contineri doctrinam antea damnatam: quo posito, quis non videt permitti non posse vt quis tueatur, & doceat, quod Sancta Sedes damnauit, ac vetuit? Nec posse ita conuenienter imponi silentium, vt non liceat dicere damnatam esse doctrinam, quam voluit per totam Ecclesiam intelligi esse damnatam? An volet vt supprimatur quod publicum esse iussit?

Secunda etiam ratio non concludit, quia calor eorum, qui nolunt doctrinam damnatam, in concionibus, in disputationibus, in libris editis propugnari, cum publico Pontificiæ auctoritatis quæ illam damnauit contemptu, non debet deferuescere, sed accendi: & calor eorum, qui tantæ auctoritati tam obstinatè resistunt, non debet etiam deferuescere solùm, sed extingui: nec alia potest expectari concordia, quàm vt isti omnino pareant, & ad eandem cum aliis obedientiam fidei reducantur, negando quod affirmant.

Denique nec tertia ratio concludit, quia primò, cùm in Censura iam facta ab Vrbano VIII. non dicatur distinctè quæ propositiones sint damnatæ vt hæreticæ, quæ vt erroneæ, quæ vt suspectæ, quæ vt temerariæ, vel scandalosæ, & piarum aurium offensiuæ; sed in vniuersum tantùm dicatur multas è damnatis Michaëlis Baij propositionibus in libro Iansenij, cui titulus, *Augustinus*, contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis Sanctæ Sedis Apostolicæ contemptu, contra eius damnationes & prohibitiones defendi, quas scilicet Pius V. & Gregorius XIII. proscripserant vt *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè*; id est, aliquas vt hæreticas, alias vt erroneas, alias vt suspectas, &c. non determinando quas: Iansenistæ beneficio illius confusionis singulas determinatè tuentur, dicentes hanc non esse damnatam, neque illam, neque illam, vt hæreticam, vel vt erroneam, vel vt suspectam, aut temerariam; sed tantùm vt offensiuam, nondum perspectâ illius veritate, quâ iam satis perspicuè demonstratâ, nullus ampliùs iustæ offensioni locus sit. Et ideò nisi fiat aliqua determinata distinctio, & specialis factæ censuræ applicatio ad propositiones, ad quas singulæ illius partes referri debent, tota latæ iam sententiæ auctoritas eludetur. Præterea, quamuis sufficiant quæ iam edita sunt decreta, docilibus animis, & bene dispositis; non desunt tamen qui pertinaciter ea negant, vel tanquam subreptitia traducunt, aut in alienos sensus detorquent; nec expedit vt ferant illum suæ pertinaciæ fructum, quòd impunè sinantur Ecclesiasticis sanctionibus contradicere, nemine repugnante, possintque in indicium approbationis trahere Iudicis silentium, ipsorum resistentiam probè scientis, & super ea interpellati, nec tamen quicquam statuentis. Certè sicut in bene constituta Republica non sufficit latas esse leges, quibus crimina damnantur; sed requiritur insuper vt perseueret eadem potestas quæ leges tulit, tum ad eas si opus sit interpretandas, tum ad declarandum vtrum ea facta quæ vocantur in iudicium, sint illa ipsa quæ lex prohibet, sine qua declaratione pæne inutiles essent omnes politicæ leges: ita in Ecclesiastico regimine visum est diuinæ prouidentiæ, non sufficere ad conseruandam fidem, & doctrinæ puritatem, esse scriptas quasdam credendorum definitiones; sed relicta insuper est in Christi Vicario summa quædam auctoritas, & viua perpetuáque atque infallibilis norma dirimendarum controuersiarum, quæ circa definitiones iam factas excitantur, eas scilicet applicando ad quæstionem de qua contenditur, & declarando num alterutram eius partem comprehendant, præsertim quando fideles ad ipsum recurrunt, & Oraculum consulunt.

Ex altera parte non esse ita sopiendam controuersiam vt silentium imponatur vtrique parti, sed esse determinandum aliquid, nempe Iansenianas opiniones vel esse indifferentes, vel esse bonas, vel esse malas, probant primò ea quæ iam dicta sunt soluendo contrarias rationes.

Secundò probatur, quia tales sunt hæ propositiones, vt non sit moraliter possibile de iis silere, certè non sine magno animorum detrimento. Nam si dicere non liceat, verbi gratiâ, possibilia esse Dei mandata; quomodo increpabo peccatorem, quasi per ipsum steterit, quo minùs seruaret præcepta quæ transgressus est? Si non licet dicere dari gratiam sufficientem; quomodo erigam illum qui tentatur, & est in periculo labendi, non promissâ, vel saltem sub

dubio promissâ Dei assistentiâ? Quomodo etiam eum, qui bene cœpit, ad perseuerandum hortari potero, si non licet dicere iustos omnes posse cum Dei auxilio perseuerare, si velint: neque Deum suâ gratiâ illos deserere, nisi priùs ab illis deseratur? Si non licet dicere voluntatem vtentis libero arbitrio non adigi vlla necessitate, sed habere optionem boni & mali; quomodo quempiam excitabo ad prudentem de negotiis, quæ suscepturus est, deliberationem, & positâ deliberatione, ad eligendum quod melius est? Si non licet dicere talem esse internam Dei gratiam, vt humana voluntas pro suo arbitrio possit ei refragari vel obtemperare; quomodo tuebor infallibilitatem Concilij Tridentini definientis liberum arbitrium dissentire posse Deo mouenti & excitanti? Addo, & quomodo tum ipse compungi potero, tum alios ad compunctionem excitare, quòd Spiritui sancto restiterint? Quis enim gratiæ resistit quæ totum semper suum effectum habuit? Si non licet dicere pro quibus mortuus est Christus; quomodo finem Incarnationis explicabo? Quomodo omnes excitabo ad illius amorem, si non potero dicere amatam ab illo omnium salutem? Quomodo vocabo Saluatorem meum, & aliis vt ita vocent persuadebo, quamdiu nescio verum de salute mea cogitauerit? Quis non videt hac ratione Christianorum scriptis, & sermonibus paræneticis, & maximam & saluberrimam subtrahi materiam, & quota pars sacrorum librorum, & Sanctorum Patrum esset supprimenda, si lex illa silentij promulgaretur? Igitur sopienda quidem est controuersia; sed ita, vt, præmisso diligenti examine, vel vtrique parti fiat libera loquendi potestas, tanquam in re indifferenti; vel ei tantùm quæ errare deprehensa fuerit, silentium imponatur, alteri factâ liberâ loquendi & impugnandi copiâ.

Tertiò: sed est impossibile vt vtrique parti fiat libera potestas loquendi, tanquam in re indifferenti; quia iam Ecclesia oppignerata est, cùm definierit multas ex Iansenianis propositionibus & damnatas & damnabiles esse: ac proinde huius controuersiæ materia non est ampliùs indifferens, & Ecclesia non potest dare liberam facultatem propugnandi quod ipsa damnauit.

Quartò: Cùm Censura iam lata dicat tantùm multas ex Iansenianis propositionibus esse damnatas, quod videtur supponere aliquas esse, aut etiam multas, quæ damnatæ non sunt; iam petitur à Sede Apostolica vt distinguat damnatas à non damnatis, & designentur saltem quinque, de quibus petitur sintne aut non sint damnatæ: & circa quas præcipuè mota est à Iansenistis controuersia. Neque par est Sanctam Sedem in hoc rerum statu nolle respondere id ab ipsa suppliciter inquirentibus: quia hoc idem esset ac propositis in conuiuio multis ferculis denunciare aliqua veneno esse infecta, nec tamen velle dicere petentibus quænam illa sint.

Quintò: Multò minùs expedit denegari responsum à Sede Apostolica, si attendatur quinam sunt illi qui petunt. Est Rex Christianissimus, qui ea de re scripsit, & specialia super eâ re mandata dedit suo in Vrbe Oratori. Est serenissimus Rex Poloniæ, qui quòd in ipsius aula excitarentur hæ contentiones, datis ad Eminentissimum Cardinalem Vrsinum Poloniæ Protectorem litteris idem petiit. Sunt plusquam octoginta Episcopi Galliæ, qui subscripserunt epistolæ ad Summum Pontificem, quâ hoc petitur. Est pars longè maxima Sorbonicorum Doctorum, vt constat ex litteris Syndici Sorbonæ D. Hallier, quæ hoc expectat. An potest Ecclesiæ oraculum ad tot & tales interrogationes esse mutum?

Sextò: Est etiam euidens responsionis necessitas, ex illa diuisione animorum, quam hæc controuersia produxit: quia minimè agitatur, vt aliæ pleræque apud Theologos problematicæ, in quibus mutua contradictio non lædit charitatem: in hac schisma est manifestum. Iansenius enim & Iansenistæ apertè dicunt Pelagianam esse dissidentium doctrinam; hi verò è contrario dicunt, ipsorum potiùs esse erroneam, quòd intelligant esse damnatam. An possunt dissimulare, vel huiusmodi dissidia tolerare illi, ad quos pertinet procurare ac tueri vnitatem fidei; præsertim cùm hâc dissensione scindantur Episcopi, Academiæ, Religiosæ familiæ, Ciuitates & Populi?

Septimò: Quamuis minimè dubia sit suprema Sanctæ Sedis auctoritas in definiendis doctrinæ controuersiis; expedit tamen non prætermitti opportunas occasiones huiusce possessionis confirmandæ. Maximè verò insignis est illa quæ modò sese offert, vbi & Reges, & Episcopi Galliæ, & Sorbona ipsa hoc recursu testantur quanti faciunt Sedem Apostolicam; nec vllo modo expedire videtur omni denegato responso ansam illis præberi cogitandi, atque dicendi huc frustra recurri.

Octauò: De successu, seu de futura animorum submissione cùm lata fuerit sententia, non est dubitandum. Spondet Rex Christianissimus suis in litteris effecturum se vt pareatur: Episcopi qui ad hoc ipsum parati sunt, maiorem longè ac potiorem partem conficiunt Cleri Gallicani: & pauci illi qui dissentiunt, nec tam malo sunt animo, nec tantâ facultate, vt cogitare velint, aut etiam possint, de facienda secessione ab Ecclesia Romana, quin & ex Parlamento ipso Parisiensi scitum est præcipua capita & dixisse, & ad Summum Pontificem referri voluisse, non defuturam obedientiam, si præscribat quid sentiendum sit: Est etiam, vt dixi, longè maior & potior pars Sorbonæ, quæ huiusmodi definitionem auidè expectat; nec quicquam vehementiùs optat, quàm hac auctoritate confirmari ad resistendum Iansenismo.

Hanc esse Thomistarum, & Iesuitarum causam qui dicunt, errant vel ipsis Thomistis iudicibus. Nulla est ex illis quinque propositionibus ad Summum Pontificem missis vt eas speciali Censurâ notare dignetur, quam duo illi Ordines non damnent, & Censurâ dignam iudicent: nulla, cuius oppositum sibi certum esse non profiteantur: nulla denique, quam vtriusque familiæ Theologi, quotquot de his rebus scripserunt, non grauiter insectati

sint. Sed hæc altera fraus Ianseniſtarum eſt, qui conantur hoc artificio Cenſuram Pontificiam euadere, vel eludere; ſuóſque errores pallio Dominicanorum obuoluere, poſtquam malè conſutas D. Auguſtini laſcinias illis detractas eſſe vident. Quod vel ſolùm, vel præcipuè intendit liber Gallicus nuper ab vno ex illis euulgatus, cuius titulus eſt, *De gratia victrice Ieſu Chriſti; ſiue, Molina, eiúſque diſcipuli conuicti erroris Pelagiani, & Semipelagiani, quoad gratiam ſufficientem ſubiectam libero arbitrio; iuxta acta Congregationis de auxiliis. Pro explicatione quinque propoſitionum ambiguarum, & magna ex parte fictarum ad placitum, inſertarúmque epiſtola nuper Romam ad ſummum Pontificem miſſa.* Quo in libro, præter ſplendida quædam mendacia circa prædictæ Congregationis acta, quæ ſe ipſa ſatis produnt, & tum à Reuerendo Patre Petro de ſancto Ioſeph Fulienſi, prima parte Examinis Theologiæ huius temporis de materia gratiæ, pro defenſione Molinæ, tum à Paulo Leonardo Hiberno, tota prima parte libri, quem ſcripſit de ſcientia media, ſatis ſupérque refutata manent ſimplici & fideli narratione eorum quæ in prædicta Congregatione geſta ſunt, ex magis probatis auctoribus, minúſque ſuſpectis acceptâ; præter, inquam, eiuſmodi impoſturas, nihil aliud continet, quod non fuerit ſuis locis in præcedentibus diſputationibus diſcuſſum, & vel ineptæ diſſimulationis circa ſenſum quinque illarum propoſitionum Ianſenij Summo Pontifici oblatarum, vel apertæ falſitatis conuictum, quoad ſenſum verè à Ianſenio intentum, & ex propriis ipſius verbis relatum fideliter, & explicatum. Quare ſuperfluum & inutile foret in eo refutando ampliùs immorari. De prima ex illis quinque propoſitionibus, quæ ſic habet, *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque iis gratia quâ poſſibilia fiant:* videri poſſunt quæ diximus diſput. 25. ſect. 7. & tribus ſequentibus. De ſecunda, quæ ſic affirmat, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur,* egimus tota diſput. 22. ſpeciatimque ſect. 14. De tertia, cuius tenor hic eſt, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione:* vide diſputationem 30. & quinque ſequentes, quibus hunc errorem fuſiùs impugnauimus. De quartâ his verbis expreſsâ, *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare:* vide diſputat. 7. ſect. 7. 8. & 9. & diſputat. 10. ſect. 4. 5. & 6. De quinta & vltima, quæ ſic aſſerit, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe:* abundè diximus diſputat. 26. ſect. 5. & ſequentibus. De iiſdem videri poterunt quæ eruditè & accuratè ſcripſit recentiſſimè Pater Franciſcus Annatus libro Romæ typis mandato hoc ipſo anno 1652. permiſſu ſanctæ & vniuerſalis Romanæ Inquiſitionis. Tantùm addo, eos qui dicunt hîc ſolùm agi cauſam Thomiſtarum & Ieſuitarum, meminiſſe debere Ianſenium eiúſque ſectatores ſæpius affirmâſſe, atque etiamnum quâ priuatis publiciſque ſermonibus, quâ ſcriptis libris in vulgus ſpargere, Ieſuitas illis quinque propoſitionibus, aliiſque nouis eorum dogmatibus aduerſantes, eſſe Pelagianos, aut Semipelagianos, aut vtriſque interdum deteriores. Quod ſi verum eſt; non Thomiſtarum ſolùm & Ieſuitarum cauſa hæc eſſe debet; ſed totius Eccleſiæ contra Ieſuitas, velut hæreſis Pelagij & Semipelagianorum inſtauratores. Quantam ergo iniuriam, & quàm latè patentem inferunt tot Eccleſiæ Præſulibus, tot Academiis, tot Doctoribus grauibúſque Theologis, quando affirmant rem Ieſuitis eſſe cum ſolis Thomiſtis; quaſi ceteri omnes, quorum longè maior eſt numerus, communem cauſam Eccleſiæ deſerant, neque in numero aduerſantium hæreticis, & rectæ fidei defenſorum haberi velint? Vel, vt quod verum eſt enunciem, quàm ſplendidè mentiuntur Ianſeniſtæ, cùm Thomiſtas ſuos eſſe dicunt, ſolóſque Ieſuitas ſibi aduerſari? cùm manifeſtum ſit Ianſenium, velut alterum Iſmaëlem, vnum contra omnes inſurgere, & vniuerſim omnibus Theologis (de quorum numero ſunt Thomiſtæ) bellum indicere: ſæpiúſque affirmare nihil ſibi aliud propoſitum fuiſſe, quàm veterem doctrinam Eccleſiæ, & Diui Auguſtini, iam à quingentis circiter annis partim corruptam per Doctores Scholaſticos, qui ab eo tempore florere cœperunt, partim in alta veluti ſpecu ſepultam, & denſis tenebris obrutam, ſuo nitori & ſplendori reſtituere. Quamuis ſæpius alibi, parum ſibi conſtans, fraudulenter ſimulet ſolos Theologos Societatis ſuis dogmatibus aduerſari, ſolos illos nominatim ſibi opponat, ſolos illos vt Neopelagianos, & Semipelagianos traducat; quorum tamen doctrinam communem eſſe aliorum non ignorat. Sed hoc vtitur artificio, vt lectoribus ſua dogmata faciliùs perſuadeat, veluti communem Theologorum & ipſius Eccleſiæ doctrinam; cui nemo prudens non mallet adhærere potiùs, quàm vnius Ordinis Theologis contrarium ſentientibus. Cùm è contrario, nemo prudens ab illius dogmatibus non ſtatim abhorreret, ſi intelligeret noua eſſe, aut obſoleta, improbatáque & damnata ab omnibus Theologis. Simili artificio vſus eſt Caluinus, vt alibi notauimus, fingens ſibi rem eſſe cum ſolis Theologis, & ſpeciatim cum Sorbonicis; tametſi fidem totius Eccleſiæ impugnaret, ipſámque prætextu reformationis conaretur ſubuertere. Et hæc de propoſita quæſtione dicta ſufficiant.

Vide etiam quæ de illis ſcripſit Annatus poſt diſp. 4. de Scientia media, in ſolutione quæſt. hiſtorice, Theologicæ, &c. Vbi ſimilia mendacia egregiè refutat.

Vide Ianſenium in lib. proœm. præcipuè cap. 29. & 30. & lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 27. & lib. 3. de ſtat. naturæ puræ cap. 22.

Ad eandem diſputationem primam.

AD confirmandum quod in eadem diſp. 1. ſect. 8 nu. 81. diximus de Regularium decretis ſeu ſtatutis, contra Ianſenij doctrinam editis in variis eorum Capitulis generalibus, aut prouincialibus, placet hoc loco quædam ex illis integra, vel in ſummam redacta fideliter referre.

Decretum Capituli Generalis Reuerendd. Patrum Capucinorum Ordinis ſancti Franciſci,

celebrati Romæ die 25. Iunij, anno 1650. aduersus doctrinam Cornelij Iansenij, Iprensis Episcopi, in libro, qui dicitur Augustinus.

Vt reuerentiam & obedientiam Sedi Apostolicæ in omni occurrentia profiteamur, inhærentes Constitutionibus, & Decretis Vrbani VIII. fœlicis recordationis, & SS. Domini Innocentij X. mandamus nostris omnibus, maximè Lectoribus & Concionatoribus, vt doctrinam in libro Iansenij Iprensis Episcopi, cui titulus est *Augustinus*, traditam, à sancta Sede Apostolica damnatam & circumscriptam, tueri ac docere non præsumant. Qui secus fecerint, præter pœnas in ipsis Constitutionibus Apostolicis inflictas, si sint Superiores, officio suo, si Lectores, facultate legendi, si Prædicatores, concionandi potestate priuentur, & aliis pœnis subiaceant arbitrio Superiorum infligendis. Datum Romæ die 25. Iunij 1650.

Fr. Fortunatus Minister Generalis.
Fr. Marcus Antonius, Procurator Generalis.
Fr. Simplicianus à Mediolano, Deffinitor Generalis.
Fr. Carolus Bruxellensis, Deffinitor Generalis.
Fr. Ludouicus à Rosenhaim, Deffinitor Generalis.
Fr. Ioannes à Montecalerio, Deffinitor Generalis.
Fr. Bonauentura Tholosas, Deffinitor Generalis.

Supradictum Decretum ego Fr. Matthias à Saledio, concionator Capucinus, & socius adm. R. P. Procuratoris Generalis, à publicis Archiui nostræ Religionis libris fideliter exemplaui, & cum suo originali attestor in omnibus concordare. De mandato dicti Procuratoris, & in fide me subscripsi, & sigillo Procuratoris muniui.

Locus † sigilli.

Fr. Matthias a Saledio.

Decretum Capituli Generalis RR. PP. Ordinis Sancti Benedicti.

Reverendi quoque Patres Benedictini Congregationis Reformat. Sancti Mauri in Gallia, in Comitiis suis generalibus habitis Vindocini anno 1647. aduersus Cornelij Iansenij perniciosam, damnatámque non semel à Sede Apostolica doctrinam seuerè edixerunt. Nam inter cetera sub grauissimarum pœnarum interminatione sancitum est, vt omnes Theologiæ Professores Congregationis S. Mauri in Gallia, gratiam sufficientem, quæque ei adnexa sunt, imposterùm profiteantur ac doceant; néve ad peregrina dogmata, neglectâ Catholicorum Doctorum regiâ viâ, temerè deflectant, &c.

Ex definitionibus Capituli Generalis Congregationis Fuliensis, in Monasterio S. Bernardi Parisiis habiti anno salutis 1646.

Definitum est, prohiberi quibuslibet Congregationis fratribus docere, prædicare, aut defendere doctrinam nuper introductam Iansenij, & aliorum huiusmodi, quæ turbarum ac rixarum occasio esse potest. *Idem & iisdem verbis statutum fuit in Capitulo generali eiusdem Congregationis celebrato in Monasterio Cellensi, anno 1649. Insuperque* Decretum est, quòd Procurator generalis quamprimùm Romam accesserit, Bullas Vrbani VIII. & Innocentij X. contra Iansenium editas, mittet ad omnia Congregationis Monasteria, vt in iis publicentur, & ab omnibus obseruentur.

Decretum RR. PP. Minimorum in Capitulo Prouinciali, anno 1650.

Vt periculosa doctrinæ nouitas, quæ in dies magis magísque grassari videtur apud multos, in scandalum saltem, si non in perniciem Ecclesiæ, efficaciter apud nos præscindatur, decreuerunt Patres pœnam priuationis ab officio, Prædicationis scilicet & Lectionis, in eos qui legitimè conuicti fuerint docuisse ea, quæ vocant Iansenij dogmata, per Bullas Pontificias iam damnata, vel in scholis apud nos, vel è suggestu apud populum, vel in priuatis colloquiis spiritualibus, vt sæpè fit, cum sæcularibus & Monialibus, &c.

Decretum Capituli Prouincialis RR. PP. Carmelitarum discalceatorum celebrati die 24. Aprilis anno 1646. in Conuentu S. Mariæ de monte Carmelo, seu Carentonensi, & alterius Capituli Prouincialis ibidem celebrati die 23. Aprilis anno 1649. in quo confirmatum est sequens Decretum in hæc verba.

Propositum fuit vtrum confirmanda sit noua ordinatio Capituli Prouincialis præteriti, in qua quæritur, vtrum prohibendum sit Religiosis nostris, tam Superioribus, quàm subditis, ne doctrinam Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, & similium magnas in Ecclesia turbas excitantem, verbi gratiâ, quòd Christus pro omnibus non sit mortuus; quòd omnes actiones infidelium sint peccata; quòd Deus nolit omnes saluos fieri, & alia huiusmodi sustineant, doceant, aut approbent: Si verò Lectores, Concionatores, aut Confessarij è nostris, contrà faciant, amoueantur ab officiis suis; alij verò puniantur arbitrio Deffinitorij Prouincialis. Responsum est affirmatiuè cum triginta duobus ex triginta tribus suffragiis.

Appendix ad paginam 173.

Disp. 11. Sect. 5. num. 76. post illa verba, Dedit & alia duo Breuia idem Pontifex, eiusdem fermè tenoris, ad Franciscum de Mello Belgij Gubernatorem, & ad Archiepiscopum Cameracensem. *Adde*, quorum primum sic habet:

Dilecto filio nobili viro Francisco de Mello Belgij Gubernatori.

Assidve conatur, &c. Cùm in prænarrato libro multas propositiones à prædecessoribus nostris damnatas contineri ac defendi compertum fuerit, eorundem Pontificum Con-

stitutiones peculiari diplomate confirmauimus, ipsúmque Iansenij librum, ac reliqua opera nostris inserta litteris reprobauimus anno I.D. M. DC. XLI. pridie Nonas Martij. Quæ fanè nostra constitutio die 19. Iunij anno M. DC. XLIII. affixa in vrbe ac publicata fuit. Etenim nos Iansenij existimationi prospicientes eiusmodi publicatione per id temporis spatium supersederi mandauimus, eâ spe freti, vt Ianseniani Apostolicis Decretis, quæ antè vulgata fuerant, tandem acquiescerent. Nunc quorundam contumaciam eò processisse non sine ingenti animi ægritudine audiuimus, vt prædictam constitutionem falsitatis insimulare iniquissimè audeant, &c. Nunc igitur Apostolicas ipsas litteras executioni demandari plurimùm optantes, à nobilitate tua maiorem in modum petimus, operam sedulò adhibeas, vt constitutioni nostræ, ea, quâ par est, obedientiâ pleniùs deferatur, atque aduersus illos, qui Pontificia iussa detrectarint, strenuè Apostolicæ auctoritatis propugnatorem te præbeas. Romæ 24. Oct. M. DC. XLIII.

Appendix ad pag. 176.

IN eadem disputatione 11. num. 85. mentionem fecimus Edicti Regis Catholici, quo aditum ad Episcopatum interdixit omnibus labe Iansenianâ infectis, aut de illa suspectis, nisi priùs in manibus Nuncij Apostolici eius doctrinam abiurauerint. Placet hoc loco alterum solenne illius Edictum referre, datum vltimo Februarij anni 1651. quo Belgicas suas ditiones, vnde hæc labes emanauit, ab ea purgare satagit; & illâ infectos ad sanam mentem redire, atque obedientiam Sedi Apostolicæ debitam præstare iubet, pœnâ mulctæ pecuniariæ, & exilij contra rebelles statutâ. Tenor illius hic est:

PHILIPPVS Dei gratiâ Rex Castellæ, &c. Omnibus litteras præsentes inspecturis, salutem. Cùm Bulla Vrbani VIII. data 8. Martij 1641. & publicata Romæ 19. Iunij 1643. quâ prohibentur aliquæ sententiæ, & opiniones Theologorum, speciatímque libri, cuius titulus est, *Augustinus Cornelij Iansenij*, &c. iampridem huc missa fuisset vt promulgaretur, omnibúsque innotesceret: quod hucusque non fuit vniformiter obseruatum in omnibus diœcesibus, propterea quòd Theologi nostræ Vniuersitatis Louaniensis, aut saltem plerique illorum huic promulgationi sese opposuissent, varias causas prætexentes, tempúsque & moram postulantes, vt suas rationes possent eidem Summo Pontifici Vrbano VIII. proponere. Quod cùm fecissent, & Deputati nomine Vniuersitatis diu multúmque tum verbo, tum scriptis eas proposuissent in Congregatione Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, Summus Pontifex auditâ relatione, iterum statuisset decreto edito die 16. Iunij 1644. vt Bulla supradicta plenum, & integrum sortiretur effectum. Cui sententiæ minùs acquiescentes præfati Doctores nos adiissent per Deputatos ad curiam nostram Madritum missos: vbi rursus audita fuissent quæcunque illis placuit proponere, & allegare: nullâque repertâ causâ legitimâ impediendi, aut protrahendi vlterius promulgationem, & executionem Bullæ supradictæ, misissemus ad charissimum consobrinum nostrum Leopoldum Archiducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Gubernatorem Belgij, &c. quid super hoc negotio fieri vellemus. Cùm denique, tum sub idem tempus qui nunc Sedem Apostolicam tenet Innocentius X. eiúsque prædecessor Vrbanus VIII. continuò apud nos, & prædictum Archiducem Leopoldum, tum per litteras, & Breuia Apostolica, tum per suos Nuncios in hac nostra vrbe Madriti, nostráque vrbe Bruxellæ residentes institerint vt Regiam potestatem nostram interponeremus, quo prædicta Bulla executioni mandaretur, quantum ad nos spectat, & prout semper à nostris prædecessoribus factum est velut Ecclesiæ Defensoribus, & fidei Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ, in omnibus regnis, & ditionibus nobis subiectis. Idcirco postulationi Summi Pontificis satisfacere volentes, & vestigiis prædecessorum nostrorum insistere, Regiâque auctoritate nostrâ prouidere incommodis, tumultibus, rixis, aliísque malis, quæ ex Bullæ promulgatione oriri possent iniunctâ Archiepiscopis, & Episcopis; mandato ad omnes iustitiæ administros priùs misso vt auctoritati Ecclesiasticæ opem suam ac robur adiungerent; & auditis super ea re Consiliariis nostris, aliísque præcipuis Archiducis Leopoldi ministris, necnon plurimis Episcopis in eum finem conuocatis; innouauimus, & per præsentes innouamus, respectu quorumcunque, cuiuscunque sint status, dignitatis, & qualitatis, prohibitiones easdem cum illis quæ in Bullis continentur. Et vt exactior sit mandati nostri executio, iniunximus, & iniungimus omnibus Edicti nostri transgressoribus mulctam quingentorum Florenorum pro prima vice, & pro secunda vice pœnam exilij in sexennium ex omnibus ditionibus nostris. Quòd si inter transgredientes reperiantur aliqui Regulares; mulctam illam pecuniariam soluet Superior, qui transgressioni consenserit, aut eam tolerauerit. Si autem sunt de Ordine Mendicantium nihil in commune possidentium, imponetur tum illis, tum etiam Superiori qui permiserit, pro ipsa prima vice, pœna supradicta exilij, &c. Datum Bruxellæ, vltimo Februarij, anno Christi 1651. & nostri regni 30.

Appendix ad paginam 184.

DISPVT. 12. Sect. 4. num. 26. in fine, post illa verba, ab Illustrissimo Episcopo Lexouiensi Philippo Cospeano de Iansenio prolata, *Non est Augustinus, sed pestilentissimus Augustini corruptor:* adde quæ sequuntur.

Simile iudicium de illo tulit Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus D. Lescot Episcopus Carnotensis, antea regius Theologiæ Professor celeberrimus in Collegio Sorbonæ. Qui cùm certior factus fuisset exeunte mense Nouembri anni proximè præteriti 1651. vnam ex vrbibus suæ diœcesis nomine Meduntam, vulgò (*Mante*) Iansenianis dogmatibus infici, magnáque ex parte infectam iam esse per Curionem eiusdem vrbis: ad illam confestim se contulit, vocatúmque ad se Curionem & grauiter increpuit, & iussit vt publicè pro con-

cione retractaret quæ malè docuerat. Cui concioni interesse ipse voluit: & post concionem Iansenistas eius discipulos eadem dogmata palam omnibus in eadem Ecclesia retractare compulit. Cúmque post concionem, & retractationem, idem Curio, & alij Iansenistæ supradicti ad eius domum conuenissent; clarâ & elatâ voce coram illis omnibus pronunciauit, *doctrinam Iansenij non minùs, imò magis perniciosam esse, quàm doctrinam Caluini.*

Appendix ad paginam 313.

DISP. 19. Sect. 7. num. 54. in fine, post illa verba, Ergo & antecedens, ex quo sequitur, absurdum est: *adde*, Præcedentibus addi potest quod ipsemet Baius, retractans suas propositiones damnatas, atque vt par erat, & Christiano Theologo necesse erat, iudicio Summi Pontificis, sententiæque contra se latæ acquiescens, professus est se plurimas ex iisdem in suis libellis defendisse in eo sensu, in quo reprobatæ fuerunt ab Apostolica Sede per Pium V. & Gregorium XIII. Hæc enim fuit illius retractatio:

EGO MICHAEL DE BAII, Cancellarius Vniuersitatis Louaniensis, agnosco & profiteor me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum R.P. D. Francisco Toleto concionatore suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diuersis sententiis, & propositionibus iam olim à S. D. N. Pio V. fœlicis recordationis, sub data Kal. Octob. anno 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice maximo sub data 4. Kal. Feb. annò 1579. iteratò damnatis & prohibitis, ita motum, & eò perductum esse, vt planè mihi habeam persuasum earum omnium sententiarum damnationem, atque prohibitionem iure, meritóque, ac non nisi maturo iudicio, & diligentissima excussione præmissis factam, atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis, & in lucem editis contineri & defendi etiam eo sensu in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neque posthac illas docere, asserere, aut defendere velle. Datum Louanij die 24. Martij anno 1580.

MICHAEL DE BAII.

Appendix ad paginam 362.

DISPVT. 22. Sect. 9. num. 86. in fine, post illa verba, vt euidenter conuincit Ricardus loco suprà citato: *Adde*, Nimirum quia Tridentinum ibi loquitur de auxilio dato iustis vt perseuerent, & cum quo possunt perseuerare si velint; debéntque in illo spem firmissimam perseuerandi reponere, quia Deus illis non deerit, & reipsa perseuerabunt, nisi ipsi illius gratiæ defuerint. Illud autem Dei auxilium est gratia actualis, quâ iuuantur ad perseuerandum, & contra labendi occasiones muniuntur. Item Concilium rationem reddens cur debeant iusti spem firmissimam perseuerandi reponere in tali auxilio, addit: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Gratia autem illa, quâ Deus operatur in iustis velle & perficere, est gratia operans, & cooperans; id est, mouens, excitans, & concurrens ad volendum & perficiendum: non est igitur gratia habitualis, vt vult Iansenius, sed actualis. Estque notandum Augustinum sæpius, & Arausicanum can. 4. & 5. vti eodem Pauli testimonio ex Philip. 2. ad probandam necessitatem gratiæ actualis ad bene volendum & agendum. Tertiò, inepta esset (quod absit) Tridentini ratiocinatio, quâ iustos vult inducere ad bene sperandum de sua perseuerantia; quia scilicet auxilium ad perseuerandum non deerit, sed Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, perficiet opus bonum quod cœpit. Nam si loqueretur de gratia habituali, vt vult Iansenius, sensúsque esset qualem ipse exprimit his verbis, *In Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere debes: nam Deus non discedet ab anima tua tanquam vita eius, nisi ipsa peccando à Deo discesserit:* perinde faceret Concilium, ac qui ægroto mori timenti, & de vita penè desperanti sic diceret: Firmissimam spem habere debes te non moriturum, sed valetudinem recuperaturum: nam vita non te priùs deseret, animáque tua non antè discedet à corpore, quàm morbus lethalis illam expulerit. Quæ sanè ratio impertinens esset ad spem vitæ excitandam. Meritò enim responderet ægrotus, id quidem sibi notum esse, sed ad spem erigendam esse prorsus inutile: quia non potest bene de vita sperare, nisi ostendatur adfuturum remedium, quo possit morbi vim superare, & mortem euadere, si illo vti velit. Similitérque impertinens est dicere iusto: Firmissimam spem concipere debes de tua perseuerantia: quia Deus non recedet ab anima tua tanquam vita eius, nisi ipsa peccando lethaliter à Deo discesserit. Meritò enim responderet, id quidem esse manifestum, gratiam non recedere ab anima, nisi peccato mortali expellatur: sed hoc nihil facere ad spem firmam perseuerantiæ gignendam, nisi certum sit non defore auxilium, quo peccatum mortale vitetur, & gratia conseruetur in anima, si illo vti velit.

Appendix ad paginam 406.

DISPVTAT. 24. Sect. 3. num. 25. in fine post illa verba, vt possit desistere si velit: *Adde*,

Nihilo meliora sunt quæ respondet Vincentius Lenis lib. 2. Theriacæ cap. 2. sect. 3. & sequentibus, vt eludat argumentum superiùs propositum de seruo currere iusso, postquam suâ culpâ fractis cruribus currendi potestatem amisit.

Ait inprimis comparationem illam hominis qui de culmine lapsus crura & pedes sibi confregit, cum eo qui de Paradisi fœlicitate deciduus, per ignorantiæ & concupiscentiæ vulnera, vtroque quodammodo crure se mutilauit, esse S. Augustini lib. de perfectione iustitiæ cap. 3. Alióque simili exemplo vti Gregorium Magnum lib. 9. Moralium cap. 33. circa illa verba Iob cap. 10. *Propter superbiam quasi leænam capies me.* Ait enim naturam humanam in primo

parente, quasi leænam, in foueam altam sponte ad escæ appetitum desiliisse, vnde postea resiliendo nullo modo possit euadere.

Sed hæc nihil aduersarium iuuant, & vim argumenti nulla ex parte infringunt. Neque enim dicunt Augustinus & Gregorius hominem cruribus fractis per peccatum, & in altam foueam præcipitatum, iuberi rectà ambulare, & ex fouea emergere; Deúmque id iubentem destituere illum auxiliis gratiæ, quibus sanatus, & adiutus possit vtrumque præstare: & nihilominus eum punire veluti culpæ reum, quia non rectà ambulat, vel non emergit destitutus auxilio, sine quo neutrum præstare potest. Quin potiùs Augustinus loco citato perspicuè affirmat non debere (adeóque non teneri ex præcepto) rectà ambulare, nisi quia potest adiutus gratia medicinali, quam scilicet paratam habet. Verba illius hæc sunt: *Cùm videmus claudum qui sanari potest, rectè vtique dicimus, debet iste homo esse sine claudicatione: & si debet, potest: nec tamen cùm vult continuò potest*, (id est, non id potest solis voluntatis suæ, seu naturæ viribus) *sed cùm fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuuerit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum attinet tanquam ad eius claudicationem, per eius gratiam, qui venit non vocare iustos, sed peccatores: quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Quod ampliùs confirmat, clariúsque exponit immediatè pòst, respondens huic interrogationi Cælestij: *Iterum quærendum est, vtrum præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, & præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?* Cui interrogationi respondet Augustinus: *Consultissimè homini præcipi vt rectis passibus ambulet: vt cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum.* Frustra autem requireret, & inutiliter per præceptum vrgeretur ad requirendum, nisi Deus exhibere paratus esset. Itaque iuxta doctrinam D. Augustini non peccat homo claudicans, neque tenetur præcepto rectà incedendi, nisi quia paratam habet medicinam quâ sanari potest. Quod clariùs idem affirmat lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. vbi conquerentibus de non peccandi impotentia, per ignorantiam, & concupiscentiam, inducta ex peccato Adami, dicentibúsque, *Si Adam & Eua peccauerunt, quid nos miseri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis* (id est concupiscentiæ) *cruciatibus nasceremur, & primò erraremus nescientes quid nobis esset faciendum; deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iustitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate non valeremus?* illis inquam respondet Augustinus, *vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desinant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò vbique sit præsens, qui per creaturam sibi Domino seruientem auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt.* Quibus verbis clarissimè docet auxilium gratiæ non deesse ad medendum claudicationi, seu vulneri ignorantiæ & concupiscentiæ, emergendíque ex fouea, in quam peccatum hominem præcipitauit: sed ipsum propriè & culpabiliter in eo peccare, quòd Dei gratiam non imploret, & volentem iuuare contemnat, atque idcirco iustæ pœnæ reatum incurrat.

Gregorius verò loco citato duo tantùm asserit. Vnum est; Adamum ad esum cibi vetiti inhiantem cecidisse in foueam peccati, vnde per se emergere nequit, sed per Dei gratiam ita eruitur, & in liberas auras educitur; vt tamen Dei legibus constrictus, & veluti caueâ conclusus teneatur, ne liberè vagetur quò volet, corruptæque naturæ motus prauos sequatur. Alterum est: alios quoque homines instar leænę capi per vitium elationis, & in foueam cadere. *Dum enim*, inquit, *per culpam aliquid appetunt, quid aliud, quàm prædam in fouea concupiscunt? Sua sponte inhiantes cadunt, sed suis surgere viribus non valent. Qui cùm se ex se nihil esse considerant, discunt proculdubio cuius adiutorium requirant. Quos tamen superna miseratio captos quasi à fouea euehit: quia hos infirmitate cognitâ ad veniam reducit.* Hæc Gregorius: quæ longissimè absunt ab eo quod intendit aduersarius, homines scilicet peccare culpabiliter, & æternis suppliciis iustè à Deo puniri, quia non faciunt sine auxilio gratiæ, id quod sine illo non magis facere possunt, quàm currere fractis cruribus, vel ex profunda fouea emergere sine instrumentis ad hoc necessariis. Hoc enim Gregorius nullo modo asserit, sed è contrario significat non deesse gratiam emergendi miseratione diuina; alibíque disertè affirmat generaliter de peccatoribus, idcirco nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipere, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. lib. 33. Moral. cap. 20.

Ait secundò Vincentius, Deum reiicere illam excusationem de impotentia non peccandi ortâ ex peccato Adæ: vt affirmat August. epist. 105. ad Sixtum post medium, vbi sic ait: *Quamuis se ipsi* (peccatores) *excusare videantur, non admittit hanc excusationem qui scit se fecisse hominem rectum, eique obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi eius, quo malè vsus est libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros manasse peccatum. Neque enim damnantur qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertransiit, in quo, ante propria in singulis quibusque peccata, omnes communiter peccauerunt. At per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio.*

Sed non est ille sensus D. Augustini, quem prætendit aduersarius: nimirum iniustam esse excusationem eorum, qui peccant ex impotentia non peccandi, ortâ ex ignorantia per peccatum primi parentis inuectâ. Cùm enim S. Do-

ctor ibi loquatur de iis qui non credunt Euangelio quia non audierunt: non potest aduersarius affirmare, & tribuere Augustino, quòd talis ignorantia, si est inuincibilis, non excuset à peccato, nisi velit apertè contradicere Iansenio, cuius se discipulum, & defensorem profitetur: quippe qui disertè sæpius affirmat lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2. & quatuor seqq. ignorantiam inuincibilem, quæ est iuris positiui excusare à peccato: ignorantia autem Euangelij est ignorantia iuris positiui, nempe iuris à Christo lati, de quo ait Apost.. Roman. 10. ver. 14. *Quomodo audient sine prædicante?* &c. Sed sensus Augustini est, quòd ignorantia non excusat id genus homines à iusta damnatione: quia vel intelligere noluerunt; & hæc ignorantia sine dubio peccatum est, quia vel affectata, vel ex culpabili negligentiâ non satis euitata: vel si intelligere non potuerunt, adeóque laborarunt ignorantia inuincibili, nihilominus iustè damnantur vel propter peccatum originale, quod in Adamo commiserunt, vel etiam propter actualia, & cuiusque propria, siue personalia, quæ peccato originali addiderunt, quæque admiserunt contra ius naturale scienter & liberè, non autem ex mera impotentia, & inuincibili ignorantia: quòd Augustinus ibidem non affirmat, & alibi expresse negat: vt videre est lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. vbi sic ait: *Hoc breuissimum tene: Quæcunque ista causa est voluntatis* (id est volitionis) *si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia est, vt caueri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: caueri igitur potest.* Et inferiùs cap. 19. loquens de ignorantia orta ex peccato Adæ, adeóque de ignorantia iuris naturalis, iuxta Iansenium lib. citato cap. 5. *Non tibi deputatur ad culpam*, inquit, *quòd inuitus ignoras: sed quòd negligis quærere quod ignoras.* Et lib. de natura & gratia cap. 67. idem repetit & confirmat, addens auxilium gratiæ necessarium esse vt sciamus quæ agenda sunt, & peccatum cauere possimus; nullámque sibi fore quæstionem cum Pelagianis, si fateantur naturam humanam sibi ad hoc non sufficere, sed gratiam Christi necessariam esse, & ad hunc finem implorandam.

Tertiò, vt eludat quod diximus sequi ex Iansenij doctrina, Deum non verè, & sincerè remisisse peccatum originale in baptismo, si verum est quod ille ait, Deum punire baptizatos propter peccata quæ post baptismum committunt necessariò, & cum impotentia non peccandi contractâ ex peccato originali, quæque non sunt aliter nobis libera, & imputabilia, nisi quia quodammodo continuantur cum peccato liberè admisso ab Adamo, *in quo omnes peccauerunt.* Quo posito sequitur totam eorum imputabilitatem, & malitiam formalem consistere in illo primo peccato, ex quo cætera necessariò sequuntur: adeóque illo remisso, non posse alia iustè imputari ad pœnam. Quemadmodum si seruus contra præceptum domini scalam ascendisset, & culpâ suâ decidens crura sibi fregisset, & hanc culpam ei dominus postea condonasset; non posset iustè eum punire quòd iam non curràt; crudelitérque barbarus, aut insanus haberetur, si pœnam mortis ei minaretur, nisi curreret, & non currenti mortem inferret. Vt hoc, inquam eludat Vincentius, respondet sect. 5. cap. suprà citati; *Deum peccatum originis semel condonatum non punire ampliùs, nec illius recordari ad propriam pœnam: recordari tamen ad status, quem sibi illo peccato fecit, continuationem, & ad peccatorum, quæ in illo statu committuntur, imputationem.*

At hoc ipsum est quod quæritur, quomodo possit Deus iustè recordari peccati originalis ad imputationem aliorum peccatorum, quorum imputabilitas tota petitur à peccato originali, & à morali participatione peccati liberè ab Adamo commissi: vnde consequens est vt remisso peccato originali, non subsistat imputabilitas aliorum postea necessariò commissorum: sicut tota imputabilitas serui illius non currentis fractis cruribus, tota petitur ex eo quòd suâ culpâ decidit, & crura sibi frangendo impotem se currendi fecit: quam culpam si herus verè ac sincerè condonauerit, non potest illi ad culpam, & ad pœnam imputare quòd iam non currat: & sensum communem prorsus exuisse oportet eum qui diceret, herum iustè illum punire grauiter eo quòd non currat, postquam illi sincerè condonauit culpam, quâ impotens currendi factus est. Illudit ergo Vincentius Lectorum simplicitati, & propositam difficultatem planè insolutam relinquit.

Ait quartò, nodum propositæ difficultatis æquè nobis, & omnibus sanæ mentis Theologis soluendum esse. *Fateri enim eos oportet non omnibus omnino momentis quibus obdurati agere debent, spiritum gratiæ illis inspirari.*

Sed quàm sit à veritate alienum quod affirmat Vincentius, patet ex dictis disput. 25. Sect. 1. vbi ostendimus communissimam esse sententiam Theologorum, nunquam peccare culpabiliter hominem, etiã obduratum, sine auxilio gratiæ sufficiente ad non peccandum: & quoties obdurati agere debent, peccántque imputabiliter si non agunt, non deesse potentiam agendi, & auxilium quo præceptum implere possint, si velint gratiâ sibi oblatâ vti. Ita etiam communissimè docere Theologos testantur Ysambertus in tractatu de Gratia ad quæst. 111. disput. 4. art. 6. & plures alij. Eadémque est doctrina Concilij Tridentini sess. 6. cap. 11. generaliter sic affirmantis: *Deus impossibilia non iubet; sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.* Et D. Augustini, lib. de duab. animab. cap. 12. generaliter quoque affirmantis *peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis esse, & insaniæ.*

Dixi autem, *quoties obdurati agere debent, peccántque imputabiliter si non agunt*; quia si aliquando carent gratiâ necessariâ vt possint agere, non tenentur pro tunc ad agendum, neque peccant imputabiliter non agendo: vt affirmat idem S. Doctor in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Romanos, vbi de ipso Pharaone sic ait propositione 62. *Non ergo hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor*

obduraretur priori infidelitate: & ita scilicet obduraretur, vt negaretur ei gratia, quâ posset obtemperare: quod Pharaoni, & aliis obduratis aliquando contingere affirmant nonnulli è Theologis, vt diximus disp. 25. sect. 2. num. 21. & sect. 10. num. 1. & seqq.

Recolendum verò est id quod fusiùs exposuimus dispur. cit. sect. 1. num. 1. dupliciter adesse posse gratiam sufficientem, quando agendum est quod agere iubemur: vel proximè scilicet, quando reipsâ datur potestas completè sufficiens, & quanta necessaria est ad præceptum implendum: vel remotè, quando licèt illa quæ datur non sufficiat sola; si tamen illâ bene vtamur, dabitur alia, quæ completè sufficiat: ita vt ista sit eatenus in nostra potestate; atque ita per nos stet, si præceptum non exequamur. Alterutro modo intelligendum est commune illud axioma Theologorum, Non deesse gratiam sufficientem peccatori, etiam obdurato, quoties tenetur aliquid agere, & peccat non agendo. Vt enim rectè ait ex suâ & communi aliorum Theologorum sententia Ioannes Wigers celebris Doctor Louaniensis: 1. 2. quæst. cx 1. art. 3. num. 8. *Deus paratum se exhibet ad auxiliandum homini, & aliquod auxilium præstat, quotiescunque alicuius præcepti obligatio ei occurrit, sic vt in hominis sit potestate, quamuis non semper proximè, tamen mediatè, siue remotè, eius transgressionem, quæ mortalis esset, vitare. Dico, quamuis non proximè, saltem remotè: quia hoc omnino fateri oportet, hominem non semper actu instructum esse tantis viribus, vt per eas solas, non accedentibus nouis, possit implere quæcunque præcepta occurrentia, & quasuis superare tentationes & difficultates: sed dicimus quòd saltem aliquid auxilij, vel diuinæ assistentiæ adsit, vt remotè saltem possit, quatenus scilicet per illud potest ad Deum tanquam auxiliatorem in tempore opportuno cum precibus & gemitibus confugere, & eius adiutorium implorare.* Ad quod confirmandum adducit inter alia quod ait S. Leo serm. 16. de passione, *Iustè instat præcepto, qui præcurrit auxilio*: & nimirum non iustè instaret, si non præberet auxilium. Eodémque pertinet quod ait Augustin. lib. de Gratia & libero arbit. cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non iuberet Deus quod sciret ab homine non posse fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua, quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et paulò pòst, *Certum est*, inquit, *nos mandata seruare si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit vt volendo faciamus.* Et cap. sequenti. *Qui ergo vult facere mandatum, & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam, & inualidam; poterit autem, cùm magnam habuerit, & robustam.* Et post pauca; *Et quis istam*, ait, *etsi paruam, dare cœperat caritatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?*

Eòdem quoque spectat quod ait lib. de Natura & gratia cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et cap. 69. eiusdem libri: *Eo ipso quòd firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non posse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Quibus omnibus locis, plurimísque aliis similibus, distinguit Augustinus duplicem gratiam; vnam velut inchoatam, & minùs perfectam, quam alibi vocat gratiam orandi, & gratiam fidei, quæ orando impetrat quod lex iubet: alteram maiorem & perfectiorem, quâ possumus implere quod volumus, & pro qua impetranda orauimus; similitérque duplicem voluntatem duplici gratiâ conceptam: vnam inchoatam, & adhuc imperfectam, quâ facere volumus, alteram prouectam, & robustiorem, quâ quod volumus, possumus. Prior gratia nunquam deest, quotiescunque instat obligatio præcepti, cuius transgressio culpabilis sit: neque posterior, si priori bene vtamur. Alioqui verum non est quod dicit Augustinus verbis suprà relatis ex libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. & lib. de natura & gratia cap. 43. Deum non iubere impossibilia, & quæ scit non posse ab homine fieri: & quod ait lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 17. *Cùm voluntate humana, gratiâ adiuuante diuinâ, sine peccato in hac vita possit homo esse; cur non sit, possem facillimè, ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* Enimuerò neque facillima, neque veracissima esset ista responsio, sed euidenter falsa, si non possent non peccare, destituti gratiâ ad peccatum vitandum necessariâ. Possunt igitur, si velint: & paratam habent gratiam vt velint, & possint.

Contra hæc nihil faciunt quæ in confirmationem quarti illius argumenti addit Vincentius, de cæcitate, siue ignorantia, & de duritie voluntatis: falsò supponens Saulum blasphemantem in Christum, & persequentem Ecclesiam, laborasse ignorantiâ inuincibili: & induratos, quando peccant culpabiliter, carere omni prorsus auxilio gratiæ ad non peccandum sufficiente ac necessario. Quæ duo falsa esse demonstrauimus, primum quidem, disput. 16. sect. 2. num. 10. secundum verò, disput. 25. sect. 1. & 2.

Ait quintò & vltimò Vincentius, D. Thomam 2. 2. quæst. 2. art. 5. docere, *Quibusdam gratiam non dari in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis.* Et quæst. 16. de potentia art. 5. affirmare, *Diabolum teneri conuerti ad Deum, quamuis hoc ei sit impossibile secundùm præsentem statum; quia in hunc statum ex voluntaria causa deuenit.* Ergo ex sententia D. Thomæ, Deus non est iniustus, si præcipiat quæ fieri non possunt in aliquo statu voluntariè incurso, qualis est iste naturæ lapsæ; neque est crudelis, si puniat, quia non fiunt.

Ad primum locum D. Thomæ respondeo, ibi sermonem esse de gratia sufficiente ad credendum explicitè mysteria fidei: vt patet ex titulo articuli, qui sic habet: *Vtrùm homo teneatur ad credendum aliquid explicitè*: & ex primo illius argumento, pro parte negante, quod est huiusmodi: *Nullus tenetur ad id, quod non est in eius potestate. Sed credere aliquid explicitè non est in hominis potestate. Dicitur enim Roman. 10. Quomodo credent in illum, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? Ergo credere aliquid explicitè homo non tenetur.* Cui argu-

mento respondet hunc in modum : *Dicendum quòd si in hominis potestate esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante : sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ : quod quidem auxilium quibuscunque diuinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati; vt August. dicit in lib. de Correptione & gratia.* Loquitur, inquam, D. Thomas de gratia speciali, & proximè præparante, seu completè sufficiente ad credendum, quam dicit quibusdam misericorditer dari, & quibusdam iustè negari in pœnam præcedentis peccati. Sed non dicit negari illis gratiam generalem, & remotè, & incompletè sufficientem, id est, aliquam aliam gratiam, quâ si rectè vtantur obtinebunt auxilium proximè, & completè sufficiens, iuxta ea quæ paulò antè diximus, & iuxta manifestam eiusdem S. Thomæ doctrinam lib. 3. contra Gentes, cap. 159. *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur 1. Timoth. 2.* Et lect. 3. in caput 12. epistolæ ad Romanos : *Si qui eorum, ad quos fama Apostolicæ prædicationis non peruenit, fecissent quod in se est* (cum gratia illa generali) *Dominus eis secundùm suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, Actorum 10. & Paulum Macedonibus, vt habetur Actorum 16.* Similia dicit quæst. 14. de veritate art. 9. cuius titulus est idem qui suprà, *Vtrum sit necessarium aliquid explicitè credere?* Et in 4. distinct. 20. q. 1. art. 1. & in caput 6. Ioan. lect. 5. q. 3. & lect. 3. in caput 12. epist. ad Heb. aliisque locis.

Ad posteriorem locum D. Thomæ, malè citatum à Vincentio ex *quæst. 16. de potentia* art. 5. pro, *quæstione 16. de malo art. 5. ad* XI. Respondeo D. Thomam non ibi affirmare absolutè, Diabolum teneri conuerti ad Deum : quæ assertio significare videretur Diabolum peccare de nouo in eo ipso quòd non conuertitur, tametsi non potest conuerti destitutus gratiâ ad hoc necessariâ : sed tantùm dicere, quòd, *Sicut ebrius tenetur non peccare, non quidem considerato præsenti statu : sed consideratâ ebrietatis voluntariâ causâ, secundùm quam imputatur ei aliquid ad culpam : ita etiam potest intelligi quòd Diabolus tenetur conuerti ad Deum : quamuis hoc ei sit impossibile secundùm præsentem statum; quia in hunc statum ex voluntaria causa deuenit.* Quorum verborum sensus est, quòd sicut ebrius non sic tenetur in statu ebrietatis non peccare, putà non blasphemare, vt tunc blasphemando nouum peccatum culpabile admittat; sed tota culpa in eo fuit, quòd scienter, & liberè se inebriauit, & in periculum blasphemandi se coniecit, ex quo postea secuta est blasphemia: ita diabolus non sic tenetur ad Deum conuerti, quasi peccet imputabiliter non se conuertendo; sed tota culpa, & imputabilitas in eo sita est, quòd liberè peccando se in statum damnationis liberè deiecit, in quo carebit in æternum auxilio ad salutarem conuersionem necessario. Porro quòd commissa in ebrietate non sint per se imputabilia, sed propter ebrietatem culpabilem, docet expresè idem S. Thomas 2. 2. q. 15. art. 4. post S. Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 44. cuius verba sunt : *Loth culpandus est. Non quantùm incestus*, (in ebrietate commissus) *sed quantùm ebrietas meretur.* Quare Vincentium non iuuat locus D. Thomæ suprà obiectus, ad probandum quod intendit, peccata scilicet necessariò commissa (vt ipse docet cum Iansenio) in hoc statu naturæ lapsæ, propter morbum ignorantiæ & concupiscentiæ ex peccato Adæ contractum imputari ad nouam culpam, æternisque suppliciis iustè à Deo puniri, licèt gratia defuerit, sine qua vitari non poterant : imputari, inquam, etiam illis quibus culpa peccati originalis fuit per baptismum condonata. Et hactenus de Vincentij effugiis.

Appendix ad paginam 412. num. 44. in fine.

NON omittam hoc postremo loco notare, vanum esse quod dicunt Apologistæ Iansenij: Tametsi gratia sufficiens daretur aliquibus Iudæorum, illis scilicet omnibus, qui ad fidem, vel ad iustitiam perueniebant : nihilominus verum esse generaliter, gratiam non fuisse datam existentibus sub veteri Testamento, seu lege Mosaïca; quia hoc ipso quòd gratia illis dabatur, pertinebant ad nouum Testamentum. Vanum, inquam, illud est: Primò, quia licèt aliquatenus pertinerent ad nouum Testamentum, tanquam participes gratiæ per Christum illius auctorem promeritæ, & collatæ : non propterea desinebant esse membra Ecclesiæ Iudaïcæ, & pars aliqua Synagogæ, illiúsque populi, cum quo Deus Testamentum vetus sanxerat, ac denique obligari seruare illius præcepta, ceremonias, & iudicia : quod est, verè, & propriè loquendo, sub veteri Testamento extitisse. Sanè si aliqui de Christianis carent aliquo tempore omni gratiâ (vt nonnulli putant contingere obduratis) non propterea desinunt esse sub nouo Testamento, id est, sub lege gratiæ, esséque membra Ecclesiæ Christi, & pars aliqua populi Christiani. Secundò, quia dicere nullos existentes sub Testamento veteri accepisse gratiam, quia eo ipso quòd accipiebant, iam pertinebant ad nouum Testamentum, & ad statum illius transferebantur : idem est ac dicere, nullum hominum mori, quia eo ipso quod moritur, desinit esse homo, & transfertur ad statum mortuorum: aut dicere, nullum peccatorem conteri, quia eo ipso quòd conteritur, desinit esse peccator, & transit ad statum iustorum : aut dicere, nullum iustum peccare lethaliter, quia eo ipso quòd ita peccat desinit esse iustus, éstque de numero peccatorum : aut dicere, nullum infidelem conuerti ad fidem Christianam; quia eo ipso quòd conuertitur, incipit esse in numero fidelium. Quæ omnia quàm sint absurda, & à communi hominum sensu, modóque loquendi aliena, nemo non videt. Tertiò, hæc euasio fugit difficultatem, & mutat quæstionis statum, quæ non in eo consistit, vtrum Iudæi gratiam accipientes, pertinerent eatenus, & secundùm quid, ad nouum Testamentum : sed vtrùm Iudæi, quibuscum illud sancitum est, & lex à Deo tradita

per

per Moiſem, habuerint gratiam ſufficientem vt poſſent illius præcepta ſeruare, ad quæ ſeruanda omnes obligabantur, & niſi ſeruarent, grauibus peccatis, æterníſque pœnis ſeſe implicabant: quod negare abſurdiſſimum eſt, Deíque ſapientia & æquitate indigniſſimum, vt hac tota diſputatione demonſtrauimus.

Appendix ad pag. 445.

DISPVT. 26. ſect. 7. num. 50. in fine, poſt illa verba, & ad cæleſtem gloriam traducendi, *adde*:

Ad quod meliùs declarandum, & confirmandum, aduertendum eſt, eo ipſo tempore quo Concilium Valentinum III. celebratum fuit, atque etiam diu antea, extitiſſe hæreſim affirmantium Chriſtum ſuâ morte profuiſſe efficaciter ad ſalutem, illis etiam qui in infidelitate, vel alio mortali peccato decedentes, ſiue ante, ſiue poſt ipſius paſſionem ad pœnas inferni damnati erant. Cuius erroris mentionem facit D. Auguſtinus lib. de hæreſibus, hæreſi 79. vbi inter hæreticos recenſet, *Liberationem omnium apud inferos factam Chriſti deſcenſione credentes.* Et epiſt. 99. ad Euodium, vbi hunc errorem refutat, oſtendítque non habere ſufficiens fundamentum in illis Petri verbis, Act. 2. ver. 24. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni*: & 1. Petri 3. ver. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, &c.* Et lib. 21. de Ciuit. cap. 17. & pluribus ſeqq. refert aliquos naturali quodam affectu miſericordiæ commotos (quos ideirco *Miſericordes* appellat) ſenſiſſe pœnas omnium damnatorum aliquando finem habituras: ſiue in ipſo iudicio extremo, propter interceſſiones Sanctorum: ſiue citiùs aut tardiùs: propter Chriſtum ſcilicet: quia *non eſt nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Act. 4. ver. 12. Alios verò exiſtimaſſe, eos ſaltem qui corpori Chriſti participarunt, vel qui apud Catholicos ſunt regenerati, etiamſi poſtea in multa crimina, erroréſque proruperint, maléque vitam finierint; vel eos qui permanſerint in fide Catholica, etiamſi peſſimè vixerint, & ob hoc vri perpetuò meruerint; tamen propter fidei fundamentum in Chriſto poſitum ſaluandos eſſe. Quod etiam multos è Chriſtianis credidiſſe ſuo tempore teſtatur Synodus Pariſienſis lib. 2. cap. 10. paulò ante Valentinam tertiam celebrata, anno ſcilicet 829.

Supradictum errorem refutat quoque S. Gregorius Magnus lib. 6. Regiſtri epiſt. 15. ad Georgium, & Theodorum, vbi ſic habet: *Agnoui quod dilectio veſtra dixiſſet, omnipotentem Dominum Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum ad inferos deſcendentem, omnes qui illic confiterentur eum Deum, ſaluaſſe, atque à pœnis debitis liberaſſe. De qua re volo vt fraternitas veſtra longè aliter ſentiat. Deſcendens quippe ad inferos, ſolos illos per ſuam gratiam liberauit, qui eum & venturum eſſe crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant. Conſtat autem quia poſt incarnationem Domini nullus etiam ex his ſaluari poteſt, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent,* &c. *Si ergo fideles nunc ſine bonis operibus non ſaluantur, & infideles ac reprobi ſine bona actione, Domino ad inferos deſcendente, ſaluati ſunt: melior illorum ſors fuit, qui incarnationem Domini minimè viderunt, quàm horum qui poſt incarnationis eius myſterium nati ſunt. Quod quantæ fatuitatis ſit dicere, vel ſentire, ipſe Dominus diſcipulis teſtatur,* &c. Poſteáque refert Philaſtrium eos qui ita ſentiunt inter hæreticos numeraſſe in lib. quem de hæreſibus ſcripſit: cuius hæc verba recitat: *Sunt hæretici qui dicunt, Dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem ſuam etiam ibidem ſe nunciaſſe, vt confitentes ibidem ſaluarentur*: cùm hoc ſit contrarium dicenti Prophetæ Dauid: *In inferno autem quis confitebitur tibi? Et Apoſtolo, Quotquot ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Ac tandem concludit, tenendum eſſe *quod vera fides per Catholicam Eccleſiam docet: quia deſcendens ad inferos Dominus illos ſolummodo ab inferni clauſtris eripuit, quos viuentes in carne per ſuam gratiam in fide & bona operatione ſeruauit.* Et homil. 22. in Euang. de Chriſti reſurrectione ſic ait: *Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis ſinu, tamen apud inferni clauſtra tenebantur, ad Paradiſi amœna reducti ſunt. Quod ante paſſionem dixit, in reſurrectione ſua Dominus impleuit: Si exaltatus fuero (inquit) à terra: omnia traham ad me. Omnia etenim traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit, vtique electa. Neque enim infideles quoſque, & pro ſuis criminibus æternis ſuppliciis deditos, ad veniam Dominus reſurgendo reparauit; ſed illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Oſee dicit: Ero mors tua ô mors: ero morſus tuus inferne. Id namque quod occidimus, agimus vt penitus non ſit. Ex eo autem, quod mordemus, partem abſtrahimus, partémque relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia verò ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit; non occidit funditùs, ſed momordit infernum. Ait ergo: Ero mors tua ô mors. Ac ſi apertè dicat: Quia in electis meis te funditùs perimo; ero mors tua: Ero morſus tuus inferne; quia ſublatis eis, te ex parte transfigo.*

Ad hunc igitur errorem ſine dubio reſpexit Valentina Synodus III. cùm dixit verbis ſuprà relatis initio ſectionis, *De redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui hac de cauſa exortus eſt, ita vt etiam quidam pro illis impiis, qui à mundi exordio vſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui, & æterna damnatione puniti ſunt, effuſum definiant,* &c. eos ſcilicet reprehendens, & damnans, qui (vt ſuprà dixerunt Auguſt. Gregor. & Philaſt.) volebant Chriſti paſſionem illis etiam efficaciter ad ſalutem profuiſſe. Sed quòd pro illis quoque, & generaliter pro omnibus Chriſtus ſit paſſus quoad ſufficientiam pretij, & intentionem eos redimendi, non negat illa Synodus, ſed potiùs affirmat verbis extremis ibidem relatis, *Illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum, ac dicendum placet, iuxta Euangelicam, & Apoſtolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus Dominus noſter dicit: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Sicut enim intentio Moyſis erat, vt ſerpens ille æneus, in deſerto exaltatus, prodeſſet omnibus ſerpentum morſu vulneratis; tametſi non proderat efficaciter niſi illum adſpicientibus: ſic intentio Chriſti in cruce exaltari fuit vt

Ppp

suâ morte prodesset omnibus peccato infectis, & à serpente diabolo vulneratis: quamuis non prosit efficaciter ad salutem nisi credentibus in ipsum & conformiter fidei viuentibus, vel in fide, & iustitia decedentibus. Id etiam colligitur ex eo quòd vtitur iisdem Scripturæ verbis, quibus suprà Gregorius, ad probandum non omnes per Christi mortem fuisse pœnis æternis exemptos, sed tantùm quos suos in fide & actibus recognouit. *Ero mors tua ô mors*, &c. Ex quo satis patet Synodum loqui, æquè ac Gregorium, cuius verba vsurpat, contra eos solùm, qui volebant redemptionem Christi efficacem ad alios quoque pertinere. Et quidem quòd Christi intentio non fuerit solùm redimendi, & saluandi electos, perspicuè docet, cùm ait cap. 5. *Ex ipsa tamen multitudine fidelium, & redemptorum, alios saluari æternâ salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potiùs irritam facere prauâ doctrinâ, vel vitâ, quàm seruare, elegerunt; ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem beatitudinis nullo modo peruenire.*

Contra eundem errorem loquitur liber Ecclesiæ Lugdunensis de tribus epistolis, scriptus fere eodem tempore, quo Concilium Valentinum III. celebratum est, quippe cui præsedit Remigius idem, qui tunc erat Lugdunensis Episcopus, quando liber de tribus epistolis scriptus fuit ipsius nomine, & totius Lugdunensis Ecclesiæ: quo in libro dicitur, *Credendum esse Christum solos illos ex his qui ab exordio mundi vsque ad passionem eius extiterunt, eadẽ passione suâ redemisse & saluasse, atque ab inferni claustris eduxisse, qui & fideliter eum sperauerunt venturum, & fideliter per eum redemptionem & liberationem ad salutem se accepturos esse crediderunt.* Ad quod confirmandum vtitur eodem Scripturæ loco, quo suprà Gregorius, & Valentina Synodus vsi sunt; *Ero mors tua ô mors: Ero morsus tuus ô inferne*, Osee 13. Ibidémque affirmat, id quod dicitur Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, intelligi posse de quatuor hominum generibus. Primò scilicet de electis, seu prædestinatis. Secundò de illis, qui post baptismum acceptum, in errorem, aut peccatum mortale prolapsi malè vitam finierunt. Tertiò de infidelibus illis, qui nondum Sacramentum baptismi receperunt, sed aliquando recipient. Quartò denique de illis, qui neque in Christum credunt, neque vnquam credituri sunt. Affirmátque pro tribus illis prioribus hominum generibus Christum mortuum, & passum esse: secus autem pro postremis, quia, inquit, nullum passionis eius fructum percipient. Quæ ratio indicat sermonem illi esse de redemptione aliquatenus efficaci, vel ad gloriam, vt in electis; vel ad iustificationem, vt in baptizatis non perseuerantibus: quo pacto non prodest Christi mors infidelibus quarto loco numeratis, id est, perpetuò in infidelitate manentibus. Sed quòd alio sensu dici possit Christum pro illis quoque mortuum esse, Deúmque voluisse generaliter omnes homines Christi morte saluos fieri, nullo reprobo excepto, docet postea, cùm sic ait: *Si illa verba Apostoli simpliciter intelligantur, quibus de Deo dicit, Qui vult omnes homines saluos fieri, duobus modis hoc Deum agere certissimum est. Dum alios ita vult saluos fieri, vt ipse omnino faciat saluos, sicut omnes electos. Alios verò ita velit saluos fieri, vt eos omnino non saluet, sed in æternum perire permittat; sicut vtique omnes reprobos, quos iuxta hunc sensum, & vt benignus creator saluari voluit, & vt iustus iudex, æternæ perditioni tradidit.* Quinetiam licèt improbet eorum sententiam, qui existimabant Christum sua morte profuisse efficaciter ad salutem illis, qui in sua impietate, & infidelitate vitam finierant: mitiùs tamen de illa loquitur, cùm sic ait: *Quòd si inueniantur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant, & hoc diuinæ Scripturæ certissimis & clarissimis documentis probant: Erunt ergo illa, quæ ex verbis Domini de hac re commemorauimus, aliter intelligenda.* Nimirum quia dicendum erit, illis etiam profuisse efficaciter. De quo dicit consequenter propter bonum pacis, non esse magnopere contendendum cum Catholicis aliter sentientibus: *Nullâ*, inquit, *contentione, pro aliis aduersus alios litigetur: non vna sententia pro altera damnetur. Et quia verè fieri potest, vt ignorantiam & imperitiam nostram in hac re aliquid lateat: nihil temerè definiatur, vt quolibet quis acquiescat modo, non sit hæreticus, nisi contentione hæreticus fiat.* Illis autem verbis, *Quòd si inueniantur aliqui Patrum*, &c. alludit ad Clementem Alexandrinum, qui libro 6. Stromatum, inter initium & medium, scripsit Christum descendentem ad inferos annunciasse Euangelium iis qui æternâ damnatione tenebantur, indéque liberasse eos qui in ipsum, eiúsque Euangelio crediderunt. Refértque ibidem, & lib. 2. circa medium, ipsos etiam Apostolos (iuxta quorundam aliorum sententiam) descendisse pariter ad inferos post mortem suam, vt Euangelium damnatis annunciarent, & credentes à pœnis liberarent. Alludit quoque Valentina Synodus iisdem verbis ad S. Augustinum: qui licèt aliis locis suprà relatis aliter sentiat, idem nihilominus docere videtur lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 33. vbi sic habet: *Christi quidem animam venisse vsque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta nobis sua iustitia indicabat, non immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit quod dictum est, Quem Deus suscitauit ex mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis, non video, nisi vt quorundam dolores apud inferos eum soluisse accipiamus, ea potestate quâ Dominus est, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Loquitúrque ibi Augustinus de inferno damnatorum, vt patet clariùs ex verbis præcedentibus, & sequentibus. Idem ante illum docuerant Epiphanius hæresi 46. & auctor Commentarij qui tribuitur Ambrosio in caput 4. ad Ephes. De eodémque vt mihi nũ dubitare videtur Gregorius Nazianz. orat. 42. prope finem, de Christo sic dicens: *Si in infernum descendat, tu quoque descende*, id est, descensum eius attentè meditare, & in spiritu eum comitare. *Ea quoque mysteria cognosce, quæ Christus illic designauit: quod duplicis descensus consilium, quæ ratio fuerit? Vtrùm omnes sine vlla exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat qui credide-*

runt? Quid autem horum fecerit Christus, indecisum & suspensum relinquit. Et Nicetas eius Commentator primum ex his duobus Christum fecisse confirmat exemplo Platonis, qui primus damnatorum Christo apud inferos prædicanti crediderit, vt refert ex historia, quam à Patribus se accepisse testatur.

Appendix ad paginam 440.

DISPVT. 26. sect. 4. num. 29. post illa verba, *& à Conciliis exposita. Adde:* Ceterùm Patres Græcos non adeò imperfectè de Gratia scripsisse, ac vult persuadere Iansenius, luculenter ostendit eruditissimus & illustrissimus D. Isaacius Habertus Episcopus Vabrensis, in libro quem recèns de hoc argumento edidit. De quorum vno, S. Ioanne scilicet Chrysostomo, verissimè scripsit Anianus, antiquus eius interpres, ac ferè contemporaneus, in proœmio suæ versionis Latinæ ad Horontium: *Quid pressius Chrysostomus commendat, quàm ingenita nobis à Deo libertatis decus, cuius confessio præcipuum inter nos gentilésque discrimen est? Qui hominem ad imaginem Dei conditum tam infœliciter fati violentia & peccandi putant necessitate deuinctum, vt is etiam pecoribus inuidere cogatur. Quid ille aduersus eosdem magistros potius insinuat, quàm Dei esse possibilia mandata, & hominem totius, quæ vel iubetur, vel suadetur à Deo, capacem esse virtutis? Quo quidem solo, & iniquitas ab imperante propellitur, & præuaricanti reatus afficitur. Iam verò iste eruditorum decus, cùm de Dei gratia differit, quantâ illam vbertate, quantâ etiam cautione concelebrat? Non enim est in alterutro aut incautus, aut nimius, sed in vtroque moderatus. Sic liberas ostendit hominum voluntates, vt ad Dei tamen mandata facienda diuinæ gratiæ necessarium vbique fateatur auxilium: sic continuum diuinæ gratiæ auxilium commendat, vt nec studia voluntatis interimat.* Hæc ille: quæ verissima esse nemo ambiget, qui in lectione scriptorum sancti illius Doctoris diligenter versatus fuerit.

Appendix ad paginam 504.

DISP. 30. sect. 6. n. 33. in fine, post illa verba, *intelligenda sunt:* subiunge, Adde quòd, vt rectè obseruauit Petauius in Elencho Theriacæ, c. 20. Ecclesiasticus verbis relatis hortatur homines ad bonum eligendum, abstinendúmque à malo, quia in eorum potestate situm est alterutrum eligere; &, si malè agant, debent sibi imputare, neque dicere possunt, *Per Deum abest: quæ enim odit ne feceris:* aut dicere, *Ille me implanauit: non enim ei necessarij sunt homines impij,* vt ait verbis præcedentibus: id est, non possunt culpam in Deum reiicere, sed in suam voluntatem, ad bonũ & malum flexibilem; & vel Dei gratiæ ad bonum excitanti obsequentẽ; vel concupiscentiæ, aut dæmoni ad peccatum impellenti consentientem, prout vult. In eundéque finem paulò post verba relata, vt deterreat homines à peccando, proponit illis iudicium Dei omnia hominum opera perpetuò inspicientis, & sapientis, ac fortis in potentia, ad rectè iudicandum, & puniendum vnumquemque pro meritis. *Multa,* inquit, *sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis.* Si autem verum esset quod ait aduersarius, Ecclesiasticum loqui solùm de homine in statu innocentiæ, nec nisi de illo intelligendum esse quòd ait, *Si volueris mandata seruare, &c. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam, &c.* hæc adhortatio prorsus vana esset, & inepta, quod absit. Hoc enim esset hortari homines ad eligendum bonum, aut malum, prout voluerint; quia facultatem eligendi habuerunt in Adamo, licèt nunc illâ spoliati sint propter ipsius peccatum. Quod non minùs vanum ac ineptum est, quàm hortari homines vt nunquam moriantur, nullum rebellis concupiscentiæ motum experiantur, nullum vnquam sentiant famis, sitis, lassitudinis, caloris, frigoris, aut morborum incommodum; quia habuerunt in Adamo facultatem omnia hæc incommoda propulsandi, quâ propter illius peccatum destituti sunt. Magnam sanè iniuriam verbo diuino faciunt, qui tam ineptos sensus illi affingunt, vt suos errores quoquo modo tueantur.

Appendix ad paginam 611.

DISPVT. 36. sect. 21. num. 198. post verba extrema disputationis, quibus dicitur, non apparere quid fuerit in sententia Caluini damnatum à Tridentino, si non fuit cum illo damnata pariter doctrina Iansenij de gratia, eiúsque concordia cum libero arbitrio: quippe quæ prorsus eadem esse conuincitur; & euidenter friuola sunt discrimina, quibus ab illo differre videri vult. *adde:* Et verò doctrinam Iansenij cum doctrina Caluini optimè consentire, tum in aliis quæstionibus, tum in præsenti de gratia liberóque arbitrio, manifestum faciunt, præter ea quæ diximus suis locis, & dicemus deinceps de mirabili inter eos consensu, in omnibus & singulis controuersiis à Iansenio motis, & in suo Pseudo-Augustino explicatis: manifestum (inquam) id faciunt ingentes plausus, & congratulationes, quibus liber ille fuit vbique à Caluinistis exceptus. Inter quos Hollandi volumen illud operosum patriâ linguâ donarunt, vt ab ipsis etiam mulierculis, & toto grege fidelium reformatorum legi possit: & inter Hollandos Caluini Ministros vnus è præcipuis, Samuel Des-Mares, Doctor & primarius Theologiæ Professor in Academia Groningana, & Minister ordinarius templi Academici, Catechismum de gratia recèns editum à Iansenistis, & à Sede Apostolica damnatum, è Gallico in Latinum vertit, addita præfatione, & scholiis. In qua præfatione laudat primò Iansenium, quòd aduersus Pelagianos, & modernos eorum sectatores, tam verè, ac solidè, appositéque ad mentem Augustini scripserit de viribus naturæ humanæ stantis, seu innocentis, déque lapsæ vulneribus, & gratiæ per Iesum Christum liberatricis natura, necessitate, & efficacia: déque his omnibus propositiones Michaëlis Baij, à Romanis Pontificibus malè damnatas, fortiter ab eorum Censura vindicauerit. Deinde sibi suísque gratulatur, quòd renitentibus licèt Iesuitis, totásque vires aduersùm intendentibus, Augustinus Iansenij tantas vires acquisiuerit, & plerosque Theologorum, & Episcoporum, aliorúmque Romanæ communionis hominum, suâ luce collustrauerit. Tum addit, quinque in hoc rerum statu obseruatione digna sibi videri. Primum scilicet, has quæstiones de gratia, & annexis capitibus, non

iam ampliùs inter eruditos solùm, & inter Scholarum septa agitari, vt olim quæstiones inter Thomistas, & Scotistas controuersæ; sed etiam in ipsis circulis plebeiis ventilati, & ab Academiarum subselliis ad templorum cathedras, imò ad ipsas tonstrinas transiisse. Hoc est, vt clariùs mentem ipsius enunciem, nō solùm intra Theologorum exedras disputandi gratiâ, & inquirendæ veritatis causâ proponi ac discuti, salua pace Ecclesiæ, & fidei cōcordiâ, debitâque Sedi Apostolicæ submissione animi, ad obediendum parati, si aliter illis sentiendum videatur: sed publicè in templis, in concionibus, in compitis & plateis, in priuatis etiam domibus magnatum & plebeiorum, adeóque in ipsis artificum officinis: Iansenistis pacem Ecclesiæ vbique turbantibus, & nouam sectam prætextu doctrinæ S. Augustini restituendæ instituentibus, suáque dogmata per Galliam & Belgium, longè latéque quoad possunt disseminantibus, & licèt contradicentibus ferè omnibus vtriusque nationis Præsulibus, ipsóque summo Pontifice seuerè prohibente atque damnante, pertinaciter obstinatéque ea tueri pergentibus. Vt olim contigit quando Lutherus, & Caluinus dogmata sua spargere cœperunt: diúque anteà, quando Arius, Eutyches, Donatus, Eunomius, Pelagius, Nestorius, Dioscorus, aliíque veteres hæretici errores suos in Ecclesiam inuexerunt, Christíque vestem miserabiliter disciderunt.

Secundum quod obseruatione dignum esse ait, istud est: Sperandum esse fore vt hęc controuersia per Iāsenium excitata religionem Papisticam labefactet, Pontificiam Sedem euertat, & ad suam sectam Iansenistas integrè pertrahat, cetetósque Romanæ communionis homines, agnitâ magis ac magis consonantiâ dogmatum Caluini cum doctrina S. Aug. & Scripturæ diuinæ, siue quoad sumptionem corporis Christi in Eucharistia, siue quoad alias fidei quæstiones inter nos & illos controuersas. Tertium est: Idem planè sentire Iansenistas in hac controuersia de gratia & quæstionibus annexis, quod docetur in Ecclesiis Caluinisticis, & à Synodo Dordracena stabilitum fuit contra Arminianos, à veris & rigidis Caluini sectatoribus. Quartum: Hinc etiam fieri vt iam in ipsa communione Romana, nullius firmomenti quod Caluino, ad reddendam horribilem & exectabilem eius doctrinam obiiciebatur, ipsum facere Deum auctorem peccati, tollere studium pietatis & bonorum operum, & hominum conscientiis desperationem iniicere, suis illis dogmatibus de negata gratia sufficiente ad seruanda mandata, de perdita per peccatum Adæ libertate arbitrij, de reprobatione positiua ex mero Dei beneplacito, & similibus, quæ videmus placere Iansenistis, & acceptari vt veram Augustini doctrinam, ipsiúsque fidei Catholicę. Quintum: Hanc Iansenistarum cum Caluino concordiam debere propalari, & vrgeri in Academiis Caluinisticis, vt mirentur & celebrent efficaciam diuinæ veritatis triumphum reportantis de mendaciis Papisticis: vtque sibi gratulentur quòd Papistæ tantopere de sua consensione in rebus fidei sub vno capite gloriantes, & Caluinistis sua dissidia obiicientes, iam de grauissimis religionis capitibus inter se confligantur: illorúmque præcipui sedulò Caluini negotium promoueant, cuius doctrinam sequuntur & illustrant, atque à ceterorum calumniis vindicant, quod (inquit) magnam in communione Pontificia reuolutionem, & Sedis illius euersionem portendere videtur. Sed præstat ipsamet eius verba referre ad fidem faciendam, & integram illam præfationem transcribere, paucis exceptis quæ ad alias cōtrouersias pertinent, & ad præsens negotiū nihil faciunt. Sic igitur habet:

Præfatio Samuëlis Maresij Ministri Caluinistæ, & primarij Theologiæ professoris in Academiâ Groningana, Ad versionem Catechismi de Gratia, quam edidit Groningæ, anno 1651.

NEMO est qui nesciat, quàm vehementer aliquot abhinc annis recruduerit in communione Pontificia, bellum de Auxiliis (vti loquuntur) & cui moderando iam à præcedenti sæculo, nec diu post Concil. Trident. Romæ destinata fuit diutissimè specialis Congregatiō Cardinalium, quæ inde Congregatio de Auxiliis vulgò dicta est. Nam Iesuitæ, qui sunt eiusdem factionis, quibus solemne est, post suos Molinas, Lessios, Suaresios, & similes, Pelagij Hæresiarchæ dogmata partim nouo tectorio incrustare, partim palam sic satis propinare, Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi Augustino ante vndecim propè annos edito, perterriti, vires recolligere, & inclinatam, tantùmque non fusam illo libro suorum aciem redintegrare, magno molimine studuerūt. Iansenius siquidem opere suo, tomis 3. distincto, aduersus Pelagianos naturæ humanæ stantis seu innocentis vires, lapsæ vulnera, & gratiæ per Iesum Christum liberatricis, naturā, efficaciam, necessitatem, è profundissimi omniū Theologorum magistri principiis dilucidè ac solidissimè (vt testimonia cordatiorū omnis fere ordinis Theologorum fidem faciunt) ob oculos posuerat, vt asserit Valerius Andreas Iurisc. Louaniensis, in Biblioth. Belg. edit. an. 1643. p. 155. adeóque Michaëlis Baij, Theologi quondā Louaniēsis doctissimi, nec procul positi à regno cælorū, causam, anteà auctoritate & vi potiùs, quā veritate & argumentis oppressam, fortiter vindicauerat. Sed Iesuitæ cedere nescij, huic Iansen̄iano operi posthumo sollicitè se opposuerunt, & tanquam ad cōmune incendium restinguendum, Societatis suæ artes omnes, & omnem quā pollent auctoritatem in ipsum Pont. Rom. excusserunt. Verùm dum vehementiùs, quàm cautiùs id agunt, Augustinus Iansenij vires acquisiuit eundo, talésque Dei gratiâ progressus fecit ipso suo titulo plausibilis causā gratiæ, vt plerique Theologi & Episcopi in cōmunione Romana, per Belgium præsertim & Gallias, vel nouâ luce collustrati Iansenij labore, vel eius exemplo perducti ad liberā professionem eius sententiæ, quam priùs in sinu presserant, palàm cœperint bonæ causæ suffragari & refragari placitis Iesuitarum. Hinc illis factum nomen Iansenistarum, imò & Baianorū, vt eos maluit appellare Martinez de Ripalda Iesuita, in operosis suis contra illos disputationibus; dum longè grauioribus titulis, Pelagianorum, Semipelagianorum, ingratorum, gratiæ inimicorum, suo maximo merito Iesuitæ ab illis insigniuntur.

Huius mei instituti non est, istius certaminis historiam sigillatim retexere, & omnia scripta hinc inde edita, cùm ne quidem omnia ad manus meas peruenerint, commemorare; aut referre quomodo hæc lis renouata fuerit occasione aliarum controuersiarum, quas Iesuitæ ausi sunt

mouere Hierarchicis, siue Episcopis communionis suæ, quò faciliùs eorum auctoritatem conculcarent, munus inuolarent, iura ad se raperent: vnde natæ eristicæ scriptiones inter Iacobum Sirmondum Iesuitam doctissimum, & eruditissimum virum Ioan. Vergerium Hauranium, Abbatem Saucyranum, qui Petri Aurelij nomen assumpsit, cuiúsque postmodum labores in vnum recollecti, auctoritate & sumptibus totius Cleri Pontificij in Gallia recusi fuerunt; aut narrare quid illis quæstionibus immixtum fuerit, ab Arnaldo Sorbonista, valde docto, de publica pœnitentia restituenda, de frequenti communione Eucharistica, quã Iesuitæ potissimùm inuexerunt, abroganda, de Petro & Paulo coniunctim fundatoribus Sedis Romanæ, illiúsque primis Episcopis agnoscendis; quod vltimum mirum non est tantopere displicuisse parasitis Rom. Pont. quandoquidem fundat omne suum ius imaginarium in vnius Petri successione; etsi ipse Bellar. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 2. disertis verbis statuat, quòd constet tempore Apostolorũ, non fuisse Romæ alios Episcopos, quàm Petrum & Paulum: Disertè enim, inquit, affirmat Irenæus lib. 3. c. 3. à Petro & Paulo Sedem Romanam fundatam, & primos in ea Episcopos sedisse; quod Monarchiæ Papali, & vnius auctoritati stabiliendæ parum conuenit.

Sufficiat obseruâsse. I. Has nunc quæstiones de gratia, & annexis capitibus, non modò inter eruditos, & inter scholarum septa agitari, vt iamdiu antea factum inter Dominicanos, qui Thomistæ, & Franciscanos, qui Scoustæ vulgò audiunt; sed etiam in ipsis circulis plebeiis ventilari, & ab Academiarum subsellijs, ad templorum ambones, imò ad ipsas tonstrinas transiisse.

II. Ad veritatis triumphum, & Antichristianæ sedis subuersionem imminentem, has controuersias de gratia omnino spectare. Gratia enim salutaris Christi, cordatè vindicata, & in arce reposita, suos non deseret defensores; sed illis nouum suppeditabit lumẽ, cuius beneficio alios errores communionis suæ recognoscant, & reiiciant: Cur id dicam, imò cur planè sperem, Dei gratiam suis vindicibus hodiernis, maius lumen cum tempore affusuram ad Antichristianismi, & idololatriæ in Papatu euersionem, maximè circa quæstiones Eucharisticas, quæ, vtpote practicæ, partes dissidentes magis diuellunt, graues habeo rationes. Primò enim ipsius auctoritas sensim labascit, non solùm per ea, quæ ab Arnaldo Sorbonista, eiúsque sequacibus, aliisque Richeristis, scripta & facta sunt, & communiorem ceteroquin Scholæ Sorbonicæ sententiam, quę Pontificem errori facit obnoxium, & subiicit Concilio, ipsúmque ab Ecclesia auferibilem, vt Gerson loquebatur, asserit; sed etiam per has ipsas controuersias de gratia, in quibus Pauli & Augustini sequaces, plurimas defendunt ac tuentur propositiones, quas Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. in Iesuitarum gratiam censura notauerant, vt asserit ipsa censura Romana huius opusculi catechetici, quod Latinum nunc damus, facta feriâ 5. die 6. Oct. 1650. Imò, quantum percipio, hanc ipsam censuram, ceu subreptitiam, nec obligantem, naso suspendunt adunco. Deinde ipsum Conciliabulum Trid.... valde nutat apud eruditos illos, & Iesuitis importunos gratiæ præcones. Nam etsi palàm non audeant Concilio refragari, imò conentur eius canones, instar nasi cerei emollire, & in sensum benigniorem interpretari: vbi tamen conscientias suas interrogauerint, satis illæ testabuntur, quòd ea Pauli & Augustini doctrina, quam defendunt, absque ferruminatione violenta, non possit conciliari cum decisionibus Concilij, iis potissimùm quæ illius sess. 5. & 6. leguntur. Tertiò, cùm apud eosdẽ Heroas scriptura sacra sit longè in maiori pretio, quàm apud Iesuitas, & vulgus Scholasticorũ; eiúsque lectionem, & meditationem soleant sedulò commendare: quis non speret idolum tandem, coram hac fœderis arca, ruiturum, & istam Mosis virgam Magorum virgas, per quas illudũt plebeculæ superstitione effascinatæ, penitus absumpturam? Quartò, ab iisdem doctissimis viris secundùm scripturas in summo pretio habetur Augustinus. Hunc verò si eâdem diligentiâ consulãt in quęstione de Eucharistia, vt ceteras nunc taceam, quâ eum legerunt in controuersiis de gratia, receptæ apud suos opinioni haud ægrè valedicent.... Denique cùm attẽdo ad laudes veri & puri Catholicismi, quas amplissimus vir Gilbertus Mauguin, Consiliarius regius, & in suprema monetarij curia præses longè doctissimus (qui nuper emisit duob. tomis distinctas, nec sine aliquot doctorum Sorbonicorum solemni approbatione, suas vindicias prædestinationis & gratiæ, plenas bonæ frugis) confert in Ratramnum siue Bertramum Corbeiensem, *suæ hist. & Chron. diss. c. 17.* adeo vt *ne leuissima quidem praua doctrinæ suspicio in illum cadere possit*; vix possum aliud mihi persuadere, quàm viros illos emunctæ naris, aliquid nunc odorari in transsubstantiatione & missa, quod ab antiquitate puriori & verè Catholica longissimè recedat. Agnoscit enim vir amplissimus Ratramnum, siue Bertramum, Catholicum fuisse, & orthodoxum in duobus illis libris de Præd. quos nuper ipse in lucem protraxit: Agnoscit quoque ipsius esse librum de corpore & sanguine Domini ad Carolum Regem, euertendæ orali manducationi carnis Christi, & panis in eius corpus mutationi substãtiali, ac locali Corporis Christi, sub vel in pane, præsentiæ, vnicè destinatum; quem olim ideo aduersarij tanquam à nostris confictum, vt plurimum reiecerunt, nominatim Claudius Sanctesius, repetitionum de Euch. 2. c. 14. vt laudatur in hanc sententiam à Iesuita Gualthero, in tab. Chron. Collat. vet. Err. noni sæc. c. 5. etsi paulò antè, Bertramum cum Ioanne Erigena, in columna hæreticorũ illius sæculi collocasset, & Sacramẽtariorum Patriarchis annumerasset. Vt vt sit, hoc Bertrami opusc. de Euch. radio solis scriptum, ita destruit dogmata Pontificia circa eã, ita adstruit doctrinam in Ecclesiis nostris receptam; vt non minùs fulminet in transsubstantiationem, & oralem carnis Christi manducationem, etiam ab indignis, quàm potenter euertunt ingratum Iesuitarum Pelagianismum, eius libri duo de Prædest. Hinc est quòd Bertramus de corpore & sanguine Christi, inter auctores damnatos recensetur, in indice librorum prohibitorum Conc. Trident.

III. Idem reuera in capitali hac controuersia, sentire Pontificiorum Iansenistas, quod docetur in nostris Ecclesiis, & canonibus Synodi nationalis Dordracenæ fuit definitum contra sequaces Arminij, qui Remonstrantium sibi nomen fecerunt, & ferè omnia sua hauserant ex Molina Lessio, Suarezio, aliísque Iesuitis. Ideo Iesuitæ

graui accusatione pulsati Pelagianismi, & Semipelagianismi ab his suis aduersariis, nullum habent popularius conuitium, quod in illos iactent, quàm Caluinianismum; nihil quod grauius imputent, quàm syncretismum cum reformatis. Sic olim Bethelitæ, ab Elizæo idololatriæ conuicti, nihil durius poterant illi exprobrare, quàm suam caluitiem. 2. *Reg.* 11. 23.

IV. Hoc nos consequi per illas contentiones, vt in ipsa communione Romana, euanescant omnes illæ populares argutiæ, quibus orthodoxia nostra grauabatur; ac si Deum cum Manichæis faceremus auctorem peccati; ipsum hominum liberum arbitrium in genere entis negaremus; precum, pietatis, & bonorum operum studium inutile redderemus; & hominum conscientias, ex absoluta prædestinatione ad laqueum redigeremus. Quinetiam in quæstionibus facti, ita Pelagianismi conuictum nunc remanet Conciliabulum Arelatense tertium, cum suo non tam ἀρχηγῷ, quàm fabro infausto, Fausto Rhegiensi, ita Gotteschalci innocentia & causa est vindicata, ita prætensa hæresis Prædestinatianorum, vel Prædestinatorum, profligata, quam & Remonstrantes, & Iesuitæ solebant nobis obiicere, refutato primùm per Auuræum Sorbonistam Prædestinato Sirmondi Iesuitæ, & eâdem postea veritate fusè propugnatâ, non ita pridem per ampliss. virum D. Gilbertum Mauguin, in eruditissimis illis suis Vindiciis prædestinationis & gratiæ, ante annum editis, quarum modò memini; vt nemo ampliùs cui pudor & conscientia non perierint, ausit vel niti auctoritate Arelatensis pseudo-Concilij, & Actorum in causa Gotteschalci contra nos; vel diffiteri iis demum per calumniam impactam fuisse à Pelagij reliquiis Prædestinatorum hæresim, qui Pauli & Augustini in doctrina de Prædestinatione & gratia vestigia relegebant.

V. Hæc debere propalari, & vrgeri in nostris Academiis, & per eas, tribus de causis. 1. Vt celebremus efficaciam diuinæ veritatis, & gratiæ, fumum abyssi dispellentis, & de hominum sophistica & mendaciis tandem triumphantis. 2. Vt gratulemur nobis, tum quòd illi, qui tantopere crepant suam sub vno capite vnionem, ac Protestantibus sua dissidia tam liberaliter obiiciunt, de grauissimis inter se religionis capitibus acerrimè confligentur; tum quòd per meliorem & saniorem partem Doctorum Ecclesiæ Romanæ iustificetur nostra causa à ceterorum calumniis; tum quòd motus illi conuulsiui, quibus nunc subest communio Pontificia, magnam in illa reuolutionem, & quidni fecerit imæ illius Sedis euersionem? portendere videntur. Nempe perficiet Deus opus suum, & illum ἄνομον conficiet *spiritu oris sui, 2. Thessalonic. 2. v. 8.* Denique 3. Vt illis ipsis doctissimis & eloquentissimis viris inter aduersarios, *cùm virtus vel in hoste laudanda*, generosos illos suos conatus, in causa Dei & gratiæ gratulemur, eósque quod decet veritatis studiosos, ad tendendum plus vltra inuitemus. Dicebat Agesilaus Pharnabazo, *Talis cùm sis, vtinam noster esses*; sed iam eo vsque saltem nostri sunt, fortes illi in Papatu gratiæ præcones, quòd & in rei summa, quoad hæc capita idem sentiãt nobiscum, & ea ponant ex quibus plures in sua communione næuos & errores, si seipsos modò audiuerint, necessariò debeant agnoscere. *Qui contra nos non est, pro nobis est.* Luc. 9. v. 50.

Igitur haud abs re me facturum existimaui, si exhiberem summarium eius, quam proponunt, doctrinæ circa gratiam, & annexa capita, prout breuiter & populariter hoc continetur libello, superiori anno in Gallia mea, Gallico idiomate emiserunt, eum Latinitate donando in aliarum nationum gratiam, & illustrando breuibus scholiis ad singula Erotemata, quibus vel auctoris mentem explicem dilucidiùs, sicubi obscuriùs loqui videbitur: vel quod dixit confirmem quantum opus fuerit, vel ipsum fortè alicubi lapsantem, aut sensa sua dissimulantem ex professo, erigam ex suis suorúmque veris principiis. Quo autem maior huic opusculo constet auctoritas, non dissimulabo auctorem illius vulgò censeri Curionem siue Parochum ad S. Mederici Lutetiæ; adeóque & Theologum graduatum in Sorbona illum esse, & eo ipso celebriorem, quòd hæc illius parochia inter vrbis amplissimas solet annumerari. Nec desunt in aliis parochiis viri cordati & eruditi, qui idem sentiant. Scripserunt nonnulli in Papatu, vt nominatim Brerleius Anglus, Apologias Protestantum pro Romana Ecclesia: liceat ergo nobis hac occasione edere Apologiam Catholicorum, vt volunt appellari pro Ecclesia reformata, saltem circa specialia illa capita, de quibus hîc agitur; quandoquidem meliores ac doctiores illius communionis hac in parte ὁμοψήφου tam prolixè & euidenter habemus. Quod si vlla partium in religione diffidentium reconciliatio, semper optanda bonis, vnquam speranda veniat, hâc viâ debebit procedere. Vbi gratiâ & veritate præualentibus, ea dogmata quæ hîc proponunt, & propugnant Iansenistæ, cum illorum annexis, & necessariò consequentibus, publica auctoritate, suppressis erroribus Iesuitarum πελαγιανιζόντων, quibus opponuntur, constabilita erunt, & processum fuerit pari pede in aliis capitibus inter nos controuersis, practicis potissimùm, restitutâ scilicet integrâ communione Eucharisticâ, sublatâ ἀρτολατρείᾳ, & omni creaturarum inuocatione, euerso imaginum cultu, & in sacris publicis vsu linguæ peregrinæ ac vulgò ignotæ; ad eorum cõmunionem haud grauatè accedemus.

Hic autem Iansenistarum libellus, primùm editus fuit, sub titulo Catechismi gratiæ, sub quo nuper eum percurrebam Hagæ-comitis, apud illustrem virum D. Baronem à Gent; qui illum secum Lutetiâ anno superiori attulerat: sed fortè quòd eum, in forma, & sub nomine Catechismi editum fuisse improbasset Inquisitio Romana, & ideo inter ceteras causas, illum publicè proscripsisset eo programmate subreptitio, vti prætendunt Iansenistæ, quod ad calcem adiiciam; postea mutatâ inscriptione, recusus fuit sub hoc titulo, *Elucidationes quarũdam difficultatum de gratia*; sub quo mihi fuit concessus à R. & doct. V. D. Tobia Sellio Dantiscano, qui honestis suis precibus, haud ægrè à me obtinuit, vt eum Latinè redderem, & notulis quibusdam illustrarem. Sed ad rem ipsam veniamus. Auctoris textus per Erotemata proponitur, & crassiori charactere etiam exprimitur, ac notas numerales habet præfixas. Nostra verò scholia charactere minori expressa, eo ipso satis euidenter ab auctoris Iansenistæ textu, quæ bona fide retulimus, distinguuntur.

Finis Præfationis Ministri Caluiniani.

Appendix ad paginam 644.


DISPVT. 38. sect. xi. num. vltimo, post illa verba, Nec mirum videri debet Augustini sententiam de prædestinatione non bene ab illis (Semipelagianis) fuisse intellectam: cùm ne nunc quidem satis de illa constet inter Catholicos, atque in diuersos & contrarios sensus accipiatur: nec desint testimonia apparenter illis fauentia, *adde*. Quam ob causam Magister sententiarum Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis non dubitauit scribere lib. 1. distinct. 41. lit. C. Beatum Augustinum tam variè & obscurè de prædestinatione loquutum esse, *vt quid intelligere voluerit, ignoretur*. Eandémque ob causam Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicensis, doctissimis suis voluminibus satis notus, scripsit in libro Atheismorum Caluini, tract. 7 D. Augustinum tres diuersas sententias de prædestinatione tenuisse: Ac primò quidem adhæsisse communissimæ antiquorum Patrum sententiæ, factam scilicet illam esse ex præscientia operum cum gratia Dei factorum, vel aliarum conditionum ex parte creaturæ necessariarum. Deinde voluisse factam potiùs fuisse ex mero Dei beneplacito, ante omnem præscientiam operum, vel conditionum, & quamcunque occasionem aliunde datam. Tertiò recurrisse ad peccatum originale, & massam damnationis, ex qua Deus aliquos pro mera sua voluntate selegerit, & prædestinauerit; alios in ea reliquerit, ac reprobauerit. Quartò denique re meliùs consideratâ, & inductum argumentis sibi obiectis, multorúmque querimoniis, ad primam sententiam rediisse: iuxta quam etiam benignè possunt explicari quæcunque ex illo in contrarium proferuntur. Hæc ille: cuius verba fideliter retulimus disput. 9. sect. 6. num. 57. & sequentibus, vbi fusiùs hac de re disseruimus.

Quia verò, vt manifestè liquet ex omnibus ferè præcedentibus disputationibus, Iansenius posthabitâ communi, & toto orbe receptâ in omnibus Catholicorum Academiis doctrinâ, nouam Theologis & occultam viam iniisse videri vult: sæpiúsque gloriatur nouam à se lucem mundo afferri, & illustrari dogmata de discrimine gratiæ inter auxilium *quo*, & auxilium *sine quo non*, de vera natura libertatis, oppositâ solùm coactioni, non autem necessitati antecedenti, de impossibilitate seruandi mandata, & gratia sufficiente ad id negatâ, de ordine prouidentiæ diuinæ circa salutem hominum, aliisque id genus, quę iam dudum notitiæ Theologorum erant abstrusa, & per illorum oscitantiam densissimis ignorantiæ tenebris obsita nunc autem in apertam lucem educta sunt ipsius labore & industria, diuturnâ scilicet lectione, attentâque meditatione scriptorum D. Augustini: Considerandum Lectori isto vltimo loco relinquimus, num in Iansenium, eiúsque doctrinæ præcones aptè cadat, quod de hæreticis generatim ait S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 18. exponens verba illa Iob 4. ver. 12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum, quando solet sopor occupare homines*: vbi sic habet. Communem scientiam habere refugiunt, ne ceteris æquales æstimentur: occulta vel noua semper exquirunt; quæ dum alij nesciunt, apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ singularitate gloriantur. Quam occultam insinuant: quia scilicet, vt admirationem ostendere valeant, hanc se latenter percepisse confirmant. Vnde apud Salomonem hæreticorum speciem mulier tenens, dicit: *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior*. Prouerb. 9. Et paulò pòst: Quantùm verò de singularitate sapientiæ eleuantur, ostenditur, cùm protinus subditur: *Quando solet sopor occupare homines*. Ac si apertè ab hæreticis diceretur: Cùm homines inferiùs dormiunt, nos ad percipienda superna vigilamus, quia ea nobis nota sunt, ad quæ videlicet cognoscenda ceterorum hominum corda torpentia non assurgunt. Ac si apertiùs dicant: In quibus intelligentia nostra se erigit, reliquorum hominum sensus dormit. Huc vsque Gregorius. Faxit Christus humilitatis & veritatis magister optimus, vt nimiâ illâ sui opinione depositâ, & perniciosâ nouitatis ac singularitatis affectatione, relictísque erroribus, & hæreticorum anfractibus ad quos deflexerunt, in viam rectam, & tutam, & tritam Catholicis redeant: *non alta sapientes, sed humilibus consentientes*: & *neque per contentionem, neque per inanem gloriam*, pacem & vnitatem Ecclesiæ turbantes, *sed in humilitate* vnanimi Doctorum Catholicorum consensui adhærentes, séque iudicio & censuræ Sedis Apostolicæ perfectè submittentes. *Vt eandem fidem & charitatem habentes, idipsúmque sentientes, vnanimes, vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Amen.

Vide Iansenium lib. proœm. cap. 2. 3. 10. 29. 30 & lib. 2. de Gratia Christi Saluat. cap. 3.

Rom. 12. v. 16. & cap. 15. v. 5. & 6. & Philipp. 2. v. 2. & 3.

Omnia iudicio Sanctæ, Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ ex animo submitto.





INDEX
DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

TRACTATVS I.
De hæreſi Pelagiana & Semipelagiana.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

De Authore operis inſcripti Auguſtinus. pag. 1.

DISPVTATIO II.

De ortu, progreſſu, & occaſu hæreſis Pelagianæ & Semipelagianæ. 20.

DISPVTATIO III.

An, & quomodo errauerint Pelagiani circa liberum arbitrium? 31

DISPVTATIO IV.

In quo errauerint Pelagiani circa statum primi hominis ante peccatum? 46

DISPVTATIO V.

De dogmatibus Pelagianorum ad statum naturæ lapsæ pertinentibus. 51

DISPVTATIO VI.

De dogmatibus Pelagianorum ad vires naturales bene viuendi spectantibus. 64

DISPVTATIO VII.

De multiplici statu hæresis Pelagianæ: & quam gratiam admiserit? 75

DISPVTATIO VIII.

De quarto statu hæresis Pelagianæ, déque aliis eius dogmatibus. 104

DISPVTATIO IX.

De hæresi Semipelagiana. 116

DISPVTATIO X.

DISPVTATIO XI.

TRACTATVS SECVNDVS.

De variis statibus naturæ humanæ, in ordine ad gratiam consideratis.

DISPVTATIO PROOEMIALIS num. XII.

DISPVTATIO XIII.

TRACTATVS TERTIVS.

De gratia Christi Saluatoris.

DISPVTATIO PROOEMIALIS num. XX.

DISPVTATIO XXI.

DISPVTATIO XXII.

XVI.

DISPVTATIO XXIII.

DISPVTATIO XXIV.

DISPVTATIO XXV.

DISPVTATIO XXVI.

DISPVTATIO XXVII.

DISPVTATIO XXVIII.

DISPVTATIO XXIX.

DISPVTATIO XXX.


DISPVTATIO XXXI.

DISPVTATIO XXXII.

DISPVTATIO XXXIII.

ANTISTATERA TRIPLEX.

Quâ Iansenij doctrina cum oppositis Concilij Tridentini definitionibus, & damnatis Michaëlis Baij propositionibus, hæreticorúmque recentium erroribus ponderatur.






INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVI IN HOC VOLVMINE ILLVSTRANTVR.

Littera D. designat disputationem, N. numerum, P. paginam.

PAVLI EPISTOLA AD ROMANOS.

EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.







INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Litera D. disputationem, N. numerum, P. paginam designat.

Probatur

H

Habitus.

Hæresiarcha.

Hæretici, Hæresis.

Ttt

M

S. Macarius Ægyptius.

N

Pelagius, & Pelagiani.

Præ-

Ricardus.

S

Salus, & ſaluare.

Scotus.

Semen.

Semipelagiani.

Sixtus.

Spes.

Status.

Suares.

FINIS.





ERRATA.

Præter leuia quædam errata, quæ facilè aduertet, & corriget Lector, præsertim in interpunctionibus, similibúsque minutiis, hæc notatu digna visa sunt.

PAG. 1. colum. 1. linea 13. modcio lege modico Pag. 3. colum. 2. lin. 4. nii lege niti Ibidem colum. 1. lin. 55. eo aberrant lege ab eo aberrant Pag. 5. col. 1. lin. 25. Iconoplastas lege Iconoclastas. *Quod autem de Concilio Arausicano II. diximus pag. ista 5. & alibi, Suaris. Caranza, Vasquis, & aliorum auctoritate permoti, celebratum illud fuisse sub Leone, reuocamus; cùm satis exploratum sit anno 529. sub Felice IV. celebratum fuisse: vt rectè ostendunt Baronius in editione Coloniensi, Binius in notis ad idem Concilium, Sirmondus, & alij.* Pag. 7. col. 2. lin. 28. Vautensis lege Vabrensis Pag. 9. col. 2. lin. 56. cap. 4. & canone 5. lege cap. 5. & can. 4. Pag. 10. col. 1. lin. 52. cap. 14. lege cap. 34. & lin. 53. libro de lege lib. 2. de Pag. 11. col. 2. lin. 10. Vitalium lege Vitalem Ibidem col. 2. lin. 48. vel de ipso lege vel ipso Pag. 12. col. 1. lin. 48. libe lege libero Pag. 19. col. 2. lin. 51. generalibns. lege generalibus, Vindocini anno 1648. Iterúmque Turonibus anno 1651. Pag. 21. col. 1. lin. 65. Diospolitana Adde Interea hæresis Pelagij damnatur in Africa. Pag. 33. col. 1. lin. 35. ista lege ita Pag. 35. col. 2. lin. 57. Iacobo lege Iacob Pag. 37. col. 2. lin. 46. eam lege eum Pag. 39. col. 1. lin. 57. hic lege id Pag. 40. col. 2. in margine lin. 4. imperfectionis lege imperfectioni Pag. 44. col. 1. lin. 3. can. lege cap. Ibid. lin. 14. cap. 4. & can. 5. lege cap. 5. & can. 4. Pag. 47. col. 2. lin. 47. mortis lege morti Pag. 50. col. 2. lin. 46. dici lege dicitur Pag. 54. col. 1. lin. 33. at lege ac Pag. 56. col. 2. lin. 4. vsu lege visum Pag. 58. col. 2. lin. 23. & lege vel Pag. 64. col. 1. lin. 9. Quæ lege Quare Pag. 65. col. 2. lin. 30. esse lege esse, Pag. 67. col. 2. lin. 27. verè lege verò Pag. 68. col. 1. lin. 44. lib. 4. adde contra eundem, Pag. 70. col. 2. lin. 45. vbi adde id Pag. 72. col. 1. lin. 32. Rachab lege Rahab Pag. 76. col. 1. lin. 17. exhibitæ lege exhibita Ibid. col. 2. lin. 57. primus lege primum Pag. 78. col. 2. lin. 50. libero, arbitrio lege libero arbitrio, Pag. 81. col. 1. lin. 49. multorum lege mutorum Ibidem col. 2. lin. 15. occupabat lege nuncupabat Pag. 82. col. 2. lin. 36. aut adde in Pag. 83. col. 1. lin. 1. instruit lege instruat Ibid. lin. 35. iuuantes lege iuuantis Ibid. col. 2. lin. 11. cap. 11. lege cap. 10. Ibidem lin. 15. sed dele. Ibid. lin. 58. cognocat lege cognoscat Pag. 84. col. 2. lin. 24. vel experi; lege vt expedit; Pag. 86. col. 1. lin. 52. eludebat, lege eludebant Pag. 88. col. 2. lin. 28. lib. adde ita Pag 90. col. 2. lin. 52. aeria lege actia Pag. 94 col. 2. lin. 54. sint lege sunt Pag. 100. col. 2. lin. 9. meritò naturali lege merito naturalis Ibid. col. 1. lin. 36. Pelagianus lege Pelagius Pag. 104. col. 1. lin. 46. Senonensi lege Senonensis Pag. 106. col. 2. lin. 38. vt dele. Pag. 109. col. 1. lin. 1. ielligi lege intelligi Pag. 113. col. 2. lin. 42. quod lege quos Pag. 116. col. 1. lin. 61. superbierunt lege superbi erunt Pag. 125. col. 2. lin. 52. Vincentianas adde siue Pag. 129. col. 1. lin. 46. Prospero aut Hilario lege Prospero, & Hilario, Ibid. col. 2. lin. 52. vesatur lege versatur Pag. 132. col. 2. lin. 33. quæst. 5. & 6. membro lege quæstione 36. membro 2. Pag. 133. colum. 1. lin. 1. affirmant lege affirmat Ibid. col. 1. lin. 13. perficit lege perficiet Ibid. col. 1. lin. 50. sine lege fine Ibid. col. 1. lin 59. num. 3. lege num. 4. Pag. 136. col. 2. lin. 57. delibatum lege debilitatum Pag. 137. col. 1. lin. 7. Denique Massilienses lege Denique addit Massilienses Pag. 138. col. 1. lin. 25. scripta, ad lege scripta ad Pag. 139. col. 1. lin. 8. nutritur adde si Pag. 140. col. 1. lin. 20. humana lege humanæ Pag. 141. col. 1. lin. 66. sit lege sic Pag. 146. col. 2. lin. 69. docuisset lege docuisset? Pag. 147. col. 1. lin. 5. raperetur, lege raperetur? Ibid. col. 1. lin. 28. mortes, lege mortes? Ibid. col. 1. lin. 52. peragendi lege ad peragendum Ibid. col. 2. lin. 1. vbi dicit adde eos affirmare Pag. 148. col. 2. lin. 65. Et Hilario lege Et ex Hilario sic scribente Ibidem lin. 66. & dele. Pag. 151. col. 1 lin. 41. indicare, Iansenius, lege indicare Iansenius, Pag. 152. col. 1. lin. 16. inueniat, introeat, lege inueniat, ideo introeat, Pag. 153. col. 2. lin. 43. fuerit id lege fuerit, id Pag. 154. col. 2. lin. 35. Quia lege Quare Pag. 156. col. 2. linea 57. qua lege quo Pag. 157 col. 1. lin. 18. auctores suos lege errores suos Pag. 160. col 1. lin. 8. octuagesimo nono lege octuagesimo octauo Pag. 161. col. 1. lin. 30. necessaria, vt lege necessaria vt Ibid. col. 2. lin. 69. tributus lege tribuit Pag. 162. col. 1. lin. 67. Seuerinus, Binius lege Seuerinus Binius, Pag 164. col. 1. lin. 57. verò lege verè Pag. 165 col. 1. lin. 62. qui lege quique Pag. 166. col. 1. lin. 15. potest. lege potest? Ibid. col. 2. lin. 5. peccatorum dele Ibid. lin. 10. dabatur, gratia lege dabatur gratia Ibid. lin. 48. aut non deserat lege aut deserat Ibid. lin. 63. est, lege est Pag. 167. col. 1. lin. 55. Illam lege addit, illam Pag. 168. col. 1. lin. 26. opponit lege apponit Ibid. lin vltima, esse, vt lege esse vt Ibid. col. 2. lin. 3. & 4. ex spontanea lege ex hac spontanea Pag. 169. col. 1. lin. 46. maturo lege matura Pag. 171. col. 1. lin. 25. quod lege quo Col. 2. lin. 66. propter lege præter Pag. 173. col. 2. lin. 41. tamen lege tam Pag. 174. col. 2. lin. 28. 1643. lege 1644. Pag. 178. col. 1. lin. 49. & 50. agendorum, simplices, relinquendo lege agendorum simplices relinquendo Pag. 179. col. 1. lin. 53. & 54. fundamentorum, ignorantiam, Theologis lege fundamentorum ignorantiam Theologis Ibid. col. 2. lin. 66. armis, aduersus illos, vtimur, lege armis aduersus illos vtimur Pag. 182. col. 1. lin. 8. certè lege certò Ibid. col. 2. lin. 30. inquit, de Augustino, lege inquit de Augustino Pag. 185. col. 2. lin. 26. Lyrinensis lege Lirinensis Ibid. lin. 56. esse lege ipse Pag. 189. col. 2. lin. 53. illum lege illam Pag. 190. col. 2. lin. 66. connexio lege contextio Pag. 194. col. 2. lin. 21. & 22. articulo secundo lege articuli secundi Pag 195. col. 1. lin. 7. est lege erat Pag. 196. col. 2. lin. 12. exuisse adde & Pag. 199. col. 2. lin. 69. n. 7. lege num. 27. Pag. 200. in margine Quis lege Quid Pag. 204. col. 2. lin. 13. Et lege Et Pag. 207. col. 2. lin. 31. Gregorius, Nazianzenus lege Gregorius Nazianzenus Pag. 209. col. 1. lin. 39. negare lege dicere Ibid. col. 2. lin. 57. esset adde Deus Ibid. col. 2. lin. 64. Imaginatur adde Iansenius Pag. 210. col. 1. lin. 10. in hunc modum iuxta veram S. Augustini sententiam impossibile est lege in hunc modum. Iuxta veram S. Augustini sententiam impossibile est Pag. 212. col. 1. lin. 46. seu lege sed Pag. 214. col. 1. lin. 3. se lege esse Pag. 216. col. 1. lin. 11. affirmat lege affirmat Augustinus Ibid. lin. 39. bemignitatem lege benignitatem, Pag. 217. col. 2. lin. 12. enim adde ei Ibid. col. 2. lin. 63. & 64. sufficiunt quæ diximus Sect. 3. num. 17. & seqq. vbi demonstrauimus lege scorsim de illo dicemus sect. 15. num. 131. & seqq. vbi demonstrabimus Pag. 219. col. 1. lin. 59. quorum lege quarum Pag. 222. col. 2. lin. 49. illi lege illis Pag. 227. col. 2. lin. 58. illi lege illis Pag. 228. col. 1. lin. 46. Genesis 2. lege Genesis 3. Pag. 230. col. 1. lin. 64. probaretur lege præberetur Pag. 232. col. 2. lin. 14. aquam lege aquam, Ibid. lin. 15. extendere lege extende Pag. 233. col. 2. lin. 20. sine lege siue Pag. 234. col. 1. lin. 51. possit lege posset Pag. 237. col. 2. lin. 14. dixerant lege dixerat Pag. 238. col. 2. lin. 16. vtique peccauit lege vtique non peccauit Pag. 242. col. 1. lin. 54 (inquit) libro 1. de nuptiis cap. 19. lege (inquit lib. 1. de nuptiis cap. 19.) Pag. 245. col. 1. lin. 41. eam lege eum Pag. 246. col. 1. lin. 19. voluit. Ex quo lege voluit, ex qua Pag. 251. col. 1. lin. 6. potuisse lege potuisset Pag. 252. col. 1. lin. 60. quia omnes lege quia cùm omnes Pag. 256. col. 2. lin. 4. ea lege eas Pag. 257. col. 1. lin. 43. epistolas lege epistolam Pag. 260. col. 2. lin. 30. doceat lege doceant Pag. 261. col. 2. lin. 15. libro de lege libro 1. de Ibid. lin. 39. naturalis excusare lege naturalis non excusare Pag. 264. col. 1. lin. 42. eius &c. lege eius. Et Pag. 265. col. 1. lin. 17. nobis, lege nobis: Ibid. lin. 42. lib. de lege lib. 2. de Ibid. col. 2. lin. 7. tamen lege tam Pag. 266. col. 1. lin. 38. probandum lege probatur Ibid. lin. 52. consistunt lege sistunt Ibid. col. 2. lin. 64. Basilij, Pontij lege Basilij Pontij Pag. 267. col. 2. lin. 56. credendum lege cedendum Pag. 268. col. 2. lin. 55. Tunc lege Tunc Pag. 269. col. 2. lin. 28. cap. 3. lege cap. 13. Pag. 270. col. 1. lin. 48. infimis; lege infimis? Pag. 272. col. 2. lin. 44. vobis: quia lege vobis &c. Vos autem dixi amicos, quia Pag. 273. col. 2. lin. 9. & 10. 1. Timothei 2. & 3. lege 2. Timothei 3. Pag. 276. col. 1. lin. 46. post, passione lege post non passione Ibid. lin. 63. quod est melius lege quod melius Pag. 277. col. 2. lin. 64. eligeret lege eligerent Pag. 281. col. 2. lin. 61. epistolam lege epistolâ Pag. 284. col. 2. lin. 9. cum lege eam Pag. 287. col. 1. lin. 9. peccamus. Quoniam lege peccamus: quoniam Ibid. col. 2. lin. 60. adiuuata lege adiuta. Pag. 288. col. 2. lin. 29. sed re lege sed & de re Ibid. col. 2. in nota prima marginali n. 46. contra lege circa Pag. 289. col. 1. lin. 24. merito lege meritis Ibidem col. 2. lin. 25. libro lege li-

bri Ibid. lin. 30. ſtercore ! lege ſtercore! Pag. 291. col. 2. lin. 23. & 24. viceſima quarta lege ſeptima Pag. 293. col. 2. lin. 61. hoc dele. Pag. 294. col. 1. lin. 41. vitati, fieri lege vitari. Fieri Pag. 297. col. 1. lin. 27. obtinere lege obtineri Ibid. lin. 28. Hæc lege Hoc Ibid. col. 2. lin. 6. affimat lege affirmat Pag. 298. col. 2. lin. 27. & in dele & Pag. 302. colum. 1. lin. 3. vt non iouertant lege vt iouertant Pag. 303. col. 1. lin. 21. operatiuus, lege operatiuus; Ibid. col. 2. lin. 26. ſcriptam lege ſcriptam Ibid. lin. 32. ſonant lege ſonant, Ibid. lin. 49. poſſet. lege poſſit. Ibid. lin. 64. ſapere. Si lege ſapere: ſi Pag. 305. col. 1. lin. 35. poſſint: lege poſſunt, Pag. 306. col. 1. lin. 8. amor lege honor Ibidem lin. 24. decimo-octauo ſpiritum lege decimo-octauo, dicit ſpiritum Ibid. lin. 46. Et lege Eſt Pag. 307. col. 1. lin. 67. concupiſcentiam lege conſcientiam Pag. 308. col. 1. lin. 60. bona lege, bona Pag. 314. col. 1. lin. 2. eluſinem lege cluſionem Ibid. lin. 6 dixit lege dicit Pag. 324. num. 7. in margine, defectus lege effectus Pag. 326. col. 1. lin. 13. &c. dele. Ibid lin. 24. aſſumptam lege ſumptam Ibidem lin. 25. quòd lege, quod Pag. 327. col. 2. lin. 29. è lege à Pag. 331. col. 2. lin. 15. reuertemini lege reuertimini Pag. 337. num. 57. in marg. exponunt lege exponuntur Pag. 338. col. 1. lin. 59. fuiſſe, vt lege fuiſſe, non vt Pag. 340. col. 2. lin. 31. afferret lege offerret Pag. 345. col. 1. lin. 30. vuas, de lege vuas, aut de Ibidem lin. 57. ſuas lege ſuos Pag. 353. col. 1. lin. 55. quæ lege quâ Ibidem col. 2. lin. 54. poſſit lege poſſet Pag. 355. col. 2. lin. 9. aut ſaluantur lege aut ſaluantur Pag. 357. col. 1. lin. 65. inquam lege inquam Pag. 360. col. 2. lin. 11. Pelagius lege Pelagij Ibid. lin. 46. aiutorium lege adiutorium Ibid. lin. 60. tamen dele. Pag 362. num. 85. in marg. gratiam non lege gratiam medicinalem non Pag. 363. col. 1. lin. 3. conſcientiâ tuâ lege conſcientia tua Pag. 365. col. 1. lin 15 difficilè lege difficile Ibid. lin. 44. conſtitutus lege conſtitutum Pag. 366. col. 1. lin. 30. excedentibus lege credentibus Pag. 367. col. 2. lin. 12. inquit, vt lege inquit (vt Ibid. lin. 13. commemorem (lege commemorem) Pag. 368. col. 1. lin. 27. velmus lege velimus Pag. 369. col. 1. lin. 49. etiam aduerſariis lege etiam ab aduerſariis Ibid. col. 2. lin. 50. perſuadere lege perſuaderi Pag 371. col. 2. lin. 48. ex pſalm. lege ex enarratione pſal. Pag 373. col. 2. lin. 58. tanquam lege ſed tanquam Pag. 374. col. 1. lin. 39. quod lege quòd Ibid. col. 2. lin. 27. humnnas lege humanas Pag. 381. col. 1. lin 36. ſollicitatione lege pollicitatione Pag. 383. col. 2. lin. 34. qua non lege qua poſita non Pag. 386. col. 1. lin 62. ad id lege aliud Pag. 388. col. 2. lin. 21. ad bonum, lege ſiue ad bonum Ibid. col. 2. lin. 66. qua lege quod Pag. 389. col. 2. lin. 16. eius lege eorum Pag. 390 col. 2. lin. 24. non peccare lege nos peccare Pag. 397. col 2. lin. 28. quàm lege quam Pag. 401. col. 1. lin. 5. ſecundùm lege ſecundum Pag. 403. col. 1. lin. 53. & medio lege & de medio Pag. 404 col. 2. lin. 10. naturalem lege Moſaicam Pag. 406. col. 2. lin 49. quem lege quam Pag. 407. colum. 2. lin. 8. vlteriùs, & ampliùs lege vlterius, & amplius Ibid. col. 2. lin. 13. adiutorium lege adiutorio Ibid. lin. 14. iuſtum lege iuſſum Ibid. lin. 15 vt dele. Pag. 411 col. 2. lin. 1. tantum lege tantùm Pag. 413. colum. 1. lin. 55. concione lege & concione Ibid. lin. 9. decimo ver. 17. lege duodecimo ver. 10. Ibid. col. 2. lin. 23. & 24. membro 5. art 2 dele. Pag. 420. col. 2. lin. 9. ibid. lege 1. 2. Pag. 421. col. 2. lin. 46. alij lege aliqui Pag. 424. col. 1. lin. 36. 11. 28. lege 11. ver. 18. Pag. 437. col. 2. lin. 54. adiuuet lege adiuuit Pag 466. col. 2. lin. 46. Dei lege Deo Pag. 474. col. 1. lin. 34. ſola lege ſolo Ibid. col. 2. lin. 31. peccati lege peccat. Pag. 476. col. 2. lin. 25. epiſtola lege epiſtolam Pag. 488. col. 1. lin. 57. Ex lege Et Pag. 490. col. 1. lin. 29. times lege time Pag. 492. col. 2. lin. 19. ſignificet lege ſignificat Pag. 494. col. 1. lin. 31. pleniſſima lege planiſſima Pag. 495. col. 1. lin. 52. volumus cùm facimus lege facimus cùm volumus, Pag. 496. col. 2. lin. 62. aut illo lege vt illo Pag. 508. col. 1. lin. 38. iumentum. Adde, Si inſederit Deus, vult & vadit quò vult Deus. Pag. 511. col. 2. lin 60. ſecundum lege ſecundam Pag. 512. col. 1. lin. 12. tertium lege tertiam Pag. 517. col. 1. lin. 6. vt dele. Ibidem lin. 45. quod lege quòd Pag 522. col. 1. lin. 8. fecit lege facit Ibid. lin 55. arbitrio adde capite 1. Ibid. lin. 56 libro tertio lege Et inferiùs eodem Pag. 523. col. 2. lin. 5. illum lege iſtum Ibid. col. 2 lin. 61. poſſumus lege poſſemus Pag. 532. col. 2. lin. vlt. gratia, Adde dicitúrque libertas iuſtitiæ: tertia reſeruatur in patria Pag. 534. col. 2. lin. 61. eligeréque in vtramque partem, lege eligeréque, in vtramque partem Pag. 537. col. 1. lin. 40. quod lege quòd Pag. 538. col. 2. lin. 51. eorum lege earum Pag. 539. col. 1. lin. 56. πξουσίως lege πξουσίω Pag. 540. col. 2. lin. 46. audiunt; lege audiunt, obediunt: Pag. 545. col. 1. lin. 29. Et lege Et Pag. 547. col. 2 lin. 42. poteſtas lege prauitas Pag. 548. col. 1. lin. 56. quod lege quòd Ibid. col. 2. lin. 18. credenti lege credere Pag. 549. col. 2. lin. 63. affirmat lege affirmet Pag. 556. col. 2. lin. 20. quidem lege quidam Pag. 559. col. 1. lin. 16. cogente. Sed lege cogente, ſed Pag. 560. col. 2. lin. vlt. habet lege habent Pag 566. col. 2. lin. 15. Deum lege Deo Pag. 575. col. 2. lin. 14. omnium lege omnem Ibid. lin. 28. Imaginatur lege Imaginator Pag. 576. col. 2. lin. 10. an. lege annis Pag. 576. col. 2. linea vltima diſp. lege diſt. Pag. 580. col. 1. lin. 8. quòd lege quod Pag. 581. col. 2. lin 14. Pſal. lege in Pſal. Pag. 587. col. 1. lin. 41. ita adde vt Pag. 591. col. 2. lin. 37. quâ lege quo Pag. 606. col. 2. lin. 34. eodem lege eadem Pag. 608. col. 1. lin. 49. ipſum adde impellunt ad bene agendum; nec violenter ipſum Pag. 613. col. 1. lin. 40. non lege nos Pag. 618. col. 1. lin. 48. relinquendam lege relinquendam: Pag. 620. col. 2. lin. 50. citati lege citati, Pag. 621. col. 2. lin. 41. Eligit lege Elegit Pag. 624. col. 2. lin. 22. Sic lege vbi ſic Pag 629. col. 2. lin. 43. erant lege erunt Pag. 637. col. 1. lin. 1. eſt lege ſit. Pag. 639. col. 2. lin. 39. gratia naturæ lege gratiæ natura Pag. 645. col. 2. lin. 46. quod lege quòd Pag. 647. col. 1. lin. 38. ſeſſionis, adde non modò Ibid. col. 2. lin. 3. gratiam adde ſe Pag. 648. col. 2. lin. 32. affirmat adde Petauius Ibid. lin. 37. ex lege de Pag. 649. col. 1. lin. 53. fundatæ: lege fundatæ. Pag. 650. col. 2. lin. 19. voluntatis lege voluntate Pag. 659. col. 1. lin. 8. & dele. Ibid. col. 2. lin. 51. hoc lege hac Pag. 667. col. 2. lin. 66. oſtendimus lege oſtendemus Pag. 668. col. 2. lin. 17. plurimùmque lege plurimorúmque Pag. 671. in marg. in æternum lege igne æterno Pag. 674. col. 1. lin. 37. patiatur lege patiantur Pag. 676. col. 2. lin. 18. connaturali lege contranaturali Pag. 688. col. 1. lin. 46. arbitrij, lege arbitrij merita, Ibid. col. 2. lin. 17. LX. lege LII. Pag. 690. col. 1. lin. 21. cupiditatem. Adde tom. 2. col. 517. in tit. cap. Ibid. lin. 23 incommutabilis, lege incommutabilis veritatis, Ibid. cupiditas. Adde tom. 2. col. 355. Ibidem lin. 26. caritas. Adde tomo 2. col. 355. Pag. 692. col. 2. lin. 7. tom. 3. adde lib. Ibid. col. 2. lin. 48. §. 1. lege §. 11. Pag. 693. col. 2. lin. 13. inſtrumenta adde ſiut Pag. 694. col. 2. lin. 3. contra-Remonſtrantes lege contra-remonſtrantium Pag. 695. col. 2. lin. 25. eſt, lege eſt; Pag. 696. col. 2. lin. 41. reſiſtentiæ. lege gratiæ. Pag. 697. col. 2. lin. 42. caput lege can. Ibid. lin. 43. eligendo lege eligendi Pag. 698. col. 2. lin. 5. teramus Adde hoc ſaluo Pag. 701. col. 2. lin. 12. Bucerus 1. lege Bucerus in Epiſt. Pag. 703. lin. 10. ante finem, æquilibriis lege momentis æquilibrem

In admonitione ad Lectorem nominando eos, à quibus aliquid mutuati ſumus, prætermiſſus fuit R. P. Du Boſc Franciſcanus, cuius eruditiſſima lucubratio de Chriſto pro omnibus mortuo magnam lucem, & opem nobis attulit ad canonem 4. Concilij Valentini explicandum, quippe qui hoc argumentum fusè, ſolidè & accuratè proſecutus eſt.

